BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
34 M N
27

II g Th

B.V.7.

R. P. ANDREÆ LVCAS DE ARCONES IN ISAIAM PROPHETAM ELVCIDATIO.

ISAIÆ PROPHETÆ ELVCIDATIO LITERALIS, MYSTICA ET MORALIS,

EXORNATA

DISCVRSVVM VARIETATE.

AVCTORE,

P. ANDREA LVCAS DE ARCONES, è Societate IESV, Granatenſi,
In Collegio Diui Pauli Diuinorum oraculorum interprete.

Cum triplici Indice,

I. *Sermonum ad Quadrageſimam, Aduentum, Chriſti Domini, Euchariſtiæ, Beatæ Virginis præcipua myſteria; & aliquorum Sanctorum feſtiuitatem attinentium.*

II. *Locorum ſacræ Scripturæ.*

III. *Rerum & verborum copioſiſſimo.*



LVGDVNI,
Sumpt. LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XLII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ex Libris S.tæ M.æ in Porticu in Campitello.

D. D. FRANCISCO ZAPATA,
D. DIDACI DE ZAPATA, ET D. MARIÆ SIDONIA RIEDREER COMITVM

DE BARAIAS FILIO, EQVITI ORDINIS DE CALATRAVA, Comendatario de la fuente del Emperador, Capellano Collegæque veteris Collegij Sancti Bartholomæi Salmanticenſis, Regiæ Cancellariæ Granatenſis Senatori; à Regiis Indiarum Conciliis olim Fiſcali, nunc Conſiliario, Claſſium Maris Occeani generali Viſitatori.

NON hæſi anceps (SENATOR ILLVSTRISSIME, IVRIS ANTISTES,) quo tholo, qua ara ſuſpenderem harum lucubrationum in Iſaïam Prophetam volumen, primam ingenioli mei fœturam: nam ad te Mecenatem, dulce decus meum, ſenſi carbaſa mea flecti. Vix animus cœpit ingraueſcere huius operis genitura, cùm prima imaginis lineamenta ductabat; quando tuitioni, & fidei tuæ concreditum eſt, vt aſpirante tui fauoris aura adoleſceret, felicíque frueretur huius lucis vſura. Prodit nunc non tenerioris dictionis purpura indutum, aut periodorum fictitio nitore coloratum, ſed cyclada diuinæ ſapientiæ ornatum, clamydéque diffibulatum vtriuſque literaturæ diuinæ, & humanæ: ſic placebit tibi, ſic ambibit tuas vlnas, ſinum, amplexum, munimen, vt protectionis tuæ ſerto tanquam auro, & gemmis coronetur. In quo opere non te amicè inuitabo cum Apollonio Tyaneo ad Caucaſum culmen, Æthyopum Gymmoſophiſtas, Indorum Brachmanas, non ad Tripodem Cyrrhæum, ad craterem ignis, fontémque diuini afflatus, vt iis initiatus expies piacula, iura profe-ras: ſed ad Ieroſolymorum Regum oraculum Iſaiam in vtroque iure magnum iuſtitiæ defenſorem, ſacri vaticinij correptum flamine, muſto diuini amoris ebrium; nec iuxta ſcatebras Aganippei fontis, per thoros herboſæ, & roſcidæ ripæ, & muſcoſos pumices, molles verborum pangit corollas, ſed de ſuperni ſpiritus laticibus, & Saluatoris fontibus ingurgitatus effatur. Eum cernes de legibus, de iure diſputantem in Conſiliis Regum, diſpoſitè, grauiter, ardenter, magna acrimonia, æquali facundia. Ieroſolymitani decus Senatus, & Curiæ;

vir continens pecuniæ, inter Regales epulas abſtemius, inter purpuratos proceres linteatus, inter alabaſtra, cinnamomum, balſamum, muſcum, & diuerſa thymiamata redolentes Cenſorius, inter Satrapas pumicatos, malobathratos venerabili ſqualore pretioſus; cùm querelas fundit aduersùs populum leges calcantem, vel violatam iuſtitiam hoc capite primo tuetur; cùm pupillorum, viduarum, ærumnoſorum tutelam ſuſcipit, in eius patrocinio, & oratione quantum ineſt mellis, leporis, piperatæque facundiæ? illius enim fulmen ingenij, & eloquij ſalſa libertas, iam in perſonis, aliquando tonat in cauſis; ſciebat enim quod iuſtitiâ florent Imperia, augentur principatus decora. Hic ergo diuinus vates ara iuſtitiæ, te iuris Aſylum, Principem virum ad normam æquitatis factum exigebat patronum: Regis Ezechiæ Conſiliarius, Regis Hiſpaniarum illuſtriſſimum, & nobiliſſimum Senatorem: ibit nunc ſtylus per tui generis adoreas, inclytáſque curules, id enim ex inclyta Regum Nauarræ, & Aragoniæ ſtirpe ducit originem. In quo inuenio Garciam Zapata anno Domini 1216. Calahorrenſis Ciuitatis, & arcis Præfectum, & inuictum cuſtodem; Petrum Zapata de Calataiud Dominum de las Baronias de Baltares, y la Bilueña, qui Regem D.Iaime expugnatoris cognomine illuſtrem, in obſidione Ciuitatis Valentinæ comitatus eſt; Rui Sanchez Zapata Præpoſitum pincernarum Regum Enrriqui Tertij, & Ioannis Secundi (elaboratum eſt longa ætate hoc veſtri generis à poculis Regiis munus, quod notiſſimo quodam habitaculo in veſtra poſuit lares familia) is Matriti funiculum hæreditatis perpetuo iure poſſedit anno Domini 1421. Regalium Comitiorum Procurator Generalis inſtitutus. Dedit quoque generoſa ſtirps mitratos viros, vt longo ſtemmate ducto per trabeas, lege temporum originariâ ſit honorum; D. Ioannes Zapata Oſorio in Salmanticenſi Eccleſia Magiſtri ſcholarum dignitate ſublimis, Salmantini Collegij maximi collega, in Tribunalibus Fidei Cordubenſi, Hiſpalenſi Inquiſitor, Supremæ Generalis Inquiſitionis iudex, Epiſcopus Zamorenſis: D. Gomez Zapata Salmantini Collegij Archiepiſcopi Collega, Supremi Conſilij Indiarum Senator, Epiſcopus Zamoræ, & Carthaginis fulgent mitrarum ſplendore, & luce natalium. Venio ad tuæ familiæ decus D. Franciſcum Zapata de Ciſneros Comitem de Barajas, quem inſignia honoris tanta circunſtant, vt nullus poſſit ambigere de huius lampadis claritate lucere. Is enim Ordinis Diui Iacobi ornatus inſignibus, Trece Ordinis, Comendatarius de Guadalcanar, infulis Prætoris Ciuitatis Cordubenſis conſpicuus, in expeditione Luſitanica Regis Catholici Philippi II. Hiſpaniarum Regis, Oeconomus ſereniſſimæ Reginæ Annæ, ſereniſſimorum Principum Philippi II. Filiorum eruditor Oeconomus; Regalium Conſiliorum, Ordinum, ſtatus, belli, ſupremique Conſilij Caſtellæ Præſes, is à Philippo II. Comitis de Barajas faſcibus ornatus, non minus genitalis ſoli fortuna

na reſplenduit,quàm gloria ſtemmatis, & virtutis ornatus.

Eius filius D. Antonius Zapata antiquiſſimi, & nobiliſſimi Collegij Sancti Bartholomæi Salmanticenſis Collega, Canonicus, & Inquiſitor Toletanus, Epiſcopus Gaditanus, & Pampilonenſis, Archiepiſcopus Burgenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Purpuratus Pater à Clemente VIII. Summo Antiſtite creatus, Hiſpaniæ protector, Neapolitanæ vrbis Prorex, in Hiſpanico, & ſupremo cauſarum Fidei Senatu Generalis Inquiſitor; qui non ſolùm familiæ ſuæ ornamentum, ſed Hiſpaniæ decus præſtitit.

Venio denique ad poſtremam generis propaginem, tempore vltimam, dignitate primam, Parentem tuum D. Didacum de Zapata Comitem de Barajas Dominúmque de Monte-Alegre Hiſpaniarum Regis Philippi IV. Maximum œconomum, ſuamque iugalem benemeritam D. Mariam Sidonia Riedreer fæminam nobiliſſimam ex familiis Auſtriacis ortam, Auguſtæ Imperatricis, eiuſque filiæ Margaritæ Hiſpaniarum Reginæ ſanguine, familiaritate, obſequio propinquam. Talibus parentibus meritò gloriaris, venit ad te honorata poſteritas, vt ex mirabili ſapientia, prudentia iuris, morúmque ſplendore genus tuum nouum lumen, nouum decus accerſeret; nati ſunt in te faſces ex faſcibus, ex ſtipite fœtus arborei pulularunt iterum decenter abſciſi. In ipſa iuuenta, quæ præcipitium ſolet eſſe mortalibus. Mirabantur omnes virtutum tuarum chorum, ſuſpiciebant in te iuris prudentiæ thronum, arcanam iuuentæ maieſtatem in verbis, reuerentiam amabilem in vultu; in inceſſibus modeſtiam, tua omnia caſtum pudorem ſpirantia, quid mirum ſi poſt purpuream crucem de Calatraua, poſt Collegij maximi trabeam, quod in orbem totum tot peperit Catonum examina, Magiſtratus Conſiliariique Regij Curiæ Granatenſis infulæ adultam cingerent Cæſariem, qui meritorum, & ſapientiæ laude ætatis præiudicium ſuperabas; floruit in te Aſtræa feliciter, ſecurus incedis ne à te auolet ad Cælitum conſilium, cùm in te manſitet placidè; argutè Orator occinit.

Juſtitia inuiolata malis placidiſſima Virgo
Siue illam Aſtræus genuit, quem fama parentem
Tradidit Aſtrorum, ſeu vero intercidit æuo
Ortus fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata ſubire.
Tecta hominum & puros mores ſine crimine.

Quales in te agnouit, & reuerita eſt hæc celebrata omnium ore vrbs, & Solonum Lycurgorúmque grauiſſimus Senatus; veniſti ad illum cancellorum pompa decoratus, & glorioſa grauitate præcinctus, in quo vel cùm cauſis præſides, vel lites dirimis, vel diuerſa iura componis, ſententiarum probitas auditur de ore tuo velut de oraculo. Iuuenem te ſola ætas oſtendebat, ab ore primæuo cana verba manabant; contendebant flos ætatis, integritas iuris, maturitas mentis,

iſtà potius ſuperabant, quæ nos ad virtutis decus ducant, & perennaturam gloriam. Hodie plaudunt te Illiberitanæ Curiæ ſubſellia, quot ciues tot habes comitatis, & prudentiæ præcones, qui adhuc condolent tali æquitatis orbatos eſſe patrono, ſciebant etenim te habere iuſtitiam apertam, manum clauſam, apud te non valere brachia, ſed iura. Tranſlatum eſt hoc ſidus iuſtitiæ ad Philippicas arces, & ſupremi Conſilij orbem, quod duos moderatur orbes, vt in altis conſtitutum plus luceret; In Senatu Indiarum dum Fiſcalis, & Conſiliarij munere fungeris, mirum eſt quot litium victoriis, & palmis coronatus ſis, cùm eas ſuperas induſtria, integritate, mentis acumine, vigilantia, indefeſſo labore, tot compactis allegationibus iuris per horas, & tempora quieti, & ſomno deſtinatas. Dum enim te tempori ſubtrahis, Regias gazas ab iniquis poſſeſſoribus eripis, Regale patrimonium ditas. Venio denique ad Gades & Herculeum tuæ gloriæ triumphum; Auus tuus D. Franciſcus Zapata ad excubias Palatinas, & Aſſiſtentis Hiſpalenſis munus electus, marmoreas Herculis colomnas erexit (vt non minus perennaret gloria Herois, quàm fama auctoris) in veſtibulo amœnantis ſyluæ, quæ erratico foliorum intextu à torridis Phæbi defenſat obtutibus; præbent nutantes ramorum apices columnis coronam, circumfluam vmbram radicibus propriis, hominibúſque concedunt eſſe communem; at tu prudentiæ columnas, æquitatis trophæum excitaſti Gadibus, præfecit te Magnus Philippus viſitatorem claſſibus naualibus onerariiſque nauibus, quæ tumenti & grauido ſinu gazas Regias ex auriferis Indorum montibus ad emolumentum, & delicias vniuerſarum nationum in Hiſpaniam exportant. In quo munere dum te exhibes Achatem, Argon, vigilem excubitorem, veritatis vindicem, doli fraudíſque inueſtigatorem, digniſſimum iudicant omnes vt te iterum oculus Imperatorius aſpiciat, & ad maiora promoueat. Faueat Deus clientum tuorum votis, vt viuens Neſtorios annos, atria tua ſecuribus, faſcibus repleas; nam decora quæ in penatibus tuis Larem poſuerunt, tuis videntur inſignibus deputata. Valeas. In hoc Collegio Granatenſi Societatis Ieſu 1. Septembris. Anno Domini 1640.

ANDREAS LVCAS
DE ARCONES.

AD

AD LECTOREM.

ARDVVM valde opus aggredior. Operoſitás ex vaticiniis Iſaiæ naſcitur interpretandis, tum ex interpretibus, qui Vatem eximium commentati ſunt: quis Prophetam in omni literatura magnum, eximiâ ſermonis vrbanitate prędirum, ſapientiæ abyſſum, Prophetarum Phœnicem, Ieroſolymorum Solem, potentiſſimorum Regum oraculum, eximium diuini verbi præconem, illud os verè aureum pipere leporis plenum delinificâ, & ſuadâ facundiâ, de cuius cœleſti linguâ Euangelica fluenta quaſi è beato quodam diuinæ ſapientiæ fonte manarunt, alloquio exili, impolito calamo in apertam intelligentiæ lucem dabit? In maiori niſu ſalebroſis patietur calamus iuncturas, & per cameram palati lingua volutata balbutiat. Audentis inſcitia ex vatis ſapientia conſtabit, & affluentia dictionis; cuius ſtylus ſublimis, tonans, maſculus, vernantis eloquij flore mollitus, ſæpè acris, mordax, quiddam increpatorium militans, nec per tapinomata depreſſa tenuatur, ſed per ſcaturigines verborum, tramites myſteriorum intumeſcit. Intende hoc Iſaiæ pelagus Propheticum, quàm diuerſis affectuum fluctibus exundat, nunc fremit, nunc ſilet, nunc feruet irâ, nunc pietate quieſcit, nunc ſaxea Hebræorum tundit pectora, nunc emollit, & margaritarum aſpergine ornat, & coronat; iam ærumnas, ſqualorem carceris, & dilecti populi narrans exilium, apparet turbidum, videbis poſtea cæruleum, & ſplendidum lætitia libertatis. Cùm flebili carmine immurmurat Chriſti paſſionem, purpuraſcentem refert colorem, & frequenter offunditur; ſed vndulatim criſpatur, cùm reſurrectionem canit triumphalem. Cùm populus fræna momordit, excuſſitque ceruices, & diuinæ legis iugum, Vlyſſeaſque ceras auribus inſerens ad Dei verba ſurdus, meretricis idololatriæ Sirenæ blandimentis allectus, inter ſaxa, & ſcopulos turpitudinis, miſerabile paſſus eſt naufragium; ô quoties ingemuit, & de alta vaticinij ſpecula admonuit errantem, velut ſpiritalis Pharus monſtrans Scyllas, aperiens Charybdes. De Iſaiæ eloquentia multo veriùs quàm de Remigio dictata à Sidonio Auernorum Epiſcopo verba exiſtima, l.9.epiſt.7. *Ad hæc opportunitas in exemplo, fides in teſtimonijs, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis. Oratio denique tota liquida prorſus, & ductilis, veluti cùm cryſtallinas cruſtas, aut onychintinas non impacto digitus vngue perlabitur, quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.* Ideò inter diuinos Vates Regiæ orationis auctor Iſaias, qui ſacrarum hiſtoriarum ſubtegmen diuina myſteriorum Chriſti trama pingit. Dixi hæc pauca de auctore, plura perleges in Iſaiæ veſtibulum, quæſt.2.

Dicam de Interpretibus: magni in literaria Iſaiæ palæſtra decertatores ſunt, triumphis ſapientiæ nobiles, humanæ, & diuinæ literaturæ exuuiis illuſtres; poſt quos nouus pugil inexercitatus ingreditur; tot palæſtritæ alumnum ſapientiæ vberiùs inſtruent exercere, & verſare fulgurantem, & limatum gladium verbi; tot agonothetæ non ſinent labaſcere luctatorem: ſinguli Phariæ ſpeculæ erunt, ne interpres in erroris lubrico ponat veſtigium. Ingeniis non conſtringitur humanis Dei ſapientia, in hac lucta Iacobæa cum Deo luctantibus, precibus, & lacrymis extorquere conantibus intelligentiæ gratiam, diuerſis itineribus occurrit Deus, eoſque ductat ad ſupernæ benedictionis palmam. Prodierunt Iſaiæ lucubrationes luculentæ recentiorum omni eruditione refertæ, quorum in diuinis literis egregia monumenta ſuſpicio, & amplector, ſed toti ſunt in frangendo literæ cortice, vix nucleum libantes, ſoluunt in vaticiniis Herculeos nodos, Samſoniſque funiculos, literæque denſitatem velut nemus dumetis exhorreſcens exſcindunt, de induſtria prætermittentes depicta rura, nunc aureis, nunc luteis diuerſorum ſenſuum floribus; nec myſteriorum rutilantes roſas, moralitatum purpuraſcentes violas legentes, aut candida Anagogiæ lilia. Nos verò qui in libro ſermonum Iſaiæ Interpretis, & Eccleſiaſtæ perſonam gerimus, deſcendimus in topiarium cum fratruele noſtro ad phialas aromatum, paſcere in hortis, & colligere lilia. Cantic.cap.6. Quod pomarium? qui albeſcentes floſculi? Exponit Hieronymus in cap.14. Zachariæ: *Hortus & paradiſus, in quem ſponſus deſcendit ad ſponſam, ſanctarum lectio Scripturarum eſt: de quibus lilia, & violas, & roſas, & varia decerpit aromata, vt impleat phialas animarum credentium, & Domino ex eis liba diffundat.* Auet ſcriptura diuina animarum compendia; tunc gratior interpres, cùm de ſapientiæ calathis poma,

& floſculos fundit, aut de auſteritate nigricantes, aut de puritate candidulos, de humilitate luteos, de amore rubentes.

In diuinæ Scripturæ commentationibus ſemper mihi iucunda viſa eſt arboris comparatio, quia vtitur Ezechiel cap. 48. v. 17. in Templi delineatione: *Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ eius de ſanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Obſeruatè, & ſcitè Hieronymus pomifera ligna ſacrarum ſcripturarum intelligentiam cenſet eſſe, quæ de Deitatis fontanæ ſcaturigine in dies innouatur, & vberior redditur, & de contemplationum, & pro theoriarum varietate ſplendidior: additque nec arborum proceritatem diuerſis comptam germinibus, nec paradiſiaci topiarij amœnitatem toris herboſam riparum, tam recreaſſe vatis oculos, quàm decumanos fructus, ſerta florum gemmantium, & viridantia folia: oblectant enim Vatis, & interpretis lumina mentis, ſenſuum decor, & varietas, Hieronymum audi: *Illúdque quod dicitur, & erunt fructus eius in cibum, & folium eius ad medicinam, diuinorum librorum ſacramenta demonſtrat; quorum alterum pertinet ad literam, alterum ad ſpiritum, vt verba ſimplicia intelligamus in folijs, in fructibus verò ſenſum latentem. ſicut enim ſcientia Scripturarum ducit ad regna cælorum & præbet nobis panem qui dicit: ego ſum panis qui de cælo deſcendi, ſic folia eius moralem doctrinam continent, & tribuunt ſanitatem, vt peccantium curent vulnera.* Cùm arbores librorum de tramite ſapientiæ vberrimæ niteant, pomiſque conceptuum aureis pubeſcant, arbor noſtra infertilitate langueſcet? Gaudebunt alij omiſsâ radicis acerbitate, corticis auſteritate blandos decerpere flores, vt ſplendida ſerta componant ſacrumque Eccleſiæ cingant verticem; alij dimiſsâ theoriarum amœnitate, & varietate, velut nimiâ ſpecioſitate floſculorum, & teneritudine frondium, hærebunt literæ aſpero trunco, altius rimantes radices, labore & induſtria corticem ſecantes, & aſperiores ſtipitis cruſtas. Nos in hoc opere totam arborem damus cum radicibus, trunco, frondibus foliis, floribus, pomis. Imitamur auiculam ſolertem Picum cognomine Martium, cuius potiſſimum ingenium terebrare roſtri cuſpide duriores arborum cruſtas, euiſcerare arborem, roſtrique fiſtula nucleo infixa humorem arboris ſugere, & extrahere alimenti ſuccum, in ramiſque conſtruere nidum. De quo Plinius lib. 10. cap. 8. *Sunt & paruæ aues vncorum vnguium, vt Pici, Martio cognomine inſignes, & in auſpicijs magni, quo in genere arborum cauatores, illi verò & ſupini, percuſſi corticis ſono, pabulum ſubeſſe intelligunt. pullos in cauis educant auium ſoli.* Sub illa ſæ arbore, & vmbra viuo, eiuſque fructus ſemper dulcis gutturi meo: in hoc nidulo meo moriar, in quo interpretationum, & conceptuum alites produco non implumes, ſed indutos, ſed ornatos eruditionis ſacræ velamento: nunc radices altius rimor ex Hebraico fonte, & Græco Septuaginta Seniorum varias lectiones illuſtrans, nunc Propheticorũ ſermonum medullam, & ſuccum haurire ſatago, corticémque literæ variis inciſionibus aperio ſæpe arborem in varios ramos interpretationum diffundo vberrimis foliis, floſculis, fructibus coronam diſcurſuum pango, aut mellilegium elaborans inſtar apis, dulciorem ſuccum propino. Ad apiculæ æmulationem excitat interpretes Salomon Prouerb. cap. 6. *Vade ad apem. & diſce quomodo operaria eſt. Operationem quoque quam venerabilem facit: cuius labores Reges & idiotæ ad ſanitatem afferunt. Appetibilis autem eſt omnibus, & clara etiam cum ſit robore infirma ſapientiam honorans euecta eſt.* Quæ ſententiæ non apud vulgatum, ſed apud Septuaginta inueniuntur, apudque Diuum Ambroſium lib. 5. examæron. cap. 21. Hieronymum epiſt. ad Ruſticum, & Ezech. cap. 3. Eas illuſtrat Didymus in catena Græca: *Sapiens apis* (inquit) *hoc loco nos hortatur, vt per diuinarum Scripturarum prata volitantes, nullaque non ex parte opportunum aliquid, & ad ſapientiam comparandam idoneum decerpentes, mellis fauos nobis conficiamus, eoſdemque non abſque arte, & dexteritate contextos, in cordis noſtri penetralibus veluti in quædam aluearia ſeponamus, & recondamus. Tum vt varias optimorum quorumlibet documentorum cellulas; quaſi diſtinctas quaſdam mellis fiſtulas in memoria noſtra, perinde atque in cera fabricemus, atque ita circa honeſtum caſtumque virtutis ſtudium iugiter negotiemur.*

Enimverò inter Hieronymum, & Auguſtinum, quorum vnus commentationum, alter acuminum Phœnix, inter moralem, & mellitum Gregorium, grauem & profundum Ambroſium, Chriſtianos declamatores Chryſoſtomum, & Baſilium, quos quanta comitatur vel flamma ſenſuum, vel aurea vnda ſermonum, Nazianzenum in concione Theologum, ſupra miraculum eruditum Cyrillum, diſputantem Athanaſium, Origenem allegoricum, pro Pactolo, & Tago diuite venâ fluentibus, Chryſologo, Hilario, & Leone, qui tibi manipulos ſpicarum ſpiritualium ſenſuum, & theoriarum grauedine curuatarum doctrinæ ſalutaris meſſe parturiunt, non abhorrebis, ſi interdum arida meæ ieiunantis linguæ ſtipula crepitet. Sic quandoque inter olorinos cantus, cicadæ ſtridor, anſeris rauci ſtrepitus, &

murmur

murmur placet, & dulciſonis Sirenarum, aut luſciniarum concentibus, carduelis aut garrientium paſſerum fringultientes ſuſurri iure ſociantur, ex quibus non ingrata reſultat cantilena. Illud tamen ſæpeſæpius in Eccleſiæ primoribus æmulos faciliora de induſtria prætermittere, in rebus compertis non tam elaboratam, atque expolitam commentationem, ſed tanquam leuioris brachij, & leuidenſe munus dare; in difficilioribus vaticinijs noſtratibus hominibus, non ſatis recuſſis, immorari, & in locorum difficultate ingenij probare facultatem, ſtylum ſacra eruditione, interdum humana ornatum, quaſi quemdam fœcundi pectoris vomerem figere, vbi materia operis ſterilis apparet, aut velut arida ceſpitis macri gleba, ieiunat.

Hunc exponendi modum tenuêre Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ lumina quibus patronis non formidabit commentatio maſtigem Zoilum, nec vituperonum linguas cote liuoris acuminatas; ad eam hortatur Doctor ille, in cuius ore apes mellificarunt, ex lib. de Iſaac cap.4. Hæc mellita, & ambroſia verba libo: *Vbi paſcis? Vbi manes in meridiano?* (ſic legit verba Cantic. cap.1.) *Rectè dicit vbi paſcis? quia Regale eſt Dei verbum. Vbi manes quia morale. In meridiano, quia myſticum.* Hæc commentandi ratio in Prophetis multo laborioſior, vſaque à paucioribus, in Iſaia à nemine tentata, in quo *Paucorum eſt fortia, & occulta cognoſcere, multorum verò hiſtoriæ aperta ſentire*, inquit Magnus Gregorius lib.1. Moral.c.7.

Nec nouitium commentandi munus eſt per allegoriarum, aut moralitatum campos excurrere: eo perfunctus Gregorius Magnus interpretes hortatur in epiſtola præfatoria ad libros Iob cap.2. *Quiſquis de eo loquitur, curet neceſſe eſt, vt quidquid in audientium mores inſtruit, rimetur: & hunc rectum loquendi ordinem deputet, ſi cùm opportunitas ædificationis exigit, ab eo ſe, quod loqui cœperat, vtiliter deriuet. Sacri enim tractator eloquij morem fluminis debet imitari. Fluuius quippe, dum per alueum defluit, ſi valles concauas ex latere contingit, in eas protinus ſui impetus curſum diuertit, cumque illas ſufficienter impleuerit, repente ſe in alueum refundit. Sic nimirum ſic diuini verbi eſſe tractator debet: vt cum qualibet de re diſſerit, ſi fortaſſe iuxta poſitam occaſionem congruæ ædificationis inuenerit, quaſi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat, & cum ſubiectæ inſtructionis campum ſufficienter infuderit, ad ſermonis propoſiti alueum recurrat.* Nec diſplicuit nomen Excurſus, vel Diſcurſus Ambroſio, qui proœmio libri quarti in Lucam ſcribit: *Nam ſi ij, qui magnum mare littorali parant nauigatione tranſmittere, altioris compendium curſus infirmitate vtentes, agros, & vrbes littore deductas capti locorum decore frequenter inuiſunt: quanto magis nos in tanto non elementorum, ſed geſtorum cæleſtium ſitu profundo, viciniores legere portus, & frequentes amare debemus excurſus, ne quis longæ nauigationis tædio fatigatus, faſtidij vomitum tenere non poſſit.* Ideò in hoc opere varios inſtituimus, & formamus diſcurſus, vt quaſi in littorali ſtatione quieſcat mens legentis; diuerſitas manſionum, & amœnus earum ornatus faſtidium, & ſatietatem leuet, laborem lectionis leniat. In iis extra chorum non ſaltamus, nec conceptuum ornatus à te propoſita alienos, nec à litera euulſos, aut diffuſos comparamus; ſed ex ipſius literalis ſenſus viſceribus eruimus, nunc vulgatam, nunc varias lectiones illuſtrantes.

Non erit abs re cùm verſatur animus inter diſcurſus, ſi ſciat lector cuius operæ hanc opellam, cuius tutamini hanc lucubratiunculam debeat, nimirum *R. admodum Patri Aluaro Arias de Armenta*, viro ſempiterna memoria digniſſimo, in immortalibus Charitum hortis viuere. Aſt cùm ad ipſius ornamenta delineanda peruenit calamus, timeo ne cupiens virtutum ſuarum corollam pangere, cùm profert laudationem, erumpat in adulationem, & comma hoc in panegyricum ſermonem exeat. Sed grati animi memoria cogit vel leui penicillo in hoc pietatis imagine lineas ducere. Parce, ô charum & venerandum caput, cùm vultus ad modeſtiam compoſiti candorem reddo purpuraſcentem: manet altis infixa radicibus in mente mea memoria tui, cùm iuxta cognomen *de Armenta* nouellum gregem tyronum, IESV agniculorum ad paſcua, & fontes diuinæ ſapientiæ deducebas feliciter, & aſceticis exercitationibus inſtruebas. O me felicem, IESV militiæ adſcriptum, cùm de aureo oris tui flumine cæleſtis ſapientiæ latices, & primitias ſpiritus ebibi. Eminuit ſemper in tuo vultu modeſta grauitas pietatem ſpirans, rebus ſpiritualibus dexteritas, Angelici mores, paterna erga ſubditos clementia, eximia illa Euangelici oratoris pro ſuggeſtu facundia, flammas diuini amoris excitans, quæ omnia te ad ſupremum ſacræ Inquiſitionis Tribunal Conſiliarium adſciuerunt, Bethicæ Prouinciæ præfectura decorarunt, Venerabilium patrum Aſſiſtentium ſenatui adſcripſerunt. Æquo iure noſtratum omnium in Chriſto Parens, quaſi diuinus Atlas eximiæ ſanctitatis, & incomparabilis prudentiæ humeris ſuſtinens vniuerſæ Societatis molem, Reuerendiſſimus Generalis Mutius Vitteleſchus, (qui vt Societas IESV ſeruetur incolumis maiori animoſitate quàm Mutius Scæuola pro aris, & focis pugnat, vel paratus ſuper ignes tendere dextram,) te adiutorem, & fideliſſimum Achatem elegit, vt in Romana arce Aſſiſtentiæ infulis inſtructus pro Hiſpania-

rum, & Occidui Solis Indiarum prouinciis, eius lateri fidelis & vigil ſpeculator adeſſes. Ex hac ſpecula non inficior, ſereno vultu cernes hoc opus tuis auſpiciis natum: *quaſi pauxillus tu mihi factus es, fixus in loco fideli, in quo ſpei meæ poßit vaſculum ſuſpendi.* Dixit de Abbate ſuo Sigesbergenſi Rupertus in præfatione operis de Trinitate, ego de te libentius. Cuius tutamine liber non timebit canini dentis morſum, Harpiarum vngues, aut Rhinocetoticum naſum. Dixi de te pro opportuna digreſſione ſatis, pro voto nunquam ſatis: Sed redeo ad penſum.

Dictio nequaquam fucata, nec cothurnum oſtentat, aut calamiſtrum, neque aſcititium nitorem; eloquium diſertum, & dilucidum aueo, non degenerans ab eo, quod ſuprà apis ſapientiæ magiſtra docuit; inter alia inſignia illud potiſſimum recenſui: *Appetibilis autem eſt omnibus, & clara.* Ideò appetitum demulcet, animos allectat, quia clara. Partus enim animi, qui caliginoſæ, & exquiſitæ loquacitatis indumentis inuoluuntur, ſemper ſterileſcunt, & tanquam emortua intus cadauera ſine ſanguine, ſine ſucco, nequaquam feraces ſunt fructus ſpiritus, nec vitalis alimoniæ, ideo doctoribus inuiſi. Piaculum ducerem in præſentiarum emittere argutias Hebræi Philonis, qui eo libro cuius titulus eſt: *quis rerum diuinarum hæres?* diſcutiens verba Geneſ. cap. 15. v. 10. *Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* ita fatur: *Quid igitur ſuper his rebus dicendum eſt? Amorrhæi loquentes interpretantur. Maximum autem bonum homini à natura datum ſermonem plurimi vitiauerunt acceptum ingratè perfidéque hoc vſi contra largitricem. Hi ſunt adulatores,* &c. Aliiſque recenſitis, addit: *Et inſuper affectatores obſcuritatis. Eſt autem obſcuritas caligo profunda in ſermone, res commodiſſima furibus. Quapropter Moſes ſummum Pontificem claritate ornat, & veritate, volens perſpicuam ſimul, & veracem eſſe viri boni orationem.* Quapropter optaui floridæ eloquentiæ nitorem, & adipale dictionis genus, quod grauitatem, ſuauitatem, perſpicuitatem præ ſe ferat, denique vt paucis multa complecterer, Arridet Heracliti ſententia à Clemente Alexandrino recenſita lib. 4. ſtromat. *Qui enim aurum,* (inquit Heraclitus) *quærunt, multum terræ fodiunt, & parum inueniunt: qui autem id, quod verè aurei generis cognatum eſt, ſcrutantur, multum in pauco inueniunt.* Aurum damus non rude, ſed elaboratum ex ſacræ Scripturæ fodinis erutum, & priſcorum Patrum venis totius eruditionis promis condis, ſtudio, & meditatione decoctum, ab argillæ, & glareæ mixtione perpurgatum: aurum inquam punctulis verſionum, inciſuris interpretationum, diſcurſuum emblematibus perpolitum ac læuigatum: tuum erit tenuiora fila, ſubtiliores fibras de recondito mentis deducere. Hæc erant amice Lector, quibus te in adyta iſta introiturum, ſi fortaſſe adhuc ἀμύητος eſſes, velut ſymmyſtam, initiandum prius exiſtimaui. Vale.

ELENCHVS

ELENCHVS TOTIVS OPERIS.

CAPVT PRIMVM.

VERSICVLVS PRIMVS.

COMMENTARIVS. pag.2

Quæſtio prima.

Vr Prophetæ dicantur videntes. pag.3

Quæſtio ſecunda.

An Iſaias ſit omnium Prophetarum Maximus. p.4

Ratio dubitandi, & ſolutio quæſtionis. ibid.

Prophetici muneris excellentiam in Iſaia Propheta ſuis elogijs confirmant Eccleſiæ Patres. p.5

Rationis ſuffragium, & obiectionum ſolutio. p.6

Quod ſit argumentum potiſſimum, & vniuerſale vaticiniorum Iſaiæ. 7

Quæſtio 3. p.7

Aliquot argumenti veſtigia Iſaiæ Prophetæ apud veteres Patres inueniuntur. ibid.

Argumentum vniuerſale Iſaiæ Prophetæ proponitur, & illuſtratur. p.8

Argumenti confirmatio, ex nexu, & acoluthia vaticiniorum. p.9

Quæſtio 4. p.9

Acoluthia, & ſeries capitum Iſaiæ. p.11

Verſiculus 2.

Commentarius. p.13

Ad ea verba: quoniam Dominus locutus eſt.

Aliquot præludia ad Iſaiæ intelligentiam præmittuntur. p.14

Præludium 1.

Laudis inſignia, & ampliſſima munera, quibus perfunguntur Vates ex diuina locutione. pag.14

Præludium 2.

Diuina locutio, & reuelatio myſteriorum cum ipſo cœlo, & mundo de antiquitate contendit. p.17

Præludium 3.

An ſit expediens Propheticas Dei locutiones nouis commentariis illuſtrare. p.19

Præludium 4.

Dum ſumma Dei veritas eſt cui nititur Prophetia, ex illa ad iſtam infallibilis certitudo, & ab omni mendacio aliena deriuatur. p.21

Præludium 5.

Verbum Dei, & increata ſapientia Magiſter extitit Prophetarum. p.23

Præludium 6.

Incarnata Dei ſapientia, & accidentibus Euchariſtiæ veſtita Vates informat, & vaticinium interpretes inſtruit. p.24

Præludium 7.

Qui auditor verbi Dei eſſe deſiderat, cælitum teneat puritatem. p.26

Ad ea verba verſ.2. Audite cœli.

Diſcurſus 1.

Iſaiæ vaticinium à cælis ſumpſit exordium, vt hominis mentem figeret in ſublimi. p.28

Diſcurſus 2.

Quam ſordet terra ex aſpectu cœli. p.30

Ad ea verba: filios enutriui, & exaltaui.

Diſcurſus 3.

Deus eos filios recognoſcit, in quibus ſymbolum filiorum Dei, tentatio, & labor nitet. p.32

Diſcurſus 4.

Signum amoris Dei erga homines maximum, eſſe eorum nutricem. Vbi de Euchariſtia. p.34

Diſcurſus 5.

Qui Regio, & Deifico educatur alimento, generoſos neceſſe eſt lacte fugat ſpiritus; & ad magnarum cogitationum altitudinem aſpiret. p.35

Diſcurſus 6.

Sacri Doctores, & myſtagogi ſunt Eccleſiæ vbera; & intimius cæteris, Chriſti pectori, & cordi adhærent. p.36

Verſiculus 3.

Commentarius. pag.37

Diſcurſus 1.

Apud Bethleemiticum diuerſorium, & antrum, in quo Chriſtus naſcitur, cæleſtis Apollinis inuenies oraculum; illo Delphico multo celebrius, & illuſtrius. p.40

Diſcurſus 2.

Sacra Chriſti natalitia in ſpecu celebrantur, quia ſpelunca ſpiritualis eſt arena certaminis, in qua de Dæmone, & vitiis triumphatur. p.41

Diſcurſus 3.

A mundo fugere, & ſeſe abſcondere; à conſpectu hominum propriam occultare gloriam, opus maximum eſt. p.42

Diſcurſus 4.

Verbum Patris inter belluas exeritur, vt hominum

num ſtoliditatem ferarum ritu viuentium, oſtenderet. p.44

Diſcurſus 5.

Puerulus quaſi Deificus Amphion feras cantu demulcet, eaſque in humanam, & cæleſtem vitam transfert. p.46

Diſcurſus 6.

Humanum ſcelus in gratitudinis promulgant, & initiant turpem hominibus pudorem belluæ, dum virtutem odorantes venerantur, & diuini cultus primitias delibant. p.47

Diſcurſus 7.

De ſtibulo, & præſepi, in quo Deus iacuit paradiſus pullulat. p.49

Diſcurſus 8.

Menſa Bethleemitica videtur capacior, & auguſtior Euchariſtica, dum inter conuiuas ſacri epuli, numerantur bellua. p.50

Verſiculus 4.

Commentarius. p.51

Diſcurſus 1.

Ad eam dictionem: væ. p.52

Nihil lacrymis, & lamentatione dignum, niſi peccatum. p.52

Diſcurſus 2.

Improborum ſcelera, velut crudeles tyranni, & cruenti carnifices, ſanctorum animos cruciant. p.53

Diſcurſus 3.

Salus, & redemptio propriæ nationis, aut patriæ, etiam ſanctos viros vehementer angit, & ſollicitat. p.55

Diſcurſus 4.

Ad ea verba: genti peccatrici.

Inueterata conſuetudo peccandi viua, & expreſſa infernorum imago, & ſtatus damnatorum eſt. p.56

Diſcurſus 5.

Adeò formidandum, & graue peccati onus, vt Giganteos, & Dei omnipotentes humeros penè opprimat. p.57

Diſcurſus 6.

Dum peccator menſuram peccatorum vſque ad cumulum implet, menſuram miſeriarum, & ſupplicitorum ſuper ſe effundit. p.59

Diſcurſus 7.

De impudentia cum Dæmone certant iniqui, cum Deum retrorſum abiiciunt, & Dæmonem via ducem, ante faciem portant. p.60

Verſiculus 5.

Commentarius. pag.62

Circa expoſitionem Textus quæſtio vnica.

Inter caput, & Regem, inter cor, & Sacerdotem quæ analogia, & proportio reperiatur. p.63

Cordis, & Sacerdotis collatio. p.64

Diſcurſus 1.

Rex iuſtus, & ſapiens, in terris; ſicut Sol in cælis, inter ſidera fulget. ibid.

Diſcurſus 2.

Is apud Deum ſolus Rex, & imperatoriis ornatur inſignibus, qui ſeipſum moderatur, & Regia poteſtate ſuos compeſcit affectus. p.66

Diſcurſus 3.

De Regis auribus.

Adulationi obturandæ ſunt aures, & aſſentatorum, velut peſtis aulæ, euitandum contagium. p.67

De oculis capitis. p.69

Diſcurſus 4.

Præ ſumma poteſtate, & totius orbis opibus, tanquam quid Regio culmine auguſtius, & ſublimius æſtimet Rex, eſſe mundi mentem. p.69

Diſcurſus 5.

Dilectus Deo, & hominibus Rex, in cuius pectore moratur compaſſio, & clementia. p.70

Diſcurſus 6.

Talis conditionis Regnum inueniet, qualem Rex virtutis, aut ſceleris formam, & exemplar ei præſtiterit. p.72

Attributa cordis, & Sacerdotis comparantur. pag.73

Diſcurſus 7.

Sacerdos quia propinquior fonti cæleſtis ſanguinis, & illius eſt diſpenſator, proprio debet cauere ſanguine, & ſi quem habet, pro Chriſto offerre, & effundere. p.73

Diſcurſus 8.

Maxima Sacerdotis dignitas, & honoris amplitudo dum inter Deum, & hominem, mediator; & interceſſor exiſtit. p.75

De Cordis mucrone. p.77

Diſcurſus 9.

Poteſtatem deiicit, & imperium ſuum iniuria afficit Sacerdos, cum gladium in vagina reconditum tenet, limatum, & fulgurantem, contra delinquentes non eximit. ibid.

De ara, & foco ignis natiui ad num. 10. p.79

Diſcurſus 10.

Tunc cæleſtibus gratum ſacrificium cum feruido ſpiritu Deum in aris Sacerdos immolat, & de diuini amoris foco manantibus, viuidis igniculis, flammiferum cor litat Deo. p.79

Cor nullum vitium patitur. p.81

Diſcurſus 11.

Terrenis affectibus intactus debet eſſe Sacerdos, & in regione incorruptionis tanto ſpiritu ſanctificationis perfrui, vt ipſum Deum quodammodo ſanctificet. p.81

Diſcurſus 12.

Tanquam vnum de cælicolis, & Angelorum choro, viuere Sacerdotem cogunt Deitatis ſpeculum, & quotidianum puritatis oſculum. p.83

De pulſatione cordis. p.83

Diſcur

Diſcurſus 13.

Dei Sacerdos terrena deſpiciat, & ad cæleſtia aſpiret. p. 83

Verſiculus 6.

Commentarius. pag. 86

Diſcurſus 1.

Lenitati confeſſorum erga pœnitentes exomologeſim operantes, diuina clementia ſuffragatur. p. 86

Diſcurſus 2.

Solus, & totus, & vulneratus Ieſus humanorum vulnerum, & languorum medicus. p. 88

Diſcurſus 3.

Peccator diffidentiam peſſundat, & deſperationem irridet, dum cernit, omnipotenti medico nullum deſperatum morbum. p. 89

Diſcurſus 4.

Sententia mortis, & vitæ; ſanitatis, aut deſperandæ ſalutis de conſilio tuo prouenit. p. 90

Verſiculus 7.

Commentarius. p. 91

Verſiculus 8.

Commentarius. p. 92

Diſcurſus 1.

Pauperum lacrymæ, qui afficiuntur iniuria, validum armamentum, quod florentiſſima ſæpe euertit imperia. p. 92

Diſcurſus 2.

Non inter mundialia folia, ſed inter virtutum fructus inhabitat Ieſus; & ſicut frugiferas mentes ambit, ſteriles ſpernit. p. 93

Diſcurſus 3.

Quid Angelicum, & pluſquam humanum eſt in alienis calamitatibus commiſerationis affectus. p. 95

Diſcurſus 4.

In Deo vel leuiſsima abſentiæ, & derelictionis indicia formidanda. p. 96

Diſcurſus 5.

Ne fugacem redderent noſtra crimina Dominum ab Eccleſiæ mapalibus, vinculis religauit amor in Euchariſtia, ne diſcedat. p. 98

Verſiculus 9.

Commentarius. p. 100

Verſiculus 10.

Commentarius. ibid.

Ea verba: niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen; *de ſanctiſsima Deipara expenduntur, & illuſtrantur.* p. 101

Diſcurſus 1.

Ex quo Deus in vtero Virginis carnem aſſumpſit, & infirmiori, & ignobiliori genere gloriatur. p. 102

Diſcurſus 2.

Poteritne filius maiora munera conferre Patri, quàm Pater filio, quod natus ſit? Deipara maiora beneficia progenitoribus detulit; Regum, & Patriarcharum claritatis inſulas tergeminis honoribus extulit. p. 104

Diſcurſus 3.

Iuſtorum generationem, & ortum anteuertit Deus, vt eos anticipatis remunerationibus ornet. p. 105

Diſcurſus 4.

Vnius iuſti virtus potentior eſt ad exorandum diuinum numen, & auertendum flagellum, quàm tota in vna vrbe improbitatum manus ad laceſſendum Deum vel irrogandum ſupplicium. p. 106

Diſcurſus 5. ad numerum 10.

Veritatis comites gladius, vinculum, neruus, crux; ideò beati recenſendi Heroës, qui pro tuenda veritate, aut fortiter tolerant ærumnas, aut vitæ ſubeunt diſpendia. p. 108

Diſcurſus 6.

Imperatoria paludamenta, & fumoſas maiorum imagines vitijs deturpatas deſpicit Deus, à quo pulchra, & alma nobilitas cognoſcitur, quam virtus, & honeſti mores exornant. p. 109

Verſiculus 11.

Commentarius. p. 111

Diſcurſus 1.

Theſaurorum Dei plenitudo in Euchariſtia communicatur, in qua Deus plenus eſt, plenaque victima, omnes corporis ſenſus, animique deſideria adimplens. p. 111

Diſcurſus 2.

Chriſtus, qui in Euchariſtia eſt plenus gratiarum, & vitæ, in ſuſcipiente exigit plenitudinem mortis. p. 113

Diſcurſus 3.

Vir pauper, & egenus, cum ipſo Deo, de nullius indigentia, & de felicitate contendit. p. 114

Verſiculus 12.

Commentarius. p. 115

Verſiculus 13.

Commentarius. p. 115

Comparatio Neomeniæ Iudaicæ, & Chriſtianæ. p. 115

Dum Neomenia à Deo reijcitur, omnia Neomeniæ feſtiuitatis inſignia, ad nouam lunam Deiparam transferuntur. p. 116

Primus nouæ lunæ ſplendor ad num. 1. p. 117

Diſcurſus 1.

Deus, Angeli, homines, ſtellæ, auicula certabant inter ſe, quis maiori lætitia geſtiret, & vberiora in ortu Deiparæ prælibaret gaudia. p. 117

Secundus Lunæ ſplendor.

Diſcurſus 2.

In feſto Neomeniæ tuba canitur, quia noua Luna Deipara à ſuæ natiuitatis exordio aduerſus Dæmonum phalangem claſsicum cecinit. 119.

Tertius nouæ Lunæ fulgor ad num. 2. p. 120

Diſcurſus 3.

Noua Luna ex vtero Annæ prænitēs, abundanti

gratiæ, & interceſſionis humore, & largiſſimo pietatis imbre, peccatorum pectora irrorat. p. 120

Quartus nouæ Lunæ nitor ad numerum 4. p. 122

Diſcurſus 4.

Cæleſtis paradiſi ianuam, quam ferreis vectibus Eua obſtruxit, Deipara feliciter reſerauit. ibid.

Aræ Iudaicæ, & Chriſtianæ comparatio. p. 123

Dum religioſum Salomonici templi altare Deus reſpuit, omnia altaris incenſi, ſeu thymiamatis inſignia, ad altare Euchariſticum tranſtulit. ibid.

Primum Aræ ornamentum, ligna Setim ad num. 1. p. 125

Diſcurſus 1.

Egregium altaris Euchariſtici facinus inter gliſcentes vitiorum flammas, & Babylonicæ Veneris incendia, impolluto calle tranſire. ibid.

Secundum altaris ornamentum, ad num. 1. pag. 126

Diſcurſus 2.

Altaris, & menſæ Euchariſticæ peculiare eſt, conuiuas ſacri epuli, tentationibus & ærumnis ſplendidiores reddere, & illuſtriores. p. 126

Tertium Aræ ornamentum, ad numerum 2. p. 128

Diſcurſus 3.

Euchariſtiæ veneratio, & altaris cultus triumphos parit, & victrices fidelium armat dexteras, & in media rerum inſtabilitate iniquit perennare imperia; vbi de Regno Hiſpaniæ. p. 128

Quartum Aræ ornamentum ad numerum 2. p. 130

Diſcurſus 4.

Apud Gentes idolorum cultum detriumphauit, apud fideles idololatriæ reliquias in Bacchanalibus exterminauit altare Euchariſticum. Vbi de Ignatij, & filiorum eius pietate. ibid.

Quintum Aræ ornamentum, ad numerum 3. p. 132

Diſcurſus 5.

Panis Euchariſticus munus Dei honorarium; ignominioſam pulueris, & cineris ſententiam, in immortalitatem commutauit. ibid.

Sextum Aræ ornamentum, ad numerum 3. p. 134

Diſcurſus 6.

Euchariſtia myſterium vocis, & clamoris. Pro creaturæ clamabant & interpellabant; & Chriſtus in altari pro omni creatura interpellat, & vociferationes profundit. p. 134

Septimum Aræ ornamentum, ad numerum 4. p. 135

Diſcurſus 7.

Quia ſacrum epulum Chriſtus inſtituit, inſigni aureolo decoratur; & ritè communicantibus ſpecialis corona, & aureola in cæleſtibus reſeruatur. ibid.

Verſiculus 14.

Commentarius. p. 137

Diſcurſus 1.

Tanta Domini patientia in expectandis peccatoribus, vt tardipedis, & imbecillis contumelias apud quoſdam ſuſtineat, ne quid longanimitatis homini deficiat. p. 138

Diſcurſus 2.

Dei patientia, & longanimitas animarum metamorphoſis. p. 139

Diſcurſus 3.

Deus ad benefaciendum expeditus, & velox; ad caſtigandum ſerus, & tardus, vt nos puniat, eum cogunt, & violentas manus inijciunt noſtra crimina. p. 141

Diſcurſus 4.

Cum peccator punitur plus laboris, & doloris, oſtendit Deus, quàm cum ipſe offenditur. p. 143

Verſiculus 15.

Commentarius. p. 143

Verſiculus 16.

Commentarius. p. 144

Diſcurſus 1.

Ex humano corde quantalibet ſanctimonia decorato, impuræ, & improbæ cogitationes pullulant, ſed non afferunt damnum, dum non inferunt conſenſum. ibid.

Diſcurſus 2.

Magnum, & difficile certamen, belligerare, nullis datis inducijs, cum hoſtibus noſtrum aſpectum fugientibus; at ſi cupis ſubigere perduellem, quem non vides, prælijs frange hoſtem, quem cernis. p. 146

Diſcurſus 3.

Eximium Chriſtianæ perfectionis decus non tantum ab opere iniquitatis, etiam à cogitatione abalienare mentem, ideoque Verbum Dei carnem induit, vt improbos animi motus diſceres compeſcere. p. 147

Diſcurſus 4.

Principijs improbi cogitatus obſta, & primos hoſtium ictus retunde, & facile triumphum eriges. p. 149

Diſcurſus 5.

Dei omnia proſpectantis præſentia, & timor, ſceleratas mentis agitationes, vel leui nutu exſufflat. p. 151

Diſcurſus 6.

Diabolus, qui cogitationes iniquas ſuggerit, ſtatim diſparet, cum eum deſpicis, aut contumelioſis verbis improperas. p. 152

Verſiculus 18.

Commentarius. pag. 154

Tranſlatio Septuaginta Interpretum illuſtratur: Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum. Phœnix Chriſtianus pœnitentia renouatus

proponitur. *pag.156*
Phœnicis innouatio mira. *p.158*
Diſcurſus 1.
Egregium Spiritus ſancti opus, Hominis per pœnitentiam innouatio, quæ tunc perfectè fit, quando depoſitis criminum exuuiis, nouæ vitæ formam moribus animus oſtendit. *ibid.*
Phœnicis, thus, *&* myrrha. *p.160*
Diſcurſus 2.
Cum inter inſipida doloris, mœſtitiæ, & laboris aromata nouus Homo naſcitur, ex amaræ pœnitentiæ myrrha ſoffitus efflatur ſuauiſſimus, quo omnes recreantur cælicolæ *ibid.*
Pectora ſua valde pulſat. *p.162*
Diſcurſus 3.
Tantam pœnitentiæ vim Deus indidit, vt in breuiſſimam compungendi cordis, & manu tundendi pectoris pœnam, tormenta æterna commutet. *ibid.*
Idem à corpore proferens ſeipſum exurit. *p.164*
Diſcurſus 4.
Peccator pœnitens dum compungitur inter diuini amoris buſta concrematus flammiferæ charitatis Martyr eſt. *ibid.*
Nebula, *&* Pluuia. *p.166*
Diſcurſus 5.
Peccator inter dolores, & amaritudines pœnitentiæ, cælitum irroratur gaudijs. *ibid.*
Phœnicis tumulus. *p.168*
Diſcurſus 6.
Ad conſpectum mortis, & tumuli, pulchra nouæ vitæ imago formatur. *ibid.*
Phœnicis cineres, & vermis.
Diſcurſus 7.
Terra, & cinis pœnitentiæ, & conuerſionis adiutrix, & diuinæ pietatis reconciliatrix. *p.169*
Expectat Solis ortum.
Diſcurſus 8.
Phœnici Chriſtiano, omnia fauſta proueniunt ab oriente Sole. *p.171*
Phœnici exuuias deſert ad Solis aram. *p.173*
Diſcurſus 9.
Manifeſta nouæ vitæ indicia ſi voluntates, & affectiones terrenas, & vitæ veteris exuuias ad Ieſum deferas, eorumque deditionem facias. *ibid.*
Pars ſecunda huius numeri ea verba illuſtrat: Si fuerint rubra quaſi vermiculus. *pag.175*
Diſcurſus 1.
In vermiculo, vel ſacro murice, ex quibus tinctura purpuræ conficitur, puer Ieſus circumciſus proprio ſanguine rubens, & peccata hominum expungens demonſtratur. *ibid.*
Diſcurſus 2.
Ieſus hominem inſtruit violenter expugnare, & deprædari cæleſtia, & per gladij, ac lanceæ cuſpides ad Deum ire. *p.178*
Diſcurſus 3.
Beatifica gloria perfrui, dolores ſuſtinere, & tormenta mucronis, lacrymis, ſanguineque perfundi in vno puero Ieſu ſupremum amoris artificium nectit. *p.179*
Diſcurſus 4.
Deifici infantis recens effuſus purpureus, & calens latex, viuidos ſpiritus, & habitus martyrij efflat. *p.182*
Diſcurſus 5.
In filij circunciſione Deipara amoris, & doloris Martyr. *p.184*
Diſcurſus 6.
Ad ea verba: quaſi nix dealbabuntur.
Decor animæ in ſtatu gratiæ ſanctificantis, omnem excedit creatæ pulchritudinis ornatum. *p.185*
Verſiculus 19.
Commentarius. *p.187*
Verſiculus 20.
Commentarius. *ibid.*
Verſiculus 21.
Commentarius. *ibid.*
Diſcurſus 1.
Iuſtitia ſicut fulgentiſſima Cæli lampas cœtus, & concilia ſapientum illuminat, & ornat. *p.190*
Diſcurſus 2.
Qui in altis ſedet, priuatis commodis poſthabitis, publico bono, & emolumento proſpiciat. *p.191*
Diſcurſus 3.
Iuſtitia tanquam regia adoleſcentula, Virgo incorrupta, & intacta cuſtodienda iudicibus concreditur. *p.193*
Verſiculus 22.
Commentarius. *p.193*
Diſcurſus 1.
Sermo Sacer tunc Deo placet, dum caſtitatis ſpeciem præ ſe fert, & diuinorum alloquium nitore puritatis fulget. *p.196*
Diſcurſus 2.
Sermo nimis fucatus, & occultus animarum ſaluti obſtat, & contra naturam mentis militat. *p.197*
Diſcurſus 3.
Humanè diuina loqui munus Chriſtiani, & Euangelici Eccleſiaſtæ eſt. *p.199*
Diſcurſus 4.
Sacri ſermonis abuſum, Eccleſiæ Patres grauioribus verbis carpunt. *p.200*
Verſiculus 23.
Commentarius. *p.201*
Diſcurſus 1.
Ille magiſtratus felix, quem non fauoris aura, ſed bellica fortitudo, aut animi integritas, & in adminiſtrandis Reipublicæ negotijs fides, ad culmen dignitatis euexit. *p.202*
Diſcurſus 2.
Illum præ ceteris laudabis optimatem Regi

gratioſum, qui optimitati ſuæ non conſulit, & de amplis fortunis Regis,& opibus Regni, non euadit opulentior. p.204
Omnes diligunt munera. p.206
Diſcurſus 3.
Magna ineſt muneribus poteſtas, & imperium, quandoquidem in optimatum animos, & vultus, mirabiles, & prodigijs ſimiles immutationes influunt. ibid.
Diſcurſus 4.
Iniquam, & violentam direptionem pauperum Deus graui ſupplicio multat. p.208
Diſcurſus 5.
Immodica fortunarum populi exactio Principes depauperat. p.209
Verſiculus 24.
Commentarius. p.211
Verſiculus 25.
Commentarius. ibid.
Pro Diuo Laurentio Martyre.
Ad ea verba: vram te ad purum. p.212
Diſcurſus 1.
Prunas, flammas; rogum pro delicijs habuit Laurentius,crepitante buſtuario,& ſcintillanti craticula, velut in culcitra floribus ornata recumbit. p.212
Diſcurſus 2.
Dum ignis ignem in Laurentio ſuperat, totus fit igneus, & ad æthercam regionem euolat. p.215
Diſcurſus 3.
Viros iuſtos ſplendidiores, & illuſtriores reddit tribulatio. p.216
Diſcurſus 4.
Tribulatio prædeſtinationis eſt ſignum. p.217
Diſcurſus 5.
Ad ea verba: extendam manum meam ſuper te. p.219
Tam vehemens eſt interdum impetus tribulationis, vt videatur iuſto ſe eſſe proximum ruinæ, & à Deo abſtractum, at dum maiori calamitate premitur, proximior Deo eſt, & inter brachia Domini leniter recumbit. ibid.
Verſiculus 26. vſque ad 31.
Commentarius. p.221.222.
CAPVT SECVNDVM.
Capitis ſecundi argumentum, & nexus cum præcedenti. p.224
Prima expoſitio
De Rege Ezechia proponitur, & examinatur. ibid.
Secunda vaticinij Interpretatio
De Chriſto Domino proponitur, & illuſtratur. p.225
Verſiculus 1. & 2.
Commentarius. p.225.226
In illo verbo fluent, *ad naturalem originem fontium alludit Iſaias.* p.229
Diſcurſus 1.
Ad ea verba: erit in nouiſſimis diebus. p.231
Chriſtus humilitatis affectu, vltimum & nouiſſimum ſic dilexit, vt etiam elegerit loci, & temporis extremum. ibid.
Diſcurſus 2.
Eam verſionem ornat: erit decretus, deſtinatus. p.232
Immenſas gratiarum actiones tenetur humana natura rependere Domino, qui ab Orbe condito, & diebus æternitatis ad opus redemptionis, & hominis ſalutem ſeſe accinxit. ibid.
Diſcurſus 3.
Hoc maximè curandum iuſto, quod ad diem nouiſſimum ſit præparatus. p.234
Diſcurſus 4.
Solicitè præmuniendus eſt animus in vitæ confinio, quia in eo Diabolus acrius inſurgit, & ad tentationum inſidias vehementius inardeſcit. p.235
Tertia expoſitio.
Ea verba: Erit in nouiſſimis diebus præparatus. *De præparatione Ieſu ad Cœnam, per amorem, & dilectionem in poſtremus vitæ ſuæ diebus, expenduntur.* p.237
Platonis conuiuium, Cœnam Chriſti adumbrauit. p.238
Diſcurſus 1.
De Charitatis ſympoſio, quid in eo præparet Deus animæ, quid anima Deo,vt ſeſe mutuo ad Cœleſte conuiuium inuitent. p.239
Amoris nuditas & paupertas. p.241
Diſcurſus 2.
Verus amor rebus omnibus amãtem ſpoliat. ibid.
Amoris nuditas. p.243
Diſcurſus 3.
Multum roboris & adiumenti adiicit pugili nuditas, ne in palæſtra ſuccumbat hoſti, ſed vt de eo triumphum reportet, & cælorum teneat apicem. ibid.
Amoris audacia. p.244
Diſcurſus 4.
In vitæ diſcrimina,gladios,Cruces, ignes, amor impauidus irruit. ibid.
Amor ſagax venator. p.247
Diſcurſus 5.
Ad Iudæ venationem aquam præparat, quæ in eius pectore liuoris flammas extingueret; quandoquidem hoc præ cæteris elementum maiora homini exhibet commiſerationis, & clementiæ blandimenta. ibid.
Amor incantator peritus. p.249
Diſcurſus 6.
Sapiens incantator amor,qui ſic animum amantis temperat,vt probra, & dedecora,& abiectiſsima quæque munia,vt delicias,& gloriæ ornamenta vſurpet. ibid
Amoris vires. p.250
Diſcurſus 7.
Amor omnia imperia,& tempora moderatur,vt iuxta arbitrium amantis obſecundent. ibid.

Expoſi

Expoſitio 4.
Verbum illud Mons *exornatur.* p.252
Ieſus mons pulchritudinis. ibid.
Diſcurſus 1.
Ex pulcherrimo Ieſu quid niſi indulgentia, & vita promanet? Cuius decor barbaras gentes ineſcauit, & duriora pectora illexit. ibid.
Ieſus mons tutaminis.
Diſcurſus 2.
Hominis ſubſidium, vtpote fragile, & caducum temne, ſolus namque Ieſus in omni aduerſitate tutum præſidium, & perfugium. p.254
Ieſus mons ſapientiæ. p.256
Diſcurſus 3.
Qui ad Ieſu montem, & ſocio Ieſu aſcendit, limpidiſſimum fontanæ ſapientiæ poculum haurit. p.257
Ieſus mons luminis. p.258
Diſcurſus 4.
Ieſu lux, & illuminatio, fortiter attractiuus cordium errantium nexus, & blanda animorum conciliatrix. ibid.
Ieſus mons ſpeculationis. p.260
Diſcurſus 5.
Apud Ieſu montem illa vera ſpeculatio, & contemplatio, quæ non in ſolo otio ſancto, & cordis laxamento conquieſcit, ſed ad operum, & virtutum ardua animum ſtimulat. ibid.
Ezpoſitio 5.
De Eccleſia Euangelica, & de illius fundamento Apoſtolo Petro. p.263
Cur Eccleſia dicitur mons. ibid.
Cur Eccleſia nuncupetur mons domus Domini. Et an fiat alluſio ad montem Moria. p.264
Petri Apoſtolorum apicis magnalia prædicantur. p.266
Diſcurſus 1.
Quod inconcuſſa Eccleſiæ ſtabilitas de Petri munere veniat, cum plauſu gratulatur orbis; cuius petræ firmitas tanta eſt, vt Dei incommutabilitatem æmuletur. ibid.
Diſcurſus 2.
Petri errorem, & lapſum Ieſus permiſit, vt ex infirmitate fortior, & fidentior ſurgeret; & erga labentes, & errantes peccatores maiora ſigna pietatis, & dilectionis demonſtraret. p.269
Diſcurſus 3.
Summi honoris dignitatem, & ſummam animi deſpicientiam, ſeruare concordiam, & concentum, portenti, ac prodigij ſimile numerandum eſt. p.271
Diſcurſus 4.
Sanum conſilium primoribus, dum ad dignitatis faſtigium extolluntur, ad gentilitatis obſcuræ primordia reuocare mentem. p.273
Diſcurſus 5.
Inter omnes Ieſu amaſios, Petro dilectionis primas diuinus amor detulit. p.273
Diſcurſus 6.
Montis Ieſu, & montis Petri parallelia. p.277
Ex ſtrictiori inter Ieſum, & Petrum charitatis nexu, oritur ſimilitudo virtutum maxima, & cuiuſdam inſtar parilitatis in Petro æmulatio, & contentio. ibid.
Expoſitio 6.
Ea verba: mons præparatus in vertice montium, *de Deipara expenduntur, & illuſtrantur.* p.279
Diſcurſus 1.
Mons Paradiſi.
Mariæ inſignia deprædicat. p.281
Diſcurſus 2.
Mons Libanus, p.283
Deiparæ laudes celebrat: & Marianum montem à communi exceptat. ibid.
Diſcurſus 3.
Libani montis cæleſte coagulum, Marianæ priuilegia gratiæ prædicat. p.285
Mons Mariæ gratiâ radicatus, & firmatus. p.288
Mariani Montis firmitas à Patre. ibid.
Diſcurſus 4.
Maria ſpeculum, & exemplar, in quod reſpiciebat Pater, vt filij ſui imaginem effigiaret, & renouatum terreni Adami ſimulachrum effingeret. p.288
§. I.
Maria Æterni Patris ſpeculum. ibid.
§. II.
Maria imago Patris, & exemplar. p.290
Mariæ firmitas à filio. p.292
Diſcurſus 5.
Creatura in qua Deus fundatur, & radicatur maiores firmitatis radices figit in Deo, & præ omnibus creaturis liberior eſt à ruina. ibid.
Mariæ firmamentum ab Spiritu ſancto. p.295
Diſcurſus 6.
Diuinus ſpiritus formam, & gratiam Mariæ ſponſæ ambit, & de firmandæ Virginis gaudet munere. ibid.
Mariæ ſtabilimentum ab Euchariſtia. p.297
Diſcurſus 7.
Alimentum Euchariſtiæ Deiparam roborauit, & à peccato originali reddidit immunem, quia ſacrato ſuſceptura gremio, & vteri menſa virginea cibum vitæ, & panem Angelorum. ibid.
Mariæ ſtabilitas à Chriſti ſanguine & Cruce p.299
Diſcurſus 8.
Sola Deipara redemptæ, & præſeruatæ gaudet inſignibus, in ſua conceptione habens pro baculo Crucem, ne caderet; pro munimine ſanguinem filij, ne primum peccatum eam tangeret. ibid.
Marianus Mons. p.301

Exalta

Exaltatus in vertice montium, & eleuatus ſuper colles Angelorum, & hominum. p. 301

Diſcurſus 9.

Maria ex morte plus refulget, eique obitus non extitit ignominia, ſed gloria. ibid.

Diſcurſus 10.

Maria virtute corporis Chriſti, & præſentia Eucharistiæ, à corruptione ſeruatur & ex mortalitate ad immortalem gloriam reſurgit. p. 303

Diſcurſus 11.

Oſtentat in Maria Ieſus, quod non eſt perſonarum acceptator, ſed iuſtus remunerator, nam filius Matri præmia diſtribuit, non iuxta amorem, quo filius Matri obſtringitur, ſed iuxta obſequia quæ Filio Mater impendit. p. 306

Diſcurſus 12.

Mariæ eleemoſynæ, & opera pietatis erga Ieſum, in Cælis gloria, & honore coronatur. p. 309

Diſcurſus 13.

Propter nobiliſſima miniſteria, quæ ſunt velut Dei admiratio, Seraphim ſtupor, exaltatur Maria ſuper omnium ſpirituum vertices; quia Deum carne induit, geſtat vtero, pannis inuoluit, & virgineis nutriuit vberibus. p. 311

§. I.

Glorioſa Mariæ exaltatio, quia verbum Dei vtero portauit. ibid.

§. II.

Mariæ exaltatio ex veſtimentis, quibus induit Ieſum. p. 313

§. III.

Maria Angelorum gloriam tranſcendit, quia Dei nutrix, & gerula. p. 315

§. IV.

Mariæ glorificatæ propter functionem nutricis, & baiulæ gratulantur tota Trinitas, tres Angelorum Hierarchiæ, & tres Gratiæ. p. 316

Angelorum Hierarchiæ gratulantur Deiparæ. ibid.

Omnes Gratiæ gratulantur Virgini, eamque coronant. p. 317

Verſiculus 3.

Commentarius. p. 318

Expoſitio vaticinij ſecunda in qua myſterium transfigurationis Christi declaratur. 320

Diſcurſus 1.

Pulchritudo, quæ non naturæ liberali munere, ſed expugnatione, & labore adſciſcitur, Deo & cælitibus gratior. p. 322

Diſcurſus 2.

Pars maxima Chriſtianæ prudentiæ eſt, honoris lumina, gloriæ ſplendores, tempeſtiuè obtegere, & temperare. p. 324

Diſcurſus 3.

Gloriæ decor, & lucidi ſplendores artificio adſciti de virtute cordis intima non emanantes, ſemper ſint tibi ſuſpecti. p. 326

Diſcurſus 4.

Peculiare hominis ingenium eſt ſibi ſoli vſurpare felicitatem, honoris, deliciarum excludere ſocios: diuinæ naturæ excellentia eſt, Beatitudinis, fruitionis, ampliſſimi ſplendoris plures habere conſortes. p. 328

Diſcurſus 5.

Alumnos ſuos ductans in montem Ieſus inſtruit, mundialia omnia à tergo relinquere. p. 330

Diſcurſus 6.

Ille perfectior Ieſu, & Angelorum æmulator, qui cæli regiam intrat vberiori animarum ſtipatus ſatellitio. p. 332

Mons Domini.

Pro virtute, & perfectione Chriſtiana vſurpatus illuſtratur. p. 334

Diſcurſus 7.

Illi præ cæteris ſcandunt ardua montis iuga, & apprehendunt ſanctitatis apicem, qui affectibus humanis violentiam inferunt. ibid.

Diſcurſus 8.

Quis peregrinatoris Chriſtiani decorabitur laurea? qui extricatione, & abalienatione à ſæculi illecebris quotidie ad Dominum migrat. p. 336

Diſcurſus 9.

Apoſtolici peregrini exemplar in Diuo Xauerio oſtenditur, & de eius excurſionibus. p. 337. 338

Diſcurſus 10.

An cælorum teneas regiam viam, an ad inferorum barathra deflectas, erudiet te aſcenſus, vel deſcenſus: nam iuſtorum proprium eſt ſcandere ardua, malorum ad infima ruere. p. 340

Diſcurſus 11.

Qui fulgentiſſimam Ieſu faciem intueri cupit terga Cruce oppreſſa prius cernat, eiuſque ſectetur veſtigia, & apprehendet perfectionis culmina. p. 342

Verſiculus 4.

Commentarius. pag. 344

Et conflabunt gladios ſuos in vomeres.

Commentarius. p. 345

Pro Diui Pauli conuerſione præſens vaticinium expenditur, & illuſtratur. p. 347

Diſcurſus 1.

Depellere contumeliam à locis iniuria laceſſitis, res improbitate violatas honeſtare munus Dei eſt. ibid.

Diſcurſus 2.

Amor, qui ſpecie, & pulchritudine ſenſum demulcet, & voluntatem expugnat, certum ſibi triumphum promittat. p. 349

Diſcurſus 3.

Donum clementiæ quod peccatori impenditur, beneficium eſt participantium quod vni confertur, omnibus donatur, cum vniuerſos ad participationem excitat. p. 351

Diſcur

Diſcurſus 4.

Eximium decus diuini triumphi eſt, quod inſtrumento, quo ſæculum belligerabat contra Deum, Deus orbem expugnet, & hoſtem ſuis armis proſternat. p. 354

Illuſtratur expoſitio ſecunda.

De amore inimicorum. p. 355

Diſcurſus 1.

Conuitiorum tela, calumniarum lanceæ, maledicentiæ iacula, acerbius figunt, & pungant ſanctorum corda, quàm cruciamenta Tyrannorum. p. 356

Diſcurſus 2.

Inimicum conuitij telo, maledicentiæ iaculo armatũ facilè vinces patientia, & ſilentio. 358

Diſcurſus 3.

Qui ex corde inimicum diligit, & facile condonat iniuriam, triumphalia diademata, victrices palmas, Angelorum plauſus, martyriſque aureolam promeretur. p. 360

Diſcurſus 4.

Compendium gloriæ, Paradiſi ſumma, inimici perſecutio: ideò amplexanda, & exoſculanda tanquam quid cœleſte, & diuinum. p. 362

Diſcurſus 5.

Hominis iniuriis offenſi decus, & gloriam Deus tanta excellentia compenſat, & promouet, vt humana ſorte maior, in Angelicam, & Deificam ſpeciem transformatus videatur. p. 364

Diſcurſus 6.

Iniurias inimicis condonantem ad eximiæ dignitatis apicem euehit Deus, conſtituens eum inimicorum redemptorem. p. 366

Verſiculus 5.

Commentarius. pag. 368

Pars ſecunda *huius vaticinij.* p. 369

De iuſto Iſraëlitarũ repudio, & illius cauſis. ibid.

Verſiculus 6.

Commentarius. ibid.

Diſcurſus 1.

A facie Domini, & contubernio ſanctorum proijci maximum ſupplicium Dei eſt. p. 370

Diſcurſus 2.

Contumaces, & inſanabiles à communitatis corpore exſcindendi, & reijciendi. p. 372

Verſiculus 7. vſque ad 21.

Commentarius. p. 374. 377. 379. 381. 382. 384

Diſcurſus 1.

Ad ea verba: veſpertiliones. p. 384

Dæmonum diſcordia concors ad hominis exitium. p. 384

Diſcurſus 2.

Deus in exaltatione gloriæ ſuæ, & in patrandis facinoribus nullum admittit alterius Deitatis conſortium. p. 386

Diſcurſus 3.

Expaueſcit terra ad hominis flagitiũ, cuius pondus vt à ſe excutiat, tremore iactatur. p. 388

Diſcurſus 4.

Ad ea verba: naues Tharſis. p. 390

Verſiculus 22.

Commentarius. p. 392

I. Commentatio. p. 393

II. Commentatio. p. 394

III. Interpretatio. p. 395

IV. Interpretatio. ibid.

Pro celebri expoſitione de excandeſcentia in naſo Domini. p. 396

Diſcurſus 1.

Vir iuſtus diuinæ virtutis æmulus, ad hoſtis terriculamenta non expaueſcit: vel ſolo verbo, minaci vultu, oriſque halitu ipſum proſternit. ibid.

Pro ſecunda interpretatione. p. 398

Diſcurſus 2.

In hac mortalitate Ieſus animam efflabat ſuam, & ſuſpirabat animam tuam, vt ad Ieſum tuum te anhelantem, ſuſpires, & anheles. ibi.

Diſcurſus Pars II.

Vt ad Ieſum tuum te anhelantem, ſuſpirantem, ſuſpires, & anheles. p. 400

Pro expoſitione III. p. 402

Diſcurſus 3.

In ſolius Ieſu poteſtate eſt expiratio, quia mortis Dominus, non coactus, ſed ſpontaneus occumbit. ibid.

Diſcurſus 4.

Corpus Ieſu iacens in tumulo, propria voluntate, & poteſtate animum, & flatum vitæ reſumit, vt iniquæ voluntatis, & poteſtatis machinamenta diruat. p. 405

Diſcurſus Pars II.

Ieſus dum vitæ halitum reparat, de improba voluntate, & peruerſo conſilio triumphat. 407

Diſcurſus 5.

Fortunatus valdè halitus Ieſu, qui non ſibi ſoli, ſed alijs vitam donat. 409

Diſcurſus 6.

Hominem honori tuo, aut vitæ inſidiantem dignoſcere, & adhuc ſufferre, eximium decus tolerantiæ eſt. p. 411

Diſcurſus 7.

Qui præuentus adit hoſtis certamina, felix tenet victoriæ auſpicium. p. 413

Diſcurſus 8.

Ille vir ſtrenuus in virtutis curriculo, qui diſcretione ſpiritus præpollet, vt explorare poſſit hoſtis technas. p. 415

Diſcurſus 9.

Sacræ Fidei Quæſitorum eximium munus eſt, virtutis, aut vitij ſuffitus odorari, & inueſtigare. p. 417

Diſcurſus 10.

Magna hominis præſtantia, cui data eſt poteſtas eruendi de humani pectoris antro, & halitu interficiendi perfidiæ colubrum. Vbi de S. Dominici, & religioſæ illius familiæ magnalibus. p. 420

Sancti Dominici Commendatio, & Religionis inclytæ Prædicatorum elogium. p. 421

SACRARVM CONCIONVM, ARCHITECTIS FIDELIBVSQVE Verbi Dei adminiſtratoribus.

CVM offero hoc materiarum promptuarium, & copioſam ſegetem ad pangendos, & concinnandos ſermones, admonitos eos cupio, eamdem quandoque Diſcurſus materiam diuerſis conceptibus, & propoſitis inſeruire, hoc tamen non eſſe vertendum vitio repetitionis, ſed vbertati dictionum Scripturæ ſacræ, quibus fundantur, quæ ex iiſdem verbis, ſententiiſque diuerſos conceptus parturit, variaſque formas, & ſpecies induit ad componendos mores, vitia verrucanda. Cùm ergo ſinguli Diſcurſus ſinguli ſint ſermones, ſenariúmque contineant, aut ſeptenarium argumentum ad ſtabilienda dogmata, & lemmata titulis affixa, non erit arduum corollas homiliarum ſemper attexere nouis floribus. Si verò (quod neceſſe eſt in tot literatorum, & eruditorum ſæculo) ſimiles Sanctorum Patrum auctoritates in diuerſis auctoribus occurſitarint, minimè cenſeatis vnum ab altero ſuppilaſſe, tametſi vituperabilis valdè non ſit rapina pietatis, nam quis non fugiat illâ dedecoris vel leuiſſimâ labe aſpergi, quam Ieremias notat, cap. 23. verſ. 30. *Qui furantur verba mea vnuſquiſque à proximo ſuo.* Aſt facile erit agnoſcere latices ſententiarum non eſt riuulis, ſed ex ipſiſſimis fontibus, hauſtos, cùm per diuerſa toreumata propinentur nunc aurea, nunc argentea, nunc fictilia, nouis conceptuum emblematibus, accommodationum interpuncturis diſtincta, & ornata. Nec per hoc expungatur quiſpiam à Catalogo interpretis docti, aut gratiſſimi Eccleſiaſtæ, nam *omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* Matthæi cap. 13. verſ. 51. & ſponſam ſacram literatiſſimam iudicat ſponſus, cùm ipſa ait Cant. cap. 7. verſ. 17. *In portis noſtris omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi dilecte mi.* In his tamen diſcurſibus qualeſcumque illi ſint, quibus velut auxiliatricibus copiis inſtruimus ſacros oratores ad leuamen laborum, vitiorum ſtragem, pietatis augmentum, iucundum valde erit ſæpeſæpius inuenire locum, qui caput efferat, aciem dirigat, ad rem diſpoſitè, ſolidè, grauiter ornatum, in quo quiſque poſſit fundamen ſtabilire ſtructuræ cœleſtis, ſacri ſermonis.

INDEX

INDEX AD SACRAS CONCIONES CONFICIENDAS.

C, denotat caput: V, verſum: D, diſcurſum: E, expoſitionem: N, numerum: P, paginam.

Dominica I. Aduentus.

Lvcæ Cap. 21.

ERVNT *ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis*, vt Ieſum oſtentent creatorem, & Dominum, ſub cuius imperio ſunt temporum motus, ſiderum curſus. *cap.2. verſ. 2. expoſ. 3. diſ. 7. num.3.* pag.251

Obſcurantur ſicut in Chriſti morte. ibidem, n. 4. p.251

Sol obſcurabitur: iam olim in Chriſti morte ſua obtexit fulgura, vt gemeret Iudæorum crimina; tunc triſtitiæ habitum induet. *c.2.v.3.in expoſ.de transfig.diſ.2.n.5.* p.325

Erunt ſigna, velut inhonora, & dedecore plena apparent cœli, Sol, Luna, ſidera, quia cum homo ſit creatus erectus ad æthera, vt cerneret ſuperna, cœleſtibus terrena prætulit. *c.1.verſ.2. diſ.1. & 2.* à pag. 28. *habes multa.*

Et in terris preſſura gentium. Premitur terra non tam gentium accurſu, quàm peccatorum onere quid mirum ſi terra premitur, quando peccatorum pondus Gigantes, & Dei omnipotentis humeros pene opprimit. *c. 1.v.4.diſ.5.* p.57.58

Et in terris, erunt terræ motus magni; expaueſcit terra ad hominis flagitium, & Domini iram. *c.2.poſt v.21.diſ.3.* p.388

Terræ conquaſſatio, montium hiatus, ſaxorum voragines edocebunt homines ſicut in morte Chriſti docuerunt, corda ſcindere per pœnitentiam. *cap.1.verſ.18.diſ.3.de Phœnice.n.6.* p.163

Præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, aquarum procella, & fluctuum fragores tanto maiorem incutient metum, quanto aquarum elementum maiora clementiæ ſigna erga hominem oſtendit. De aquarum pietate. *cap.2. verſ. 2. expoſ.3. diſ.3.* p.247
& præcipuè, num.1.6. & 7. p.247.248

Præ timore. Iudicij & æterni tormenti timor animi impetus frænat. *c.1.v.16.diſ.5.n.1.* p.151

Iob vt timore Domini contineret natos, mittebat viros ſanctitate conſpicuos, qui eis Dei iudicium prædicarent. *c.2.v.3.expoſ.de transfig.diſ.6. num.3.* p.333

Et expectatione quæ ſuperuenient. Iuſtus ſemper expectat futurum Dei iudicium, & ad diem nouiſſimum & iudicium particulare ſit præparatus. *c.2.v.1.expoſ.2.diſ. 3.* p.234

Et tunc videbunt filium hominis. In primo aduentu apparuit Ieſus occultus, in ſecundo veniet maſeſtus. *c.1.v.3.diſc.3.* p.42.43

Venit tanquam Leo ſua obtegens veſtigia, & vngues, tunc manifeſtabit iram, vt hoſtes diſcerpat. *vide ibid.n.1.* p.42

Tunc videbunt. Ieſus in iudicio extremo, aſpectu ſuo hoſtes proſternet. Duo vaticinia illuſtrantur, quæ poſſunt inſeruire ad introductionem. *c.2.v.22.diſ.1.n.1.2.3.5.* p.396.397

Filium hominis cum poteſtate magna. Venit, vt viſitet orbem ornatus ſecuri, Angelorum ſatellitio cinctus, vt contumaces exſcindat velut infructiferas arbores. *c.2.v.6.diſ.2.n.2.* p.372. 373

Reſpicite, & leuate capita veſtra Iuſti cœleſtium promiſſorum clauis in virtute continentur, & velut ſtimulis excitantur ad bene operandum. *c.1, v.2.diſ.1.n.6.& 7.* p.29

Verba autem mea non tranſibunt. Magna firmitas, & veritas verbi Dei. *Preludio 4.* p.21

Dominica II. Aduentus.

Matthæi cap. 11.

C*Vm audiſſet Ioannes.* In vinculis conſtitutus Ioannes exaudit Chriſti magnalia. In aduerſis namque Chriſtum audiunt iuſti, quia eſt illis propinquior. De Dei acceſſu, & proximitate cum tribulatis. *c.1.v.24.diſ.5.* p.219

Cùm audiſſet. Eximia Ioannis ſanctimonia profertur, cum inter diſcipulos Domini, & auditores recenſetur, nam qui auditor verbi Dei eſſe cupit, cœlitum tenere debet puritatem. *Preludio 7.* p.26.27

Cùm audiſſet. Si Euangeliſta Ioannem diuinæ ſapientiæ ſectatorem prædicat, Ieſum profitetur eſſe Doctorem, nam verbum Dei, & incarnata ſapientia Magiſter extitit Prophetarum. *Preludio 5.* p. 23

Cùm audiſſet. Ad montem ſapientiæ Ieſum Ioannes aſcenderat, vt limpidiſſimum fontanæ ſapientiæ poculum hauriret. *cap.2.verſ.1.expoſ.4. diſc.3.* p.256.257

In vinculis. Aduerſitas intimam cordis virtutem,

& fidem aperit. *c. 1. v. 24. diſc. 3. n. 7.* p. 217. Viros iuſtos ſplendidiores, & illuſtriores reddit tribulatio. *eodem diſc.* p. 216, 217

In vinculis. Veritatis præconem quod ſatellitium cingeret, niſi vincula, neruus, gladius, & pædor carceris. *c. 1, v. 10. diſc. 5.* p. 108. 109

Opera Chriſti. Sunt valde conſpicua, ideq; mons luminis nuncupatur, quia illius ſplendor eſt fortiter attractiuus cordium nexus, & blanda animorum conciliatrix. *c. 2. v. 10. expoſ. 4. diſ. 4.* p. 258. 259

Mittens duos ex diſcipulis ſuis. Deſertum, & contéplationis apicem vult ornare Ioannes animarum zelo, vt ſit verus ſectator Chriſti; ille enim perfectior Ieſu, & Angelorum æmulator, qui cœli regiam intrat vberiori animarum ſtipatus ſatellitio, *cap. 2. verſ. 3. in expoſit. transfig. diſc. 6.* p. 332. 333

Ecce, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Eximium virtutis decus eſt, inter aulæ tumultus, & vitiorum irritamenta, coërcere improbos animi motus. *c. 1. v. 16. diſc. 4. n. 4.* p. 150

Arundinem vento agitatam. Non nutabat Ioannes velut arundo mobilis, & impulſa nociua adulationis aura; improbos palpones abhorrebat. Inſtruens primores mundi, vt obturent aures adulationi, & aſſentatorum, velut peſtem aulæ, euitent contagium. *c. 1. v. 5 diſc. 3.* p. 67. 68

In domibus Regum. Rariſſimi ſunt qui ſunt Reges in domibus ſuis: nam ille verus Rex, & imperatoriis decoratur infulis, qui domum ſui pectoris moderatur, & regia poteſtate ſuos compeſcit affectus. *c. 1. v. 5. diſc. 2.* p. 66. 67

Prophetam? Eximiis ornantur inſignibus diuini Vates ex prophetádi munere. *Vide prælud.* 1. p. 14. 15.

Ecce ego mitto Angelum meum. Prophetæ ex diuina locutione nuncupantur Dij. *prælud. 1. n. 2.* p. 14, 15. Nuncupantur Angeli. *ibid. n. 4.* p. 15

Ioannes à prophetandi munere vocatur Angelus. *ibid. num. 4.* p. 15

Dominica III. Aduentus.

Ioannis Cap. 1.

TV quis es. Summam Meſſiæ dignitatem à Sacerdotibus oblatam Ioannes non admittit; magnum portentum, & diuinum prodigium eſt, ſummi honoris dignitatem, & ſummam animi deſpicientiam ſeruare concordiam. *c. 2. v. 2. expoſit. 5. diſc. 3.* p. 271. 272

Non ſum ego Chriſtus. Proponit Euangeliſta Ioannis Baptiſtæ humilitatem, quæ è regione oppoſita pugnat cum Luciferi arrogantia, & ſuperbia. Ex humilitate namque Ioannis Meſſiatus dignitatem conſtanter reſpuentis, taxatur Luciferi impudentia, Chriſti dignitatem ambientis, Deitatem affectantis. De Lucifero *vide c. 1. v. 5. diſc. 3. n. 3.* pag. 68. *& cap. 2. v. 2. expoſit. 5. diſc. 4. n. 1.* p. 273. 274. *& c. 2. v. 3. diſc. 2. num. 7.* p. 325

Tu quis es? Eſt enim proprium Sacerdotum perſcrutari qualis ſit vniuſcuiuſque ſpiritus, & veros Prophetas à falſis diſcernere. Ille vir ſtrenuus in virtutis curriculo, qui diſcretione ſpiritus præpollet, vt explorare poſſit hoſtis technas. *c. 2. v. 22. diſc. 8.* p. 415. 416

Et confeſſus eſt, & non negauit. Iuſti cum ad apicem dignitatis extolluntur, ad ſuum nihil reuocant mentem, vt tali humilitatis pondere firmentur excellentia dignitatis. *cap. 2. v. 2. expoſ. 5. diſc. 4.* p. 273. 274

Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Sciebat Ioannes Deum eſſe ſuæ gloriæ zelantiſſimum, nam in exaltatione ſui decoris, & in patrandis facinoribus nullum admittit alterius Deitatis conſortium. *c. 2. v. 21. diſc. 2.* p. 386. 387

Elias es tu? & dixit: non ſum. O quantum modeſtiæ decus in Ioanne fulget! Nam pars maxima Chriſtianæ prudentiæ eſt, honoris lumina, gloriæ ſplendores tempeſtiuè obtegere, & temperare. *c. 2. v. 3. expoſ. 1. diſc. 2.* pag. 324. *præſertim duos numeros poſtremos vide.* p. 325. 326

Ego vox clamantis. Ad quid addidit *clamantis*? quid mirum ſi vox clamitet. Quia verbum apertum, perſpicuum proferebat. Sunt enim voces ſine clamore, quales ſunt illæ, quæ cultum, & fucatum verbum proferunt, & nimis occultant ſermonem. *c. 1. v. 22. per quatuor diſcurſus. à* p. 196. vſque ad 201. *vide præſertim diſc. 2.* p. 197. 198

Dirigite viam Domini. Magna hominis præſtantia in cuius poteſtate eſt viam Domini dirigere; tunc rectam reddis cùm pectoris tunſionibus, & vera contritione cor tuum peccatis obliquum, & tortuoſum ad Deum dirigis. De pœnitentiæ virtute ad ſcindenda, & dirigenda corda. *vide c. 1. v. 18. diſc. 3.* p. 163. 164. *præſertim n 7* locum ſancti Auguſtini in Pſal. 146. p. 164.

Medius autem veſtrum ſtetit. Venit ad homines Ieſus tanquam magnus Sacerdos pacificatoria Legatione, vt iræ Dei obuiam iret, vt tanquam pacifer mediator, & intercellor nos cum Patre reconciliaret. Hoc eſt enim Sacerdotis munus eſſe mediatorem inter Deum, & homines. *cap. 1. verſ. 5. diſc. 8.* p. 75. 76. *ſingillatim num. 4.* p. 76

Quem vos neſcitis. Summa Iudæorum infelicitas tenuiſſe, & poſſediſſe iuſtitiæ ſolem, fontem luminis, & tenebricum cor habuiſſe, interque lucis ſplẽdores, eorum oculos excutiſſe. Ideò priuantur diuinis illuminationibus. *c. 1. v. 2. prælud. 6. n. 2.* p. 24. *& c. . v. 5. diſc. 10. n. 1.* p. 79. 80

Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt. Prodigium humilitatis in Ieſu Ioannes demonſtrat, cum ambit temporis extremitates, & in ipſis natalitiis eſſe poſt Ioannem. *Vide cap. 2. verſ. 2. expoſ. 2. diſc. 1.* p. 230. Chriſtus humilitatis affectu vltimum, & nouiſſimum ſic dilexit, vt etiam elegerit temporis extremum. *Lege ſpeciatim numerum* 3. p. 230. 231

Trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans. Baptizat in Iordane præcurſor, vt oſtendat ſalutem animæ eſſe à Domino præparatam, & ad hoc deſcendiſſe vt eam omnibus largiretur. *cap. 1. verſ. 18. parte ſecunda verſiculi diſc. 6. num.* 4. p. 186

Dominica IV. Aduentus.

Lucæ Cap. 3.

ANno quintadecimo imperij Tiberij Cæſaris, &c. Totam illam procerum turbam contemnit Deus, & ſolum Ioannem viſitat, quia imperatoria paludamenta, & fumoſas maiorum imagines vitiis deturpatas deſpicit Deus, à quo pulchra & alma nobilitas agnoſcitur, quam virtus, & honeſti mores exornant. *c. . v. 9. diſ. 6.* p. 109. 110

Factum eſt verbum Domini. Quod factum fuerat à mundi exordio de hominis ſalute. Nam diuina locutio

Locutio, & reuelatio myſteriorum aduentus Chriſti, cum ipſo cœlo, & mundo de antiquitate contendit. *c.1.v.2.prælud.2.* p.17.18

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. De hominis Redemptione, ad quam Deus ab orbe condito, & à diebus æternitatis ſeſe accinxit. *c. 1. v.2. diſc. 2.* p.232

Super Ioannem. Recenſitis ab Euangeliſta Regibus, dynaſtis, Sacerdotibus, confert Ioannem cum turba peccantium, quia vnius iuſti virtus potior eſt apud Deum, quàm omnium improborum magnitudo. *c.1.v.9.diſc.4.* p.106.107

In deſerto. Sciebat Ioannes in deſerto, & inter turbas eſſe eremicolam, & habere animum ſolitarium: hoc enim decus iuſtorum eſt peregrinari à ſæculo, eſſe ſequeſtratos à mundo, & à rebus terrenis extricatos. *c.2.v.3.diſc.8.* p.336.337

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Hominis per pœnitentiam innouatio eximium eſt ſpiritus Sancti opus, quod tunc euadit perfectum, quando depoſitis criminum exuuiis, nouæ vitæ formam moribus oſtendit animus. *c.1.v.18.diſ.1.* 158.159

Baptiſmum pœnitentiæ. Baptiſmus flammeus & igneus vera pœnitentia eſt, nam peccator pœnitens dum compungitur, & inter diuini amoris buſta concrematur, flammiferæ charitatis Martyr eſt. *c.1.v.18.diſc.4.* p.164.165

Baptiſmum pœnitentiæ. Felix, & pulcher baptiſmus lacrymarum, his namque ſtillicidiis, dum immadeſcunt pœnitentis oculi, cœlitum irroratur gaudiis. *c.1.v.18.diſc. 5.* p.173.174

In remiſſionem peccatorum. Tantam pœnitentiæ vim Deus indidit, vt in breuiſſimam compungendi cordis, & manu tundendi pectoris pœnam, tormenta æterna commutet. *cap. 1.v. 18. diſc.3.* p.162.163

Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum. Ille verus ſermo Deo placiturus dum caſtitatis ſpeciem præ ſe fert, & diuinorum alloquium nitore puritatis fulget. *c.1.v.22.diſc. 1.* p.196.197

In libro ſermonum. Sermo nimis fucatus, & occultus animarum ſaluti obſtat, & contra naturam mentis militat. *c.1.v.22.diſc.2.* p.197.198

Sermonum Iſaiæ Prophetæ. Chriſtiani, & Euangelici Eccleſiaſtæ munus eſt, humanè diuina loqui. *c. 1.v.22.diſc. 3.* p.199.200

Iſaiæ Prophetæ. Iſaias Propheta Magnus Prophetarum omnium vertex. *cap.1. v.1. quæſt.2.* p.4.5.6

Iſaiæ elogia ex Patribus, ibid.

Omnis vallis implebitur, &c. Egregium legis Euangelicæ facinus emollire principes ſæculi ad planctum, & colles mundi humiliare ad pœnitentiam. *c.1.v.18.diſc.3.n.7.* p.164

In Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Pro ſacris Chriſti natalitiis expenditur ad literam verſiculus tertius capitis 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. *Et octo diſcurſibus illuſtratur. cap.1.v.3.* à pag.40. vſque ad 51

Pro ſancto Stephano.

Matthæi Cap. 23.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis.

Summis præconiis extolluntur antiquæ Eccleſiæ Heroës, qui pro Domino ſuſtinuerunt carceres, compedes, cruciatus mortem. *cap. 1. v. 10. diſc. 5.* p. 108.109

Iſaias in vincula traditur. *ibid. n.2.* p.108

Amos flagellatur, eius molares conteruntur à Sacerdote Bethel Amaſia, ne lingua aureum orationis, & diuini præconij flumen effunderet, Amaſiæ iniqua proles fuſte contundit tempora Vatis, qui redimitus tempora Martyrij lauro glorioſus occumbit. *ibid.n.3.* p.108.109

A Ioas filio Achab præcipitatur Michæas. *n.4.* 109

Hur de medio tollitur. *n. 5.* p.109

Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. Ieroſolyma in Chriſti aduentu plena homicidiis. *c. 1. v.21. in Commentario literæ. n.15.* p.189

Homicidia pro homicidiis recompenſat Deus, & pro ſanguine, quem fuderunt, ſanguinem eorum fudit. Quantus fuerit occiſorum Iudæorum numerus in Romana obſidione? *c.1.v.20.* p.187

A ſanguine Abel iuſti. Sanguis Abel pro ſanguine Chriſti interpellabat. *c.1.v.13. ad ſextum aræ ornamentum. diſc.6.n. 1.* p.134

Abel. Inopinatò aggreſſus Caïn Abelem, at is non imparatus, ſed patientiâ inſtructus ad Martyrij certamen adiit. *c.2.v.22. diſc. 7.n.5.& 6.* p.414

Iuſti. Deus quaſi in theca, & pharetra abſcondit iuſtos. *c.2.v 2.expoſit.4.diſc.2.n.5.* p.255

Iuſti patientes pro Ieſu adimplent ea, quæ deſunt paſſionis Chriſti. *c.1.v.4.diſc.6.n. 6.* p.60

Hieruſalem, Hieruſalem. Vox lamentantis, & condolentis eſt. Cerne apud Iſaiam ſimilem næniam: *Væ genti peccatrici.* Docet Euangelicum oraculum, & Euangelicus orator Iſaias nihil eſſe lamentatione dignum niſi peccatum. *c.1.v. 4.diſc. 1.* p.52

Hieruſalem, Hieruſalem. Salus, & redemptio propriæ nationis, aut patriæ pectus Ieſu, & iuſtorum virorum vehementer angit, & ſolicitat. *c.1. v.4.diſc.3.* p.55

Quæ occidis prophetas, & lapidas eos.

Stephani eximium decus, qui primarius Martyrij trabeâ ornatur, & poſt Imperatorem ſanguine rubefactum, primus in certamine fidei purpuraſcit. *c.1.v.18.diſc.5.n. 4.* p.185

Et lapidas eos. Honorem, & decorem à lapidantibus, & lapidibus ablatum ab Stephano, mirabiliter recompenſat, & promouet Deus, prouidens vt in Angelicam ſpeciem transformatus appareat, cum ſaxis impetitur. *c.2.v.4.expoſ.2.diſc.5. præſertim.n.4.* p.364.365

Stephanus inter crepitantium ſaxorum turbines irroratur ſtillicidiis gloriæ, & ante migrationem beatus redditur. *ibid.n.4.* p.365

Et lapidas eos. Duplici æmulatione ſectatur Ieſu veſtigia Stephanus, prima eſt oratio pro inimicis, ſecunda eorum redemptio. Stephanum pro aduerſariis preces fundentem ad ſummæ dignitatis apicem euehit Deus, conſtituens eum aduerſantium redemptorem. *c.2.v.4 expoſ.2.diſc.6. n.4.& 5.* p.367

Stephani mors differtur, vt redemptoris inimicorum munus expleat. *ibid.* p.367

Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina, &c. Robur, & vires diuini amoris exprimuntur auis ſimilitudine, quæ nulla iacula expaueſcit, vt protegat ſuos natos. *c. 2.v.2.expoſ.3. diſc.4.n.1.* p.244.245

Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Ruina Ieroſolymæ ab Iſaia prædicitur. *c.1.v. 7. & 8. in commentario litteræ.* p.91.92.93

Relinquetur deſerta. In Deo vel leuiſſima abſentiæ, & derelictionis indicia formidanda. *cap.* 1. *v.* 7. *&* 8. *diſc.* 4. p.96.97

Pro ſancto Ioanne Euangeliſta.
Ioannis Cap.21.

D*Ixit Ieſus Petro: ſequere me.* Perfectionis apex ſequela Ieſu. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 11. p.342.343

Sequere me. Maioris perfectionis decus in Petro ſequi Ieſum, quàm tenere Eccleſiæ principatum. *ibidem, n.* 4. p.343

Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Cui amaſio amoris primas detulit Ieſus, Petro, an Ioanni? dubium proponitur, & latè diſcutitur. *c.* 2. *v.* 2. *expoſi.* 5. *diſc.* 5. *n.* 5. *& ſeqq.* p.276.277

Quem diligebat Ieſus. Amor diuinus Ioannem terrenis rebus exuit, vt dilectum, & dilectorem redderet: verus namque amor rebus omnibus amantem ſpoliat. *c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 3. *diſc.* 2. p.241. *& ſingulatim, n.* 4. pag. 242

Sequentem. Deum ductantem à tergo ſequi, Dei gloria, & omne eius bonum eſt. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 11. p.342. *vide ſpecialiter, num.* 5. *& ſeq.* pag.343. 344

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioannes obtinuit charitatis apicem, & triumphalem charitatis palmam, aſcendens in pectus Ieſu. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 10. *n. vltimo.* p.342

Qui & recubuit. Porus nectare ebrius in Deorum conuiuio apud Platonem Ioannem Euangeliſtam ſuper Ieſu pectus recumbentem, & delicijs affluentem adumbrabat. *c.* 2. *v.* 2. *expoſit.* 3. *titulo*: Platonis conuiuium, cœnam Chriſti delineauit. p. 238. *ibid. n.* 7. p.239

In cœna. De charitatis ſympoſio quid in eo præparet Deus animæ, quid anima Deo, vt ſeſe mutuo ad cœleſte conuiuium, & cœnam inuitent. *c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 3. *diſc.* 1. p.239

Domine, quis eſt, qui tradet te? Iudas hoſtis fraudulentus leuans contra Ieſum calcaneum. Vafriciem AntiChriſti, & Iudæ Iacob prophetica prædictione annuntiat. *cap.* 2. *v.* 22. *diſc.* 5. *num.* 7. p.411

Domine, quis eſt, qui tradet te? Eximium decus tolerantiæ emicuit in Seruatore, cum hoſtem honori ſuo & vitæ inſidiantem agnouit, & ſuſtinuit. *c.* 2. *v.* 22. *diſc.* 6. p.411

Domine, quis eſt, qui tradet te? Maximoperè expedit viro probo ſuſtinere opprobria, & conuicia, & hoſtilium inſidiarum auctorem ignorare penitus. *c.* 2. *v.* 22. *diſc.* 6. *n.* 2. p.411.412

Euangeliſta Ioannes ſacræ fidei Quæſitoris infulis decoratus eſt, cùm ſerpentigera monſtra Ebionem, & Cerinthum ſpiritu oris ſui fugauit, & perdidit. *c.* 2. *v.* 22. *diſ.* 10. *n.* 3. p.420

Pro Sanctis Innocentibus.
Matthæi, Cap.2.

O*Ccidit omnes pueros.* Poteris conficere integrum ſermonem *ex cap.* 1. *verſ.* 18. *diſc.* 4. p.182. Deifici infantis recens effuſus, & calens purpureus latex viuidos ſpiritus, & halitus martyrij efflat. *Et num.* 6. de Martyribus Innocentibus differit. p.183

In die Circumciſionis.
Lucæ Cap. 2.

V*T circumcideretur puer.* Deo puſillo, & puſioni Ieſu ſanguine purpurato; primitiuo latici purpureo, phœniceiſque ſanguinis floribus, dedicatur. *ex cap.* 1. *verſiculi* 18. *parte ſecunda: Si fuerint rubra quaſi vermiculus.* Simul adiectis ornamentis quinque diſcurſuum. à p.175. ad p.185

Pro nomine Ieſu vide verbum Ieſus *& in eo perleges quàm plurima.*

Præter illa, quæ hic diſc. 3. *&* 4. *annotantur, vide c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 2. *diſc.* 2. *n.* 9. p.232

In Epiphania Domini.
Matthæi Cap. 2.

C*Vm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, ecce Magi.* Connectit Euangeliſta Ieſu Natiuitatem in Bethlehem, & Magorum aduentum, & conuerſionem: eſt enim Bethleemiticum antrum ſchola diuinarum transformationum, in qua Magos, & Barbaros Deificus Amphion in cœlites immutat. *cap.* 1. *v.* 3. *diſc.* 5. p.46.47

Ab Oriente. Vtique ille qui dicitur Oriens illos allexerat. Omnis probitas, omnis fauſtitas homini ad meliorem vitam migranti prouenit ab oriente Ieſu Sole. *cap.* 1. *verſ.* 18. *diſc.* 8. p.171. ſingillatim. *n.* 3. p.172

Ab Oriente. Numquid veniunt à paradiſo in orientali terræ plaga conſito? Quid mirū ſi ab oriente veniunt quando paradiſum inquirunt, nimirum Dei genitricem, quæ eſt mons paradiſi in orientali gratiæ lumine plantatus à primæua conditione. *cap.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 6. *diſc.* 1. p.281 præſertim. *n.* 6. p.282

Ab Oriente venerunt. Sat eſſet dicere Magos à terra Perſarum, à felice Arabia, à Sabæorum climate profectos, cur ab oriente confluentes aſſerit Matthæus? Velut Paradiſi aura afflatos, Magos Euangeliſta profert, viderunt enim ex ſtabulo & animantium diuerſorio, in quo Deus iacebat, Paradiſum pullulare. *cap.* 1. *v.* 3. *diſc.* 7. p.49

Vbi eſt qui natus eſt Rex? Rex iuſtus, & ſapiens ſicut Sol in cœlis inter ſidera fulget. *cap.* 1. *v.* 5. *diſc.* 1. p.64

Natus eſt Rex. Rex nuncupatur ratione clementiæ, quæ gentes attraxit, etenim benignitas Regum duriora pectora emollit, & pellicit. *cap.* 1. *v.* 5. *diſc.* 5. p.70

Vidimus ſtellam eius in Oriente. Ieſu lux, & illuminatio, fortiter attractiuus cordium errantium nexus, & blanda animorum conciliatrix. *c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 4. *diſ.* 4. titulo: *Ieſus mons luminis.* p.258.259 vide *Moriah mons.*

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Nec mirum quod omnis Ieroſolyma turbetur, commoueatur, turbato, & commoto Rege: eſt enim Rex in Republica velut caput in corpore. *cap.* 1. *v.* 5. in titulo illo: *Circa expoſitionem textus quæſtio vnica: Inter caput & Regem, quæ analogia, & proportio reperiatur.* p.63

Et omnis Ieroſolyma cum illo. Talis conditionis inueniet regnum, qualem Rex virtutis, aut ſceleris formam, & exemplar præſtiterit. *cap.* 1. *v.* 5. *diſc.* 5. p.72

Et

Et congregans omnes Principes Sacerdotum,& ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis. In Ieruſalem erat olim ara iuſtitiæ, delubrum æquitatis, legis peritis abundabat *.c.1.v.21.in commentario littera.n.12.* p.189.& ſeqq.

Sciſcitabatur ab eis. Habebat Herodes Rex legis,& iuris prudentes, & doctos ſcripturarios, quos conſuleret; at illud ſapientum conſilium fauſtitate, & beatitate plenum nuncupabis, quod iuſtitia tanquam fulgentiſſima cœli lampas illuminat,& ornat.*c.1,v.21.diſc.* 1. p.190

Et intrantes domum inuenerunt puerum, &c. Celat ſe in domuncula, & domo panis Deus, vt homines ferarum ritu viuentes, verbum Patris, & panem vitæ nanciſcantur. *cap. 1.verſ. 3. diſc.*8. p.50

*Intrantes domum.*Magi diuinacula,adyta, & oracucula prophana pro Bethleemitico ſpelæo commutant, in quo cœleſtis Apollinis inueniunt oraculum illo Delphico multo celebrius, & illuſtrius. *c.1.v.3.diſc.*1. p.40

Cum Maria matre eius. Eſt enim Maria ſcala, & aſcenſio, per quam nobis patet aditus ad cœleſtia atria.*c.1.v.12.& 13.diſc.*4. p.122

Et procidentes adorauerunt eum. Magi inſtar Phœnicis ad conſpectum Solis Ieſu renouantur.*c.1. v.18. diſc.* 8. p.171
ſingillatim.*num.*1.3.4.5. p.171.172

Obtulerunt ei munera. Non muneribus vacuas manus afferunt ad Regis aulam. Veneror, & exoſculor Magorum donaria, fateor Xenia eſſe plena fide, pignora pietatis, ab ambitu, & corruptione aliena; ſed forſan in iis decus prudentiæ nitet, ſciunt cœleſtem Regem, & Deum muneribus placari; nec ignorant, quanta inſit muneribus poteſtas,& imperium, quandoquidem in Optimatum animos, & vultus,mirabiles, & prodigiis ſimiles immutationes influunt. *c.1.v.13.diſc.*3. p.206

Aurum. Pretioſa ad Ieſum deferenda, affectuum ſpolia,& idola ad illius pedes abiicienda. *c.1.v.* 18.*diſc.*9. p.173

Thus, & myrrham. Cum nouus homo inter thuris, & myrrhæ aromata inſtar phœnicis renouatus innaſcitur,ex amara pœnitentiæ myrrha,& ſuaueolenti thure,ſuffitus efflatur ſuauiſſimus,quo omnes oblectantur cœlicolæ. *c.* 1. *v.* 18. *diſc.*2. titulo: *Phœnicis thus, & myrrha.* p.160

Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem. Herodes à Magis illuſus, & iracundia percitus contriuit naues Tharſis, quæ eos aſportauerant ad ſuam regionem.*c.2.v.21.diſc.*4. p.390

Dominica in Quinquageſima.

Pro ſermone 40. Horarum.

H*Abes illuſtratum verſiculum tertiumdecimum, parte 2.titulo:*Quæ Iudaicæ, & Chriſtianæ comparatio, *in quo ſeptem aræ ornamenta proponuntur, & illuſtrantur ſeptem diſcurſibus. Perlege attentiori ſtudio, ad quartum aræ ornamentum Diſcurſum quartum.* p.130

Feria quarta Cinerum.

Memento homo quia puluis es.

EXoptat Deus hominem ante oculos conſtituere,memoriæ,& menti obiicere pulueres, & cineres ſepulchri, vt ad eorum intuitum inſtar phœnicis renouetur. Enimverò ad conſpectum mortis, & tumuli pulchra nouæ vitæ imago formatur, & ſimulacrum perfectæ ſanctimoniæ effingitur.*c.1.v.18.titulo:*Tranſlatio L X X. interpretum illuſtratur,*numero quinto, de phœnice,* p. 157. *& Diſcurſu 6. in titulo* : Phœnicis tumulus. p.168

Quia puluis. Terra,& cinis pœnitentiæ,& conuerſionis adiutrix, & diuinæ pietatis reconciliatrix.*c.1. v.* 18. de Phœnice Chriſtiano diſc.7.titulo: *phœnicis cineres,& vermis.* p.169

Memento homo, quia puluis es. Excitat Eccleſia his verbis fideles, vt ad memoriam reuocent diem ſeparationis animæ à corpore.Hoc maximè curandum iuſto, vt ad diem nouiſſimum ſit præparatus.*c.2.v.2.expoſ.2.diſc.*3. p.234

Memento homo. Ad intuitum amiſſæ beatitatis præſens infortunium, & calamitas vehementius vrit, & pungit; homo non ritè, & iuſtè ponderabit quid ſit, niſi mentis trutina examinet,quid fuerit.

Hominis enumero decora ampliſſima.

Deus hominem ſuâ ſimilitudine condecorat.*c.2.v.* 3.*diſc.*4.*n.*3. p.329

Hominem Deus conſortem facit imperij. *ibid.n.*4. p.329

Deus hominem honorat, cùm cœlum, & hominem tanquam res neceſſitudine coniunctas copulat.*c.1.v.2.diſc.*1.*n.*2. p.28

Homo ex corpore, & ſpiritu tanquam ex cœlo & terra compactus.*ibid.n.*3. p.29

Homo creatus erectus ad ſidera, vt cœlum proſpectet, & terram deſpiciat. *c.* 1.*v.* 2. *diſc.*2. per plures numeros. p.30.31

Memento homo. Quid amiſeris,quorum ornamentorum feceris iacturam,& in quantas ærumnas incideris.

Homo degeneri vilitate degenerauit in belluinos mores,& affectus.*c.*1.*v* 3.*diſc.*4. p.44

Homo per peccatum, Dei ſimilitudinem amiſit. Eodem diſcurſu.*n.*4.*&* 5. p.45

Homo deſcendens ab immortalitate, mortalitatis ærumnas ſubiit. *cap.* 2. *verſ.*3. *diſc.*10.*num.*1. p.340

Hominis & iumenti idem interitus.Eodem diſcurſu.*num.*2. p.340

*Et in puluerem reuerteris.*Sanctiſſimæ Deiparæ corpus ab hac lege eximitur,& honorem hominis reſtaurat; cum virtute corporis Chriſti,& præſentia Euchariſtiæ à putrilagine ſeruatur incolume. Et ex mortalitate ad immortalem gloriam migrat.*c.2.v.1.expoſ.6.diſcurſu.* 10. p.303

Et in puluerem reuerteris. Sanctiſſima Euchariſtia ignominioſam mortis ſententiam expunxit & titulos inglorios pulueris, & cineris in immortalitatem commutauit. *cap.1.v.* 12.*&* 13. *de aræ ornamentis diſc.*5. p.132
Speciatim perlege amabo,*n.* 2.*&* 3. p.133

Ex Euangelica Matthæi Lectione.

Cap. 9.

N*Olite fieri ſicut Hypocritæ triſtes.* Hypocrita ambitum, & nitorem foliorum quærit, non virtutis fructus: at Ieſus non inter mundialia folia, ſed inter virtutum fructus inhabitat.*c.1.v.7.& 8.diſc.*2. p.93.94

Triſtes. Hypocrita, & peccans mœret; iuſtus cùm

de peccato compungitur, deliciis affluit. Inter dolores, & amaritudines pœnitentiæ cœlitum irroratur gaudiis. *c.* .*v.*18.*diſc.*5. p.166.167

Exterminant enim facies ſuas vt appareant,&c. Luciferi ingenium, velle videri, quod non eſt, iuſtorum ingenium velle non videri, quod ſunt.

Pars prima diſcurſus. *Luciferi ingenium*, &c. Diabolus ſuperbiæ fons, humilis vult videri, vt adulatione tangat Ieſum. *cap.*1. *verſ.*5. *diſc.*3. *num.*2. p.67.68

Vult adorari tanquam Deus. *ibid.n.*3. p.68

Voluit videri Creator, & principium ſine principio. *c.*2. *v.*2. *expoſ.*5. *diſc.*4. *n.* 1. p.273.274

Secunda pars diſcurſus: *iuſtorum ingenium*,&c. tres pueri in fornace martyrio coronari tanquam aurum perpurgatum conflatorio tribulationis apparentes, Dei commilitones exiſtentes, peccatores voluit reputari, & exemologeſim operantur. *c.*1. *v.*18. *diſc.*4. *n.*7. p.166. & *c.*2. *v.*3. *diſc.* 2. *inuenies quàm plurima.* p.324.325.326

Pater tuus, qui videt in abſcondito. Ieſus occultans ſuam diuinitatem, docuit occulere gloriam. *c.*1. *v.*3. *diſc.*3. *n.*1. & 2. p.42.43

Feria quinta poſt Cineres.

Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

Quid Cherubicum, quid Angelicum, & plus quàm humanum eſt in alienis calamitatibus commiſerationis affectus. *c.*1. *v.*8. *diſc.* 3. p.95

Puer meus. Cùm Centurio puerum appellat ſuum, bene inſtructus à Deo eſt, de alienis ærumnis compati velut de propriis; tunc benè commiſerentur, cùm alienas ſerui calamitates faciunt ſuas. *cap.* 1. *verſ.* 4. *diſc.* 3. p.55. Præſertim *n.*3.4.5. p.55.56

Et malè torquetur. Quantum de cruciatu animi, quem crimen inueheit, condoleſceret, qui de dolore ſerui ſic triſtabatur. Induerat miſericordiæ iuſtorum viſcera, & corda, quæ improborum ſcelera velut ſæui Tyranni, & cruenti Laniones excruciant. *c.*1. *v.*4. *diſc.*2. p.53.54

Domine, & malè torquetur. Cum torruta doloris ſerui probus Centurio premitur, virtus eius exprimitur; tribulationis caligine inuoluit vtrumque & ſeruum & Dominum Deus, vt ex hac vmbra plus fulgeat vtriuſque Fides. *c.* 1. *v.* 25. *diſc.*3. p.216. præſertim *n.*7. p.217

Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Ieſus ad caſtigandum tardus, ad benefaciendum expeditus, & velox. *c.*1. *v.*14. *diſc.*3. p.141.142

Et reſpondens Centurio ait: Domine non ſum dignus. O quantum humilitate promeruit inclytus Centurio nimirum quod ex eius labiis libaret Eccleſia verba proferenda ad ſuſceptionem ſacræ Synaxis; iiſque diuinus factus Eccleſiaſtes deprædicaret Euchariſtiæ facinora, & decora. Perpendenda ſunt ſingula.

Domine. Ecce Centurionem euectum ad contemplationem Deitatis, cum Ieſum nuncupat Dominum, & verba promit è pectore Euchariſtiam anhelante. Enimverò qui regio, & Deifico educantur alimento, generoſos neceſſe eſt lacte ſugant ſpiritus, & ad magnarum cogitationum altitudinem aſpirent. *c.*1. *v.*3. *diſc.*5. p.46.47

Non ſum dignus. Demonſtrat Centurio quanta puritas exigatur in Euchariſtiam ſuſcipiente. Tanquam vnum de Cœlicolis, & Angelorum choro viuere Sacerdotem cogunt, Deitatis ſpeculum, & quotidianum puritatis oſculum. *c.*1. *v.*5. *diſc.*12. p.83.84

Vt intres. Intrat Chriſtus in cordis penetralia tanquam plena victima, in qua eſt Deus plenus, & Dei plenitudo, omnes corporis ſenſus, animique deſideria complens. *cap.* 1. *verſ.* 11. *diſc.*1. p.111

Non ſum dignus vt intres. Approbo humilitatem tuam, ea tamen non te indignum reddidiſti ad ſuſcipiendum Dominum, quinimò tunc dignius factus Dei hoſpitium, cùm tribulatione vexaris. Latior enim porta aperitur ad recipiendum Ieſum laboribus, & ærumnis. *c.*1. *v.* 11. *diſc* 2. *præſertim n.*3. p.p.113

Sub tectum meum. Non ſolùm intrauit Ieſus ſub tectum noſtrum, & Eccleſiæ mapalia, ſed religari voluit vinculis amoris in Euchariſtia, & altari, ne à nobis effugiat. *c.*1. *v.*7. & 8. *diſc.*5. p.98.99

Sed tantum dic verbo. Vſque ad Theologiæ apicem profecit Centurio, dum attributum omnipotentiæ diuinæ exaltat, credens illum, qui verbo condidit omnia, poſſe vel ſolo verbo expellere morbum. Ille Medicus omnipotens, qui ſolo verbo ſanat, & cuius virtuti nullus eſt, qui non cedat, deſperatus morbus. *c.*1. *v.*6. *diſc.*3. p.89.90. *in quo non eſt prætermittendus numerus quintus.* p.90

Nam & ego homo ſum. Non omnes verè & audacter proferre poſſunt hoc verbum: *ego homo ſum.* Sunt enim plerique affectibus belluæ, & qui moribus pecuinis ferarum ritu viuunt. *c.* 1. *v.*3. *diſc.*4. p.44

Sub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites. Magnum ingenij acumen promicat in Centurione, ideò habet ſub ſe milites, quia ipſe erat ſub diuina poteſtate, & obedientia conſtitutus. Ille paſſionum motus, & improbos affectus ſibi ſubigit, qui rationis imperium Deo ſubiicit. *c.*1. *v.*15. & 16. *diſc.*3. *n.*1.3.9. p.147.148.149. & *c.*2. *v.*5. *diſc.*2. *n.*3. & 5. p.66.67

Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient,&c.

Gentium conuerſio prædicitur. *c.* 2. *v.* 2. in Commentario litteræ. *a n.*28. & *ſeq.* p.229.230

Feria ſexta poſt Cineres.

*Matthæi Cap.*5.

De inimicorum dilectione ex profeſſo diſſeritur. *c.*2. *v.* 4. *expoſitione ſecunda, per totam.* p.355.356.&c. *ad ea verba*: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, *Diſcurſus, & Euangelij verba, ſequenti ſerie innectenda.*

Diligite inimicos veſtros. Proculdubio quid optimum, quid eximium delitescit in inſectatione hoſtili, quandoquidem cœleſtis præceptor humanam voluntatem, quæ à bono allicitur ad amorem, tam vehementer excitat ad complectendum amore hoſtem. Conceptus ſic procedet, compendium gloriæ, Paradiſi ſumma inimici perſecutio: ideò amplexanda, exoſculanda tanquam quid cœleſte, & diuinum. *c.* 2. *verſ.*4. *expoſit.* 2. integrum habes diſcurſum.4. p.362.363.364

Diligite inimicos. Amor verus probrum ignorat, & conuitiis coronatur. *cap.*2. *verſ.*2. *expoſ.* 3. *diſ.*6. *num.*1.

num. 1. 2. p.249

Ego autem dico vobis. His verbis in tuto collocat Ieſus; metu, & periculo immunem reddit iuſtum inſidiis appetitum, iniuriis vexatum, dum totum ius decoris offenſi, vel honoris amiſſi penes ſe eſſe indicat. Et conceptum ſic extolles: Hominis iniuriis offenſi decus, & gloriam Deus tantâ excellentiâ compenſat, & promouet; vt humanâ ſorte maior, in Angelicam, & Deificam ſpeciem transformatus videatur. *c.* 2. *v.* 4. *expoſ.* 2. *diſc.* 5. p.364.365

Benefacite iis, qui oderunt vos. Tunc benè factis eximium opus reſultat in hoſte, & in te emicat ſumma dignitas muneris Saluatoris æmula; cum hominem tibi aduerſum, à Deo auerſum, conuertis, & decoratus appares infulis redemptoris animarum. *Quæ omnia continentur diſcurſu ſexti titulo.* Iniurias inimicis condonantem ad eximiæ dignitatis apicem euehit Deus, conſtituens eum inimicorum redemptorem. p.366. 367

Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Conuitiorum tela, calumniarum lanceæ, maledicentiæ iacula acerbius figunt, & pungunt ſanctorum corda, quàm cruciamenta Tyrannorum. *c.* 2. *v.* 4. *expoſ.* 2. *diſc.* 1. p.356.357

Orate pro perſequentibus. Cùm orationem imperat Dominus, taciturnitatem commendat velut parmam potentiſſimam contra iniuriantis nequitiam. Et erit diſcurſus: inimicum conuitij telo, maledicentiæ hamato iaculo munitum, facilè vinces patientia, & ſilentio. *ibid. diſc.* 2. p.358.359

Orate pro perſequentibus, & calumniantibus. Exemplar amoris inimicorum Ieſus, docet quod ipſe fecit, qui à Iudæis inſectatus opprobrium, & cædem ſpirantibus, amoris flammas ſpirabat, eorum ſalutem ſuſpirabat. *c.* 2. *v.* 22. in expoſitione literæ commentatione ſecunda, p. 394. *& diſc.* 2. *præſertim n.* 3. p.399

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Filij patris ſui imaginé regerunt, quare non ſolum in animis habent Dei ſimilitudinem dilectores inimicorum, ſed in corporibus, nam in vultu inimicos amantis, iniurias dimittentis, & cogitantis de reconciliatione fraterna, forma Angeli, ſpecies Dei relucet. *c.* 2. *v.* 4 *expoſit.* 2. *diſc.* 5. p.364.365

Vt ſitis filij. Si filij, & hæredes Dei, & cohæredes regni. Vt ad amorem inimicorum excitet Ieſus homines, præmia proponit. In hac vita donat ampla decora: nam qui ex corde inimicum diligit, & facile condonat iniuriam, triumphalia diademata, victrices palmas, Angelorum plauſus, martyriſque aureolam prometetur. *ibid. diſ.* 3. p.360.361

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Solis ortus obſcura reuelat, patefacit occulta. Sæpe ſæpius contingit aduerſarium in te lapidem iniuriæ impingere, & manum abſcondere; te ſentire vulnus iaculi, arcumque iaculantem non agnoſcere; at cum illius ſunt patefacta conſilia, & tibi comperta, cum hominem honori tuo, aut vitæ inſidiantem dignoſcis, & adhuc ſuffers, hoc apex eſt perfectionis, & Chriſtianæ tolerantiæ decus. *c.* 2. *v.* 22 *in commentario literæ, interpretatione* 4. p.395.396. *& diſc.* 6. p.411.412

Qui ſolem ſuum oriri facit. Exemplum Solis in medium protulit Ieſus differens de dilectione inimicorum, quia Sol conciliator eſt voluntatum, & dicitur *Elios*, quia omnia congregat. *c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 4. *diſc.* 4. *n.* 1. 3. 4. 6. p.258.259.260

Sabbato poſt Cineres.
Marci Cap. 6.

Erat nauis in medio mari, Edocent nos ſpumantes vndæ, & intumeſcentes gurgites maris quod humanum pectus quantalibet ſanctimonia decoratum tanquam furens pelagus improbarum cogitationum turbinibus, & paſſionum nimbis ſæpè ſæpius iactatur. *c.* 1. *v.* 15. *&* 16. *diſc.* 1. p.144.145. *præſertim n.* 5. p. 145. *& diſc.* 4. *n.* 6. p.150. *diſc.* 5. *n.* 1. *&* 7. p.151.152

Et Ieſus ſolus in terra. Ad inferiora noſtra, & mate huiuſmũdi deſcendit Ieſus, vt ſe opponeret improborum affectuum fluctibus, & tanti doctoris magiſterio intimos animi motus homo diſceret compeſcere. *c.* 1. *v.* 15. *&* 16. *diſ.* 3. p 147. 148. *ſpeciatim à n.* 3. p.148

Et vidit diſcipulos ſuos. Pulchrum ſpectaculum, iuſtus cum aduerſitate colluctans, ideò clientes ſuos Ieſus vexatos ærumnis, & aduerſis, gratiſſimis oculis proſpicit, *c.* 1. *v.* 24. 25. *diſ.* 5. *n.* 5. 6. 7. p.220.221

Laborantes in remigando. Contra ictum, & torrentem paſſionum connitendum iuſto, vt ad cœli faſtigium poſſit ſcandere, ideò gratiſſimi Deo diſcipuli exiſtunt, qui affectibus improbis violentiam inferunt. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 7. p.334.335

Erat enim ventus contrarius eis. Proximior & liberalior adeſt Deus, cùm aduerſitatis turbo irruit in hominem, quàm cùm illum felicitatis auro perflat, & ei blandè immurmurat proſperitas. *c.* 1. *v.* 24. *&* 25. *diſc.* 5. *n.* 1. 2. 3. 4. p.219.220

Erat enim ventus contrarius eis. Nihil tibi officit ventus contrarius, cùm Dominus maris & venti non ſit tibi aduerſus, mundi oppoſitio te amicum Dei manifeſtat; nam ſicut, qui nihil aduerſitatis patitur, tanquam reprobus æſtimatur, ita eum, quem contradictiones, & aduerſitates circumdant, à Deo electum manifeſtant. *c.* 1. *v.* 24. *&* 15. *diſc.* 4. p. [illegible]

Venit ad eos ambulans ſupra mare. Ambulat ſuper mare Ieſus vt naufragantes peccatores ad gremium tranquillitatis ſuæ aduocet, & amplexu ſuo foueat periclitantes. *c.* 1. *v.* 6. *diſ.* 1. *n.* 1. p.86.87

Et volebat præterire eos. Præ turbato pelago, vndarum cumulis in montium vertices ſeſe attollentium, præ nauis immerſione, & naufragio, fuga Ieſu pertimeſcenda, & leuiſſimum abſentiæ, & derelictionis indicium formidandum. *c.* 1. *v.* 7. *&* 8. *diſc.* 4. p.96.97

At illi, vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe. Cum cogitatus vani, atque phantaſmata in mentem tuam ingruerint, procul abiges, ſi ea contempſeris. *cap.* 1. *v.* 15. *&* 16. *diſc.* 6. *n.* 6. *&* 7. p.154

Et dixit illis: confidite, ego ſum, nolite timere. Vbi omne auxilium in tribulatione deficit, ſolus Ieſus ſubuenit. *c.* 2. *v* 2. *expoſ.* 4. *diſc.* 2. *n.* 3. p.254.255

Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor illorum obcæcatum. Si de panibus Euchariſtiæ accipias, non incongruum conceptum accipies; qui non intelligit vim Euchariſtici panis, non illuminatur; qui verò illum recipit, intelligentiam & mentis illuminationem accipit. *c.* 1. *v.* 2. *præludio* 6. p.24.25

Domini

Dominica 1. Quadrageſimæ.
Matthæi Cap. 4.

DVctus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. Magnum, & difficile certamen, belligerare nullis datis induciis cum hoſtibus noſtrum aſpectum fugientibus; ſed ſi cupis ſubigere perduellem, quem non vides, præiis frange hoſtem carnis tuæ, quem cernis. *cap.1.v.15.& 16. diſc.2. per totum.* p.146. 146. Habes locum Sophoniæ illuſtratum ad introductionem.*n.2.* p.146

Vt tentaretur à Diabolo. De trina tentatione reportatus à Ieſu triumphus, in trophæis Herculis adumbratus.*cap.1.verſ.15.& 16.diſc.2.num.6.* p.147

Non in ſolo pane. Eſſet perfacile, vel in ictu oculi commutare lapides in placentas, at non annuit hoſtis poſtulatis diuinus Athleta, vt inſtruat te primos hoſtis impetus conſtanter retundere, ij namque, qui principiis tētationum obſiſtunt, & primos hoſtium ictus repellunt, facile triumphum reportant. *cap. 1. verſ. 15. & 16. diſc. 4.* p.149.150

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Agnouit Ieſus iniquum Dæmonis conſilium, illúdque diſturbauit. Sæpè ſe transfigurat in Angelum lucis, & ſub ſpecie pietatis, & neceſſitatis fortiores tentat, & ſuperat, quare ille vir erit ſtrenuus in virtutis curriculo, qui diſcretione ſpiritus præpollet, vt explorare queat hoſtis technas.*c.2.v.22.diſc.8.* p.415.416

Et accedens tentator. Magna Dæmonis elatio, præſumptio, & peruicacia, qui prior occurrit Chriſto ad tentandum; habet nimirum fiduciam victoriæ, ſi prior deſcendat in arenam, & hominem improuidum, & imparatum aggrediatur.*cap.1.verſ.22. diſc.7. præſertim num. 2. & 9.* p.409.414.415

Et accedens tentator. Licet prior accedere, & prouocare ſit permiſſus Satan, non anteuertit Chriſti mentem, nec improuidum eſt aggreſſus, ſed [illegible], & ieiunij quadraginta dierum, & quadraginta noctium, vt inſtruat milites ſuos præuentos ſuſcipere hoſtis certamina, & illius antenertere dolos, ſic enim tenetur felix victoriæ auſpicium.*c.2.v. 22. diſc.7.ſingulatim.n. 1.3.4.5.6.7.8. 10.* p.409.414.415

Non in ſolo pane viuit homo. Chryſoſtomus in Matthæum homil. 5. *Non dixit: non in pane ſolo viuo, ſed in omni verbo Dei, vt non videatur de ſe dixiſſe, ſed modo, non in ſolo pane viuit homo.* Non in ſolo pane materiali viuit homo, at in ſolo pane Angelorum, qui vitam dat mundo: viuit homo vita diuina, & immortali. *cap. 1. v. 12. & 13. in quarto aræ ornamento. diſc.3.* p.132.133

In ſolo pane Euchariſtico viuit homo. Cùm illius virtute interet gliſcentes vitiorum flammas, & Babylonica Veneris incendia, impolluto calle tranſit.*cap.1. v.12. & 13. in primo aræ ornamento. diſc.1.* p.125.126

In ſolo pane Euchariſtico viuit homo. Cùm illum reddit tentationibus ſplendidiorem, & illuſtriorem diuinum alimentum. *cap.1. v. 12. & 13. in ſecundo altaris ornamento. diſc. 2.* p.126.127

In ſolo pane Euchariſtico viuit homo; at diabolus moritur, quia virtute ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Dæmonis imperium diruitur, & idolorum cultus abolerur. *cap. 1. verſ. 12. & 13. in quarto aræ ornamento. diſc.4.* p.130.131

Sed in omni verbo. Mirabilis virtus Agonothetæ, & pugilis, qui ſolo verbo vincit aduerſariorum phalanges, eaſque exſcindit.*c.2.v.22.diſc.1.n.1. 2.& 7.* p.396.397

Si Filius Dei es; mitte te deorſum. Impudentia, & contrarietas manifeſtantur in verbis tentatoris; filius Dei eſſe nequit, qui mittit ſe deorſum, nam aſcenſus, vel deſcenſus filios Dei, à filiis diaboli diſcriminat; nam iuſtorum proprium eſt ſcandere ardua; malorum, ad infima ruere. *cap.2.v.3. diſc.10.* p.340.341

Vade Satana. Diabolus, qui iniquas cogitationes ſuggerit, ſtatim diſparet, cum eum deſpicis, aut contumelioſis verbis improperas.*cap.1.v.15.& 16.diſc.6.* p.152.153

Vade Satana. Formam dedit homini cœleſtis decertator his verbis; facilè repellendi, & euertendi hoſtem, ſi impauidum pectus ei oſtentet, omnis formidinis expers, & minaci vultu, oriſque flatu aduerſarium exufflet.*c.2.v. 22. diſc. 1. n.1.3.4.5.6.8.* p.396.397.398

Vade retrò Satana. Sic legit Remigius apud Sanctū Thomam in Catena aurea. De impudentia cum Dæmone certant iniqui, cum Deum retrorſum abiiciunt, & Dæmonem vitæ ducem ante faciem portant.*c. 1.v.4.diſc.7.* p.60.61

Tunc reliquit eum Diabolus. Addit ſanctus Lucas: *vſque ad tempus. c.4.v. 13.* In certamine mortis maioribus tentationum machinamentis Satan adorſus eſt Ieſum.*c.2.v.2.expoſ.2.diſc.4.n.4.5.6.* p.236

Vſque ad tempus. Mortis certamen, & agonem tanquam valdè opportunum tempus obſeruat Dæmon ad tentandum, & decipiendum hominem. *cap. 2. verſ.2.expoſ.2. diſc.4. num.1.2.3.* p.235.236

Feria 2. poſt I. Domin. Quadrageſimæ.
Matthæi, Cap.25.

CVm venerit filius hominis in maieſtate ſua. *Cùm venerit.* Diu patienter ſuſtinuiſſe mundum, & peccatores indignos eſt enim ſummis præconiis celebranda Dei patientia in expectandis improbis, qui tardipedis, & imbecillis contumelias apud quoſdam perfert, ne quid longanimitatis homini deficiat.*c.1 .v.14.in commentario.* p.137. *& diſc.1.* p.138

Filius hominis. Quod non filius Dei, ſed filius hominis prædicatur, prouenit de viſceribus pietatis, vt oſtendat quam habet erga homines clementiam, de quorum ruina plus videtur dolere, quàm de ſua offenſa. *cap. 1. verſ. 14. diſc.4.* p.143

In maieſtate ſua. Maieſtatem ſuam nuncupat humanitatis gloriam, eam oſtentat, de ea ſeſe iactat, quia periculis, & paſſionibus parta eſt. *c.2.v.3.diſc.1.n.1.2.& 3.* p.322.323

Et omnes Angeli eius cum eo. Angelorum ſatellitio ſtipatur Ieſus, quorum munus eſt ſuppetias ferre peregrinantibus, vt eos in cœleſtia atria introducant.*c.2.v.3.diſc.6.n.2.3.* p.332.333

Et omnes Angeli eius cum eo. Angeli ſancti commiſerationem, & flebiles vultus oſtendunt in hominis punitione, & ruina. *c.1.v.7.& 8. diſc. 3.n.3.4.5.* p.95.96

Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Venit Dominus ad perdendum orbem, & caſtigandos impro-

improbos æternæ pœnæ flagellis; vt iram ſuam effundat,& tunc ſedet? vtique non ad bene faciendum eſt expeditus,& velox: ad caſtigandum ſerus,& tardus: vt hominem pœniat,eum velut cogunt, & violentas manus iniiciunt noſtra crimina.*cap.1.verſ.14.diſc.2.* p.141.142

Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Fœlix anima, quæ eſt ſedile Regis æterni, in qua, velut in reclinatorio recumbit,& quieſcit Ieſus. *c.2.v.24.& 25.diſc.1.n.6.p.213.& diſ.2.n.6.& 7.p.214.215*

Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Maria non ſolùm ſedet in throno cum filio, ſed ipſa thronus eſt Creatoris.*cap.2.v.2.expoſ.6.diſc.13.§.1.n.4.p.312*

Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Ieſus ab orbe condito, & à diebus æternitatis parauit hominibus ſalutem.*cap.2.v.2.diſc.2.* p.232.233

Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Si opera pietatis membris ſuis exhibita Ieſus tanta gloria compenſat, quanta beatitudine remunerabit obſequia ipſi filio à Matre præſtita! Diſcurſus ſic adſtruendus: Mariæ eleemoſynæ, & opera pietatis erga Ieſum, in cœlis gloria, & honore coronantur. *cap.2.verſ.2. expoſit. 6. diſc. 12.* p.309.310.311.

Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Maria Ieſum eſurientem aluit.*c.2.v.2.expoſ.6.diſc. 12.* p.309.310.311

Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Sitienti Ieſu vbere de cœlo plenò dedit lactis potum.*ibid.diſc.13.§.3.* p.315.316

Hoſpes eram, & collegiſtis me. Maria in aula Virginali Deo dedit hoſpitium.*ibid.§.1.* p.311.312

Nudus, & operuiſtis me. Deipara nudum, & pauperem Ieſum veſtimentis induit.*ibid.§.2.* p.313.314.

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Si ſic punit Deus immiſericordes, & eos, qui non porrigunt alimenta, & indumenta egeno, quam pœnam irrogabit in eos, qui pauperes excoriant, & ſpoliant? *c.2.v.23.diſc.4.* p.208

Feria 3. poſt I. Domin. Quadrageſimæ.

Matthæi, Cap.21.

CVm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas. Non plebis rumores, aut popularem concurſum auebat Ieſus, ſed commotionem ad pœnitentiam, quam tota Hieroſolyma violento motu in Chriſti morte prædicabat.*c.2.poſt v.21.diſc.3.* p.193.194

Quis eſt hic? Maxima Iudæorum impudentia diſſimulantium ſe neſcire Ieſum.*c.2.v.2.expoſ.3.diſc.7.n.4.5.* tempus moriendi. p.251

Et eyciebat omnes vendentes. A facie, & domo Domini, & contubernio Sanctorum proñci, maximum ſupplicium Dei eſt.*cap.2.v.6.diſc.1.* p.370.371

Et eyciebat. Infelix valdè, qui à Deo ſegregatur, & propellitur, nunquam reuerſurus.*c.2.v.4.diſc.4.n.3.* p.57

Et eyciebat. Contumaces,& inſanabiles à communitatis corpore exſcindendi, & reiiciendi.*c.2.v.6.diſc.1.*p.372.373. Addit Ioannes.*c.2.v.5. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Habes de hoc vaticinium Oſee. *cap.9.* illuſtratum. *cap. 2. v.6. diſc. 1. num.5.* p.372

Et eyciebat. Idem Ieſus, qui Luciferum ſuperbum, & contumacem diſturbauit de cœleſti paradiſo, proiecit Iudæos de templo. *c.2.v.6.diſc.1.n.4.* p.371,372.*& diſc.1.n.3:* p.373

Eiecit omnes vendentes, & ementes in templo. Zelum edocet Sacerdotes ad vindicandas gladio poteſtatis, Dei iniurias, quibus templa ſacra improbi violant; conceptum accipe: poteſtatem deiicit, & imperium ſuum dedecore afficit Sacerdos, cum gladium in vagina reconditum tenet, limatum, & fulgurantem contra delinquentes in ſacris ædibus non eximit. *cap. 1. v.5. diſc.4.* p.77.78

Eiecit. Quis non expaueſcat tali ſpectaculo, nimirum cernens clementiam ipſam excandeſcentem, bonitatem iratam, pietatem flagello armatam, amorem ipſum funiculis Adam homines ligantem, nunc funiculis plectentem? Stuporem ſiſtes, ſi mente percipias quandoque Ieſum ſeueritate temperare clemētiam,agnumque Dei tanquam Rhinocerotem cornu petere nefarios. *c.1.v.5.diſc.9.n.4.* p.77.78

Vendentes, & ementes in templo. Indigna Antiſtitis munere emptio, & venditio, cuius officium eſt extricari à terrenis,ad cœleſtia conuolare. *c. 1. v.5.diſc.13.* p.85

Domus mea domus orationis vocabitur. Domus Dei domus orationis eſt præſertim Sacerdotibus, quorum tanta dignitas eſt,& honoris amplitudo,vt inter Deum, & hominem mediatorum, & legatorum munere fungantur.*c.1.v.5.diſc.8.* p.75.76

Domus orationis. Eſt enim in Eccleſia Ieſus præceptor, & mons ſpeculationis. Apud Ieſu montem illa vera oratio, & contemplatio,quæ non in ſolo otio ſancto, & cordis laxamento conquieſcit, ſed ad operum & virtutum ardua animum ſtimulat..*cap.2. verſ. 2. expoſ.4.diſc.5.* p.260.261.262

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Ieroſolyma plena latrociniis diuerſorium cauponæ, vitiorum colluuies, habens iuſtitiam proſtitutam tanquam meretricem. *Vide amabo commentarium literæ.c.1.v.21.* Quomodo facta eſt meretrix, *in propria expoſitione à num.4.& ſeq.* p.187.188. *Et commentarium.v.22.*p.194.*& v.23.* ad ea verba: *principes tui infideles ſocij furum.* p.201.202

Feria 4 poſt Domin I. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap.12.

VOlumus à te ſignum videre. Cerne in quantam amentiam, & cæcitatem adduxerit Iudæos cordis obſtinatio, qui prodigioſis Ieſu facinoribus magis indurantur. Sic conceptum promoue: inueterata conſuetudo peccandi viua,& expreſſa inferorum imago, & ſtatus damnatorum eſt.*c.1.v.4.diſc.4.* p.56.57

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Opprobria tentantium ſe Iudæorum ſic Ieſus compenſat, promiſſione mortis ſuæ pro iis obeundæ, nam cum Iudæi ſcelus anhelabant, ipſe eorum ſuſpirabat amores. *cap.2.v.22.diſc.2.* p.398.399

Signum Ionæ. Ionas dicitur ter vita functus, at Ieſus quotidie pro ſalute hominis animam agebat.*c.2.v.22.diſc.2.n.5.* p.400

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus,

noctibus, ſic erit filius hominis, &c.

Solus Ieſus tanquam mortis Dominus non coactus, ſed ſpontaneus occumbit, & cum omnimoda poteſtate ad regionem mortis deſcendit. *c.2.v.22.diſc.3.* p.402.403

Sic erit filius hominis in corde terræ. Sicut Ionas inter auidos rictus belluæ indemnis ſeruatur, ſic Ieſus intra mortis fauces incolumis cuſtoditur. *c.2.v.22.diſc.4.n.4.* p.406

Tribus diebus, & tribus noctibus. Trium dierum, & trium noctium dormitionis Ieſu ſingularis ſupputatio Theophylacti. *c.2.v.22.diſc.2.num.4.* p.399.400

Signum Ionæ Prophetæ. In Ionæ fuga eximius animarum zelus fulget; maris fluctibus, & marinæ belluæ ſe tradidit deuorandum, ne populus ſuus pereat. *c.1.v.4.diſc.3.n.1.* p.55

Signum Ionæ. Gaditana nauis extitit, in qua vectus eſt Ionas, ex cuius ſubmerſione, & naufragio Gaditanis affulſit veri Dei cognitio, & lumen. *c.2.poſt v.21.diſt.4.* p.390.391

Viri Niniuitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Tunc vetæ pœnitentiæ formam oſtendis, quando depoſitis criminum exuuiis, nouæ vitæ ſimulacrum moribus ipſis animus oſtendit. *c.1.v.18.diſt.1.* p.158.159

In prædicatione Ionæ. Non ſolus prædicauit Ionas, ſed Rex ipſe ſqualenti habitu munus obiit Eccleſiaſtæ; qui religioſum agmen exomologeſim operantium duxit. *cap.1.v.5.diſ.6.num.1.* p.72

Pœnitentiam egerunt. Saccus, & cinis pœnitentiæ adiutrix, & diuinæ clementiæ reconciliatrix. *c.1.v.18.diſc.7.n.5.* p.170

Et ecce plus quàm Ionas hic. Solus Ieſus propria voluntate & poteſtate ex morte redit ad vitam immortalem. *cap 2.v.22.diſc.4.* p.405.406

Regina auſtri venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Felix qui occurrit ad ſapientiæ fontem Ieſum vt ebibat ſcientiarum limpidiſſima fluenta. *cap.2.verſ.2. expoſ.4.diſc.3.* p.256.257

Feria 5. poſt Domin. I. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 15.

E*Greſſus Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis.* Vt tanquam Sol ſplendidiſſimus illuminaret gentes, de tenebris errorum, & idololatriæ detraheret animam, & de eius immutatione feſtum diem ageret. *cap.2.verſ.1.expoſ.4.diſc.4.n.4.* p.259

Seceſſit. Non tantum vt illuminaret gentes, ſed vt ipſe Ieſus illuſtris redderetur venatione, & prædæ peccatricis. *cap. 2. verſ.2.expoſ. 4. diſc.4.n.7.* p.260

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. Anima non poteſt occurrere Deo, & eius conſuetudine frui, niſi à rebus ſæculi fuerit extricata. *c.2.v.3. diſc.8.n 3. & 5.* p.336.337

A finibus illis egreſſa. Ieſu benignitas animas attraxit, etenim pietas, & clementia adorationem conciliat, & potentiſſima eſt ad deuincendos animos. *c.1.v.5.diſc.5.n.2.3.4.* p.70.71

Domine fili Dauid. Cum filium Dauid nuncupat Ieſum, mirabilis ſapientia effulget in Chananæa, ad miſericordiam excitat Ieſum, ne propter peccata fœminam deſpiciat, quandoquidem Dauidis peccatoris genus elegit, vt peccatores alliceret. *c.2.v.2.expoſ.5.diſc.2.n. 5.* p.270

Fili Dauid. Pia fœmina in memoriam reuocat Dauidem, qui vmbra fuit, & imago Ieſu à Iudæis inſectati, & comprehenſi. *cap.2.v.21.diſc.2.n.5.* p.399

Fili Dauid. Preſſura, & calamitas familiarem Deo fecerunt Dauidem. *cap.1.v. 24. & 25.diſc.5.n.2.* p.219.220

Dauid. Dauidicæ, & Regiæ virtutis æmula Chananæa, quæ inſtar Dauidis columba muta extitit, ſine felle amaritudinis, & ad opprobria conticuit, cum audit ſe canem à Deo nuncupari. *c.2.v.4.expoſ.2.diſc.3.n. 6.* p.361.362

Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Aliena filiæ ærumna Chananæam vexabat. Alienæ calamitatis Sanctorum animos excruciant. *cap.1. v.4. diſc.2.* p.53.54

Malè à Dæmonio vexatur. Diabolus peccatorem in vincula conicit. *c.1.v.4.diſc.4.n.1.& 2.* p.56

Qui non reſpondit ei verbum. Deus alios exaudit in tribulatione ad damnationem, alios non exaudit ad vtilitatem. *cap. 1. verſ. 24. & 25. diſc. 4. num.6.* p.219

At illa venit & adorabat eum. Et cùm adoraſſet, reſpondet Ieſus: *non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Patitur repulſum, opprobriis oneratur, viliſſima canis nuncupatur Chananæa, & adhuc adorat? ſciebat vtique maledicta, conuicia, aduerſitates à Dao immiſſas amplexandas, exoſculandas, adorandas tanquam quid cœleſte, & diuinum. *cap.2. v.4.expoſ. 2.diſc. 4.* p.362.363, & ſingillatim *num.1.4.5..* p.362.363

Panem filiorum. Maxima Dei ſeueritas erga filios; amoris ſignum exhibet, cum eos percutit. *c.1.v. 2.diſc.3.* p.32.33

Et mittere canibus. Docet Ieſus quod aduerſitatis furorem prius experiatur, qui vult comedere panem vitæ. *c.2.v.22.diſc.6 n.7.* p.409

Etiam Domine: nam & catelli. Chananæa canis laudabilis, non vituperabilis, quæ fidei aſtu & odoratu inueſtigauit Ieſum. De canum ſolertia, & odorandi facultate. *c.2.v.22.diſc.10. à num.7.* p.421.422

Feria 6. poſt Domin. I. Quadrageſimæ.

Ioannis Cap. 5.

I*N his iacebat multitudo magna languentium.* Peccator diffidentiam pellundat, & deſperationem irridet, dum cernit omnipotenti medico, nullum deſperatum morbum. *cap.1. v. 6. diſc.3.* p.89.90

Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam. Angeli hominum ſalutem exoptant vt ſuppetias ferent, ad ipſos condeſcendunt. *c.2.v. 3. diſc.6.n.2. & 3.* p.332.333

Secundum tempus deſcendebat. Magni Conſilij Angelus tempus obſeruauit nouiſſimum, vt deſcenderet ad medelam languidi, vt in diei occaſu Orientem Solem Ieſum ægrotus deprehenderet. *c.2.v.2.diſc.1.n.7.* p.231

Et mouebatur aqua, vt cum turbata fuerit aqua. Cum peccator pœnitens piſcinam ſui pectoris commouet, & peccatorum aquam turbat, quanto plus amareſcit, de pœnitentia, & lacrymis, tanto ampliorem dulcedinem diuinæ pietatis experitur, & cœlitum irroratur gaudiis. *c. 1.v.18. diſc.5.n.1.2.4.5.6.7.8.* p.166.167.168

Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fiebat, &c.

Curandum eſt iuſto omni niſu aprehendere ſalutem, & præripere victoriæ palmam. *c. 2. v. 3. diſc. 7. n. 3.* p. 335

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua: Dei patientia, & longanimitas in expectandis peccatoribus, animarum metamorphoſis. *c. 1. v. 14. diſc. 2.* p. 139. 140

Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem. Solus Ieſus commiſertus eſt languidi, qui homini in ærumnis iacenti ſic coniacuit, vt illum à ſeruitiis morris, à peccati ruina eleuaret ad vitam. *c. 2. v. 12. diſc. 5. n. 1. 2. 6.* p. 409. 410

Vis ſanus fieri? Sententia mortis, & vitæ, ſanitatis, aut deſperandæ ſalutis de conſilio tuo prouenit. *c. 1. v. 6. diſc. 4.* p. 90. 91

Vis ſanus fieri? Lenitati confeſſorum erga pœnitentes exemologeſim operantes, diuina clementia ſuffragatur. *c. 1. v. 6. diſc. 1.* p. 86. 87

Reſpondit ei languidus: Domine hominem non habeo. Solus, & totus, & vulneratus Ieſus humanorum vulnerum, & languorum medicus. *c. 1. v. 6. diſc. 1.* p. 88. 89

Hominem non habeo. Poſtea Iudæi perquirunt. *quis eſt ille homo?* Ille homo eſt de quo prædixerat Iſaias: *quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* De quo poſtea Pilatus dixit: *Ecce homo. Vide cap. 2. verſ. 21. in commentario in 2. commentatione.* p. 394

Hominem non habeo. Habes hominem ô languide, qui tuam incolumitatem concupiſcit, & tuos ſuſpirat amores. *ibid. in 2. commentatione.* p. 394. *& diſc. 2.* p. 398. 399

Tolle grabatum tuum. Adeo formidandum, & graue peccati onus, vt giganteos, & Dei omnipotentes humeros penè opprimat. *cap. 1. v. 4. diſc. 5.* p. 58. 58

Tolle grabatum tuum. In huius pauperis animum vult Ieſus inſerere mundi deſpicientiam, cum ei imperat ſuper humeros portare grabatum miſeriæ, & lectulum mortis, facilè enim contemnit omnia, qui ſe cogitat morituros. *c. 1. v. 3. diſc. 5. num. 2.* p. 46

Et ambula. In domum tuam, ſcilicet cœleſtes manſiones expeditus, & velox; eſt enim creatus homo, vt proſpectet cœleſtia atria, & ad ea tendat. *c. 1. v. 2. diſc. 1 n. 4. 5. & 6 p. 29. & diſc. 2. n. 4. & 5.* p. 31

Et ambula. Felix, qui ſic greſſus ſuos dirigit ad ſuperna, vt nullis vitiorum hæreat obſtaculis. *c. 2. v. 3. diſc. 7 n. 1. 4. & 5.* p. 334 335

Erat autem Sabbatum in illa die. Quies & otium Sabbati benefactis ornatur, & completur. *c. 2. v. 1. expoſit. 4. diſc. 5 n. 4. & 5.* p. 261

Sabbato poſt I. Domin. Quadrageſimæ.

Require in Dominica ſequenti.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 17.

D*Vxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Alumnos ſuos ducens in montem Ieſus inſtruit mundialia omnia à tergo relinquere, *cap. 2. v. 3. in diſc. 5.* p. 330. 331

In montem: Mons Thabor exaltatur ſupra vertices montium, de gratia, & gloria cum cœlo certat. *c. 2. v. 3. in 2. expoſ. in commentario n. 5.* p. 320

Et transfiguratus eſt ante eos: Peculiare hominis ingenium ſibi ſoli vſurpare felicitatem, honoris, deliciarum excludere ſocios, diuinæ naturæ excellentia eſt Beatitudinis, fruitionis, ampliſſimi ſplendoris plures habere conſortes. *cap. 2. v. 3. diſc. 4.* p. 328. 329

Ante eos. In transfiguratione refulſit Sol in clypeos aureos Moyſem, & Eliam, Apoſtolos, vt montes gentium barbararum diuinis illuminarentur ſplendoribus. *c. 2. v. 3. in commentario n. 6. & 7.* p. 321

Et transfiguratus eſt ante eos. Pars maxima Chriſtianæ prudentiæ eſt, honoris lumina, gloriæ fulgores tempeſtiuè obtegere, & temperare. *cap. 2. verſ. 3. diſc. 2.* p. 324. 325

Excelſum ſeorſum. Illi præ cæteris ſcandunt ardua montis iuga, & apprehendunt ſanctitatis apicem, qui affectibus humanis violentiam inferunt. *cap. 2. verſ. 3. diſc. 7.* p. 334. 335

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Gloriæ decor, & lucidi ſplendores artificio aſciti, de virtute cordis intima non emanantes ſemper ſint tibi ſuſpecti. *c. 2. v. 3. diſc. 3.* p. 326. 327

Sicut Sol. Ieſus boni principis formam exhibet, qui tanquam Sol in Republica fulgere debet. *c. 1. v. 5. diſc. 1. n. 1. & 3. p. 64. & n. vltimo.* p. 65

Sicut Sol. Sol nuncupatur Rex, quia vitiorum vmbras ab aula expellit. *cap. 1. v. 5. diſc. 1. n. 4.* p. 65

Sicut Sol. Solaribus radiis principis, non luſcioſus, ſed purus gaudet oculus. *ibid. n. 5. & 6.* p. 65,

Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Glorioſior Ieſus Salomone, qui veſte candidâ, & curru vectus egrediebatur ſtipatus ſplendentium militum ſatellitio. *cap. 1. v. 5. diſc. 1. num. 2.* p. 64. 65

Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Lucæ *c. 9. v. 31.* colloquium exprimitur: *Et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Cùm de paſſione, & morte diſſeritur, vultus Ieſu, vt Sol fulget, veſtimentum vt nix albeſcit, quia pulchritudo, quæ non ſolùm naturæ liberali munere, ſed expugnatione, & labore comparatur, Deo, & cælicolis gratior. *c. 2. v. 3. diſc. 1.* p. 322. 323

Domine bonum eſt nos hic eſſe. Non benè ordinatus in Thabor amor Petri, qui ſibi conſulit poſthabita orbis totius ſalute. *c. 1. v. 21. diſc. 2. n. 4.* p. 192

Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Cauendum eſt iuſto, ne nubem diuinæ protectionis à ſe propellat malis operibus. *c. 1. v. 6. diſc. 4. n. 5.* p. 91

Ipſum audite. Solus Ieſus Prophetarum magiſter. *c. 1. v. 1. prælud. 5. & 6.* p. 23. 24

Feria II. poſt Domin. II. Quadrageſimæ.

Ioannis Cap. 8.

I*N peccato veſtro moriemini.* Caue ne menſuram peccatorum vſque ad cumulum impleas, nam menſuram miſeriarum, & ſuppliciorum ſuper te effundes. *c. 1. v. 4. diſc. 6.* p. 59. 60

In peccato veſtro moriemini. Maximè curandum homini, ne dies nouiſſimus imparatum inueniat. *cap. 2. verſ. 2. expoſit. 2. diſc 3.* p. 234. 235

In peccato veſtro moriemini. Semel, & iterum has minas formidabiles iactat Ieſus, quia nihil lamentatione dignum, niſi peccatum, & mors animæ. *c. 1. v. 4. diſc. 1.* p. 52. 53

Quò ego vado vos non poteſtis venire. Nullus eſſe valet Ieſu ſectator, niſi qui à mundialibus ſe exuit,

c.2.v.2.expoſ.3.diſc. 2.num.2.& 3. p.241

Et dicebat eis: vos de deorſum eſtis. Honore, & dignitate hominis ſpoliat, & iumenta nuncupat Iudæos cum non inſtar hominum aſpiciant ſuperna, ſed inſtar animantium ad terrena ſint proni.*c.2.v.3. diſ.10.num.2.& 4.* p.240.341.*c.1. v.2. diſc.2. num.3.& 5.* p.30.31.Iudæi iumentis ipſis ſtupidiores.*cap.1. v.3.* in commentario literæ per omnes numeros. p.38.39

Vos de deorſum eſtis. Deſcenſus ſemper feraliſſimus, & nunquam non extremas ærumnas ominatur. *c.2.v.3.diſc.10.n.1.4.5.* p.340.341

Ego de ſupernis ſum. Cœleſtium hominum, & diuinorum munus ſuſpirare cœleſtia, cogitare de ſupernis.*cap.1.verſ.5. diſc.13.* p.85

Dicebant ergo Iudæi: numquid interficiet ſemetipſum? Contra Ieſu potentiam, & imperium, quod habebat in mortem, iacula intorquent impij Iudæi, ipſe ſolus mortuus eſt, quando voluit, quomodo voluit. *cap. 2. verſ. 21.diſc.3.* p.402.403

Vos de mundo hoc eſtis: ego non ſum de hoc mundo. Ille abſtractus à ſæculo, & peregrinus à mundo qui perpetua quadam profectione ad Dominum migrat.*cap. 2.v.3.diſc. 8. num. 1. 2. 3. & vltimo.* p.336.337. *& diſc.5.n.6.* p.327

Ego non ſum de hoc mundo. Verus Ieſus peregrinator, qui quotidie animam efflabat pro hominis ſalute. *cap. 2.v. 21. diſc. 2.* p.398.399

Vos de hoc mundo eſtis. Iudæi ignaui milites, neſciunt affectuum incurſionibus fortiter, reſiſtere.*cap.1. verſ. 16.diſc.3.n.1.* p.147.148

Tu quis es? Dixit eis Ieſus: principium qui & loquor vobis. Commendat humilitatem ſuam Ieſus, qui cum eſſet primus, factus eſt loco, & tempore omnium nouiſſimus.*cap.2.v.2.diſc.1. ſingillatim num.4.* p.231

Qui & loquor vobis: & : hæc loquor in mundo. Nunc cum hominibus fatur, qui de reparatione cœleſtis paradiſi locutus eſt cum Angelis in mundi exordio.*cap. 1.verſ. 2. præludio. 2. num.1.& 2.* p.17

Qui miſit me, verax eſt. Ornamentum, & firmamentum domus Dei veritas eſt, ab omni fuco mendacij, & adulationis aliena. *c. 1. v. 2.præludio. 4.* p.21.22

Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum. In Cruce pendens Ieſus, vltimo clamore, extremoque vitæ halitu ze. atus eſt hominum ſalutem.*cap.2.verſ. 3. diſc.6.n.vltimo.* p.334

Feria III. poſt Dom. II. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap.23.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Valde arduum in apice dignitatis ſeruare moderamen. *c.2.v.2. expoſ. 5. diſc.3. n. 2. 4.5.6.* p.271.272.*& ibidem diſc.4.num.* 5.p. 275.Tenuit Moyſes hanc moderationem.*ibid.*

Super cathedram Moyſi. Moyſes Prophetarum apex, pædagogus, literator Iudæorum.*c.1.v.2.in commentario n.5.* p.14

Super cathedram Moyſi, Moſaicæ ſapientiæ domus ab ſponſa ſacra derelinquitur, vbi inuenit Ieſu Athenæum.*c.1.v.2.præludio 6.n.4.* p.25

Super cathedram Moyſi: & id vnus eſt enim magiſter veſter. Sine Ieſu magiſterio Moyſes nihil ſapit, quo gymnaſiarcha inſtructus eſt omnibus diſciplinis.*c.1. v. 2. præludio 5.& 6.*p.23.24. *& cap.2.v.2.expoſ.4.diſc.3. num.3.* p.257. Moyſes ſicut puer cum tabella prima elementa ſapientiæ didicit coram ludi magiſtro, Deo. *cap. 1. v. 2. prælud.5.num.1. & 2.* p.23. De mundi exordio à Deo inſtituitur.*ibid.n. 3.* p.23

Chriſtus Moyſi os aperuit, & illuminauit mentem, vt myſteria cognoſceret. Præludio *6. n. 5. & 6.* p.25

Dicunt enim, & non faciunt. Sacerdotij maieſtas, & dignitas operibus ornatur. *cap.1. v. 5. diſc.7. n.1.& 3.* p.73.74

Dicunt enim, & non faciunt. Apud Moyſen, & eius aſſeclas præualent ſplendores, apud Ieſum eiuſque ſectatores opera. *cap. 2.v. 2. expoſ. 4. diſc.5.* p.260.261

Alligant enim onera grauia, & importabilia. Oportet (inquit Chryſoſtomus hîc) *bonum principem eſſe manſuetum & onus alleuiare.* Semper Deo inuiſus Princeps, qui nimis aggrauat populum iniquis, & violentis exactionibus. *c.1.v. 23.diſc.4.* p.208.209

Dilatant enim phylacteria ſua. Alligabant in angulis veſtimentorum acutiſſimas ſpinas, vt iis puncti, & ſtimulati excitarentur ad miniſteria ſeruitutis Dei, teſte Hieronymo. Stimulus pœnitentiæ, corda compungens, pro breuiſſimo dolore pœnas æternas commutans, præ omni ornatu diploïdis optandus. *c.1.v. 18. diſc.3.* p.162.163

Et magnificant fimbrias. Habet iuſtus fimbrias quas tutè magnificet, & de iis ſecurè glorietur, extremos nimirum vitæ dies bonis operibus ornatos. *cap. 2.v.2. diſc.3. ſingillatim. n.2.* p.234

Et magnificant fimbrias. Magnificentia omnis & gloria Deiparæ à fimbriis, faſciis, zonis quibus inuoluit, & cinxit Ieſum. *cap. 2. verſ. 2. expoſit. 6. diſc. 13. §. 2. præſertim num. 3.* p.313

Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Perículoſus valde nimius appetitus. oſtentandi ſplendores. *cap. 2. verſ. 3. diſc. 2.* p.324

Feria IV. poſt Domin. II. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 20.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum. Omnes aſcendunt, at ſolus Ieſus traditur; ille verus amor, qui propriâ incolumitate poſthabitâ, in diſcrimina, & mortem irruit audacter, vt paret dilectis, & amicis ſalutem. *cap. 2. verſ. 2. expoſ. 3. diſc. 4. ſingillatim num. 1 & 2.* p. 244. 245

Tradetur. Cùm duodecim diſcipulos aſſumpſit & coram hæc verba protulit, Iudas aderat, quem tandiu ſuſtinuit: Hominem, qui ſupplantationem tibi & proditionem machinatur, agnoſcere, & ſufferre, eximium decus tolerantiæ eſt. *cap.2. verſ. 22. diſc. 6. ſingillatim n.1. 3.4.& 5.* p.411.412

Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum. Oſtendit hominem ſe eſſe verúmque Deum cum tradidit ſe cruciatibus. Poſſe mori hominis eſt, velle mori, & pro arbitrio ſubiicere ſibi mortem hominis non eſt.*c.2.v.22.diſc.3.* p.402

Et tradent eum gentibus ad illudendum. Hoſtium ſubſtan

ſubſannantium malitiam confregit Ieſus mirâ taciturnitate, & tolerantiâ. *cap.2.v.4. expoſit.2. diſc.1.* p.358.359

Et tradent eum gentibus. Strenui pugilis eſt nullum certamen refugere aduerſariorum. *c. 2. v.22. diſc.7.n.8.* p.414

Et flagellandum. Anteuertere hoſtium conſilia, & ad ipſas ſe parare plagas, felix eſt victoriæ auſpicium. *c.2.v.22. diſ.7.* p.409. *& c.2.v.2. expoſ.3. diſc.3.n.1.* p.243

Et die tertiâ reſurget. Fortunatus valde halitus Ieſu, qui non ſibi ſoli ſed aliis vitam immortalem donat. *c.2,v.22.diſc.5.* p.409

Et crucifigendum. Cupit Ieſus iuſtum compaſſionis memoriâ compenſare ipſius paſſionem, *cap.2.v.22.diſc.2.parte 2.diſcurſus.* p.400

Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis. Maternus affectus erga liberos eximius, plenus audacia, in cruces, & mortes irruit intrepidus, vt paret incolumitatem & honorem natis. *cap.2. v. 2.expoſ.3.diſc.4.* p.244.245

Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram., &c. Strenuus Chriſti miles non de honore cogitat, ſed de bello inferendo ſuis affectibus. *c.2. v. 3. diſc.7.* p.334.335

Neſcitis quid petatis. Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis miſericordia non dubitatur: quis ambigit Ieſum ſui regni, & beatitatis admittere conſortes: *cap. 2. verſ.3.diſc.4.* p.328.329

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Suos aſſeclas Ieſus inſtituit bellatores violenter expugnare, & deprædari cœleſtia, pérque gladiorum, & lancearum cuſpides ad Deum ire. *c.1.v.18.parte 1.diſc.2.* p.178

Quem ego bibiturus ſum. Purpureus Ieſu latex effuſus in paſſione viuidos ſpiritus, & halitus Martyrij efflat. *cap.1. verſ. 18.parte 2.diſcur.4.* p.182

Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis. Ille magiſtratus felix, quem non fauoris aura, ſed bellica fortitudo, aut animi integritas, & in adminiſtrandis Reipublicæ negotiis fides, ad latus Regis euexit. *c.1. v.13.diſc.1,* p.202

Non eſt meum dare vobis. Qui publico bono poſthabito, proprio emolumento proſpicitis, qui in altis ſedet, priuatis commodis contemptis, publico bono, & emolumento proſpiciat. *c.1.v.21.diſc.2.* p.191

Feria 3. poſt Domin. II. Quadrageſimæ.

Lucæ Cap. 16.

HOmo quidam erat diues. Diues iniquus pauper eſt, iuſtus pauper ditior diuite, cum ipſo Deo de nullius indigentia, & felicitate contendit. *c.1. v.11.diſc.3.* p.114

Diues. Diues renuit ſequi Chriſtum, exhorreſcit Euangelicam nuditatem. *cap.2. verſ. 2. expoſit.3. diſc.3.n.vltimo.* p.244

Et induebatur purpurâ. Iudæorum crimina inſtar purpuræ rubeſcunt ratione Deicidij. *cap.1. v.18.* ad ea verba: *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum.* in commentario per tres numeros poſtremos. p.156

Purpura. Animarum ſtolas penitus imbutas coccineo ſcelerum fuco, in niueum candorem immutat Ieſus. *cap. 1. verſ. 18.* ad ea verba: *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum.* in commentario per omnes numeros. p.154.155.156

Induebatur purpurâ. Eccleſia non tam induitur materiali purpurâ ad ornatum & delicias, quàm Ieſu Regio ſanguine ornatur ad ſpeciem, & candorem: quare in vermiculo vel ſacro murice, ex quibus coccinum fucatur, Ieſus proprio ſanguine rubens, & peccata hominum expungens demonſtratur. *c. 1.v.18.in 2.parte, diſc.1.* p.175. 176

Induebatur purpura, & byſſo. Aptior & potentior ad placandum diuinum numen ſaccus, quàm purpura. *c.1.v.18. diſc.7.* titulo: *Phœnicis cineres. n. 3.& 4.* p.170

Et erat quidam mendicus. Pauperis iniuriâ oppreſſi lacrymæ, regna diruunt, imperia euertunt. *c.1. v.8.diſc.1.* p.92

Vlceribus plenus. Tolerantia, & fides, tribulationis conflatorio purior redditur. *c.1.v.25.diſc.3.* per quatuor priores numeros. p.216

Vlceribus plenus. Aperturæ vulnerum interiora virtutum ornamenta in iuſtis viris manifeſtant. *c.1.v.25.diſc.3. n.5.& 7.* p.217

Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. Iuſtus pauper carens temporalium micis, diuini Regis conuiuio accumbit, & cœlitum dapibus fit ſaturus. *cap.2. verſ. 2. expoſit.3. diſc.1.* p.239

Et nemo illi dabat. Quinimo diues ab illo auferebat mediis canibus ſubſtantiam ſuam vulnera lingentibus, pus ſugentibus. Iniquam, & violentam exactionem pauperum Deus graui ſupplicio multat. *c.1.v.23.diſc.4.*p.208. *& diſc. 5.* p.209. 210.211

Sed & canes veniebant, & lingebant vulnera eius. De ſacris canibus vſurpat hanc Euangeliſtæ ſententiam Ambroſius, Fidei zelum, pietatemque in iis collaudat; *Beati canes, in quos vlcerum talium diſtillat humor,* (vulnera Saluatoris intelligit in Lazaro adumbrati) *vt impleat cor, quo cuſtodire domum, ſeruare gregem, cauere aſſueſcant lupos, & quia panis verbum eſt, fides autem verbi eſt, mica velut quædam dogmata fidei ſunt, myſteria ſcilicet ſcripturarum.* Diuinis præconiis extollendi canes, qui narium ſuarum halitu ſerpentigena hæreticorum monſtra de ſuis luſtris extrahunt, & exſcindunt. *cap.2. verſ.22.diſc.10.* p.420

Et portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Abraham in cœleſtibus conſtitutus ornatur charitatis affectu erga pauperes. *cap.2.verſ. 2.expoſ.6.diſc. 12.n.7.* p.309

In ſinum Abrahæ. Ampliſſimum iuſtorum decus in cœleſtibus recipi, & habitare in ſinu Mariæ. ibidem.

Et portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Iuſti pauperes è vita decedentes deportantur ab Angelis in Abrahæ gremium, at Abraham propter humilitatem ſuam deportatur à Sole iuſtitiæ ad cœleſtia atria. *cap. 1. verſ. 18. diſc. 7. num. 7.* p.170

Vide verbo *Abraham*, & reperies quàm plurima.

Feria VI. poſt Domin. II. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 21.

HOmo quidam erat paterfamilias, Eximium diuini amoris decus, quod viliſſimum hominem Deus velut filium delicatum foueat, & nutriat. *c.1.v.2.diſc.3.* p.32.33

Plantauit vineam & ſepem circumdedit ei. Viri iuſti vrbium, & populorum munimen, & tutamen. *c.1.v.10.diſ.4.* p.106.107

Et fodit in ea torcular. In Paſſione, & ſanguinis effuſione expertus eſt Ieſus vindemiæ torturam, & preſſuram. *cap. 1. v. 18.parte 2. diſc. 1.n. 1. 2. & 3.* p.175.176

Fodit in ea torcular. Regnum Dei eorum eſt, qui ſibi vim inferunt, ſuos affectus torquent, & cruciant,ne in improbitatem erumpant.*c.2.v.3. diſc.7.* p.334

Et ædificauit turrim. Per torcular, & turrim templum,& altare intelligunt patres. Dum religioſum Salomonici templi altare Deus reſpuit, omnia altaris incenſi, ſeu thymiamaris inſignia ad altare Euchariſticum tranſtulit. *c. 1. v. 13. parte 2.*titulo: *Ara Iudaica, & Chriſtiana comparatio.* p.123

Et ædificauit turrim. Euchariſtiæ veneratio, & altaris cultus, triumphos parit inclytos,& Imperia roborat perpetua ſtabilitate. *c. 1. v.13.parte 2. diſc.3.* p.128

Et ædificauit turrim. Ex eminentia legis antiquæ tanquam ex turri ſpeculationis proſpectabant diuini Vates Saluatoris aduentum; ideo nuncupantur videntes.*c.1.v.1.quæſt.1.proœm.* p.3

Ædificauit turrim. In Eccleſia Chriſti ſacræ Inquiſitionis Tribunal Catholicæ Fidei præſidium eſt, & turris, quæ ſpeculatur praua dogmata, & diſpellit tenebras erroris.*c.2.v.2.diſc.9. num.2.& 3.* p.301.302

Et locauit eam agricolis. Nulla apud Deum felicitas, cuius non ſit conſors homo. *c. 2. v. 3. diſc.4.* p.328

Et peregrè profectus eſt. Ab antiquo templi tabernaculo Deus fugit; ab Euchariſtiæ mapalibus ne diſcederet, vinculis amoris religatur Ieſus.*c. 1.verſ.8.diſc.5.* p.98

Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet. Non inter mundialia folia, ſed inter virtutum fructus inhabitat Ieſus, & ſicut frugiferas mentes ambit, ſteriles ſpernit.*cap. 1. v.8. diſc.2.* p.93

Miſit ſeruos ſuos ad agricolas. Agricolæ ſunt Sacerdotes, & Leuitæ,à quibus prouentus ſanctimoniæ, & puritatis exigit paterfamilias: terrenis affectibus intactus debet eſſe Sacerdos,& in regione incorruptionis tanto ſpiritu ſanctificationis perfrui, vt ipſum Deum quodammodo ſanctificet.*cap.1.v.5. diſc.11.* p.81

Ad agricolas, Sacerdos agricola eſt,qui cœleſtem patrem exorat, vt peccatoris exciſio protelerur. *cap.1 v.5.diſc.8. n.vltimo.* p.76

Apprehenſis ſeruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt. Require in ſermone ſancti Stephani.

Auferetur à vobis regnum Dei. Infelix populus, à quo diuinæ protectionis nubes diſceſſit. *cap.1. verſ.8. diſc. 4.ſingillatim numero vltimo.* p.98

Sabbato poſt Dom. II. Quadrageſimæ.

Lucæ Cap. 15.

Peregrè profectus eſt in regionem longinquam. Qui à Deo recedunt, Dæmonem conſiliarium vitæ, & viæ ducem ante faciem portant.*c.1 v.4. diſc.7. n.1.2.4.* p.60.61

Vt paſceret porcos. Cerne in quantam vilitatem degenerauit homo, ſtolidior factus eſt iumentis.*c.1.v.3. diſc.4.* p.44

Et cupiebat implere ventrem ſuum. Mundialia omnia famelicam relinquunt animam, in ſolo pane vitæ plenus eſt Deus, plenuſque cibus omnes corporis ſenſus, animique deſideria adimplens. *cap. 1. verſ. 11. diſc. 1. p.111. 112*

In ſe autem reuerſus. Dei patientia, & longanimitas belluinam vitam, in cœleſtem, & Angelicam transfert.*c.1.v.3.diſc.5.p.46.& v.14. diſ.2. p.138*

In ſe autem reuerſus. Diuinæ omnipotentiæ æmulum liberum hominis arbitrium, in cuius conſilio poſuit Deus animi ſalutem. *c. 1.v.6. diſc.4. n.2.3.5,* p.90.91

Pater peccaui. Ex amara doloris, & pœnitentiæ myrrha ſuffitus efflatur ſuauiſſimus, quo Deus & omnes recreantur cœlicolæ.*c.1.verſ.18.diſ.2.* p.160.161

Peccaui in cœlum. Velut pudore ſuffuſi, & offenſi apparent cœli, ſcum homo creatus erectus ad ſidera, vt animo oculiſque luſtret cœlum, ad terrena abiicit mentem. *cap. 1. verſ. 2. diſc. 1.* p.28.29

Peccaui in cœlum. Cœleſtium obliuio amorem inducit terrenorum: cœlorum aſpectus, & recordatio deſpicientiam mundialium ingenerat animis.*c.1.v.2.diſc.2. Vide præſertim num. 3.& 4.* p.30.31

Et coram te. Dei præſentia, & timor vitiorum irritamenta ſuperat, luxuriæ illecebras & tricas diſſoluit. *cap. 1. verſ.16.diſc.5.* p.151

Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordià motus eſt. Tanta Domini clementia in expectandis peccatoribus, vt opprobria imbecillis, & tardipedis apud quoſdam ſuſtineat, ne quid longanimitatis homini deficiat.*c.1.v.14.diſc.1.* p.138

Et accurrens. Deus ad benefaciendum aliger, ad caſtigandum ſerus, & tardus.*cap. 1.v.14.diſc.3.* p.141

Cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Peccator inter amaritudines compunctionis Dei amore delibutus, cœlitum irroratur gaudiis.*c.1. v.18. diſc 5.* p.156

Citò proferte ſtolam primam. Supra nitorem ſiderum, & Solis fulgores ſplendet anima per gratiam.*c.1.v.18.parte 2. diſc. 6.p.185. vide amabo ſingulatim.n.5.& 6.* p.186

Epulemur, & reuixit. Benè manducabis alimentum vitæ, ſi attuleris ad eſum cibi plenitudinem mortis. *c.1.v.11.diſc.2.* p.113

Mortuus erat, & reuixit. Inclinauit ſe ad conuiuium, & prandium Deus, vt conuiuari, & conuiuere facerer mortuos peccatores. *cap. 2. verſ. 22.diſc.5.præſertim n.2.* p.409

Dominica III. Quadrageſimæ.

Lucæ Cap. 11.

ERat Ieſus eiiciens Dæmonium. Hominis à poteſtate Dæmonis liberandi non erat in Ieſu nouitium munus, nam ab orbe condito, & à diebus æternitatis ad opus redemptionis, & hominis ſalutem ſeſe accinxit. *c.2. v. 2. diſc.2.* p.232

Eiiciens. Mira Ieſu virtus, quæ ſolo verbo aſpectu ſeuero, aut halitu hoſtem vicit, Dæmonem ab homine expulit, *cap. 2. verſ. 21. diſc.1.* p.396

Erat

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Tarditatem, & moram ſuis verbis innuit Euangeliſta non vt deprimat Saluatoris poteſtatem, qui vel ſolo nutu, ictúque oculi hoſtem proſtrauit, ſed vt inſtruat diſcipulos ſui muneris eſſe à mortalium pectoribus Dæmones propulſare. Magna hominis præſtantia, cui data eſt virtus eruendi de humani pectoris antro, & halitu interficiendi perfidiæ colubrum. *cap.2. verſ.22. diſc.10.* 6.420

Et illud erat mutum. Surdum, cæcum, & mutum alij Euangeliſtæ nuncupant; humanæ arcis ianuis & vectibus occupatis, & deuictis ſenſibus, facilè animus à forti armato capitur; ſubiuga ſenſus tuos, & quod in te carnaliter dominatur, & nullo negotio hoſtem à te propelles. *c.1. v.16. diſc.2.* p. 146

Et cum eieciſſet Dæmonium locutus eſt mutus. Confeſſorum clementia erga exomologeſim operantes fiduciam inſerit, & linguam ad confeſſionem peccatorum reddit diſertam; nimia ſeueritas os claudit, deſperationem inducit. *c.2. v.6. diſc.1.* p.86.87

In Belzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. In patrandis facinoribus Deus nullum admittit alterius Deitatis, vel poteſtatis conſortium. *c.2. v.21. diſc.2.* p.386

Beelzebub. Deus muſcarum interpretatur, vt hoſtem tuum intelligas impudentiam, & importunitatem muſcarum in incurſionibus ſuis oſtentantem, ſed Beelzebub vincitur, cum deſpicitur, & contumeliis afficitur. *cap. 1. v. 16. diſc.6.* p.152.153

Principe Dæmoniorum. Inter Dæmones ſunt, qui tenent capitalium criminum principatum. *c.2. v. 21. diſc.1. n. vltimo.* p.386

Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur. Dæmonum diſcordia concors ad hominis exitium. *c.2. v.21. diſc.3.* p.388

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Diabolus peccatorem tanquam fugacem ſeruum in vincula coniicit, & omnes aditus præcludit, ne viam ſaluris inueniat. *cap.1. v. 4. diſc. 4. num. 1. 2. & 4.* p.56. & *cap.1. v.16. diſc.1. num.3. 4. & 6.* p.145

Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum. Ieſus ſemper victor, quia vbique paratus extitit ad pugnam, nec vllum hoſtis certamen recuſauit. *cap.1. v.22. diſc.7. ſingillatim. n.8.* p.415

Et ſpolia eius diſtribuit. Ille ſolus ſpolia animarum diſtribuit, qui iniuſtè mortuus, iuſtè viuens, iuſtè mortuos reuocauit ad vitam. *cap. 2. v.22. diſc.5.* p.409.410

Beatus venter, qui te portauit. Mariæ magnalia ex portatione Ieſu in vtero. *c.2. v.2. expoſ.6. diſc.13. §.1.* p. 311.312

Et vbera quæ ſuxiſti. Maria Angelorum gloriam tranſcendit, quia Dei nutrix, & gerula. *ibidem. §. tertio.* p. 315

Feria II. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

Lucæ Cap. 4.

Medice cura te ipſum. Optimus Medicus Ieſus, qui iudaicis opprobriis appetitus præſentiſſimum pharmacum oſtendit patientiæ & taciturnitatis ad conuitia. *cap. 4. verſ. 4. expoſ. 2. diſc.2.* p.358

Fac & hic in patria tua. Salus & redemptio propriæ nationis; aut patriæ etiam ſanctos viros vehementer angit, & ſolicitat. *cap.1. v.4. diſc.3.* p.55

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Iuſti tanquam peregrini à patria, abalienati à ſæculo, quotidie ad Dominum migrant. *cap. 2. v. 3. diſc.8.* p.50.51

In patria ſua. Ieſus de inferiori genere, & humili natali gloriatur. *cap.1. v.10. diſc. 1.* p.102. 103

Quando clauſum eſt cœlum. Maria reſeratrix eſt cœleſtis paradiſi: *c.1. v.13. diſc.4.* p.122

Quando clauſum eſt cœlum. Ante Domini aduentum, ſcripturæ arcanæ cœlum claudebatur, adueniente Ieſu ſit patulum. *c. 1. v.1. prælud. 7. n. 6. & 7.* p.27

Ad mulierem viduam. Qui Ieſum ſuſcipit fontem ſapientiæ, limpidiſſimis fluentis ſcientiarum irrigatur. *Anima* (inquit Baſilius hic apud ſanctum Thomam) *poſtquam diuinum verbum recipit, docetur irrigare fontem vitæ doctrinam veritatis.* Vide *c.1. v.2. expoſ.4. diſc.3.* p.256.257

Niſi Naaman Syrus. Cuius caro ex lauacro fluminis tanquam caro pueri dealbata. Egregium Spiritus ſancti opus, hominis per pœnitentiam innouatio, cum depoſitis criminum exuuiis nouæ vitæ formam animus induit. *cap.1. v.18. diſc.1.* p.158

Eiecerunt illum extra ciuitatem. Qui Deum reiiciunt, à facie Domini, & contubernio ſanctorum proiiciuntur. *c.2. v. 6. diſc.1.* p.86.87

Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis. Duxerunt illum ad montem Moriah montem luminis, & illuminationis, vt cæcos argueret, qui Ieſum lucem animarum conciliatricem, reſpuunt. *cap.2. v.2. expoſ.4. diſc.4.* p.258

Duxerunt illum. Ipſi præibant, Ieſus ſequebatur, ſic iniqui inuertunt ſapientiæ ordinem: Deum retrorſum abiiciunt, & Dæmonem viæ ducem ante faciem portant. *cap. 1. verſ. 4. diſc. 7.* p.60.61

Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. In Ieſu poteſtate vita, & mors, cuius arbitrio tempora obſecundant. *cap.2. verſ. 22. diſc.3.* pag. 402. 403. & *cap. 2. verſ. 2. expoſit. 3. diſc. 7.* p.250.251

Feria 3. poſt Domin. III. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 18.

Si peccauerit in te frater tuus. Agnoſcere fratrem honori meo inſidiantem, opprobriis me onerantem, & patienter ſuſtinere, eximium decus Chriſtianæ tolerantiæ eſt. *cap. 2. v. 22. diſc. 6.* p.411.412

Vade & corripe. Patientia, & taciturnitas iniuriis offenſi vocaliſſima correptio eſt conuiciantis. *c.2. v.4. expoſ.2. diſc.2. n.1.2. & vltimo,* p.358.359. & *diſc.3. n. poſtremo,* p.361.362

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Patientiæ, & correctionis tuæ lucrum eximium eſſe fratris redemptorem. *cap. 2. v.4. expoſ.2. diſc.6.* p.366

Lucratus eris fratrem tuum. Felix qui non ſolitarius, ſed ſtipatus ſpiritualium filiorum ſatellitio ſcandit cœleſtia atria. *cap.2. v.3. diſc.6.* p.332

Dic Eccleſiæ, Id eſt, Sacerdotibus, & his qui Eccleſiæ præſident, vt notat os aureum. Gladium poteſtatis, & correptionis iniuria afficit Sacerdos,

cum in vagina reconditum tenet, limatum & fulgurantem contra delinquentes non eximit. *c.1.v.5.diſc.9.* p.77.78

Si autem Eccleſiam non audierit. ſit tibi, &c. Contumaces, & inſanabiles à communitatis corpore exſcindendi. *c.2.v.6.diſc.2.* p.372

Sit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Nullius peccatoris deſperanda ſalus. *Sit tibi tanquam ethnicus* (inquit Auguſtinus) *nec ſic tamen ſalus eius negligenda eſt. Nam & ipſos ethnicos, id eſt, gentiles & paganos, in numero quidem fratrum non deputamus, ſed tamen eorum ſalutem ſemper inquirimus.* Vide *c.2.v.4 diſc.3.n.1.2.3.& 7.*p.354.356, *& c.2.v.3.diſc.9.n.1.2.5.& 6.* p.338.339

Quacumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Eximium dignitatis decus hominem in terris poſitum cœlis imperitare, & inter Angelorum choros iudiciariæ poteſtatis exercere virtutem. *cap.1. verſ.2.expoſ.5.diſc.6.num.3.& 7.* p.278.279

Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo. Solis iuſtitiæ Ieſu proprium eſt ſociare ſeparata, & vnire diuiſa. *c.2.v.2.expoſit. 4. diſc.4. num. 1.3.4.6.* p. 258.259.260

Tunc accedens ad eum Petrus dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Sacerdotem, munus mediatoris inter Deum & homines exornat. *c.1.v.5.diſc.8.* p.75.76. De Petri interceſſione. *cap.2.v.2.expoſ.5. diſc.2. num. vltimo.* p.270.271

Vſque ſepties? Petri lapſus permiſſus à Deo, vt maiora ſigna pietatis erga labentes peccatores oſtenderet. *c.2.v.2.expoſ.5. diſc.2.* p.269

Non dico tibi vſque ſepties. Charitatis ignis in pœnitente omnia peccata exurit. *c. 1. v.18. diſc.4.* p.164

Feria 4. poſt Domin. III. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap.15.

QVare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Tanquam quid inſolitum mirantur Iudæi, vel leuiſſimum defectum in diſcipulis Domini, in quibus debet eſſe cœleſtis puritas. *c.1.v.2.prælud.4.* p.21.21

Non enim lauant manus ſuas. Mundiciam ſolicitè perquirunt in manibus alienis, qui habent manus madentes iuſtorum ſanguine. *c. 1. v. 15. in commentario littera.* p.143

Non enim lauant manus ſuas. Sacerdos in regione incorruptionis tanto ſpiritu ſanctificationis debet perfrui, vt ipſum Deum quodammodo ſanctificet. *c.1.v.5. diſc.11.* p.81.82

Cum panem manducant. Tanquam vnum de cœlicolis, & Angelorum choro viuere Sacerdotem cogunt Deitatis ſpeculum, & quotidianum puritatis oſculum. *c.1.v.5.diſc.12.* p.83.84

Non enim lauant manus. Iudicum manus ſint puræ, & ablutæ à munerum ſordibus. *c.1.v.13.in commentario litera* p.201. *& diſc. 3.* p.162.163

Non enim lauant manus ſuas. Iuſtitiæ virginis incorruptæ decus, & florem intactum debet cuſtodire iudex. *c.1.v.21.diſc.3.* p.193.194

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Ieſu animoſitas ad tuendos diſcipulos, audacia auſum exprimitur, quâ protegunt ſuos natos à ſerpentis morſu, & capitaueræ auis vnguibus. *c.2.v.2.diſc. 4.* p.235

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Inuictum oſtentet antiſtes animi robur ad coërcendos improbos, & feriendos gladio poteſtatis. *c.1.v.5.diſc.9.* p.77.78

Quare & vos, &c. Pro Dei gloria, & populi ſalute ſanguinem, & vitam profundere paratus ſit Dei Sacerdos. *c.1.v.5.diſc.7.* p.73.74

Cor autem eorum longè eſt à me. Gratum Deo & cœlicolis ſacrificium, cum de diuini amoris foco flammiferum cor litatur ſuperno numini. *c.1.v. 5.diſc.10.* p.79.80

Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas. Ille Eccleſiaſtes ritè Deum colit, qui de ſapientiæ fonte Ieſu limpidiſſimo ſcientiarum fluenta haurit. *c.2.v.2.expoſ.4. diſc.3.* p.256.257

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt. Ex humano corde quantumuis ſanctimoniâ decorato impuræ, & improbæ cogitationes pullulant, ſed damnum non afferunt, dum conſenſum non inferunt. *c.1.v.16.diſc.1.* p.144

De corde enim exeunt cogitationes malæ. Eximium Chriſtianæ perfectionis decus non tantum ab opere iniquitatis, ſed etiam à cogitatione abalienare mentem, ideóque verbum Dei carnem induit, vt improbos animi motus diſceres compeſcere. *cap. 1. verſ. 16. diſc. 3.* p.147 148

Cogitationes malæ. Principiis improbi cogitatus obſta, & primos hoſtium ictus retunde, & facilè triumphum eriges. *cap. 1. verſ. 16. diſc.14.* p. 149. 150

Feria 5. poſt Domin. III. Quadrageſimæ.

Lucæ Cap.4.

SOcrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Omnipotenti Medico nullus morbus magnus, aut inſanabilis eſt. *cap. 1. verſ. 6. diſc. 3.* p.89.90

Et ſtans ſuper illam, &c. vt ipſo habitu, ipſa ſtatione perterrefaciat languorem, & mortem. *c.1.v. 22.diſc.1.* p.396

Et continuè ſurgens miniſtrabat illis. Manifeſta indicia recuperatæ ſalutis animi, ſi Ieſu ſeruias, eique deferas vitæ veteris exuuias. *c.1.v.18.diſc.9.* p.173.174

Imperauit febri & dimiſit illam. Et nos (inquit Cyrillus) *ſuſcipimus Ieſum: cum enim viſitauerit nos, & portamus eum in mente, & corde, tunc enormium voluptatum æſtum extinguet.* Quam ſententiam de ſuſcipientibus Ieſum in ſacramento Euchariſtiæ vſurpa, egregium enim eſt Euchariſtiæ facinus, inter gliſcentes vitiorum flammas, & Babylonica Veneris incendia impolluto calle tranſire iuſtum. *c.1.v.13. parte 2. diſc. 1.* p.125.126

Imperauit febri. Felix languor, & tribulatio, per quam ad nos venit Ieſus, & ipſius viſitationem promeremur. *cap. 1. verſ. 25. diſc. 5. ſingulatim. n.6.* p.220

Cum Sol autem occidiſſet. Niſi Sol Ieſus occumberet, nullus reſurgeret ad ſanitatem, & vitam. *c.2.v.22.diſc.5.* p.409.410

Cum Sol autem occidiſſet, omnes qui habebant infirmos, &c. Occidente creato Sole, increatus Sol in cuius alis ſanitas illuminabat corda, ſanitati reſtituebat corpora. Omnia homini fauſta prouenient à iuſtitiæ Sole. *cap. 1. verſ. 18. diſc.8.* p.171.172

At ille ſingulis manus imponens. Non ſe abſentat, ſed

præſen

præſentiſſimus adeſt in tribulatione Ieſus.*c.1.v.* 25.*diſc.*5. p.219.220

Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum. Poſt facinora, & prodigia in ſolitudinem vadit fugiens famæ celebritatem, docet Ieſus honoris lumina, gloriæ ſplendores humilitatis vmbrâ obtegere.*c.2.v.3.diſc.2.* p.324

Egreſſus ibat in deſertum. A mundo fugere, & ſeſe abſcondere Chriſtianæ perfectionis maximum eſt decus. *c.1.v.3.diſc.3.* p.42.43

Addit ſanctus Marcus.*c.1.v.* 36. *ibique orabat* Poſt animarum lucra, & corporibus impenſa beneficia; vitæ Euangelicæ veræque orationis præſcripſit formam; apud Ieſum illa vera contemplatio, quæ ad virtutum, & operum ardua animum ſtimulat.*cap.2.v.2. expoſ.* 4. *diſc.*5. p. 260. 261

Et turbæ requirebant eum,& venerunt vſque ad ipſum. Gentes confluunt ad Ieſum tanquam flumina ad mare vel ad ſuam originem properantia. *c.2.v.2. in commentario litera*, in titulo: *in illo verbo fluent*,&c. p.229

Feria 6. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.
Ioannis Cap. 4.

VEnit Ieſus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar. Depellere contumeliam à locis iniuriâ laceſſitis, res improbitate violatas honeſtare, munus Dei eſt, Vbi Dina conſtuprata, & Sichimitæ trucidati Ieſus Samaritanam caſtam reddidit. Vide ſimilia de conuerſione ſancti Pauli.*c.2.v.4.diſc.1.* p.347.348

Erat autem ibi fons Iacob, Puteum nuncupat fontem, infra; *puteus altus eſt.* Diuinæ ſapientiæ fons puteus dicitur, quia eius latices non ſunt in propatulo, at in profundo latitant, & nequeunt exhauriri. *cap.* 1. *verſ.* 2. *præludio.* 3. p. 19.20

Ieſus ergo fatigatus ex itinere. Labor Dei eſt, expectare improbos, & peccatorum onera ſuſtinere. *c.2.v.* 14. *in commentario litera*: laboraui ſuſtinens, p.137.*& ibid.diſc.*1. p.138.*& c.1 .verſ.*4. *diſc.*5. p.57.58

Ieſus ergo fatigatus ex itinere. In hac mortalitate Ieſus animam efflabat ſuam, & ſuſpirabat animam tuam, vt ad Ieſum tuum te anhelantem ſuſpirantem, ſuſpires & anheles.*c.2. v.* 21. *expoſ.* 1 *In commentario litera*, p. 394. *& ibid. diſc.*1. p.398

Hora erat quaſi ſexta. Horâ ſextâ, & ſextâ ætate (vt notat Auguſtinus) in mundo apparuit. Vltimum & nouiſſimum ſic ambit humilitatis affectu, vt etiam elegerit temporis extrema. *c.* 2. *v.*2.*diſc.*1. p.230

Hora erat quaſi ſexta. Diei particula inhonora primæuæ tranſgreſſionis macula, illuſtris redditur peccatricis conuerſione.*c.2.verſ.*4.*diſ.*1.*n.*5. §.labefactata:p.348.*quæ dicuntur de Pauli conuerſione accommoda Samaritanæ*,

Sedebat ſic, & venit mulier de Samaria haurire aquam. Dei patientia, & longanimitas mirabiles animarum metamorphoſes operatur. *c.1.v.* 14. *diſc.* 2. p.139.140

Vade, voca virum tuum, & veni huc. Manifeſta nouæ vitæ indicia, ſi voluntates, & affectiones terrenas, & vitæ veteris exuuias, ad Ieſum deferas,earúmque deditionem facias. *c.1.v.*18. *diſc.*9. p.173.174

Scio quia Meſſias venit, &c. *Ego ſum qui loquor tecum.* Ieſus quaſi Deificus Amphion dulci alloquio feras demulcet, eaſque in Deitatem transfert.*c.1.v.3.diſc.5.* p.46.47

Reliquit ergo hydriam ſuam mulier. Perfectus Ieſu ſectator eſt, qui extricatus à ſæculi laqueis, illius voluptatibus renuntiat.*c.2.v.3.diſ.7.p.*334. *& diſc.* 5. p.330

Abijt in Ciuitatem, & dicit illis hominibus: venite. Dei & Angelorum æmulatrix anima, quæ propria ſalute non eſt contenta, ſed animarum cæterarum cateruam ad cœli regiam deducere cupit.*cap.* 2. *v.*3. *diſc.6.* p.332.333

Venite & videte hominem. Ieſu maieſtate & decore capta, ad paſcendos oculos tantæ pulchritudinis ſpectaculo amaſios inuitat,

Amor qui ſpecie, & pulchritudine ſenſum demulcet,& voluntatem expugnat,certum ſibi triumphum promittat.*c.2.v.*4. *diſc.*2. p.349

Sabbato poſt Dom.III. Quadrageſimæ.
Ioannis Cap. 8.

PErrexit Ieſus in montem Oliueti. Amat Ieſus oliuarum nemus, & oleum, quo velut luctatores nos vngit vt vim inferamus paſſionibus humanis.*c.2.v.3.diſ.*7. p.334

In montem Oliueti. Oleum lumen fouet, eſt enim Ieſus mons luminis, quod ſuauiter attrahit errantes.*cap.2. v.2.expoſ.4.diſc.4.* p.258.259

Et diluculo iterum venit in templum. Peccator Deum inuenit præparatum tanquam diluculum, vt ſpiritum nouæ vitæ formâ reſculpat. *c.1.v.* 18. *diſ.* 1. *n.*2. p.158

Et diluculo venit. Solis ortus fauſtiſſimus peccatori,illius immutationi ſuffragatur. *cap.* 1.*v.*18. *diſc.*8, p.171

Iterum venit in templum. Regreditur Ieſus à monte in templum, à templo in montem, vt Sacerdotes inſtruat, qui templum frequentant, à terrenis ad cœleſtia ire.*cap.* 1. *v.*5.*diſc.*13. p.85

Et omnis populus venit ad eum, & ſidens docebat eos, Vt oſtenderet ſe eſſe Prophetarum doctorem, & ſapientiæ cœleſtis fontem.*c.1,v.*1 *præludio* 5. *&* 6.p.23.24. *& cap.2.v.2. expoſ.* 4. *diſ.*3. p.256, 257

Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio, *Animaduerterant* (inquit Auguſtinus) *eum nimium eſſe mitem; de illo quippe fuerat antè prædictum:procede & regna propter veritatem, & manſuetudinem,& iuſtitiam.* Benignitatis, & clementiæ imperium duriora pectora demulcet, & allicit.*c.*1.*v.*5. *diſ.*5. p.70.71

In lege autem Moyſes mandauit. Iuſtitia fulgentiſſima Cœli lampas, cœtus, & conſilia ſapientum illuminat & ornat.*cap.*1.*verſ.*2 1.*diſ.*1. p.190

Ieſus autem inclinans ſe deorſum. Vt oſtenderet peccatorum ſuorum onera penè opprimi, & incuruari.*c.*1.*v.*4.*diſc.*5. p.57

Inclinans ſe deorſum. Hac inclinatione Saluator hominum ſtoliditatem arguit; qui erecti ſunt à Deo per creationem ad ſidera, pecorum inſtar per affectus ſuos vergunt ad terrena, *c.* 1. *v.*2. *diſc.*2. p.232

Deorſum. Digito ſcribebat in terra. In terra ſcribitur, & ad inferorum barathra deflectit,qui deorſum fertur, nam iuſtorum decus eſt ſcandere ardua: improboaum ad infima ruere. *cap.* 2. *verſ.* 3. *diſc.*10, p. 340

Digito ſcribebat in terra. Dum eorum crimina in terra ſcribebat, ad terræ conſpectum eos inclinabat, nam terra auxiliatrix eſt hominis ad pœnitentiam, & diuinæ pietatis reconciliatrix. *c.1. v.18. diſ.7.* p.169.170

Digito ſcribebat. Vir prudens Ieſu æmulator digito diſcretionis diſquirit crimina, explorat malignantium corda. *c.2.v.21.diſc.8. & 9.* p.415.416.417.418

Et iterum inclinans ſe. Immenſis extollenda præconiis Ieſu inclinatio. quæ peccatores terræ affixos eleuauit ad vitam. *c.2.v.22.diſc.5.* p.409

Et remanſit Ieſus ſolus, & mulier in medio ſtans. Felix, & ſecurus, cui adeſt Ieſus, is namque ſolus in omni aduerſitate tutum eſt præſidium, & perfugium. *cap.2.v.2.expoſ.4.diſc.2.* p.254.255

Dominica IV. Quadrageſimæ.
Ioannis Cap. 6.

Sequebatur eum multitudo magna. De confluxu gentium propetantium ad Ieſu montem. *Vide cap.2.v.2.expoſ.1.in commentario littera, ſigillatim ad ea verba: Et fluent ad eum omnes gentes.* p.228.229

Subijt ergo in montem Ieſus. Multiplicaturus panem hordeaceum panis vitæ figuratiuum, ſcandit in montem Ieſus, nam qui regio, & Deifico educatur alimento regios, & Deificos ſpiritus haurit, & ad magnarum cogitationum vertices aſpirat. *c.1.v.2.diſc.5.* p.35

Et ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Sacros myſtagogos inſtruit nutrire populum verbi pane, nam ij ſunt Eccleſiæ vbera, & cordi pectorique Ieſu intimius adhærent. *c.1.v.2.diſc.6.* p.36

Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus. Rex iuſtus Sol ſplendidiſſimus aſpectu ſuo tanquam cœleſtibus radiis & luminibus populum illuſtrat, & ornat. *cap.1.v.5.diſc.1.* p.64

Et vidiſſet. Cœleſtis imperator lumina ſubleuat, cum oculos aperit, & cernit turbas populorum inedia laborantium, nihil expedit Principem apertos habere oculos, ſi gentium ærumnas non proſpicit. Quapropter præ ſumma poteſtate, totius orbis opibus, æſtimet Rex eſſe mundi mentem. *cap.1.verſ.5.diſc.4.* p.69.70

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Mira Ieſu propenſio ad ſaturandos homines panibus. Quid mirum ſi gaudet affectu, & munere nutricis. *cap.1.v.2. in commentario litera,* p.13.14. *& diſc.4.* p.34

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Gratias tibi Domine Ieſu, qui dediſti nobis integrum panem omnes corporis ſenſus appetentiamque animi adimplentem pleniſsimè. *cap.1. verſ.11. diſc.1.* p.111.112

Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaces. Turbis ferarum ritu adhuc viuentibus tribuit pabulum iumentorum. *c.1.v.3.diſc.4.* p.44.45

Dicit ergo Ieſus: facite homines diſcumbere. Ad pabulum iumentorum inuitat homines ad panem Angelorum in menſa Bethleemitica, & Euchariſtica admittit bellua. *cap.1.v.3.diſc.8.* p.50.51

Vt autem impleti ſunt. Ex liberalitate, & largitate felicitatem, & abundantiam, ex nimia exactione Princeps penuriam, & egeſtatem ſibi adſciſcit. *c.1.v.23.diſc.5.* p.209.210

Dixit diſcipulis ſuis: colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Qui in altis ſedet priuatis commodis poſthabitis, publico bono, & emolumento proſpiciat. *cap.1.verſ.21.diſc.2.* p.191.192

Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Fideles amici, & diſpenſatores cœleſtis Regis Apoſtoli, qui nihil ſibi, ſed omnia Chriſto, & populo reſeruarunt. Illum præ cæteris laudabis optimatem Regi gratioſum, qui optimitati ſuæ non conſulit, & de amplis fortunis Regis, & opibus regni non euadit opulentior. *c.1.v.23.diſ.2.* p.204.205

Vt facerent eum Regem. Affectus Regum erga populum, & populi erga Reges conſonant. *c.1.v.5. diſc.6.* p.72

Fugit iterum in montem ipſe ſolus. A mundo fugere, & ſeſe abſcondere; à conſpectu hominum propriam occulere gloriam opus maximum eſt. *c.1.v.3.diſc.3.* p.42

Feria II. poſt Domin. IV. Quadrageſimæ.

Require in feria 3. poſt Domin. I.

Feria III. poſt Domin. IV. Quadrageſimæ,
Ioannis Cap. 7.

Aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Prius aſcendit, & poſtea docet, vt homines erudiat, docibiles Dei eſſe non poſſe niſi aſcendentes ad ſublimia, & terrena calcantes *c.2.v.1.expoſ.4.diſc.3.n.5.& 6.* p.257.258

Aſcendit Ieſus in templum. Sacræ, & veræ ſapientiæ lyceum Eccleſia, in qua Chriſtus eſt Gymnaſiarcha. *c.2.v.2.prælud.5.* p.23

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina. Sapientiæ reclinatorium, & requies mens pura, & tranquilla. *cap.1. v.2. prælud.7.* p.26.27

Quid me quæritis interficere? Prodigium tolerantiæ eſt, honori tuo & vitæ inſidiantes dignoſcere, & ſuſtinere. *c.2.v.22.diſc.6.* p.411.412

Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes. Chriſtianum decus eſt patienter tolerare conuitia. *cap.2.verſ.4. expoſ.2.diſc.2.* p.358

Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem. Ieſu circumciſio gaudet per ſentium aculeos, & lanceæ cuſpides expugnare cœleſtia. *c.1.v.18.parte 2.diſc.2.* p.178

In Sabbato circumciditis hominem. Vera Sabbatizatio non otio, ſed operibus ornatur. *c.2.v.2.expoſ.4.diſc.5.* p.260

Nolite iudicare ſecundum faciem. Mirabantur Iudæi Moſaicam literaturam, & ex glorificata illius facie attoniti reddebantur; at omnis ſcientia inſcitia, omnis ſplendor caligo eſt, omnis gloria turpis, ſi non innitatur Ieſu, aut ex eo emanet. *c.2.v.1.expoſ.4.diſc.3.num.3.* p.257. *& diſc.4.n.2.3.& 4.* p.258.259

Nolite iudicare ſecundum faciem. Sola virtutis exteriora lumina non exorientia de interno cordis, non lux, ſed vmbra, ſed virtutis larua eſt. *c.2.v.3.diſc.3.* p.326

Nolite iudicare ſecundum faciem. Amicus valde homini Deus, qui ipſum euehit ad æmulationem Deitatis, & diuinæ præſcientiæ, cui innatum eſt perſcrutari interna, *cap.2. verſ.22. in*

commen

commentario expoſ.4. p.395.396. *& diſc.*8. p.415. 416

Sed iuſtum iudicium iudicate. Supra Solis nitentes radios fulget de iuſtitiæ lampade æqualitas quæ diſſidentium litigatorum tricas, & caligines ſoluit, & quæ ſua ſunt ſingulis tribuit.*c.1.v.21. diſc.1.* p.190

Sed iuſtum iudicium iudicate. Qui iniuſtum iudicium iudicat, virginem iuſtitiam conſtuprat, eámque in meretricem, renam, & cauponam immutat.*c.1.v.21.diſc.3.* p.193

Ecce palam loquitur. Cùm apertam locutionem Ieſu Euangeliſta prædicat, occultum nimis ſugillat ſermonem.*c.1.v.22.diſc.2.* p.197.198

Ecce palam loquitur. Infelix valde ſæculum, in quo prædicantes non Euangelicos declamatores, Chriſtianos oratores, ſed citharœdos, aut tragœdos pro ſuggeſtu agunt. *cap.1. v.22. diſc.4.* p.200

Feria 4. poſt Dom. IV. Quadrageſimæ.
Ioannis Cap. 9.

P*Ræteriens Ieſus.* Præteriit Ieſus cæcum non affectu mentis; cum pauper apparet deſpectus, ornat illum Ieſu aſpectus, in tribulatione namque cùm videtur recedere, appropinquat, quò velocius cenſetur fugere, eò celerius ad nos protegendos conuolat. *c.2.v.25. diſc.5.* p.219

Vidit. Proſperitas cœlum operit, aduerſitas aperit, eſt enim in ea diuina quædam vis feneſtrandi cœlum, vt hominem Deus videat, & mirabilis attrahendi Deum virtus, vt ad ipſum viſitandum veniat. *c.1.verſ.25. diſc.5.præſertim. n.5.& 6.* p.220

Hominem. Hoc Ioannis verbum eſt cæci encomium, pauperem luminibus oculorum orbum hominem appellitat; ſunt enim qui perfruuntur Solis luce, indigni hominis inſignibus, quippe qui in latibulis, & tenebris ferarum viuunt. *c.1.v.3.diſc.4.* p.44

Cæcum à natiuitate. Cæcum à natiuitate hominem, natiuitate ſua Ieſus illuminat, ideò in tenebricoſo ſpecu oritur, vt caliginoſos oculos diuinis Fidei ſplendoribus repleat.*c.1.v.3. diſc.1.* p.40. *& diſc.5.* p.46, *& c.1.v.18.diſc.8.* p.171

Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Homo qui in orbem crimen inuexit, omnem calamitatem, & ærumnam intulit. *c.1.v.3. diſc.4.* p.44

Cæco lumen immoritur, pupilla viſibilium imaginum receptaculum abeſt; cæcus greſſibus ſuis ruinam ſolicitat, voraginem, in quam incidat, ambit; ſic humanus ſceleris inuentor orbatus cœleſtis gratiæ lumine. *c.1.v.3.diſc.7.n. vltimo.*p.49, *& diſc.4.n.5.7.& 8,* p.45

Dei ſimilitudinem amiſit. *c.1.v.3.diſc.4.n.4.* p.45. Incidit in latrones, qui ipſum ſpoliant, & relinquunt penè exanimem.*c.2.v.3.diſc.10.n.1.& 2.* p.340

Vt manifeſtentur opera Dei in illo. In cæci hominis illuminatione oſtendit opera ſua Deus, cum inſtar Leonis, & leænæ catulos recens natos cæcos, ſuſpirio viuificat, cæcitatem tollit.*c.2.v.22. diſc.5 n.4.& 5.* p.409.410

Liniuit lutum ſuper oculos eius. Neceſſe eſt lutum non tantum cernere, ſed etiam tangere, ex cuius proſpectu, & tactu adſciſcit ſibi homo ſtabilitatem contra inſtabilitatem, antidotum humiliationis contra elationem. *c.1.v.18.diſc.7.* p.169

Liniuit lutum ſuper oculos eius. Ex luto viſus manat, & ex viſione lutum, cohærent ſibi viſus & lutum, nam iuſti, cùm Deum cernunt, ſuam miſeriam agnoſcunt.*c.2.v.2. expoſitione quinta, diſc.3.num.4.& 5.* p.271.272.*& diſc.4.num.5.* p.275

Abijt ergo, & lauit, & venit videns. Fons ſapientiæ Ieſu, & Deiparæ ſanctos Dei homines reddebat Vates, & videntes.*c.1.v.1.quæſt.1.* p.3

Et venit videns. Felix ille, qui ad apicem dignitatis euectus operibus comprobat non eſſe cæcum; ſed viuum & perſpicacem orbis terrarum oculum.*c.1.v.5 diſc.4.* p.69

Mendicus erat, nonne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat? Inhonora, ærumnoſa, & ſemper famelica mendicitas eſt, quæ non ex vera neceſſitate; ſed ex inſatiabili auaritia prouenit. *c.1.v.23. diſc.5.* p.209.210

Ille verò dicebat, quia ego ſum. Honoratur à Ieſu mendicus tam illuſtri miraculo, at gloriâ non effertur, non inſoleſcit, eſt enim hominis ingenui in dignitate conſtituti, gentilitatis obſcuræ primordiis refricare mentem.*c.2.v.2.expoſ.5. diſc.4.* p.273

Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Diſquiſitio hæc malitioſa eſt. Ad quem finem aperti, & dati ſunt tibi oculi exquirere debes: nimirum vt cœleſtia proſpicias, & terrena deſpicias. *c.1.v.2. diſc.1. & 2.* p.28.29.30

Dixerunt ergo ei: vbi eſt ille? ait: neſcio. Cerne hominis ingenium, libens beneficium accipit, at benefactorem ſuum nec proſpicit, nec recognoſcit.*c.1.v.3.diſc.6.* p.47

Maledixerunt ergo ei. Et in peccatis natus es totus. O quam glorioſum eſt pro veritate decertare, & contumeliis affici! *cap.1.verſ.10. diſc.5.* p.108

Et cùm inueniſſet eum. Phariſæorum, & Scribarum turbam deſpicit, & pauperem perquirit Ieſus; eſt enim potior apud Deum homo fidelis, & iuſtus, quàm vniuerſæ improborum multitudo. *c.1.v.10.diſc.4.* p.106.107

Tu credis in filium Dei? Ieſus cæcum tanquam generoſæ aquilæ pullum de ſolaribus fidei radiis probat.*c.1.v.2.diſc.5.* p.35.36

Feria 5. poſt Domin. IV. Quadrageſimæ.
Lucæ Cap. 7.

I*Bat Ieſus in ciuitatem.* Occurrit Ieſus non vocatus: nam ad hominis incolumitatem properat.*c.1.v.14.diſc.3.* p.141

Et ibant cum illo diſcipuli eius. Gaudet Ieſus filiorum cingi corona, & animarum ſe ſequentium ſtipari ſatellitio. *c.2.v.3. diſc.6.* p.332

Cùm autem appropinquarent portæ ciuitatis. Mortuus in porta occurrit, nam mors in ianuis eſt, & per ſenſuum noſtrorum portas ad animum intrat. Sēnſuum ianuæ præcludendæ, ne hoſtes irrumpant, aut cum iis mens noſtra commercium ineat.*c.2.v.16. diſc.3.n.3.4.& 5.* p.148

Ecce defunctus efferebatur. Non ait, ferebatur, ſed efferebatur, non mortis trophæum, ſed de morte triumphus, nam ad Ieſu, ſeu vitæ præſentiam, mors non præualet, ſed ſpoliata iacet. *c.2.v.22. diſc.3.* p.402

Quam cùm vidiſſet Dominus miſericordiâ motus ſuper eam,

iam. Non indoluit Ieſus ſuper mortuum, ſed ſuper matrem orbatam nato, oſtendens compaſſionis affectum erga alienas ærumnas prætergredi humanæ naturæ metas, quippe qui ad Angelicam,& diuinam dignitatem aſpirat. *c.* 1. *v.* 8. *diſc.* 3. p.95

Dixit illi: noli flere. Effuſis lacrymarum habenis deploramus corporis mortem; aſt ad animæ interitum oculi ſiceeſcunt, ideò matri, vt temperet à lacrymis, iubet, quia oculorum margaritæ, niſi pro emortua per peccatum anima impendantur, inhonorantur. *c.* 1. *v.* 4. *diſc.* 1, pag.52

Et acceſſit, & tetigit loculum. Si feretrum cum Eccleſiæ proceribus intelligas eſſe Crucis lignum, cùm cupit Ieſus,vt pro mortuo peccante lacrymæ fundantur, Crucis vmbram tangit, nam qui peccata aliena lamentantur, vitam viuunt Crucifixorum.*c.*1.*v.*4.*diſc.*2. p.53

Hi autem,qui portabant, ſteterunt. Portabant cadauer elementa, vt Ambroſio placet, elementa inquam à gentibus venerata vt diuina numina; quæ ad Ieſu tactum eius virtutem ſentiunt, omnem illi attribuunt diuinitatis potentiam, cùm immota, & velut otioſa ſtant, ſciunt enim nullum admittere in patrandis facinoribus alterius Deitatis conſortium. *cap.* 2. *v.* 21. *diſc.* 2. p.386

Steterunt. Quid mirum ſi deferentia lignum elementa ſteterunt, cùm ſtabilimentum orbis, ſponſæ ſacræ, imò & Deiparæ firmitas à Cruce prouenit. *cap.* 2. *verſ.* 1. *expoſ.* 6. *diſ.* 8. p.299 300

Hi autem, qui portabant, ſteterunt. Tetigit Ieſus feretrum, & ſteterunt pollinctores qui iuxta Bedam denotant immunda deſideria; ad hoc venit Ieſus, vt affectus paſſionum, quæ motibus ſuis deducunt ad mortem, diſceres compeſcere, & ſiſtere. *c.* 1. *v.* 16. *diſc.* 3. p.147

Steterunt. Arridet valde Venerabilis Bedæ conceptus: *Domino loculum tangente ſteterunt, quia ſuperni formidine iudicij tacta conſcientia, carnales ſæpè voluptates coërcens ad ſe reuertitur.* Perlege ex *c.* 1. *v.* 16. *diſc.* 5. p.151. Dei omnia proſpectantis præſentia, & timor ſceleratas mentis agitationes vel leui mutu exſufflat.

Adoleſcens tibi dico: ſurge. Adoleſcens tanquam Phœnix de tumulo, & morte renouatur ad vitam.*c.*1.*v.*18. *diſc.* 1. p. 158. *& diſc.*6. p.168. *& diſc.*9. p.173

Feria 6. *poſt Dominicam quartam.*

Ioannis Cap. 11.

E*Cce, quem amas, infirmatur.* Optimè philoſophantur fœminæ Lazari ſorores,*quem amas, infirmatur*; nam in domo Domini nota eſt paternæ dilectionis, & ſymbolum filiorum Dei, aduerſitas. *cap.* 1. *verſ.* 25. *diſc.* 4. *præſertim n.*4. p. 218. *& c.*1.*v.*3.*diſc.*1. p.40

Ecce, quem amas, infirmatur. Iuſtus ardeat amore diuino inter tribulationum fumos,at ex ipſa laboris fumoſa nube currus triumphalis efficitur, quo ad cœlum euehitur. *cap.*1.*v.*25.*diſc.*2.*n.*9. p.215

Ecce, quem amas, infirmatur. Iuſti viri in aduerſitatibus, & ærumnis diuinos promerentur amplexus, ideò appoſitè cum arcu applicito diuino pectori, & cum faſciculo florum colligato, ad naréſque Dei admoto comparantur. *c.* 1.*v.* 25. *diſc.* 5. *num.*6. p. 220.221. *& diſc.*4. *num.*3. p.218

Cur iuſti, & electi in hoc ſæculo vexantur? reprobi non affliguntur? *c.*1.*v.*25.*diſc.* 4. *n.*1.2.4. *&* 6. p.217.218.219

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Quo pacto ad mortem erit infirmitas, quæ tanquam pignus æternæ vitæ, & hæreditatis à Deo confertur. *c.* 1. *v.*25.*diſc.*4. p.217. *& diſc.* 2. *n.*4. p.214

Sed pro gloria Dei. Quæ verba ſic diſpunge, Infirmitas hæc non tanquam mors, ſed tanquam Dei gloria donatur, nam felicitatum cumulus, diuitiarum promptuarium, cœleſtis paradiſi ſumma, Beatitudinis compendium, labor, dolor, infirmitas, ærumna, aduerſitas eſt. *c.* 2. *v.* 4. *expoſ.* 2. *diſc.*4. p.362

Vt glorificetur Filius Dei per eam. Filiorum Dei fidem explorat, dilectionem manifeſtat ærumna, eaſque reddit illuſtriores. *cap.* 1. *verſ.* 25. *diſ.* 3. p.216

Nonne duodecim ſunt horæ diei. Cùm Deus peccatem tandiu ſuſtinet,horam conuerſionis prorogat,nullius deſperanda ſalus.*c.*1.*v.*14.*diſ.*1.*&* 2. p.138.139

Eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, &c. *eamus & nos, & moriamur cum eo.* Verus amor in vitæ diſcrimina,gladios, ignes, cruces impauidus irruit. *c.*2.*verſ.*2.*expoſ.*3.*diſc.*4. p.244

Infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum. Diuinam virtutem à iuſtis æmulandam oſtendit Ieſus cùm ſolo verbo, minaci vultu, oriſque halitu,& fremitu hoſtem proſternit.*c.*2.*v.*22.*diſc.*1. p.396

Infremuit ſpiritu. Fremitu, oriſque ſuſpirio eximiæ charitatis affectum oſtendit Ieſus, quæ maior quàm pro perſecutoribus ſuis quotidie animam efflare, & conuerſionem improborum ſuſpirare. *c.* 2. *v.* 22. *diſc.* 2, p.398, *vide in commentario expoſit.* 2. p.394

Infremuit ſpiritu. Quid anhelitus ſuſpiria Ieſu,animæque efflatio expoſtulat? niſi amorem, vt amantem redamem, in anhelantem anhelem, continuò ad Ieſum aſpirem, illius amorem ſuſpirem? *c.*2.*v.*22, *in comment.expoſ.*2. p. 394, 395, *& diſc.*2. *parte* 2. p.400.401

Infremuit ſpiritu. Vir iuſtus in paſſiones ſuas infremere, in ſeipſum iraſci, ſibi violentiam quamdam inferre neceſſe eſt, vt hoſtem vincat, & teneat ſanctitatis apicem. *cap.* 2. *verſ.*3. *diſc.*7. p.334

Et turbauit ſemetipſum. Ieſus triſtatur, & gaudet in Lazari reſurrectione, nam plenum gaudium non eſt cum vni vita donatur, & alij in morte permanent. *c.* 2. *v.*22. *diſc.* 5. *præſertim num.*4. p.409. 410

Erat autem ſpelunca. Non eſt inhonorum ſpeluncæ nomen, quæ deſtinata eſt coronis, & palmis, & ſæpiſſimè extitit cœleſtium triumphorum amphitheatrum.*c.*1.*v.*3.*diſ.*1. p.41

Domine iam fœtet, quatriduanus enim eſt. Teterrimum peccati odorem abolet amara pœnitentiæ myrrha: ſuauis & iucundus contritionis ſuffitus, quo Deus ipſe cœlicolæque recreantur.*c.*1.*v.*18.*diſc.*2, *perlege numerum quartum ſingillatim.* p.161

Domine iam fœtet. Putridus peccator fœtet creaturæ, aſt non fœtet creatori. *c.*1.*v.*6.*diſc.*1.*n.*2. p.87

Et ſtatim prodijt, qui erat mortuus ligatus manus, & pedes inſtitis. Nobilior pœnitentis triumphus, à carnis

carnis illecebris, & terrenis animam implicamentis extricari.*cap. 2. v. 3.diſc.*8.p.336. *& cap. 1.v 18..diſc.9.* p.173

Sabbato poſt Dominicam IV.
Ioannis Cap. 8.

E*Go ſum lux mundi.* Ieſus ardens orbis conuertendi deſiderio nuncupatione luminis gaudet, cuius innata vis, & munus eſt allectare homines, ad ſe colligere, & conuertere animos *cap. 2. verſ. 2. expoſ.4.diſc.* 4. p. 258. *& diſc.* 1. p.252.253

Ego ſum lux mundi. Vix homo quantumuis improbus de manibus Dei elabitur, cum obſidione lucis eum capere ſatagit.*cap.1. v.4.diſc.2.p.*349. *& c.2.v.2.expoſ.4.diſc.4.* p.258

Ego ſum lux mundi Cùm Sole, qui ſimul illuminat, & inflammat, ſe comparat Ieſus, quia lux in homine ſine calore ſimulata, lucis potius figmentum: ſplendores de arbore non emanantes ſuſpecti.*cap. 2.verſ.3.diſc.3.* p.326

Ego ſum lux mundi. Deitatis, & Regiæ maieſtatis Sol eſt pulcherrimum ſimulacrum. *c.1.v.5.diſc.* 1.p.64.*& c.1.v.21.diſc.1.* p.190

Qui ſequitur me non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ. Qui ſequitur Ieſum poſt dorſum vadit, quomodo ergo lumen vultus cernet? Videbit vtique ſequendo, nam ſequi Ieſum, omne bonum, & omnis gloria Domini eſt, & qui incedit retrò, antè collocatur, vt fulgentiſſimam Ieſu faciem proſpectet.*cap.2.v.3.diſc.*11. p.342

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Felix Sol Rex caligini aduerſus, tenebris oppoſitus, qui vitiorum vmbras ab aula expellit cuius exortu improbitatum belluæ quærunt latebras.*c.2.v 5 diſc.*1. p.64

Sed habebit lumen vitæ. Maria à primo creationis exordio Solem Deum ſecuta, nunquam in tenebris ambulauit, habuit lumen gratiæ, ex quo habuit lumen vitæ. *c.2. v. 2,expoſit.6. diſc.*11. *n.* 3.*& 6.* p.281.282

Habebit lumen vitæ. Sol Ieſus lumen habet vitæ, quia ex tumulo, ex morte iunaſcitur ipſe ſibi, & ex occurſu ad locum Orientis tendit anhelus.*c.1.v.22.diſ.4. n.5.* p.406.407

Habebit lumen vitæ. Cùm opera tenebrarum examinanda, & deteſtanda proponis in conſpectu diuinæ lucis; habebis lumen vitæ, & in ſacrificio cordis oblati omnia fauſta prouenient ab Oriente Sole.*cap. 1. v.* 18.*diſc.*8. p.171

Non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Felix lucerna Fides, cuius glorioſo lumine tenebricoſi Dæmonum appulſus patefiunt.*c.2.v.22. diſc.10.n.7.* p.421.422

Tu de te ipſo teſtimonium perhibes. Virtus ex ſe lucidiſſima eſt, ipſa ſibi authoritatem conciliat. *c.2.v.3.diſc.3.n.6.* p.328

Tu de te ipſo teſtimonium perhibes. Irrefragabilis Chriſti veritas eſt, quæ non ſibi ſola ſuffragatur, ſed tantam habet nubem teſtium. *c.1.v.2. prælud.*2.5.*& 6.* p.15.16

Teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater. A diebus æternitatis, & mundi exordio Pater procurator factus ſalutis humanæ. *cap.2.verſ.2. diſc.* 2. p.232

Dominica in Paſſione.
Ioannis Cap. 8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato?* Aliorum ſcelera comeſturus, ſit ieiunus delicti; portaturus orbem orbiſque crimina, & pro iis Patri omnipotenti ſupplicaturus, totius flagitij debet eſſe immunis. *cap.* 1. *verſ.* 5. *diſc.*8. p.75

Arguet de peccato? Cùm Sacerdos Deo litat, hæc hæc verba prophetat: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Adeò enim terrenis affectibus intactus debet eſſe, & in regione incorruptionis tanto ſpiritu ſanctificationis perfrui, vt ipſum Deum quodammodo ſanctificet. *cap.* 1. *v.* 5. *diſc.* 11. p.81

Quis ex vobis, &c. Hæc verba ſolus Ieſus iam iam pro homine moriturus verè, & audacter effatur, at homo præſertim in vitæ extremo ab hoſtibus ſuis de peccato arguitur, captioſis argumentatiunculis irretitur, & ad deſperationem impellitur.*cap.2.v.2.diſc.4. & 3.* p.234,235

Quis ex vobis arguet me de peccato? Timeat homo laqueis Dæmonis claudi, cùm aggreſſus ſit Chriſtum, vt ſuis retibus implicaret. *c. 2. v. 2. diſc.4.n.4.& 5.* p.236

Quis ex vobis arguet me de peccato? Sacerdotum Principes his verbis Ieſus Dæmones nuncupat, nam horum ingenium eſt odiſſe hominis ſalutem, eamque de peccato redarguere.*cap. 2. v. 2. diſc.4.n.2.& 3.* p.235.236

Quis ex vobis arguet me de peccato? Diſpelles Dæmonis ſophiſmata, & diſſolues argutias, ſi antecedentia negaueris, nimirum carnis delicias. *c. 1. v.16. diſc.2.* p.146

Quis ex vobis arguet me de peccato? His verbis Ieſus docet, quod fuit, vt ante pugnam anteuertas hoſtis dolos, vt teneas victoriæ auſpicium. *c.2.v.22. diſc.7.* p.413

Quis ex vobis arguet me de peccato. Sciebat Ieſus quis eum de peccato argueret, & teſtificaretur falſa; at cùm apparet ignoranti ſimilis erga inſidiatores ſuos, gratiſſimus eſt.*c.2.verſ.22.diſc.6.* p.411

Quis ex vobis, &c. Eximia Ieſu patientia ſuſtinere præuaricatorem, & traditorem. *c.2.v.22. diſc.6.* p.411

Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Veritatis ſatellites perſecutio, ignis, gladius, Crux. *c.1. verſ.*10.*diſ.5.* p.108

Si veritatem dico. Omni beatitate ornandi, omni honore celebrandi antiqui Heroës, qui pro veritate tuenda decertarunt, & occubuerunt. *c.1. v.10.diſc.5.* p.108

Iſaias in carcere clauſus maluit pro veritate mori, quàm pro adulatione viuere. *ibid.*

Si veritatem dico. Veritatem loquenti obſiſtunt validiſſimè Iudæi, veritas namque ſcripta non tam amata eſt, nec adeo pungit, ſicut veritas oris ſermone prolata, ideò labium prædicantis interraſile eſt, & puncturis terebratur. *c.1.v.10. diſ.5 num. vltimo.* p.109

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Verbum Dei puritate, & perſpicuitate ornandum, vt illud teneant auditores, eiuſque colligant fructum, *c. 1. v. 22.diſc.1.* p.196

Si quis ſermonem meum ſeruauerit mortem non videbit in æternum. Suaue Ieſu alloquium eſt nouum canticum feras demulcens eaſque in humanam,

nam, & cœleſtem vitam transferens. *cap.1.v.3. diſc.5.* p.46

Abraham mortuus eſt, & Prophetæ. Ieſu cuncta dicabant antiqui Patres, vt de hoſtibus triumpharent. *c.1. v.13. parte 2. diſc.3. n.6.* p.129

Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Inſulæ Fidei, & pietatis erga Chriſtum Dominum Abrahamidum caput exornant. *c.1. v.2. pralud. 7. n. 7.* p.27.28

Abrahami nomenclatura, nominis immutatio, egregia virtutum decora: habes, verbo *Abraham.*

Dominica II. poſt Domin. Paſsionis.

Ioannis Cap. 7.

Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Non prenditur Ieſus manibus, ſed amoris lacertis, ideò triumphat de Deo amor. *cap.2. verſ.22. diſc.2. n.2.* p.398

Vt apprehenderent Ieſum. Prehendendus Ieſus, non vt illum incrimas, ſed vt te ſtabilias; tene ergo Ieſum ſicut prehenſauit ſponſa, ſicut tenuit Maria arborem vitæ, ne peccati lapſu rueret. *cap. 2. v. 1. expoſ.6. diſc.5.* p.292

Vt apprehenderent Ieſum. Felix, qui ſic Ieſum apprehendit, ſic firmiter occupat tanquam brauium certaminis, vt rapiat virtutis, & ſanctimoniæ apicem. *c.2. verſ. 3. diſc.7. præſertim n.3.* p.335

Vt apprehenderent Ieſum. Ne timeas Ieſum fugientem, prehenſus enim eſt, & religatus amoris nexibus in altari Euchariſtico, ne à nobis auolet. *cap.1. v. 8. diſc. 5.* p.98

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Solus Ieſus obtinet ſicut orbis imperium, ſic temporũ principatum, cuius nutui ſæcula, anni, dies, horæ cœleſtium rotarum imperceptibiles motus obſecundant. *5. cap. 2. v. 1. expoſ.3. diſc. 7.* p.250

Vobiſcum ſum. Charitatis prodigium diligere ingratos quæ odio, & perſecutionibus dilecti non tepeſcit in beneſactis. *cap. 2. verſ. 22. diſc. 6.* p.411

Et vado ad eum, qui miſit me. Apprehenderetis, occideretis me, ſed non erunt hæc impedimento, vt ad eum, qui me miſit, reuertar: ſummum gaudium eſt patientis, quod irriti euadant conatus perſequentis. *cap. 2. v. 22. diſc.4. parte 2. diſcurſus.* p.407

Quæretis me, & non inuenietis. Non in mundialibus inuenitur Ieſus, ſient virtutis frugiferos animos exambit, ſteriles ſpernit. *cap. 1. verſ. 8. diſc. 2.* p.93

Vbi ſum ego, vos non poteſtis venire. Sicut ſumma Dei dignatio, & ſumma hominis felicitas eſt admitti ad Deitatis, & gloriæ conſortium, ita ſumma ærumna ab illis excludi. *c.2. v.3. diſc.4.* p.328

Non poteſtis venire. Ad requiem cum Ieſu peruenire, non omnium eſt, ſed eorum, qui ſibi vim inferunt, & à ſæculi illecebris ſe extricant. *c.2. v.3. diſc.8.* p.336

Numquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus Gentes? Chriſtiani muneris, & Apoſtolicæ vitæ character ad barbaras gentes excurrere, eaſque ſubiicere Euangelij iugo. *c.2. v.3. diſc.9.* p.339

Et docturus Gentes. Ille perfectior Ieſu æmulator qui cœli regiam intrat vberiori animarum ſtipatus ſatellitio. *c.2. v.3. diſc.6.* p.331

In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis. Non primum, ſed vltimum diem exhortationis eligit Ieſus ad hominis ſalutem, affectu humilitatis gaudet extremis. *c.2. v.1. diſc.1.* p.230

Stabat Ieſus, & clamabat. Ipſa ſtatione, & clamore inuictam animoſitatem oſtentat. Facile enim hoſtes, qui non formidat, expugnat. *c. 2. v.22. diſc.1.* p.396

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Quàm rarum eſt literatis ſapientiam ſitientibus, omiſſis triuialibus lymphis, turbidiſque riuulis, recurrere ad ſcientiarum fontes, vt limpidiſſimum ſapientiæ poculum hauriant. *c.2. verſ. 2. diſc.3.* p.234

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Omnes ſcientiam ſitientes prouocat ad potum, quia licet ſint potatores innumeri, omnes hauriunt, nullus exhaurit fontem ſapientiæ, aſt vberes latices aliis relinquunt hauriendos. *cap. 1. verſ. 2. pralud.4.* p.21

Feria III. poſt Dominicam Paſsionis.

Ioannis Cap. 7.

Non enim volebat in Iudæam ambulare. Egregium virtutis facinus à mundi tumultu ſe ſubducere, & propriam occultare gloriam. *cap. 1. verſ. 3. diſc.3.* p.42

Quia quærebant eum Iudæi interficere. In perſecutionibus rarum præſidium, quo te protegas, inuenies Ieſum. *c.2. v. 2. expoſ.4. diſc. 2.* p.254

Quærebant eum Iudæi interficere. Sola vita Ieſu triumphatura de morte, maiora ſubiit mortis diſcrimina, qui quotidie moriebatur pro iis, qui vitam eripere machinabantur. *cap.2. v. 21. diſc.1.* p.398

Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum ſcenopegia. Id eſt feſtum tabernaculorum ad memoriam peregrinantis populi in eremo. Quis peregrinatoris Chriſtiani decorabitur laurea? qui extricatione, & abalienatione à ſæculi illecebris quotidie ad Dominum migrat. *cap. 2. v.3. diſc.8.* p. 336. De feſto tabernaculorum, *Vide c. 1. v. 8. diſc.2. n.3.5. & 6.* p.94.95

Manifeſta te ipſum mundo. Non eſt exambienda manifeſtatio, ſed virtutis exercitatio, quæ vocaliſſimum habet famæ præconium, & lucis ſuæ ambitu non finit in occulto eſſe poſſeſſorem. *c. 2. v.3. diſc.3.* p.326

Vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Pluſquàm humanum eſt, non oſtentare honoris lumina, gloriæque ſplendores; ſed eos tempeſtinè obtegere, & temperare. *c. 2. v.3. diſc.1.* p.324

Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Eximia diuinæ omnipotentiæ in homine æmulatio, in cuius poteſtate eſt vita, & mors. *c.1. v.6. diſc.4.* p.90

Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Domini patientia in expectandis peccatoribus animarum metamorphoſis eſt. *c. 1. v. 14. diſc.1.* p.139

Tempus veſtrum ſemper eſt paratum. Decus Chriſtianæ perfectiones eſt, non quod tempus tuum ſit paratum, ſed quod tu ſis paratus tempori. *c.2. v.2. diſc.3. & 4.* p.234.235

Non poteſt mundus odiſſe vos. Glorioſum eſt ſi odit, & inſectatur nos mundus, quando ipſa perſecutione tanquam prædicationis inſigni nos coronat. *c.1. v.15. diſc.4.* p.217

Vos

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc. Gaudet Ieſus ſuorum aſcenſu, vt in iis cernat decus iuſtorum, quorum eſt ſcandere ardua. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 10. p.340

Tempus meum nondum impletum eſt. Tempus, & horam ſui tranſitus omnium virtutum paratura ornatus placidiſſimè expectabat Ieſus. *c.* 2. *v.* 2. *expoſ.* 3. *in commentario.* p.237.238

Quidam enim dicebant quia bonus eſt: alij autem dicebant, non, ſed ſeducit turbas. Turbæ extollebant Ieſu opera, nunc ſe oſtentant malè affectas, vt dent locum Phariſæorum iræ, nam ad exemplar Principis populus componitur. *c.* 2. *v.* 5. *diſc.* 6. p.72

Feria quarta poſt Domin. Paſsionis.
Ioannis Cap. 10.

F*Acta ſunt encænia in Hieroſolymis.* Hoc Thema Euangelij potiſſimum in quo Ioannes memorat feſtiuum diem encæniarum, vel renouationis templi, ad innouationem animi adamuſſim adaptabis. *Damus tibi Phœnicem Chriſtianum pœnitentiâ renouatum per nouem diſcurſus ad caput* 1. *v.* 18. à p.158. ad 174. *in quo adijcimus noua ornamenta verſioni Lxx. ſeniorum:* Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum.

Et hyems erat. Congelatâ peccati hyeme animi opponit iuſtus diuini amoris buſtum, quo inardeſcit. *c.* 2. *v.* 8. *diſ.* 4. p.164

Et ambulabat Ieſus. In Deo vel leuiſſima abſentiæ & derelictionis indicia formidanda. *cap.* 1. *v.* 8. *diſc.* 4. p.96

In porticu Salomonis. Non in oraculo latet, nec in choro cantorum truditur, ſed in templi veſtibulo omnibus viſendus, & communicandus exponitur, vt ſatrapas, & Dynaſtas doceat publico bono, & emolumento proſpicere. *c.* 1. *v.* 21. *diſc.* 2. p.191. Rex non ſit inacceſſus. *c.* 1. *v.* 5. *diſc.* 5. *n.* 2. p.70

Et ambulabat Ieſus in porticu. Inſtar amatoris nimia charitate correpti circumdantis amaſiæ ſuæ limen, qui nec flagris caſtigatus, nec conuitiis impetitus à foribus remouetur, aut deambulationem intermittit, etenim vetus deamator nec cruces, nec gladios timet, opprobriis coronatur. *c.* 2. *v.* 2. *expoſit.* 3. *diſc.* 4. p.244

Circumdederunt ergo eum Iudæi. Mira argutia, magnus lepor in verbis Euangelicis enitet; circumuallat eos Ieſus vt amoris iaculis expugnet, ipſe verò à Iudæis obſepitur tanquam ſpinis roſa, vt pungant, cruenteent, lacerent: talis enim eſt improborum optimatum aſtus, tanquam feram vndique cingere pauperem, opprimere, ſpoliare. *c.* 1. *v.* 13. *diſc.* 4. p.208

Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm. Gaudet Ieſus ſimul cum ſuis aſſeclis palam loqui, & non occultè, nec cultè. *c.* 1. *v.* 22. *diſc.* 1. 2. & 4. p.196.197. 200

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me. Ad comprobandam dignitatem, & nobilitatem ſuam Ieſus teſtimonium operum ſuorum in medium producit. Nam Deus imperatoria paludamenta, & fumoſas maiorum imagines vitiis deturpatas deſpicit, eam ſolam almam nobilitatem agnoſcit, quam virtus, & honeſti mores exornant. *c.* 1. *v.* 10. *diſc.* 6. p.109

Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt. Lau- *P. A. Luc. de Arcones* in Iſaiam. dis inſignia, & ampliſſima munera quibus perfunguntur Vates ex diuina locutione. *c.* 1. *v.* 2. *prælud.* 1. p.14

Feria quinta poſt Domin. Paſſionis.
Lucæ Cap. 7.

R*Ogabat Ieſum quidam Phariſæus.* Sic Ieſus bonæ conuerſionis dona diſtribuit, vt non in vno peccante ſtagnet, ſed ad multorum ſoſpitatem redundent, & ſit incitamentum propriæ gratia ſalutis alienæ. *c.* 2. *v.* 4. *diſc.* 3. p.351

Vt manducaret cum illo. Gratanter accumbit in peccato morientum ſigmate vita; vt ſecum conuiuari, & conuiuere faciat mortuos, & immortalitatis alimonia cibet. *cap.* 2, *verſ.* 22. *diſc.* 5. p.409

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit. Ieſus quaſi diuinus Amphion ſuauiſſimo Euangelij alloquio peccantes feras demulcet, in Deificam, & Angelicam formam transfert. *c.* 1. *v.* 3. *diſc.* 5. p.46

Et ecce mulier, &c. Venuſtas contra venuſtatem pugnat, liberalis Magdalenæ forma inſignis animarum ſtrage, mirabili Ieſu decore ſuperatur, ſemper cum arma exerit pulchritudo diuina, ſecura eſt de triumpho. *c.* 2. *v.* 4. *diſc.* 2. p.349. & *v.* 4. *expoſ.* 4. *diſc.* 1. p.252

Vt cognouit. Qui difficultatum repagula frangit, & ſibi vim infert, vt ad Deum tendat, virtutis obtinet faſtigium. *c.* 2. *v.* 3. *diſc.* 7. p.334

Et ſtans retrò. Docet Ieſus amatores mundialia omnia à tergo relinquere. *c.* 2. *v.* 3. *diſ.* 5. p.330

Et ſtans. Seſe abiicit ad pedes Ieſu, & ſtat? Valde expedit ſi ſtes intrepidus, & magna animoſitate diſtinguas gladium aduerſus cohortem vitiorum, & turbam Dæmonum, ipſo namque ſtatu, & valentia hoſtes redduntur attoniti, & fugam capeſſunt. *cap.* 2. *verſ.* 22. *diſc.* 1. p.396

Et ſtans retrò ſecus pedes eius. Proculdubio ſanctimoniæ tenebit apicem, qui à tergo ſectator eſt Ieſu, & illius lingit veſtigia. *c.* 1. *v.* 3. *diſc.* 11. p.342

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Immergitur, abſumitur amaritudo criminum lacrymarum dulci pelago; qui enim peccata plangit, diuinæ menſæ cibatur ferculis, & cœlitum irroratur gaudiis. *c.* 1. *v.* 18. *diſc.* 5. p.166

Et capillis capitis ſui tergebat. Tunc diuinus amor de animo hominis triumphat, cùm is Regales delicias, ſæculi pompam, & ea, quæ cordi erant ad pedes Ieſu abiicit, eorumque deditionem facit. *cap.* 1. *verſ.* 18. *diſc.* 9. p.173

Et oſculabatur pedes eius. Tanquam vnum de cœleſtibus viuere cogunt hominem Deitatis ſpeculum, & puritatis oſculum. *c.* 1. *v.* 5. *parte* 2. *diſc.* 12. p.83. *vide ſpeciatim n.* 6. & 7. p.84

Et oſculabatur pedes. Cor amatricis amantem redamat, ſuſpirantem ſuſpirat, & inſtar ſacræ ſponſæ, non ſolos pedes, ſed labia ſponſi diſuauiari optat, & extremum legere vitæ halitum. *c.* 2. *v.* 22. *diſc.* 2. *parte* 2. *diſcurſus.* p.400

Et vnguento vngebat. Ex amara pœnitentiæ myrrha ſuffitus efflatur ſuauiſſimus, qui cœlum complet, & beatos recreat. *c.* 1. *v.* 18. *diſc.* 2. p.160

Quoniam dilexit multum. Magdalena diuini amoris Phœnix, charitatis Martyr. *c.* 1. *v.* 18. *diſc.* 4. p.164

Quoniam dilexit multum. Amoris perſeuerantia, & animoſi Magdalenæ auſus, Mariæ nomine velut diademate ornantur. *cap. 2. verſ. 2. expoſ. 3. diſc. 4. num. 5.* p.245

Feria 6. poſt Dominic. Paſſionis.
Ioannis Cap. 11.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.

Dæmonum, & improborum hominum diſcordia concors ad iuſti viri exitium. *c. 2. v. 11. diſc. 1.* p.190

Collegerunt, &c. *Aduerſus Ieſum.* Cùm Deus impiorum conſilia diſturbat, iuſti virtus de nocenti, & improba voluntate triumphat. *c. 2. v. 22. diſ. 4. in prima, & 2. parte diſcurſus.* p.405.406.407.408

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Multum iuuat vt non labefactetur animi conſtantia, præſenriſcere hoſtium conſulta, & dolos, eorumque conatus anteuertere. *c. 2. v. 22. diſc. 7.* p.413

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Iſaias in ſpiritu proſiliens in hanc iniquam conſultationem flebili voce precatur, vt quieſcat ab expoſtulando hoc homine ad necem, illis verbis: *Quieſcite ergo ab homine. cap. 2. verſ. 22. expoſ. 1.* p.394

Venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Improbi cum menſuram peccatorum implent, menſuram pœnarum ſupereffluentem ſupra ſe refundunt. *c. 1. v. 4. diſc. 6.* p.59

Propter peccatum Decidij Iudæi à Romanis vaſtati, & exciſi. *c. 2. v. 18. in commentario* p.154. & ſeqq. *& c. 1. v. 7. & 8. in commentario.* p.91.92

Venient Romani. Pauperum lacrymæ qui afficiuntur iniuria, validum ornamentum, quod florentiſſima ſæpe euertit imperia. *c. 1. v. 8. diſc. 1.* p.92

Et tollent noſtrum locum, & gentem. Humana, & diuina Deus tollit, & eripit ab eo, qui pauperem diripit. *c. 1. v. 23. diſc. 4.* p.208

Caiphas cum eſſet Pontifex, &c. Mortem Chriſti expetit, qui Sacerdotalibus ornatur infulis, at Sacerdotis functio eſt pro Chriſto ſanguinem, & vitam profundere. *c. 1. v. 5. diſc. 7.* p.73

Caiphas cum eſſet Pontifex anni illius. Pretio emerat Pontificiam trabeam Caiphas: Felix Magiſtratus, quem non fauoris aura impulit, aut pecunia extulit; ſed animi integritas, & in adminiſtrandis Reipublicæ negotiis fides ad culmen dignitatis euexit. *c. 1. v. 23. diſc. 1.* p.202

Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, &c. In hoc Senatuſconſulto aduersùs Ieſum collecto, nullum legimus ipſius iuſtitiæ patrocinatum. Eſt enim valde arduum, & conſtantis viri proprium aperire, & liberè proferre animi ſenſum in conſultatione, & ſuſcipere patrocinium veritatis, & publicæ ſoſpitatis. *cap. 1. v. 23. diſc. 2.* p.204. *& cap. 1. v. 21. diſc. 1.* p.191

Vt vnus moriatur homo pro populo. Felix valde mors Ieſu, quæ vniuerſo humano generi vitam donat. *c. 2. v. 22. diſc. 5.* p.201

Et non tota gens pereat. Potentiſſima eſt apud Deum vnius iuſti virtus, cuius precibus innumeras improborum manus eximit à morte. *c. 1. v. 10. diſc. 4.* p.106

Vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. Sol Ieſus conciliatio eſt voluntatum, glutinum animorum. *cap. 2. v. 2. expoſ. 4. diſc. 4.* p.258

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Quid niſi cæcam, & inſanam ſententiam expectes à Senatuſconſulto, quem iuſtitiæ lampas nec illuminat, nec ornat *cap. 1. verſ. 21 diſc. 1.* p.190

Abijt in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem. In fructifera ciuitate libenter commoratur Ieſus, quia ſicut frugiferas mentes exambit, ſteriles ſpernit. *cap. 1. v. 8. diſc. 2.* p.93

Sabbato poſt Dominic. Paſſionis.
Ioannis Cap. 11.

Acceperunt ramos palmarum. Ante victoriam, ante triumphum oſtentat in manibus ſe ſequentium Ieſus palmam, & laurum; tanta eſt liberalitatis profuſio, anticipatis remunerationibus ornat milites. *c. 1. v. 10. diſc. 3. ſingillatim lege numerum quintum.* p.109

Acceperunt ramos palmarum. Solo foliorum ambitu, & teneritudine frondium ſeſe iactans populus non placet Ieſu, qui ſolerter perquirit fructuum vbertatem. *cap. 1. verſ. 8. diſc. 2.* p.93

Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſraël. Regalis clementiæ, & munificentiæ nexus, indociliores animos compeſcunt, & ligant ad obſequium. *cap. 1. v. 5. diſc. 5.* p.70

Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum. Homines belluarum more viuentes immutauit Ieſus in Angelicæ vitæ formam. *cap. 1. verſ. 3. diſc. 4. & 5.* p.44.45.46. *& v. 14. diſc. 2.* p.139

Addit Euangeliſta Matthæus: *Strauerunt veſtimenta ſua.* Totum Chriſtiani decus eſt mundialia omnia, & affectiones terrenas ad pedes Ieſu abiicere. *c. 2. v. 18. diſc. 9.* p.173

Ecce Rex tuus venit ſedens. Felix animus, qui factus eſt tabernaculum, & ſedile Regis æterni, *c. .v. 25. diſc. 2. n. 6. & 7.* p.214.215

Puſillum aſinæ. Iudæus aſino ſtolidior ad turbæ cantica, & plauſus, tanquam aſinus micans auribus ad lyram.

Iudæus Saluatoris gerulus, ſed ei morem non gerit; portat Chriſti myſteria, aſt ea non credit. *c. 1. v. 3. in commentario.* p.38.39

Venit ſedens. Vt triumphum de morte, inferis, & Iudæorum iniqua voluntate oſtenderet. *cap. 2. v. 22. diſc. 3. & 4.* p.402. &c. 405. & ſeqq.

In Dominica Palmarum require Sabbato præcedenti.

Feria II. Maioris Hebdomadæ.

Vide feria quinta poſt Dominicam Paſſionis. De Magdalenæ Conuerſione.

Feria III. Maioris Hebdomadæ.

De Petri caſu, erectione, fletu.
Lege Petri Apoſtoli Magnalia, Die 29. Iunij.

Feria Quarta.

De Sancti Latronis conuerſione.

Inuenies copioſam ſermonis ſegetem.c.1.v.18. De renouatione Christi Phœnicis, *ſpeciatim diſc.8.n.6.& 8.* p.172.173

Feria quinta in Cœna Domini.

Pro qua habes integrum tractatum ſeptenario diſcurſuum illuſtrem.c.2.v.2.expoſ.3. p.237

Feria ſexta in Paraſceue.

De Ieſu expiratione, cadaueris ſacri parentatione, depoſitionéque in tumulo.
Require c.2.v.22.expoſ.1. diſc.2.in prima, & 2.parte diſcurſus p.398.399.400.*& c.21. v.2.expoſ.3.diſ. 4.num.5.* p.246
Ad id: *Ecce homo,*habes locum inſignem.*c.2.v.22. expoſ.2.* p.394

In ſolemnitate Paſchali.

PRo myſterio Reſurrectionis habes commentationem primam & tertiam.c.2.v. 22. p.392.& 393.
Simul cum diſcurſu tertio, quarto & quinto. p.402. & 405.& 409
De terræ motu in Dominica Reſurrectione facto. *Vide c.2.v.21.diſc.3.* p.388

De Chriſti Domini, & Seruatoris noſtri feſtiuitatibus.

De Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Vide in Mariæ feſtiuitatibus de eius Annuntiatione.

De Natiuitate Ieſu.

Ex profeſſo diſſeritur. c.1.v.3.in commentario literæ. p.38. *Simul cum diſcurſuum octonario,* à p.40.ad 51

Pro Ieſu Circumciſione,

Et impoſitione nominis Ieſu:
Habes expoſitionem c.1.v.18.parte 2.ſex diſcurſibus ornatam, à p.175.ad 187

Pro Epiphania Domini.

VIde poſt Dominicas Aduentus, & natiuitatem Chriſti, quæ ibi annotata ſunt.

Pro Transfiguratione Chriſti.

Habes *c. 2. v. 3. expoſit. 2. cum diſcurſuum decade,* à p.322.ad 342
De Chriſti exſpiratione, deſcenſu ad inferos, Reſurrectione. Habes illuſtre vaticinium, *cap. 2. verſ.22. expoſit. 1. & 3.* cum variis diſcurſibus. *Lege ſingulatim tertium, quartum, quintum.* p.402.405.409
P.A.Luc.de Arcones in Iſaiam.

Pro Aſcenſione Domini.

Marci Cap.16.

R*Ecumbentibus vndecim diſcipulis.* Gaudet accubitu, & recubitu rediuiua vita, quæ conuiuari,& conuiuere fecerat mortuos.*cap.2. verſ. 22. diſc.5.* p.409
Exprobrauit incredulitatem eorum. Antequam aſcendat, acriter eos obiurgat, vt à terrenis abſtrahat, & extricationem, abalienationémque à ſæculo doceat. *c.2.v.3.diſc.8.* p.336
Euntes in mundum vniuerſum, &c. Oratio hæc potiſſimum Petro dirigitur, quem Ieſus aſcendens in cœlum ſui amoris vicarium reliquit. *cap.2.v.2.expoſ.5.diſc.5. n.vltimo.* p.277
Euntes in mundum vniuerſum. Non mirum ſi viget in Chriſto vſque ad vltimum halitum animarum zelus, ſi poſt Reſurrectionem ad ſalutem animarum pectora Apoſtolorum ſolicitat. *cap. 2. v. 3.diſc.6.n.vltimo.* p.334
Prædicate Euangelium omni creaturæ. Ille perfectior Ieſu æmulator, qui cœli Regiam intrat vberiori animarum ſtipatus ſatellitio. *c. 2. v. 3. diſc.6.* p.332
Serpentes tollent. Magna hominis præſtantia, cui data eſt poteſtas eruendi de humani pectoris latibulo perfidiæ colubrum.*cap.2.v.22. diſc.10.* p.420
Et Dominus quidem Ieſus. Dominum nuncupat, penès quem vitæ, & mortis imperium,nec potuit à morte retineri. *cap. 2. verſ.22. diſc.3.& 4.* p.402.& 405
Aſſumptus eſt. Sol cœleſtis Ieſus, qui ex occaſu oritur ipſe ſibi, & ad ſummam cœli vertiginem recurrit. *cap.2.verſ.22,diſc.4.num.5.* p.406. 407
Aſſumptus eſt. Ad Aſcenſionis, & beatitatis conſortium vocauit Creator creaturas, cùm eas omnes ad diuinam vitam eleuauit. *cap.2. v. 22. diſc.5.* p. 409
Aſſumptus eſt. Ad virtutis ardua conſcendere ſymbolum filiorum Dei eſt. *cap. 2. verſ. 3. diſc. 10.* p. 340
In cœlum. Cœlicolis gratior ſpecies,quæ expugnatione, & tolerantia paſſionis eſt acquiſita. *c. 2. v 3.diſc.1.* p.322
In cœlum. Alumnos ſuos ductans in cœlum Ieſus inſtruit mundialia omnia à tergo relinquere. *cap. 2. v. 3.diſc.3.* p.330
In cœlum. Cœli aſpectus, & cogitatio quaſi clauis quibuſdam retinent hominem in amore virtutis. *cap.1. verſ. 2. diſc. 1.& 2.* pag. 28.29. 30
In cœlum. Ieſu aſcendente adſunt Angeli Apoſtolorum conſolatores; non verò in aſcenſu Eliæ. *c.1.v.8.diſc.3.n.vltimo.* p.96

Pro feſtiuitate Pentecoſtes.

Ioannis Cap. 14.

S*I quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Amoris ſacri inexpugnabile robur, flammaque inextinguibilis.*c.1.v.15. diſc.2.* p.213
Si quis diligit me. Amor, lacrymæ ſuſpiria Ieſu pro hominis ſalute, amore, lacrymis,ſuſpiriis compenſanda. *c. 2. v. 22. diſc.2.* p. 398.*& 2.parte diſcurſus.* p.400

Ad eum veniemus. Tenuit Ieſus amoris imperium, & amore detriumphatur.*c.2.v.2.expoſ.3.diſ.7.n.1.*p.250.*& c.1.v.22.diſc.2.n.1.& 2.* p.398.399
Et manſionem apud eum faciemus. In animæ,& cordis triclinio, quæ amor præparet fercula, vt Deum ad cœnationem inuitet. *c.2.v.2.expoſit.3.diſc.1.* p.239
Paraclitus autem Spiritus ſanctus. Verbum viuificum flatu Spiritus ſancti inſtar Leonis, & Leænæ Gentes reuocauit ad vitam. *cap.2.verſ.22.diſc.5.n.4.& 5.* p.409.410
Paraclitus autem Spiritus ſanctus. Diuinus amor conuertit cruciatum, & ſentes in molliſſimos flores,& prunas ignitas in roſas.*c.1.v.25.diſ.1.n.2.& 3.* p.212
Quem mittet Pater. Venit inſtar flatus vehementis Spiritus ſanctus, vt doceat Apoſtolicos viros vim inferre ſibi,& violenter expugnare,& diripere cœleſtia. *c.2.v.1.diſ.7.* p.334
Quem mittet Pater. Spiritus ſanctus ad terras venit, vt ſpiritus hominum à terrenis expeditos ſurſum attolleret. *c.2.v.3.diſc.8.* p.336
Quem mittet Pater. Docet aduentu ſuo Spiritus ſanctus ſpiritum reſculpere, & renouare animi affectus calore diuino.*c.1.v.18.diſc.1.n.1.2.* & 3. p.158.159
Quem mittet Pater. Deſcendit in figura ignis, qui non comburit corpora, ſed illuminat animos, quia vim totam exerit potentiſſimam in conciliatione, & conuerſione animorum.*c.2.v.2.expoſ.4 diſc.4.* p.258
Non turbetur cor veſtrum. Virtus amoris ea eſt, in Cruces,gladios,ignes impauidum irruere. *c.2.v.4.expoſ.3.diſc.4.* p.244
Et nunc dixi vobis priuſquam fiat. Induit virtute ex alto, & præparat diſcipulos ad pugnam qui enim præuentus adit hoſtis certamina,felix tenet victoriæ auſpicium. *c.2.v.22.diſc.7.* p.413
Et nunc dixi vobis priuſquam fiat. Armat milites ſuos diſcretione ſpiritus Ieſus,vt præſentiſcere,& explorare poſſint hoſtium technas.*c.2.v.22.diſc.8.* p.415

In feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.
Matthæi Cap. 28.

POſſunt inſeruire ſequentes diſcurſus. Data eſt mihi omnis poteſtas. Cœleſtium, terrenorumque motus,& curſus ſub ditione ſua habet Ieſus.*c.2.v.2.expoſ.3.diſc.7.* p.250
Omnis poteſtas. Illa ſola eſt poteſtas omnis,quæ in patrandis facinoribus nullum admittit alterius Deitatis conſortium. *c.2.v.21.diſc.2.* p.386
In nomine Patris,&c.Tota Trinitas ab orbe condito,& ante ſæcula parauit homini ſalutem. *c.2.v.2.diſc.2.* p.232
Et ecce ego vobiſcum ſum,&c.Deum ne à nobis auolaret, vinculis religauit amor in Euchariſtia. *c.1.v.8.diſc.5.* p.98

In feſto Corporis Chriſti.

PRo ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento varios diſcurſus inuenies.
*Cap.2.v.13.*titulo: *Ara Iudaica, & Chriſtiana comparatio.* Diſcurſuum ſeptenarium,à p.125.ad 137
*Cap.1.v.11.*Diſcurſum 1.& 2. p.111.112.113
Cap.1.v.2. Præludium ſextum. p.24
*Cap.1.v.8.*Diſcurſum quintum. p.98
*Cap.2.v.2.expoſ.6.*Diſcurſum 7.& 10. p.297.& 303
*Cap.2.v.22.diſc.2.*præſertim,*n.4.* p.399.400.& totum Diſcurſum quintum. p.409.& ſeqq.
De Euchariſtia, & puritate, qua præditi eſſe debent ad eam accedentes, potiſſimùm Sacerdotes,diſſeritur ex profeſſo. *c.1.v.5.diſ.7.* & ſeqq. *præſertim 11.& 12.* à.p.73.ad 84
Vide verbo *Euchariſtia.*

Pro Dom. infra octauam Corporis Chriſti.

VIde *c.2.v.2.expoſit.3.in commentario tertiæ, expoſitionis*,p.237. *& totum diſcur.1.* p.239

In feſtiuitatibus ſanctiſſ. Deiparæ Virginis.

IN feſto immaculatæ Conceptionis habes nouem diſcurſuum,ſeu ſermonum ſeriem.*c.2.v.2.expoſ.6.* à p.280.ad 302

In feſto Natiuitatis Mariæ.

EX profeſſo diſſeritur *c.2.v.13.* vbi de Neomenia Iudaica,& Chriſtiana,ex quatuor nouæ Lunæ ſplendoribus corona diſcurſuum,ſeu ſermonum pangitur Deiparæ Natiuitati. p.115.116.&c.
Adde ex c.1.v.10. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen. *Qui ad literam de Deipara exponitur,adiecto decore duorum diſcurſuum.* p.100

In feſto Annuntiationis B.Mariæ Virginis.
Lucæ Cap. 1.

IN illo tempore. Verbum Dei vltimum, & nouiſſimum ſic dilexit, vt elegerit quoque ad Incarnationem temporis extremum.*c.2.v.2.diſ.1.* p.230
Miſſus eſt Angelus. Ad annuntiandum Dei conſilium Angelus delegatur, iam enim in aula Empyrea reuelatio Incarnationis facta fuerat Angelis viatoribus.*cap.1.v.2.prælud.2.* p.17
A Deo. A mundi exordio,à diebus æternitatis parabat Deus homini ſalutem.*c.2.v.2.diſc.2.* p.232
In ciuitatem Galilææ,cui nomen Nazaret. Ex quo Deus in vtero Virginis carnem aſſumere parat, de humili oppidulo, & inferiori ciuitatula gloriatur.*c.1.v.10.diſc.1.* p.102
Ad Virginem. Maria in conſilium ſanctiſſimæ Trinitatis de homine reparando admittitur,ideò vt ſicut ſine Filio nihil factum,ſine Maria nihil refectum.*c.2.v.2.expoſ.6.diſc.4.n.3.& 5.*p.289.*& c.1.prælud.1.n.1.& 2.* p.17
Ad Virginem. Deus Virginem annuntians Adamo, & Euæ ſqualentibus mœrore eos ſolatur. *c.1.v.2.prælud.2.n.5.* p.18
Et nomen Virginis Maria. Maria ſpeculum & exemplar,in quod reſpiciebat Pater, vt Filij ſui imaginem effigiaret, & renouatum terreni Adami ſimulacrum effingeret. *c.2.v.2.expoſ.6.diſc.4.§.1.§.2.* p.288.289.290
Aue. Mariam,antequam eſſet,Angeli,& Prophetæ annuntiabant, & ſalutabant.*c.1.v.1.quæſt.1.præſertim num.vltimo.* p.4.
Gratiâ plena. Maria in Conceptione filij repleta eſt incomprehenſibili gratia, & eleuata ad quandam æqualitatem Dei. *c.2.v.2.expoſ.6.diſc.13.§.1.n.poſtremo.* p.313
Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Timorata,& circumſpe-

cumſpecta Virgo Angelica verba mentis examine librat, Euæ temeritatem, & ſtultitiam coarguens, eſt enim Maria dono diſcretionis prædita, vt explorare poſſit hoſtis technas, *c. 2. v. 22. diſc. 8. ſingillatim v. 5. 6. 7.* p.416.417

Inueniſti gratiam apud Deum Felix Luna Maria, quæ largiſſimo pietatis imbre & immenſo gratiæ rore corda peccatorum irrorat. *cap. 1. v. 13. diſc. 3.* p.120

Ecce concipies in vtero. Omnis Mariæ gloria, & exultatio quia Verbum Dei portauit vtero. *c. 2. verſ. 2. expoſ. 6. diſc. 13. §. 1. & 3.* p.311. & 315

In vtero Mariæ vterus mons Libanus nuncupatur propter candorem fœcundæ Virginitatis, in quo Verbum Dei quaſi ros, & quaſi lilium germinauit, *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſ. 2.* p.283

In vtero. Maria apis eſt generans paradiſi dulcedinem, cuius vterus crater extitit plenus ambroſiis, dapibus, & diuino nectare. *c. 2. v. 1. expoſ. 6. diſc. 3.* p.283

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Spiritus ſanctus à ſæculo Mariæ amorem exambit, & de munere protegendæ Virginis gaudet. *c. 2. v. 2. expoſit. 6. diſc. 6.* p.295

Quod naſcetur ex te Sanctum. Creatura, in qua fons ſanctitatis fundatur, & radicatur, maiores firmiſſimæ gratiæ radices figit in Deo, & præ creatis omnibus liberior fuit à ruina. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 5.* p.292

Quod naſcetur ex te Sanctum. Maria paradiſus lumine plenus, in quo plantatur lignum vitæ, & habitat increata Dei imago. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 1.* p.281

Ecce ancilla Domini. Rarum prodigium eſt, ſummam dignitatem, & ſummam annihilationem ſeruare concordiam. *c. 2. v. 2, expoſ. 5. diſc. 3. & 4.* p.271.171.273

Ex diſcurſu 3 lege præſertim numerum quintum. p.272 *& ex diſc. 4. numerum tertium.* p.274

In feſto Viſitationis Deiparæ.

Lucæ Cap, 1.

E*Xurgens Maria.* Surrexit amoris, & pietatis affectu, non criminis de ruina, quæ ſtabilita ſemper extitit in Filio. *c. 2. v. 1. expoſ. 6. diſc. 5. 7. 8.* p.271. & 297. & 299

Abijt in montana. Qui enim extricatur à ſæculi illecebris nullo negotio ſcandit virtutis ſuperiora faſtigia *c. 1. v. 3. diſc. 8.* p.336

Salutauit Elizabeth. Venit ad Elizabeth, vt Ioannem ad prælium ſpiritale inſtruat, eſt enim Maria egregia bellatrix, quæ claſſicum cecinit aduerſus inuiſibiles hoſtes. *c. 1. v. 13. diſc. 2. ſingulatim num. 6.* p.120

Salutauit Elizabeth. Deipara inter Maternitatis Dei ampliſſima decora, & gloriæ infulas, gaudet, gloriatur de obſequio. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 11. præſertim n 3. & 5.* p.307.308

Exultauit infans in vtero eius. De Mariæ, & Filij Dei gaudio exultatio reſultauit in Ioannem; quia gaudium Dei eſt, fruitionis, gratiæ, felicitatis plures habere conſortes. *c. 2. v. 3. expoſ. 2. diſc. 4.* p.328

Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth. Quid mirum ſi arca ſanctificationis præſentiâ ſuâ ſanctificet feminas, & viros. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 11. num. 6.* p.308. & *c. 1. v. 13. diſc. 3. n. 3.* p.121. & *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 7. n. 2,* p.298

Benedicta tu inter mulieres. Maria terra Dei eſt ſemper benedicta, nunquam maledicta. *cap. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 1. n. 5.* p.281. *& ibid. diſ. 6. n. 2.* p.295. 296

Magnificat anima mea Dominum. Mariæ canticum Euchariſticum ab Iſaia celebratur. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 13. §. 4. n. 7.* p.316.317

Vide in feſto Annuntiationis plures diſcurſus valde aptos huic feſtiuitati, præſertim ad ea verba: Inueniſti gratiam: Concipies in vtero: quod naſcetur ex te ſanctum.

In feſto Purificationis Mariæ.

APtari poſſunt diſcurſus in feſtiuitate Circumciſionis Ieſu, qui habentur. *c. 1. v. 18.* parte ſecunda verſiculi, præſertim perlege diſcurſum quintum. p.184

De Mariæ ſanctiſſimæ dormitione.

HAbes integrum ſermonem. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 9.* p.301

De Mariæ Reſurrectione.

AD præſentiam, & eleuationem, virtutémque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, reperies integrum ſermonem. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſc. 10.* p.303

Maria Aſſumpta, glorificata, coronata.

PRædicatur plurimis ſermonibus. *c. 2. v. 2. expoſ. 6. diſ. 11. 12. 13.* p.206. & 309. & 311, *cum quatuor ſegmentis ex diſcurſu tertiodecimo deductis.* p.311. *& ſeqq.*

De feſtis Sanctorum.

In menſe Ianuarij.

De Circumciſione Domini.
Habes poſt Dominicas Aduentus.

In Epiphania Domini.

Vide poſt Dominicas Aduentus, & Natiuitatem Chriſti, quæ ibi annotata ſunt.

De Conuerſione ſancti Pauli Apoſtoli.

E*Xpenditur ad literam verſiculus quartus capitis ſecundi.* Conflabunt gladios ſuos in vomeres: *& quatuor diſcurſibus illuſtratur.* à p.344. ad 355

In menſe Februario.

Deiparæ Purificatio.

Vide in feſtis Mariæ Virginis. Ibi habetur.

In menſe Martio.

In feſto Sancti Thomæ Aquinatis.

DE illius mirabili ſapientia. *Poteſt inſeruire c. 2. v. 2. expoſ. 4. diſc. 3.* p.256

Thomas Theologiæ Princeps. Eam ebibens ex Euchariſtico fonte, *ibid.* p.21. *n.* 2. p.

c.1.v.2.prælud.6.p.24.& 4.n.1. & prælud.5.p.23. Eodem *c.1.v.2. diſc.6.* p.36. *& diſc.4.n.poſtremo.* p.35

In feſto Sancti Ioachim.

Vide in feſto Sanctæ Annæ.

In feſto Annuntiationis.

Vide in feſtiuitatibus Mariæ Virginis.

In menſe Aprili.

In feſto Sancti Petri Martyris Ordinis Sancti Dominici.

Habes.*c.2.v.22.diſ.9.&* 10.p.417.*& ſeqq.&* 420.&c.

In menſe Maij.

In feſto Sanctæ Crucis.

Vide verbo *Crux.*

In feſto S.Ioannis ante portam Latinam.

Vide in feſto Sancti Ioannis Euangeliſtæ,poſt Dominiças Aduentus.

In menſe Iunij.

Pro feſtiuitate Sancti Ioannis Baptiſtæ.

Vide Dominicam II. III. & IV. Aduentus.

In feſto Sancti Petri Apoſtoli.

Habes ad literam expoſitum *c.2.v.2. expoſ.5.in commentario.* p.263. *cum ſenario ſermonum, ſeu diſcurſuum.* à p.266,ad 279

In menſe Iulio.

Pro feſtiuitate Viſitationis Mariæ Perlege in Marianis feſtis.

De Sancta Maria Magdalena.

Vide feriam quintam Dominicæ quintæ Quadrageſimæ.

In feſto Sanctæ Annæ.

Vide caput 1.*v.*10. *in commentario,n.5.&* 6.p.101. 102.*& c.2.v.1.expoſit.6. diſc.3.ſingillatim n.1.4. & 6.p.286.287. Et ibid.diſc.6.n.3.* p.296

In feſto S.Ignatij Patris noſtri.
Lucæ Cap. 12.

QVàm plurima huius voluminis theoremata S.Ignatij inſignibus cohærent.

Sint lumbi veſtri præcincti. Nil Ieſus imperat, cuius exemplar non præferat. Accinxit ſe Deus ad Orbis conditionem, præcinxit ſe ad reparationem, vt Apoſtolos mundi reparatores inſtruat pietatis obſequio.*c.2.v.2.expoſ.3.diſ.3.n.3* p.243

In domo Dei glorioſa valde eſt præcinctio humilitatis. *ibid.*

Sint. Verbum hoc non ſolùm exhortatorium erga Ignatium extitit, ſed imperatorium inſolentior & petulantior appetitus diuinis iuſſis obtempetas,aſt quid mirum? quando Sol Ieſus Lunáque Deipara renes eius conſtringunt balteo caſtitatis, ad cuius conſpectum omnis impurus cogitatus abſtergitur,omnis ceſſat carnis motus; & Angelicâ puritate corpus tranquillatur. Lege pariliá in Conuerſione Pauli Apoſtoli. *c.2.v.4. diſc.2.n.poſtremo.* p.351

Sint lumbi veſtri præcincti. Cùm incarnata Dei ſapientia, & mater virginea, ſua formoſitate cor expugnant, de eo triumphant. Quid mirum ſi Ignatius ſacco accingitur, ferreo nexu præcingitur? ſpolium factus diuinæ pulchritudinis. *cap.2. v.4 diſc.2.* p.349

Ignatius in cœlum rapitur,à Ieſu in paradiſum ducitur,per totos ſeptem dies cœleſtia atria inambulat,& arcana verba exaudit inſtar Pauli.*c.2.v.4.diſ.2.n.1.* p.349

Sol Ieſus,& Luna Dei genitrix Ignatium velut induratum cryſtallum liquant,& in fluenta lacrymarum ſoluunt.*c.2.v.4.diſc.2.n.3.*p.349, *& diſ. 3.n.3.* p. [illegible]

A Ieſu, & Deipara Ignatius tanquam Rhinoceros capitur. Aptanda ſunt Ignatio quæ dicuntur de Saulo.*c.2.v.4.diſc.2.n.4.* p.350.351

Sint lumbi veſtri præcincti. Cùm cœleſtium rotarum circulos, & ſtellis ornata cingula mente & oculis Ignatius perluſtrat, omnia terrena calcat, vt ad ſuperna conuolet,ſeſe accingit,ad id : *Eheu! quàm ſordet terra cùm cælum aſpicio.c.1.v.2.diſc.2. 2.p.30.& diſc.1.* p.28

*Sint lumbi veſtri præcincti.*Ignatius cum nudatur ab amore diuino,accingitur ad prælium,& ad tolerantiam laborum. *c.1.v.2. expoſ.3. diſc.2. & 3.* p.241.242.243.

Sint lumbi veſtri præcincti. Cùm de ſuperni numinis afflatu præſentiſcit Ignatius exantlandos labores, ſubeunda diſcrimina, tanquam cœleſtis Pancratiaſtes à Ieſu inſtituitur, vt accinctus & paratus adeat aduerſantium certamina ſecurus de triumpho.*c.2.v.22.diſc.7.* p.413

Sint lumbi veſtri præcincti. Ignatius cœleſtis Eccleſiæ Hercules hoſtilibus armis indomitus, & technis inuictus, aduerſantium tricas & dolos tanquam Faunorum, & Centaurorum inſidias diſſoluit.*c.1.v.16.diſc.2.n.6.p.*147. Hoſtium manus tanquam Pygmæorum phalanges in diſcrimine ridet.*c.1.v.16.diſc.6.n.3.* p.153

Ignatius velut Gigas ſerpentinæ prudentiæ,& humilitati ſubnixus hoſtes debellauit : & inſtar Herculis Anthæum de terrenis ad cœleſtia eleuauit.*c.1.v.18.diſc.7.n.6.* p.171

Alcides noſter matrem, & tartara expugnat, cum ad gratiæ & beatitudinis vitam innumeros homines reuocat.*c.2.v.21. diſc.3.n.5.* p.403

Hercules Ignatius qui Hydram Hæreſis Lernæam gladio verbi exſcindens igne diuino inutés eius capita. Quæ dicuntur de Dominico, adapta Ignatio : ſunt enim vtrique diui Heroes ignei Eccleſiæ Zelatores,Fidei propugnatores,& hæreſis multicipitis monſtri expugnatores. *c.2.v.22.diſc.10.* p.420.*& ſeqq.*

*Sint lumbi veſtri præcincti.*Ignatius Hercule fortior ſuas conſtringens & ſubigens paſſiones eximius

interna

internæ mortificationis Doctor, qui affectibus humanis vim in terra docuit. *cap.1.v.3. diſc.7.* p.334

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lampas Ignatij lampas ignis atque flammæ animarum Pater zelantiſſimus meritò nuncupatur ex quo zelo Apoſtolicæ vitæ exemplar Euangelicæ perfectionis norma Deo & cælicolis gratiſſimus extitit. *cap.2.verſ.3.diſc.6.* p.332

Ardentes. Audaciſſimus Ignatij amor, in ærumnas, labores, cruciatus pro animarum ſalute impauidus irruit. *c.2.v.2.expoſ.3.diſc.4.* p.244

Lucernæ ardentes. Innumeris perſecutionum flatibus aduerſitatum turbinibus iactata Ignatianæ lucernæ flamma, aſt non extincta, licet Dæmonum, & hominum diſcordia concors coierit ad Ignatij exitium, accommoda ex *c.2. v.21.diſc.1,* p.384

Ardentes. Ignatianæ charitatis aurum innumeris tentationum probationibus examinatum, plus incanduit, plus reluxit. *cap.2.verſ.25.in commentario.p.211.diſcurſu 3.* p.216

Ardentes. Ignatij amor ſagax venator eſt, cum eius flamma præualet inter aquas, & expiſcari parat inſanum amatorem: ſciebat enim elementum aquarum maiora homini exhibere commiſerationis & clementiæ blandimenta. ex *c.2.v.2.expoſ.3.diſc.5. n.1.2.& 5.* p.247.248

Ardentes. Ignatius verus Ieſuita & animarum redemptor, cum aduerſantium, & percutientium capitibus prunas ignitas paras benefactorum. *Ex c.2.v.4.expoſ.2.diſ.6.*p.366.*præſertim n.1.2.& poſtremo.* p.566.& 368

In manibus veſtris. Ignatij dextra ſacro Euchariſtiæ epulo obarmata, fana, & lucos ſculptilium excidit, idolorum cultum aboleuit, Bacchanalium profanos ritus expiauit. *c.1.v.13.p.2.diſ.4.* p.130

In manibus veſtris. Auet Ieſus, illius contemplationis ardorem, quæ ad operationum ardua animum ſtimulat. *c.2.v.2.expoſ.4 diſc.5.* p.260

Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum. Iuſtus peregrinus à ſæculo, ſequeſtratus à mundo quotidie ad Dominum migrat. *c.2.v.3.diſ.8.* p.336

Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere. Vita viuens & motiens gaudet hominem menſa ſua accumbere. *c.2.v.21.diſc.5.præſertim n.2.& 3.* p.409

Et tranſiens miniſtrabit illis. Parat anima cœnam magnam Deo, parat Deus animæ Seraphicam menſam in ea quæ Seraphinorum deliciis & epulis hominem paſcit, ad id: Ignatius menſæ regiæ œconomus frequentem acceſſum ad ſacram ſynaxim introduxit. ex *c.2.v.2.expoſ.3. diſc.1.p.239.& diſc.6.n.6.* p.250

Menſe Auguſti.

In feſto Sancti Petri ad vincula.

Vide Petri magnalia in menſe Iunio.

In feſto Sancti Dominici.

Habes cap.2.v.22.diſcurſus, octauum. p.415. *nonum, p.*417.*& decimum,*p.420.*præſertim poſt n.6.*p.421

In transfiguratione Domini.

Perlege ſecundam Quadrageſimæ Dominicam.

Pro Sancto Laurentio Martyre.

*Habes c.1.v.25.cum quatuor diſcurſib.*à p.212.ad 219

In Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis.

Habes cap.2.v.2.expoſ.6. plures ſermones incipiens à diſcurſu nono. p.301

In feſto Sancti Auguſtini.

Illius conuerſioni inſeruiet locus. c.2.v.4. Et conflabunt gladios ſuos in vomeres. *Cum tertia expoſitione commentarij.*p.356. *& diſcurſus ſequentes, potiſſimum diſcurſu.2.n.2.3.& 4.*p.358. *& diſc.3. n.2.3.& 4.5.& 6.*p.360.361.362. *Perlege amabo, totum diſcurſum 4.* p.362

Diuinæ ſapientiæ vbera in Auguſtino protuberant, quibus Eccleſiam nutrit, & omnium diſciplinarum latices Eccleſiæ Doctoribus porrigit. *cap.1.v.2.diſc.6.* p.36

Auguſtinus ex fontana ſapientiæ Ieſu plenitudine penè immenſum hauſit. *c.2.v.2.expoſ.4.* p.253 *Poterit inſeruire diſcurſus tertius.* p.256

Aurelius inter Diuini amoris Crucifixos recenſetur. *c.1.v.4.diſc.2.* p.53

In menſe Septembris.

In Natiuitate Deiparæ,

Require in feſtiuitatibus Mariæ Virginis.

In feſto ſacrorum ſtigmatum S.Franciſci.

Matthæi Cap. 16.

Si quis vult venire poſt me. In Regia Ieſu curia nitet comitas, vrbanos ſectatores requirit, qui non præcedant, ſed ſequantur. Nam in ipſa ſequela vrbanitas tota, perfectio tota conſtituta eſt. *c.2.v.3.diſc.11.*p.342.*& c.1.v.4.diſc.7.* p.60

Abneget ſemetipſum. Alumnos ſuos ductans Ieſus ad perfectionis faſtigium, docet mundialia omnia à tergo relinquere. *c.2.v.3.diſc.5.* p.330

Abneget ſemetipſum. Vnica Ieſus gaudet violentia, quæ infertur aduerſantibus animo effectibus. *c.2.v.3.diſc.7.* p.334

Tollat Crucem ſuam. Adde ex officio fratrum Minorum antiphonam, quæ in hac feſtiuitate recitari ſolet:

Crucis ſignum Thau litera,
Fronti Franciſci ſcribitur.

Franciſcus Ieſu eximius æmulator, qui grandi, & oneroſæ Cruci compaſſionis erga peccantes affigitur. *Accommoda ex c. 1. v.4.diſc.2.præſertim numerum 1.& 2.* p.53

Et ſequatur me. Per gladios, & lanceas. Adde antiphonam ex eodem officio:

Crucis magnum myſterium
Super Franciſco claruit.
Dum ſignatus apparuit
Cruce duorum enſium.

Familiariſſimos ſuos docet Ieſus per gladij, & lanceæ cuſpides ad cœlum ire. *c.2.v.3.diſc.2.* p.324

In menſe Octobri.

Pro Sancto Franciſco de Borgia.

Sint lumbi veſtri præcincti. Ille vallatur, & cingitur diuinæ protectionis præſidio, qui ſecum firmiter ſtatuit, nunquam ſeruire Domino morituro. *cap.2. verſ.2.expoſ.4. diſc.2.* p.254

Sint lumbi veſtri præcincti. Tunc præcingitur, cum Regalem

Regalem trabeam,Ducales infulas defert ad Solis Ieſu aram.*cap.1.verſ.18.diſc.9.* p.173

Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Habet pro lucerna Imperatricis cranium. Sæpè mors cæca oculos aperit,illius tenebræ mentem illuminat. Diſcurſum accommoda, Ad conſpectum mortis,& tumuli pulchra nouæ vitæ, & immortalitatis imago formatur. *Ex c.1.v.18.diſc. 6.& 7.* p.168.169

In feſtiuitate Sancti Angeli Cuſtodis.

Vide verbo *Angelus*, & inuenies copioſam ſegetem ſermonis.

De Sancta Tereſia.

Plura diſcurſuum ſegmenta, Tereſiæ magnalibus aptantur non incongruè.

Matthæi Cap. 25.

Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus. Virginitas Tereſiæ non ſterileſcit, ſed de filiorum propagine gloriatur. *Ex c. 2.v.3. diſc.6.n.1. & 4.* p.332.335

Quæ accipiētes lampades ſuas. Tereſia oleo fauorum ſponſi delinita, cœli deliciis delibuta, facta eſt Dæmonibus terribilis,eius conſpectum expaueſcunt tartara. *Ex c,1.v.18.diſ.5,n.1.& 3.*p.166.167

Lampades ſuas. In quibus fouetur, & ardet ignis amoris,ad id: Angelus ſcintillanti venabuli cuſpide amoris philtro illita pectus Tereſiæ adigit,cor transfigit. Diſcurſum applica: Suſpectus amor qui non habet alas,ſagittas,flammas,ſcintillas,iacula,vulnera. *Ex c.1.v.25.diſ.1.n.1.*p.212. *& diſc.2.n.1.*p.213.*ex cap.2. v. 22. diſc.2.parte 2. diſcurſus n. 3.* p.400

Exierunt obuiam. Vtique per arduam Euangelij ſemitam, qualem ſponſus Tereſiæ monſtrauit ſtratam ſaxis acuminatis,dumetis,vepribus; inclamans:hac itur ad aſtra. Conceptum adſtrue: Chriſti amaſia in accubitum ſponſi nonniſi per ſtrictos enſes irruit. *Ex c.1.v. 18. parte 2.diſc.2, præſertim n.vltimo.* p.179

Per aſcenſum purpureum pedibus diſcalceatis aſcendit ſponſa ad reclinatorium aureum *ex c.1.v.18.parte 2.diſc.4.n.3.* p.182

Exierunt obuiam. Anima quæ Dei populum ad nouum regimen, & ſtrictiorem vitæ diſciplinam vocat,paſſionū calceamenta deponat,nunquam reſumat. *ex c.1.v.5.diſc.2.n.3.* p.66. *Iterū ex c.1. v.18.diſ.9.n 6.* p.174

Exierunt obuiam. Ductrix, & præcentrix Tereſia Virginum chori amantium Ieſum, eas docens quod Ieſu amorem,cruciatus,lacrymas,ſuſpiria; amore, lacrymis, doloribus, ſuſpiriis compenſent. *Ex c.2.v.22.diſc.2.parte 2.diſcurſus.* p.400

Sponſo. Tereſia ad magnanimos Chriſtiferæ auſus aſpirat, cum ex Ieſu labiis animum efflantis colligere auet poſtremum halitum, vt perpetuo viuat ſpiritu Chriſti. *Ex c.2.v.22.diſc.2. parte 2. diſcurſus n.5.6.7.* p.400.401

Sponſo. Tereſia Carmeli verticem tenet cùm eius mēs de Martyrij deſiderio purpuraſcit & Ieſu nomine coronatur. *Ex c.1.v.18.p.2.diſ.4.n.3.*p.182

Sponſo. Inexplebilis in Tereſia ſitis accedendi ad craterem ſapientiæ, & Euchariſticum fontem. *Ex c.1.v.13.parte 2.diſc.7.n.2.3.& 5.* p.136.137

Sponſo. Tereſia Ieſu amica,Ieſu ſpeculum in ſe continens Solis circulum. *Ex cap.1.verſ.18.parte 2. diſc.6.n. 3.* p.186

Et ſponſæ. Virginum Anteſignana Maria, quæ ardentem Filij ſui lampadem,oleum, & vnguenta pietatis, nimirum opera miſericordiæ Filio exhibita portat. *Ex c.2.v.2.expoſ.6.diſc.12.* p.309. *Vide ſpeciatim.n.6.* p.309

Et quæ parata erant. Tereſia per aſperioris vitæ habitum adepta eſt contemplationis faſtigium, per priuationem à terrenis, cœleſtium arcanorum fruitionem. *Ex c.1.v.18.diſc. 1.n. 8.* p.160. *& diſc.2.n. vltimo.* p.162

Intrauerunt cum eo ad nuptias. Charitas,Tereſiæ indiuidua ſodalis,in eius pectore conuentum ædificat,menſæ Seraphinorum facit accumbere, vt ambroſiis dapibus amoris paſta,& Spōſi deliciis delibuta in amorem Seraphicū transformentur. *Ex cap.2.v.2.expoſ.3.diſc.1.n.*3.4.5.6. p.239.240

Ad nuptias. Intrant Chriſti ſponſæ in conclaui Eccleſiæ ad nuptias Euchariſticas cum ſacri amoris deliquium Tereſia patitur, & immoto ſimilis cadaueri corruit,exoptat Euchariſticum fulcrum, & epulum, vt guſtata Deifica dulcedine penè exanimis ad vitam reuocetur. *Ex c. 2. v.2. expoſ.6.diſc.*10.p.303.vbi ſimiles affectus recenſentur de ſponſa ſacra,Deiparâque.

Et clauſa eſt ianua. Columbina ſimplicitas, perpetuæ innocentiæ candor, Angelica puritas datæ ſunt Tereſiæ tanquam claues aureæ, vt ſapientiæ diuinæ adyta intret. *Ex c.1.v.2.prælud.*7.p.26

Myſticæ ſapientiæ magiſterium, & lauream accipit ab Ieſu,& Euchariſtia. *Ex c.1.v.2.prælud.4.n. 1.*p.21,*præludio 5.n.1.2.& 5.*p.23.24. *& prælu.6. n.2.3.& 5.*p.24.25.*& c.1.v.2.diſ.4.n.poſtremo.*p.35

In menſe Nouembri.

In feſto omnium Sanctorum.

Matthæi Cap. 5.

Ad ea verba: *Beati qui perſecutionem patiuntur: &:beati eſtis cum maledixerint vobis homines,* &c.Habes *c.2.v.4.exp.2.plures diſ.*à p.356. ad 368

In menſe Decembri.

Pro Sancto Franciſco Xauerio Apoſtolo.

*Habes c.2.v.3.proprios diſcur.octauum,*p.336.*nonum,* p.338.*& ſextum,* p.332

In Conceptione immaculata Beatæ Mariæ.

Vide in feſtiuitatibus Deiparæ.

De Chriſti Natiuitate.

In feſtis Ieſu.

Pro Sancto Stephano.

Require poſt Dominicas Aduentus.

Pro Sancto Ioanne Euangeliſta, & Pro Sanctis Innocentibus. ibid.

Sermones aliquot extra ordinem.

Sermo pro edicto Sanctæ Inquiſitionis. *Habetur c.2.v.22.diſc.9.*p.417.10.p.420.& 8. p.415

Sermo pro renouatione ſpiritus.

*Reperietur c.1.v.18.cum 9.diſcurſibus.*à p.158.ad 174

Sermo pro Sacerdote primum ſacrum celebrante.

*Inuenietur c.1.v.5.à diſc.*7.p.73.*vſque ad* 13. p.85

Sermo pro ſuſcipiente Religioſum habitum.

Facilè formabitur *ex c.1.v.18.præſertim diſ.1.*p.158 *diſc.8.*p.171.*& diſc.9.*p.173.

ISAIÆ PROPHETÆ ELVCIDATIO LITERALIS, MYSTICA, ET MORALIS.

PROPHETIA ISAIÆ.

1. *VISIO Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem,*
in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda.
2. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus lo-*
cutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.
3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui:*
Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.
4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis*
ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retror-
ſum. 5. *Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? Omne caput languidum,*
& omne cor mœrens. 6. *A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: vulnus,*
& liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo:
7. *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alie-*
ni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. 8. *Et derelinquetur filia Sion, vt vm-*
braculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur. 9. *Ni-*
ſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomor-
rha ſimiles eſſemus. 10. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus*
legem Dei noſtri populus Gomorrhæ. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum*
dicit Dominus? plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitu-
lorum, & agnorum, & hircorum nolui. 12. *Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis*
quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis? 13. *Ne offeratis vltrà ſa-*
crificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates
alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. 14. *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras*
odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. 15. *Et cùm extenderitis ma-*
nus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exau-

diam : manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 16. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum*
cogitationum veſtrarum ab oculis meis : quieſcite agere peruerſè. 17. *Diſcite benefacere :*
quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. 18. *Et venite, &*
arguite me, dicit Dominus : ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur :
& ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. 19. *Si volueritis, & audieritis*
me, bona terræ comedetis. 20. *Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gla-*
dius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. 21. *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas*
fidelis, plena iudicij ? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. 22. *Argentum tuum*
verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ. 23. *Principes tui infideles, ſocij furum :*
omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant : & cauſa viduæ non
ingreditur ad illos. 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël : Heu,*
conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. 25. *Et conuertam ma-*
num meam ad te, & excoquam ad purum ſcorium tuam, & auferam omne ſtannum
tuum. 26. *Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiqui-*
tùs : poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis. 27. *Sion in iudicio redimetur, & redu-*
cent eam in iuſtitia. 28. *Et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul : & qui dereliquerunt Do-*
minum, conſumentur. 29. *Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt : & erubeſce-*
tis ſuper hortis, quos elegeratis. 30. *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & ve-*
lut hortus abſque aqua. 31. *Et erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtuppæ, & opus veſtrum*
quaſi ſcintilla : & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.

CAPVT PRIMVM.

Verſ. 1. Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda.

COMMENTARIVS.

Cur Iſaiæ vaticinia nuncupentur viſiones?

1. *Viſio.*] Hic verſiculus primus totius operis titulus eſt, & vaticiniorum Iſaiæ ſuperſcriptio, quæ ſacro interpreti lucem præfert; vt ſtatim primo aſpectu prologum, & argumentū Iſaiæ agnoſcat; quid, ſub quo Rege, & quo tēpore prophetarit.

Verſ. Hebræ.

Verbum Hebræum חזון *chazon*, à radice חזה *chazah reuelationem habuit, futura vidit*, vnde ſignificat *viſionem, & reuelationem*; & eſt illuſtris titulus libri Iſaiæ; *viſiones, & reuelationes Iſaiæ Prophetæ.*

Euang. Luc. Cur S. Lucas librum ſermonum vocat?

2. Euangeliſta Lucas cap. 3. num. 4. *librum ſermonum* appellat, aut quia Deus eos illi reuelabat, cum eo fatus : iuxta illud Numeror. cap. 24. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Aut quia Iſaias, vt Eccleſiaſtes eximius, celeberrimas, & eloquentiſſimas conciones, ad Reges, & populos habuit, ea manifeſtans, quæ à Domino acceperat. Etenim Prophetæ magiſtri, & concionatores populi fuerunt, vt dicemus ad caput octauum. Certè caput Iſaiæ primum, oratio quædam eſt incitata, grauis, vehemens, dolores, & ſenſus habens; in ea introductionem, ponderationem, exclamationem, increpationem, & exhortationem inuēnies. Quibus omnibus Concionatores inſtruit. Vnde non mirùm, ſi Iſaiæ vaticinia, & oracula, interpretum more literæ tenaces expendamus in Commentario; & in ſuggeſtu declamantium munere perfuncti, in diſcuſſibus ea enucleemus. Iſaias, qui ſimul Vates, & ſacer Præco eſt, nos cogit in lucubrationibus his Interpretem, & Eccleſiaſten agere.

Iſaiæ nomenclatio quid portendat?

3. *Iſaiæ.*] De ſe tanquam de alio loquitur modeſtiæ cauſâ. Iſaias interpretatur ſalus Domini; ex ישע *Ieſchahh* quod ſignificat ſalutem, opitulationem; & ex יה *Iah*, quod eſt vnum ex decem nominibus Dei decurtatum ex nomine יהוה *Iehouah*. Aliqui cenſent, hoc nomen vt decurtatum eſt, Deum exinanitum, id eſt, Chriſtum humiliatum, patientem, & mortuum portendere; vt ex arcano vatis nomine intentio vaticiniorum conſtet.

Amos, Iſaiæ genitor quis fuerit.

4. *Filij Amos.*] Non Amos Prophetæ, qui fuit vnus duodecim Prophetarum, ordine tertius, & contemporaneus Iſaiæ, de paſtoribus Thecue ad honorem, & munus Propheticum aſſumptus; ſed alterius de ſtirpe Regia domus Iuda nati. Prætérea vtrumque nomen *Amos* diuerſis omnino literis ſcribitur, vt notat ſanctus Hieronymus. Addit ſanctus Baſilius, patrem Iſaiæ fuiſſe Prophetam.

Iudam ſingillatim receſet propter ſaluatorem de tribu Iuda oriundum.

5. *Quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem.*] Tribum Iuda intelligit, ſub qua continetur Benjamin. Et licet ad alias gentes, Babylonicas, Tyrias, Idumæas, imò ad vniuerſum orbem Iſaiæ vaticinia extendantur : nominat ſpecialiter tribum Iuda, quía ex ea Chriſtus, in quem potiſſimum intendebat, ortus eſt : & in ciuitate Ieruſalem totius Palæſtinæ Metropoli portenta, & miracula patrauit, Euangelicam doctrinam tradidit, paſſus ac mortuus eſt. Si legamus iuxta Septuaginta : *contra Iudam, & Ieruſalem*, ſenſus eſt, quod hæc vaticinatio non ſolùm læta de Chriſti ortu, & redemptione generis humani, & populi temporaneà libertate; ſed etiam triſtia de captiuitate Babylonica, & aliorum Regnorum vaſtitate, & potiſſimum Ieroſolymitani Imperij tempore Titi, & Veſpaſiani, promittit. Hic eſt mos Prophetarum : floridis horrida, amaris dulcia, lenibus aſpera miſcent : triſtia lætis temperant, aduerſa proſperis mitigant.

Prophetarū mos, lætis triſtia tēperare.

Quo anno orſus eſt Prophetare?

6. *In diebus Oziæ :*] id eſt ſub initium Regni Oziæ, ſeu vt aliqui volunt, anno illius trigeſimo orſus eſt Iſaias prophetare iuxta probabiliorem temporum computationem, anno mundi, 3255. Diluuij, 1599.

quintæ ætatis, 316. fundati templi, 233. Troiæ excidiæ, 385. Imperij Aſſyriorum, 1324. anno ante Chriſtum natum, 798.

Quo anno natus Romulus? Euſeb. Cæſar.

7. Hoc anno trigeſimo Regni Oziæ vult Euſebius, Amulium Numitoris fratrem apud Latinos regnare cœpiſſe, eóque regnante vrbis Romanæ conditorem Romulum eſſe natum.

Quæ Vaticinia & ſub quibus regibus edidit?

8. In diebus Regni Oziæ edidit Iſaias vaticinia quinque priorum capitum, vt colligitur ex initio capitis ſexti incipientis: *Anno quo mortuus eſt Rex Ozias.* Tempore Ioathan ſolùm conſtat prophetaſſe vaticinium capitis ſexti. An verò alia vaticinia protulerit ex præcedentibus quinque, eo tempore, quo Rex Ozias leproſus domi delituit, & Ioathan, viuente patre, tenuit Regni gubernacula, non eſt compertum. Vaticinia tempore Achaz, eáque nobiliſſima, incipiunt à capite ſeptimo, & finiuntur capite 14. vbi dicitur verſ. 28. *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.* Reliqua vſque ad finem voluminis edita ſunt regnante Ezechia. Vide ſanctum Hieronymum in hæc verba Iſaiæ capitis 14.

Temporum computatio.

9. Sub Ozia prophetauit viginti duobus annis; ſub Imperio Ioathan ſedecim; ſub Achaz ſedecim; ſub Ezechia viginti nouem annis. Quibus omnibus prædicti Reges Regnum moderati ſunt, vt conſtat ex libro quarto Regum capite 15. num. 2. & 33. & cap. 16. 2. & cap. 18. 2. & 2. Paralipom. cap. 26. 27. 28. & 29. Sunt omnes anni quibus Iſaias *Temporis, & vitæ Iſaiæ ratio.* Regibus, & populo prophetauit, octoginta tres: Et cum vitâ functus ſit annum agens 118. ætatis ſuæ, anno trigeſimo tertio aſſumptus eſt ad Propheticum munus.

Diuini vates tempore ſuppares Iſaiæ.

10. Alij ex Prophetis minoribus ſunt temporè ſuppares Iſaiæ, & cum eodem prophetante concurrunt. Oſeas, ad quem factum eſt verbum Domini in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ; *Oſeæ cap. 1.* Ioel, qui ſub iiſdem Regibus Prophetauit. Amos, qui in diebus Oziæ. *Amos cap. 1.* Abdias, & Ionas. Michæas, in cuius titulo legitur: *Verbum Domini, quod factum eſt ad Michæam in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ.* Michææ cap. 1. Denique Nahum per aliquot annos contemporaneus fuit Iſaiæ, nam vt teſtantur Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus in Nahum, eius Prophetia cœpit eo tempore, quo decem tribus in captiuitatem ductæ ſunt, quod ſexto Ezechiæ anno contigit. Iſaias autem toto tempore, quo regnauit Ezechias prophetauit: vltimis itaque annis cum Nahum Propheta concurrit.

Quæſtiones procemiales.

11. Circa titulum, & inſcriptionem libri aliquæ prooemiales quæſtiones exoriuntur, quæ ad Iſaię intelligentiam lectori inter vaticiniorum caliginem, & ænigmatum vmbras gradienti faculam præferunt.

VISIO.

Cur Prophetæ dicantur Videntes?

QVÆSTIO I.

Prophetæ Videntes.

1. DEI Prophetas appellari videntes ex ſacra Scriptura compertum eſt, lib. 1. Regum cap. 9. num. 11. *Numquid hic eſt Videns?* & num. 18. *Acceſſit Saul ad Samuelem, & ait: Indica, oro, mihi, vbi eſt domus videntis; & reſpondit Samuel: Ego ſum*

videns. Et num. 9. dicitur: *Olim in Iſrael ſic loquebatur vnuſquiſque vadens conſulere Deum; venite, & eamus ad Videntem; qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.*

2. Sed cur dicebantur *videntes?* Prima ratio eſt, quia ſpiritu cœleſti afflati futura præſentiebant, & ea, quæ oculos, & humanum captum fugiunt, hominéſque latent, perſpicuè intuebantur. Hæc eſt Sancti Iſidori lib. 7. etymologiarum cap. 8. *Prophetæ in veteri teſtamento videntes appellabantur, quia videbant ea, quæ cæteri non videbant, & proſpiciebant ea, quæ in myſterio abſcondita erant.* Ferè idem affirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione de Spiritu ſancto: *Prophetæ futura proſpiciebant affecti mente à Spiritu ſancto tanquam cera, quo fiebat, vt ſibi futura, tanquam præſentia videre viderentur: ideò, & prophetiam viſionem vocare ſolebant, & ipſi Prophetæ Videntes appellati ſunt.*

Prima ratio. *Dicuntur videntes, quia proſpectabant futura.* D. Iſidor. D. Gregor. Nazianz.

3. Secunda ratio: quia Prophetæ ſunt ſpiritualia, & myſtica Eccleſiæ lumina, oculorum autem proprium eſt cernere. Oculos vocat diuinos Prophetas S. Ambroſius lib. de benedictionibus Patriarcharum ad ea verba Geneſ. cap. 49. *pulchriores ſunt oculi eius vino. Significans* (ait) *Prophetas, qui ſicut oculi Chriſti prædicauerunt, & annuntiauerunt eius aduentum.* Cant. 6. 4. vbi habet vulgatus: *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt:* legit Chaldæus: *Fac accumbere Magiſtros tuos ſapientes in circuitu in conſpectu meo, ipſi enim conſulebant me in captiuitate, & conſtituebant gymnaſium doctrinæ legis meæ.* Loquitur de Prophetis, qui Deum in captiuitate conſulebant, & legem Dei in ſcholis explicabant, vt dicemus ad caput 8. quos Chaldæus vocat Magiſtros, vulgatus appellat Oculos.

Secũda ratio. *Quia ſpirituales eccleſiæ oculi.* D. Ambr. Verſ. Chaldæi.

4. Liceat munia, & proprietates oculorum corporis, ad myſticos, & ſpirituales oculos, Prophetas transferre. De oculis corporis Philo Iudæus lib. de ſpecialibus legibus hæc verba protulit: *Sicut in corpore principatum natura dedit capiti, cui ſummum locum tanquam Regiam attribuit, ita inter cæteros ſenſus imperium penes oculos eſſe voluit, ideò hos quoque in ſublimi collocauit, vt principes.* Et poſt multa: *Hoc ſummum generis humani bonum* (ſcilicet cognitio Dei, & notitia Philoſophiæ) *acceptum fertur oculis: quos dignatos opinor eo priuilegio, quia ſunt dilucidiores cæteris ſenſibus, & magis illuſtrant animam.* Prophetica dignitas in Eccleſia antiqua tenuit principatum, ipsíque Prophetæ myſtici illius corporis Reges, & Principes, in ſanctitate, & ſcientiâ, & eloquentiâ extiterunt. Vates etiam, ſydera ſunt cœli, quæ à ſole illuminata diuino, voce, authoritate, lumine Prophetiæ, Iſraëlitico populo præluxerunt; illud ſummum generis humani bonum, Dei notitia, Meſſiæ aduentus; æquo iure acceptum dicitur à Prophetis, nam Prophetæ cecinerunt Chriſtum in carne venturum.

Oculorum munia aptãtur prophetis. Phil. Iud.

5. Sacra etiam ſponſa in amoris Epithalamio, Prophetis oculorum nomen impoſuit cap. 5. num. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Quæ verba ſic interpretatur Pſellus apud Theodoretum: *Illius oculi ſunt Prophetæ prudentiâ ſimplices, & moribus admirandi: ſuper plenitudines aquarum lotæ, id eſt, omnibus virtutibus exornati: in lacte conſidentes ſuper plenitudinem aquarum; non glorioſè virtutem oſtentantes, ſed admodum tranquillè eam excolentes.* Super eadem verba Canticorum grauiſſimum ſcripſit commentarium Sanctus Gregorius Nyſſenus homiliâ 3. in Cantica dicens: *Oculorum natura & proprium munus eſt cernere, propterea loci etiam ſitu ſupra ſen-*

Prophetarum mores, & vita in oculis adumbrata. Pſell. Theod. D. Gregor. Nyſſen.

ſuum reliquorum organa collocati ſunt; ad ductandum vniuerſum corpus a natura ordinati: quare cùm illos, qui ad veritatem duces ſunt, appellari à ſacris literis audimus, itavt alius dicatur videns, alius cernens, aliùs ſpeculator a Deo vaticiniorum in libris vocetur, adducimur eò, vt ſtatuamus illos, qui ad cernendum, & inſpiciendum, & ſpeculandum ordinati ſunt, oculos hîc appellari. Et ad ea verba: *ablutæ lacte*; ſe eiſdem Eccleſiæ oculis ſubdit: *In ſolo lacte ſimulachrorum expreſſio locum non habet; quo fit, vt hæc oculorum Eccleſiæ ſit laus perfectiſſima, quòd nihil, quod non ſubſiſtat in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum, præter ipſam rerum veritatem, velut vmbratili quodam ſimulacro fraudulenter repræſentent; ſed ipſiſſimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ ſpectris, & imaginationibus nequaquam admiſſis.*

Nyſſen.

Prophetarum interpretes Eccleſiæ oculi. Pſell.

6. Non ſolùm Prophetæ, ſed Prophetarum Interpretes, & contemplatores myſteriorum, in ipſis vaticiniis deliteſcentium, appellantur Eccleſiæ oculi, vt notat Pſellus ad ea verba Cant. cap. 4. num. 1. *oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecùs latet.* vbi legit cum Theodoreto: *oculi tui columbæ præter ſilentium tuum*: & ſic fatur: *Tu Eccleſiæ ſanctæ oculos intellige, ſcripta Prophetarum acutiſſimè intuentium, præter ſilentium tuum oculos tuos exteriores commendaui, interiorum enim laudes nulla aſſequi poteſt oratio.*

Theodor.

Tertia ratio. *A videndis Chriſti myſteriis.*

7. Tertiam, & potiſſimam rationem aſſignant Sancti Patres cur Prophetæ dicantur Videntes, quia Verbi Dei Incarnationem, & Chriſti myſteria videbant: itaque videntes à videndo, & annuntiando Meſſiam nuncupantur. Id colligitur ex vaticinio Balaam, Numer. cap. 24. num. 16. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt. Videbo eum ſed non modò; intuebor illum ſed non propè; orietur ſtella ex Iacob.* In quibus verbis myſterium Chriſti intuitus eſt, & à videndo Meſſia ſibi reuelato, Balaam dicitur Videns. Prædictam rationem confirmat Rupertus citatus in catena, Geneſ. cap. 12. vbi inquit: *Sunt omnes viri, quos prophetali nomine honorat domus Dei, ex eo Prophetæ dicuntur, & ſunt, quia præſcire meruerunt Incarnationem filij Dei.* Et eleganter S. Irenæus contra hæreſim Valentini lib. 4. cap. 37. *Præſignabant Prophetæ quoniam videbitur Deus ab hominibus; Prophetæ ab eodem Verbo propheticum accipientes Chariſma, prædicauerunt eius ſecundùm carnem aduentum, quoniam videbitur Deus ab hominibus, & conuerſabitur cum eis ſuper terram.* Ab obiecto ſuarum viſionum præcipuo, ſcilicet verbi Dei Incarnatione, *videntium* nomenclaturam, & munus, Prophetæ participant; vel quia ſermonis Prophetici, qui Populo annuntiabatur, potiſſimum argumentum erat, quod videbitur Deus ab hominibus, ideò Vates videntes vocantur, & hoc inſinuat S. Irenæus ſuprà.

Rupert. Ab.

D. Irenæ.

Videntes, dicuntur à videnda & contemplanda Deipara. Guilhelm.

8. Poſtremò Vates appellati ſunt videntes à videnda Dei Genitrice, quia ſpiritali Prophetiæ intuitu Deiparam contemplati ſunt. Diuite venâ pietatis in Deiparam piiſſimus Guilhelmus legentium pectora perfundit; ad illam Canticorum 6. verſ. 8. ſententiam: *viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt.* Sionis, ſiue ſpeculationis filias appellitat Vates in hunc modum: *Sion interpretatur ſpeculatio: per filias ergo Sion animæ illæ, ſub veteri teſtamento ſpeculatiuæ prophetiè, non incongruè figurantur. Reuera enim huiuſmodi animæ filiæ ſpeculationis erant, excellenti nimirum gratiâ eleuatæ in ſublimem quandam ſpeculam Propheticæ ſagacitatis, vt proſpicerent eminùs, quæ facturus erat Deus magnalia ſuper terram. Siquidem magnum illud pietatis ſacramentum, quod ſuo tempore manifeſtandum erat in carne, ſpiritalis obtutus acumine longe antè viderunt, & ſacris vocibus prænuntiauerunt; quantùm in prouidendo ſagaces, tantùm in pronuntiando veraces. Viderunt inquam futurum Virginis conceptum, & partum, viderunt filium Dei in plenitudine temporis factum iri ex muliere; & dixerunt. Beatus venter, qui te portabit, & vbera, quæ ſuget Emmanuel: beata, quæ credet euangelizanti Angelo, atque eo ipſo expiabit antiquum illud primæ mulieris elogium.*

Guilhelm. *Prophetæ Mariam ſalutabant.*

9. Et ſtatim ſubiungit: *viderunt inquam filij ſpeculationis matrem luminis a longè: viderunt eam de ſpecula Prophetiæ, & cum debita reuerentia de longè ſalutauerunt eam, dicentes: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Faxit Deus, vt à matre luminum de propinquo proſpectatâ, & ſalutatâ, illuminetur Interpres.

Isaiæ.

An Iſaias ſit omnium Prophetarum maximus?

Ratio dubitandi, & ſolutio quæſtionis.

Quæstio II.

Iſaias cum Moyſe & Dauide comparatur. D. Thom.

1. Cum Moyſe, & Dauide poteſt fieri comparatio, nam de reliquis Prophetis ferè nullus eſt ambigendi locus. Moyſem eſſe Prophetarum eximium affirmat ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 174. art. 4. & quæſt. 12. de veritate art. 14. Probat ex Deuteronom. c. 34. num. 9. & 10. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum vt faceret in terra Ægypti Pharaoni.* Et Numeror. cap. 12. verſ. 7. & 8. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.*

D. Chryſoſt. *Moyſes Prophetarum apex.*

2. Chryſoſtomus ſæpe vocat Moyſem Prophetarum maximum. Et tom. 5. epiſt. 2. ſic ait: *Moyſes Prophetarum vertex.* Et eodem tomo homiliâ de regreſſu ex Aſia ad Conſtantinopolim: *Moyſes caput Prophetarum.*

Prophetiæ eſſentia, & complementum.

3. Et confirmatur: quia ea omnia, quæ ad viſionis Propheticæ naturam, & complementum exiguntur, reperiuntur in Moyſe in gradu excellentiori. Primò, intellectualis viſio, adeò perfecta, vt ad intuitiuam Dei viſionem meruerit eleuari. Sicut dictum eſt ſuprà: *palam, & non per ænigmata Dominum videt.* Secundò, non loquebatur cum illo Angelus, ſed ipſe Deus: *ore ad os loquor ei.* Tertiò, quia imaginaria viſio, in qua conſiſtit quidditas Prophetiæ, extitit in eo perfectior, nam Deus cum eo loquebatur facie ad faciem, non per ſomnium, ſed in vigilia, quod de nullo alio legitur. Quartò, prophetica denuntiatio fuit in eo perfectiſſima, cùm alij Prophetæ ſpecialem ciuitatem inſtruerent, Moyſes verò vniuerſum populum Iſraël. Quintò, audacia coram Pharaone, & purpuratis eius fuit in eo maxima, & operatio miraculorum portentoſa, & penitus inaudita. Relinquitur ergo quod Moyſes fuerit Prophetarum eximius.

4. Poſt

Dauidica vaticinatio-nu excellentia. D. Thom.

4. Poſt Moyſem ſequitur Dauid, qui per excellentiam dicitur Propheta, nulli alteri ſecundus, ſed omnibus illuſtrior. Colligitur ex Gloſſa in principio Pſalterij, quem refert Sanctus Thomas quæſt.12. de veritate, art.12. vbi ait: *Ilius Prophetiæ modus eſt cæteris dignior, quando ſcilicet ex ſola Spiritus ſancti inſpiratione, remoto omni exteriori adminiculo facti, vel dicti, vel viſionis, vel ſomnij Prophetarum, talis eſt Prophetia Dauid.* Idem affirmat Gloſſa Lyræ ad ea verba Dauid nouiſſima lib. 2. Regum cap.23.verſ.3.& 4. *Spiritus Domini loquutus eſt per me. Sicut lux auroræ manè abſque nubibus rutilat.* Ibi Gloſſa: *Iſtud pro exemplo inducitur ad oſtendendum excellentiam Prophetiæ Dauid, quæ fuit ſine imaginibus, ſcilicet Prophetia, & viſio ſpiritualis abſque imaginaria.*

Lyran. Gloſſa.

Tharaſ. *Dauid Prophetarum princeps.*

5. Idem affirmare videtur Tharaſius Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Ioannem Preſbyterum, & Anachoretam tomo 3. Conciliorum, vbi Dauidem vocat *Vino diuini ſpiritus inebriatum, & afflatu Dei illuſtratum, in Regibus Prophetam, & in Prophetis Regem.* Ac ſi diceret, Dauidem eſſe Prophetarum Regem, & Principem.

Pro Iſaia auctoris ſuffragium.

6. Sed hæc omnia non conuincunt: veriſimile enim videtur Iſaiam in dignitate, & munere Prophetico non fuiſſe inferiorem Moyſe & Dauide. Id non obſcurè oſtendit eximium Iſaiæ elogium ab Spiritu ſancto dictatum, Eccleſiaſtici ore prolatum cap. 48. verſ. 23. & ſequentibus, vbi inquit: *purgauit eos in manu Iſaiæ ſancti Prophetæ: deiecit caſtra Aſſyriorum, & contriuit illos Angelus Domini; nam fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid Patris ſui, quam mandauit illi Iſaias Propheta MAGNVS, & fidelis in conſpectu Dei: in diebus ipſius retrò rediit ſol, & addidit Regi vitam: Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion; vſque in ſempiternum oſtendit futura, & abſcondita antequam euenirent.* Examinanda ſunt verba illa: *Propheta Magnus. Spiritu magno vidit.* Cum Eccleſiaſticus illuſtres antiquæ Eccleſiæ viros maximis laudibus exornaſſet, Enoch, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſem, Aaron, Ioſuè, Samuel, rurſus Prophetas Nathan, Dauidem, Salomonem, Eliam, Eliſæum; deueniens ad Iſaiæ præconia, cognomen *magni Prophetæ*, & *ſpiritu magno prophetantis* illi detulit, proculdubio, quia inter Dauidem, Moyſem, & reliquos Prophetas, munere Prophetico vnus Iſaias eminet. Antiqui Heroës nuncupati ſunt magni, Fabius, Alexander, Carolus & ex Diuis Gregorius, Baſilius; quod *magni* ornamentum, & inſigne illis populus communi acclamatione detulit, quia prudentia, fortitudine, bellica gloria, virtute, aut ſanctitate ſeſe ſupra reliquos extulerunt. Plutarchus in Fabio rationem aſſignat, cur vocatus ſit maximus, *vt qui fortitudine animi, & ſapientia cunctis præſtaret.* Non populus, ſed ſpiritus ſanctus, qui merita Sanctorum ſcrutatur, & ponderat, Iſaiæ *magni Prophetæ* cognomen impoſuit, quia Prophetas omnes ſpiritu Prophetico, & dono Prophetiæ ſuperat.

Iſaias Propheta Magnus; & ſpiritu Magno cernens futura.

Scriptura diuina ſoli Iſaiæ Cognomen Magni tituli.

Cur cognomine Magni, aliqui ex diuis, & ex profanis fuerint decorati. Plutarch.

Cur Propheta Magnus, & Spiritu Magno vaticinans dicatur? Dionyſ. Carthuſ. Ianſen.

7. Fauent Interpretes ad ea verba Eccleſiaſtici: *Propheta Magnus, & ſpiritu Magno:* Dionyſius Carthuſianus: *ſpiritu magno, id eſt, corde ſublimiter illuminato, ſeu Spiritu Prophetico illuminato.* Ianſenius: *bene dicit Spiritu magno vidiſſe, quia vt ex eius ſcriptis patet, multa prævidit, ac longè plura, ac maioris ponderis, quam alij. Vnde ſpiritus Prophetiæ in eo fuit magnus, vt qui clarè fuit illuminatus, & ad multa, ac magna diffuſus.* Ex quorum placito à magnitudine, & perfectione claritatis viſionis, & luminis Prophetici, vocatur magnus.

D. Baſil. *Sunt Baſilij à luminari Magno.*

Afferri poteſt Magnus Baſilius, qui ad ea verba Geneſis cap.1.verſ. 16. *fecit Deus duo luminaria magna:* inquirit homilia 16. cur dicantur *magna*? Et reſpondet, non a molis magnitudine *luminaria magna dicuntur: ſed quia tanti ſunt ambitus, vt is, qui ab ipſis diffunditur ſplendor, cælum colluſtret, ac aerem, atque ad vniuerſam terram ſimul, mareque ſeſe extentat, cunctaque compleat.* Id eſt: dicuntur luminaria magna à lucis copia, quia velut luminis, & claritatis fontes reliqua ſidera, & quæ in cæli ambitu clauduntur, ornant, & illuſtrant. Inter reliqua Prophetarum ſidera Iſaiam Vatem Magnum, luminare magnum, non immeritò appellabis, quia clariori, & abundantiori lumine Prophetico illuminatus, de omnibus Chriſti, & Eccleſiæ myſteriis, illuſtriora, & clariora edidit vaticinia.

Prophetici muneris excellentiam in Iſaia Propheta ſuis elogiis confirmant Eccleſiæ Patres.

D. Hieron. *Iſaias Apoſtolus & Euangeliſta.*

8. PORRÒ Sanctus Hieronymus proœmio in Iſaiam ad Euſtochium, ſanctiſſimum vatem *Apoſtoli, & Euangeliſtæ* inſulis ornat dicens: *ſicque exponam Iſaiam, vt illum non ſolum Prophetam ſed Euangeliſtam, & Apoſtolum doceam. Ipſe enim de ſe, & de cæteris Euangeliſtis ait: quam ſpecioſi pedes euangelizantium! Et ad ipſum quaſi ad Apoſtolum loquitur Deus: quem mittam, & quis ibit ad populum iſtum? Et ille reſpondet: ecce ego, mitte me.* Apoſtoli autem, & Euangeliſtæ clariori, & vberiori lumine illuſtrati ſunt. Moyſes, & Dauid remanent intra chorum Prophetarum; Iſaias inter Apoſtolos, & Euangeliſtas numeratur.

D. Cyrill. Alexand.

9. Addo Sanctum Cyrillum Alexandrinum lib.1. oratione 1. in Iſaiam. *Quare mihi videtur Beatus Propheta Heſaias non ſolà prophetiæ gratia plurimum exornatus, ſed & decoribus Apoſtoli. Etenim in hoc ipſo Propheta ſimul, & Apoſtolus; & in hac ſcriptione ſua habebit ſermones ab Euangelicæ prædicationis ſplendore non abhorrentes.* Hæc Cyrillus.

Procop.

10. Procopius in caput 6. Iſaiæ: *Quoniam verò* (inquit) *Apoſtolos primùm, deinde Prophetas creauit Deus, ob id primum Apoſtolatus gratiam Iſaias excipit.* Hæc Chriſtianus Sophiſta.

D. Iſidor. Hiſpal. D. Iſid. Peluſ. *Iſaias vir ſumma perſpicacia, & omnium vatum apertiſſimus.*

11. Huic Catenæ aureæ annecte duos Iſidoros, Hiſpalenſem lib. 6. etymologiarum cap. 2. *Iſaias Euangeliſta potiùs, quàm Propheta edidit librum ſuum.* Et Peluſiotam epiſt.42. *Iſaias vir ſummâ perſpicaciâ præditus.* Et Epiſt. 566. *Eſaias Prophetarum omnium apertiſſimus.*

Rupert. *Quare tempore aduentus recitetur Iſaiæ vaticinium.*

12. Rupertum Abbatem Tuicienſem lib.3.officiorum cap.11. qui de Iſaia fatur: *Notandum verò quod antiqua, & vniuerſali ſanctæ Eccleſiæ conſuetudine per hoc tempus* (aduentus Domini) *rationabiliter legitur Eſaias Propheta, qui tam primum quàm ſecundum Domini aduentum, eloquenter euidens, & euidenter eloquens, nobilis Propheta imò magnus, & verus nuntiat Euangeliſta.*

D. Hieron. *Iſaias vir nobilis, verborum, & diſertus.*

13. Secundò: Sanctus Hieronymus in præfatione ad Paulam, & Euſtochium de tranſlatione Iſaiæ, celebrat illius magniloquentiam, verborum ſublimitatem, ſententiarum altitudinem, verè Regium ſermonis ornatum; de cuius ore profluit aureum eloquiorum flumen, & non ſolùm mellifluus, ſed præ Pactolo, & Tago diues, & auriſluus in ſingulis oraculis eſt. Scribit Hieronymus: *Ac primum de Eſaia ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit. quippe vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ: nec habens quid-*

quam in eloquio ruſticitatis admixtum: vnde accidit, vt præ cæteris florẽ eius ſermonis tranſlatio non potuerit conſeruare. Ita enim vniuerſa Chriſti, Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, vt non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere. Vnde conijcio noluiſſe tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei ſuæ Sacramenta perſpicuè Ethnicis prodere: ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent. Itaque Septuaginta ſeniores ſublimitatem Vaticiniorum, & myſteriorum Iſaiæ præ cæteris mirati, & venerati ſunt, cùm ea Gentibus propalare non ſunt auſi.

Hiſtoriam Euangelicam texit.

LXX. interpretes Iſaiæ vaticinia venerantur.

D. Gregor. Magn. *Omnium vatum eloquentiſſimus.*

14. De Iſaiæ eloquio Sanctus Gregorius Magnus lib. 5. in caput 1. Regum capite 13. ſcribit: *Eſaias etiam Prophetis aliis eloquentior extitit, quia nec vt Hieremias Anathotites, nec vt Amos armentarius, ſed nobiliter inſtructus, atque vrbanus fuit.*

D. Ambr.

15. Tertiò: cùm Ambroſius de ſuo lumine, luminare Eccleſiæ magnum incendiſſet Auguſtinum, eúmque gratia Dei, ſpiritu, & eloquio verè ambroſio attraxiſſet ad veri paſtoris ouile; à parente filius; à Magiſtro, fidei diſcipulus cupiuit audire, quo libro ſacræ literaturæ plus in virtute proficeret: id fatetur Auguſtinus libro 9. Confeſſionum cap. 5. ibíque literis mandat Ambroſij reſcriptum, in cóque præ cæteris vatibus Iſaiæ excellentiam: *Inſinuaui per literas Antiſtiti tuo viro ſancto Ambroſio, vt moneres quid potiſſimum mihi de libris tuis legendum eſſet, quò percipiendæ tantæ gratiæ paratior, aptiórque fierem. At ille iuſſit Eſaiam Prophetam, credo quod præ cæteris Euangelij vocationiſque Gentium ſit prænuntiator apertior.*

D. Auguſt.

Præ cæteris vatibus apertiùs annuntiat vocationem gentium.

16. Quartò, Iſaiæ animoſitatem, inuictum animi robur, & in dicendo libertatem prædicant Sanctus Ambroſius in Pſalm. 118. ſermone 14. expendens verba Iſaiæ cap. 6, *Quem mittam?* ſubiungit: *Quamuis eius ſcribit affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam. Vnde ſe offerens Eſaias ait: Ecce ego, mitte me. Et ſic poſtea miſſus eſt ad populum. Ideò de eo dictum eſt: quia Eſaias audet, & dicit. Etenim quaſi voluntarium organum vberiori ſpiritus ſui gratiâ Chriſtus impleuit.*

Iſaiæ animoſitas maxima.

D. Ambr.

17. Et Sanctus Chryſoſtomus poſteriori Prooemio in Iſaiam fatur: *Quânam potiſſimum virtute Propheta hic cæteris præluxerit, noſſe quidem, vel maximè liceat ex opere ipſius, vtpote qui loquutus ſit tantâ cum Spiritus vehementiâ. Ipſius enim ingenuam in loquendo libertatem, inuictam, nec ſeruilem conſtantiam, mentem ad ardua erectam, inque edendis (quæ de Chriſto erant) Propheticis oraculis multam eius perſpicuitatem repræſentans Paulus, vniuerſa hæc vnâ exprimit ſententiâ, dicens: Eſaias audet, & dicit.* Et Prooemio priori in Iſaiam loquitur: *Prodeat igitur in medium eximius ille ſpectator Seraphim Eſaias, auditor ille myſticæ modulationis, qui de Chriſto oracula vix vllis numeranda edidit, ac præcinuit.* Hæc ex ore aureó.

D. Chryſoſt. *Impauidum pectus.*

Elogia.

18. Potentiſſimus Rex Cyrus ſactis Iſaiæ vaticiniis eximiam religionem, & cultum detulit, cùm diuinâ eorum eloquentiâ permotus, durum ſeruitutis iugum à ceruicibus Iſraëlitarum auertit. Id teſtatur Ioſephus lib. 11. antiquitatum cap. 1. *Hoc autem* (inquit) *Cyrus cognouit ex lectione libri, qui Iſaiæ Prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipſius ætatem conſcriptas. Hic enim ſecretum hoc Deum ſibi indicaſſe dixit, quod vellet Cyrum, quem multarum, ac magnarum gentium Regem declamaturus eſſet, remittere populum ſuum in terram Iudæam, & templum ſuum ædificare denuò. Hæc Eſaias prædixit centum quadraginta annis antequam templum deuaſtatum eſt. Quibus lectis Rex admiratus vatis diuinitatem, correptus eſt cupidine exequendi quæ ſcripta legerat.* Hoc Ioſephi teſtimonium propter ipſius antiquitatem, Eccleſiæ proceribus adiunximus.

Iſaiæ ſummum honorē detulit Rex Cyrus, cuius vaticiniis permotus durum ſeruitutis iugum ab Iſraëlitis auertit.

Ioſeph.

19. Quintò, Sanctus Bernardus ſerm. 3. de natiuitate: *ſed & ille vir nobilis, & profundi ſermonis vrbanitate perlucidus, affectuoſis exceſſibus incaleſcens.* Et in ſententiis num. 14. loquens de duplici gradu perfectionis, inferiori, & ſuperiori: hæc de Iſaia annectit: *In vtroque gradu vidit Chriſtum; in primo, Crucifixum; in ſecundo, gloriâ, & honore coronatum: in primo, erat Eſaias quando dixit: & vidimus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor, in ſecundo erat, quando dixit: vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.*

S. Bernard. *Exceſſu diuini amoris æſtuat, & perfectionis Chriſtianæ tenet apicem.*

20. Sextò: Sanctus Petrus Damianus aſſerit Iſaiam Euangelicæ illuminationis, & Propheticæ reuelationis ſummam puritatem, & faſtigium tenuiſſe, ſerm. 52. expendens viſionem Iſaiæ cap. 6. ita fatur. *Viſio hæc corporalis non eſt, vel phantaſticis inuoluta præſtigiis, ſed ſpiritalis, & pura, purioris intelligentiæ deſiderans ſanctitatem. Hanc non vident niſi videntes, & qui mundi caliginem ſupergreſſi, ſplendorem diuinitatis lucidiſſimâ mente ſuſcipiunt: & vt breuiter eam definiamus, ſpiritus Dei noſtro ſpiritui dulciter applicatus hanc efficit viſionem, cùm nos de præſcientia cumulat futurorum. Hoc igitur ille totius Prophetalis eloquentiæ gloria, vidit Dominum, & ſedentem.* Deus, & gloriam Prophetalis eloquij ſcitè nuncupat Iſaiam.

In Iſaia Euangelicæ illuminationis, & Propheticæ reuelationis ſumma puritas.

D. Petr. Damian.

21. Septimò florilegium Hugonis Cardinalis pono, legit ex Patribus laudum floſculos, ſertúmque componens, diuini vatis verticem coronat; prologo in Iſaiam ſcribit: *Præcellit autem Eſaias alios Prophetas in quinque, ſcilicet tempore, dignitate, ſermonis vrbanitate, ſententiarum profunditate, verborum apertione. Tempore: quia ferè centum quinquaginta annis Prophetauit* (hic annorum numerus ab aliis coarctatur.) *Dignitate præcellit Iſaias alios Prophetas, quia nobilis genere fuit: vnde neptem, vel filiam Regis Iuda in vxorem habuit. Sermonis vrbanitate præcellit: quia vrbanus vrbanè loquutus eſt, non ſimplici, vel paſtorali eloquio vtens ſicut alij. Myſteriorum profunditate præcellit: vniuerſa enim Chriſti, & Eccleſiæ ſacramenta profundiſſimè proſecutus eſt. Item verborum apertione præfuit: quia apertè de Chriſto loquutus eſt: vt non de futuris prophetiam, ſed potiùs de præteritis hiſtoriam texere videatur.* Hæc purpuratus Hugo, Eximia deſcribit decora, quibus Iſaias vates præcellit.

In quibus præcellat Iſaias aliis vatibus.

Hugo Card.

22. Denique Salianus tom. 4. fol. 784. in Iſaiæ Epitaphio ſubſcribit: *Spelunca Iſaiæ Prophetæ ſanguine, meritis, ætate, vaticiniis omnium Prophetarum longè clariſſimi.*

Salian.

23. Finiam Iſaiæ magnalia, coronide ex Germano Patriarcha Ieroſolymorum mutuatâ: ſic in oratione de ſancta Cruce fatur: *Ex Iſaiæ grandiloquis oraculis deſumpta ſunt hodierna die Eccleſiæ ex Gentibus collectæ Euangelia, vt à lingua quidem in carbonem quaſi redacta, buccella Carbonis diuinitùs ſubſiſtentis egregia, & ſplendida: vt verò a cœleſti altitudine deſcendentia, exauditu facilia, & inſtar tonitrui vocalia. Talis enim Prophetæ vox, cœlum percurrens, & circumſonans terram: Audi, inquit, cœlum, & auribus percipe terra. Sed vocem ſuam tonitrui ſimilem initio Prophetiæ oſtendit.* Hæc Germanus: Reſtat ergo Iſaiæ præconium, & excellentia præ cæteris vatibus, ex Sanctorum Patrum calculo.

Iſaiæ vox grandiloqua, tonitruo ſimilis, cœlum & terram perrumpit.

German Patriar. Ieroſol.

Rationis ſuffragium, & obiectionum ſolutio.

Prophetiæ naturæ, & complementum in ſummo gradu reperiuntur in Iſaia.

24. IDipſum ratione oſtenditur: ea, quæ attinent ad eſſentiam prophetiæ, vt mentis illuſtratio, & imaginaria viſio, & quæ ſpectant ad prophetiæ comple

complementum, vt ſunt Prophetica denuntiatio, audacia, operatio miraculorum, reperiuntur in Iſaia in gradu perfectiſſimo. A complementis incipio. Perfectior fuit in Iſaia, quam in Moyſe denunciatio, nam licet Moyſes verba Dei toti populo nuntiaret, Iſaias non ſolùm annuntiat futura populo Iudaico, ſed etiam Gentilico; vaticinatur de omnibus gentibus Babyloniis, Idumæis, Tyriis, &c. omnibúſque Chriſtum prædicat, & verbum ſuum ad vniuerſum terrarum orbem extendit. Quare prophetica denuntiatio Iſaiæ perfectior, & vniuerſalior fuit.

Audacia illius maxima.

25. Audacia in eo maxima enituit ab omni timore experte, non ſicut in Moyſe tergiuerſante, & reluctante legationem coram Pharaone. Vnde Exodi 4. verſ. 24. dicitur quod apparuit Deus Moyſi in itinere; *& volebat occidere eum.* Vbi Theodoretus quæſtione 14. inquit: *metu metum repellens* Iſaias nequaquam timuit, ſed miſſione propoſitâ: *O quem mittam?* Iſaiæ cap. 6. licet capitis periculum euidens immineret, intrepidus, impauidus in medium proſiliit dicens: *Ecce ego.*

Iſaia prodigia comparãtur cũ Moyſi miraculis.

26. Si verò miracula Moyſi, & Iſaiæ comparemus, non erit Iſaias inferior. Moyſes mare diuiſit, & vndarum motus coërcuit; Iſaias cœlos, Solem, & Lunam retrogrado greſſu regredi fecit. Rupes Moſaicâ virgâ percuſſa perennes eiaculatur aquas; Iſaias aquam fontis Siloë ſuis orationibus impetrat. Moyſes Pharaonem plagis percuſſit; Iſaias Regem Ezechiam morti deſtinatum ficorum cataplaſmate ſanauit, vitámque Regis per quindecim annorum ſpatium protelauit. Ad preces Moyſi Angelico gladio Ægyptiorum primogeniti trucidantur; ad preces Iſaiæ Aſſyrius fugatur, occiditur: *Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Iſaiæ cap. 37. n. 36. in operatione miraculorum Moyſes, & Iſaias ferè ſunt æquales.

Vaticinij Prophetici eſſentia D. Thom.

27. Sed deueniamus ad eſſentiam prophetiæ, quæ iuxta ſententiam Sancti Thomæ dupliciter poteſt accipi. Propriè, & rigoroſè; aut latè. Vnde ait 2. 2. quæſtione 174. art. 2. ad 2. *Magis propriè dicuntur Propheta, qui vident per imaginariam viſionem: quamuis illa prophetia ſit nobilior, quæ eſt per intellectualem viſionem.* Et in iſta propria acceptione prophetiæ concedit Iſaiam omnibus excellere, art. 3. corpore circa finem ait: *Adhuc altior (viſio) ſi videatur in dormiendo, vel vigilando in ſpecie Dei ſecundum illud Iſaiæ cap. 6. vidi Dominum ſedentem.* Prætereà in nobiliori gradu prophetiæ, quæ eſt per intellectualem viſionem Iſaias inter omnes eminet, quia ferè omnes viſiones, exceptâ viſione Seraphim cap. 6. & viſione curris duorum equitum capite 21. ſunt viſiones ſpirituales, & reuelationes Spiritus Sancti, in quibus intelligibiles veritates abſque imaginaria viſione oſtendebantur. Quæ omnia indicat Iſaias agens de ſe ipſo, & de dono prophetiæ diuinitùs ſibi collato. cap. 22. num. 14. *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum.* Intellectum vocat aures animi. Et cap. 42. num. 20. loquitur Deus cum Iſaia: *Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit, vt ſanctificaret, & magnificaret legem, & extolleret.* De ſe tanquam de alio loquitur: quod Deus eum nominet multa videntem, & ſpiritualiter audientem: quia multo plura vidit, & audiuit quàm alij Prophetæ, quòd legem Euangelicam multò antea ſuis ſpiritualibus reuelationibus magnificauerit, & extulerit, omnia Chriſti, & Eccleſiæ præuidens myſteria. Et cap. 50. num. 4. de ſe ipſo Iſaias fatur: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Quæ verba Sanctus Thomas de Iſaia ad literam interpretatur, quia Spiritus Sanctus ſpirituales viſiones ſine adminiculo viſionis imaginariæ dictabat, & Iſaias immediatè ab Spiritu Sancto, quaſi à Magiſtro accipiebat.

In intellectuali viſione Iſaias eminet.

D. Thom.

Fit ſatis obiectionibus.

28. Ex his patet reſponſio ad obiecta. Moyſis familiaritas cum Deo per externas apparitiones, & ſenſibiles reuelationes ſignificatur per illa verba quod loquebatur, vel videbat Deum facie ad faciem, & non per ænigmata; non verò viſio Dei clara, & intuitiua; Demus, de iſta eſſe ſermonem, hæc non pertinet ad rationem prophetiæ; & benè ſtat, quod ille, qui non vidit in hac vita Deum per eſſentiam, ſit perfectior Propheta, quàm ille, qui eum vidit; vnde omnes Apoſtoli, præter vnum Paulum, non viderunt Deum per eſſentiam in hac vita, cùm tamen dono prophetiæ fuerint Moyſe illuſtriores: verba Deuteronomij intelliguntur, quod non ſurrexerit vltrò Propheta, qui ita familiariter cum Deo loqueretur. Ad auctoritates Chryſoſtomi dicendum eſt, quod Moyſes fuit Propheta magnus Synagogæ; Iſaias verò Propheta maximus Eccleſiæ Chriſtianæ. Vel quod fuit ille maximus prodigiis, non verò dono prophetiæ.

29. Ex dictis etiam conſtat, quid dicendum ſit ad id, quod affertur de dono prophetiæ Dauid, qui licet per excellentiam nominetur Propheta; Iſaias appellatur ab Spiritu Sancto Propheta magnus, & ſpiritu magno vaticinans. Manet ergo, quod Iſaias Propheta ſit omnium Prophetarum maximus.

Quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem.

Quod ſit argumentum potiſſimum, & vniuerſale vaticiniorum Iſaiæ?

QVÆSTIO III.

Aliquot argumenti veſtigia Iſaiæ Prophetæ apud veteres Patres inueniuntur.

Iſaiæ argumentum ex S. Auguſtino. D. Auguſt.

1. ANTIQVI Eccleſiæ Patres cùm de Iſaia ſermonem inſtituunt, potiſſimum huius argumenti partem indicant. In primis Sanctus Auguſtinus tomo 5. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 29. *Eſaias (inquit) inter illa, quæ iniqua arguit, & iuſta præcipit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto, & Eccleſia, hoc eſt de Rege, & ea quam condidit ciuitate, multo plura quàm cæteri, prophetauit. Ita vt à quibuſdam Euangeliſta potius quam Propheta diceretur.*

Ex S. Brunone. D. Brun.

2. Sanctus Bruno partem illam argumenti præcipuam de reprobatione Iudæorum, & electione Gentium, qui ſunt quaſi duo cardines, quibus cœleſtis vaticiniorum moles mouetur, in Iſaiæ verbis agnouit. Ad Romanos cap. 10. *Eſaias autem audet, & dicit.* De eius audacia, & ſermonibus arrexit verba: *hæc de ſaluatione Gentium, & reprobatione Iudæorum. Audet vtique. Hic enim Iſaias, quia manifeſtius cæteris ſalutationem, Gentium prophetauit,*

multa pertulit à Iudæis, & ad vltimum interfectus eſt ab eis.

Ex Angelico Doctore. D. Thom.

3. Ferè idem inſinuat Doctor Angelicus procœmio in Iſaiam dicens: *Eſt principaliter materia huius libri apparitio filij Dei, & inde in Eccleſia tempore aduentus legitur. Eſt autem triplex apparitio filij Dei. Prima, qua apparuit in carne homo factus. Secunda, qua apparuit per fidem à mundo creditus. Tertia, qua apparebit per ſpem in glorificatione. Et iſtæ apparitiones ſunt materia huius libri. Unde in Prologo dicitur, quia omnis cura eius eſt de aduentu Chriſti, & vocatione Gentium.*

Ex Alexandrino Antiſtite Cyrillo. D. Cyrill.

4. Nec diſſentit Alexandrinus Antiſtes, & magnum Eccleſiæ luminare Sanctus Cyrillus lib. 1. oratione 1. in Iſaiam. Verba eius ſubijcio: *Oratio huius prophetiæ mixta eſt, Iſraele videlicet immorigerante minus grauiter intendit [illegible] bonis autem ſermonem promiſſionis induit, paſſim redemptionis per Chriſtum nunciationem inſerit; atque ſubſequentibus temporibus à ſocietate, & contubernio Dei exterminandum Iſraelem; neceſſariam vero Gentium multitudinem per fidem in Chriſtum iuſtificatam.*

Ex S. Iſidor. D. Iſidor.

5. Idem argumentum grauiſſimis ſententijs, & elegantiſſimis verborum luminibus ornat Sanctus Iſidorus lib. 7. Etymologiarum cap. 8. *Iſaias interpretatur Saluator Domini. Et merito. Saluatorem enim vniuerſarum gentium, eiuſque Sacramenta amplius quam cæteri prædixit.* Et in allegorijs ex veteri teſtamento. *Iſaias formam Euangeliſtarum, & Apoſtolorum expreſſit, qui vniuerſa Sacramenta Chriſti, non quaſi futura, ſed quaſi præſentia prædicauit.*

Ex Procopio, & Euſebio Cæſarienſi. Procop. Euſeb.

6. Procopius de Propheticorum librorum appellationibus, ex Euſebio Cæſarienſi in [illegible] *autem intuitus, vaticinatus eſt aduerſus Iudæam, & Hieruſalem. Factus eſt verò ſermo Domini ad ipſum, bonáque ipſius prophetiæ pars nuncius eſt [illegible] de Verbi Dei aduentu, déque eis, quæ noſtri [illegible] paſſus eſt.* Eadem ferè verba reperiuntur apud [illegible] Athanaſium in ſynopſi [illegible] Scripturæ [illegible] 9.

Ex Doctore Maximo Hieronymo. D. Hieron.

7. Quibus omnibus Calculum [illegible] adijcit S. Hieronymus in procœmio Iſaiæ: *Nullus [illegible] putet* (inquit) *me voluminis illius argumentum [illegible] cupere ſermone comprehendere; cum vniuerſa [illegible] Sacramenta præſens Scriptura contineat: & tum natus de Virgine Emmanuel, quam illuſtrium patrator operum, atque ſignorum, mortuus, & ſepultus, & reſurgens ab inferis, & Saluator vniuerſorum gentium prædicatur.*

Ex Ruperto. Rupert.

8. Subſcribit Rupertus Abbas, verba Hieronymi mutuatus lib. 1. in Iſaiam cap. 1. *Cum interdum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babylonicæ captiuitatem reditum populi ſignificet in Iudæam, tamen cum hæc omnis ei cura de vocatione gentium, & de aduentu Chriſti eſt.*

Ex Cardinale Aureolo. Aureol.

9. Denique inter omnes eminet Cardinalis Aureolus ex Seraphica familia, argumenti Iſaiæ ſolicitus indagator, qui compendioſis ſacræ Scripturæ commentarijs ſic fatur: *Diuiditur in duos principales tractatus. Primus tractatus continet in ſe quinque partes. In prima namque Propheta loquitur de gente Iudaica, de Regno ſcilicet duarum tribuum ſeparatim. Et durat hæc pars per duodecim capitula incluſiuè. In primo namque, & ſecundo capite continetur exprobratio multiplicis flagitij Iudæorum: propter quod reprobatur antiqua Lex, & euacuatur in capite primo, vbi dicitur: ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra; incenſum abominatio eſt mihi. Et introducitur nouæ gentis, ac nouæ legis electio capite ſecundo: erit in nouiſſimis diebus mons domus Domini. In tertio verò, quarto, & quinto capite continetur comminatio multiplicis ſupplicij propter flagitia eorum præcipuè propter interfectionem Chriſti. Ita quod in tertio pœna illa prædicitur, & comminatur. In ſeptimo verò, octauo, nono, & decimo continetur liberatio multiplicis beneficij impenſa populo Iudæorum tempore Iſaiæ. In vndecimo autem, & duodecimo continetur gratiarum actio, & decantatio laudis, & cantici. Eſt autem ſciendum, quod in hac prima parte non ſolum tractatur de Iudaico populo, quæ eſt vna ex materiis, quas intendunt Prophetæ, imò & occaſione nulla vbique inſeritur de Chriſto, qui eſt materia ſecunda.* Hæc obſeruatè, & [illegible] Aureolus.

Argumentum vniuerſale Iſaiæ proponitur, & illuſtratur.

Authoris mens.

10. Teneo, & exoſculor tantorum procerum Eccleſiæ veſtigia: vberiori tamen explanatione argumentum do nouiter illuſtratum. Cùm duplex ſit Eccleſia, altera Iudaica, altera Euangelica, ex Gentibus collecta, duplex etiam eſt obiectum [illegible] Propheticæ, primarium, & ſecundarium, hoc eſt [illegible] Synagogæ proiectio, & repudium propter [illegible] flagitia commiſſa, quod paſſim Deus [illegible] capitibus minatur. Obiectum [illegible] eſt de Chriſto Rege, & Eccleſia Regina; [illegible] euerſo Iudæorum regno, & Sacerdotio; [illegible] magnificum, Chriſtianum Sacerdotium Chriſti Imperatoris fortunatis auſpicijs, & ominibus condere.

Authoris ſententia exponitur.

11. Explico ſingula: veteres Ethnici ſeipſos felices, ac verè beatos putabant, ſi egregios ſuorum facinorum ſcriptores habuiſſent; quamobrem innumera penè volumina cernimus (hæc ſunt veterum annalium monumenta) in quibus præclara Regum, Imperatorúmque trophæa, nobilitas, gloria, res præclaræ geſtæ, æternæ memoriæ commendantur. Nam vt docet Chryſoſt. tom. 1. in Pſalmum 8. *Qui terrenum Regem laudant, cum eo loquuntur de imperio, de trophæis, de victoria, & dicunt gentes, quæ ab eo victæ ſunt, vocantes eos expugnatores, & barbarorum victores, & quæcumque ſunt eiuſmodi.* Iſaiæ Prophetæ vaticinia annales ſunt, aut Regia Chronica, in quibus diuina facundia, atque ſapientia Chriſti Regis, & Imperatoris regiam maieſtatem, & imperium, ornatis verbis, à temporis obliuione vindicauit. Et quia ad ornamentum Hiſtoriographi ſpectare videtur non ſolùm Regnum, ſed integram Regis vitam numerare, ideò hæc omnia Iſaias amplectitur. In aſpectum, lucémque profert Regiam Chriſti proſapiam, parentis mores, & nobilitatem; iam de Rege in vtero matris concepto, iam nato, iam de illius admiranda ſapientia, & diuini verbi præconio diſſerit: miracula edita, reportatas ab hoſtibus victorias, quas præcipuè ſemper attendit, funeſtam denique mortem, propter quam non ſolùm Hieroſolymam, ſed totam Iudæam ad exitium, & vaſtitatem vocauit, felici ſtylo egregius vates nectit. D. Chryſoſt.

In Chriſto plures tituli ſunt, & attributa. D. Thom.

12. Itaque cum Iſaias Chriſtum, vt Regem ſemper aſpiciat: in Chriſto ſunt plures tituli, & dignitatis attributa; alia propria, alia appropriata, ſeu per quandam accommodationem, vt notat Sanctus Thomas 3. ſententiarum, diſtinctione 1. quæſt. 1. art. 2. corpore. Propria ſunt quatuor, ſcilicet quod Filius eſt; quod Verbum eſt; quod Sapientia, quod Imago; quod media in Trinitate perſona: Alia etiam attributa accommodantur Filio, primò eſſe Regem: Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex.* Secundò eſſe virtutem, & brachium Patris, 1. Corinth. 1. *Chriſtum Dei virtutem.* Iſaiæ cap. 53. *& brachium Domini, cui reuelatum eſt.* Lucæ cap. 1. *Fecit potentiam in brachio ſuo.*

13. Diui

Iſaias iuxta diuerſos Chriſti titulos omnia vaticinia diuidit.

13. Diuinus igitur Iſaias, & ſupremus Prophetarum Theologus omnium vaticiniorum, & ſermonum ſeriem partitus eſt iuxta hos titulos Chriſti, vel proprios, & à natura ſua; vel per accommódationem, & excellentiam attributos; ſecundùm quod Rex, & Sacerdos eſt, ad eum pertinet nouum regnum, nouam Eccleſiam condere; ſecundùm quod Iudex, nouos ſeruos, & ciues introducere, nouos etiam Sacerdotes inſtituere, inſolentibus, & incredulis expulſis, & hoc eſt profundum diuinæ ſapientiæ Sacramentum à Prophetis ſæpiſſimè decantatum, Iudæorum reprobatio, & vocatio gentium: potiſſimus huius operis ſcopus duóque poli, quibus vaticiniorum cœlum voluitur. Secundùm quod Filius eſt, conuenit ſibi naſci, vt qui in diuinitate eſt filius Dei Patris; in humanitate ſit Filius Virginis matris; quapropter pertinet ad Iſaiam de conceptu, partu, infantiâ Principis gloriæ diſſerere. Quatenus eſt & dicitur potentia, & brachium Patris, Dux ſtrenuus nominatur ſpiritualibus armis ornatus, & accinctus, inimicos Regni debellans; quatuor igitur ſingulares victoriæ, & reportati de hoſtibus triumphi deſcribuntur; prima, de Dæmone; ſecunda de Idololatria; tertia de peccato, & morte; quarta de Iudaiſmo. Quatenus Verbum eſt, maximam congruentiam habet ad officium prædicationis, & doctrinæ, quia Verbum manifeſtat dicentem, & filius manifeſtauit Patrem; Chriſti prædicatio facta Iudæis ab Iſaia eleganter proponitur. Præterea in quantum Filius naturalis eſt, conuenit ſibi vt per eum, cuius eſt naturalis hereditas, alij in filios adoptentur, & coheredes regni fiant, & de hoc argumento ſcilicet vocatione, & adoptione gentium ad Chriſti hereditatem, & regnum, illuſtriora ſunt Iſaiæ vaticinia. Denique in quantum eſt media in Trinitate perſona, habet aptiſſimam congruentiam ad potiſſimum finem aduentus Chriſti, qui eſt reconciliatio hominis ad Deum, vt qui eſt medius, ſit mediator, & in ordine ad Patrem conuenit deprecatio, & ſatisfactio, in quibus omnibus titulus Redemptoris continetur, de quo Iſaias in ſuis ſermonibus.

Iudæorum repulſa, & gentium vocatio.

Mirus vaticiniorum ordo.

14. Iuxta hanc partitionem texenda eſt ſeries capitum Iſaiæ Prophetæ.

A capite primo vſque ad ſextum, de repudio Regni, & Sacerdotij Iudaici, & erectione Regni, & Sacerdotij Chriſtiani ſermo eſt.

15. A capite ſeptimo vſque ad duodecimum agit de infantia Principis Emmanuelis.

16. A capite decimo tertio vſque ad vigeſimum ſeptimum illuſtres Chriſti victorias decantat, à Dæmone, idololatriâ, peccato, & morte reportatas.

17. A capite vigeſimo octauo vſque ad trigeſimum nonum victoriam de Iudaiſmo, & prædicationem Chriſti prophetauit Iſaias.

18. In capitibus ſequentibus à quadrageſimo vſque ad quinquageſimum primum, continetur vocatio Gentium.

19. Quatuor ſequentia capita, Chriſti redemptionem, & paſſionem vaticinantur.

20. Alia verò quatuor à capite quinquageſimo ſexto, vſque ad quinquageſimum nonum, continent vltimam reprobationem, & ruinam Iudæorum poſt Chriſti Domini paſſionem.

21. Septem vltima capita à ſexageſimo vſque ad ſexageſimum ſextum glorificationem Chriſti Regis, ſtatum & felicitatem Eccleſiæ triumphantis portendunt.

Argumenti confirmatio ex nexu, & acoluthia vaticiniorum.

QVÆSTIO IV.

1. HVIVS argumenti dignitas, & maieſtas adeò ſeſe oſtentat, vt ferè nullius indigeat probationis, eo ſiquidem aperitur via recta, & plana Iſaiæ interpretationibus, & quaſi feneſtra quædam, quæ lumen infundit ad intelligentiam Prophetarum omnium. Sed quia præcipua argumenti probatio pendet ex nexu capitum, ideò in præſenti inquiritur, an inter Iſaiæ capita, & vaticinia reperiatur nexus, & acoluthia? An verò nullam habeant cohærentiam, & connexionem?

An inter Iſaiæ vaticinia detur nexus.

2. Primò: Sanctus Hieronymus hunc ordinem negat in caput 16. Iſaiæ, ad ea verba: *emitte agnum Domine.* Et diſtinguit narrationem, ſeu hiſtoriam à vaticinio, additque: *omnis enim prophetia ænigmatibus inuoluitur, & præciſis ſententiis, dum de alio loquitur, tranſit ad aliud; ne ſi ordinem Scriptura conſeruet, non ſit vaticinium, ſed narratio.* Ergo nullus ordo reperitur in vaticiniis Prophetarum.

Quid ſentiat Hieronymus. D. Hieron.

3. Secundò: Sanctus Chryſoſtomus tom. 1. in expoſit. Pſal. 44. ad ea verba: *propterea benedixit te Deus in æternum*; ait eſſe ſolius Euangeliſtæ ordinem ſeruare, non tamen Prophetæ: *Cùm enim* (inquit) *nec de eius ortu, nec educatione, nec de aliis quidquam dixiſſet, hic obiter de eo loquitur. Qua de re? quod omnia dicere per ordinem, & conſequentiam, eſt Euangeliſtarum, & ideò, illa eis reſeruauit, hoc enim erat officium eius narrationis; prophetiæ verò munus eſt, partes aliquas ſumere, & de eis diſſerere.*

Quid Chryſoſtomus. D. Chryſoſt.

4. Tertiò S. Hieronymus lib. 5. in Ieremiam initio cap. 26. inquit: *Hæc prophetia ſuperior eſt priore, licet ſub eodem Rege ſit facta. Illa enim facta eſt in anno quarto Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda; hæc autem in principio eiuſdem Regis Scripturâ dicente: in principio Regni Ioachim filij Ioſiæ Regis Iuda factum eſt verbum iſtud à Domino. Non igitur* (vt ſæpe iam diximus) *in Prophetis hiſtoriæ ordo texendus eſt.*

S. Hieronymi auctoritas. D. Hieron.

5. Huic ſententiæ calculum album adiiciunt docti Recentiores: Pineda in præfat. ad Eccleſiaſt. cap. 1. num. 13. & eos, qui hunc ordinem quærunt, vocat iniquos exactores. Cornelius à Lapide Canone 50. in Prophetas ait: capita, imò partes eiuſdem capitis ſubinde, ſæpe non habent inter ſe connexionem, & continuationem, nec ſeruant ſeriem temporum, ſed ſingula capita ſingulæ ſunt prophetiæ, & quaſi ſinguli libri diuerſo tempore dictari, & ſcripti, qui poſtea fuerunt in vnum volumen collecti. Hac de cauſa crebra eſt hîc hyſterologia:

Quid Neoterici. Pineda. Cornel.

6. Sed mens mea ea ſemper fuit, in Iſaiæ vaticiniis nullam eſſe deglutinatam ſententiam: non ſolùm verba omnia vniuſcuiuſque capitis, ſed etiam omnia, & ſingula capita inter ſe conſiderata, miram habere cohærentiam, & concatenationem. Colligitur manifeſtè ex Commentatorum ſacræ Scripturæ Phœnice Hieronymo plurimis in locis, cuius auctoritas maxima eſt. In fine libri 3. in Iſaiam ſcribit: *Cœpta Emmanuelis, & naſcentis pueri de Virgine prophetia, ex eo loco vbi dicitur ad Achaz: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo: verſiculo iſto finita eſt, quo infertur; zelus Domini exercituum faciet hoc.* Prima verba, quæ in hac ſententia

Litem dirimit, & ſententiam ſuam auctor profert.

Eſt S. Hieronymi mens. D. Hieron.

ſententia retulit Sanctus Doctor, ſunt capitis 7. vltima ex capite 9. mutuata; agnoſcit ergo ſeriem, & continuationem eiuſdem vaticinij in tribus capitibus ſeptimo, octauo, & nono.

Diuus Hieronymus nexum agnoſcit.
D. Hieron.

7. Prætereа inter caput 24. 25. 26. 27. cohærentiam agnoſcit, lib. 8. in Iſaiam ad caput 27. dicens: *Quia igitur eo loco vbi ſcriptum eſt; ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam: ſiue iuxta Septuaginta: ecce Dominus diſperdet orbem terrarum, & deſolabit eum* (verba ſunt capitis 24.) *vſque ad præſens capitulum 27. contra orbem in conſummatione mundi iudicium prædicatum eſt, & nouiſſimus inimicus deſtruetur mors, propterea aduerſus Diabolum extrema ſententia eſt.* Vbi vides, quàm aptè deducat filum cohærentiæ horum capitum, & quàm aptè illius rationem aſſignet.

Altera Hieronymi authoritas.
D. Hieron.

8. Et libro 4. in Iſaiam initio expoſitionis capitis 11. inter vndecimum, & duodecimum caput vſque ad initium capitis 13. nexum agnoſcit dicens: *vſque ad principium viſionis, vel ponderis Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos, omnis hæc prophetia de Chriſto eſt.* Accedit, quod S. Hieronymus paſſim in ſingulis capitibus Iſaiæ filum vniuſcuiuſque capitis ab initio ad finem aptè deducit: præterea in principio capitulorum ponit nexum, & conſequentiam oſtendit cum antecedenti: aliqua exempla in medium proferam. Initio capitis octaui aſſignans conſequentiam cum capite ſeptimo, ait: *Primùm Propheta miſſus eſt ad Achaz, vt ei prædiceret, quæ ſcriptura commemorat, quo audire nolente, ipſe Dominus loquitur ad Achaz: rurſus ergo ſub alia figura partus deſcribitur virginalis.* Et lib. 8. ad initium capitis 25. *Iuxta Septuaginta Interpretes non dico ſenſum, ſed verborum ordinem, & conſequentiam in hoc loco reperire non potui.* Itaque licet iuxta Vulgatum connexionem inueniſſet, iuxta Septuaginta inuenire non potuit, inueſtigabat, ſcrutabatur ſeriem, quia ſciebat ſemper eſſe, licet aliquando deliteſceret: vtinam Interpretes ſeriem negantes hoc imitarentur exemplum; eam magnâ ſolertiâ, & acumine ingenij inquirant, prorſus inuenient; ſi inuenire non poſſunt, fateantur ibi eſſe, ſed arcanam, & in profundo vaticiniorum abditam, ſed perſcrutari, aut eruere non valuiſſe; eamque relinquant aliis penitiùs ſacram Scripturam introſpicientibus, maximo labore, & induſtriâ ad maiorem Diuini numinis, & ſacræ Scripturæ gloriam continuè deducentibus. Quapropter illa Chryſoſtomi ſententia, quam de vniuerſa Scriptura profert, de Iſaiæ vaticiniis veriſſima eſt: ſic tribuit homil. 4. in Marcum: *Scriptura ſancta hæret ſibi tota, & vno ſpiritu copulata eſt: & quaſi vna catenula eſt, atque vt circulus in circulum nectitur, & quidquid aliud ſumpſeris, aliud latè pendet.*

In ſingulis Capitibus, Scripturarū Phœnix Hieronymus filum nectit.
D. Hieron.
70. Interp.
D. Chryſoſt.
Chryſoſtomi ſententia.

In Canticis Canticorum cohærentia reperitur.

9. Nec nouum eſt in ſacra Scriptura Prophetica hanc inuenire cohærentiam. Sanctus, & venerabilis Beda in expoſitione libri Canticorum, eorum argumentum, & myſteria obſcuriſſima ad 45. capita reducit, eáque inter ſe ab initio vſque ad finem mirificè quaſi aureo filo connectit. Quod fecit in Canticis, in Iſaiæ vaticiniis facere potuiſſet, hócque in præſenti intendimus. Enimuerò ex noſtro argumento, & vaticiniorum glutino vniuerſæ ſacræ Scripturæ Propheticæ magnum lumen accedit, Prophetis minoribus, Dauidicis Pſalmis, & Canticis Canticorum Salomonis; quæ ſi non omnem, aliquam argumenti vaticiniorum Iſaiæ partem continent. Venerabilis Beda ferè idem argumentum, Canticis Canticorum in fronte Commentariorum affixit dicens: *Cantica Canticorum, in quibus ſapientiſſimus Salomon myſteria Chriſti, & Eccleſiæ, Regis videlicet æterni, & ciuitatis eius, ſub figura ſponſi, & ſponſæ deſcripſit.*

Venet. Beda.

Canon Philonis Carpathij de ſacra Scriptura cohærentia.
Philo Carp.

10. Præclara ergo eſt illa regula Philonis Epiſcopi Carpathij, quam ſcripſit circa finem Cantici Salomonis agens de huius ſacri libri nexu, & conſequentia: *Videte* (inquit) *admirabilem diuinæ Scripturæ conſonantiam, conſiderate quàm aptè vltima reſpondeant primis, & quàm congruant media ſummis, & infima mediis, mediaque extremis. Omnes huius diuiniſſimi libelli partes mirificè inter ſe conſentiunt.* Quod dictum quoque exiſtima de Iſaiæ vaticinationibus.

Solutio eorū quæ videntur aduerſus.

11. Solùm reſtat vt ad obiecta reſpondeam. Prima ſolutio; In enarratione hiſtoriarum non ſeruatur ſemper ordo rerum geſtarum, & temporum à Prophetis, ſed aliquando inuertitur, quare ſæpè alludentes hiſtoriis antiquis, vel ſuorum temporum, iſtas poſtponunt, illas anteponunt, & è contrà, tranſeúntque ex typo ad antitypum, ex hiſtoria ad Chriſtum, has metabaſes, & tranſitiones faciunt, non importunè, nec ex abrupto; ſed commodè congruâ occaſione, leníque, & molli tranſitione: inter has igitur hiſtorias, ſeu typos, ex quibus Prophetæ tranſeunt ad Chriſtum, non datur ſemper cohærentia, vt oſtendant Prophetiam non eſſe ordinatam hiſtoriarum narrationem. Et hoc tantū volunt Hieronymus, & Chryſoſtomus ſuprà relati; quare prudenter ſcribit Hieronymus: *non ergo in Prophetis hiſtoriæ ordo texendus eſt.* Quem ſæpè in enarratione operum, & miraculorum Chriſti Euangeliſtæ obſeruant; non tamen negant ordinem propheticum vaticiniorum, nam rerum geſtarum inordinata ſeries, quas referunt, vel quibus annuunt vates, miram, & ſucceſſiuam, & continuatam concatenationem efficiunt myſteriorum, quibus deſeruiunt. Duplex igitur eſt ordo: alius Euangeliſtarum, alius Prophetarum, præſertim Iſaiæ, & in hoc differunt, quòd Euangeliſtæ Chriſti Domini vitam illiúſque præclara facinora ſimplici narratione, & facili ſtylo referunt: at ſtylus Prophetarum præſertim Iſaiæ difficilis, reconditus: futura Chriſti Domini myſteria ænigmatibus inuoluunt, ſacratis verborum velaminibus arcana ſacramenta recondunt, ne vaticinium eſſet omnibus peruium, ne communicarentur ſacra prophanis; quocirca ſupra fundamentum hiſtoriarum veteris teſtamenti, architectonicâ Spiritus ſancti arte, & ſapientiâ, aurum, argentum, pretioſos lapides vaticiniorum coagmentant, mirabilique artificio veſtem pretioſam, variegatámque cycladem componunt, & in communi textura byſſina ſerica hiſtoriarum, flores aureos & argenteos myſteriorum Chriſti attexunt, & intertexunt: & ſicut ligna, lapides, aurum ad vnius ædificij architecturam habent inter ſe nexum, cohærentiam, & compagem; & in veſte, licia, ſerica, byſſina, fila aurea, margaritæ, miram texturam, & connexionem habent, pretioſúmque veſtimentum efficiunt, ita hiſtoriæ, & futurorum myſteriorum vaticinia, verba vnius capitis, & omnia capita inter ſe habent ædificij Prophetici continuatam ſeriem, & connexionem, veſtiſque propheticæ continet mirabilem omnium texturam, & contexturam; vnde Iſaias prophetico lumine illuſtratus in tela ſuæ prophetiæ fila rerum præteritarum, præſentium, futurarum ſimul nectit. Huc pertinet regula illa Sancti Gregorij Magni lib. 20. Moral. cap. 1. de ſacra Scriptura

Ordo propheticus & euangelicus in quo differant.
D. Chryſoſt.
D. Hieron.

Regula Gregorij Magni de ſacra Scriptura ordinata ſerie.
D. Grego. Magn.

Prophetica differentis: *Scientias omnes, atque doctrinas, ipſo etiam locutionis ſuæ more tranſcendit: quia vno, eodémque ſermone dum narrat textum, prodit myſterium, & ſic ſcit præterita dicere, vt eo ipſo nouerit futura prædicare, & non immutato dicendi ordine, eiſdem ipſis ſermonibus nouit, & anteacta deſcribere, & agenda nunciare.*

Prophetarum tranſitiones de hiſtoria ad myſterium, & è contrà. D. Chryſoſt.

12. Eamdem ſolutionem magnâ ſapientiæ dexteritate confirmat Sanctus Chryſoſtomus, qui dum peruenisset commentationis excurſu ad ea verba cap. 2. Iſaiæ verſ. 6. *proieciſti enim populum tuum domum Iacob.* in quibus videtur eſſe abalienatio, & diſiunctio verborum, & diſſoluta orationis compago; eam mirificè cum antecedenti textu nectit, & aſſociat, vt videbimus in eius verſiculi commentario. Interdum S. Patriarcha hunc Canonem pro Iſaiæ vaticiniis, imò pro nexu omnium Prophetarum tradidit: *Prophetiam* (inquit In cap. 2. Iſaiæ verſ. 6.) *quæ de Eccleſia eſt ſuſpendens, deflectit rurſus ad hiſtoriam, nimirum vt tenor conſequentium verborum cohæreret, ſibique eſſet conſentaneus.* Et addit: *perinde adeò fit, ac ſi vnam aliquam ad ſe pertrahat catenam, aut reſtim, pari modo ad commouendos Iudæos rurſus tranſit.* Itaque Iſaias catenam vaticiniorum, & cohærentium verborum nectit ex circulis myſteriorum aureis, & hiſtoriarum ferreis, hóſque annulos inſerit indiſſolubili ſermonis nexu. Quod paſſim demonſtrabimus, cohærentiam oſtendentes in locis difficilioribus. Vide infra ſeriem verſ. 6. cap. 2. cum præcedenti vaticiniorum commate.

Licet in aliis vatibus ordo nõ inuertur, in Iſaia omnino ſeruandus eſt. D. Hieron.

13. Secunda ſolutio: quidquid ſit in aliis Prophetis, in Iſaia firmiter, & conſtanter hic ordo ſeruandus eſt, quia non tam vt Propheta, quàm vt Apoſtolus, & Euangeliſta ſemper alloquitur: vnde S. Hieronymus in epiſt. 103. ad Paulinum cap. 7. ait: *Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, quis poſſit vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, ſed Euangelium.* Et Rupertus lib. 1. cap. 1. in Iſaiam: *Nam de hoc* (ſcilicet Iſaia) *illud rectè æſtimat pietas Chriſtiana, quod non tam Propheta dicendus ſit, quam Euangeliſta, ita enim vniuerſa Chriſti, Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſequitur, vt non eum putes de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere.*

Rupert.

In Iſaia ſermonibus ordo Capitũ, verborum, temporum, & Regum ſeruatur.

14. Quare non ſolùm datur in Iſaia ordo, & nexus verborum, & capitum, ſed etiam ordo, & acoluthia temporum, & Regum. Tempore Regis Oziæ edidit quinque priora vaticinia: tempore Ioathan, vaticinium c. 6. Vaticinia tempore Achaz edita incipiunt cap. 7. & finiuntur cap. 14. Reliqua vaticinia, regnante Ezechia edita ſunt, ſcilicet à c. 15. vſque ad 66. vide quæ diximus in Commentario ad ea verba: *in diebus Oziæ*: quæ omnia ex ſequenti acoluthia conſtabunt.

ACOLVTHIA, ET SERIES CAPITVM ISAIÆ.

CAPVT PRIMVM.

1. *CAPVT primum, & ſecundum ſunt breuiarium, & ſumma totius voluminis: in primo, Iudæorum repudium continetur, & cauſæ, quæ diuinam bonitatem ad hoc infelix, ſed iuſtum repudium impulerunt. Propoſuit vates Prophetiam Rhetorum inſtar, qui in orationis fronte, aſſumptum, & epilogum argumentationis conſtituunt, ſic etiam Iſaias in ſuarum orationum veſtibulo, vt lucem præferret intuentibus, aſſumptum, & argumentum totius operis affixit.*

CAPVT II.

2. *In capite ſecundo, totius Eccleſiæ Chriſtianæ felicitas continetur; Iudaïco Regno, capite præcedenti, abiecto nouum regnum conſtituit, nouam ciuitatem, & Eccleſiam Chriſtianam condit, à qua nouum diuinæ legis, & ſapientiæ lumen oritur, ciues ex gentibus collectos illuminans; ciues Iudæorum obſcurans, & excæcans; iſtúdque lumen contemnente Iudaïco populo, à facie Dei proiicitur.*

CAPVT III.

3. *In capite tertio dilucidiùs enumerat Iudæorum excidium, & illius cauſam, ſcilicet innumera virorum, & fœminarum flagitia, in quæ Deo permittente corruent; illius populi repudiatio duplici metaphorâ proponitur; & ciuitatis opulentæ, à qua Deus omnem virum optimum auſert; alterâ ſponſæ, ſeu mulieris, à qua ſponſus omnem mundum muliebrem detrahit.*

CAPVT

CAPVT IV.

4. *In capite quarto, idem argumentum proſequitur, præcipuum beneficium in Iſraëliticam gentem collatum ponit ante oculos, ſcilicet quando igneâ columnâ duce, dedit tranſitum inoffenſum abyſſis; aufert præſidium, & protectionem ab ingrato populo, & Eccleſiæ Christianæ largitur.*

CAPVT V.

5. *Iudæorum abiectionem capite quinto proſequitur Vates ſub parabola vineæ, à qua Deus aufert nubium pluuiam, & operariorum laborem, & culturam; Iudæorum infelicitatem grauiſſimis verbis cecinit; eorum miſeram ſortem lugubri carmine vates deplorat, vt non iniuſta hæc abiectio eſſe videatur, tot ac tanta eorum ſcelera proponit, vt dilatato inferni ore, conglomerati omnes intrudi mereantur. Huc vſque de prima argumenti parte, ſcilicet Iudæorum repudio egit Vates.*

CAPVT VI.

6. *Hinc incipiunt illuceſcere diuina myſteria; Christus Rex, & iuſtus Iudex magnifico apparatu ſedens pro tribunali, libelli Iudæorum quoad Regnum, & ſacerdotium cauſam, & ſententiam iuſtificans, oſtenditur, ſuorum militum ſcilicet Seraphinorum acclamatione, & plauſu, nouum regnum, & regale Sacerdotium ordinat, nouos Seraphinos, Apoſtolos, & Epiſcopos creat; nouam Hierarchiam Eccleſiaſticam ad ſimilitudinem cœleſtis: vt noui Regis, & Sacerdotis, & Hierarchæ infantiam, & ſequentium myſteriorum magnitudinem, & gloriam, hominibus Vates oſtendat, labra mundat Deus calculo ignito, eûque prædicare iubet, & ad prædicandum mittit.*

CAPVT VII.

7. *Vt melius innoteſceret quis Rex, quis Imperator ſui vaticinij, & præconij ſcopus, vitam illius orditur ab Emmanuelis incunabulis, & ex inſtituto diſſerit de Ieſu infantia, per occaſionem præliorum Raſin, & Phacee filij Romeliæ, qui erant Syrorum duces: in ſignum victoriæ pollicetur Chriſti conceptum, & natiuitatem, parentiſque Deiparæ Virgineam gloriam.*

CAPVT VIII.

8. *Cum modus, quo Deus carnem aſſumeret, fieretque Emmanuel & nobiſcum Deus, eſſet ineffabilis; illum declarat Iſaias, dicens eſſe Spiritus ſancti opus; principis, & infantis robur, ſub ænigmate puelli* ſpolia detrahi *nuncupati, obumbrat; antequam ſciat vocare patrem, & matrem, populorum Damaſci, & Syriæ ceruices ad iugum ſuæ legis adiget, & à Rege Aſſyriorum tot copiis bellatorum cincto, opulenta adimet ſpolia; illiuſque præſidio, & Emmanuelis inuocatione, populus acquiſitionis, eximia de Aſſyriis trophæa erigit.*

CAPVT IX.

9. *Principis Emmanuelis gloriam, ac magnificum ſplendorem, qui poſt Natiuitatem gentibus affulſit, & paſtores Bethleemiticos circumfulſit in hoc capite Iſaias prædixit, egregia facinora, adeptas victorias, quæ omnia Rex noſter adhuc paruulus conſequitur; adiecit præterea illius principatum, Regium diadema, ſceptrum, ſed potiſſimum coronationem Principis, ab Angelis, & hominibus adorationem. Solum hoc caput ſufficit ad confirmandum vniuerſale Iſaiæ argumentum.*

CAPVT X.

10. *Prima victoria Emmanuelis de Aſſyrio, & Dæmone reportata continetur cap 10.*

CAPVT

CAPVT XI.

11. *Dona, & virtutum inſignia, quibus Princeps ornatur, & veluti Dux ſtrenuus, & inuictus quaſi armis accingitur ad debellandum Aſſyrium myſticum, vaticinatur Iſaias capite vndecimo, à numero primo vſque ad decimum: à numero vndecimo vſque ad finem capitis, ſecunda victoria de idololatria reportata inſinuatur ab Iſaia; ibique enumerat prouincias, & regna, in quibus Apoſtoli prædicarunt, & de idolis triumpharunt; quæ omnia à capite 13. vſque ad 26. nomine onerum fuſius proponit.*

CAPVT XII.

12. *Caput duodecimum eſt quidam hymnus, & gratiarum actio, ob adeptas ab Emmanuele victorias, & tot ac tanta beneficia in nos collata.*

CAPVT XIII. vſque ad 26.

13. *A capite decimo tertio vſque ad vigeſimum ſextum reportandarum ab Imperatore noſtro Ieſu victoriarum ſymbola, ſub oneribus Babylonis, Moab, Damaſci, Æthiopiæ, Ægypti, deſerti maris, vallis viſionis, Tyri; elegantiſſimis ænigmatum velaminibus occultauit; in quibus Imperiis Deus non armorum potentia, ſed prædicationis robore, ſtatuas idolorum contriuit; Dæmonemque, qui in illis hominibus, in media ſuperſtitionis caligine cæcutientibus, Tyrannidem exercuit, Verbi Dei gladio expulit. Has victorias adeptus eſt Emmanuel mediis ſtrenuiſſimis ducibus ſanctis Apoſtolis, gentilitatis, & idololatriæ triumphatoribus; quibus omnibus, & ſingulis, prouincias, & regna, quorum conuertendorum labor incubuit, ſingillatim aſſignat; dumque Regni materialem ruinam prædicit, ſpiritualem idolorum vaſtitatem, prouinciarum Babylonis, Tyri, Æthiopiæ, &c. graphicè deſcribit. De quo poſtea fuſius dicendum eſt. Et aliorum capitum ſeriem ſuo tempore aſſignabimus, diuino fauente Numine.*

Verſ. 2. Audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.

COMMENTARIVS.

1. AVDITE COELI.] zelo diuini honoris accenſus Iſaias, erga populum ſuum, commiſerationis affectum exprimit verbis; vt cum ingrati animi arguat, beneficiorum immemorem; cœlum, & terram ingratitudinis, & impietatis teſtes aduocat. Si cœli metonymicωs accipiantur pro Angelis cum Hieronymo, Cyrillo, Baſilio, ſenſus erit: vos ô cœlites inuòco teſtes, ac ſpectatores viuos, ac præſentes, quantis, & quam innumerabilibus beneficiis meum populum cumulauerim; Angelus in rubo apparens, fuit ſolicitus patronus ſuæ libertatis; Angelus manu forti ex Ægypto eduxit, & præcedens caſtra Iſraël in columna ignis, & nubis, in terram promiſſionis deduxit: ex cellariis Angelicis panem accipiens, manducauit, per manus Angeli legem accepit.

Cœli pro Angelis vſurpantur. D. Hieron. Cyrill. Baſil.

2. Si pro ipſis cœlis materialibus, vel pro aëre vſurpentur; ab iis miraculoſa, & ſingularia accepit munera, quod Sol per diem nô exureret, quod nubes obumbraret; cœlum etiam ipſum ſæpiſſimè arma capeſſens pro dilecto populo dimicauit: omnia elementa ei famulabantur; aër pluens manna, & coturnices; terra aquæ fontes eructans; Ignis illuminans populum Dei, dum Ægyptus denſis tenebris inuoluitur; aqua maris rubri fluctus diuiſit, hinc inde frænauit, vt calle puluelento tranſiret populus.

Cœli propriè accepti.

3. QVONIAM DOMINVS LOQVVTVS EST.] Coram cœlis, terráque, à me ipſo non loquar, ſed quæ Spiritus ſanctus dictauerit: hic eſt Prophetarum mos, vt captent beneuolentiam auditorum, & ſuis vaticiniis auctoritatem concilient, dicere: *Verbum Domini, hæc dicit Dominus, audite verbum Domini.* Vnde licet Iſaias alloquatur, Dominus loqui dicitur, qui per os eius verba faciebat: vocantur enim diuini vates: *os Domini.* teſte Regio Pſalte Pſalm. 118. verſ. 13. *in labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.* Verba illuſtrat S. Ambroſius ſcribens: *Iudicia oris eius, quæ annuntiauerunt, id eſt, quæ per os Prophetarum loquutus eſt. os enim Dei Propheta intelligitur, cui dicitur: clama, & ille ait: quid clamabo? & inſpiratum eſt, vt diceret, omnis caro fœnum. Quod vbique loquutus eſt indicium Dei, oris Dei functus officio eſt.*

Vates vt auctoritatem ſibi concilient Verbum Domini nuncupant vaticinium. D. Ambr.

4. FILIOS ENVTRIVI.] Non ſolum elementa famulata ſunt Iſraëli, ſed ipſe Deus, quod eſt beneficiorum maximum, pater, & mater effectus eſt, & eum enutriuit. Septuaginta: *genuit.* Illum populum non generatione terrena corporis, ſed ſpirituali, & cœleſti; nam prætérquam quod multi erant, qui fide, & dilectione eum agnoſcerent, maternam etiam charitatem Deus oſtendit,

Deus Iſraëlitarum nutrix.

cùm populum illum afflictum, & abiectum inter omnes mundi nationes elegit ſibi in peculium, & filium, eúmque adoptauit, iuxta illud Oſeæ cap. 11. *Quia puer Iſraël, & dilexi eum, & ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Poterat Deus illum populum alteri educandum tradere, ſicut faciunt parentes ſæpiſſimè; non ſolùm fuit pater, & mater, ſed etiam nutrix. Audi Eſdram lib. 4. cap. 28. *Hæc dicit Dominus omnipotens: nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt nutrix paruulos ſuos, vt eſſetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem.*

Deus cibo legis ſpiritali, & corporeo Manna nutriuit populum.

5. Æquo iure S. Hieronymus legit in Commentario: *filios enutriui.* גדל *gadal, nutrire, magni facere;* eo quod filium nutriuerit Deus Regiâ magnificentiâ; & poteſt interpretari, vel de corporeo, vel de ſpirituali nutrimento; ſi de materiali ſit ſermo, miſit Deus Angelos ſuos, cocos, & piſtores, qui cibos Angelicos hominibus pararent, & condirent; manum, ſeu potentiam Angelicam, & nubes, æquo iure vocares penuariam cellam Iſraëlitici populi nutricem. Sapientiæ cap. 16. num. 20. *Angelorum eſcâ nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat; & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Et verſ. 25. *Omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant.* Si de ſpirituali nutrimento loquatur; lacte, & cibo legis, ſapientiæque prophetalis nutritus fuit ille populus, vt vegetationem, ac robur ſpirituale in animis acciperet; cùm Deus illi legem dedit, quaſi ad vbera portabat, illi porrigebat mammam, lácque inſtillabat.

Lex antiqua, & Moyſes Pædagogus Iudæorũ.

6. Rectè ergo Paulus legem nuncupat pædagogum, ſimúlque legiſlatorem Moyſem, qui populum illum cuſtodiebat, dirigebat, inſtituebátque. Ad Galatas cap. 3. verſ. 24. *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto.* Pædagogi munia deſcribit S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 42. dicens: *Pædagogus cuius eſt? maturioris, an adoleſcentis? vtique adoleſcentis, aut pueri, hoc eſt, ætatis infirmæ. Pædagogus enim ſicut etiam interpretatio latina habet, doctor eſt pueri. Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, laſciuum, mobilem, perfidiæ promptiorem, lubrico quodam infantiæ leuem, & immemorem præceptorum, & ideò legem tanquam Pædagogum mobili plebis ingenio, & menti adhibuit infirmæ.*

D. Ambr. Pædagogi munia.

In eamdem mentem hæc ſcribit verba Chryſoſtomus homil. 4. in caput. 1. epiſt. ad Coloſſenſes: *Iudæis tanquam pueris, Deus Moyſem præfecit literatorem: vmbram enim habens lex futurorum, non ipſam rerum imaginem: ſicut nos pueris, & placentas emimus, & nummulos damus, vnum ab eis exigentes, vt tùm eant ad ludum literarium. Ita Deus tunc quoque, & diuitias dedit, & delicias, multa concedendo, vnum ab eis emens, vt audirent Moyſem. Propterea dedit eos Doctori, ac Magiſtro, ne ipſum vtpote patrem beneuolum deſpicerent.* Sed ſacram legis myſtagogiam, Moyſíſque inſtitutionem aſpernantes, ipſum Deum contempſerunt, ideò Iſaias ſubiungit: *Ipſi autem ſpreuerunt me.*

D. Chryſoſt. Iudæorum literator Moyſes.

Populi Iudaici exaltatio.

7. ET EXALTAVI:] id eſt ad ſummum honorem adoptionis euexi. Non ſolùm filium meum Iſraël, genui, nutriui, ſed etiam reddidi illuſtrem, & conſpicuum inter reliquos populos; eum, vt decet filium Dei, ampliſſimis honoribus, diuitiis, regiâ, & Sacerdotali dignitate exornans.

8. IPSI AVTEM SPREVERVNT ME.] Decebat filios à Deo genitos, ab ipſo Deo, & ab Angelis delicatè enutritos, ad ſummum gloriæ faſtigium exaltatos, grati animi ergò, Deum parentem agnoſcere, ac venerari; tantùm abfuit, vt colerent me, potius contemptui habentes reſpuerunt. Pro ſpreuerunt Hebraicè eſt פשע *paſchahh, ſpernere, præuaricari, rebellare;* quibus omnibus cultus idolorum, quo Deum contempſerunt, innuitur.

Dei contemptus Iudaici populi flagitium fuit.

Iuſta Iſaiæ querela.

Auſcultate modò cælites, & cælites orbes, & videte ingratitudinem populi mei dilecti: filius meus Iſraël, me dilectiſſimum, & optimum parentem reſpuens, adorauit militiam cœli, Solem, Lunam, ſtellas, & duodecim Zodiaci ſigna; auribus percipe terra; populus meus, filius meus, cuius alimentis per tot annos miraculosè deſeruiſti, tuum Creatorem, & Deum ſuum reſpuens, dixit lapidi, ligno, vitulo aureo, diis aureis Baal, Baalim, & Beelphegor: Pater meus es tu, tu me genuiſti. Et hæc conueniunt temporibus Oziæ, in quibus iſtud vaticinium editum eſt; de Ozia dicitur lib. 4. Regum cap. 15. 4. *Veruntamen excelſa non eſt demolitus. Adhuc populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in excelſis.* Sed Iſaias in prædictis verbis potiſſimum habuit reſpectum ad adorationem vituli Ægyptiorum, & Beelphegor Moabitarum, quando populus primò contrà Deum rebellauit, & præuaricatus eſt.

Populus Iudaicus idolis mancipatus.

Ad ea verba:

Quoniam Dominus loquutus eſt.

Aliquot præludia ad Iſaiæ intelligentiam præmittuntur.

PRÆLVDIVM I.

Laudis inſignia, & ampliſſima munera, quibus perfunguntur Vates ex diuina locutione.

Prophetarum eximia præconia.

1. MVNERA multa, & miniſteria, quæ Deus Prophetis ſanctis iniunxit, illuſtria præconia, & nuncupationes varias, quibus à ſacra Scriptura, & Eccleſiæ primoribus commendantur, recenſere liber, vt Prophetalis dignitas innoteſcat: nec extra chorum ſaltare videbimur, ſi ritè perpendas omnia hæc Prophetis decora, ex alloquio, & ſermone Domini prouenire, *quoniam Dominus locutus eſt* eis; tanquam amicos, & valde familiares admiſit in arcanorum conſilia, pectoris ſui cogitationes, & arcana ſecretorum aperiens, & reuelans.

Diuini vates nuncupantur Dij.

2. In primis, vt à bono capite ordiamur, Prophetæ nuncupantur Dij, & ſaluatores. Pſalm. 81. verſ. 6. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Cum diuinis vatibus, ore Regij Pſaltis Spiritus ſanctus ſingillatim fatur. Huius loci fidum tenemus interpretem veritatem ipſam, quæ fallere nequit, Dominum noſtrum Ieſu Chriſtum Prophetarum Coryphæum, & Doctorem; cuius commentationem Euangelicis monumentis ſcriptam reliquit Ioannes Theologus cap. 10. verſ. 35. & 36. Saluatoris verba referens: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia ego dixi Dij eſtis? ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum.* Eos, ad quos factum eſt verbum Domini, qui admiſſi

in

in cellarium diuinæ ſapientiæ, & habiti ſunt digni Spiritus ſancti illuminatione, & afflatu, in numero Deorum recenſet Deus Deorum: verba Domini,

Rupert.

& Magiſtri eleganter perpendit Rupertus Abbas in Oſeæ cap. 1. initio: *Parum autem erat Prophetas eos dici, ad quos ſermo Dei factus eſt: plus enim aliquid Spiritus ſanctus in Dauid de illis loquutus eſt. Ego, inquit, dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes: quam ob cauſam, niſi quia ſermo Dei ad eos factus eſt? Hoc enim in cauſa eſſe Dominus ipſe adſtruit, qui loquens Iudæis calumniantibus, cùm præmiſiſſet: nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: Ego dixi, Dij eſtis, continuò ſubiunxit: ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura, &c. ergo Prophetæ Dij ſunt, quoniam iſti ſunt, ad quos ſermo Dei factus eſt. Quod ſi Dij rectè dicuntur, nonne, & ſaluatores nihilominus rectè cognominantur? Si illos Scriptura dixit ſaluatores, per quos Deus temporalem Iſraël ſalutem operatus eſt, &c. quanto magis rectè illi dicuntur ſaluatores quorum labor Saluatori noſtro Deo ad noſtram æternam ſalutem cooperatus eſt?* Ornamentis Deorum, & ſaluatorum ritè decorat Prophetas Rupertus, quia ad conſortium ſermonis, & redemptionis ſunt euecti. Et argutè aſſignat rationem Deitatis, quam nacti ſunt vates: *quam ob cauſam, niſi quia ſermo Dei ad eos factus eſt?* Quinimò ex Deitate Prophetarum participatâ ex alloquio Dei, ipſam diuinitatem Verbi æterni, & Sermonis à Patre geniti ſanctis Dei hominibus loquentis Chriſtus comprobat, vt antè obſeruauit

D. Auguſt.
Catena aur.

Sanctus Auguſtinus in caput Ioannis 10. citatus in catena aurea: *Si autem ſermo Dei factus eſt ad homines, vt dicerentur Dij, ipſum Verbum Dei quomodo non eſt Deus? Si per ſermonem Dei, homines participando, fiunt dij, Verbum vndè participatur, non eſt Deus?* tanta eſt fœcunditas, & affluentia diuinitatis in Verbo Dei, vt non tantùm dum loquitur Pater, Verbo Deitatem communicet, æternum generando; ſed dum ipſum Verbum loquitur temporaliter ad vates, qui conſortes facti ſunt ſermonis, participes fecit eos Deitatis.

Diuinitatis demonſtratio, futurorum prænotio.

3. Quare ex conſortio ſermonis Dominus largitur Prophetis maximam Deorum dignitatem: quia nulla maior diuinitatis demonſtratio, quàm futurorum prænotio, præſertim contingentium, quæ ex variabili hominis arbitrio ad electionem boni, & mali indifferenti, pendent. Quare Iſaias diſcernens falſa numina ab vnico vero Deo cap. 41. verſ. 23. inquit: *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* Quia propria Dei eſt futurorum præſcientia, vnde diuini vates à quibus multa præſenſa, & prædicta reperiuntur, dij nuncupantur. At dæmonum, & ſculptilium oracula, in quibus fatidici non furore diuino, ſed dæmoniaco incitati, licet ex iis præſenſiones, & prædictiones futurorum reſultarent, quia tamen euentus vaticinationibus nō conſonant, futilis vaticinatio, & nugatoria reperta eſt, & oracula gentiū tota ex fraude, & mēdacio compoſita. Pulchrè

D. Iuſtin. Mar.

S. Iuſtinus Martyr q. 146. ad orthodoxos inquit: *Penè hunc* (loquitur de vero Deo) *futurarum rerum eſt prædictio, iuxta & euentus. Quæ hunc autem deprædicant ſcripturæ, Græcorum Deos proſcribunt. Si mutabunt, ait, gentes Deos ſuos, & ipſi non ſunt dij. Quorum vero dij non ſunt dij, horum etiam vates, veritatis non ſunt Prophetæ: neque eorum diuinatio ineuitabilem, verúmque, & certum habet exitum: nam vtique longè abſunt à vera diuinitate, & numine: ita quoque à futurorum ſemoti ſunt præſcientia, & diuinatione.* Ita futurorum præcognitio certa, cum diuinitate vera connectitur. Vt vbi Deus verus fatur, adſit præſenſio futurorum ineuitabilis; vbi deeſt diuinitas, exulat veritas, præſenſio mendacio innititur, euentus eſt inanis. Veri itaque Prophetæ ex infallibili futurorum præcognitione nuncupantur Dij.

Nuncupantur Angeli.

4. Secundò dicuntur Angeli. Id atteſtatur Paulus Apoſtolus ad Galat. cap. 3. verſ. 19. loquens de lege antiqua: *ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Angelos hìc vocat Apoſtolus Prophetas, & Dei nuntios ex Ambroſij calculo ita ſcribentis:

D. Ambr.

Angelos dicit Dei nuntios, id eſt Moyſem, Ieſum Naue, & cæteros Prophetas vſque ad Ioannem Baptiſtam. De quo Deus dicit: ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam. Præcurſor autem non à natura Angelus dicitur, ſed à prophetandi munere, & à miniſterio euangelizandi Ieſum. Ita cenſet S. Cyrillus Alexandrinus in caput 3. Malachiæ: *Angelum autem nominatum ſacroſanctum Baptiſtam dicimus, non propter naturam quidem (ex muliere enim natus, homo perindè vt nos, fuit) ſed quoniam illi talia nobis prædicandi, nuntiandique munus eſt impoſitum. Ab officio igitur vocabulum inditur.*

D. Cyrill. Alexand.

Chriſtus quoque ab annuntiatione Prophetica vocatur Angelus, Iſaiæ cap. 9. iuxta Septuaginta lectionem: *Et vocatur nomen eius magni conſilij Angelus.* Vnde idem Alexandrinus Antiſtes Oſeæ cap. 1. initio ſcribit: *Conſueuerunt quippe ſancti Prophetæ Dei ſermonem appellare Angelum, vtpote annuntiantem ipſis, & manifeſtantem voluntatem Dei Patris.* In textu Græco τὸν τοῦ θεοῦ λόγον rectè etiam transferes: *Dei verbum.* Eo quod ex annuntiatione, & manifeſtatione diuinæ voluntatis nuncupatur Angelus; nuncupationem Angelorum ſortiti ſunt Vates, quia nuntij conſiliorum Dei, & diuinæ voluntatis interpretes. Rectè ergo idem Cyrillus in caput 3. Amos num. 26. eos Dei legatos eſſe dicit: *à Deo igitur legatos, & eius placita ad nos afferentes.*

Lect. Lxx.
D. Cyrill. Alexand.
D. Cyrill. Alexand.

Dei inſtrumenta, & organa.

5. Tertiò: ſunt Dei organa, & inſtrumenta. Hac appellatione illuſtrat Prophetas S. Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 2. ad Autolycum fol. 87. dicens: *Cæterum Dei homines pleni Spiritu ſancto, & à Deo inſpirati, inſtitutique. Quapropter digni habiti ſunt, vt eſſent organa Dei, à quo accipientes ſapientiam, vaticinati ſunt de creatione mundi, & de reliquis omnibus.* Eamdem nomenclaturam attigit Philo Hebræus L. quis rerum diuinarum hæres: *Quandoquidem* (inquit) *is ſolus eſt inſtrumentum Dei reſonans ab eo contactum, & pulſatum inuiſibiliter, proinde quotquot inter iuſtos cenſentur, Inducuntur Prophetæ pleni cœleſti numine.*

D. Theoph.
Philo. Iud.

Eamdem ſimilitudinem proſequitur Chriſtianus Philoſophus Athenagoras apologo pro Chriſtianis, fol. 9. ſcribens hæc verba: *Prophetas nomino, qui extra ſe ſuíſque cogitationes poſiti, diuini ſpiritus impulſu, quidquid ille in ipſis efficiebat, eloquebantur, cum Spiritus eis, ceu organis vteretur, vt tibiis ad inflandum vti ſolet tibicen.*

Athenag.

Inſtrumentis muſicis æquo iure comparantur Prophetæ, organis, aut tibiis, qui Spiritus ſancti impulſu ſuauiſſimas edunt harmonias canticorum, & vaticiniorum modulamina, vt his demulcerent genus humanum, nunc interiori voce, dulcique concentu excitantes ad Dei regnum hominis mentem, nunc remiſſiori modulo triſti nænia, lugubrique carmine vocantes ad lamentum, & planctum, gementes populi vaſtitatem.

Præcentores cæleſtis modulaminis. [illegible]

6. De his præcentoribus chori Prophetici Chriſtus videtur loquutus, Lucæ cap. 6. verſ. 32. *Cantauimus vobis tibiis: & non ſaltaſtis, lamentauimus, &*

non ploraſtis. Eorum conuentus muſicos deſcribit S. Ambroſius lib. 6. in Lucam dicens: *Cantauit Moyſes, quando in mari rubro ad tranſitum Iudæorum, fluctus obriguit: Cantauit Eſaias dilecto dilecti vineæ ſuæ canticum, ſignificans aſperam flagitiis fore plebem, quæ fœcundis prius erat virtutibus fructuoſa. Cantauerunt Hebræi cum veſtigia eorum tactu flammæ rotantis humeſcerent, & intus, extráque ardentibus omnibus ſolos ignis innoxius lamberet, nec adureret. Abacuc quoque cantico, publicam doctus mulcere mæſtitiam, prophetauit dulcem Domini fore fidelibus paſſionem. Cantauerunt ergo Prophetæ ſpiritualibus modulis publicæ ſalutis oracula reſultantes: fleuerunt Prophetæ threnis flebilibus dura Iudæorum corda mulcentes.* Sicut enim Citharœdus lyram, aut citharam pulſans dulces edens ore ſono, vt numeroſis motibus, & tripudiis terram premat, & dimetiatur pedibus ſaltator; vt incredibili velocitate rotans, aut quatiens pede terram, ſaltatricis diſciplinæ regulas non tranſiliat: ſic vates tanquam choraules, fiſtulas inflabant, & modulabantur ad choros Iudaici populi, vt iuxta numeros, & menſuras diuinæ legis incederent, & bonorum operum perficerent choreas.

D. Ambr.

7. Quartò Prophetæ vocitantur nubes, quæ ſtillicidia cœleſtis ſapientiæ, & diuinorum eloquiorum imbres ſuper homines effundunt. Hoc nomen vatibus impoſuit Deus apud Iſaiam cap. 5. verſ. 6. *Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Nubium metaphoram argutè expendit, & accommodat Prophetis Chriſtianus Sophiſta Procopius ſcribens: *Prophetas per nubes propter eorum vitæ puritatem, & ſplendorem ſignificans: vnde & cœlitus illis loquendi ſuppetebat facultas. Vt enim nubes nihil aliud eſt quam craſſus quidem aër humido de terra vapore conſtans, qui ſurſum ventis euectus, ſimul atque eorum opera in iuſtum aceruum congregatus, idoneam grauitatem humoris inſperſione conſequutus eſt, in terram guttatim labitur, vnde ipſa imbrium à terra in terram delatorum natura exiſtit: Sic vſitato naturæ quidem ordine in lucem erumpunt Prophetæ, animi puritate tamen, & ſpiritus virtute adiuti attolluntur, fœcundaque orationis guttas mentibus bonis, & frugiferis inſtillant. Talis Moyſes ſuis ipſe verbis oſtenditur, cum ait: expectetur tanquam imber doctrina mea. Rurſus: quaſi imber ſuper terram, & quaſi ſtillæ ſuper gramina, eloquia mea.* Quibus verbis nubium naturam eleganter expreſſit, eleuationem in aëra, & imbrium curſum, & aquarum fluenta, quæ in terras decidunt, in iiſque vetos Prophetas adumbrauit; cœlis proximiores, in altum à terrenis eleuatos, ſpiritus rore, & humore doctrinæ cœleſtis fœcundos, vitæ puritate albidos, & ſplendidos, ſermonis latice Eccleſiam rigantes.

Nubes.
Procop.

8. Propheta Regius vocat nubes Prophetas Pſal. 17. verſ. 12. *tenebroſa aqua in nubibus aëris.* Tenuit mentem Pſalmiſtæ S. Athanaſius quæſt. 71. dum inquit: *Obſcuram aquam dicit diuinam Scripturam, quoniam in caligine Moyſes legem accepit à Deo in monte Sinai: quin ipſi Prophetæ quoque non manifeſtè, ſed obſcurè, & tenuiter quodammodo viderunt aduentum Chriſti, & manifeſtarunt. Nubes enim vocat Prophetas, qui prædicauerunt, & vt aquam effuderunt, ſpiraruntque veluti venti diuinum ſermonem, & legem ſuper terram, quæ eſt illa tenebroſa aqua.* Conſonat Sanctus Bruno eos vocitans cataractas cœli ad ea verba Pſal. 41. *in voce cataractarum tuarum,* & ſubiungit Carthuſianorum Patriarcha: *Cataractæ dicuntur Prophetæ, eo quod per eos in humanum genus aqua doctrina deſcendit: ſicut per cataractas aqua pluuiarum in terram defluunt.* Cataractas cœli aperiebat Deus cum per Prophetas ſuos diuini eloquij pluuias ſuper terras ſpargebat, quique per Beatum Iob ſtellæ pluuiæ vocantur, quia ſtillicidia myſteriorum, & ſupernæ illuminationis radios in terram humani pectoris iniecerunt.

D. Athan.

D. Bruno.
Cataractæ cœli.

9. Hanc ſtellarum pluuiæ allegoriam pulchrè proponit S. Greg. Magnus lib. 27. moral. cap. 5. ad ea verba: *qui aufert ſtellas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum.* Sic legit ſanctus Doctor cum in vulgato, Iob cap. 36. verſ. 27. non *ſtellæ,* ſed *ſtillæ* inueniantur. *Qui aufert ſtillas pluuiæ.* Sed verſionem ſuam ſanctiſſimus Antiſtes illuſtrat his verbis: *An non in hoc cœlo aſtrum pluuiæ Moyſes extitit, qui cum de ſupernis emicuit, corda peccantium quaſi arentem inferius terram ſanctæ exhortationis pluuia ad vbertatem germinis infudit? An non Eſaias aſtrum pluuiæ oſtenſus eſt, qui in eo quod lucem veritatis prævidens tenuit, ſiccitatem infidelium prophetando annuntians rigauit? an non Hieremias, & Prophetæ cæteri velut in cœlo poſiti aſtra pluuiæ fuerunt, qui in prædicationis culmine erecti, dum prauitatem peccantium liberè increpare auſi ſunt, quaſi verborum guttis obcæcationis humanæ puluerem rigando preſſerunt?* Hæc Magnus Gregorius.

D. Gregor. Magn.
Stellæ pluuiarum.

10. Quintò proprium eorum munus clamores profundere aduerſus ſcelera, ideò vocantur tubæ concrepantes, & leones contra flagitia populi rugientes. Harum tubarum clangor in Ieroſolyma perſtrepebat exacuens hoſtes ad prælium, vt populus metu perculſus à malitia ceſſaret, quæ hoſtes inuehebat in vrbem, & ad vaſtitatem excitabat. Amos cap. 3. verſ. 6. de prophetali tibicine fatur: *ſi clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet:* locum expendit, & metaphoram tubæ illuſtrat Sanctus Cyrillus, cuius verba ſunt: *In ciuitate quidem ſi reſonuerit tuba, bellum ab hoſtibus motum, & armatorum aduentum prænuntiauerit, quis adeò omnem doloris ſenſum amiſit, vt non incredibilem futurorum malorum metum concipiat. Mea autem tuba futura præcinere nunquam deſinunt, & vos tamen nihil inde emolumenti percipitis.* Tubas futura præcinentes vocat Prophetas Amos: in cuius ore reſonat queribunda Dei vox: etenim cum buccinæ ſonitus horrendum Martem ſpirat, & minatur ciuitatis ruinam, & incendium, pilus capitis inhorreſcit, & fortior quiſque concutitur timore. At populus Iſraëliticus quotidie auſcultabat prophetalis tubæ ſonitum iactantem necis, & gladij minas; nec timebat, nec proficiebat.

Tubæ concrepantes, leones contra flagitia rugientes.
D. Cyrill. Alexand.

11. Leonis catulos Prophetas eſſe, aſſerit Dauid Pſal. 103. verſ. 21. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant.* De Prophetis accipit Sanctus Athanaſius quæſt. 81. dicens: *Catulos leonum dicit Prophetas. Rugiebant verò clamantes, & dicentes, & prophetantes Incarnationem filij Dei.* Et S. Cyrillus in caput 3. Amos: *Nunquid dabit catulus leonis vocem?* Verba hæc Prophetis accommodat, de quibus ex perſona Dei fatur: *Catuli autem quodammodo mei ſunt, qui omnes mores meos referunt. Clamant enim aduerſùm eos quibus impiè agere in conſuetudine eſt.* Fortiſſimi leones extiterunt Vates zelum Dei ſpirantes, horriſonôque rugitu contra populi iniquitates, & ſcelera vociferantes.

Catuli Leonum.
D. Athanaſ.
D. Cyrill.

12. Sextò, Doctores hominum, & Pædagogi extiterunt, qui diuinis moribus, & doctrina cœleſti populum imbuebant. Alexandrinæ Eccleſiæ decus S. Cyrillus hoc dogma præfatus eſt in exordio expoſitionis in Michæam, loquens de Prophetis: *Vnus eſt omnium ſanctorum Prophetarum, idémque*

Hominum [illegible]
D. Cyrill.

acceptus Deo ſcopus, permouere Iſraelem, vti errores animo forti deſertum eat, & Deo viuo, ac vero ſeruire, iuſtitiaque ornamentis gloriari malit: damnari ob res improbiſſimas fugiat quam maximè. Et paulò pòſt: *Vnus quippe erat Dominus, qui loquebatur omnibus, & omni tempore errantibus oſtendebat, quorum opera quaſi in rectam ſemitam reducerentur.* Doctores, ductores & Pædagogos inſtituit Deus Prophetas, qui inſidam plebem Iſraëliticam diuinæ legis educatione, & diſciplina demulcerent, & ad virtutem formarent, vt relictâ vitiorum ſemita latebroſâ, ad viam tutam virtutis, & expeditam flecterent. Nec ſolius Reipublicæ Iudaicæ moderatores conſtituti ſunt, ad populos etiam gentilium protenſa eſt eorum eruditio, , & magiſterium. Id teſtatur grauiſſimis verbis Sanctus Athanaſius lib. de Incarnatione verbi Dei: *Non enim (inquit) in Iudæorum gratiam duntaxat lex illa introducta fuit, aut Prophetæ ad ſolos Iudæos miſſi, à quibus affligebantur, ſed in hoc deſtinati, vt vniuerſi orbis magiſtri, ac Pædagogi eſſent, & pro publica ſchola, & ſacroſancta tam in iis, quæ pertinent ad Dei notionem, quàm in iis, quæ ſpectant ad animæ diſciplinam haberentur.* Formati ſunt à Deo totius orbis Doctores, & magiſtri, & in literario ludo diuinæ ſapientiæ Gymnaſiarchæ.

Vatum officium in vita ſemitas reducere errantes.

D. Athan. *Iudæorum, & Gentium Doctoris.*

PRÆLVDIVM II.

Diuina locutio, & reuelatio myſteriorum cum ipſo cælo, & mundo de antiquitate contendit.

Diuina locutio facta Angelis.

1. FORSAN Iſaias teſtes diuinæ locutionis affert cœlum cum terra, quia ſuppares ſunt vetuſtate creatio cœli, & illuminatio diuinorum facta creaturis ratione vtentibus: ideóque ſubiungit: *Audite cœli, quoniam Dominus locutus eſt.* Primò enim alloquutus eſt Angelos in Empyrei cœli aula, fecitque conſcios diuinorum myſteriorum. Hanc manifeſtationem ſecretorum futuræ Incarnationis in Verbo Dei perficiendæ prophetiam nuncupare reformidat Pater Franciſcus Suarez lib. 5. de Angelis cap. 5. num. 10. admittit tamen reuelationem à Deo factam Angelis viatoribus de myſteriis ſupernaturalibus per cognitionem fidei ſupernaturalis. Vnde cap. 6. num. 4. referens ſententiam illam Sancti Thomæ 1. part. quæſt. 57. art. 5. ad 3. *Quidquid Prophetæ cognouerunt de myſteriis gratiæ per reuelationem diuinam multo excellentius eſt Angelis reuelatum.* Statim ſubiungit: *nihilominus etiam de Angelis viatoribus propoſitio diui Thomæ veriſſima eſt.* Itaque iam à mundi exordio Deus Angelis loquebatur, & ſupernâ reuelatione myſteriorum, eorum mentes illuminabat. Hanc vetuſtatem diuinæ locutionis, & reuelationis Angelis ſanctis factæ, antequàm crearetur homo, verba Beati Iob manifeſtant cap. 38. verſ. 6. & ſequentibus: *Aut quis demiſit lapidem angularem eius, cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Eáque de reuelatione Incarnationis filij Dei, quæ facta eſt Angelis viatoribus, eleganter expendit S. Bernardinus Senenſis ſerm. 59. art. 2. cap. 3. *Quem hic (inquit) per lapidem angularem terræ figura iſta conuenientius notare poteſt quàm benedictum filium Dei Ieſum Chriſtum, qui de terrena materia corpus ſumpſit? Hunc autem lapidem tunc Deus demiſit, cum laudarent illum aſtra matutina, quando Chriſtum in aſſumptione carnis mittendum ab initio creaturæ rationalis, inter Angelos reuelauit.* Et ſtatim hæc adiicit: *Huic autem Incarnationi quidam illorum fauebant, qui ſcilicet in Chriſti fide, merito dilectionis eius, ad æternam beatitudinem intrauerunt. Et hi aſtra matutina, quaſi manè per claritatem gloriæ orientia, iuſtè denominantur. Tales autem iubilantes interna exultatione mentis, de Incarnatione filij Dei, ipſum Deum, de ſua ſapientiæ diſpoſitione, in ſua gratifica ſaluatione ſupradictis vocibus laudabant.* Tanquam eximius Theologus, & Eccleſiaſtes proponit Sanctus Bernardinus reuelationem diuinæ diſpoſitionis circa redemptionem humani generis propoſitam Angelis in ſtatu viæ, vt per fidem, & meritum Saluatoris in gratia radicati, & confirmati aſſentientes diuinæ ſapientiæ conſilio, in ſtatum gloriæ beatificæ fideles ſerui introducerentur.

P. Franciſc. Suarez *Angelis viatoribus facta eſt reuelatio incarnationis.*

D. Thom.

S. Bernardin. *Latis Angularis filius Dei.*

D. Bernard.

Angeli exultarunt de Incarnatione filij Dei.

2. Statim ac confirmati ſunt in gratia Angeli ſancti, (aliis cadentibus) & donati æternâ beatitudinis coronâ, facta eſt reuelatio, & diuina locutio candidatorum ſpirituum Senatui: etenim cœleſtis curiæ Imperator, & Dominus inſtaurare cupiens ſemidiruta commotione ſuperbiæ, cœlorum palatia, conſilium pectoris ſui aperuit creandi virgineam puellam Dei genitricem ab omni labe immunem, cuius adiutorio, & miniſterio impleret Angelorum ruinas, & ex hominibus ad dignitates Angelorum aſſumptis, occuparentur vacua ſubſellia. Mens eſt Sancti Vincentij Ferrer. diuini verbi præconis eximij, & in expoſitione ſacrarum literarum ſubtiliſſimi, qui ſerm. de Conceptione Virginis Mariæ ſcribit: *Ita cogitate de Angelis. Quando in quolibet ordine viderunt tot cathedras vacuatas, poteſtis cogitare quod ſupplicabant Deo dicendo: Domine iſta ciuitas veſtra ſic remanebit depopulata? tum Deus reuelauit Sanctis Angelis, quod eorum ordo repararetur, non de Angelis, ſed de hominibus pœnitentibus, & obedientibus, & credentibus.* Et ſtatim proponit diuinum colloquium factum vniuerſo Angelorum cœtui, *dicens omnibus, quod ipſe crearet, & formaret vnam Virginem, ex cuius fructu tota ciuitas iſta populabitur.* Et addit: *Ideo dicit ipſa: Ego ex ore Altiſſimi prodiui: quando eam reuelauit ſanctis Angelis. Ego feci vt oriretur lumen indeficiens, ſcilicet dies reuelationis.* Aptè deducit ſermonis ſeriē Sanctus Vincentius, ore Domini proloquuti, cùm Angelos ad arcanorum conſortium admiſit, creandi feminam, ex cuius diuina, & humana prole Angelica damna Deus ſarciret. Sed hæc denuntiatio, & illuminatio, mediante Deiparâ perfecta eſt. *Ego feci vt oriretur lumen indeficiens* (inquit Maria) *ſcilicet dies reuelationis.* Quid enim felicius, & gratius contingere potuit exercitibus Angelorum, quàm ſupernæ illuminationis claritate intueri Dei matrem, quam reparationi cœleſtium, & terreſtrium deſtinabat Deus, & de fonte Solis, qui diem, & Solem gratiæ, & gloriæ peperit, illuminari fulgoribus: vt non ſolis hominibus, ſed etiam Angelis, iuxta ſignificationem nominis *Mariæ*, appareret magiſtra, doctrix, ſtella maris, & illuminatrix.

Diuina locutio facta Angelis beatis.

D. Vincen. Ferrer.

Colloquium Dei Angelorúmque de reparatione cœleſtium ruinarum.

D. Vincen.

Maria dignitatem reuelauit Deus ſanctis Angelis.

3. Poſt Angelorum illuminationem, primus Propheta Adamus extitit, qui diuinæ viſionis, & propheticæ locutionis primitias delibauit. Hoc aſſertum inficiabitur nemo, cùm ſit manifeſtum ex Geneſ. cap. 2. verſ. 21. in quo agitur de formatione feminæ. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Somnum hunc fuiſſe

Primus Propheta Adam diuinæ locutionis particeps.

myſticum, ſacris arcanis plenum, in eóque potiſſimè illuſtratum Adam Chriſti, & Eccleſiæ ſacramentis, exiſtimant Patres: húncque contemplationis ſoporem, & animi quietem extitiſſe, in eáque ad contemplanda cœleſtia abſtractum. Vnde Septuaginta Interpretes, S. Hieronymus quæſt. Hebraicis in Geneſim, Philo Hebræus lib. *quis rerum diuinarum heres.* S. Auguſt. lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 19. legunt: *Immiſit Deus ecſtaſim in Adam.* In ea Adamum lumine prophetico afflatum exiſtimat S. Auguſt. proximè relatus. Eius verba ſunt: *Illa ecſtaſis quam Deus immiſit in Adam, vt ſoporatus ob dormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens, per ecſtaſim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, vt intrans in ſanctuarium Dei, intelligeret nouiſſima. Denique euigilans tanquam prophetiæ plenus, cùm ad ſe adductam coſtam mulierem ſuam videret, eructauit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apoſtolus: hoc nunc os, &c. vt intelligeremus propter ecſtaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eum diuinitus tanquam Prophetam dicere potuiſſe.* Donum quoque prophetiæ in hoc Adami raptu, agnouit Sanctus Chryſoſtomus homil. 15. in caput 2. Geneſis, eius verba ſunt: *Obſecro dilecte vide hic, quomodo cum illa ineffabili ſapientia à Deo ſuppeditata, & propheticam gratiam accipit. Nam idcirco docuit nos beatus ille Propheta, quod & ſomno, & ecſtaſi correptus ſit.* Et ſtatim de verbis, quibus feminam alloquutus eſt, ſubiungit: *Credas certò quod Spiritus ſancti doctrinâ afflatus, & acceptâ propheticâ gratiâ hæc loquatur.* Hæc de prophetico dono, quod habuit Adam, cum ecſtaſi corripitur ad formationem mulieris.

Lect. LXX. D. Hieron. Philo. D. Auguſt. Adam ſomno correptus, & Prophetico ſpiritu afflatus, vt Chriſti, & Eccleſiæ Sacramenta præcognoſceret.

D. Chryſoſt.

4. Gaudet Protoplaſtus prophetici muneris inſignibus, non ſolùm ad intuenda futura Eccleſiæ myſteria, ſed afflatus eſt Spiritus prophetici illuminatione, vt agnoſceret præterita: innotuit ei ſuum de puluere exordium, & modus, quo ſui corporis terreni ſimulacrum fuerat plaſmatum Dei omnipotentis manibus, & Dei aſpiratione, & flatus viuificatum; nouit eius animum ſimilitudine Deitatis, & imagine Creatoris ſignatum, de nihilo creatum, rationis participem, mirabili nexu inditum, & inſertum corpori. Id teſtatur Sanctus Epiphanius lib. 1. contra hæreſes in principio, ſcribens: *Adam Protoplaſtus formatus eſt, Non autem erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum ſanctum. Propheta enim erat.* Et ſtatim: *Propheta erat Adam: & nouit quod Pater dixit Filio: faciamus hominem.* Adamus myſterium Trinitatis per reuelationem intellexit, Triadóſque conſilium ad formationem humani figmenti præceſſiſſe.

Adam cognouit futura, & præterita.

D. Epiph.

Agnouit myſterium Trinitatis.

5. Poſt præuaricationem, & humani generis ruinam, Adamo diuina pietas non defuit: rurſus condecoratur Prophetico lumine, vt præcognoſceret vnicum hominis aſſertorem, qui humanitate aſſumptâ, per paſſionem, & mortem, hominem vinculis conſtrictum ſolueret, mortuum reuocaret ad vitam, & pro omnium ſceleribus Deo Patri pleniſſimè ſatisfaceret. Hoc oſtendit magnifica illa Dei promiſſio diuinis literis conſignata; Geneſ. cap. 3. verſ. 13. alloquitur Deus ſerpentem peccati auctorem, & omnis doli artificem; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* De hoc Domini promiſſo loquitur Rupertus Abbas lib. 3. in Geneſ. cap. 19. *Certiſſimè igitur hic illius ſemen mulieris promittitur, quod eſt Chriſtus, per quod ſexus idem, qui deceptus eſt, deceptoris caput omne contriuit, quando ad deſtructionem peccati Beata Virgo ſine peccato nonum hunc, & cœleſtem hominem mundo edidit.* Quod hæc promiſſio facta ſit primis parentibus per ſupernam reuelationem, & illuſtrationem propheticam, primorum parentum mentibus à Deo immiſſam, vt afflictos hac dulcis expectationis conſolatione permulceret, & mœrentes erigeret, eorúmque leuaret ærumnas, id diſertè ſcribit S. Vincentius Ferrer. ſerm. de Conceptione Virginis Mariæ, his verbis: *Dum autem Adam, & Eua eſſent in illa triſtitia: Deus reuelauit eis, quod ab eis procederet vna Virgo ſanctiſſima, quæ afferret maius bonum, quàm ipſi perdidiſſent. Quia Eua abſtulit nobis Paradiſum terreſtrem, & Virgo Maria nobis attulit Paradiſum cœleſtem. Illa Eua attulit mortem corporis; Virgo Maria nobis donauit vitam animarum. Illa fecit perdere deuotionem; iſta fecit inuenire Dei fruitionem.* Et ad hoc inſtitutum feliciter, & argutè expendit locum Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 7. *Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Et de Beatæ Virginis ſolatio, & leuamento, quod in mundi exordio primis parentibus intulit, Vincentius enucleat: *Alti fuerunt Adam, & Eua, quia caput humanæ generationis: altiores quantùm ad locum Paradiſi terreſtris: altiſſimi quantùm ad iuſtitiam originalem, & ſanctitatem. Quibus Virgo Maria fuit columna nubis ardorem dolorum refrigerantis.* Itaque Adamus ad propheticæ illuminationis apicem euectus, vt præcognoſceret myſterium Incarnationis filij Dei, & Beatæ Virginis ſanctitatem, & eximium decus.

Adam poſt præuaricationem Prophetico illuſtratur lumine.

Rupert. Deiparam in ſpiritu agnouit, & eius filium.

D. Vincen.

Adamum, Euámque ſqualentes mœrore, & lacrymis ſolatur Deus propoſitâ in Spiritu Dei matre.

D. Vincen. Adami, & Euæ dolores leuit Maria.

6. Nec defuit Adamo comminatio, & prædictio prophetalis imminentium malorum. Orbis diluuium, & Pentapolis incendium apertè vaticinatus eſt, vt mortales terreret minaciter. Teſtis huius vaticinij eſt Ioſephus lib. 1. antiquitatum Iudaicarum cap. 3. de nepotibus Adam, & filiis Seth hæc ſcribit: *Scientes Adamum vniuerſalem rerum interitum præcecinisse, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis vtrique ſua inuenta ſcripſerunt.* Vt omni prophetiæ decore, quod ſpectat ad rerum præteritarum, & futurarum præſcientiam primus homo ornaretur.

Prophetica Adami Comminatio.

Ioſeph.

7. Poſt Adamum ſequitur Enoch, quem in Prophetarum albo deſcribit Sanctus Iudas Apoſtolus in Canonica epiſtola verſ. 14. & recenſet diuinum eius vaticinium de Dei iudicio, & ſupplicio improbis infligendo: *Prophetauit autem, & de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens: ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis: facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij.* Vnde liquet à mundi exordio, etiam in lege naturæ non defuiſſe veritatis præcones, & ſcientiæ diuinæ Doctores, qui homines erudirent, & ad ſemitam ſalutis dirigerent. Conſonat verbis Apoſtoli Iudæ S. Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 30. ſcribens de Enoch: *Sed & Enoch ſine circumciſione placens Deo, cùm eſſet homo Dei legatione ad Angelos fungebatur.* Angelos vocat homines Deo charos à Seth genitos, quos Scriptura ſacra filios Dei nuncupat, vt in ſcholiis Irenæi annotat Feuardentius ex Theodoreto, Cyrillo, & Lyrano. Et Suidas verbo *Seth*, inquit: *Deum enim Sethum, illis ætatis homines appellabant, eo quod & Hebraicas literas, & ſtellarum appellationes inueniſſet, ob inſignem eius pietatis admirationem, vt qui primus, & cognominaretur, & appellaretur Deus.* Et ſtatim:

Enoch Propheta.

D. Irenæ.

Feuard. Cyrill. Theodor. Lyran. Cur Seth vocatur Deus.

Merito

Merito igitur Sethi, & Enoſſi, & Enochi filij Dei, & Deorum filij authore Symmacho intelliguntur. Hos vocat Irenæus Angelos, ad quorum flagitia exagitanda, petulantiam libidinis coërcendam ſalutaribus monitis, & increpationibus iuſtus Enoch à Deo delegatur; degenerauerant enim ab auitis moribus, connubia contrahentes cum fœminis impiæ generationis Cain, earum mores impios, & ritus imitantes.

Noë Propheta.

8. Poſt Enoch in hac prima mundi ætate ante diluuium dono Prophetiæ enituit Noë, & parens eius Lamech. Ex quo enim filius ſuſcepit huius lucis vſuram, diuino ſpiritu afflatus parens, ei nomen impoſuit, Geneſ.cap. 5. verſ. 28. de Lamech dicitur: *Genuit filium, vocauitque nomen eius Noë dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra; cui maledixit Dominus.* Quod diuino numine correptus, & prophetică illuſtratione decoratus, hæc fuerit affatus teſtatur Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyr. dicens: *Ex Enos, cui cognomen erat Deus, nati ſunt alij, poſt quos etiam Lamech Pater Noë, qui in filij natiuitate Propheta ſtatim eſt declaratus. Quemadmodum etiam Zacharias in Beato Baptiſta.* Spiritum propheticum Lamech illuſtrat ſanctus Chryſoſtomus homil. 21. in Geneſim ſcribens: *Vide iterum per nominationem nunc nati ex Lamech ſacramentorum magnitudinem, & vaticinij excellentiam.* Et ſtatim repetit: *vide longanimitatem Domini ante tempus facientis vaticinium precedere.* Filius eius Noë propheticæ annuntiationis clarus inſignibus, celeberrimus diuinæ iuſtitiæ præco, licèt ab omnibus coæuis ſuis irriſus, & exagitatus, vniuerſalem orbis cataclyſmum prædicere non deſtitit. Æquo iure Apoſtolus Petrus, Noë vocat: *iuſtitiæ præconem*, 2. Petri. cap. 2. verſ. 5. De quo præconio ſcribit S. Chryſoſtomus homil. 22. in Geneſim: *Omnibus, qui tunc erant Doctor calamitatum, quaſi clamans, & dicens per nomen ſuum: deſiſtite à malo, operamini virtutem, timete preparatam pœnam. Commune diluuium in toto orbe erit. Magna, & excellens Dei indignatio eſt, quia & magna in malitiam procliuitas. Et hoc non duobus, vel tribus annis faciebat, ſed quingentos annos vixit, hac admonet.* Quare reiiciendi ſunt Beroſus, & Annianus apud Senecam lib. 3. naturalium quæſtionum cap. 27. & ſequent. Et Henricus Mechlinienſis Magni Alberti diſcipulus in commentariis in magnas Albumazaris coniunctiones, qui aſſerunt Noë ex coniunctione aſtrorum diluuium coniectaſſe. Potius aſſerendum, ex diuina reuelatione cataclyſmum præcognouiſſe.

D. Cyrill. — *D. Chryſoſt.* — *Noë diuinæ iuſtitiæ præco.* — *D. Chryſoſt.* — *Noë non ex aſtrorum coniecturis, ſed ex superno lumine præſenſit vniuerſalem Cataclyſmum.* — Beroſ. Annian. Seneca. Henric. Albor.

Noë benedicens Sem. prophetat. — Rupert.

9. In benedictione Sem manifeſtè prophetauit Noë Geneſ.cap.9. verſ. 26. *Euigilans Noe ex vino, &c. dixitque: benedictus Dominus Deus Sem.* In quæ verba Rupertus ait: *Sciendum quippe totum illud eſſe in ſpiritu prophetia, nam quia de Sem naſciturus erat vnus Dei cultor Hebræorum populus, idcirco dixit: benedictus Dominus Deus Sem.*

Prophetarum ſeries. — Clem. Alex.

10. Longum eſſet diſcurrere per ſingulos vates, ad quos Dominus eſt loquutus. Ne faſtidium ingeneremus lectori, eos ſummatim colligimus cum Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum, qui ita ſcribit: *Apud Hebræos autem Dei virtute, & inſpiratione, ante legem quidem Adam, qui in muliere, & animantium nominatione futura prædixit: & Noe, qui prædicauit pœnitentiam: Abraham, Iſaac, & Iacob, qui apertè non pauca ex futuris, & iis, quæ iam inſtabant, præſignificabant. Cum lege autem Moyſes, & Aaron, poſt quos prophetauère Ieſus filius Naue, Samuel, Gad, Achias, Amaas, Iehu, Helias, Michæas, Abdia, Eliſeus, Abdadone, Amos, Eſaias, Oſea, Ionas, Ioël, Hieremias, Sophonias, Buzi, Ezechiel, Vrias, Abacum, Naum, Daniel, Miſael, qui præerat rationibus, Aggeus, Zacharias, & qui erat ex duodecim Angelus* (ſcilicet *Malachias.*)

Prophetica locutio antiquior Gentium oraculis. — *Tertull.*

11. Ex prædictis liquet diuinam, & propheticam locutionem multo fuiſſe antiquiorem oraculis Vatum Ethnicorum. Vt grauiter comprobat Tertullianus lib. aduerſus gentes cap. 19. ſcribens: *Primam inſtrumentis iſtis authoritatem ſumma antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere. Omnes itaque ſubſtantias, omnéſque materias, origines, ordines, venas, veterani cuiuſque ſtyli veſtri, gentes etiam pleraſque, & vrbes inſignes, hiſtoriarum cauſas, & memoriarum, ipſas denique effigies literarum, indices, cuſtodéſque rerum, & (puto adhuc minus dicimus) ipſos inquam, Deos veſtros, ipſa templa, & oracula, & ſacra, vnius interim Prophetæ ſcrinium ſæculis vincit, in quo videtur theſaurus collocatus totius Iudaici Sacramenti, & inde etiam noſtri.* Vide Sanctum Cyrillum Alexandrinum lib. 1. contra Iulianum de hoc argumento fusè differentem.

D. Cyril. Alexand.

PRÆLVDIVM III.

An ſit expediens Propheticas Dei locutiones nouis commentariis illuſtrare?

Sacra literatura fæcunditas, & prouentus.

1. QVAM fœcunda, quàm exuberans ſacræ literaturæ partuum, & ingenioſarum lucubrationum ſapientia, vel cùm areolas paradiſiaci topiarij indigitat Interpretibus, aut noua poma decerpenda porrigit agricolis, vt artificioſis nexibus illigent floſculos, ornent calathos, iiſque ſacratum verticem coronent Mineruæ. Quis faſtidioſum nuncupet annuum ruris ornatum, luteis, aureis, albentibus, & purpureis floribus depictum, quia rident, & renident prata innumerà varietate floſculorum? Quis ſuccenſeat mari, quia reciprocantes fluctus in littora exundant ſuauique ſonitu reſultant, nouâque aſpergine quotidie cautes irrorat? Quis montium cacumina, aut terræ vbera deſpiciat, quia eructant aquarum fluenta, & continuas ſubminiſtrant ſcaturigines? Sidera, eorúmque fulgores ex abundantia, aut frequentia viluerunt? Lucubrata commentationum opera, florilegia de paradiſo, ſtillicidia de pelago, riui de fonte, ſtellæ de cœlo, ſplendores de ſideribus, & lumina ſapientiæ cœleſtis mutuata, nec ſatietatem afferunt, nec offendunt ſapientem.

Noua Commentationes quibuſdam diſplicent.

2. Adhuc in rixa es, litémque amas: occurſitántque menti obiectiunculæ, leuioris armaturæ tela, quorum ictum retundam facilè. Coërceatur concitatus calami curſus, ſedentur ingenia, quæ velut libidine ſcriptitandi pruriunt. Satis ſupérque ſcripsêre maiores noſtri, ne librorum cateruâ nos opprimas, aut literarum onere obruas ingenia. Cùm ſtrinxiſſet hunc nexum Rupertus Abbas, ſoluit acutè pulcherrimis verbis Prologi Commentariorum in Apocalypſim: *Sed dicet aliquis: iam ſatis eſt, quod alij meliores, & ſanctiores, nihilo minus & doctiores, inuenerunt, atque ſcripſerunt? Illicitum eſt, temerarium eſt adiicere quidpiam ad ea, quæ à nominatis Catholicíſque Patribus dicta ſunt, atque ita faſtidium legentibus facere, augendo multitudines*

Rupert. Ab. — *Eorum ſcrupuli.*

Rupert.

Commentariorum. Cui obiectationi occurrit grauiter Benedictinæ ſcholæ decus: *Hæc ac inquam: nimirum ſanctarum ſpatioſus ager ſcripturarum, omnibus Chriſti confeſſoribus communis eſt, & tractandi illas nulli iure negari poteſt licentia, dummodo ſalua fide, quod ſentit, dicat, aut ſcribat. Quis namque rectè indignetur, eo quod in eadem poſſeſſione poſt vnum, aut duos puteos, quos foderunt patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filij ſuccedentes? Denique Iſaac alios puteos fodit, præter illos, quos foderant ſerui Patris ſui Abraham, quos illo mortuo olim obſtruxerant Philiſthiim. Nam poſtquam, & illos rurſus fodit appellauitque eos eiſdem nominibus, quibus Pater ante vocauerat, ſequitur Scriptura, & dicit: Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam. Item foderunt & alium. At deinceps: profectus inde fodit alium puteum. Itaque iuxta hanc regulam, nobis quoque concedant, poſt illos puteos, quos foderunt, id eſt, poſt illos tractatus, quos tractauerunt Patres, & priores noſtri, & alios fodere puteos proprij vomere ingenij, dummodo viuam & nos aquam reperire poſſimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli ſcandalum, vel errorem faciat legenti.* Cuique ſcientiarum moderamine inſtructo latiſſime patet ſcripturarum campus, vt antea flexuoſa perluſtret, diligentiæ malleo ſcilicet frangat, improbi laboris raſtro excauet, explorans aquarum viuentium venas, & ſcaturigines, vt limpidiſſimos latices commentationum ducet, & deriuet ad aliorum delicias, & emolumentum. Non obruam maledicentiæ gleba, aut liuoris puluere obſtruam puteos, quos maiores noſtri in omni literatura magni in Iſaiæ vaticinationibus foderunt, ſed liceat mihi fodere alium puteum proprij ingenioli ſarculo, aut in puteis iam effoſſis viuum deriuare riuulum, aut ſtillicidium.

Scrupuloſorum metus tollitur eorúmque obiectiuncula ſit ſatis.

Putei diuinæ ſapientiæ.

Recentiores commentationibus ſuis puteos effodiunt.

3. Arridet planè Tuitienſis Abbatis pulchra comparatio fœcunditatis diuinæ ſapientiæ cum puteis aquæ viuæ (eſt enim Ruperto longe antiquior) eam primus ſacræ Scripturæ Commentator Philo Hebræus illuſtrat lib. de ſomniis ea verba expendens Geneſis in cap. 46. verſ. 1. vbi de Iacob dicitur: *venit ad puteum iuramenti*: perſcrutatur itaque Philo argutè, cur ſapientia, & ſcientia diuinorum puteus nuncupetur. Et duplici ratione potiſſimâ reſpondet quæſito. Prima, quia ſcientia in profundo latitat, & trahitur ſapientia de occultis, labore, & ingenij dexteritate. Secunda, quia ſapientiæ finis non inuenitur, nec aqua intelligentiæ vnquam exhauritur. Accipe ipſius verba primam cauſam adſtruentis: *Mihi videtur hîc puteus ſignificare ſcientiam, quæ ſuapte natura in profundo ſita eſt, non in ſuperficie, vt in propatulo ſolet eſſe, ſed in abdito: nec facilè, ſed vix multo labore inuenitur.* Rationem ſecundam his verbis ſignat: *Quoniam fines ſcientiarum non ſolùm difficiles inuentu ſunt, verùm etiam nunquam inueniuntur. Verùm ideò alius alio doctior eſt, in Grammatica, Geometriáve; quia profectus, & incrementa non poſſunt circumſcribi certis terminis* Quę verba de diuina ſcientia æquiore iure proferenda. Rationem ſuam confirmat hæc adiungens Philo: *Semper enim plura quàm diſcuntur, ſuperſunt: vt is etiam, qui ſe putat attigiſſe finem ſcientiæ ſemiperfectus habeatur ſub alio iudice. Breuis enim vita, vt quidam inquit, ars longa. Cuius amplitudinem is optimè cognoſcit, qui in eam deſcendit profundius, tanquam puteum fodiens. Viget enim ſemper ad ſcientias anima, cum vires corporis marceſcant, & languēant. Eſt autem, id commune omnium ſtudioſorum, quibus aliæ poſt alias contemplationes ſuboriuntur, multa ex ſe patiente animâ, modo non ſit ſterilis, multas naturâ vltro ingerente, non obtuſis mentibus. Hic eſt igitur ille ſcientiæ puteus fundo, ſinéque carens.* Argutum, & præclarum Philonis aſſertum, quotidiano experimento firmatum, cum cernimus vberes partus ingeniorum, variaſque mentis diſertorum hominum contemplationes enixas in apertam lucem, obſtetricante cœleſtis Solis lumine, ſimul comprobantes ſcientias diuinas nullis coarctari incrementi limitibus, puteúmque ſcientiæ fundo ſinéque carere. Felix mens, quæ ſeſe demittit placidè in putei profundos gurgites, vt eruens, & hauriens limpidos latices, ebibat ſapientiæ poculum.

Cur diuinorum ſcientia, puteus dicatur

Phil. Iud.

Sapientia in profundo latitat.

Fines ſcientiarum non inueniuntur.

Philo Iud.

Nullus ſcientia metas attigit.

Fœcunda contemplationibus ingenia.

4. Cum populo ſuo fatur os aureum, orſum Geneſis commentationem, amplificat prædictam ſimilitudinem, & Scripturæ ſacræ vbertatem, cum ſemper ſcaturiente fonte componit, hoc verborum ſchemate hom. 3. in Geneſim: *Larga fontis huius ſpiritualis vbertas. Nec mireris, dilecte, ſi nobis hoc accidat, etiam qui ante nos fuêre pro viribus ſuis aquas inde hauſerunt: & ſimiliter qui poſt nos futuri ſunt, idem attentabunt, neque ſic totum euacuare poterunt; ſed magis iterum augeſcunt flumina, & increſcunt. Hæc enim ſpiritualium fluminum natura eſt, vt hoc magis ſcaturiant, & accreſcat ſpiritualis gratia, quo quis magis inde haurire ſtudet. Propter hoc & Chriſtus dicebat: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quibus horum fluminum, dapſilitatem, & largitatem nobis indicant.* Præſagiiſſe videtur Chryſoſtomus felicem noſtri ſeculi ſortem, cùm ex ſacris Religionum montibus tot erumpunt librorum flumina, aureíque ſapientiæ riui exundant, vt Eccleſiæ irrigent viridarium; talibúſque irriguis fluentis, pectora, linguas cœleſtium præconum, ad componendos mores, & conuerſiones animorum reddunt feraces. Macte ſcribas ſapientum patrum cohors: Macte ſapientia aurea ætas, quæ imperitiæ caliginem diſpuliſti. Rigat montes Deus, & campeſtria, de ſuperioribus ſuis, effluunt tramites aquæ viuæ, diuini foſſores hauriunt, ſed non exhauriunt inges ſcatebras: *Ante nos fuêre, qui pro viribus ſuis aquas inde hauſerunt, ſimiliter qui poſt nos futuri ſunt, idem attentabunt, neque ſic totum euacuare poterunt, ſed magis iterum augeſcunt flumina.* Neque hanc coniectationem Chryſoſtomi, noſtri ſeculi experimentum permittit eſſe fallacem.

Scriptura ſacra vbertas.

D. Chryſoſt.

Diuinæ ſapientiæ latices hauriuntur, non exhauriuntur.

Huius ſeculi in ſcriptoribus felicitas.

5. Inquirit Clemens Alexandrinus, an ſit concedenda facultas ſcribendi viris ſapientibus? Et cùm ſecundum eos prætuliſſet ſententiam, ſubiungit pulcherrimum rationis ſuæ ſtabilimentum lib. 1. Stromatum initio his verbis: *Vtrum autem ne omnino quidem, an eſt aliquibus permittendum ſcribere? Sin autem aut viris bonis, aut iis, qui non ſunt eiuſmodi. Ridiculum quidem certè fuerit, eorum, qui ſunt boni, ac ſtudioſi ſtudiis repudiatis, eos, qui tales non ſunt componentes admittere. Sed Theopompo quidem, & Timæo, qui fabulas, & maledicta componunt, præterea autem Epicuro quoque, qui eſt princeps, & author impietatis, quin etiam Hipponacti, & Archilaco tam turpiter ſcribere concedendum eſt, ei autem qui veritatem prædicat, prohibendum eſt, poſteris vtilitatem relinquere? Pulchrum autem, & honeſtum eſſe exiſtimo, iis etiam, qui poſtea ſunt futuri, bonos filios relinquere. Atque filij quidem corporum, animæ autem fœtus ſunt orationes.* Mirum quot quotidie in lucem erumpant ex prælo libelli facetiis, iocationibúſque pleni, Theocrinem iam tragicum, iam calumniatorem, & Sycophantam æmulantes,

Quales futuri quibus largienda ſcribendi facultas.

Clem. Alex.

Libelli prophani quotidie in lucem erumpunt. Taxantur.

per

per manus, & ora hominum curſitent, & volitent fabellæ non togatæ, aut prætextatæ, ſed iocis, & ſalibus plenæ, aut concinnatis ad veritatis ſpeciem feminarum propudiis, aut virorum; gratulatione, & plauſu, obuiis vlnis acceptæ, à ſupremis, mediis, infimis tanquam Apollinis oracula, è tripode Pythia, vel Delphica vaticinantis, aut tanquam Sibyllæ Cumanæ folium; eorúmque auctores cum Iuuenale videntur cantitare:

Iuuen.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Cùm nihil aliud præ ſe ferant, niſi apinas tricas, res futiles, ac nugatorias, earúmque lectionis fructus ſimilis è Tantali horti collectis pomis: ſunt nimirum phaſmata, aut inſomnia. Seneca in Troade actu 2.

Seneca.

Rumores vacui, verbáque inania
Et par ſollicito fabula ſomnio.

Si hæc, & his ſimilia opera faſtidium non ingenerant lectoribus, cur ſatietatem afferent diuinorum commentationes inducentes animo contemplationes cœleſtes, & myſteriorum Chriſti ampliorem cognitionem.

Interpretum copia Ambroſio placet.
D. Ambr.

6. Interpretum abundantia, & frequentia non diſplicuit Ambroſio, quare ad ea verba Canticor. cap. 3. verſ. 2. *Quæram, & circuibo ciuitatem.* In quibus cupiditas, & ſolicitudo ſponſæ in verbi Dei inueſtigatione declaratur, ſic fatur lib. de Iſaac cap. 5. *Eſt Ciuitas munita per Chriſtum; eſt Ciuitas illa Hieruſalem in cœlo, in qua abundant diuinæ legis interpretes, & diſciplinarum periti, per quos verbum Dei quæritur.* Hieruſalem terrena cœleſtis æmulatrix eſt, gaudet quoque ornari abundantiâ, & copiâ interpretum diuinæ legis.

Grata eſt Cyrillo.
D. Cyrill. Alexand.

7. Non grauabor exordium Sancti Cyrilli Alexandrini in Oſeam tranſcribere, quo reddit rationem nouæ commentationis in Prophetas duodecim à ſe lucubratæ: *Exiſtimabit* (inquit) *fortaſſe quiſpiam otioſum eſſe quodammodo, & cum temeritate coniunctum, parúmque conducibile etiam antea pluribus diſputata, & explicata tantùm non refodere, perſcrutarique velle, & laboribus aliorum præteritis, nouos ſuperaddere: ego verò magnopere contra ſenſerim. Memorabo enim Paulum acclamantem iis, quos rebus diuinis erudiebat: eadem ſcribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Conſidera porrò quàm verum dixerit. Nam ſi quippiam proponatur cognitu præcipuum, ac neceſſarium, & ita ſuper eo multis, & a multis diſſeratur, nullum inde damnum ad quemquam; damnum autem? imò fructus maximus ad audientes perueniet:* & ſubdit: *Tametſi ante nos non pauci in ſacros Prophetas commentarios ediderunt, hac quidem de cauſa non tacebimus, potiúſque inertiæ repulsâ mollitie, quam nobis quoque gratiam impertiuerit, qui profunda, & occulta illuminat, eam iam cæteris etiam prodemus: memores illius Chriſti: gratis accepiſtis, gratis date.* Hæc ritè Cyrillus.

Licet poſt Patrum veſtigia, recentibus meſſoribus, in ſacræ Scripturæ ſegetem falcem mittere.

8. Dices: id licuiſſe Patribus, qui primas ſapientiæ adepti, à Deóque conſtituti tanquam luminaria in cœlo, ſcientiarum Doctores, vt Eccleſiam inſtruerent. Licuit primoribus Eccleſiæ nouam falcem in ſacræ Scripturæ meſſem immittere, licuit quoque ſpiritalis meſſis reliquias, & ſpicarum manipulos, de induſtria ſucceſſoribus metenda relinquere. Vnde Leuit. cap. 23. verſ. 22. *Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam vſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus, & peregrinis, dimittetis eas.* Quem textum ad rem noſtram dilucidè expendit Radulphus Flauiacenſis ſcribens: *Si ſeges*

Radulph. Flauiac.

vſque ad ſolum ſecetur, quicumque deinceps acceſſerit, materia laboris exhauſtâ, non inuenit vbi operetur. Cùm igitur ſeges ſacra Scriptura dicatur, quicumque acumine intelligentiæ ſenſus illius penetrans, alieno intellectui præiudicium facit, vt iam neminem ibi capere poſſe exiſtimet, vltra quam ipſe comprehendere potuit: hic quantum ad opinionem ſuam ſegetem diuinam vſque ad ſolum ſecuit, qui omnes Scripturæ ſenſus exhauſiſſe ſe credidit. Iubentur meſſores albentes ſegetes, nec radicitus extirpare, nec vſque ad ſolum metere, flaueſcentéſque ſpicas decidentes ſcienter omittere ad alimoniam pauperum, annonam peregrinorum; O quot meſſores inclyti in nitidam, & puram diuinæ Scripturæ ſegetem immiſerunt falcem! Sudore, & labore magno legentes ſpicas, ligantes manipulos, medullamque literæ tanquam granum à paleis ſequeſtrantes; aut ſpiritalem, & moralem ſenſum tanquam granum in folliculo velut in vagina reconditum eruunt ad inſtitutionem paruulorum: ſed nullus (vt opinor) quantùm ad opinionem ſuam ſegetem diuinam vſque ad ſolum ſecuit. Vberes ſpicas, partemque arui demetendi reliquit pauperibus, & paruulis. Dicat vniuſcuiuſque anima, quæ moderatoris coacta imperio manum, & falcem inuehit, laborem impendit in Scripturæ ſacræ arua fœcunda ad meſſem albida, humilis, & peregrinæ Ruth verba: *Si iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, vbicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam.* Ruth. c. 2. verſ. 2. Qui præeſt diuinis meſſoribus collaudabit pietatis induſtriam, excuſationem prætendet illi, qui inter magnanimos, & neruoſos meſſores, & incomparabilis ſapientiæ viros ſeſe inſinuauit, aut intulit: *Rogauit vt ſpicas colligeret remanentes, ſequens meſſorum veſtigia.* Ibi verſ. 7. Protegetur enim magni illius Patrisfamilias diuinâ clementiâ, qui animi viribus imbecillos, cœleſtis eloquij inſcios, tardos ingenio, inter ſpiritualium meſſorum acies libēter admittet, dicétque: *Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis: & de veſtris quoque manipulis proiicite de induſtria, & remanere permittite, vt abſque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat* ibi verſ. 16. Quis mihi daret, ſi non cum primoribus agricolis currus manipulis onuſtos, aut ingentes frumenti aceruos in horreum Domini inuehere; laboris, & ſtudij virgâ cædere, & excutere meſſem reliquias ſpicarum, & inuenire tres modios tritici, quos in gloriam Trinitatis dedicem, aut vnum manipulum ſpicarum, quem ſacris offeram ſapientiæ altaribus!

Pius ſcriptor, & doctus, imitetur Ruth.

PRÆLVDIVM IV.

Dum ſumma Dei veritas eſt, cui nititur prophetia; ex illa ad iſtam infallibilis certitudo, & ab omni prorſus mendacio aliena, deriuatur.

1. DIVINOS vates à Spiritu ſancto afflatos fuiſſe loquutos, nemini dubium eſt; eorum reuelationes non tanquam humanum inuentum, ſed per lumen cœlitus infuſum acceptas, & à Deo dictatas nobis reddiderunt. Vidit Moyſes Deum ſuper montem Sinai, gloriâ maieſtatis ornatum, nube rutilâ veſtitum, in cuius honorem cum erexiſſet altaria, victimas obtulit vitulos duode

Propheta, Dei afflatu excitati.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

duodecim. Exodi.cap. 24. 6. *Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* Quæ verba ſanctus Ambroſius in annotation. in Exodum ad Simplicianum de duplici ſenſu Prophetici ſermonis morali, & myſtico interpretatur: *Pars enim eius moralem ſapientiæ diſciplinam videtur ſignificare, pars myſticam. Illa, quæ in crateras mittitur, moralis eſt; hæc quæ ad altare effunditur, myſtica.* Nec totus ſanguis in crateras mittitur, nec totus in altari effunditur, vt in duplicem ſenſum moralem, & myſticum diuideretur ſapientia: ſed cur ſanguis altaris non immitti, ſed effundi dicitur? Vt ſapientia hæc non acquiſita, ſed diuinitus infuſa videatur. Optimè ſanctus Ambroſius ibidem: *Eo quod diuino munere, aſpiratione quadam humanis infundatur mentibus, vt conuenientia, & fidei plena de Deo ſentiant. Qui loquuti ſunt de eius maieſtate, & de cœleſtibus, vel Apoſtoli, vel Sancti Prophetæ, non niſi ex reuelatione demonſtrata ſibi, loqui auſi ſunt.* Itaque Deus humanis mentibus propheticum lumen infundit, & abſcondita Sacramenta Spiritus ſancti reuelatione manifeſtat, vt oſtendat eos non erraſſe, vaticinia prædicantes, quæ tanto auctoritatis pondere nitebantur.

D. Ambr.

Myſtica, & moralis prophetarum diſciplina.

D. Ambr.

Dei reuelatione illuſtrati Vates.

Iamblic.

Vaticinium diuinitus immiſſum.

2. Hanc veritatem adeptus eſt Iamblicus in libro de myſteriis Ægyptiorum, vbi de ſacro vaticinio ſic loquitur: *Vaticinium ipſum nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus, vel animalibus rationibus, motibúſve efficitur, ſed ſempiternum eſt, miſſum ad nos vſque diuinitùs: totáque poteſtas præſaga refertur ad Deos: & omnis huius auctoritas conſiſtit in eis, atque inde traditur, diuiniſque operibus, ſigniſve perficitur: ſpectacula quidem habet diuina, & contemplationes vera ſcientia præditas.* Quid illuſtrius? veritas, & auctoritas vaticiniorum, ethnicorum etiam auctoritate confirmatur. In quibus verbis, ſi Iamblicus pluralitatem Deorum de medio tolleret, audeo dicere, nec Hieronymus amplius diceret.

Prophetarum eloquia Dei veritate nituntur.

3. Sed audiamus iſtius veritatis teſtem grauiorem; & religioſiorem, ſponſam ſacram, de veritate ſacræ Scripturæ diſſerentem, & toto animo intendentem in ſponſi laudes, Canticorum cap.5. verſ. 15. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Hîc columnarum nomine Apoſtolos, & Prophetas intelligunt antiqui Eccleſiæ Patres, & S. Gregorius Nyſſenus homil.14. in Cantica: *Multas habet columnas ſapientiæ domus, quam illa ſibi extruxit.* Itaque columnæ illæ, quas ſcidit ſapientia Prouerbiorum cap.9.verſ. 1. Apoſtoli ſunt, & Euangeliſtæ, & Prophetæ, auditores ſapientiæ in eius domicilio; columnæ iſtæ non ſuper terram fundatæ, ſed ſuper baſes aureas. Sed quæ ſunt fulcimenta aurea columnarum? Acutè ſubdit Nyſſenus ſuprà: eſſe ſummam Chriſti veritatem, cui tota domus Dei, & illius ſapientia, tanquam firmamento nititur. Expende illius verba: *Hoc de Pauli ſapientia intelligamus, qui columnam ait etiam veritatis firmamentum eſſe. Itaque aurum eſt veritas, quæ eadem & crurum baſis eſt, & fundamentum ædificij diuini eſt, & dicitur.* Sancti Dei homines, quorum ore loquutus eſt Dominus, doctrinis ſuis tanquam columnis domum Dei fulciunt, ſed ædificium corrueret, niſi eos Dei veritas, & Spiritus ſancti auctoritas ſolidaret. Columnæ iſtæ marmoreæ ſemper erectæ, ſemper ſtabiles, nec gentium erroribus, nec hæreticorum machinis commouentur, quia ab eo ſtabilitatem participant, qui eſt incommutabilis veritas; at Ethnicorum Theologi, & ſapientes, aut hæreticorum doctores, Babylonicæ domus columnæ ſunt, non marmoreæ, non lapideæ, ſed molles, & carneæ, ſuper baſem fundatæ non auream, ſed terrenam, ſed luteam, erroris, mendacij, & labentis voluptatis, non domum Dei ædificant, ſed domicilium Satanæ, corporum vaſtitatem, & animorum ruinam, & interitum; ſe ipſos interimentes, alios decipientes; at Prophetæ ſancti ab omni fuco mendacij, & fraudis prorſus alieni: *Columnæ fundatæ ſuper baſes aureas.*

D. Gregor. Nyſſen.

Veritatis columnæ.

D. Nyſſen.

4. Liceat in medium producere clariſſimum teſtimonium Lactantij lib. 1. de falſa religione cap.4. dicentis: *Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, vnum Deum prædicant, vnum loquuntur: quippe qui vnius Dei ſpiritu pleni, quæ futura eſſent pari, & conſona voce prædixerunt. Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? Quid ab his tam longè alienum, quam ratio fallendi: cum cæteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim à Deo mittebantur, vt & præcones eſſent maieſtatis eius, & correctores prauitatis humanæ. Prætereà voluntas fingendi, ac mentiendi eorum eſt, qui opes appetunt, qui lucra deſiderant, quæ res proculdubio ab illis ſanctis viris abfuit. Ergo à quibus abfuit ſtudium lucri, abfuit etiam voluntas peccandi, & cauſa fallendi.* Vates præconum Dei munere perfuncti, ad promulgationem diuinæ legis delegati, conſiliorum eius nuntij, à mendacij fuco alieni, Dei enim vicem gerentes, eiuſque ore ſantes, verbum proferunt irreprehenſibile, ab omni veſtigio falſitatis expers; ſi enim mendacij vmbram eorum alloquium inuolueret, Dei auctoritatem afficeret contumeliâ, & fallaciæ dedecus in Dei veritatem redundaret. Preme Lactantij ſententiam: *Voluntas fingendi, ac mentiendi, eorum eſt, qui opes appetunt, qui lucra deſiderant.* Amicitiæ nexu, vt plurimum copulantur, appetitus opum, dignitatis ambitus, & gloriæ, cum fictione, & mendacio. Qui enim gloriolæ mundanæ auram captat, ſententiam illinit mendacio, verba falſitate, & fictione decolorat. Eius animus alienus à fraude, & mendacio eſt, quem emolumenti, & lucri cura non ſolicitat. Talis erat animus Prophetarum.

Prophetæ à mendacio alieni.

Lactant.

Fictio apud eos eſt, qui opes deſiderant.

5. Aliunde Propheticorum oraculorum veritatem probat Tertullianus, ex certitudine euentuum; omnia enim, quæ prophetarunt, infallibiliter euenerunt; quod argumentum ſacra ſcriptura propoſuit tanquam lapidem Lydium ad diſcernendos veros Prophetas à falſis. Deuteronom. 18. verſ.20. *Propheta, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod ſi tacitâ cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt loquutus? Hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt loquutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confixit, & idcirco non timebis eum.* At quæ ſanctiſſimi Prophetæ prædixerunt, omnia euenerunt, vt probat Tertullianus in apologet. cap. 20. *Offerimus maieſtatem Scripturarum, diuinas probamus; nec hoc tardius, aut aliunde diſcendum, coram ſunt, quæ docebant, mundus, & ſæculum, & exitus. Quidquid agitur prænuntiabatur, quidquid videtur, audiebatur. Quod terræ vorant vrbes, quod inſulas maria fraudant, quod interna, atque externa bella dilaniant, quod Regnis Regna compulſant, quod fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumque mortium vaſtant, quod humiles ſublimitate, ſublimes humilitate mutantur, quod iuſtitia rareſcit, & iniquitas increbreſcit,*

Ex certitudine euentuum conſtat veritas vaticiniorum.

Omnia quæ Prophetæ prædixerunt, euenerunt.

Tertull.

Omnes orbis vaſtitates prænuntiatæ.

breſcit, bonarum omnium diſciplinarum cura torpeſcit. Dum patimur leguntur; dum recognoſcimus, probantur. Idoneum, opinor, teſtimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta eſt, iam ſcilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Hæc quantumuis multa ex Tertulliano tranſcripſi, quia ad præſens inſtitutum aptiſſima. De veritate vaticiniorum Iſaiæ, quis dubitet? Cùm ea omnia impleta, videamus. Ad comprobandam oraculorum veritatem cœlum, & terram inuocat, mundum, ſeculum, exitum, Hieroſolymitanæ vrbis incendia, Iudaicarum ciuitatum vaſtitatem, bellorum ſtrages; ſacerdotij, & Regni Iudæorum iacturam, fames, lues, interneciones à Chaldæis, & Romanis exactas; quod Deus gentes, olim humiles, & abiectas in ſublimi Eccleſiæ regno collocauit, quod Synagogam de ſolio deturbauit; dum patiuntur Iudæi, leguntur; dum recognoſcunt in Iſaiæ ſermonibus, probantur. Itaque cùm Iſaias teſtes aduocat cœlum: *Audite Cœli, & auribus percipe terra.* Poſtea ſubdit: *quoniam Dominus loquutus eſt.* Prædicationum eius fides tutiſſima eſt, dum diuina auctoritate fulcitur, ſeque eſſe Prophetam veracem oraculorum exitus comprobauit.

Omnia quæ Iſaias prædixit euentus comprobauit.

Prælvdivm V.

Verbum Dei, & increata Sapientia Magiſter extitit Prophetarum.

1. PRophetas ſanctos ab initio temporum Deus ſua ſapientia imbuit. Quis non gloriaretur talem habuiſſe præceptorem, quando Dei verbum Prophetarum Doctor, eos in ſchola ſacra quaſi pueros erudiebat. Fatetur id ſponſa in Epithalamio ſponſi. Cant. cap. 5. dum ventrem ſponſi, ſeu illius pectus, in quo theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi, eximiis laudibus ornat, verſ. 14. *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* S. Gregor. Nyſſen. homil. 14. legit. *tabella eburnea.* Et ſubdit: *Quo tempore legiſlator ſculptam lapideis tabulis legem Moyſi tradidit, illas ipſas tabulas appellauit lapideas tabellas, quibus diuini characteres inſculpti erant.* Itaque Deus Moyſem in Lyceo montis Sinai tanquam puerum informabat, inſtruebátque, tabellam ei dedit, in qua ſacros characteres ſcriptos digito Dei legeret, repeteret, memoriæque mandaret. Nunc ergo ſponſi venter, aut diſciplina quaſi tabella eburnea eſt, in qua ſacri Prophetæ addiſcebant ſapientiam; in eóque altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, mente percipiebant; quaſi firmamentum erat ſtellis diſtinctum, ſpeculis nitentibus variegatum Propheticorum luminum, diuinarúmque reuelationum, quibus illuminati futura ſacramenta cernebant.

Deus Moyſem inſtruit.
D. Gregor. Nyſſen.

Theodor.

2. Non grauabor tranſcribere verba Theodoreti in hunc locum: *Venter eius* (inquit) *pyxis exigua, eburnea, ſapphiris diſtincta. Profunditas enim myſteriorum, & penu cognitionis (vbi ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei) ſunt vaſculum eburneum illis, qui reuelatione ſunt digni. Et natura quidem comprehendi nequeunt, Ideò ſapphiris diſtincta eſt pyxis, vt rerum diuinarum oſtendat arcanam profunditatem. Ac licet profunda, & recondita, obſcuráque ſit, eburnea tamen efficitur illis, qui non ſunt indigni: quamobrem Beatus Paulus clara voce: oculus* (inquit) *non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, nobis autem Deus reuelauit per ſpiritum ſuum.* Et rurſum: *Myſterium eius, quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus, & quod aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis eius Apoſtolis, & Prophetis. His de cauſis ventrem illius pyxidem dixit eſſe eburneam, ſapphiris diſtinctam.* Preme verbum illud: *Et penu cognitionis.* Nam penu ſignificat omne eſculentum, poculentúmque, & quidquid ad futuri temporis vſum, in loco aliquo, qui inde penuarium vocatur, ſeruamus reconditum. Dictum penu, eo quod ea, quæ longè ab oculis contrahuntur, & reconduntur, non in promptu ſint, ſed intus, & penitius habeantur. Quamobrem ſcientiam viſionis, & futurorum in Deo æquo iure appellabis penuariam cellam, alimentum ſapientiæ, & cognitionis Apoſtolis, & Prophetis ſubminiſtrantem; ſicut enim venter reliquis corporis partibus alimenta diſtribuit, ita Dei ſcientia comprehendens omnia, futurorum myſteriorum cognitiones, quaſi cibos animæ Prophetis ſanctis diuidit: & ſicut penu cibos abdit, & ſuo tempore manifeſtat, ſic Dei præſcientia futurorum prænotiones recludit in ſua profunditate, & inſcrutabili altitudine deliteſcentes, ſuîſque temporibus à ſe præordinatis, reuelationis lumine prophetico reſerauit amicis ſuis ſanctis hominibus; diuinàque Sapientia menſam appoſuit pulcherrimam, exquiſitiſſimis vaticiniorum ferculis ornatam, manúmque porrigens de Deitatis poculis fecit eſſe participes, vt facti diſcipuli Dei fierent hominum magiſtri.

Vates arcana omnia in Dei [illegible]entia agnoſcunt.

Dei præſcientia penuaria cella, alimenta cognitionis vatibus ſubminiſtrans.

3. Docuit eos diuina ſapientia non ſolùm futura, ſed etiam præterita. Enarrauit Moyſes mundi principium, vt Philoſophorum opiniones de illius æternitate deſtrueret. Ait enim Geneſis cap. 1. verſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Nunquid Moyſes in creatione mundi extitit? Nunquid orbis machinam de nihilo formare vidit? Quo modo agnouit in principio feciſſe cœlum, & terram? Reſpondet ſanctus Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. cap. 4. *Dixit Propheta eius, in principio fecit Deus cœlum, & terram Nunquidnam ibi fuit iſte Propheta, quando fecit Deus cœlum, & terram? Non ſed ibi fuit ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quæ in animas etiam ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit, eiſque opera ſua, ſine ſtrepitu intus enarrat.* Multorum annorum curriculo præceſſit Moyſem mundi exordium, ſed non præceſſit Creatorem mundi; diſtantiam temporis ſuppleuit Dei ſapientia; lumine cognitionis, quod erat præteritum fecit præſens Creator in mente Prophetæ: tanta eſt enim ſcientia, & potentia Dei Prophetarum Magiſtri, vt de præteritis, & futuris ſimul illuminet.

Vates ſunt edocti à Deo de præteritis.

Moyſes agnouit mundi exordium.
D. Auguſt.

4. Sed elegantior eſt Auguſtini ſententia in Pſal. 61. ait enim Pſalmographus: *Semel loquutus eſt Deus*, quorum verborum profunditatem magno proponit acumine dicens: *Multifariè, multiſque modis, olim Deus locutus eſt Patribus in Prophetis. Quid eſt, ſemel locutus eſt Deus? Nonne ille eſt Deus, qui in primordio generis humani loquutus eſt ad Adam? Nonne idem ipſe loquutus eſt ad Noë, ad Abraham, ad Iſaiam, ad Iacob, ad Prophetas omnes, & ad Moyſem? loquutus eſt Deus Apoſtolis, loquutus eſt omnibus ſanctis, etiam ſi non voce ſonante per nubem, in corde tamen, vbi ipſe Magiſter eſt. Quid eſt ergo, ſemel loquutus eſt Deus?* Statim quæſtionis caliginem

D. Auguſt.
Deus verbum in Prophetis loquitur ab initio temporis.

In corde extitit Magiſter.

liginem magno ingenij acumine diſcutit dum ſubdit: *Apud ſe, ſemel Deus loquutus eſt, quia vnum Verbum genuit Deus.* Quaſi diceret Deus ad intra ſemel loquitur, quia ab æterno vnum Verbum ſubſtantiale generat, in quo Deus cognoſcit, & loquitur omnia; iſtud igitur Verbum loquebatur omnibus ſanctis Prophetis, & in corde eorum ſuum conſtituit magiſterium, & hoc expreſſit Auguſtinus ſupra: *In corde tamen vbi ipſe Magiſter eſt.* Itaque Deus per Verbum ſuum, in quo fecit omnia, in quo nouit omnia, tanquam per Magiſtrum Prophetas erudiebat, inſtruens eos de præteritis, admonens de futuris. Et cum Verbum iſtud ſit etiam lumen æternum, & fons luminis, abſcondita reuelabat, obſcura illuminabat.

Comæ ſponſi nigra myſteria ſunt obſcura, & reuelatione fiūt perſpicua.

5. Inter præcipuas ſponſi laudes, illa numeratur Cant. cap. 5. verſ. 11. *Comæ illius nigræ quaſi coruus.* Nunquid non ſplendidæ, rutilæ, flaueſcentes, aureiſque cincinnis ornatæ? Ad quid igitur nigræ? Quid color aureus cum nigredine corui? Comæ capillique arcana ſunt diuinæ ſapientiæ, quæ licet in ſe ſint lucida, & conſpicua, nobis tamen obſcura videntur: optimè Theodoretus inquit: *At comas eius cum perſpicuæ ſint, ait eſſe nigras; illis enim, qui nondum diuinam aſſequuti ſunt reuelationem, ea quoque videmur obſcura, & difficillima, quæ manifeſta ſunt, & ſenſibus comprehenduntur. Qui verò ad intima myſteria ſunt admiſſi, iis perſpicua videntur etiam illa, quæ ſunt obſcura. Itaque Beatus Dauid inquit, incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* O térque, quatérque beati Prophetæ in arcana ſacræ ſapientiæ conſilia admiſſi, diſcipuli facti illius Domini, qui ſuo lumine obſcura manifeſtat: ſint nobis, ô Domine Ieſu, comæ capitis tui, oracula vatum tuorum, candidæ quaſi columbæ non nigræ quaſi corui; da nobis clauem ſcientiæ, quo intima reſerentur arcana. Depone peccator corui nigredinem, eſto Dei columba ſanctitate, morumque candore, & erit tibi ſponſi caput quaſi columbæ deargentatæ, in pallore auri.

Theodor.

Deus vaticiniorum auctor, & Magiſter.

Mercur. Triſmeg.

6. Denique vaticiniorum magiſtrum eſſe Deum agnouit Mercurius Triſmegiſtus in libro, qui inſcribitur *Pimander*, ſeu de poteſtate, & ſapientia Dei, ſic de ſeipſo Mercurius loquitur. *Cùm de rerum natura cogitarem, ac mentis aciem ad ſuperna erigerem, ſopitis iam corporis ſenſibus quemadmodum accidere ſolet iis, qui ob ſaturitatem, ac defatigationem ſomno grauati ſunt; ſubitò mihi viſus ſum cernere quemdam immenſa magnitudine corporis, qui me nomine vocans in hunc modum clamaret: quid eſt, ô Mercuri, quod & audire, & intueri deſideras? Quid eſt quod diſcere, aut intelligere cupis? Tum ego: quiſnam es, inquam? Sum, inquit, ille Pimander mens diuinæ ſapientiæ: at tu vide, quid velis, ipſe verò tibi vbique adero Cupio, inquam, rerum naturam diſcere, Deumque cognoſcere. Ad hæc ille: Tua me mente complectere, & ego te in cunctis, quæ optaris, erudiam. Cum hæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubitò reuelauit.* Vera ſunt iſta, an ficta à Mercurio? Vt ter Maximi inter Ægyptios Philoſophi nomen ſibi vſurparet? ſi ſeipſum vatem finxit, auditorem ſe eſſe fatetur diuinæ ſapientiæ, quæ de mundi exordio, & geneſi ipſum Mercurium informauit.

Viſio facta Mercurio Triſmegiſto.

Quis Pimander ſit.

PRÆLVDIVM VI.

Incarnata Dei ſapientia, & accidentibus Euchariſtiæ veſtita, Vates informat, & vaticiniorum interpretes inſtruit.

Ieſus in prophetis loquebatur.

1. QVID magis decantatum apud antiquos Eccleſiæ Patres, quam quòd Chriſtus apparebat Patriarchis, & Prophetis factus eruditor, & magiſter eorum. Teſtatur id Iſaias cap. 52. verſ. 6. *Quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* De Ieſu, qui eruditor extitit Prophetarum, & Apoſtolorum doctor, ſententiam accipit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 13. *Quod nomen* (inquit) *niſi Chriſti? Quid? Ego ſum ipſe, qui loquebar? Tunc enim ipſe erat, qui in Prophetis loquebatur, ſermo, filius Creatoris.* Eamdem mentem verbis ſuis ſanctus Auguſtinus in titulo Pſalmi 142. ſcribit: *Ipſe enim ſe in Prophetis prædicabat, quoniam ipſe eſt Verbum Dei: nec illi tale aliquid dicebant, niſi pleni verbo Dei, annuntiabant ergo Chriſtum pleni Chriſto: & illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deſerebat.* Prophetæ vt cernerent Chriſtum, illuminabantur à Chriſto, vt procul fari poſſent Chriſtum, Verbum Dei mentem, & linguam mouebat: arcana diuinæ ſapientiæ ſacramenta, tali edocente magiſtro ſiebant conſpicua.

Tertull.

Vates annuntiabāt Chriſtum pleni Chriſto.

Iſraël illuminationem propheticam, & oraculum verbi amiſit.

2. Perdidit Iſraël optima naturæ, & gratiæ dona, bene ordinatæ Reipublicæ glorioſa ornamenta, Iudices, Reges, Principes; ſed maiori lamentatione Vates Oſeas deplorat, fuiſſe iacturam Teraphim. cap. 3. verſ. 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, &c. & ſine Teraphim.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Oſeam legit: *Sine manifeſtis.* Docétque Teraphim eſſe *Vrim, & Tumim, manifeſtationem, & veritatem*, quæ in Rationali Pontificis, catenulis aureis, ante illius pectus erant appenſæ. Exodi cap. 28. Iraque Teraphim erant manifeſtationes illæ, ſeu illuminationes Pontificio rationali affixæ; quia lapides illi pretioſi lumina, & radios iaculantes, mentem Sacerdotis, & Vatis illuminabant, occultaque manifeſtabant. Sed quid in Aaronis pectore Rationale, & manifeſtationes portendebant? Reſpondet ſanctus Cyrillus: *Erant in typum Emmanuelis manifeſtatio, & veritas, omnia enim, quæ audiuit a Patre, annuntiauit nobis, & manifeſtauit voluntatem eius, qui genuit ipſum, & viam ſalutis demonſtrauit.* Rationale, & λογεῖον in pectore Pontificis, λόγον, & Verbum in pectore Patris intellige, diuinæ voluntatis conſcium, & conſiliorum, diuinæ ſapientiæ nuntium, Angelorum, & hominum oraculum: eſt Emmanuel lumen immenſum; ad ipſum tanquam ad Deificum Solem, & lucis fontem confluebant Patriarchæ, Sacerdotes, Vates, prophetica luminaria accendentes, de diuinæ mentis fulgoribus inflammati, & illuminati; Verbum Dei, quantum fas eſt homini mortali, intuentes, futuræ humanitatis myſteria proſpicientes: ab humana, & cæca hominis mente, ignorantiæ diſpulerunt tenebras.

Quid præ ſe ferat Theraphim?

D. Cyril. Alexand.

D. Cyrill.

Ieſus Angelorum, & Hominum oraculum.

Vera ſapientia Chriſtus.

3. Allicere cupit Salomon hominum animos ad fruitionem ſapientiæ: eam omnibus opibus decoratam, & omni pretioſo ornamento opulentiæ, & felicitatis ornatam demonſtrat. Prouerb. cap. 3. verſ. 15. *pretioſior eſt cunctis opibus.* Et verſ. 16.

longitudo

longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. Sapientiæ nomine hoc loci accipiunt Chriſtum Dominum Euſtachius, & Didymus in catena Prouerbiorum: prior inquit: *Per ſapientiam ſubliniori ſenſu deſignatur Chriſtus.* Quæ autem ſint bella, pretioſáque ornamenta ſacráque ſupellex, quæ eius manibus; & digitis inſeruntur, vt tanquam crepundiis prolectet, & demulceat paruulos, ſubiungit Didymus Alexandrinus, Diui Hieronymi Magiſter in catena Prouerbiorum: *Per ſapientiæ dexteram, diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur, ſignificatur: per ſiniſtram autem rerum humanarum notitia, ex qua gloria, & abundantia naſcitur.* Diuinarum, & humanarum rerum notitia, & ſcientia à Ieſu, Incarnata ſapientia oritur; ipſe enim diuitias è manibus aureis, & hyacinthis plenis, effundebat in Vates, occulta manifeſtans myſteria.

[Euſtach. Didym.]

[*In dextra, & ſiniſtra Chriſti diuinarū, & humanarum rerum notitia.*]

[Didym.]

[*Quo in loco Chriſtus inuenitur?*]

4. Quæſiuit ſponſum dilectum Chriſtum ſponſa, in lectulo, ſed fruſtra; exiliit de recubitu, explorauit per vicos, & plateas, & non inuenit; Chriſtus enim non in otio, aut requie, nec mundialium curarum tumultu reperitur; inuenit poſtea dilectum poſt Cuſtodum vigilantium occurſum, colloquium, & diſciplinam. Cant. cap. 3. verſ. 4. *Paululum cum pertranſiſſem eos: inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.* Animoſa, & inuicta mulier, quæ Verbum Dei currens velociter, exultans vt Gigãtem ad currendam viam, tam firmo tenere potuit amplexu: omnipotens eſt iſtius ſanctæ diſcipulæ deſiderium: pendens ab ore ſponſi, diſcendi cupida, cum tenuit, ligauit, introduxit in domus penetralia, in ſanctæ Eccleſiæ ſcholam, vt diuino magiſterio frueretur. Non complet animum verſio Thargum Ieroſolymitani, de magiſterio Moyſi hæc verba interpretantis: nam ad ea verba: *in domum matris meæ:* legit de Prophetis, & diſcipulis Moyſi: *Nauabant operam verbis legis in cœnaculo domus doctrinæ Moyſis, magiſtri eorum.* Quanto melior interpres Cyrenſis Epiſcopus Theodoretus, qui præſentem locum de Euangelicæ Eccleſiæ gymnaſio, Chriſto doctore, & gymnaſiarcha, eiuſque diſcipulis Apoſtolis, & Prophetis, his verbis explanat: *Ciuitatem vocat domum Dei, quam Eccleſiam appellamus: fora, & plateas, diuinas Scripturas: cuſtodes Ciuitatis ſanctos Prophetas, & ſacros Apoſtolos, quos percontatur, & interrogat anima pia diuinum Verbum deſiderans, poſt quos inuenit ſponſum,* Inter Apoſtolos, & Prophetas Chriſtum inuenit docentem, ipſa appetens fieri diſcipula, ab ipſis ſciſcitatur veritatem; vt myſteriorum Dei, quæ ex illius ore didicerunt, ipſa fieret particeps. Non Moyſem tardiloquum quærit Magiſtrum, riuulum ſciens, & prudens prætermittit, ad ipſum ſapientiæ fontem currit.

[Lect. Chald.]

[*Moſaica doctrina domus qualis.*]

[Theod.]

[*Schola ſapientiæ Eccleſia, in qua Chriſtus eſt Gymnaſiarcha.*]

[*Inter Apoſtolos, & Prophetas Chriſtum inuenit ſponſa.*]

[*Moyſes erudit r, & Prophetici collegij Doctor Ieſus.*]

5. Non Prophetarum doctor Moyſes, ſed collega, ſupremi autem collegij Prophetarum Doctor, & Rector Chriſtus Ieſus; ipſius Moyſis linguam tardiorem coram Pharaone mouebat, hæſitantiamque auferens, illius os aperiebat. Exodi cap. 4. verſ. 12. *Ego ero in ore tuo: doceboque te, quid loquaris.* Verba efferunt Septuaginta: *Ego aperiam os tuum, & inſtruam te.* Aquila: *Illuminabo te.* Sed quis fuit in ore Moyſi? Quis illud aperuit? Quis Moſaicam mentem inſtruxit, & diuinis illuminauit fulgoribus? Reſpondet optime ſanctus Ambroſius lib. in Exodum ad Simplicianum: *Sapientia Dei Chriſtus, qui Moyſi dixerat: ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quid debeas loqui: Ergo hæc ſapientia diuina Sanctorum animis cognitionem reuelat, vt ſpeculentur eius gloriam.* Ergo excutientes pigritiæ ſomnum, ſurgamus à lectulo vitiorum, in quo diu hærens anima iacuerat; orationibus, laboribus, lacrymis quæramus ſponſum inter plateas ſcripturarum, continua ſtudiorum exercitatione teneamus, donec introducat nos in domum doctrinæ: vbi in throno regali ſedet ſapientia, Prophetas ſanctos cœleſtibus inſtruens diſciplinis. Illumina mentem meam o Domine Ieſu, vt ſublimis, & magni Vatis Iſaiæ myſteria profunda rimetur; aperi os, moue linguam, dirige calamum, vt de tuo hauſtam fonte, veram interpretationem literis exaratam, & publicis monumentis conſignatam ad poſteros deriuem.

[Lect. LXX. Aquil.]

[D. Ambr.]

6. Sed hæc omnia animus prophetantis, & Prophetiam interpretantis, in gratiarum fonte ſacra Euchariſtia nanciſcitur. Obtulit Moyſes in gratiarum actionem ſacrificium Domino, & holocauſta. Exodi cap. 24. verſ. 6. *Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis: & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* Quis ſit iſte ſanguis, & quæ cratera, notat S. Ambroſius lib. in Exodum ad Simplicianum: *Chriſti aduentus annuntiatur, & ſalutaris hoſtia, quam Verbum Deus in ſemetipſo obtulit.* Poſtea de cratere ſubdit: *Sanguinem miſit in crateras Moyſes Propheta, ipſum eſſe ſanguinem, de quo ſcriptum eſt: quia ſapientia miſcuit in cratere vinum ſuum, dicens, vt relinquerent inſipientiam, & quærerent ſapientiam.* In illa ſanguinis effuſione ſuper altare, incruentum ſacrificium Chriſti parabatur, quod Eccleſia quotidie offert pro viuis, & mortuis; vinumque pretioſum figurabatur, quod miſcuit in calice diuina ſapientia, vt chariſſimos inebriet, & doctos illuminet. Quid verò potet animus de cratera Euchariſtiæ, ibidem ſcribit Ambroſius: *Hauritur ergo de cratere ſapientia, hauritur diſciplina, hauritur intellectus.* Itaque vinum Euchariſticum mentem exacuit, obſcurioribus de Deo quæſtionibus lumina præfert, Scripturarum inuoluta ſacramenta expandit, veram intelligentiam ſuggerit; clauis eſt ſapientiæ Dei, fontem vitæ, & interpretationis aperiens, vt fluenta illa cœleſtia, ſermonumque myſticorum latices fluant in cordis penetralia; dum Chriſti ſanguinem non imputus libo, non imparatus bibo, dulciſſimo hauſtu epoto illius intelligentiam. Ad interpretes ſacros, conuertit ſermones ſuos Ambroſius: *Tu bibis poculum ſapientiæ, quæ ſit auro, argentóque pretioſior. Vtrumque ergo poculum bibe veteris, & noui teſtamenti: quia in vtroque Chriſtum bibis. Bibe Chriſtum, vt bibas ſanguinem, quo redemptus es. Bibe Chriſtum, vt bibas ſermones eius. Sermo eius teſtamentum eſt vetus. Sermo eius teſtamentum eſt nouum. Bibitur Scriptura diuina, & deuoratur Scriptura diuina, cum in venas mentis, ac vires animi ſuccus Verbi deſcendit æterni.* Hæc ſanctus Ambroſius in Pſalm. 1. ad ea verba: *Sed in lege Domini.*

[*Prophetæ eorumque; interpretes ab Euchariſtia illuminati.*]

[D. Ambr. *Salutis Ieſu Hoſtia.*]

[*In cratere myſtico ſapientia inuenitur.*]

[D. Ambr. *De cratere ſapientiæ hauritur intellectus.*]

[D. Ambr. *Interpretes ſacri ebibant ſapientiæ poculum.*]

7. Ad calicem, & poculum eloquiorum cœleſtium nos inuitat diuina ſapientia, quæ interpretationem, & illuminationem accipiunt ex cratere myſtico, & dulciſſimo hauſtu fontis æterni, qui ex latere Chriſti in calicem Euchariſticum exundat; & ex cœleſti alimonia panis vitalis, qui viuificationem mentis, & intelligentiam epulantibus infundit. Prouerbiorum cap. 9. verſ. 2. in triclinio, & conclaui ſuo Sapientia: *Miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* mox verſ. 5. vox inuitantis ſapientiæ, & clamor ancillarum ſubiungitur:

[*Sacrum epulum myſteriorum intelligentiam largitur.*]

tur: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* In hæc poſteriora verba Venerabilis Beda ſcribit: *In pane corporis ipſius, in vino mixto ſanguinis ſacroſancti myſterium, quo in altari, menſa videlicet eius ſatiamur, oſtenditur.* Et ad priora verba Salomonis verſ.2. hæc attexuit: *Diuinitatis tuæ arcana capere non valentibus, aſſumptæ humanitatis ſacramenta patefecit, & Scriptura ſacræ pabulum nobis aperiendo præparauit.* Cibum ſapientiæ, & alimentum Euchariſticum in eodem ſympoſio Rex Chriſtus copulauit: cibus ipſe, quo præbet animo, & corpori alimentum vitæ, & æternitatis, præbet intelligentiam diuinorum, pabulum intelligentiæ diuinarum ſcripturarum ſubminiſtrat, ſacramenta abſcondita illuminatione cordis reſerat.

Beda.

Euchariſtia mentem illuminat.

8. Inter alios effectus mirabiles conuiuij ſacri, illuminationem mentis enumerat Angelicus Doctor: incurrit primus homo, inter alias ærumnas, in tenebras ignorantiæ ex vetiti pomi eſu: hunc defectum abolet Euchariſtia, hominem opipara, & ſacra menſa reformans: *Piè recipientium* (inquit S. Thomas opuſc. 58, cap.6.) *ignorantiæ tenebras illuminat. Pſal.26. Dominus illuminatio mea. Et Pſal.33. Accedite ad eum, & illuminamini. Corpus enim Chriſti, & Verbum Dei, id eſt vera lux in carne humana, quaſi in lucerna, qua illuminatur fidelis anima.* Ad hanc Lucernam Vates fide appropinquabant, eorumque colluſtrabantur mentes à Solis fonte æterni, qui obumbrare nube humanitatis, operire accidentium velamine diuinæ ſapientiæ gazas voluit; vt Sol mundum, lucerna corporis Chriſti ſanctorum animas luce complebat, qui æterna luce illuminati expromebant vaticinia. Accedat fidelis anima ad Euchariſtiæ lucernam, in qua eſt Verbum Dei, lux vera, & tanquam Luna à Sole illuminata, & fœcunda, grauiditates, & partus mentis afferet felices.

D. Thom.

Panis Euchariſticus à diſcipulorum cordibus ignorantiam repulit.

9. Quid plura? Ex diſcipulorum corde, ignorantiæ caliginem diſpulit cibus Euchariſticus: cùm Ieſus diſcipulis in itinere Caſtelli Emmaus ſe aſſociaret, diſſimulans peregrinatoris habitu, celánſque reſurrectionis gloriam; non ſe inſinuauit diuina maieſtas, donec panem conſecrauit, & diſtribuit diſcumbentibus. Lucæ cap.24.verſ.30. *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum* Antequam accumberent cum Ieſu, fierentque ſacræ ſynaxis participes, Chriſti cognitione non ſunt illuſtrati; ibi verſ.15. *Ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem eorum, tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Illuminatio mentis Apoſtolicæ ad ſacrum epulum reſeruatur, in quo diuinæ, & humanæ naturæ detecta eſt gloria, & diuina myſteria reſerata. Pulchrè S. Theophilus citatus in catena ſancti Thomæ, inquit: *Sed & aliud innuit, quod ſcilicet ſumentibus ſacrum panem aperiuntur oculi, vt eum agnoſcant: magnam enim, & ineffabilem vim habet Domini caro.* Nec diſſentit S. Auguſtinus, qui eâdem catena aurea refertur: *Non enim* (inquit) *incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana fuiſſe, ne agnoſceretur Ieſus, ſed tantum à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad ſacramentum panis, vt veritate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci.* Patitur Ieſus diſcipulorum animos occupari inſcitiæ caligine, ſed nubes ignorantiæ euanuit, & diſſipata inſipientiæ vmbra pane viuifico, ex quo conuiuatores ſacri epuli facti ſunt; panis ipſe caligantes Apoſtolorum oculos inunxit pietatis, & gratiæ oleo, reddiditque illuminatos, vt Chriſtum aſpiciant, & Regis æterni penetralia puro fidei intuitu introſpiciant.

D. Theoph.
D. Thom.

Sacer panis Apoſtolorum oculos aperuit.

D. Auguſt.

Præludium VII.

Qui auditor Verbi Dei eſſe deſiderat, cælitum teneat puritatem.

1. IN vaticiniorum exordio, cœlos, & cœlites ad auditionem diuini ſermonis Iſaias vocat, quia qui nomen dederit ſcholæ cœleſtis ſapientiæ, cœlorum, aut Angelorum neceſſe eſt præfulgeat puritate. De triumphali, aut connubiali ferculo Chriſti diſſerens Salomon: ſcribit Cant.cap.3. v.10. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum.* Quæ ſunt columnæ argenteæ, niſi eloquia diuina, quæ domum ſapientiæ fulciunt? totus honor, omnis Eccleſiæ veritas, auctoritatibus ſacrorum voluminum nititur. Sed in medio columnarum Salomon reclinatorium conſtituit, quia animus tranquillus charitate ornatus, requies eſt ſapientiæ; ſi columna argentea, hoc eſt diuinis eloquiis erudita eſſe cupis, eſto reclinatorium aureum, præpara thalamum puritate nitentem, auro charitatis coruſcum. Horum verborum mentem apud tres Patres inuenio in Commentario Canticorum: *Columnæ*, inquiunt, *ſunt eloquia Domini, ſuper quibus tanquam columnis quibuſdam ſponſus ſublatam ſponſam ad ſe traxit. Reclinatorium eius aureum, id eſt, mentis ipſius tranquillitatem, præcipuam ſibi, vbi quieſceret, ſedem conſtituit.* In pectus turbulentum; vitiorum, & paſſionum agitatum pelagus, vbi praui, & monſtroſi habitus, velut tyranni ſunt in continuo conflictu rixantes, & digladiantes, non ingreditur Dei Verbum, ſed domum quærit tranquillam, pacatam, omni perturbatione carentem, vbi placidè recumbat ſine perturbationum murmure, ſine ſtrepitu paſſionum.

Columnæ argenteæ diuina ſunt eloquia.

Mens pura requies ſapientiæ.

Tres Patres. Theodor.

Reclinatorium aureum ſapientiæ mens tranquilla.

2. Veritatem iſtam adeptus eſt Iamblicus in lib. de myſteriis Ægyptiorum, vbi de diuinis vatibus, & eorum affectis ſic fatur: *Animi diuinitus afflati, peritique, ſubiecerunt vitam ſuam penitus afflanti Deo, ideò ſiue vt vehiculum, ſiue vt inſtrumentum ſe ſubiecerint, priorem vitæ modum depoſuère, atque vel vitam propriam in vitam diuinam commutauère: vel etiam ſuam penitus ad Deum agunt.* Mens vaticinantis (in vtroſque etenim diuinus ſpiritus ſuo modo afflat) non ſolum debet eſſe cœleſtis, ſed diuina, & in diuinitatem ipſam transformata, vt fiat reclinatorium, aut vehiculum Verbi Dei, à rebus ſenſibilibus prorſus abſtracta in cœlorum puritatem, & Angelorum beatam vitam migret.

Iamblic.

Dei afflatus, & illuminatio diuinam vitam exigit.

3. Eadem eſt mens ſancti Baſilij Magni proœm. in Iſaiam, ex quo quaſi ex florilegio, hos pulcherrimos verborum ſententiarumque flores colligo: *Quemadmodum prophetarunt puræ, ac pellucidæ animæ, veluti ſpecula facta diuinæ operationis, imaginem integram, & inconfuſam, nullâque ex parte turbatam carnis affectibus repræſentabant. Nam omnibus quidem adeſt ſanctus Spiritus, verùm in iis, qui puri ſunt affectibus, peculiarem vim oſtendit: cæterùm qui gubernatricem animi partem confuſam habent peccati ſordibus, his non adeſt.* Eamdem animi pur[illegible] exigit Baſilius in ſacris Prophetarum interpret[illegible]

D. Baſil.

Prophetantium animorum puritas, inſtar nitidi ſpeculi.

D. Baſil.

Sacrorum intellectus poſtulat animũ à vitiis perpurgatum.

Trophetia prima dos, quæ animam ſummè purgatam requirat. Proxima verò ſecundum illam, deſiderans audire, quid ſibi velint, ea, quæ dicuntur ab ſpiritu, vti ne perperam coniectes ſententiam verborum, ſed rectâ ad illam ducaris via, duce ſpiritu, quo auctore ſcripta eſt prophetia, & gubernatur intellectus eorum, qui cognitionis donum acceperunt. Lauandi ſunt auditus, & oculus animi, vt ſumma puritate reſplendeant, quâ fiat vt audire poſſit Verbum Dei, & illius veram intelligentiam intueri.

Sponſus vigilat, & pulſat ad ſponſæ ianuam, vt eam conſtituat docibilem Dei.

4. Cœleſtis ſponſus pellicere cupiens animum ſponſæ; peruigil, & pernox pulſat, & præſtolatur ad ianuam; interdum ſacrati verticis exuuiæ madent nocturni ſtillicidiis rotis: ſed mirum eſt quot deliciis prouocet, quantis blandimentis demulceat animam, vt excuſſo remiſſionis torpore, extricata à terrenis, penetret myſteriorum adyta. Cantic. cap. 5. verſ. 2. *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Sat eſt vt ſponſa amore liqueſcat, quod amicâ ſponſi vocem auſcultet: vel ſi ſemel reſonet auribus ſororis compellatio, velut amore lymphata conuolabit ad ſponſum: quid intereſt adiungere glorioſa inſignia amicæ, columbæ, immaculatæ? Optabat ſponſus vt de rationis, & ſapientiæ fonte flueret, vt ros, eloquium, & ſcientiæ diuinæ latices ad mentem ſponſæ influerent; vt tanti doctoris alumna fieret, & ingrederetur lyceum eruditionis cœleſtis, & myſteriorum; ad quam nulla diſpoſitio aptior, quàm immaculata puritas. Audi ſanctum Nyſſenum homil. 11. in Cantica: *Oportet* (inquit) *habere in natura columbæ perfectionem, hoc autem eſt, nulla in re deficere, & eſſe plenum omni innocentia, & puritate. Hæc nomina cum veluti quaſdam claues acceperis, ô anima, per ea aperi ingreſſum veritatis.* Et adiicit ſequentia: *Ex eo autem quod me admiſeris, & introduxeris, lucrifacies rorem ex capite meo, quo ſum plenus, & ex noctium guttis, quæ defluunt ex meis cincinnis,* Qui autem ſint cincinni, pulchrè verbis ſuis annectit: *Cincinnos enim, qui pendent ab vniuerſitatis capite puto nominari Prophetas, & Euangeliſtas, & Apoſtolos quorum vnuſquiſque quantum capere potuit hauriens ex obſcuris, occultis, & inaſpectabilibus theſauris, nobis quidem fiunt fluuy pleni aquis.* Veniebat ſponſus tanquam fons ſapientiæ paradiſiacus, è cuius capite iugi ſcatebra manant fluenta in Prophetas, & Apoſtolos: vt ergo eiuſmodi flumina limpidiſſima in eorum animos exundent, reddántque fructus cœleſtis diſciplinæ; vt penetrare valeant myſteriorum adyta, claues ſunt animi candor, & puritas, quibus cœleſtis myſterij aperitur porta, & ſacræ litteraturæ ſigilla reſerantur.

Columba Candor, & ſimplicitas requiritur in anima, vt adyta myſteriorum ingrediatur.

D. Nyſſen.

Innocētia, & puritas claues ſapientiæ.

D. Nyſſen.

Guttæ roriſeræ in capite ſponſi, ſunt ſapientiæ latices, qui ex Prophetis, & Apoſtolis ad nos deriuantur.

Oculi ſponſi celebrati ab ſponſa.

5. Summis præconiis exornat ſponſa oculos ſponſi, Cant. cap. 5. verſ. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Inepta videtur (niſi ſanè, & prudenter verba ſacræ Scripturæ intelligas) comparatio; color albus lacteus à pulchritudine oculorum alienus; quis in gloria, & laude ponit oculos albidos? Celebrantur cærulei oculi, aut viridi circulo quaſi cœleſti itide circumdata pupilla; non oculi albi, ſed nigricantes in laude ſunt. Horatius lib. 1. carminum Ode 32.

Cur lactei coloris?

Horat.

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Oculi ſacri ſponſi, ſpirituales ſunt, & myſtici, Eccleſiæ Doctores, & ſacræ Paginæ interpretes, qui columbinâ ſinceritate reſplendent. Sic accipit

P. A. Luc. de Arconez in Iſaiam.

oculos, oculus ille, & lucidiſſimum Eccleſiæ iubar Ambroſius tom. 5. in cap. 5. Canticorum: *Oculi Chriſti ſunt viri ſpiritalibus eruditi ſenſibus, qui ad videnda myſteria ſunt acuti, & parati ad penetranda Scripturæ ſecreta diuinæ, rationabili lacte fulgentes; in quibus non ſit aliqua doli maculoſa confuſio, ſed ſimplicis affectus pura, & immaculata ſinceritas.* Quid pulchrius? Non tam ſolertis ingenij acumen, aut humana prudentia iuuat ad introſpicienda diuina myſteria, quàm columbina ſimplicitas, & purificatus animus à ſordè vitiorum; non mundi ſapientibus, aut prudentibus qualicumque ſapientia tumidis, pectoris ſui ſecreta Chriſtus reuelat; ſed humilibus, & paruulis, qui ſicut columbæ candidæ reſident iuxta diuinorum eloquiorum fluenta pleniſſima, acutos, & perſpicaces habent oculos, aquarum profunda penitius intuentes, pretioſaſque ſenſuum, & ſententiarum margaritas de profundo extrahentes.

D. Ambr.
Oculi interpretes lactei per affectus puritatem.

6. Cùm ſummus ille puritatis fons tingeretur ſacri vndâ Iordanis, patefactæ ſunt cœlorum ianuæ, & ſanctus Spiritus in columbæ ſpecie ſuper caput illius deſcendit. Matth. cap. 3. verſ. 16. *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli.* Cur ante baptiſmum clauſi ſunt cœli, poſt baptiſmum aperiuntur? Nunquid aliquando cœlorum portæ Chriſto claudebantur? Poſt baptiſmum puritatis, & innocentis candoris ſacratum Scripturarum cœli nobis aperiuntur. Sic cenſet in præſenti Chryſoſtomus (aut quiſquis ille eſt auctor operis imperfecti, homil. 4.) *Cœli ſunt Scripturæ diuinæ Prophetarum, & Apoſtolorum, in quibus habitat Deus. Sicut enim in cœlo celatur, ſic in Scripturis abſconditur. Et ſicut hoc cœlum corporale omnes quidem homines vident, non autem aſpiciunt Deum inhabitantem in eo: ſic & Scripturas diuinas omnes quidem homines legunt, non tamen omnes intelligunt Deum veritatis poſitum in Scripturis, niſi qui fuerit baptizatus. Ergo qui baptizatur, & meretur accipere Spiritum ſanctum, adaperiuntur ei omnes Scripturæ, vt intelligat, quæ ibi poſita ſunt myſteria veritatis.* Itaque ad baptiſmum, in quo animus induitur veſte nuptiali, niueóque gratiæ candore, ſequitur apertio cœlorum, & reſeratio Scripturarum: nam Deus, qui in eis continetur, non prophanis, ſed ſacris hominibus manifeſtatur; dantur etenim ſancta ſanctis. Cupis, vt aperiantur tibi cœli, hoc eſt, Scripturæ ſacræ, eſto cœlum nitore, puritate, vitâ immaculatâ. Ideò Iſaias ad auditionem Verbi Dei cœlos vocat: *Audite cœli, quoniam Dominus loquutus eſt.*

Cœlorum reſeratio, & Spiritus ſancti deſcenſio in ſpecie columbæ quid denotet?

D. Chryſoſt.
Cœli ſunt Scripturæ diuinæ.

Aperiuntur purificatis.

7. Manifeſtaturus Deus filij ſui Sacramenta cœleſtia, multarum gentium Patriarchæ Abrahamo, ipſius filij Dei ſecundum carnem progenitori: vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium iubet immolari; omnibúſque diuiſis, & contra ſe altrinſecus poſitis, ipſe Deus in flamma ignis, & quaſi caminus ignis ardentis, per medias diuiſiones tranſiit; eóque ceremoniarum apparatu ſtabilitur Dei pactum, felixque Abrahami proſapia; ſacratæ prolis ſuper ſtellas multiplicatio, ritu ſolemni firmatur. Adueniente igitur Domino in flamma ignis, ait ſacer textus de Abrahamo Geneſ. cap. 15. verſ. 12. *Cúmque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham.* Septuaginta legunt: *ecſtaſis.* Quaſi ad tanti myſterij magnitudinem extra ſe poſitus, & à ſenſibus alienatus remanſit; æquum enim erat, vt ad propheticam Chriſti reuelationem, in Deitatem transformatus abſtraheretur à mundo, & vt purus animus in

Dei pactum cum Abrahamo quid innuat?

Lect. LXX.
Ad percipienda Chriſti myſteria ab omni ſenſu abſtrahitur.

Deum intenderet, corpus, exercitium ſuſpenderet ſenſuum. Annuit ſanctus Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 9. *Quàm hoc Abraham ſpiritali, & prophetico affectu fecerit, ſequentia docent. Nam ſolis occaſu, exceſſus cecidit ſuper eum. Exceſſus Prophetis fieri ſolet. Excedit enim mens Prophetæ, velut fines quoſdam humanæ prudentiæ, quando repletur Deo. Et ante euacuat ſe cogitationibus, & diſceptationibus ſæculi huius; vt aduenienti gratiæ ſpiritali puram ſe, & exinanitam præbeat.* Egregia Abrahami diſpoſitio, ſapientis, vt arcanorum Dei ſedulus eſſet auditor; integer vitæ ſceleriſque purus, & à ſenſibus feriatus, diuinæ ſapientiæ Athenæum ingreditur.

D. Ambr.

Quæ diſpoſitio idonea ad Scripturæ diuinæ intelligentiam, præſertim Iſaiæ. D. Chryſoſt.

8. Claudat hoc præloquium os aureum mille facetiis plenum, qui homil. 2. de verbis Iſaiæ tom. 1. hæc inſignia verba protulit de diſpoſitione, & habitu, quo ſacer interpres ad diuini Vatis Iſaiæ arcana, & ſacramentorum adyta debet accedere. *Faciamus* (inquit) *quod in Regum aulis facere ſolent, qui cupiunt eas videre. Quid autem illi faciunt? Vbi quæſierint eum, cui claues commiſſæ ſunt, illum adeunt, alloquuntur, & ſupplicant. Adeamus ergo & nos vnum eorum, quibus cæleſtes portæ commiſſæ ſunt, appellemus, ſupplicemus, promptam voluntatem, ſyncerumque affectum exhibeamus. Quis igitur eſt iſte, cui hæc functio commiſſa eſt, ſi quando volumus ingredi? Eſaias Prophetarum vocaliſſimus. Ergo neceſſe eſt, vt hunc alloquamur. Agite, ſequamini compoſito gradu incedentes, multo cum ſilentio: ne quis ingrediatur curis onuſtus mundanis, ne quis elatus, ne quis attonitus. Verum hæc omnia foris ante oſtium deponamus omnes, atque ita demum ingrediamur. Ingredimur enim in regnum cælorum: conſcendimus in regiones ſtellis fulgurantes; quæ intus ſunt, miro ſilentio plena ſunt, myſteriiſque non efferendis, referta. Sed animaduertite: nam Scripturarum lectio, cælorum eſt reſeratio.* Huc vſque elegans, & illuſtre Chryſoſtomi ſimile. Sed ô Iſaia diuiniſſime (nam nunc te mea compellat oratio) facundiâ, animoſitate, ſanctimoniâ, illuminatione propheticâ, Prophetarum omnium facilè Princeps, qui nihil ab Angelorum differs cœtibus; qui beatifici luminis ornatus fulgoribus, Emmanuelis tui dilecti, & conſanguinei, Deiparæque Virginis ſacramenta claro cernis intuitu: è cœlo nos modo reſpice, tuoque clienti tibi addictiſſimo, amoris, & affectus vinculis tibi adſtrictiſſimo, fere ab adoleſcentia vaticiniorum tuorum ſtudio, & inueſtigationi mancipato, fidelis adeſto tuarum lucubrationum patronus. Cum animus tuus puriſſimus in paradiſo, diuinæ ſapientiæ abluitur fonte, & de immenſo Deitatis lumine fulget ſplendoribus; ad arentem tui interpretis animum deriua laticem, aut ſcientifici roris guttulis eum aſperge; vt cœleſti ſtillâ madefactus, & fœcundus, multa de te ſapiat, quæ ante neſciebat: margaritas e cœlo dilapſas in intima cordis pyxide libens recondam. Sacræ intelligentiæ multiplicata iaculare fulgura; de amoris, & luminis incendio igniculos immitte, ſcintillulas proiice, quæ tenebras diſſipent mentis: vt paudantur abſcondita, illuſtrentur obſcura, reuelentur intima, enodentur difficilia. Tuaque nouum illuſtrationis ornatum, nouam intelligentiæ, claritatem, & interpretationis ſplendorem videant vaticinia, Ad laudem, actionum gratiarum, Domini Ieſu, Virginiſque Matris, quos dum inter mortales viueres, ſemper habuiſti in pectore, ore, verbo, ſcriptis, calamo.

Iſaias Prophetarũ vocaliſſimus.

Manu ducet interpretẽ ad cæleſtia oracula.

Auctor Iſaiã exorat.

Ad ea verba verſus ſecundi:

Audite Cœli.

DISCVRSVS I.

Iſaiæ vaticinium à Cœlis ſumpſit exordium, vt hominis mentem figeret, in ſublimi.

1. FAVSTVM principium à cœlis eſt; vnde melius Iſaias, qui totus erat cœleſtis, & cœleſti numine, & lumine afflatus, ordiretur orationem, quam à cœlis, vt ruentem in præceps hominem ab inferis reuocaret, & audita tanti iucundique nominis felicitate, ad conſequendam cœlorum beatitudinem ardentius prouocaret? Quam aptum fixit initium Pſalmi Regius Vates Pſalm. 1. *Beatus vir.* Et ſubdit ſanctus Ambroſius: *quam aptum, quam opportunum principium.* Et poſtea: *Velut præco igitur magni Imperatoris ſanctus Dauid, hortatur milites, athletas vocat; à præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret: mercedem promiſit, vt vnuſquiſque præſentium rerum ſolicitudines, ac labores corde tranſiliens, ad emerendam Beatitudinem futurorum, auidâ feſtinatione contenderet.* Iſaias prædicator eſt, cœlum prædicat, ad cœlum vocat, præco magni Regis eſt, cœlum inclamat. Qui terrenus eſt, de terra loquitur; qui de cœlis eſt, cœleſtia fatur; Iſaias licet de terra compactus, terram alloquitur. Sed prius charitatis penitus ab omni terrarum ſolicitudinum mole abſtractus, cum cœlitibus loquitur, delectatur, & quaſi inter Angelorum brachia recumbens, omnes ingrati populi curas deponit; hinc quaſi è cœleſti ſuggeſtu prædicat, vociferatur, vaticinatur; Mecum huc popule duræ ceruicis, quid cunctaris, o homo, mecum cœleſtia ſcande, mecum iis fruere; quid te ſuſpenſum detinent terrena? Maior tibi neceſſitudo eſt cum cœlitibus.

Fortunatum exordium à cœlis deſumitur.

D. Ambr.

Cœleſtium mercede excitat milites Chriſtianos Dauid.

Iſaias ad cœlum nos vocat.

2. In mundi geneſi à cœlis incipit Deus. Geneſ. cap. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur non ſtatim hominem produxit? facta eſt Regia, creetur Rex; ædificata eſt domus, producatur habitator; quid neceſſum eſt ad ſextum diem creationem hominis differri? Qui eſt dignitate primus, ſit primus creatione; finis omnium creaturarum, cui omnia creata famulantur, ſimul cum cœlis formetur, ne qui prior eſt apud Deum dignatione, & amore ſit creatione poſterior. Optimè actum eſt. Non creatur cum cœlis, ne exiſtimetur æternus; ne ſit ſine conflictu præmium, palma ſine victoria. Nec creatur cum terra, quia erat inuiſibilis, & incompoſita. Sexto die creatur homo, primus creaturarum creatur nouiſſimus. Rationem ſcribit Philo libro de opificio: *Principium, & finem Deus volens inter ſe coaptare, vt res neceſſitudine coniunctas, & amicitiâ, principium quidem fecit cœlum, finem vero hominem.* Ex principio finéque fecit Deus circulum aureum, vt quocumque ſe verteret homo cœlum videret. Fecit catenam auream è cœlo ad hominem cadentem, vt necteretur homo, finis rerum, cum principio, ſcilicet cœlis; amicum tibi eſt cœlum, familiare; ſolum hominem agnoſcit ſibi neceſſitudine coniunctum; nexum amicitiæ ne diſſoluas: Sit tibi ſemper familiariſſimum, & licet ſitu remotum, mente, & deſiderio propinquum; affinitatis vin-

Cur in creatione primo die non eſt plaſmatus homo?

Philo Iud.

Principium, & finẽ Deus copulauit mirabili nexu.

culis ita tibi cõniunctum eſt, vt penè ſit intimum.

Homo à Deo honoratus eſt.

3. Honorauit Deus hominem, cœlo, tertâque corpus è luto plaſmatum; ſed animus à fontana Deitatis plenitudine inſpiratus eſt. Geneſ. cap. 2. 7. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Ad quæ verba Lactantius lib. 2. de origine erroris c. 13. *Fictoenim corpore* (inquit) *ſpirauit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis. Conſtat enim ex anima, & corpore, id eſt quaſi è cœlo, & terra: quandoquidem anima, quâ viuimus, velut è cœlo oritur à Deo.* Quàm proximum, quàm intimum ô homo tibi eſt cœlum; animus tuus cœlum eſt, intra te eſt Regnum cœlorum. Animi quaſi riuuli deriuantur, ſcaturiunt à cœleſti, diuinòque fonte, vt ad cœlum, à quo fluunt refluant, & ſine cœlo eſſe, & viuere nequeant.

Lactant.

Homo ex corpore, & ſpiritu tanquam ex cœlo, & terra cõpactus eſt.

Hominis inconſtantiam firmauit Deus cœleſtium ſpe.

4. Conſcius Deus inconſtantiæ, & mutabilitaris humanæ mentis in ſæculi lubrico, eius ſtabiliuit cunabula cœleſtis regni retinaculis, vt inter tentationis nimbos non eſſet naufragus, ſed ſpe æternæ patriæ velut ſacra anchora firmaretur in virtutis propoſito. Ideò Deus primum illud hominis ſimulacrum extra paradiſum fingit, poſt artificioſam formationem, & viuificationem ex diuino ſpiraculo, & halitu inditam, hominem in paradiſo conſtituit. Geneſ.cap.2. verſ.8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Quid eſt *poſuit*, vel iuxta lectionem Septuaginta: *Et ſumpſit Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in paradiſo deliciarum?* Nunquid creator hominem ſuper humeros ſuſtulit, vt iam ab exordio homo ſit Deo grauis, & ponderoſus, qui futuris temporibus diuinitatis aurum, humanitatis argentum, carbunculatas ſui ſanguinis gemmas pro eo pendet? vt homo in lance iuſtitiæ appenſus velut immenſum habeat pondus? Aut iam bonus paſtor ouem erraticam ſuper ſcapulas portat, & ne à Creatore deuiet, ſuis ſtringit lacertis? *Sumpſit Dominus Deus hominem, quem fecit.* Vt cernas iam Deum, hominem deperire; & propoſito, deſideriôque velut accelerantem ad humanæ naturæ aſſumptionem. Niſi fortè ſuſcipit cunis pupum, & delicium, vt ei tanquam mater arrideat, ad vbera portet, & ſuper genua blandiatur, & ad hortum deliciarum transferat. Alia mens placet Ambroſio libro de paradiſo cap.1. dicenti: *Poſuit autem in paradiſo ſicut Solem in cœlo expectantem regnum cœlorum.* Vt propinquior ſit cœlo, & infixus eius animus ætheri, cum cœlicolis viueret, & intento animo expectaret, & proſpectaret cœleſtia.

Cur Deus hominem in paradiſo conſtituit.

Lect. LXX.

D. Ambr.

Homo in paradiſo ſicut ſol expectans cœleſtia.

Cur cæco iubet Ieſus, vt vadat in domũ ſuam?

5. Cùm cæcus ex ſputo, & impoſitione manuum Ieſu, recepiſſet lumen, in domum ſuam à Domino remittitur apud Marcum cap.8. verſ.26. *Et miſit illum in domum ſuam dicens: vade in domum tuam.* Solet Ieſus homines à ſe illuminatos ſequeſtrare à domo, à patria, & nunc tantâ ſolicitudine hominem poſtquam viſum recepit, ad proprios lares remittit? Non iubet pergere ad proprium domicilium, nec terrenum inter domeſticos, & notos habitaculum adeò curat Deus, nec huius terreni incolatus tugurium, in quo velut in tabernaculo militat homo; arcanus ſenſus latet in verbis Ieſu, cùm hortatur: *Vade in domum tuam.* Domus æterna, ſedéſque beatorum, propria hominis domus eſt; terrenum domicilium alienum. Pulchrè ſanctus Theophilus in catena ſancti Thomæ inquit: *Poſtquam ſanauit, mittit in domum, nam domus vniuſcuiuſque noſtrum cœlum eſt, & manſiones, quæ ſunt in eo.* Solerter tollit Ieſus repagula, quæ præpedire poſſunt ad cœleſtia curſum, ideò hominem luminibus oculorum orbatum, ſanitati, & lumini reſtitutum; verborum ſtimulo incitat ad inquirendam æternitatis manſionem, cœleſtis luminis focos: vt innouato intuitu proſpectet ſidera, ſacrúmque beatorum domicilium amore complectatur.

Domus hominis cœlorũ domicilium.

D. Theoph. Catena D. Thom.

6. Mirum eſt, quàm ſplendido aulæorum apparatu operire iuberet Dominus tabernaculum: ſaga cilicina, pelles arietis rubricatæ, velaque picturata verſicolori texturâ ſpectabilia, ſuper ipſum extendebantur. Exodi cap. 26. *Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpurâ, coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies.* verſ.1. *Facies, & ſaga cilicina vndecim.* verſ. 17. *Facies, & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis.* verſ. 14. Specioſus, & opulentus ornatus tabernaculi quid portendebat? locum hîc admittit ſuum contemplatio Guillelmi dubio ſexto in Exodum ſcribentis: *Per cortinas deſignabatur cœlum ſidereum: quod eſt diuerſis ſtellis variatum. Per ſaga verò cœlum cryſtallinum ſiue aquarum, quæ ſunt ſuper firmamentum. Per pelles autem rubricatas cœlum empyreum, quod eſt cœlum Beatorum. Per pelles autem hyacinthinas, cœlum ſanctiſſimæ Trinitatis deſignatur.* Cœleſtis aulæ imaginem præ ſe ferebat tabernaculum, vt homo militans in corporis tabernaculo, ad victoriam prouocaretur cœleſtium rotarum, & ornatus earum contemplatione; ad proſpectum expanſa conſtituit Deus ſacrata domicilia, aqueos, cryſtallinos, ſapphirinos orbes ſupernâ luce colluſtratos, vt illices, & blandimenta, quibus ſopita hominis virtus conniueret: quis non ardeat creatoris flammâ cum geminatam cernit Solis, Lunæ lampadem? Quis non colligabitur de inuariabilis amoris nexu, cùm animo luſtrat cœlitum curiam, & præparatas victoribus manſiones? *Pelles autem rubricatas* (inquit Guillelmus) *cœlum empyreum, quod eſt ſedes beatorum.* Pellium rubricatio clamat: non ſine ſanguine obtinetur beatitudo. Cruentatam ſanguine ſuo ſemitam ſtrenui duces, martyres inclyti reliquerunt. *Hac itur ad aſtra.*

Tabernaculi ornatus quid denotet?

Guilhelm.

Cœlorũ omnium ſymbola in tabernaculi operimentis.

Guilhelm.

Pelles rubræ Martyrum purpurã denotant, & cœleſtiũ expugnationem non ſine ſanguine fieri.

7. Cùm ſapientiſſimus Salomon, Regum gloria, templum illud primum mundi miraculum conſtrueret, interiores parietes, Cherubim, cælaturis, palmis, anaglyphis, aureis laminis veſtiuit. Clauos item aureos fecit, quibus illa continerentur omnia. lib.2.Paral.cap. 3. verſ.9. *Sed & clauos fecit aureos.* Et lib.3.Regum.cap.6. num. 21. *Et affixit laminas clauis aureis.* Venerabilis Beda ad ſpiritale Eccleſiæ ædificium acutè clauos transfert; verba iſtius ſapientis: *Sicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* Eccleſiaſtici cap. 12. verſ. 11. mentem ſtimulant dormitantem, & exacuunt; ex ipsiſque pondus cogitationis noſtræ tutè ſuſpenditur, libro de templo cap. 12. ſcribit ſequentia: *Claui aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipſa ſunt promiſſa æternæ claritatis, per quæ in exercitio, ſtudiòque virtutis, ne deficiamus, donante Chriſti gratiâ, continemur.* Quàm debilis, quàm labilis, quàm erratico lapſu creſcit humana mortalitas, pluribus clauiculis indiget, quàm vitis capreolis; confige timore tuo carnes meas. Timor perdendi Deum, & cogitatio cœleſtium, laſciuienti naturæ terminum figit, ne tranſiliat. Sed cur cœlum, cœlique felicitas clauis aureis denotatur? quia nihil ſic fixum tenet cor, ne cadat, quàm recordatio promiſſorum cœleſtium; ne aurea charitatis lamina de pariete cordis tui

Laminarum claui in Salomonis templo.

Beda.

Clauis cœleſtium promiſſorum continemur, ne labamur.

decidat, 'cœli cœlorumque beatitudinem tecum perpende, cogitationibus iſtis cœleſtibus veluti clauis aureis illam transfige; mare tentationum immugit, immanes effrænéſque carnis motus mouent, impellunt pectus, vndique clauis aureis teneor; quam dulcis, imò diues ligatura! felix animus, qui in terra viuens fixus eſt cœleſtibus.

Quid portendat lamina in fronte Pōtificis ligata?

Rupert. Catena in Exod.

8. Habebat ſummus Sacerdos Iudæorum Aaron laminam auream in fronte, non confixam, ſed ligatam. Exodi cap. 28. verſ. 36. *Facies laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris ſanctum Domino. Ligabiſque eam vitta hyacinthina.* Ex Ruperti ſententia, quem citat catena in Exodum, lamina eſt cœleſtis gloria: *Secundum ſublimiorem intelligentiam, lamina aurea fronti imminens, corona eſt gloria.* Tiara etiam ex interpretatione ſancti Thomæ 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad 9. *ſignificabat cœlum Empyreum.* Tenebat Iudæus cœlum, poſſidebat in capite gloriam, vtinam haberet clauis aureis confixam: ſerica vitta, facilè diſſolubili laqueo ligatam circumferebat; nec mirum ſi decidit corona Sacerdotij, ſi diadema cœleſtis beatitudinis amiſit, ſi pondus Empyrei cœli ſuſtinere non valuit; ligatum etenim erat cœlum, non confixum: quàm argutè, & ingenioſè addit textus de lamina, num. 38. *Imminens fronti Pontificis.* Itaque dum affixum clauis non erat, fugam parabat cœlum; à Deo, gloriæ, Empyrei fuga, auerſio, citaque derelictio populo imminebat: eſto templum Salomonis, laminam affige clauis, ne te in æternum derelinquat.

D. Thom. Tiara Pontificis cœli Empyrei ſymbolum.

Discvrsvs II.

Quàm ſordet terra ex aſpectu cœli.

Homo cœleſtia & terreſtria inter ſe comparat.

1. Cvm Deus homini cœlum præparat, homo cœlum, & terram inter ſe comparat, & mentis examine librat; ſed proh dolor! oculos ſuos ſtatuens declinare in terram, terra præponderat: ſed eleua faciem, cor ſurſum ſubleua, erige mentis oculos ad ſublimia, & terrena deſpicies. Adamum è regione paradiſi exulem miſeram fortunam proſequentem lacrymis, terrenis curis inuolutum, hominem terrenum, terram ligone cædentem, ad terrena negotia abiectum, & mancipatum intueor: At non defuit curarum dulce lenimen. Cherubim, igneâ romphæâ armatum ad cuſtodiam horti Eden, ante veſtibulum paradiſi Deus poſuit. Geneſ. cap. 3. num. 24. *Et collocauit ante paradiſum voluptatis, Cherubim, & flammeum gladium.* Nunquid hortus voluptatis Vulcani eſt officina, vbi ferrum ignitum, micans, ſcintillánſque, ſuper incudem tunditur, mollitur, & machæra fabricatur? Num armamentarium? vbi ſcutum, & gladius reconditur, vbi furor arma miniſtrat? vbi violenti Regnum cœlorum diripiant, per ignem, & gladium ad cœlum reuertantur? Non eſt gladius iræ, furoris; ſed amoris: romphæa bis acuta radios, flammas euibrans; non ad bellum vocat, ſed ad pacem inuitat; non vulnera, non necem minatur; ſed amorem, familiaritatem, miſerorum conſolationem portendit. Maximum eſt in præſenti acumen Philonis librò de Cherubim, do tibi illius verba: *Cherubim, & igneo gladio, conuenienter contra paradiſum habitatio aſſignatur, non tanquam hoſtibus locum oppugnaturis; ſed tanquam familiariſſimis, amiciſſimiſque, vt ex* *aſpectu contemplationéque mutua, innaſcatur deſiderium mutuum.* Ne timeas Adam, non hoſtes ſunt, ſed amici, gladius ſi deputatus eſt ad paradiſi cuſtodiam, inſtrumentum eſt ad conciliandam amicitiam; tremulæ flammæ, quas romphæa circum iaculatur, indicia ſunt amoris, quæ flagrantes deſiderio tui Cherubim, te continuò proſequuntur: ſed quid intendit Cherubim amicus, & amator tuus, mutua contemplatione, aſpectu, colloquio? Subdit Philo: *Totius cœli circumferentiam cogitari vult.* Quàm pulchra ſententia; quid neceſſe eſt Angelo amicitia hominis? Cherubim Adami familiaritatem ambit, non ſibi, ſed Deo; non ſibi, ſed cœlis, vt familiariter viuat, verſetur cum Angelis, vt rerum mundialium caligine cæcum illuminent, & excitent ad ſublimia; ſi quando homo terreno, concretoque corpore ſeptus, terrenarum curarum pondere preſſus, limo vitiorum fixerit animum, vel ad mundialia inflexerit; animo voluens amorem, & pulchritudinem cœlitum, oculos coniiciens ad illa cœli cærula templa, & altiſſimum Dei domicilium, è cœno voluptatis emergat, res humanas deſpiciat.

Phil. Iud. Cherubim igneo gladio inſtructus ad amorem cœleſtium hominem excitat.

Philo. Iud.

2. Cæterùm aſpectus cœli, tot talibuſque luminibus ornati, & inſigniti, quantam magnanimitatem hominibus ingeneret, quantam excitet mortalibus admirationem, amoremque cœleſtium, & terrenorum contemptionem, & deſpicientiam, ſcripſit Seneca in præfatione lib. 1. natural. quæſt. *Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanæ, cum calcato omni malo petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc iuuat inter ſydera ipſa vagantem diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram. Nec poteſt ante contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonſiles ſyluas, & deriuata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem ſuperne deſpiciens*, &c. Quam facilem mundialium deſpicientiam ingenerat animis, cœlorum, & ſiderum aſpectus! baſilicarum famâ celebrium, earúmque gloriam, & magnificentiam ridebis, ſi paueris oculos cœleſtium ſpectaculo, & pulcherrima illa atria luſtraueris animo.

Cœli, & ſyderum aſpectus, terrenarum rerum contemptum humanis cordibus ingenerat.

Seneca.

3. Magnus affectus in Ethnico, ſed maior in Chriſti Sponſa, dum eius magnanimitas laudatur à Chriſto: Cant. cap. 4. verſ. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Verbum *propugnaculis*, transferunt Septuaginta *Thalphioth.* Symmachus citatus in ſcholiis Bibliæ Sixti V. legit: *altitudinem*, quaſi arx illa à Dauide conſtructa, non tam intuentium oculos ſuſpenderet propter fortitudinem, & copiam armorum; quàm quia omnibus erat conſpicua, ſublimi, & erecto cacumine, vt ſublimitatem, & altitudinem cordis ſponſæ innueret. Audi Theodoretum: *Collum tuum excelſum eſt, & ſublime, altáque circumſpicit, & contemplatur.* Ex ſublimium rerum intuitu, quid inde ſequitur? Subdit Theodoretus: *Neque enim brutorum more pronum in terram deſpicit, neque in ventrem vergens ſues imitatur: ſed erectum, atque arduum eſt, & mille clypeos gerit, atque fortium omnium iacula.* Itaque animus ſponſæ dum triumphantis Ieroſolymæ propugnacula conſiderat, dum cœlorum altitudines circumſpicit, turrim ædificat cum omni genere armorum fortium, & omnium hoſtium iacula deſpicit; ſed pulchritudò propugnaculorum in erectionibus, in eminentiis, in ſublimitatibus eſt, quibus à terra ſuſpenditur, labentes voluptates aſpernatur, apparentia bona cum tempore peritura, contemnit; iſthæc deſpicientis

Turris Dauidica, & illius propugnacula.

Lect. LXX. Sym.

Theodor. Anima ſuperior eſt excelſa, quæ ex iſtis contemplatur.

Theodor.

cientis animi magnitudo, & generoſitas inſtar turris eſt, & cœleſtis panopliæ; hinc gladium, ſcutum, galeam educit, iiſque accingitur,& iacula æquè in aduerſarios intorquet: nec audet Diabolus impetere animum, cui deſideria terrena non ſuppetunt: cœlum aſpexiſti? Mundum deſpexiſti, Diabolum viciſti.

Cœli proſpectus filium prodigum immutat.

4. Filium luxurioſum piiſſimi Parentis deſertorem, ſanctus Lucas nobis propoſuit profuſis ſumptibus patrimonium effundentem; qui poſtquam paternas diuitias in meretrices,& popinas (poſſeſſionum voragines)conſumpſit, tantis irretitus illecebris, & ſæculi præſtigiis eluſus, non remeauit ad patrem, nec laqueos ærumnæ contriuit, donec recordatio cœli iucunda eius animo occurrit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater peccaui in cœlum, & coram te.* Lucæ cap. 15. verſ. 17. poſtea in parentis occurſu, amplexu, oſculo, cum filius pœnitens conſalutat hoc verbo: *Dixitque ei filius: pater peccaui in cœlum.* Nunquid cœlum numen eſt diuinum, in quod peccatur, cùm filius Patrem dereliquit? Vitiorum gurgite immerſus in patrem Deum, cœlique rectorem extitit flagitioſus: cur ergo in cœlum conqueritur deliquiſſe? Obliuio cœli occaſio fuit flagitij, cùm cœleſtibus terrena præpoſuit: nunc cœli memoria ſalutis fuit exordium, amorem patris, cœlique habitaculum terrenis omnibus prætulit, obliuionis cœli piaculum, memoriâ illius, & æſtimatione expiat. Sed audiendus eſt Titus Boſtrorum Epiſcopus in catena Græcorum Patrum in Lucam relatus: *Idcirco* (inquit) *reuerſus dixit: pater peccaui in cœlum, & coram te. Derelinquendo enim cœleſtia, peccaui in ea, præferens ipſis voluptatem contemptibilem, & preeligens cœleſti patriæ meæ regionem famis: quemadmodum enim in aurum peccare dicitur, qui illi plumbum præfert: ita in cœlum peccat, qui illi terrena præponit.* At nunc cùm cœli radius menti eius illucet,labentes ſæculi voluptates ſpernit; cùm cœlum tangit, terrena temnit; pulchrè ſanctus Chryſologus ſerm. 3. inquit de prodigo: *Surrexit iſte mentis, & corporis de ruina: ſurrexit de profundo inferni, cœli alta contingens.* Cùm cœlum tenuit, pedicis criminum, tricis feminarum expeditus eſt, nuntium remiſit ſeculo, & ad cœleſtem patrem conuolauit.

Cur fatetur prodigus in cœlum deliquiſſe?

Titus. Catena. Græc. pat.

D. Chryſol.

5. Propenſionem terrena deſpiciendi ex grato cœli aſpectu cum natura ipſa, & vitæ halitu ab exordio hauſit homo; cur etenim artifici Dei manu erectâ ſtaturâ fabrefactus eſt, niſi vt ſuperna concupiſceret, reliqua haberet deſpicatui: ideò humani ſimulacri, terrenique figmenti verticem plaſmator erexit ad ſidera, ea proſpectantem obtutu oculorum, vt reliqua ſperneret. Pulchra eſt contemplatio Ruperti lib. 2. in Geneſim cap. 22. ad ea verba Geneſ. cap. 2. verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Sic enim fatur: *Dignitas pulchrè exprimitur conditionis humanæ, quæ à cunctis longè diuerſa ſit animantibus tam formaturâ corporis, quàm viuificatione Dei inſpirantis. Forma corporis in hoc ſolo animante ſurſum caput attollit, cœlum intuetur, terrámque calcans pedibus, recto pectore incedit, & ſidera, vel cœleſtia Regna ſupernè poſitis meditari commonetur oculis.* Reliqui animantes incuruantur ad terram, delicias, & felicitatem in terreno pabulo inquirentes; at homo ad ſuperos, & cœleſtis Regis aulam attollit oculos, vt æthereas regiones animo luſtret, paſcatque oculos gratiſſimo ſiderum ſpectaculo. Geminam illam ſententiam Rupertus aptè connectit: *Cœlum intuetur, terrámque calcans pedibus.* Quid enim ex ſupernorum intuitu, & contemplatione promanat, niſi terrenorum conculcatio, & humanarum rerum contemptio, & deſpicientia?

Cur ad ſidera erecto corpore creatus eſt homo?

Rupert.

Homo ſolus inter animantia cœlum aſpicit.

Rupert. *Cùm cœlum proſpectat, terrã calcat.*

6. Quàm e regione oppoſiti Gigantes illi terrigenæ filij hominum magnarum carnium mole grauati, nunquam cœlum, ſemper terram aſpicientes. Geneſ. cap. 6. num. 4. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis.* Quidni? Debebant eſſe Gigantes ſuper cœlum? aut in aëre ſuſpenſi? quid mirum ſi erant *ſuper terram.* Quaſi terra eos vix ſuſtinere poſſet. Quaſi gemeret graui pondere peccatorum: *Erant ſuper terram.* Terram metientes, terram comprehendentes, terræ affixi, & terræ dominantes. Philonis verba, huius Diſcurſus ſunt incrementa lib. de Gigantibus: *Gigantes erant in terra: te docere vult alios eſſe terræ, alios cœli homines, terræ quidem eos, qui venantur voluptates corporis: Cœli autem eos, qui tenent artes, ac ſcientias, aut eas ſectantur.* In duas ſectas diuiſi ſunt homines, in homines cœli, & homines terræ; illi ſunt, qui cœleſtia conſiderant, diuiniſque ſcientiis ad diuinitatem ſcandunt; iſti ſunt voluptatum corporarum venatores; *Qui venantur voluptates corporis:* Vidiſti venatorem, inter ſaxa inuia, ſilentes ſyluas; laqueos, pedicas, aucupia tendentem, in noctibus pernoctantem; niue, gelu, æſtu vri ſe patientem? Vidiſti canem venaticum, quantâ ſolertiâ huc illúcque curtat, diſcurrat, prærupta montium aſcendit, terræ latebras, antráque ſaxorum luſtrat, ſcrutatur, donec inueniat prædam, & capiat; tibi conſidera hominem voluptatis venatorem, temporum iniurias diu noctúque ſuſtinentem, propter breuiſſimam voluptatem, propter vnum volaticum gaudium; hic terræ homo eſt, non cœli, nec cœleſtia conſiderat.

Gigantes dicuntur ſic ſuper terrã, quia terrenarum, nil habebant cœli.

Philo Iudæus. *Homines cœli, & homines terræ qui ſint.*

Homines venatores voluptatum deſcribuntur.

7. At Abraham ille ſublimis cœleſtium contemplator, homo cœli erat. Genuit Thare filium. Geneſ. cap. 11. in terra natiuitatis ſuæ in Vr Chaldæorum, & ei nomen impoſuit Abram, illudque retinuit vſque ad cap. 17. verſ. 5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram.* Quod nomen interpretatur: *Pater excelſus,* vel: *pater ſublimis.* Huius nomenclaturæ rationem aſſignat Philo Iudæus lib. de Gigantibus dicens: *Abraham quamdiu hærebat in Chaldæorum terra, vocabatur Abram, homo cœli erat, ſublimis, æthereæque naturæ ſcrutator, ex quo ſtudio appellationem præſentem ſibi acceſſiuit. Abram enim interpretatur pater ſublimis, nomen conueniens conſideranti ſublimia, cœleſtiáque.* Maximum Abrahami elogium! cùm Chaldæi graui corde in terram curuati, diligentes vanitatem, & quærentes mendacium, terræ, & igni diuinitatem tribuerent, ipſe ſolus ſublimis, & erectus, etiam cum capitis periculo terrena reſpuens, idola deſpiciens, ſublimia, cœleſtiáque conſiderabat, homo enim cœli erat, quid mirum, ſi fluxa, & labentia ab incunabulis contempſiſſet.

Abrahami nominis ratio.

Eſt pater excelſus.

Philo Iud. *Abraham homo cœli contemplans cœleſtia.*

8. In primos illos terræ tyrannos turris Babylonicæ machinatores, ſuperbos cœleſtis altitudinis direptores, cœli neſcio quæ irruit cogitatio. Geneſ. cap. 11. verſ. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Miror homines terrenos, vel cœlum ſemel cogitaſſe. Cuius culmen pertingat ad cœlum, o vtinam attigiſſet, vt ad cœlum vos leuaret: & vide miſericordiam Domini: vix Dominus audiuit Gigantum conſilium, quòd cœlum volebant tangere, non affectu ſalutis, ſed affectu ſuperbæ temeritatis; non expectat Dominus, vt per turrim ſcandant,

Tyranni turris Babylonicæ machinatores.

Quam potens ſit cœli cogitatio.

dant, ipſe Deus ad eos condeſcendit: *Deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim.* ibi verſ. 5. & ſubiungit verſ. 7. *Venite deſcendamus.* In huuc conceptus ſcopum collimauit Rupertus lib. 4. in Geneſim cap. 42. *Cùm dicit pluraliter, venite, deſcendamus; non Angelorum multitudinem ad auxilium cohortatur, ſed ad feriendam ſuperbiam ſe adeſſe teſtatur tota Trinitas, & vnus Deus.* Non Angeli, ſed tota Trinitas deſcendit. Si Gigantes humilitatis affectu cœlum tangere voluiſſent, non ad feriendam ſuperbiam, ſed ad ſubleuandum eos pennis humilitatis, deſcendiſſet Dominus. Mira hominum inordinatio; in formam pyramidis turrim erigere contendunt, quæ vertice, aut cuſpide contingat ſidera. Pyramis autem in terra maxima fundamina, & radices iacit, & per magnum ambitum inferiora circundat, at ſolo puncto tangit ſuperiora: de ſupernis, de cœleſtibus concupiſcunt minima; de inferioribus, de terrenis maxima: inuerte ordinem affectus tui: ſolo puncto terram attinge, & immenſo ſpatio tanges cœleſtia.

Rupert.

Tota Trinitas deſcendit, vt videret impiorũ molem.

Iniqui puncto tangunt cœleſtia, immenſo ambitu terrena.

Ad ea verba:

Filios enutriui, & exaltaui.

Discvrsvs III.

Deus eos filios recognoſcit, in quibus ſymbolum filiorum Dei, tentatio, & labor nitet.

Cùm Iſraël caſtigatur, filius nuncupatur.

1. Mirvm eſt, quando inſignia filiorum, & dilecti populi infulas Iſraëli Deus detulit: cùm in poteſtate Pharaonis premeretur laboribus, caſtigaretur flagellis, tunc filius nuncupatur, & filius dilectus. Iſaac ſanctus Iſraëliticus populi ornamentum, ſuorum parentum delicium, deſtinatur ad victimam, poſtulatur ad buſtum. Verba ſacri Textus acuta ſunt iacula pectus Abrahamidum traiicientia, cùm in memoriam reuocant ſacrati adoleſcentis indolem, & patris eximium affectum. Geneſ. cap. 22. verſ. 2. *Tolle filium tuum, vnigenitum; quem diligis Iſaac.* Septuaginta legunt: *Tolle filium tuum, quem dilexiſti.* S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8. legit: *Dilectiſſimum.* Attende myſterium; Scriptura ſacra ſanctum Iſaac, filij dilectiſſimi ornauit inſignibus, cùm duceretur ad mortem, & grauiſſimæ tentationis ictus eius animum percuteret; tum melior cenſetur filius, cum religioſa ſententia pietatis damnatur ad gladium, deuouetur ad lanienam. O inaudita patris crudelitas! ô iuuenis Angelici mira ſimplicitas, & innocentia ſingularis; cùm eſſent in monte, *dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi: at ille reſpondit: quid vis fili?* Patrem vocas eum, qui ſpiritum vitæ, quam paulo antè dedit, gladio conatur abſcindere? Voca carnificem, qui gladium iugulo traiicere nititur, qui abſciſſo capite trunco corpore in terram proiecto, intendit inficere manus, ſacri pignoris cruore. Filium vocat pater dum ligat, dum ſacrificat, dum minaci dexterâ percutit, dum conſiderat occiſum? Pater magis pater eſt dum tentat; filius, magis filius eſt dum tentatur. Quam argutè S. Ambroſius lib. de Abraham cap. 8. loquitur: *Filius vocat patrem, pater dicit, fili, vt ipſo verborum ſono ſe recognoſcat patrem.* Et poſtea: *Inflexibilis à ſtudio deuotionis miniſter, vocare filium frequenter non timet, & hoc ſe meliorem patrem putabat, ſi eum immolaret Deo.* Melior pater eſt dum mactat, melior filius dum mactatur; nam Deus oſtendit ſe eſſe patrem, dum tentat, dum flagellat, dum occidit; inter tentationes, cruciatus, labores, & ærumnas Regia filiorum Dei magis ſplendent inſignia.

Lect.
L x x.
Iſaac cùm mactatur, filius dilectiſſimus vocatur.
D. Ambr.

D. Ambr.
Abraham ſe patrem vocat, cũ filium immolat.

2. Magnificam æterni Patris vocem è nube delapſam audio, confitentis, & prædicantis Chriſtum ſuum eſſe filium, in quo benè complacuit, in duplici apud Matthæum Euangeliſtam opportunitate, primâ poſt baptiſmum, quando ſanctificauit Iordanis vndas cap. 3. verſ. 17. *Et ecce vox de cœlis dicens: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Immediatè ſubdit Euangeliſta ſacer cap. 4. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Siccine agitur cum filio vnico, & dilecto, bone Deus? Fateris filium, laudibus extollis filium; complaces in filio, & ad deſertum impellis, vt tentetur à Diabolo. *Tunc*, inquit, quando? cùm vox inſonat: *Hic eſt filius meus.* Vt intelligas quod Deus non agnoſcit filium niſi tentatum. Examinat Chryſoſtomus homil. 13. in Matthæum particulam *tunc*, dicens: *Tunc iſtud ad quodnam tempus aptandum eſt? Proculdubio ad illud, quod deſcendit Spiritus ſanctus: cùm etiam deſuper delata vox ait: hic eſt filius meus.* Cum paratur parſimoniæ certamen, inediæ, & aſperitatis prælium, cum educuntur ſpiritalium nequitiarum agmina, quando cum dæmonum phalangibus conſerit manus, tunc à patre filius vocatur, vt animaduertas quod teſſera militum, qui pertinent ad Dei filios, & Dei amicos, calamitas, labor, tentatio eſt.

Ieſus, filius de cœlis proclamatur, cum ad tentationis deſertum impellitur.

D. Chryſoſt.

3. Mira narrantur de aſperitate, & crudelitate parentum Lacedæmoniorum erga liberos; Chriſtianis patribus, imò & patri cœleſti congruentiora, quàm Ethnicis: Senecæ lib. qui inſcribitur: *Quare bonis viris mala accidant?* cap. 4. transfero verba: *Nunquid tu inuiſos eſſe Lacedæmoniis liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem, publicè verberibus admotis? Ipſi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros, ac ſemianimes rogant, perſeuerent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat?* Laboribus premitur iuſtus, flagellatur, percutitur, vulnera ſunt amoris ſigna, vibices notæ ſunt filiorum Dei. Dum flagellaris, amaris; dum percuteris, amplecteris; dum amore virtutis ſanguinem, lacrymas fundis, paterna miſericordiæ Dei viſcera ſuper te effunduntur.

Seueritas parentum Lacedæmoniorũ erga liberos.
Seneca.
Eos indurant flagellis.

4. Cùm Deus populum Iudaicum filium ſuum dilectum ex Ægypto vocaſſet, patrem, matrem, nutricem ſe nuncupat, & populum tractat, quaſi paruulum, & tenellum pupum, cui mammam porrigit, lacertis ſtringit, & ſuper genua blanditur: denique velut amoris cotonidem hæc verba ſcribit Oſeas cap. 11. num. 4. *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum.* Septuaginta in Biblia Sixti legunt: *Et ero illis quaſi dans alapas homo ſuper maxillas eius.* Symmachus verò in Commentario ſancti Hieronymi tranſtulit: *Et putauerunt quod imponerem iugum ſuper maxillam eorum.* Cùm populus ille premeretur apud Ægyptios duriſſimis laboribus luti, & lateris; exiſtimabat quod Deus impoſuiſſet iugum grauiſſimum ſuper ceruices eorum, eoſque quaſi ſeruos anxietatis, & afflictionis oneribus grauaſſet; ſed non ſic iuxta Septuaginta, potius quaſi filios dilexiſſe dicendum; ſicut enim amantiſſimus pater lacrymantem filium pectori applicitum leniter arridens oſculatur, cum eo balbutire videtur, molléſque genas

Cur Deus educens ſuũ populum ex Ægypto, Pater, & nutrix vocatur?

Lect.
L x x.
Deus amoris ſignum exhibet cũ filium percutit.
Sym.
D. Hieron.

genas manu tangit, ſuauiter, leniterque digitis premit; ſic patris, & matris illecebras, & ſuauiſſima blandimenta erga populum anxium, & maximis calamitatibus cruciatum, Deus oſtendit. Audi

D. Hieron.

ſanctum Hieronymum præſentem locum interpretantem: *Paululum maxillas eorum alapis verberagi, non puniens, ſed corrigens, & emendans. Iudex laceras carnes, torquet funiculis, flagellis atque ignibus cruciat. Qui autem pater eſt, laſciuientem filium palmis percutit manus. Et pulchre non dicit: Ero eis alapis verberans, ſed quaſi homo maxillas manu percutiens, percutit autem Deus filios comminatione pœnarum.* Non iudex Deus eſt torquens filios exactione pœnarum, ſed clementiſſimus parens, dum exercet laboribus, pectoris ſui affectum manifeſtat. Æquo iure premit ſanctus Hieronymus verbum Septuaginta: *Quaſi dans alapas homo.* Non abſolute dans, ſed: *quaſi dans*, non abſolutè percutit, ſed videtur percutere. Tribulatio, quam Deus immittit, habet *quaſi*. Amor, quo nos proſequitur, non habet *quaſi*; facies eſt inhonora, quæ ab hominibus cæditur, quia ornamentum hominis, & gloria in vultu relucet; cùm verò Deus faciem percutit; honorem, aut diuitias auferens (hoc eſt, in faciem percutere) non eſt contumelia, ſed decus; ſi te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei, & alteram; felix vultus cùm à Deo tangitur non clausâ, ſed apertâ manu, vt alapam infligat; dum manum aperit ſuam, implet te benedictionibus; quid de manibus, quæ ſunt tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, niſi opulenta beatitudinis copia influet? Si te ferit dextra: *Longitudo dierum in dextera eius.* Si te percuſſerit manu ſiniſtrâ: *In ſiniſtra illius diuitia, & gloria.* Prouerb. cap. 3. verſ. 16. Vides quod non ſtigmata ſeruorum Deificæ manus inurunt; ſed hereditatis filiorum concedunt promiſſa, diuitias, gloriam, æternitatémque.

Ex Dei manu alapas infligente quot bona oriātur!

Ex vrna in qua ſors mittitur ſuper populum Dei, ſententia mortis exit.

5. Princeps Aman molitur Iudæorum vaſtitatem, & interitum, qui ſub ditione erant Regis Aſſueri; regio iuſſu, & præconio per omnes ciuitates diuulgata eſt mors; At notat liber Eſther quod de ſortis vrna exiit atrociſſimum ſupplicium. cap. 3. verſ. 7. *Miſſa eſt ſors in vrnam coram Aman, quod die, & quo menſe genus Iudæorum deberet interfici: Et exiuit menſis duodecimus.* Super populum Dei ſors mittitur? Populus Dei indubitanter occiditur ſi talos iaceret Aman ſuper gentem Deo inuiſam: forſan ſors daret libertatem, & vitam, at ſuper filios Dei, ſors exiit, vt occidantur. Optimè Stephanus Cantuar in allegoriis Tilmani ait: *Cum gratia abundat, nititur Diabolus inſurgere in iuſtos, Sors eſt diſpoſitio Dei, quoniam, qui ad ſortem Dei pertinent occiduntur. Vnde Hieronymus, pars Domini ſemper mactatur.* In tribulationibus multis in mortibus frequenter, ſicut Paulus exiſtis, ad ſortem, & hereditatem cœleſtis Patris pertines, numero liberorum adſcriptus.

Populus Dei morti deſtinatur.
Stephan. Tilman.

6. In menſa illa Regia pacifici Salomonis Chriſti, in qua omnes inuitantur ad æternum diuinæ ſapientiæ; dicitur Prouerb. cap. 9. verſ. 2. *Immolauit victimas ſuas.* Caietanus legit ex Hebræo: *Laniauit lanionium ſuum.* Tertullianus verò citatus in ſcholiis Bibliæ Septuaginta legit eleganter: *Sophia iugulauit filios ſuos.* Nunc augetur intelligentiæ difficultas, ergo ſapientia ad macellum, iugulum, & lanienam vocat? Quid mirum ſi ex inuitatis ad magnum conuiuium, nullus adueniat; licèt ſapientia in plateis, & triuiis clamitet, licet ancillæ vocem edant tuba clariorem, licet raucæ fiant ſeruorum fauces præ clamoribus, & vociferationibus, hominum obſurdeſcunt aures, tergiuerſantur omnes; hic negotiatione, hic villa, iſte quinque boum iugis emptis, hic ducta excuſatur vxore. Se à conuiuio excuſant, quia ſerui ſunt, non filij; at dilectus, vt inter filiorum numerum cenſeatur lubenter incedit vocatus, dat pectus, brachia, manus, tortoribus, ſecuribus, & ſtatum lanianibus, dicens: Iugulum traiciat gladius, vt merear eſſe filius. Do tibi illuſtriſſima Tertulliani verba lib. aduerſus Gnoſticos cap. 7. *Sophia iugulauit filios ſuos. Sophia ſapientia eſt, ſapienter vtique iugulauit, dum in vitam, & rationaliter dum in gloriam. O parricidij ingenium! ò ſceleris artificium! ò argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, vt mereatur quem occidit.* Et concludit: *O bonam matrem, opto & ipſe in filios eius redigi, vt ab ea occidar, opto occidi vt filius fiam.* Fortunata mors, quæ mihi vitam comparat, & dignitatem filij lucratur? Quis pauebit minaces vultus, & ardentes iras tyranni? Quis famem, verbera, aciem gladij, haſtæ cuſpidem, carnificis immanitatem? Potius affirmabit impauidus cum Tertulliano: *Opto occidi, vt filius fiam.*

Sapientia diuina ſæuitia erga filios ſuos.
Tertull. Bibl. LXX.

Tertull.
Sapientia in iugulum filiorum gladium immittit.

Filius nemo ſtituitur, per occiſionem.

7. In tentatione poſitis inter ipſas ſæculi ærumnas mœrentibus diuina clementia ſolatium infundit, vt gaudio delibuti reſpirent, tribulationes appetant, labores ambiant in quibus regales inſulæ filiorum Dei fulgent, afflictorum animos erigit David Pſalm. 59. verſ. 6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant a facie arcus.* Hebræus legit: *Dediſti, metuentibus te ſignum, vexillum, tentationem.* Quia tentatio ipſa ſignum eſt filiorum, & præbet documentum tentatis, fiduciam ingerit ipſos ad partem electorum eſſe ſegregatos. Tribulationem tanquam vexillum erigit Deus ſuper te, vt recogites te eſſe adſcriptum militiæ cœleſti, filiorum Dei ſtipendia merentem. Pulchrè hoc in loco diſcurrit Beda venerabilis dicens: *Magnas Deo agere debemus gratias, qui vult nos in præſenti pati dura, & aſpera, vt in futuro ſint mollia & iucunda.* Et ſtatim: *Dediſti metuentibus te caſto timore populo tuo ſignificationem, id eſt, documentum, per hoc quia corrigis omnem filium quem recipis, vt per has tribulationes fugiant a facie arcus, id eſt a præſentia futuri iudicij.* Cùm tentationes occurrunt, & calamitates ingruunt, ne deſpondeas animum; imò erectum & confirmatum tene. Quandoquidem cum his caducis, & cum tempore labentibus calamitatibus ſupplicia æterna commutas; hîc ſuſtines flagella, blandâ Dei manu inflicta, vt æternos, & crudeles cruciatus fugias. In rebus aduerſis exultet iuſtus; nam ipſa calamitas, & ærumna ſignum eſt, quo filius agnoſcitur, receptus in domicilium, & tutelam cœleſtis patris, teſſera eſt quæ amicos, & electos Dei, ab hoſtibus, & reprobis diſcernit; quod eſt militi ſymbolum, eſt iuſto tribulatio, vt ab imperatore ſuo dignoſcatur.

Tentatio ſignum eſt filiorum.

Per tribulationes diuina vita fugit homo ab æterna ærumna.

8. Magnanimos, & inuictos creat Deus filios, bellicoſos adoptat; Iſraëliticum populum cùm contra hoſtes arma capeſſit, cum Ægyptiis, Amalecitis, Amorrhæis, & reliquis gentibus belligerat, vocat filium, inter bella, & pericula. Liceat transferre Imperatoria verba, quæ refert Caſſiodorus lib. 4. variarum cap. 2. per quæ homines adoptantur in filios; ad ſummum Imperatorem cœlorum abiectos homines, in filios ſuos adoptantem: *Per arma* (inquit Caſſiodorus) *fieri poſſe filium, grande inter gentes conſtat eſſe præconium, quia non eſt dignus adoptari, niſi qui fortiſſimus meretur agnoſci.* Et poſtea: *More gentium, & conditione*

Filius adoptatur per arma.

Caſſiod.

tione virili filium te præſenti munere procreamus, vt competenter per arma naſcaris, qui belliceſus eſſe dignoſceris. Hæc ille.

Discvrsvs IV.

Signum amoris Dei erga homines maximum, eſſe eorum nutricem: vbi de Euchariſtia.

Deus Euchariſtia lacte nos nutrit.

1. QVis cœlorum Regem, Angelorum Dominum, cœlum, & terram ſuâ immenſitate implentem, firmamentum ſtellis variegatum pro ſedili, & terram pro ſcabello pedum ſuorum habentem, ab Angelis adoratum, à Seraphinis ter ſanctum prædicatum; in puellis educandis, nutriendis, lactandis occupatum, non admiretur? Omnipotens ille Deus, & Maximus, de quo ſcriptum eſt, quod columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius, puellis ſuis porrigit mammam, lac mulget: ô erga homines quanta vis diuini amoris! Miratus eſt hoc indulgentiſſimi parentis munus lactandi,& nutriẽdi filios Apoſtolus Petrus, omnéſque hortatur ad mamillam. Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 2. *Sicut modò geniti infantes rationabile, ſine dolo lac concupiſcite.* Legit Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Tanquam nuper nati infantes, verbale lac concupiſcite.* Id eſt. lac verbi. Non hortatur ad nutrimentum hominum, & Angelorum, ſed ad ipſum lac, quod in verbo ſuo miniſtrat Deus, deinde pulcherrima verba ſubdit Clemens: *Nutrimentum eſt lac patris, quo ſolo aluntur infantuli; ipſe itaque qui eſt dilectus, & altor noſter, Verbum, effudit pro nobis ſuum ſanguinem, per quem, qui in Deum credimus, ad mamillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit, nempe verbum, confugimus. Ille autem ſolus, vt eſt conſentaneum, nobis lac dilectionis infantibus ſuppeditat. Iique verè ſunt beati, qui hanc lactant mamillam.* Quid dulcius, quid ſuauius, quid admiratione,& ſtupore dignius, quàm videre Patrem materno affectu quaſi altricem, infantulos lactantem mamillâ ſuâ, ſcilicet Verbo; ſed potiſſimùm in Euchariſtia; quid inde ſugunt teneri puelli de mamilla Patris, niſi ſanguinis nectar, amorem, ineffabiles delicias, nectar charitatis immenſæ de paternis miſericordiæ viſceribus quaſi de amoris fontibus continuò fluens. O térque, quatérque imò millies beati; *qui hanc lactant mamillam!* Sed examina verbum illud: *Nobis lac dilectionis infantibus ſuppeditat.* Quia nutrire filios, ſignum amoris maximum.

Clem. Alex.

Verbum mamilla Patris.

Deus filiis ſuis porrigit amoris mammam.

Cur mulieres mammas in pectore geſtant?

2. Inquirit Plutarchus, cur cùm cæteris animantibus vbera ſub ventre, prouida natura collocauerit, ſolis mulieribus ante pectus conſtituit? Reſpondet: hoc ita diſpoſitum eſt, vt euidentiam faceret Creator, quod ad educationem puerorum, ſola vis amoris impellit: audi Plutarchum lib. de amore parentum erga liberos: *Cum vbera, mamillaſque ſub ventrem natura brutis demiſit, ſolis mulieribus in ſuperiore corporis parte, nimirum in pectore, illa collocata ſunt, quo expeditius & oſculari, & amplecti liberos poſſint; quaſi hac ratione indicare, & oſtendere voluerit, pariendi, educandique finem, non vllam vtilitatem, ſed ſolùm amorem exiſtere.* Ex conceptu, ex partu, ex educatione filiorum ſuorum, quæ vtilitas Deo nullius indigenti accreſcit? Prorſus nulla. Sola pietas maxima, eximia, & nimia charitas fecit Deum altorem, & alumnum filiorum. Benè optimè prouiſum eſt, vt vbera ante pectus conſtituerentur. Deus etiam Pater Verbum ſuum in pectore naſcens, in ſuo pectore immanens, tanquam mamillam habet in pectore, vt expeditiùs & oſculari, & amplecti liberos poſſit; hac ratione oſtendere volens filiorum educationem ex ſolo amore procedere.

Plutarch.

Nutritio, & lactatio filiorum, matris dilectionem oſtentat.

Dei ad homines declinatio, vt eos cibaret.

3. Apud Oſeam Prophetam ſententiam vnam inuenio explicatu difficilem cap. 11. verſ. 4. *Et declinaui ad eum, vt veſceretur.* Altus erat Deus, altiſſimum poſuerat refugium ſuum, reſpice altitudinem ipſius: *In principio erat Verbum.* Fame laborabat homo, aſcendere non poterat ad Deum, quia altiſſimus erat, condeſcendit Deus, inclinauit ſe Deus, factus eſt homo, vt comedere poſſit homo. Legit Symmachus apud ſanctum Hieronymum citatum in ſcholiis Bibliæ Septuaginta: *Et declinaui ad eum cibos.* Scilicet per manus Angelorum pluens manna; ſed hoc mirum non eſt, quòd Angeli declinent cibos; at quòd ſeipſum declinet, & incliner vt comedat homo, mirum eſt. Enimverò verba Oſeæ faciliùs intellige de declinatione maternæ mamillæ ad puerum lactandum, quando mater mammam porrigit, & vbera inclinat ad puerum. Hanc interpretationem illuſtrant verba Clementis Alexandrini lib. 1. pædagogi cap. 6. *In puerperio diſpenſatum lac infanti ſubminiſtratur, & vbera quæ interim rectà virum inſpiciebant, iam ad puellum inclinantur; vt quod a natura elaboratum eſt alimentum, vt ad capiendum facilè exhibeant edocto, ad ſalutis educationem.* Vbera, dum infantulus continetur in vtero, rectà patrem inſpiciunt; at cùm naſcitur filius, vbera lacte diſtenta, alimenti pondere prægrauata, conſulentia indigentiæ pueri, ad puerum inclinantur, placidéque ad eum ſeſe demittunt. Ideò ait Clemens: *Iam ad puellum inclinantur.* Itaque Verbum quod eſt mamilla Patris directè genitorem ſuum inſpiciebat, contemplabatur, diligebat; at poſtquam creauit Deus hominem ad ſimilitudinem ſuam, poſtquam habuit Deus filios nutriendos, mamilla Patris ſeſe ad homines inclinauit, & hæc eſt verborum Oſeæ mens: *Et declinaui ad eum, vt veſceretur:* Mira Dei declinatio, quæ hominem iacentem erexit, & fame enectum aluit.

D. Hieron. Sym. Lxx.

In puerperio fœminarum vbera ad puellos inclinantur.

Clem. Alex.

Quomodo mamilla Patris ſeſe in Euchariſtia ad homines inclinauit?

Chriſtus hominum nutrix.

4. Nutricis affectus, & munia tribuit Chriſto Domino Stephanus Cantuarienſis citatus in allegoriis Tilmani, ad ea verba Oſeæ, cap. 11. verſ. 3. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Legit ipſe: *quaſi nutrix.* Et ſubdit: *Sicut nutrix frangit linguam ſuam, vt contemperet ſe puero balbutienti: ſic Chriſtus condeſcendit noſtræ infirmitati, vt contemperaret ſe nobis. Præterea, paruulà re allicit puerum ad ſe amplexandum, ſic Chriſtus paruulà re, ſcilicet temporalibus allicit nos ad ſuum amorem. Et hoc eſt, ego quaſi nutrix Ephraim portabam eos in brachiis meis in Cruce diſtentis: Ibi enim extendit Dominus brachia ſua ad amplectendum nos, & portandum. Et ſicut nutrix ad alliciendum paruulum plenè extendit brachia, & quantum poteſt, cum tamen paruula extenſione poſſit eum colligere, & amplecti, ſic & Chriſtus fecit.* Nutrix ergo eſt Saluator hominum. Si verò ſcire cupias cur Deus magis glorietur eſſe nutricem, quàm patrem; aluiſſe, quàm genuiſſe filios. Reſpondeo, vtroque munere Deus gloriatur, nam vbi legit Vulgatus: *Filios enutriui.* Legunt Septuaginta: *Filios genui.* Nam & genitor, & altor hominum eſt; imò lactatio infantis parentem prædicat, & generationem confirmat.

Steph. Cant.

Quæ ſint nutricis munia?

Lect. Lxx.

5. Pepe

Cur Sara glorietur de lactatione infantuli Iſaac?

5 . Peperit Sara filium promiſſionis Iſaac, & mirum eſt quantum vetula mater, gloriâ, & prædicatione ſeſe efferat, non de conceptu, non de partu, ſed de lactatione infantuli. Geneſ. cap. 22. verſ. 7. *Quis auditurum crederet Abraham quod Sara lactaret filium.* Cùm vidit vbera antè rugis contracta, nunc lacte diſtenta, & de ſterili pectore, & penè mortuo alimentum effloruiſſe, & candidi lactis effluxiſſe fontes, mirum eſt quantum anus exultaret. Examinat Geneſis verba ſanctus Iſidorus Peluſiota epiſt. 108. dicens: *Quam ob cauſam Sara, quæ ætate admodum proceſſerat, ac præſente Abrahamo pepererat, dixit: quis annuntiabit Abraham, quod Sara lactet filium? Dicendum enim fuiſſet quod pepererit. Ob id autem non dixit, peperit, ne abortiuus fœtus eſſe exiſtimetur: verùm lactat. Siquidem lactis fontes partum confirmant, veri etenim partus argumentum certiſſimum eſt lactis profluuium.* Lactatione infantis ſe matrem commendauit, & matrem indulgentiſſimam; non de partu, in quo, doloribus parturientis agitatur vita; ſed de altricis munere, in quo quidquid impenditur, de amoris procedit affectu. Dum intueris matrem blandientem, & lactantem filium, ſymbolum cernis amoris maximum.

D. Iſid. Peluſ.

Chriſtus mõs pinguis, & incaſeatus propter lac gratiæ, quod hominibus ſtillat.

6. Vocat Regius Pſaltes Chriſtum Dominum montem fœcundum, & pinguem, & vberrimum. Pſalm. 67. verſ. 17. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus.* Sanctus Auguſtinus, & ſanctus Hilarius legũt: *Mons incaſeatus.* Quaſi mons lacte plenus, & vitali rore denſatus. Auguſtinus ſic expendit verba, dum de Chriſto loquitur: *Ipſe eſt mons incaſeatus propter paruulos, gratiâ tanquam lacte nutriendos, mons vber ad roborandos, atque ditandos donorum excellentia: nam & ipſum lac vnde fit caſeus miro modo ſignificat gratiam. Manat quippe ex abundantiâ viſcerum maternorum, & miſericordia delectabili paruulis gratis infunditur.* Lactat Dominus filios, & enutrit lacte, caſeo, pane, ſiue Euchariſtiæ, ſiue gratiæ; ſed in omni nutritione miſericordiæ Dei viſcera inuenies, & inſignia amoris indicia; occurrunt paruuli ad montem Chriſtum incaſeatum, lacte, & pinguedine coagulatum, fluentem lacte, & melle, & diſtillantem dulcedinem; indéque omnis ſaporis exugunt ſuauitatem ab vberibus conſolationis eius.

D. Auguſt.
D. Hilar.
D. Auguſt.
Lactatio amoris indicium.

Chriſtus conuiuas ſuos inuitat ad lac, & vinũ Euchariſticum.

7. Ad has diuinitatis, & humanitatis delicias ipſe Chriſtus hortatur puellos ſuos, vt guſtent, & videant quàm ſuauis eſt Dominus. Cant. cap. 5. verſ. 1. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, comedite amici, & bibite.* Quos vocat ad conuiuium ſponſus? Reſpondent tres Patres in Cat. apud Theodoret. nomine ſponſi: *Quos ego per gratiam in ſancto Spiritu filios adoptaui Patri meo.* Et paulò ante hæc verba ſcribunt: *Sponſus igitur, in quas per ſancta mandata ſua animas ingreditur, eas nutrit, quaſi pane quodam cum melle, virtute cum cognitione, conceſſâ per gratiam diuinitate.* Eos ſolos, quos in filios adoptauit, vocat; eos qui gratia Dei iuſtificantis participant, vocat amicos, vt aſcendant ad montem, accedant ad conuiuium, vt bonis moribus, & cognitione cœleſtium quaſi pane alat, & dulcedine diuinitatis nutriat.

S. Nil. Max.
Nyſſ.
Theodor.

DISCVRSVS V.

Qui Regio, & Deifico educatur alimento, generoſos neceſſe eſt lacte ſugat ſpiritus; & ad magnarum cogitationum altitudinem aſpiret.

Chriſtus aquilæ comparatur, Aquilæ inſignia ei adaptantur.

1. CVM dilectum populum Iſraël duceret Deus ad terram promiſſionis lacte, & melle manantem, & dulcedinem amoris, & vigilantiam oſtenderet comparauit ſe aquilæ. Deuteronom. cap. 32, verſ. 11. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas; & aſſumpſit eum atque portauit in humeris ſuis.* Cernere eſt Regiam in aquila generoſitatem, auium Regina, dum in inacceſſis rupibus, & erectis nidum conſtruit, dum in præruptis ſilicibus, & in viis commoratur, dum fœtibus incubat, dum pullos educat, dum Regio volatu ſeſe in altum ſuſtollit, & cœlum attingere videtur: verantamen duplicem affectum penè contrarium, natura aquilarum comprehendit; erga prolem, amorem eximium, & inuictum, pro qua protegenda, iacula, vulnera, mortem deſpicit. Hanc affectionem aquilæ, ea verba inſinuant: *Aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.* Eáque ſic commentatur gloſſa Lyræ: *Quando aquila vult transferre pullos ſuos de loco ad locum, portat eos ſuper humeros ſuos: quia non timet a parte ſuperiori, ſed tantum ab inferiori, ne emittantur ſagittæ: & ideò ponit pullos ſuper humeros, vt priùs ipſa recipiat ſagittas, quam pulli percutiantur.* Portentoſi proſus amoris argumentum in aquila. Alterum affectum inclementiæ, & argumentum acerbitatis, & crudelitatis intueberis in aquila, dum pullos recens in lucem editos roſtro vulnerat, alis percutit, vt excitet ad volandum, & ad intuendum Solem; nunc alia verba Deuteronomij præ ſe ferunt: *Sicut aquila prouocans ad volandum filios ſuos.* Quomodo prouocet declarauit Catena Græca apud Gloſſam ordinariam: *Aquila cùm plumeſcere filios ſuos videt, ad Solem conuertit, & illum nutrit, qui irreuerberatâ acie, aſpicit radios Solis, & ſi lumina deflectit, quaſi degenerem deſpicit; pullóſque ad volandum prouocat, & laſſos alis ſuſtentat.* Hæc tamen omnia vſurpata videntur ex Plinio lib. 10. cap. 3. dicente: *Implumes etiamnum pullos ſuos percutiens, proinde cogit aduerſos intueri Solis radios: & ſi conniuentem, humectantémque animaduertit, præcipitat è nido, velut adulterinum, atque degenerem: illum cuius acies firma contra ſteterit, educat.* Vtramque aquilæ propenſionem manifeſtauit Dominus, ſuper brachia hominem aſſumpſit vt à terra ſuſpenderet, vim immenſi amoris oſtendens, ſuper alas quaſi pullos ſuſtulit, vt ad cœlum leuaret; expandit alas ſua in Cruce Dominus Ieſus, vt ſcapulis ſuis te obumbraret, & onus omnium ſuſciperet peccatorum; inſigne amoris, & generoſitatis in aquila, dum impauidum pectus offert ſagittis, vt pullos ſuos à morte defendat, documentum exhibens Regibus, & Principibus, vt cum propriæ vitæ diſpendio, populum à morte eripiant, ſicut Rex Regum, & Dominus dominantium, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & vt hominem ab hoſtibus defenderet, & in liber-tatem

Chriſtus alis ſuis portauit filios.
Lyran.
Aquilæ amor erga natos ſuos.
Pectus aperit ſagittis, vt natos ſeruet incolumes.
Catena Græc.
Gloſſ. ord.
Plin.
Solis radiis exponit filios.
Hæc omnia Chriſto aptãtur.

tatem filiorum Dei, & immortalitatem aſſereret, clauis & lanceæ cuſpide permiſſus eſt vulnerari. Sed quàm magna in Chriſto erga pullos aquilinos ſeueritas! nec enim eos vberibus nutrit, aut vulneribus manuum, pedum, aut pectoris paſcit ad remiſſionem, & quietem, eos tribulationibus percutit, indurat laboribus, ad intuendum iuſtitiæ Solē excitat, ad maximæ felicitatis, & Beatitudinis culmen, claram Dei viſionem creat: erecti, & generoſi animi ſpiritus ſtatim ab ipſa natiuitate infundit, de viſu probat, vt profunda diuinitatis, & humanitatis Chriſti myſteria ſine hæſitatione, non conniuentibus oculis, certo & puro fidei cernant intuitu. Eum verò qui Regiam, & generoſam ſtirpem non æmulatur, de diuino corporis, & ſanguinis Domini alimento magnanimitatem non oſtentat, ſed humi repit, & terrenis inhiat, filium non recognoſcit, ſed velut adulterinum è nido præcipitat.

Chriſtianus regia ſtirpe, & Dei ſanguine glorietur. Clem. Alexand.

2. Filium qui quaſi pullus ab aquila, à Chriſto nutritur, oportet alimento efferri, Dei ſanguine, & Regia ſtirpe gloriari: ad hanc ſanctam animi elationem hortatur Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Omni ergo ratione nos in omnibus Chriſto coniungimur, & familiares reddimur, & in cognatione, per ſanguinem eius, quo redimimur, & in mutua affectione, & conſenſione per nutritionem, quæ ex Verbo efficitur. Vnicuique noſtrum, qui infantes ſumus licet Domino gloriari, & eloqui: Patre bono, equè bono me ſanguine glorior eſſe.* Glorioſa Chriſtiani hominis ſtemmata à Regia Dei ſtirpe originem ducere, & filij Dei eſſe conſanguineum, huius dignitatis magnificæ comparatione, obliuione maneant conſepulta maiorum tuorum facinora, bellica fortitudo, nobilitas, gloria; non coopertas puluere, aut fumoſas auorum imagines mihi oſtentes, ſolummodo Verbo Dei vnigenito filio, æterni Patris viua, & expreſſa imagine gloriare, ad cuius ſimilitudinem creatus, cuius ſanguine Regio educatus, Dic: *Deifico ſanguine glorior.*

Aquila congregata circa Chriſti corpus.

3. Rurſum ad commendationem Chriſtianæ dignitatis vocat nos aquilarum natura, & comparatio, eàque vtitur ſanctus Matthæus cap. 24. verſ. 28. diſſerens de ſecundo Chriſti aduentu: *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ.*

D. Chryſoſt.

In quæ verba ſanctus Chryſoſtomus, homil. 24. in epiſt. 1. ad Corinthios egregiè ponderat quantam cogitationum ſanctarum celſitudinem humanis cordibus ingeneret corporis, & ſanguinis Chriſti alimentum. Ibi ſic fatur: *Ad hoc nos inducit ſacrificium illud formidandum, & admirabile, vt aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlum euolemus, vel potius ſupra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem: niſi enim ille cecidiſſet, nos non reſurrexiſſemus. Aquilas autem appellat, vt oſtendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neque ad inferiora trahi, & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem iuſtitiæ intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere.* Qui aquilarum inſtar corpus Chriſti, & ſanguinem bibimus, tanquam generoſi magnæ aquilæ pulli, velociſſimo volatu, cœlorum teneamus excelſa faſtigia. Nutrit nos Dominus ad cœleſtia regna, ad gloriam, ad immortalitatem.

Aquilæ comedentes Chriſti corpus debent ad alta conſcendere.

Nutrit nos Chriſtus ad æternitatem. D. Auguſt.

4. Id teſtatur Dauid Pſalm. 39. verſ. 4. *Propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Sanctus Auguſtinus ibi: *Enutries me vt validus ſim ad manducandam eſcam, quâ paſcis Angelos, hic enim lacte nos nutriuit, qui nobis cœleſtem cibum promiſit, & vſus eſt materna miſericordia:* Lactat nos hîc Deus, & maternæ miſericordiæ viſcera nobis oſtendit tanquam patuulis, vt grandiorum alimentum recipiamus in cœleſti patria; ad maxima facinora te alit Deus, ab alto filiorum Dei ſpiritu ne decidas, ne degeneres.

Tenetur homo honorificentiam agnoſcere quam per ſacrum epulum accipit. Clem. Alex.

5. Erigit animum fidelium, qui educantur à Chriſto Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi cap. 6. his illuſtribus ſententiis: *Lacte ergo, Dominico ſcilicet nutrimento, ſtatim poſtquam editi ſumus alimur: ſimul autem ac regenerati ſumus, honore ſumus affecti, dum ſpes quietis annunciatur, ſuperna Hieruſalem, in qua & lac, & mel pluere ſcriptum eſt, dum per materiale ſanctum nobis alimentum deſpondetur. Quod per lac autem eſt nutrimentum, deducit in cœlos, ciues cœlorum, & cum Angelis choreas ducturos, enutriens.* Qui vitæ alimentum, fideive luminibus occultatum in hac vita ſuſcepit, erectâ animi magnitudine ſperet Hieruſalem ſupernam lacte, & melle manantem, ad hanc enim inducimur, dum alimur; pignuſque nobis datur futuræ gloriæ: ad vbera Chriſti dulciſſima enutritus, ô homo, ad Deitatem erigeris, ad diuinæ naturæ conſortium, conſanguinitatem, perpetuum contubernium, ad cœlum nutriris, cœleſtium, & ſanctorum numero adſcribendus; ad chorum, & ſodalitium Angelorum pertines, cum Rege, & Regis ſatellitibus ſociandus, perpetuum Alleluia, & nouum carmen cantaturus; imò ab Angelis plaudendus, admirandus, coronandus; infelix ſi cum Lucifero à tantæ gloriæ culmine cecidiſti.

DISCVRSVS VI.

Sacri Doctores, & myſtagogi ſunt Eccleſiæ vbera; & intimiùs cæteris, Chriſti pectori, & cordi adhærent.

Eccleſiæ vbera commendantur.

1. Nvtrit nos Dominus doctrinæ lacte, de Apoſtolorum, Prophetarum, & Doctorum vberibus, quæ ſita iuxta paradiſi fontem, ſacrum Chriſti pectus perpetuam ſacræ ſcientiæ ſcaturiginem, fœcundum ſuccum, & ſolidum perpetuò hauriunt, & ad irrigandum Eccleſiæ paradiſum candidiſſimos, & lacteos diuinæ ſapientiæ latices influunt. Commendat Eccleſiæ vbera, & miris laudibus celebrat Chriſtus ſponſus, Cantic. cap. 4. verſ. 5. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli qui paſcuntur in liliis.* Non eſt præter rem in præſenti verſio Thargum, ſeu Chaldaica paraphraſis: *Duo Saluatores tui, qui te ſaluaturi ſunt, ſimiles ſunt Mayſi, & Aaron, qui comparati ſunt duobus hinnulis gemellis capreæ.* In quibus verbis vocat Moyſem, & Aaronem ſynagogæ vbera, ſeu Zorobabelem, & Ieſum filium Ioſedech, quos ſaluatores, ſeu redemptores nuncupat, quia iis ducibus tempore Cyri de Babylonica captiuitate erepti, & in dilectam patriam ducti Iudæi; ſiue iſtos, ſiue illos, æquo iure appellat ſynagogæ vbera, quia populum doctrinæ lacte nutriebant. Theodoretus verò ſententiam Cantici ad Euangelium transfert, & de ſacris Doctoribus interpretatur: *Vbera doctrinæ fontes accipiamus, qui ſingulis ætatibus congruentia ſubminiſtrent, aliis quidem lac, aliis autem ſolidum cibum. Hinnulis capreæ dicit eſſe ſimilia, acute intuendi, & contemplandi vim ipſorum admirans. Paſcuntur inter lilia, quia ſpiritus doctrinam percipiunt.*

Lect. Chald. *Moyſes & Aaron duo Saluatores.*

Theodoret. *Vbera ſunt doctrinæ fontes ætatibus ſubminiſtrantes.*

Sym. *piunt. At Symmachus dixit, flores paſcere. Eos enim, qui facti ſunt digni, vt ſint ſpiritus flores, vbera ſponſæ, ex quibus doctrinæ latices fluunt, paſcunt, & nutriunt.* Quid ingenioſius, quid aptius? Tribus elogiis comprehendit Eccleſiaſticorum Doctorum inſignia: primum eſt, eos appellare ſapientiæ fontes, ex quibus doctrinæ riuuli fluunt, vt ſacri interpretes, & concionatores diſcant recurrere ad ſcaturigines, & fluenta limpidiſſima ſanctorum Patrum, bibantque aquam ſapientiæ nitidam, puram, intactam, nullo cœno erroris, aut vanitatis turbidam. Secundum elogium eſt; comparare hæc vbera cum hinnulis capreæ propter perſpicacitatem, & acumen viſus; nam Doctores ſacri omnia penetrant maximo ingenij acumine, quaſi lynceis oculis diuinæ ſapientiæ profunda rimantur. Occurrat interpreti maioris ingenij acutiſſimus conceptus nouitate illuſtris, profunditate rarus, admiratione, & plauſu digniſſimus, cum proculdubio apud Doctores ſacros inuenies fundatum, illuſtratum, dilatatum. Denum inter lilia paſcunt, & paſcuntur, vt ſapientiæ puritatem inſinuet, quæ ſemper ſpiritualia meditatur, & ea, quæ pertinent ad ædificationem ſpiritus edocet. Sed, quibus paſcuis paſcuntur Doctores ſacri? Reſpondet ſanctus Nyſſenus homil. 7. in Cant. ea eſſe cor Chriſti ſponſi: *Paſcua autem locus bonus, & pinguis, ea autem eſt cor: in eo paſcentes, & purarum cogitationum ex eo flores legentes, pingueſcunt.* In corde, & pectore Chriſti lautiſſimum conuiuium, & paſcua inueniunt, inde diuinarum cogitationum ſuccum extrahunt, & repleta ſapientiæ lacte vbera turgent; vides quanto proximiores ſint Chriſto, & cordi Ieſu intimius adhæreant diuini myſtagogi.

D. Gregor. Nyſſen. *Myſtagogi paſcuntur in corde Chriſti.*

Paulus filiorum Eccleſiæ nutrix. D. Auguſt.

2. Do tibi nobiliſſimam filiorum Dei nutricem, plenum vber cœleſtis lacte ſapientiæ Apoſtolum Paulum. De quo ſanctus Auguſtinus ad ea verba Pſal.49. *Et aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, ſic eloquitur: *Infirmus ille filius matris dictus eſt, nondum patris: adhuc lacte indigens, & vberibus adhærens. Talibus dicit Apoſtolus: Mater vobis fui. Factus ſum in medio veſtrum tanquam nutrix, fouens filios ſuos. Iſte verò ipſe pepererat, ipſe fouebat, nulli nutrici quem pepererat, committebat. Fouebat ergo, & lactabat.* Vidiſti puerperam, & ſedulam nutricem Paulum, vidiſti vber de cœleſti rore madens, nectaris poculum paruulis ſubminiſtrans; moribus, innocentiâ, eruditione, totus erat Paulus niue candidior, totus lacteus, quid mirum ſi lactaret infantes, & percuſſum gladio guttur, venis, & vberius quàm ementita Liberi antra, lactis eiacularetur vndas. Audi ſanctum Ambroſium ſerm.11.de ſanctis: *De Pauli ceruice, cum eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda quàm ſanguinis. Quid mirum ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ. Hæc eſt repromiſſionis illa terra, quam patribus noſtris Deus promiſit dicens: dabo vobis terram fluentem lacte, & melle. Non enim de hac terra locutus eſt, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutúmque permiſcet, ſed de illa terra Pauli, & ſimilium Pauli, quæ iugiter purum ſuauéque diſtillat. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior eſt, lacte candidior? Quæ epiſtola tanquam vbera Eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutem.* Quotieſcumque te Paulus inſtruit, tanti Doctoris portaris ad vbera; verè mel, & lac ſub lingua eius, in ſcriptis eius, de vberibus Pauli ſapientiores nutriuntur, illius lacte pingueſcunt.

Cur de Pauli ceruice gladio percuſſa loco ſanguinis, lac fluxerit? D. Ambr.

3. Hæc Chriſti myſtica vbera Sponſa miratur Canticorum cap. 1. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Sancti Patres Nilus, & Maximus ſic expendunt: *Vbera hic vocat lactis receptacula, quod imperfectis adhuc, & infantibus prabere nouit Beatus Paulus. Sponſi igitur vbera vti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur. Vbera vocat quia propinqua ſunt cordi, in quo præcipua mentis eſt ſedes, vnde doctrinæ fontes emanant.* In examen voca illam ſententiam: *vbera vocat, quia propinqua ſunt cordi,* Quia Apoſtoli, & Doctores Chriſto Domino cordi ſunt, & ipſius pectori proximiores.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Infantium eruditores vocantur vbera. Nil. Max. Nyſſen.

4. Pulcherrimam ſapientiæ imaginem depingebant Athenienſes vt refert Holcoth in Sapient. cap.7.lectione 94. his verbis: *Depingebatur in prætoriis ſicut Regina ſedens in cathedra, cui ſub aſcellis ordinabantur duo reuerendi ſenes hinc, & inde; qui vno genu flexo ſugebant mamillas.* Ecce tibi vel increata Dei Sapientia, quæ eruditis intereſt cogitationibus, vel Eccleſia Chriſti quæ tanquam Regina ſedet Regali throno, mammáſque Doctorum, & ſapientium porrigit ſenibus, porrigit iuuenibus: Ij lactea fluenta ebibunt, vt poſſint ſuauibus propria rigare pectora, virtutum fœcundare germina, & conuertere animos diſcentium in paradiſum, & hortum Domini.

Egregia ſapientiæ imago apud Athenienſes. Holcoth.

De ſapientiæ mamillis, infantes, & ſenes nutriuntur.

5. Pro Doctorum gloria, pro huius capitis corónide, do tibi melliflui Bernardi verba de vberibus ſponſi differentis, ex cuius ore melle dulcior fluit oratio: ſerm. 9. in Cantica, fine, & ſerm. 10. initio: *Vbera cum exhauſta fuerint rurſum de fonte materni pectoris ſumunt quod propinent ſugentibus. Vbera ſponſæ nullo vnquam lactentium numero areſcunt, ſed ſemper abundant de viſceribus charitatis, vt iterum fluant: gaudere (inquit Paulus) cum gaudentibus, flere cum flentibus. Materni breuiter exprimuntur affectus: quia nec dolere paruuli, nec valere queunt abſque illa quæ genuit. Igitur iuxta Pauli ſententiam, duas illas affectiones duobus ſponſæ vberibus aſſignabo, compaſſionem vni, & congratulationem alteri. Congratulatio exhortationis, compaſſio verò conſolationis lac fundit. Porro vtramque ſpeciem vbertim cœlitus irrorari pio pectori ſuo ſpiritualis mater toties ſentit, quoties oſculum ſumit. Videas eam mox plenis vberibus paruulis incubare lactandis, & ex vno quidem conſolatoria, ex altero verò exhortatoria vberibus miniſtrare, prout ſingulis conuenire videbit.* Hæc Bernardus de diuerſis affectibus, quibuſcum quaſi diuerſo lacte, Doctores Eccleſiæ filios, & diſcipulos nutriunt.

Doctores ſacri vbera eccleſiæ. D. Bernard.

Vberum natura ſpiritualibus patribus aptatur.

Verſ. 3. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

COMMENTARIVS.

1. PRo præſepi Hebraicè eſt אבוס *Ebus*, quod verbum denotat *præſepe, horreum,* & locum iuxta quem calcant, & aluntur animantia. Nunc ad amplificandam Iudæorum ingratitudinem, eo cum ſtolidiſſimis animantibus comparat. Siquidem bos, & aſinus, iſte hebes, & tardum animal, ſymbolumque ignorantiæ: bos etiam, aut taurus naturâ ferox, & indomitus, ſub iugo manſueſcit, poſſeſſorem, bubulcum, & curatorem agnoſcit; ſignis, & nutibus bos, & aſinus accepti beneficij gratias rependunt, ceruicem inflectunt,

Iudæi cum Aſino & boue comparantur.

aures erigunt, & caudâ adulantur; at Iſraël, ſiue Iudæorum populus, nec minima grati animi ſignificatione Deum ſummum beecfactorem agnoſcit.

Aſini ingenium. Galen.

Audi Galenum quid de aſino dicat lib. 2. Method. *Si curatorem inſpexerit, hominem agnoſcit, micat auribus, & caudam quatit, & rudit, & laſcimt, cum aſpexerit, utique indicans ſe familiarem agnoſcere,*

Columella Greſtner. *Bouis inſtinctus.*

Et Columellam, quid de boue, citatum à Greſtnero lib. 1. de boue: *Ad alligandos boues, neque a poſteriore parte, neque a latere, ſed aduerſus, placide, & cum quadam vocis adulatione, appellationibus blandis, & illecebris oblatorum ciborum, venito, bubulcus admiſceat, vt accedentem conſueſcant aſpicere: Deinde nares perfricato, vt hominem diſcant odorari,* Itaque bos curatorem narium odore ſentit, aſinus hominem agnoſcit, at Iudæorum populus, aſino, & boue ſtolidior, curatorem Deum non agnouit, non intellexit.

Propoſita gratitudine animantium, & volucrũ, Iudæorũ ſtoliditas ſæpiſſimè arguitur. D. Chryſoſt.

2. Sæpiſſimè Deus exprobrat ſtupiditatem Iſraëlitarum ex comparatione gratitudinis animantium, & volucrum. Quare Chryſoſtomus expendens verba Ieremiæ cap. 8. verſ. 7. *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Serm. 9. de Aſcenſione Chriſti ſic fatur: *Ecce, & aſinis, & bobus, ecce & volucribus, turture, atque ciconiâ nos inſipientiores oſtendimur.*

Homines lapidibus ſtupidiores.

Additque: *Imò lapidibus ipſis ſtupidiores euaſimus. Viſne horum quoque proferam teſtimonium? Audite conualles, inquit Propheta,* (Michæas cap. 6. verſ. 5.) *& fundamenta terræ: quia iudicium Domino aduerſus populum ſuum. Cum hominibus iudicium exerces, & eos vocas fundamenta terræ? Imò verò inquit: nam & terræ fundamentis ſtolidiores ſunt homines. Quem ergo adhuc quæris in iis exceſſum malitiæ, quando & aſinis ſtupidiores, & bobus irrationabiliores, & hirundine, ac turture rudiores, & formicis dementiores, ipſiſque lapidibus ſtupidiores reperiuntur.* Quæ omnia populo Iſraëlitico, de quo vates Ieremias, & Michæas ſermocinantur, apprimè quadrant.

Elephantis gratitudo. Plutarch.

3. Vt pudore ſuffundatur homo, placet proferre in medium animantium exempla gratificationis, erga curatores, & dominos. Plutarchus libro de ratione animantium de Elephanto ſcribit: *Quid Poro Regi in illa aduerſus Alexandrum pugna ſaucio, nonne multa Elephas ſpicula leniter, ac citra dolorem promuſcide vulneribus extraxit? Et cum eſſet grauiter vulneratus, ipſe autem non antè abiecit ſe tamen quàm exanguem, & nutabundum Regem intelligeret, hic enim vt ne durius ille caderet, ſenſim ſe humiliter prior demiſit, exhibens illi declinationem inoffenſam.*

D. Ambr. *Canis gratitudo.*

Vulgaris eſt gratitudo canis, quam verbis elegantioribus ponderans ſanctus Ambroſius lib. 6. exameron cap. 4. inquit: *Quid autem de canibus loquar, quibus inſitum eſt natura quadam referre gratiam, & ſolicitas excubias pro dominorum ſalute pretendere?* Poſteà ſubiungit: *Quis enim non erubeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cum videat etiam beſtias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ ſeruant memoriam, tu non ſeruas ſalutis acceptæ.*

Auium & paſſerculorũ gratitudo. D. Ambr.

4. De volucrum gratitudine hæc libens ſubiicio ex ſancto Ambroſio in Malachiæ Prophetæ cap. 1. *Nonne enim videmus minutiſſimas aues cum illuceſcentem diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudioſè agere, priuſquam procedant, vt Creatorem ſuum, quia loqui non poſſunt, ſuauitate demulceant? Et quemadmodum vnaquæque earum, quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium, ita vt videatur ſibi deuotius gratias agere, quæ dulcius perſonauit: hoc etiam per alio diei curſu ſimiliter facere? Quid ergo ſibi vult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena, & iugis interſtio, niſi gratiarum quædam ſit immoderata confeſſio? Paſſeri enim ſuo auis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuauitate blanditur. Habent enim & aues paſtorem ſuum ſicut ait Dominus* (Matthæi cap. 6.) *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt: & pater veſter qui eſt in cœlis paſcit illa. At quibus tandem cibis paſcuntur aues? Viliſſimis ſcilicet, & terrenis. Aues ergo propter viles eſcas gratias agunt: tu pretioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es?* Hæc Ambroſius.

Iſraël, Bouem, & Aſinum venerabatur.

5. Ex opportunitate relictis aliis belluis bouis, & aſini expenditur gratificationis gratia, quia Dei populus vituli caput, & iuxta quorundam placitum, caput aſini tanquam diuinum numen veneratus eſt. Quare ad incrementum veſaniæ, & ſtupiditatis recenſetur bouina, & aſinina beneuolentia erga altores ſuos, vt omnibus ſit manifeſtum in quantam inſaniæ voraginem fuerit immerſus populus, qui cum boue, & aſino dominum non colat, nec leuem nutum gratitudinis innuiat; potius bouinum, & aſininum caput, & has inſipientes belluas tanquam Dominum, & Deum reuereatur. Quod diuinum cultum exhiberet boui populus Iudaicus compertum eſt, ex Exodi cap. 32. In quo maximis tripudiis, choreis, epulis, agitatus eſt dies feſti celeberrimi vitulo conflatili ſacri: ſuperſtitioſum enim cultum. Apis, & Mneuis, quos in ſpecie bouis, ab Ægyptiis edoctus, in Ægypto coluerat, poſt tranſitum maris rubri retinuit, in vituli figmento quod Aaron conflauit, priſcoſque mores, & religionem renouauit.

Tertull. *Ex femineis inauribus conflatili caput vituli, vt affectum Iſraëlitarum erga bouem notaret.*

Pulchrè Tertullianus lib. aduerſus Gnoſticos cap. 3. (inquit: *Sapiens ignis caput vituli defundit illis, ſigillans illic cor habentes, vbi & theſaurum. Apud Ægyptum ſcilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiuſdam conſecratricem.*

D. Cyrill. Alexand. *Vituli adoratio.*

Et ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Glaph. in Exodum: *Quod in Ægyptiacum* (inquit) *errorem relapſi eſſent, priſtiniſque temeritatibus ſeſe contaminaſſent; reipſa nobis oſtendit Aaron, dum ipſe ſimulacrum in ſpecie vituli adorandum formauit. Vitulus enim in Ægypto colebatur, non ab Ægyptiis ſolum, verum etiam ab aliis eodem errore laborantibus.* Et ſanctus Hieronymus ad ea verba Oſeæ cap. 4. *Ne aſcenderitis in Bethauen,* ſic ſcribit: *Quod in Ægypto didicerant Apim, & Mneuim, qui ſub figura boum colunt eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſeruarent.*

Iudæi ſuem, & Aſinum colunt. Plutarch.

6. De aſinini capitis adoratione religioſè obſeruatâ à Iudæis, hæc ſcribit Plutarchus ſympoſ. lib. 4. problem. 5. relatus à Greſtnero lib. 1. *Probabile videtur Iudæos ſuem colere, vtpote ſeminandi, & arandi magiſtrum, vt aſinum quoque colunt, quod aquæ fontem eis aperuerit.*

Tertull. Cornel.

Eadem verba Tertullianus cum ex Cornelio Tacito retuliſſet, Apologet. aduerſus gentes cap. 16. Cornelium refellit vocans eum loquaciſſimum ſugillatorem, Tertullianus zelo Chriſtianæ religionis ductus eſt, vocabant Ethnici Chriſtianos aſini adoratores, ideò vt Chriſtianos tueatur, ab hoc piaculo expiat Iudæos. Iure quoque Ioſephus lib. 2. contra Apionem ab hac labe purgat Iudæos, aſſerebat Apion in ſacrarii adyto, aſini caput aureum Iudæos colere. Reſpuit iure Ioſephus hoc figmentum de aureo aſini capite in ſacrario collocato. Illud tamen reuocari poſſet in dubium, an cum Ægyptiis omnia animantia, & ſingillatim aſinum venerantibus,

rantibus,

tantibus, in Ægypto Iudæi colerent aſini numen.

Iudæi portenta Ægypti adorant. D. Hieron.

7. Sanctus Hieronymus de Iſraëlitis fatus ad caput 7. Oſeæ: *Super vinum, & triticum ruminabant.* hæc ſcribit: *Vt hoc facerent in terra promiſſionis, quod in Ægypto didicerant, colentes Apim Ægyptium, & omnia eorum portenta venerantes.* Quòd inter alia portenta adorarent Ægyptij aſinum, notat Ælianus relatus à Lilio Gyraldo Syntagmate 6. dicens: *Quod Ochus Perſa Apim bouem ſacrum interfeciſſe dicitur, & aſinum conſecraſſe, & Ægyptios iuſſiſſe vt illum colerent, ſummo cultu.* Sanctus Athanaſius venerationem Aſini Ægyptiis tribuit orat. contra gentes, ſcribens: *Bruta rationabiliaque animalia inuicem permiſcentes, & in vnam ſpeciem contrahentes, pro diis colant. Quales ſunt apud Ægyptios Canicipites, Serpenticipites, Aſinicipites.* Hic apud Ægypti barbaros inoleuit cultus: De Iudæis verò aſini cultoribus hæc habet Cœlius Rodiginius lect. antiq. lib. 21. cap. 24. *Sed inter Græcos quoque nominis haud obſcuri Democritus aureum aſelli caput à Iudæis cultum non tacuit: nec ritu quidem ſacrorum neglecto, ſeptimo quoque anno peregrinum hominem perduci aſſueuiſſe, ac fruſtillatim conciſum necari.* Nec mireris cultores aſini Iudæos, qui enim talpas, & veſpertiliones, Iſaia teſte cap. 2. tanquam numina adorarunt, quid mirum ſi aſinum venerati ſunt?

Ælian. Lil. Gyrald.

Aſini ſacra, & ritus. Cœl. Rod.

Aſinini cultus exordium. D. Iſidor. Mart.

8. Vnde aſini cultus apud Ægyptios, & Iudæos inualuit? Quia in ſacris Oſiris, ſeu Bacchi, quem colebant in ſpecie bouis, aſinus circumferebatur; hoc affirmat ſanctus Iuſtinus Martyr apol. 2. *Dionyſium Iouis filium eſſe dixerunt, inuentorémque vitis prodiderunt, & aſinum in myſteriis, & arcanis eius ſacris duxerunt,* Aſini hæc in ſacris ſocietas erat, quia Bacchus aſino inſidens triumphabat, lactis, & mellis riuos in ſyluis oſtendit. De quo Ouidius 4. Metamorphoſeon:

Bacchū Aſinus in myſteriis portat. Ouid.

——Tu bijugum pictis inſignia frenis
Colla premis Lyncum, Bacche, Satyrique ſequuntur,
Quique ſenex ferulâ titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.

Et lib. 3. Faſtorum:

Vtque piger pandi tergo reſidebat aſelli
Applicat hunc vlmo, corticibuſque cauis.
Conſtitit ipſe ſuper, ramoſo ſtipite nixus:
Atque auidè trunco condita mella petit.
Millia crabronum coeunt, & vertice nudo
Spicula defigunt: oráque prima notant.
Ille cadit præceps: & calce feritur aſelli
Inclamátque ſuos auxiliúmque rogat.
Concurrunt Satyri: turgentiáque ora parentis
Rident: percuſſo claudicat ille genu.

Sed licet non foret exploratum hac veneratione aſinum coluiſſe Iudæos, compertum tamen eſt, extitiſſe aſinis tardiores, & hebetiores, & hoc indicat illa comparatio à Vate propoſita: *Cognouit aſinus præſepe Domini, & populus meus non intellexit:* Quàm obtuſa fuerit Iudaici ingenij acies ad myſteriorum Chriſti intelligentiam, his verbis exponit Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum; *Fili*, inquit, *præſcriptorum meorum ne obliuiſcaris. Quod ſi non omnium eſt cognitio, aſinus ad Lyram, vt y dicunt, qui prouerbiis vtuntur multis ſunt, quæ ſcripta ſunt. Propterea inquit Dominus, loquor eis in parabolis, quod videntes non vident, & audientes non audiunt, & non intelligunt.* Tritum prouerbium, quod in eos intorquetur, qui obtuſis ſunt auribus, & hebetes ingenio, ritè accommodat Clemens in Iudæos diuina Chriſti myſteria nec animaduertentes, nec intelligentes. Sunt animantia, quibus nonnulli

Clem. Alex.

Prouerbium illud: Aſinus ad Lyram *Iudæis quadrat.*

Muſices ſenſus ineſſe videntur, & allectantur Cantico, vt equis, elephantibus, auibus, ſerpentibus: aſinum nihil cantus excitat: ſic nouum diuini Verbi Canticum, quod in puſilla hominis forma de præſepio cantitat, dulcéque Angelorum modulamen, quod perſonuit de cœleſtibus, attraxit Magos, & Ethnicos, Iudæus verò tanquam aſinus ad tibiam extitit.

Iudæus, Aſinus micans auribus, Lyram auſcultans. Lucian.

9. Huic inſtituto non incongruè adaptabis Luciani verba lib. aduerſus indoctum, ſcribentis: *Iam vt tot tibi libri ſint, quot Athenis in Italiam aduexit Sylla, vt ſuper his dormias, aſſixos tibi vbique circumferas, num ideò eruditior es futurus? Et librum quidem ſemper in manu portas, legiſque ſemper aliquid, quorum tamen nihil penitus intelligis, ſed aſinus micans auribus, Lyram auſcultas.* Sic Iudæus de libris diuinæ legis glorians, & Prophetarum ſcripta ſecum circumferens, nec credens, nec intelligens; tanquam auribus micans aſinus ad lyram, & tibiam eſt.

Iudæus, Aſinus portans myſteria. D. Iſidor.

10. Iudaicæ inſcitiæ, & tarditatis typus extitit aſinus ab Abrahamo ſtratus, omnem paraturam ſacrificij Iſaac portans. Geneſ. c. 22. verſ. 3. *Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum.* Expendit verba ſanctus Iſidorus quæſt. in Geneſim allegatus in catena: *Aſinus* (inquit) *ille ſtatim inſenſata eſt ſtultitia Iudæorum, qui quidem omnia ſacramenta portabat, ſed quid ferebat, neſciebat.* Alluſiſſe videtur Iſidorus ad antiquum prouerbium: *Aſinus portans myſteria.* De quo Ariſtophanes in ranis:

Ariſtoph.

Ita per Iouem ſum aſinus vehens myſteria,
Verum iſta non iam ſuſtinebo diutius.

Sic Iudæus aſinus gerulus Chriſti, & myſteriorum; cum in illum non credat, nec iſta intelligat. Sed de his ſatis ſupérque.

Bos & Aſinus Dominum in præſepio agnoſcunt.

11. Sancti Patres aliter exponunt hunc locum de Chriſti Domini natalitiis, quando reclinatus fuit in præſepio, & ab ipſis animantibus agnitus fuit. Et in eâdem expoſitione differunt, nam aliqui eorum exiſtimãt bouem ſignificare populum Iudaicum, iugo legis aſſuetum; aſinum verò innuere populum gentium. Hæc tamen expoſitio eſt accommodatitia, quantum ad ſignificationem bouis, & aſini, nec literæ cohæret; imò contradictionem inuoluit; nam ſi bos ſignificat populum Iudaicum; ibi dicitur quod Deum agnouit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum.* Et ſtatim dicitur de eodem populo: *Iſraël autem me non cognouit:* Dicere autem quod idem populus Dominum in præſepio agnouit, & non agnouit, contradictio eſt. Hæc ergo expoſitio eſt violenta.

Bos & Aſinus infantem Ieſum in præſepio venerentur.

12. Si verò cum aliis Patribus aſſeramus hoc eſſe vaticinium de boue, & aſino, qui Dominum Ieſum in præſepi iacentem ſuperiori quodam inſtinctu, & extraordinariis reuerentiæ ſignificationibus venerati ſunt, non eſt inconueniens, quod hic ſenſus ad literam pertineat; nam Iſaias in ſuis vaticiniis præterita, & futura eodem intuitu Prophetico comprehendit, & primam ingratitudinem Iudaici populi cum de Ægypto educeretur, cum ſecunda, quando erutus eſt de poteſtate tenebrarum, coniungit; ingratitudo poſtrema fuit complementum vecordiæ, & malitiæ cumulus. Et eſt ſenſus aptiſſimus, bos, & aſinus venerati ſunt me, in præſepio, Iſraël autem nec agnouit, nec intellexit. Sicque interpretantur Eccleſiæ Patres, Chryſoſt. homil. de Natiuit. Auguſtinus orat. contra Iudæos, & Paganos; & contra Fauſt. lib. 13. cap. 11. Origenes homil. 13. in Lucam. Ambroſ.

D. Chryſoſt. D. Auguſt. Origen. D. Ambr.

D. Athan. D. Proſp. lib. 2. in Lucam cap. 2. Athanaſ. ſerm. in illud Matth. 21. *Inuenietis pullum.* Proſper. part. 3. de diuinis prædict. cap. 5.

Discvrsvs I.

Apud Bethleemiticum diuerſorium, & antrum, in quo Chriſtus naſcitur, cæleſtis Apollinis inuenies oraculum, illo Delphico multo celebrius, & illuſtrius.

1. DVM vim verbi Hebraici *ebus* attentè perpendo, præſepe, ſtabularium, locúmque in quo diuerſantur animantia, ſignificantis; videre mihi videor præſepe Domini, ſacrámque ſpeluncam cœlis ipſis ſplendidiorem, in quo nouus Rex oritur: Diuini humanique Apollinis ſpelæum cerno, celeberrimúmque antrum, in quo Virgo myſteriis initiatur, & de ſacro pectore fundit eloquia; verus Deus oraculum eſt, & qui olim loquebatur Patribus in Prophetis, nouiſſimè loquitur nobis in Filio. ſed vtrumque oraculum Apollinis, & Chriſti comparemus. In antro quodam inuentum eſt Apollinis oraculum, de quo Strabo in lib. 9. Geographiæ: *Diuinum ipſum domicilium profundam, & curuam eſſe ſpeluncam, non admodum late patentem ore. Atque hinc auram reddi, ſacro efflante numine.* Diodorus etiam: *ſpecum, & antrum* vocat lib. 16. hiſt. cap. 26. locum Natiuitatis Chriſti iiſdem nuncupationibus ornant ſancti Eccleſiæ Patres: Hieronymus epiſt. 17. *Quo ſermone, quâ voce, ſpeluncam tibi poſſumus Saluatoris exponere?* Sanctus Iuſtinus Martyr in dialogo: *In ſpelunca quadam, quæ vico propinqua erat, diuerſatus eſt.* Et Beda libro de locis ſanctis cap. 8. appellat *ſemiantrum.* Antrum itaque Apollinis, ſpeluncæ, & oraculo Emmanuelis prælusit, in quo verbum obmuteſcens, non è Tripode, ſed è præſepi, Angelis, & hominibus veridica dat reſponſa.

Apollinis domicilium. Strab. Diodor. D. Hieron. *Saluatoris ſpelunca.* D. Iuſtin. Mar. Beda.

2. Sed originem Apollinei oraculi inſpiciamus, de quo Diodorus Siculus lib. 16. cap. 26. inquit: *Terræ hiatus eo loco fuit, vbi nunc adytum templi exiſtit; circúmque hunc capræ paſcentes oberrarunt quacumque propius ad voraginem accedens deſpiceret, mirum in modum exultabat, & vocem ab vſitata prius diſſonam emittebat. Id paſtor gregis admiratus exploraturus acceſſit, & ipſe, & deſpectans, eodem modo affectus abiit. Quicumque propiùs adierant, furore diuino corripiebantur. Hinc locus ille, ceu fatidicus pro miraculo habitus, terraque oraculum eſſe creditum fuit. Durauit ad tempus ille mos, vt qui diuinare vellent, antro appropinquantes, de futuris alter alteri reſponſarent. Vnam ex omni fœminarum ſexu vatem conſecrarunt, quæ fatidicis effatis præeſſet. Sortes a Virginibus editas, fama eſt, quod & naturam haberent incorruptam, & ſexus cum Diana communionem: adde quod ſeruandis oraculorum ſecretis magis idoneæ viderentur.* Miranda prorſus ſunt iſta, ab aliis grauiſſimis auctoribus relata.

Apollinei oraculi origo. Diod. Sicul.

3. Tria potiſſimum continet Apollinis oraculum myſterio Chriſti aptiſſima; primum quod in antro repertum, de quo ſupra. Secundum, quod primum inuentum eſt à paſtoribus, ſicut etiam oraculum Bethleemiticum, de quo Diuus Hieronymus epiſt. 19. *Ecce in hoc paruo terræ foramine, cœlorum conditor natus eſt, hic viſus à paſtoribus.* Et quod caput eſt, Lucæ cap. 1. dicitur: *Paſtores erant in regione eadem.* Et *inuenietis infantem poſitum in præſepio.* Et *venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & infantem.* Tertium, quod oraculum illud circunſtabant Vates, & fatidici Apollinis interpretantes reſponſa. Quartum quod oraculum illud ad piſcatores venit, & à piſcatoribus ad ſeptem Græciæ ſapientes, vt teſtatur Bulengerus tom. 1. lib. 1. de oraculis cap. 6. Demum quod à virgine pulcherrima, & caſtiſſima, oracula edebantur. Nos non ad oraculum Delphicum, ſed Bethleemiticum properamus, & in hoc adyto circunſtantes, puellam Virginem Deiparam, quæ inter omnes creaturas à Deo electa, & magis idonea viſa eſt, vt in ſui pectoris ſacrario arcana myſteria à ſæculis abſcondita, reconderet; & æternam ſapientiam, Pater æternus Virgini fideret. O vtinam in ſpelunca nobis demonſtret verum Apollinem, omniúmque Prophetarum, & præſertim Iſaiæ nobis aperiat vaticinia! Hoc oraculum Virginis Deiparæ, & Apollinis Ieſu circumſteterunt Vates diuinæ mentis interpretes, ad hoc antrum appropinquarunt, & de diuinæ ſapientiæ fonte ſpiritum prophetandi hauſerunt, virgineâque Mariæ aurâ ſunt afflati, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, de maioribus. Et de minoribus Oſeas, Ioël, Amos, & reliqui. Quanto melius dices de hoc oraculo, quod ſupra dixit Diodorus de Apollineo: *Locus ille, ceu fatidicus pro miraculo habitus; terraque* (imò cœlorum) *oraculum eſſe creditum fuit.* Acceſſerunt etiam ad hoc oraculum piſcatores, ſacri Apoſtoli, & ſpiritum prophetandi, & Prophetas interpretandi hauſerunt. Deuenit demum iſta ſapientia ad ſeptem ſapientes, ſeptem Eccleſiæ patres, quos præcipuè in hoc commentario ſequimur. Primum Hieronymum, ſecundum Cyrillum, tertium Chryſoſtomum, quartum Baſilium, quintum Thomam, ſextum Euſebium, ſeptimum Procopium.

Apollinei oraculi magnalia, in Chriſti ſpecu maiora ſunt. D. Hieron.

4. Nec eſt aliud oraculum ſub cœlo, nec ſupra cœlum, ad quod animus tutò poſſit accedere, vt eruditioni, aut ſaluti conſulat, aut optimis nutriatur conſiliis, niſi ſpelunca, & domus panis. Hoc tibi demonſtrat oraculi Delphici ſilentium in Chriſti ortu, nam ſtatim obmutuit. Teſtatur id Theodoretus lib. 10. de oraculis: *Priuſquam vindex hominum Deus in noſtræ mortalitatis ſubſtantia appareret, maligni Dæmones hominibus erant infeſti. Poſtquam verò lux diuinæ veritatis orbi terrarum exorta eſt, cunctis, ſpecubus, latibuliſque ſuis relictis, fugam arripuerunt: & qui diuinationis dolos nobis inuexerant. Neque enim iubar diuini luminis ferre poterant.* Derelictum eſt, Chriſto illuceſcente, Apollinis antrum, mirúmque ſilentium impoſitum Pythiæ, vt derelictis ambagibus prophanorum, & ſpecuum, & vatum ad puram veritatem, & lucem in Bethleem ortam homines currerent.

A Chriſto fugata vana gentium oracula. Theodor.

5. Quam ob rem in ſua exhortatoria ad gentes ſapienter eas hortatur Clemens Alexandrinus: *Impia ergo adyta ne inueſtigetis, nec barathrorum ora præſtigiis plena, aut tripodem Cirrhæum, & quod illic eſt oraculum.* Quæ verba nobilis interpres, & ſcholiaſtes Hentianus Heruetus declarat: *Poſtquam oſtendit quod ſit Dei verbum, quod ſuſcepta carne eſt Chriſtus, concludit non eſſe quærenda oracula. Clemens ea vocat ἄθεα, id eſt, in quibus non ſit Deus.* in noſtro verò oraculo Bethleemitico verè eſt Deus, ſed abſconditus, Deus Iſraël Saluator, ideò iſtud oraculum illo Delphico multo ſublimius eſt, & illuſtrius.

Impia adyta deſerenda. Clem. Alex. Hentian. Heruet.

6. Acceſſit Moyſes celeberrimus Vates ad antrum,

Moyſes in foramine petræ inuenit Chriſti oraculum.

trum, & petræ foramen atque tanquam ad oraculum vt ſpiritu cœleſti correptus videret Deum, videret poſteriora Chriſti, Exodi cap. 33. verſ. 22. inquit Deus: *Ponam te in foramine petræ.* O qualis aura redditur Moyſi in hac ſpelunca, ſacto afflante numine; quid ſi in ſpiritu vidit paruum terræ foramen (ſic vocat Hieronymus præſepe ſupra) vbi oritur Ieſus; quid ſi vidit gloriam Chriſti, quæ turris Ader paſtoribus ſanctus affulſit. Vidit petram, vidit Chriſtum, petra vtique erat Chriſtus, in petra foramen eſt, non barathrum, in Chriſto cernitur Pater, in Chriſto Ieſu arcana patris pateſcunt. Audi Origenem homil. 4. in Cantica: *Ecce poſui te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea: igitur petra iſta, quæ Chriſtus eſt, non eſt ex omni parte clauſa, ſed habet foramen. Foramen verò eſt petra, qui reuelat, & innoteſcere facit hominibus Deum. Nemo ergo videt Patrem niſi filius. Nemo ergo videt poſtrema Dei, id eſt quæ in poſtremis temporibus fiunt, niſi poſitus in foramine petræ, ſcilicet cùm ea, Chriſto reuelante, didicerit.* Vidiſti celebrius oraculum? Dum naſcitur oraculum eſt Ieſus, quia manifeſtauit & Patrem; dum moritur velum templi ſcinditur, liber ſignatus ſigillis ſeptem aperitur, cœlorum myſteria reuelantur; quid mirum, petra Chriſtus habet multa foramina, dum ſacra vulnera hiant clauorum, & lanceę terebrata cuſpide, ſi habet multa foramina, habet multa oracula, quia oraculum oraculorum eſt moriens, & oriens.

Origen.

DISCVRSVS II.

Sacra Chriſti natalitia in ſpecu celebrantur, quia ſpelunca ſpiritualis eſt arena certaminis, in qua de Dæmone, de vitiis triumphatur.

1. VICTORIIS, trophæis apta eſt ſpelunca; ſæpiſſimè facta amphitheatrum honoris, Angelorum ſpectaculum; in ſpecus ſolitudine, non defuit lauri, coronæque luſus, nec plaudentium clamor. Ardentes furiarum tedas, minaceſque vultus Saul, fugiebat Dauid, & in ſpelunca Odollam, latibulum inuenit. 1. Reg. cap. 22. verſ. 1. poſtea in locis tutiſſimis Engaddi inter inuia ſaxa, præruptáſque ſilices abſconditur. Huic fugæ non ingloriæ triumphale cecinit carmen Pſal. 56. cuius titulus eſt: *Dauid in tituli inſcriptionem, cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam.* Fugit Dauid, ſed Deus Saulem ad Dauidem trahit. Saul exonerandæ alui neceſſitudine premitur: *Erátque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.* 1. Reg. cap. 24. verſ. 4. Tradidit Deus ferocientem hoſtem in manus ſuas; quàm placidè Dauid proprias vindicare poſſet iniurias! ſed tranquillo animo ſedauit, conculcauit ſæuitiæ multicipitem chimæram; vim etiam vi repellere nititur, militúmque furorem: duplici ſtola gloriæ, duplici ornamento dignus, qui propriam, qui alienam iracundiam ſua lenitate compeſcuit: at quis huic pugnæ, huic palmæ ſignatur locus? Viarum, aut plateæ theatrum? Fores domus Regiæ? vt è ianuis nobilis, & ſelecta inuentus, aut populi turba proſpectet? aut planicies campi, vbi cœlo nitent arma ſereno? Minimè, ſed in ſpelunca ſtatuitur certaminis palæſtra. Id adnotauit Chryſoſt. tom. 1. homil. de Dauid, & Saule: *Vidiſti omnes adhortantes, vt enſem in hoſtis pectus immergeret? Nunc mihi ſpecta philoſophicam animi moderationem, ſpecta luctam, victoriam, coronam. Luctatus eſt Dauid, pugilem egit iracundia. Spelunca illa campus erat.* Preme verba illa: *Spelunca illa campus erat.* Inter ſaxa, & cautes, cauum antrum deſtinatur prælio, eligitur victoriæ.

Dauidicus triumphus in ſpelunca.

D. Chryſoſt. *Campus in quo deuicta eſt iracundia ſpecus.*

2. Probat ſanctus Iuſtinus Martyr quamplurima figmenta ethnicos ex ſacræ Scripturæ locis, qui eorum intelligentiam fugiebant, hauſiſſe. Ex occaſione verborum Iſaiæ Prophetæ cap. 33. verſ. 16. *Iſte in excelſis habitabit.* Vbi Septuaginta legunt: *Iſte habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortiſſimæ*, fabulati ſunt Mithram, ſeu Solem, quem vt Deum venerati ſunt Perſæ; ex ſpecu prognatum, & in ſpecu petræ fortis, eius ſacris initiantur. Id teſtatur ſanctus Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone Iudæo: *Porrò (inquit) quando illi, qui Mithræ initia tradunt, è petra eum natum eſſe memorant, & ſpelæum, ſiue ſpecum nominant eum locum, vbi initiari ei credentes perhibent, non ego hîc quod à Daniele eſt dictum, lapidem abſque manibus abſciſſum de monte ingenti, & quod ab Iſaia eſt promulgatum eos ſequutos eſſe, atque hæc conſimiliter inſtituiſſe ſciam?* Hanc fabulam, & commentitium aſſertum cum reſpuiſſet, & exſufflaſſet ſanctiſſimus Martyr, poſtea eodem dialogo fol. 304. aſſerit verba Iſaiæ eſſe ipſiſſimam veritatem, ſi de veri Solis iuſtitiæ Ieſu exortu in Bethleemitica ſpelunca intelligatur: ſic ſcribit loquens de Ioſeph ſanctæ Virginis Mariæ ſponſo: *In ſpecum quemdam vico proximum conceſſit. Atque ibi cùm eſſent, enixa eſt Maria Chriſtum, & in præſepi poſuit. Quod verò Iſaias de ſymbolo, arcanóque ſpecus vaticinio ſuo præloquutus ſit, vobis inquam recenſui.* In hoc loco ſpelunca Natiuitatis Chriſti ab Iſaia celebrata eſt, eamque Perſarum ſuperſtitioſus cultus æmulabatur; ibi milites balrheo ornati, gladis accincti initiabantur Mithræ, eiuſque militiæ adſcribebantur. De quibus Tertullianus libro de præſcriptionibus ſcribit: *Signat ille in frontibus milites ſuos.* Iam enim in ſpelæo Mithræ, ſpirituale certamen, & militiam ſpeluncæ Ieſu imitabatur gentilis, militéſque prophani numinis, militiæ Chriſti præludebant, vt eſſet indicio Ieſum alumnos ſuos in ſpecu Bethleemitico ad ſpirituale certamen accendere.

D. Iuſt. Mart.

Mithra Deus Perſarum in ſpecu natus iuxta eorum figmenta.

D. Iuſt. Mart.

Mithra, ſeu Solis ortum in ſpelunca de Iſaia, & Daniele mutuarunt Perſæ.

D. Iuſt. Mart. *Solis antrum, ſpeluncā Natiuitatis Chriſti portendebat.*

In ſpecu Mithræ initiantur eius milites.

Tertull.

3. Expugnaturus acerbam mortis tyrannidem, venit Ieſus ad monumentum: vt Lazarum à mortis eripiat faucibus: notat tunc Euangeliſta Ioannes cap. 11. verſ. 38. *Ieſus venit ad monumentum, erat autem ſpelunca.* Accurata enarratio, quæ myſterium patefecit, quàm arguté ſanctus Chryſologus inquit ſerm. 65. *Dixiſſe ſufficerat veniſſe ad monumentum; quid eſt quod tantopere ſpeluncam Euangeliſta commemorat? ſpelunca planè, vbi hominem Diaboli latrocinium collocauit: ſpelunca vbi virum fraus condidit mulieris; ſpelunca vbi Dei plaſma mortis rapacitas includebat.* Vides ſpeluncam, Romanorum digladiantium, luctantium, Olympicorum certaminum amphitheatro illuſtriorem? ſeruatur ſpelunca Dauidi vt remittat iniurias; aperitur ſpelunca Chriſto, vt Tartarei ducis adimat ſpolia in rediuiuo Lazaro. In antro ergo, & ſpecu oritur Ieſus filius Dauid, vt maceriam inimicitiarum diſſoluat, & criminibus ignoſcat tuis, & te inſtruat ad ſpiritale certamen.

Ieſus in ſpelunca mortē expugnat.

D. Chryſoſt.

4. Adhuc triumphalia certamina in ſpelunca.

Ad hoc

Banaias in ciſterna Leonem interimit tempore niuis

Adhoc ſtadium prouocatur Banaias vir ſtrenuiſſimus, qui bellorum expeditione, Dauidis cingebat latus, de quo hoc egregium facinus literis, & æternitati commendauit Hiſtoria ſacra lib. 2. Reg. cap. 25. verſ. 10. *Banaias, ipſe deſcendit, & percuſſit Leonem in media ciſterna, in diebus niuis.* Hiſtoriæ textum illuſtrat Ioſephus lib. 6. antiquit. cap. 10. *Cum ningeret, Leo in quemdam puteum illapſus eſt, cuius os, quod anguſtum eſſet, videbat breui fore, vt id niuibus oppleretur: atque ita deſperato exitu, & ſalute, rugire occepit: Banaias autem fortè iter faciens, accurrit ad rugitum beſtiæ, & quum deſcendiſſet in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat exanimauit.* Vicit in hoc facto fortiorum audaciam; O mirabile inuicti pectoris facinus, ô animoſitatem tali duce dignam; mirum dictu: Leo rugit, quis non timebit? Non expauit ad Leonis rugitum; imò ferociſſimæ belluæ clamore, quaſi tuba, vocatur ad prælium. Licet procelloſi nimbi ingruerent, niuiumque montes, & aquæ gelidatæ cumuli; accingitur, deſcendit, venit, vidit, occidit, vicit. Quid ſi Leonis onuſtus exuuiis aſcendit, oſtentaturus victoriam? Sed huius ſpectaculi celebris, ſtadium puteus, & ciſterna fuit. In hoc facto Chriſtum quærit, & inuenit Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in librum 2. Regum citatus à Gloſſa: *Banaias, qui interpretatur ædificator Dominus, Chriſtum ſignificat, qui Eccleſiam ædificat: hic in tempore niuis, & frigoris, cùm gratia Chriſti mundo reſplenduit, & frigus charitatis hominès refrigerauit, Leonem, id eſt Diabolum interfecit.* Imaginem Chriſti naſcentis ad viuum expreſſam depinxit Hiſtoriographus. Iuxta proprietatem verbi Hebraici, *Banaias* idem eſt ac *filius Domini.* Id eſt Ieſus filius Dei patris, qui de cœlis ad ſpeluncam, & ciſternam Bethleemiticam deſcendit: *Tempore niuis*, hyemis tempore, cùm membra corporis tremula frigore rigeſcunt, quatiuntur; vt temporis iniurias in paruulo, & delicato corpore experiretur: cum magis refrigeſcebat charitas, venit ignem in terram accendere. O quantas, & quàm viuidas flammas, quaſi è camino ignis ardentis ex ſpecu illo eiaculabatur in hominum pectora! non imbres, non grandines, non niues valuerunt eas extinguere: Congelatos ſceleribus, & induratos hominum animos ignis ille diuinus liquefecit, & in lacrymarum fluenta ſoluit. Ad quid deſcendit? Vt agnus, & Leo, vel fortitudine, vel manſuetudine, Leonem diabolum interficeret. Sed locus triumphi ciſterna, & ſpelunca eſt.

Ioſeph.

D. Hieron.

Banaias Ieſum innuebat, qui Diabolum interfecit, in ciſterna Bethleemitica.

Ieſus Naue quinque reges in ſpelunca abditos de medio ſuſtulit.

5. In celeberrima illa Ioſuë victoria, quando obediente Deo voci hominis, ſol immotus ſtetit; fugerunt quinque Reges, Rex Ieruſalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Eglon, & abſconderunt ſe in ſpelunca. Ioſuë cap. 10. verſ. 17. *Nuntiatúmque eſt Ioſuë, quod inuenti eſſent quinque Reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda.* Milites inſequuntur victoriam, & aduerſariis vſque ad internecionem penè conſumptis, cum Principe militiæ Ioſuë regrediuntur in Maceda: *Præcepitque Ioſuë: aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant. Cúmque educti eſſent ad eum, ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Quàm inſignia trophæa Ieſu Naue ſeruantur in ſpelunca Maceda; à quo non vnus, ſed quinque ſubiugantur Reges, vt Ieſum noſtrum innueret de Tyrannis, & Regibus triumphantem. De hac victoria Origenes homil. 11. in Ioſuë ſic fatur: *Ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum. Non crudelitas, ſed humanitas, & [illegible]gnitas inuenitur. Vtinam tu tales eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & conculcares leonem, & regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interceptis, ſolus in te regnet Chriſtus Ieſus.* Puellus Ieſus è cunis, è pannis te docet certare, & vincere, ipſe manus, pedéſque poſuit ſuper aſpidem, baſiliſcum, leonem, & draconem, Diabolum, carnem, peccatum, mortem.

Origen.

Ioſuë verum Ieſum innuebat, qui Dæmones calcare docuit.

6. Obſcurat à cunis ſuis Ieſus Herculis celebre facinus, de quo circumfertur, colubros à Iunone immiſſos, in cuna exiſtentem, digitulis compreſſiſſe, & viciſſe. Id à Seneca celebratur in Hercule furente, actu 2.

Ieſus puer Hercule fortior, qui in cunis colubros compreſſit.

Seneca.

——— Gemina criſtati caput
Angues ferebant ora, quos contra obuius
Reptauit infans, igneos ſerpentium
Oculos, remiſſo pectore, ac placido intuens
Arctos ſerenis vultibus nodos tulit
Et tumida tenerâ guttura elidens manu
Præluſit Hydræ.

A faſciis, ab ipſo puerperio Herculeus infans ſerpentes, & ſcorpiones Dæmonas ſtrangulauit, vt inſtituat hominem ad victoriam, & in ſimilem affectum Origenis prorumpere cogat: *Vtinam Dominus meus Ieſus concedat mihi calcare ſpiritum fornicationis, & ceruicem ſpiritus iracundiæ, & auaritiæ. Et cum hoc fecero, geſti operis ſummam non mihi, ſed cruci eius appendere,* Sed dum differtur mors, appende ſpolia iſta in ſpelunca; talibus enim ſericis, purpureis acu pictis, & aureis periſtromatibus, hæc aula Regis ornatur.

Origen.

Discvrsvs III.

A mundo fugere, & ſeſe abſcondere; à conſpectu hominum propriam occultare gloriam; opus maximum eſt.

Mundi fugax gloria deſpicienda.

1. MVNDVS quantus eſt, totus eſt in aucupanda, & oſtendanda gloria; licet agnoſcat perituram, & inſtar lanuginis eſſe, quæ à vento diſpergitur, & inſtar fumi, qui à vento tollitur, ſtatim euaneſcentis; aram erigit in pectore, eique ſacrificat offerens cor, animum, corpus. Cur ô homo ſequeris inſomnia, & euaneſcentes vmbras? Ridebit, & ſalubre conſilium (ô falſam inſaniam) vocabit deliramentum. Nobilitatem eructat, diuitias iactat, emeritum fortunæ ſplendorem aliorum oculis conatur obiicere. Raros inuenias, qui ſplendorem premant, ne erumpat, & ſub pallio charitatis, & humilitatis abſcondant, hoc facinus viri probi eſt, excelſi, ac religioſi animi, & imitatoris Ieſu. O quot latibula inuenit natus in Bethleem puer! Diuinitatem obſcurat, potentiam diſſimulat, ſapientiam abſcondit; Regis dignitatem obtegit, eligens pauperem, & abiectam caſulam pro natalitiis: agnoſco leonem de Tribu Iuda, & catulum leonis, è Patre natum ante luciferum, è leæna Deipara genitum poſt luciferum. Vis ſapere cur dicatur leo? Intende in proprietatem leonis ſcriptam à ſancto Epiphanio in Phyſiologo cap. 1. ibi ait: *Cùm leo in monte oberrat, & venatorem odoratur, ſua ipſius veſtigia, cauda obtegit, ne illi inſiſtentes venatores, luſtrum inueniant, atque*

Ieſus dicitur leo quia diuinitatem ſuam abſcondit.

D. Epiph.

Leo ſua obtegit veſtigia.

ipſam

Plutarch.

ipſum capiant. Idem aliter refert Plutarchus lib. de animantium comparatione dicens: *Leo ſemper contortis ingreditur pedibus, tanquam vagina. Conditis intus vnguibus, ne veſtigantibus notam relinquat.* Sua verba eruditè accommodat Epiphanius vbi ſupra: *Sic Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſpiritualis leo, qui vicit de Tribu Iuda, a Patre miſſus, ſua ipſius ſpiritualia cooperuit veſtigia, id eſt diuinitatem ſuam.* Sed verba Plutarchi emphaſim habent: leo cùm cauernam, aut luſtrum ingreditur, vngues abſcondit, ne veſtigia, aut notas venatoribus relinquat. Ingreſſus Ieſus in ſpeluncam abſcondit venatoribus Diabolo, & Herodi veſtigia, ne capiatur; occultauit ſplendorem gloriæ, & diuinitatis, hoc maximum eſt humilitatis prodigium. Nunc intelliges cur Paulus Apoſtolus vias, & diuitias Chriſti vocat inueſtigabiles, quia immenſa diuinitas in paruo corpuſculo occultata eſt.

Verus Dauid Ieſus qui in ſpelunca ſua Humanitatis celauit diuinitatem.

2. Abſcondit ſe Dauid à facie Saul in quodam ſubterraneo ſpecu, vt conſtat ex titulo Pſalm.96. *Cùm fugeret a facie Saul in ſpeluncam.* Comparat ſanctus Auguſtinus Dauidem in ſpelunca abſconditum cum Chriſto Domino abſcondente ſeſe in ſpelunca carnis ſuæ, ne ſplendor gloriæ,& diuinitatis à Iudæis videretur. Do illius verba, & in illis acumen ingenij, relata à ſancto Iſidoro quæſtionibus in lib. Regum cap.17. *Quid eſt* (inquit Auguſtinus) *quod fugiens à facie Saul in ſpelunca latuit? quare autem latuit, niſi vt cuſtodiretur, & non inueniretur? Quid eſt contegi ſpeluncâ, niſi contegi terrâ? qui enim fugit in ſpeluncam, terrâ tegitur, ne videatur. Portabat autem terram Ieſus, carnem, quam acceperat de terra, & in ea ſe occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus. Quare ergo Dominum gloriæ non inuenerunt? Quia ſpeluncâ ſe texerat, id eſt, carnis infirmitatem oculis obiiciebat, & maieſtatem Diuinitatis, corporis tegmine tanquam ſpelunca abdito occultabat.* Vidiſti curam, & ſolicitudinē abſcondendi potentiam, diuitias, Regiam maieſtatem,& ſplendorem gloriæ? O quanta ſidera! quanta lumina in illo humanitatis cœlo latitabant! oritur ſol in antro tenebroſo, ſol humanitatis Solem diuinitatis occultabat; Mirum dictu; Sol magnus à Sole paruo abſconditur; Solem humanum,& terrenum,oculis Dæmonis, & Iudæorum obiiciebat, quo hallucinati, non agnoſcunt Solem cœleſtem, & diuinum. O Iudaicam aſſiduitate peccandi induratam cæcitatem! oculis fidei vtrumque Solem cerneres, ſi lippitudinem furoris, & inuidiæ ab oculis detergeres.

D. Iſid.

D. Auguſt.

Dauid à Saule exagitatus, ſpem ſuam fixit in Deo.

3. Anchoram ſpei ſuæ firmauit Dauid Domini firmamento, quod labefactare nequit humana infirmitas, aut improbitas; & de tentationum nimbis, quas Saul excitauerat, ſperabat emergere: confugit ad dexteram manum diuinæ poteſtatis, ſemper ad auxiliandum extentam, & ad alarum vmbraculum, quod diuina pietas prætendit ad protectionem filiorum. Pſalm.56.verſ.2. & 3. *In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſſimum.* Hæc verba cecinit Dauid in ſpelunca clauſus. 1. Reg. cap. 22. & 24. exul, & fugitiuus à facie Saul, vt teſtatur ſanctus Hilarius in Pſalm. *In ſpelunca clauſus hæc loquitur.* Et ſtatim; *Cæterùm videri non poteſt, vt qui ob metum erat intra ſpeluncam reconditus, pſalterio, & citharâ, vt teſtatur in Pſalmo totius artis muſicæ perſtreperet apparatu.* Occurrit difficultati illuſtris Pictauorum Antiſtes fuiſſe illum animi concentum omni inſtrumento dulciorem: modulamen fidei, ſpei dulcis cantilena; labiorum artificio verba deprecationis piè concinnata omni citharâ, & fiſtulâ dulciùs perſtrepebant. Aptè ergo ſubiungit Hilarius: *Clamabo ad Deum altiſſimum. Clamat fide potiùs, quam voce, qui fugiens, & latens clamat.* Saulem fugiens, in ſpelunca inſtructus à Deo eſt, Deo pſallere citharâ cordis, & pſalterio ſpiritus, quod ſolet eſſe vocaliſſimum. Ex hac fuga illud potiſſimum conſequutus, à mundo didicit fugere, & ſeſe abſcondere; inter ſaxa, & cautes ſeſe abſtrudit Dauid, vt ab humanis expeditus, animus liberior euolaret ad Dominum. Hoc enim viri iuſti eſt egregium facinus, contemptis mundialibus, ſeſe occultare ab hominum conſpectu, & quærere cubiculi latebras, vt feriatus rerum tumultu, Deo, & ſibi viuat.

D. Hilar. *Dauid, in ſpelunca latens canit.*

D. Hilar. *Dauidis latentis in ſpecu cantilena vocaliſſima.*

Seraphinis magna cura inerat obtegendi Regem in throno ſedentem.

4. Seraphim ſatellitium, quod excubabat pro foribus cœleſtis aulæ, vtrumque cingebat latus ſedentis in throno Domini Sabaoth. Multiplici funguntur munere, & cuſtodiendi Regem, & celebrandi eius præconia. Sed maxima Seraphinis erat cura, eum obtegendi alarum velamine. Iſaiæ cap.6.verſ. 2. *Duabus velabant faciem eius.* Laudes Dei, & integumenta à Seraphicis ſpiritibus exhibita proponit ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 38. his verbis: *Quorum alter* (loquitur de Iſaia) *Dominum Sabaoth in gloriæ throno ſedentem vidit, eúmque a Seraphim ſenis alis præditis in orbem cinctum, ac laudatum, & occultatum.* Vt gratam offerant Domino clientelam, eius faciem occulere ſatagunt, ſciebant etenim Domini propenſionem ad ſeſe occultandum, ideò eius voluntati conniuentes, alarum velamento diuinam, & glorioſam faciem obtegunt. Nunc ſi Dominum in throno ſedentem, & in præſepio recumbentem conferamus, laudationis ſimilem inueniemus concentum, cùm ibi ter ſanctum, hîc glorioſum in excelſis Angelorum exercitus clamat; ſed locus omnino diuerſus: ibi in magna baſilica apparet, hîc ſpelunca clauditur, & ſtabulo: ſatellitium quoque, & operimentum vtrobique magnum habent diſcrimen; in throno Seraphinis cingitur, in ſtabulo ſtipatur belluis; in præſepio celat gloriam, & diuinitatem ſuam, humanæ carnis nube, tegumento palearum, panniculorum, & faſciarum inuolucro: in throno operitur Seraphicarum alarum plumis ſplendidis, & verſicoloribus, tanquam expanſis velis, & cortinis ante thronum Regium. Sed in throno, & in præſepio eſt Deus abſconditus; & remouere, & abdere ſe hominem inſtruit à mundi irritamentis, & interdum ab hominum frequentia.

D. Gregor. Nazian.

Operimentum Dei in throno ſeſſitantis, & inuolucrum in præſepio recumbentis diuerſum.

Chriſti victoriam Habacuc celebrat.

Lect. LXX.

5. Celebrat heroico carmine cap. 3. Propheta Habacuc Chriſti victoriam de Dæmone reportatam. Ex toto Cantico verſum vnum ſeligo: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo:* Verſio Septuaginta Interpretum elegantiſſima eſt: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo ad lucem.* Sed illius intelligentia humanum captum tranſcendit. Omitto tritam illam de Aſcenſione Chriſti in cœlos interpretationem; ſcribo aliam ſingularem ſancti Cyrilli Alexandrini in Habacuc, de Ieſu in Crucem aſcendente, & de illius morte, in qua Sol iuſtitiæ radios diuinitatis abſcondit, obſcuratus eſt, vt luceret ſponſa Eccleſia, ſancti Patriarchæ Alexandrini verba ſunt: *Solem Emmanuelem dictitamus, Lunam Eccleſiam Dei. Quando igitur iuxta vocem Prophetæ eleuatus eſt Sol, (Crucem enim pretioſam Chriſtus propter nos aſcendit) tunc etiam Eccleſia ex gentibus lumen dedit, & ſtetit in ordine ſuo ad lucem, hoc eſt pleno lumine, vt luna quadam.* Vide miracu-

D. Cyrill. Alexand. *Ieſus in Cruce exaltatus tanquam Sol in cruce obſcuratur, vt ſponſa Eccleſia luceat.*

lum amoris ſponſi Chriſti erga ſponſam Eccleſiam. Sol Chriſtus cùm Crucem aſcendit, in occaſu ſuo obſcuratus eſt, imitatus eſt Solem Diuinum Sol cœli creatus, vidit Creatorem ſuum morientem, vidit Solem Solis, à quo lucem ſuam mutuatur, obtenebratum, ipſe etiam tetrahit radios, deliquium patitur, & compaſſione quadam moritur; vt iuxta tenebtas Solis in cœlo languentis, & obſcuras vmbras Solis in Cruce morientis, intenſiores radios, & lucis ſplendores funderet Luna ſponſa; vt quanto magis abſconditur Sol, tanto plus manifeſtetur Luna. *Stetit in ordine ſuo ad lucem,* vt gradum lucendi, in quo Sol ſtare debebat, haberet ex participatione Eccleſia Luna. Acutè dixit Cyrillus: *Pleno lumine, vt Luna quadam.* Vt plena Luna. Quanto Sol decreſcit, tanto Luna creſcit; minuitur Sol vſque ad diminutionem, & exinanitionem, creſcit Luna vſque ad plenitudinem. A ſolis ortu vſque ad occaſum videbis Deum abſcondentem ſe. Ideò à ſolis ortu ad occaſum laudabile nomen Domini. Celat ſe in humanitate Diuinitas, vt Luna Eccleſia plus luceat; celat ergo ſe in humanitate, & morte Sol Chriſtus, vt ex abſconſione ſua, Eccleſia plus fulgeat.

D. Cyrill. *Per Solis diuini decrementa, noua accipit Luna Eccleſia lucis incrementa.*

6. Redeo ad ſpeluncam Engaddi, & latibulum Dauid, eámque rurſus illuſtrat Africanus Arnobius in Pſalm. 56. vbi in titulo legit: *A facie Saul Regis.* Quaſi denotat à mundo fugam citiſſimam, à facie Dæmonis, qui regnat ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Cùm fugeris* (inquit Arnobius) *à facie Principis huius mundi perſequentis te, ſicut Saul perſequebatur Dauid, ſpeluncam pete, id eſt, ita te cõſtitue, vt ab inimico tuo inueniri non poſſis, & tu quidem inimicum tuũ inter manus habeas, ille verò te nec videat. Hoc enim eueniet, ſi ex toto corde dicas Deo, & in vmbra alarum tuarum ſpero, donec tranſeat iniquitas, & clames ad Deum altiſſimum; ipſe mittit de cœlo; & liberat te, & dat in opprobrium conculcatos te.* Ille Solus conculcat Tartara, & debellat aëreas poteſtates, qui ſolus nouit abſcondere ſeſe à conſpectu mundi. Felix qui tale latibulum quærit, plus æſtimans cum Saluatore in ſpelunca viuere, quàm in præclaris Regum domiciliis.

Citiſſima Dauidis fuga à mundo. Arnobius.

Iuſtus inter alas Domini abſconditur, & protegitur.

Discvrsvs IV.

Verbum Patris inter belluas exoritur, vt hominum ſtoliditatem ferarum ritu viuentium oſtenderet.

1. QVANTA Dei familiatitas cum iumentis! ille cui adſtant Angelorum chori, & Seraphinorum famulatus à dextris, & à ſiniſtris obſecundat; nunc in Regio præſepis throno teſtes ſuæ Natiuitatis adhibet belluas, ſacramentorum conſcias; ſed cur tantus Dei cum feris amor? Niſi quia homines vitiorum affectibus quaſi à natura extorres, in belluinam formam, degeneri conditione, & vilitate tranſierant. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Conuerſatur cum belluis, vt eas alliciat. Eſuriit Petrus in domo coriarij, & in ecſtaſim raptus; cœna ei paratur ab Angelis, & à cœlorum penuaria cella portantur alimenta, Actorum cap. 10. 11. *Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli.* Quàm vilia, & inſipida alimenta, quæ iure abhorret natura, Eccleſiæ Principi Petro, & Apoſtolorum apici extranea! durior eſt Angelus Petro, quàm Eliæ coruus; iſte panem portat, ille ſerpentem; paruulus Petrus petit panem, & Dominus porrigit ſcorpionem? Mitior cum Iudaico, & ingrato populo Angelorum natura, dum manna de cœlo impluit: porrigite Angelicum cibum, mellitum panem, farrôſque turtures, ſeſamum, aut ſaccharum, Hyblæos, aut Samſonis fauos. Hæc non ſunt iſtius paraturæ, aut menſæ cibaria. Sed quæ? Aſinus, leo, lupus, bos, ſerpens aquila, coruus. Hæc ſunt cibaria è cœlo delapſa, ea Angeli ſubminiſtrant. Sed quorſum iſta? Reſpondet ſanctus Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. *In illis generibus quadrupedum, & ferarum, & volucrum, figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum modo beſtialem videtur induta ſæuitiam, niſi Spiritus ſanctificatione miteſcat.* Accingitur Petrus, vt gentium animos inſtitutis diuinæ legis informet, quadrupedum cibos manus Angelorum porrigunt, vt ſciat per peccatum, animalium formam homines induiſſe.

Magna Domini familiaritas cum belluis.

Petri eſurientis ecſtaſis, & mẽſa plena animantium ſerpentis.

Homo in belluam moribus degenerauerat.

2. Obſcura ſententia in Oſeæ loco repetitur cap. 4. verſ. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Nunquid latrones fornicatio, & ebrietas? Vtique domum animæ perfodiunt, & furantur cor hominis, & in ea collocant cor belluæ. Septuaginta legunt: *Fornicationum, & vinum, & ebrietatem ſuſcepit cor populi mei.* Furibus aperuit ianuam, & tanquam amicos ſuſcepit incautus, direptio domus facta eſt, & ſublatus pectoris theſaurus. Verborum emphaſim agnouit ſanctus Hieronymus in commentario, quaſi diceret, cor humanum ablatum eſt ab homine, & ſubſtitutum cor belluinum. Accipe illius verba: *Emphaticũs autem legendum, fornicatio, & vinum, & ebrietas aufert cor, ſicut enim vinum, ebrietas, eum, qui biberit, mentis ſuæ impotem facit, ita & fornicatio, ac voluptas peruertit ſenſum, animumque debilitat, & de rationali homine, brutum efficit animal: vt ganeas, & lupanaria, & libidinum luſtra ſectetur, cumque ita cor loco ſuo motum fuerit, ligna, & lapides Deos putat, & adorat opera manuum ſuarum.* Æquo iure nuncupat impuras, & inmanes belluas, homines, vini, & libidinis ardoribus, & furoribus inflammatos; vbi æſtuante ebrietatis, & voluptatum mari, obruitur animus, lumenque rationis ſepultum iacet, viget animalis ſenſus, & in nefaria, & truculenta ſceleta præceps ruit.

Fornicatio, & ebrietas cor belluinum ingenerant. Lect. LXX. D. Hieron.

3. Vaſtam, & tetram belluam tibi demonſtrabit Daniel cap. 4. verſ. 13. ſcilicet Babylonis Regem Nabuchodonoſorem, de quo ſacer textus: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Et verſ. 22. *Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes.* Vera Metamorphoſis diuinâ virtute operata, cùm à Regali gloria decidens, propter ſuperbiam, & ferinam crudelitatem in belluam transformatus, non in feram ſubſtantialiter mutatus, ſed per immutationem phantaſiæ, dum ſibi bellua eſſe videbatur, exterior etiam oris, & corporis habitus ferus, & horridus apparuit, dum ab humano commercio fit exul, belluæ non refugiunt illius conſortium. Quamobrem ſubditur cap. 5. verſ. 20. *Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio Regni ſui, & gloria eius ablata eſt. Et à filiis hominum eiectus eſt, ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, &*

Nabuchodonoſoris immutatio in feram.

cum

cum onagris erat habitatio eius; fœnum quoque, vt bos comedebat. Quàm æquum ſupplicium, vt qui ferinâ rabie in homines inſaniebat, cum fetis habeat conuictum; qui cœli lumina tentare auſus, & cor per elationem vſque ad paradiſum Dei extulit, qui thronum, & ſedile inter cœlites collocare tentauerat; comparetur iumentis inſipientibus, & pronus in terram inter aſinos comedat fœnum. Hanc mirabilem transformationem depingit ſanctus

D. Patian.

Diuerſorum animantium ſpeciem Rex Babylonis induit, vt diuerſa flagitia exprimeret.

Patianus libro de pœnitentia: *Leonum in illo iubas impexa cæſaries, & barbarum horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur: cum fœnum in morem bouis ederet, pallentium ruminator herbarum.* Vidiſti malam Dæmonis, & peccati tractationem, in leoninam, & bouinam formam hominem transmutantis? Leo erat Nabuchodonoſor, dum elatione inſanit, & ad ſuperos effertur, aquila dum violenter aliena rapit; Bos dum in ſubditos tremebundo rugitu immugit, eoſque cornu petit. Quot ſcelera admiſit, tot belluarum ſpecies, & formas expreſſit.

Cur in homine creato ad imaginem, & ſimilitudinẽ Dei, imago exprimitur à Moyſe, ſimilitudo ſilentio premitur.

4. Dum natiuitatem, & creationem hominis in Geneſi lego, lamentatione, & lacrymis proſequendam iudico ablatam ab hominibus gloriam. cap.1. verſ.26. *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Et immediatè ſubiicit verba ſequentia: *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum*: Miror tam citò immutatam ſacri textus ſententiam; poſſet quiſpiam aut ſcriptorem ſacrum mendacij, aut Deum infidelitatis arguere. Duo promiſerat Creator donanda primi plaſmatis animo, & imaginem, & ſimilitudinem; creato homine, Moyſes ſilentio premit ſimilitudinem, at imaginem ſolum repetit. Nunquid Deus promiſſum remordet? Et qui munificus in largienda imagine, in deneganda ſimilitudine illiberalis oſtenditur? O quanta nitet in Moyſe ſapientia, in ſacris ſuorum librorum monumentis poſteritati reliquit, quot virtutum, & gratiæ ornamentis condecoratus fuerat homo ante peccatum; quot inſignia, & decora cœleſtia poſt peccati ruinam amiſerat. Ante peccatum imago, & ſimilitudo Dei in eo reluxit, poſt peccatum retinuit imaginem, obſcurata eſt ſimilitudo. Acutè præſentem quæſtionem excitat, &

Rupert.

Homo per peccatũ, Dei ſimilitudinẽ perdidit.

diſſoluit Rupertus lib.2. in Geneſin cap.6. dicens: *Quidnam hoc eſt, quod ſcriptor iſte cum retuliſſet, Deum dixiſſe: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ſubſequutus, vnum ex duobus omiſit, dicendo: & creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum? Nunquid caſu vel obliuione, tam magna parte conditionem hominis in ſuo ſermone diminuit, quam in Dei dictione tam nobiliter vtraque parte extulit?* Nodos difficultatis ibidem diſcutit: *Scienter quid Deus intendiſſet, in verbis eius expreſſit, & quid accidiſſet, prudenter in ſuo ſermone ſeruauit. Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem facere intenderat, cum autem hoc iſte ſcriberet, homo per peccatum, Dei ſimilitudinem amiſerat.* Qui poſt peccatum ſimilis factus fuerat iumentis inſipientibus, Pſalm.48. æquum non eſt vt diuinæ ſimilitudinis dignitate decoretur.

D. Bern.

Homo cum iumentis cõparatur.

5. Lamentatur felicitatem amiſſam ſanctus Bernardus ſerm. *Ecce nos reliquimus omnia*, ibi fatur: *Comparatum iumentis quis dubitet hominem, niſi quod ipſis iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur, quod iuga neceſſitatis earum, propria ipſe ſubeat voluntate; quod enim illis natura eſt, huic culpa: dum tanquam vnum ex his, quæ ratione carent, ſine ratione degens, & ipſe ſimiliter, ſub corporeis ſenſibus incuruatur.* Miror homines in brutorum degenerâſſe naturam, ſtupeo homines diuinitatem iumentis tribuentes, & tanquam cœleſtia numina adorantes.

6. Hoc maximum flagitium exprobrat infidelibus Tertullianus lib. apolog. contra gentes cap.16. cùm gentes hoc ſcelus Chriſtianis impingerent, quod aſininum caput venerarentur; impium mendacium, & confictam accuſationem in eos acriter

Gentes fictum crimen accuſationis ei ni impendebant Chriſtianis.

Tertull.

intorquet dicens: *Hoc prius caput, & omnem hinc ſacramenti noſtri ordinem haurire, repercuſſus ante tamen opinionibus falſis; non vt quidam ſomniaſtis, caput aſininum eſſe Deum noſtrum.* Et ad finem ſubdit: *Vos tamen non negabitis, & iumenta omnia, & totos cantherios cum ſua Hippona coli à vobis. Hoc forſitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum, beſtiarumque, aſinarij tantum ſumus.* Vltima verba

Gentes iumenta omnia colunt.

expendit Minutius apud Pamellium Tertulliani ſcholiaſtem; *Niſi quod vos, & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Hippona* (ſtabulorum Dea) *conſecratis, eoſdem aſinos cum Iſide religioſè decoratis.* Quid ſtultius, quid inſipientius? quàm hominem cœlo, & Deo creatum, aſinino, aut vitulino capiti, diuinum cultum exhibere. Ideò Emmanuel inter belluas exoritur, vt ſeſe Deum, & Dominum hominum, & iumentorum oſtenderet.

Minut.
Pamell.

7. Inueſtigat Heſychius cauſam ortus Ieſu in ſtabulo, & præſepi? Et acutè ſoluit quæſitum orat.2. de laudibus Mariæ: *Libens* (inquit) *reconditur in præſepi, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, id eſt ſermonem, & rationem in in præſepi conſtituant: vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* Immanitate feras ſuperabat homo, in operationibus ſuis exuerat mentis conſilium, & tanquam rationis expers indomitis cupiditatibus fræna laxabat: venit Ieſus Verbum, & logos ad præſepium, vt ferinus homo rationem hauriat, mentémque recipiat. Erat *logion* antiquitus apud priſcos ſacerdotes legis antiquæ in pectore. Exodi cap.28. *Facies & rationale.* Græcè eſt λογεῖον: innuebatque rationem illam æternam à Patre genitam, in qua condita ſunt omnia, vt explanat Philo Iudæus lib. de vita Moyſi 3. erat tunc ſacerdotali pectori appenſa ratio, & Verbum ornatum Angelorum choris, aut duodecim tribuum magnalibus, quæ pretioſi lapides innuebant: at in præſepi pro ornamento, & gemmis circundatur fœno, & paleis, belluiſque cingitur; vt homines iumentorum inſtar viuentes, depoſitis ferinis moribus, iuxta præſcriptum mentis, & rationis, viuant ſpiritu, & virtutis laude.

Heſych.

Ieſus in ſtabulo oritur, & in præſepio reconditur, vt pecuini homines inueniant Verbum, & rationem.

Lect. Græca.

Rationale Aaron ſtipatur gemmis, & tribuum magnalibus, at Patris logion cingitur paleis, & belluis.

Philo Iud.

8. Quantùm degenerauerit homo per peccatum à regia virtutis dignitate perpendit ſanctus Chryſoſtomus ſerm. 9. de Aſcenſione, qui habetur inter opera ſancti Gregorij Thaumaturgi, in lucem editus à Gerardo Voſſio: examinat os aureum Pſalmographi ſententiam ex carmine 48. verſ.13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Et hæc verba annectit: *Dum audieris quod ſimilis factus eſt rationis expertibus, ne arbitreris hoc dicere, vt oſtendat homines eſſe belluis pares, ſed illis peiores oſtendere voluiſſe. Etenim rationis expertibus euaſimus peiores, & inſulſiores. Non quod vt homines illuc delapſi ſumus, at quod etiam ad maiorem ingratitudinem groſſilierimus. Et hoc patefaciens Iſaias dicebat: cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* Hæc ille.

Homo à ſua dignitate degenerauit.

D. Chryſoſt.
D. Gregor. Thaum.
Gerard. Voſſ.

Homines peiores belluis.

DISCVRSVS V.

Paruulus quaſi Deificus Amphion feras cantu demulcet, eáſque in humanam, & cæleſtem vitam transfert.

1. TENERVM infantem auxiliatibus copiis deſtitutum in ſpecu, & præſepi, artifici manu amor depoſuit, vt lacrymis, vagitibus indomitos ferarum animos deliniret; quas belluas effrænes, & immanes, faſciæ, & ligaturæ brachiorum Ieſu, quaſi catenarum nexui non conſtringunt? Quos compedes, aut ferreas manicas non iniiciunt pedibus animalium inſipientium ſacri panni, quibus infans inuoluitur? Ad conſpectum Domini ferociſſima animalia manſueſcunt; præſepe, ſpecus, cœleſtium, & diuinarum transformationum ſacra ſchola, & officina eſt; vileſcunt à prophanis vatibus confictæ metamorphoſes, ſi cum veris, mirandiſque Ieſu tranſmutationibus conferas. Pſalmographus Pſal. 44. hunc titulum affixit: *Pro iis, qui commutabuntur, canticum pro dilecto.* Carmen nuptiale dedicat dilecto, ſeu amantiſſimo ſponſo Ieſu, pro tranſmutationibus ab ipſo factis, Ad noſtrum inſtitutum mirè explanat Venerabilis Beda: *Titulus ſic eſt conſtruendus, canticum iſtud cantatum pro dilecto, id eſt ad honorem, & laudem ſponſi ſpecialiter dilecti, propoſitum filiis Core pro iis, qui commutabuntur, id eſt, cauſa commutationis factæ in ſe ipſis, ad intellectum, ſcilicet vt intelligant, & ſe commutatos, & commutationem eſſe non ex ſe, vel aliunde, ſed per dilectum.* Omnium tranſmutationum auctor eſt Ieſus, carmen itaque transformationum à Regio Pſalte dilectiſſimo dedicatur.

Præſepe Domini cœleſtiũ tráſformationũ theatrum

Carmen pro iis qui commutantur.

Beda.

Ieſus dilectus homines immutat.

D. Auguſt. *Hominũ mutationes à Ieſu operatæ.*

2. Placet videre mirabiles metamorphoſes à Ieſu operatas? Audi ſanctum Auguſtinum in hunc Pſalmum: *Exponam quid ſit, pro iis, qui commutabuntur; hoc omnis mutatus agnoſcit. Videat, quid erat, & quid nunc ſit; & primò ipſum mundum videat commutatum, nuper adorantem idola, modò adorantem Deum, nuper ſeruientem iis, quæ fecit, modò ei à quo factus eſt. Vnuſquiſque noſtrum ex vetere homine in nouum mutatur. Ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, caſtus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis pro iis, qui commutabuntur, & ſic incipiat deſcribi, per quem commutati ſunt.* Hæc Auguſtinus. Gratiſſimum carmen occinis Chriſto, vitiorum acie detriumphatâ, ſi in meliorem vitam te ſenſeris immutatum. Deuoue hymnum transformatori, qui te de tenebris in admirabile lumen tranſtulit; hoc cantico blanditur puer, ſiſtuntur lacrymæ.

Rhinocerotis induſtria, & robur.

3. Iobi artem, & ingenium, aliquando in examen vocat Deus cap. 39. verſ. 9. *Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?* Ferox, & indomitum animal Rhinoceros, vel cum limato cornu præparat ſe pugnæ, & quaſi inuicto, & euaginato gladio animantia petit, aut cum ſagittas, & venabula deſpicit, pedicas, & laqueos dirumpit intrepidus, ſpumans, & rugiens, celerem intendit curſum in tendiculatum, aut vulnerum auctorem, nunquid vires, & induſtria tibi ſuppetunt ô Iob, vt rete interceptum capias, manſuetum, & placatum, deducas oneris amicum baiulatorem in ſtabulum, vt eodem, quo aſinus, & bos ſaginetur pábulo? Imbecilliores ſunt tantæ victoriæ hominis vires, Soli Deo in præſepio recumbenti ſeruatur Rhinocerotis domiti triumphus; cum deſcribit ſanctus Hieronymus in hæc verba Iob, ſcribo ſua: *Hic igitur Rhinoceros, ſeu Vnicornis, populi gentilis imaginem præfigurat; cuius etiam ſuperbia ſignificatur in cornu. Hic monoceros, qui per ſapientiam mundialem, tumore ſuperbiæ erat in ſublime porrectus, ſubiicietur, vt per fidem in ſanctitate, & iuſtitia ſeruiens, obedientiæ colla ſubmittat, & manſuetus effectus atque humilis, ad Dominicum præſepe recurrat: ac verbis Dei, hominiſque aſſumpti ſacris cibariis ſaturetur.* Quid illuſtrius? Non miror Imperatorum reportatas de hoſtibus victorias, ſubingata colla: prorſus ſtupeo manſuefactas, & exultas belluas vnicornium, ſeu barbaras gentes ſub iugo Chriſti ceruicem ſubmittere, aureis charitatis deuinctas nexibus, ad præſepe Domini alimentum vitæ prandentes.

D. Hieron. *Vnicornis, hoc eſt, gentilis, manſuefactus, ad Domini præſepe currit.*

4. De ſacræ arcæ inuentione felici gratulatur Dauid humano generi Pſalm. 131. verſ. 6. *Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.* Aſcendit tamen Pſaltes vaticinij concentu ad myſterij ſpeculationem, & natum Ieſum in ſpelunca Bethleemica intuetur, & de inuenta arca corporis Domini exultat. De Bethleem, in qua natus eſt Dominus Theodoretus verba expendit: *Ephrata illa (inquit) quæ nunc appellatur Bethleem nominabatur: ibi enim Dominus Chriſtus ortus eſt.* Sed cur Bethleem, & ſpecus in quo natus eſt Dominus *campus ſyluæ*, vocitatur? Quia frondoſus mons, & nemoroſa conuallis ſolet eſſe latibulum beſtiarum, rugitibus, & gemitibus ferarum inhorreſcens. At ciuitas Bethleemitica deliciarum hortus, & paradiſus Domini extitit, in quo non ſentuoſi frutices, ſed lignum vitæ pullulat; nec exaudiuntur mugitus frementium beſtiarum, ſed concentus Angelorum: cur ergo Vates campi ſyluam nuncupat? Circumſpexit Dominus orbem, & immanes belluas homines inuenit, at dum accurrunt ad Ephrataeam ſyluam, in qua exortus eſt hominum eruditor, & morum formator, omni feritate depoſitâ, in cœleſtem, & Angelicam vitam migrant. Grauiter, & acutè ſanctus Ambroſius inquit lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. exponens, quæ ſit iſta ſylua: *Illa ſylua, ad quam Paulus lupus quidem raptor intrauit, ſed paſtor exiuit. Eramus ergo feræ, & ideò dicit Dominus: attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt in veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Sed per Spiritum ſanctum iam leonum ſæuitia, pardorum varietas, aſtutia vulpium, luporum rapacitas de noſtris exoleuit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutauit, vt conuerſatio noſtra, ſicut Apoſtolus dixit, in cœlis ſit, qui antè ſicut feræ errabamus in ſyluis.* Hunc ſpiritum, hanc gratiam terris inuexit Dominus, vt eſſet in iis conuerſatio cœleſtis, apud homines, qui moribus ſuis non diſcrepabant a belluis. Nato Domino exulauit ab hominum pectoribus ferina crudelitas, leonis furor, luporum voracitas, vulpis vafricies, quæ inoleuerant humanis affectibus, Saluatoris exortu abrogata ſunt, abiectiſque vitiorum formis, beſtiarum laruis, virtutum ornamenta congerunt, & vitam viuunt Angelicam; harum transformationum amphitheatrum, Ephrata, & campus ſyluæ Bethleemiticæ conſtitutum eſt.

De Ieſu inuento in ſpecu Bethleẽ gratulatur Dauid humano generi.

Theodoret.

Cur Bethleẽ campus ſyluæ, vocatur.

D. Ambr. *Ieſus homines ferarum ritu viuentes in cœlites transmutauit.*

5. Operoſæ virtutis Ieſus incrementa ſubſtituo, dum fictas, & commentitias fabulas narro. Amphionem, & Orpheum ad miraculum cantitaſſe

ſuper

Clem. Alexand. *Amphionis Cantici tráſformationes fabuloſæ.*

ſupeiſtitioſa gentium prodidit vetuſtas, vt refert Clemens Alexãdrinus in exhortatione ad gentes, inquiens: *Amphion Thebanus, Thracius autem alius Sophiſta ſolo cãtu feras reddebat manſuetas, quin etiam cæteras arbores, & fagos ſuis locis motas, muſica transplantabat.* Quæ omnia figmenta Clemens ad ſpiritualem Amphionem, & cœleſtem Orpheum Chriſtum ſapiẽter tranſtulit, ferarũmque naturas, quæ ad auſcultationẽ cantilenæ confluxerant, cum vitiorum mõſtris comparat: *Volucres eos qui ex ipſis ſunt leues. ſerpentes eos qui deceptores; leones eos, qui ſunt animoſi, & ad iram concitati: Sues eos, qui ſunt voluptati dediti; lupos eos, qui ſunt rapaces; lapides, & ligna ſunt inſipientes.* Poſtea de transformationibus Ieſu, ex his feris in homines cœleſtis, hæc aurea verba ſubnicit: *Meus cantor ad ſuaue, & benignum Religionis, & pietatis in Deum iugum nos traducens, in cœlum rurſus euocat, eos, qui humi ſunt abiecti. Solus quidem certè ex iis, qui vnquam fuerunt difficillimas feras homines manſuefecit. Has ergo omnes immaniſſimas feras, & tales lapides, ipſe cœleſtis cantus in manſuetos homines transformauit.* Ante aduentum Chriſti, idololatriæ confuſa barbaries, & vitiorum colluuies homines inundauerat, dum ij animantia, reptilia, quadrupedia, volatilia, ligna, & lapides diuina credunt numina, bruteſcentium ferarum teguntur formis, moribus; at poſtquam Verbum caro factum eſt, & nouus cantor in præſepio iacuit; poſtquam Angelica turba nouum canticum occinit, Gloria in excelſis Deo, diuinus Amphion immanes belluas in manſuetiſſimos, & cœleſtes homines transformauit.

Ferarum ingenia hominũ mores repræſentant.

Clem. Alex. *Ieſu Canticũ veras operatur tranſmutationes.*

Noë virtus eum feris cõmerantis. D. Chryſoſt.

6. Virtutis Noë generis humani Protoparentis ſecundi egregius admirator eſt Chryſoſtomus, cùm eum contemplatur in abſcondito arcæ deliteſcentem, tot dierum curriculo commorantem, & conuiuantem inter immanes belluas; erat etenim in illo ligneo antro, & diuerſorio, leonis, vrſi, lupi, ſerpentis, draconis ſtipatus ſodalitio. Hæc ſunt oris aurei verba; in illam Geneſis cap. 7. ſententiam, verſ. 16. *Et incluſit eum Dominus deforis.* homil. 25. *Ego autem ſupra omnia virtutem iuſti admiror, Dominique bonitatem, & ineffabilem miſericordiam, quando conſidero, quomodo potuerit verſari in medio beſtiarum, leonum dico, & pardorum, & aliarum immitium ferarum.* Magna ſuſtinentia iuſti, tolerantis ſtabuli fœtorem, immanium belluarum contubernium; hæc tamen detrimenta, & conuictus incommoditatem temperabat animantium manſuetudo, & lenitas; nam in illud luſtrum introductæ beſtiæ, cicuratæ ſunt, & vnaquæque gaudebat alterius conuictu, & commercio. Subiungit de Noë Chryſoſtomus: *Virtus namque iuſti diuina miſericordia adiuta, primum reparauit dominium, & nunc rurſus beſtiæ iterum ſubiectionem. Cùm enim illæ viderunt iuſtum, obliuiſcuntur naturæ ſuæ, imò non natura, ſed ferociæ, & naturalem ſitam ferociam in manſuetudinem conuertunt.* Quid hic mirum ſi ex Ieſu ſodalitio, & conſpectu in arca Bethleemitica clauſi; depoſitis ferinis motibus, homines manſueſcant?

D. Chryſoſt. Noë virtus belluas manſuefacit.

7. Melius quàm ad primum, vniuerſa animantia terræ, & vniuerſa volatilia cœli cicurata detulit Deus ad Adam ſecundum, & cœleſtem. Mentior niſi ſacra Bethleem ſpelunca, nobilior eſt Noë arca; Eccleſiam ſuam Antiochenam comparat cum arca Chryſoſtomus, tom. 5. homil. 3. de pœnit. dicens: *Quare iam non peccauerit, qui arcam Eccleſiam maiorem eſſe conceſſerit, arca quidem animalia ſuſcepit, & animalia conſeruauit. Eccleſia verò animalia ſuſcipiens, eadem transformauit, vt puta, accipiter illuc introiuit, & accipiter exiuit. Introiuit hic quis accipiter, & columba exit; introiuit lupus, & ouis egreditur, non tranſmutatâ naturâ, ſed malitia excluſa.* Non peccat, qui ſpecum Chriſti natalitiis deſtinatum Eccleſiam maiorem eſſe autumat; hîc videre eſt mirandas brutorum transformationes; non excluſâ natura, ſed depoſitis beſtiarum moribus. In hoc animalium receptaculo, introeunt belluæ, exeunt homines in Angelos transformati, leo in agnum, accipiter in columbam, lupus in ouem, lapides in filios Abrahæ tranſmutantur.

D. Chryſoſt. Eccleſia eſt nobilior arca Noë, quæ animantia immutat.

DISCVRSVS VI.

Humanum ſcelus ingratitudinis promulgant, & iniciunt turpem hominibus pudorem belluæ, dum virtutem odorantes venerantur, & diuini cultus primitias delibant.

Feræ virtute, & ſanctimoniam præſentiſcunt.

1. ADMOVIT Deus ad menſam ſuam feras, & in proprium admiſit contubernium, vt pudore afficeret homines, dum illæ beneficium, manſuetudine, beneuolentia, & benefactis compenſant; cumque ſanctimoniæ odoramenta præſentiſcunt, aut venerabundæ ſe abiiciunt ad pedes ſanctorum, aut reuerentiæ exhibent ſigna. Homines verò Iudæi, quorum villæ Bethleemiticæ amicior factus, & huic omni ſolo; ille Deus Optimus Maximus, cuius nutu orbis terrarum gubernatur; illum ipſum deſpiciunt, non meritam gratiam memori mente perſoluunt, nec beneficia accepta meminerunt ingrati: *Interrogate iumenta, & docebunt vos.* Iob cap. 11. verſ. 7. Et pudore replebunt. Susceperunt feræ fame enectæ Danielem velut amicum, & ſocium, nec tanquam offam inuadunt, dilaniant, devorant; ſed poſitâ leoninâ feritate velut oues, & agniculi blandiuntur. Daniel cap. 14. verſ. 12. *Miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. Porro in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem.* Et verſ. 39. *Venit ergo Rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonum.* Quis rabidâ fame incitatas belluas cohibuit? quis concluſit ora leonum, ne præſentem diſcerperent cibum? quis pro laniena dedit Danieli cuſtodiam? in lacu quaſi in culcitra impauidus recumbit, inter leones velut corporis fidos cuſtodes; odorati ſunt inuicti leones, vel ieiunij, vel virginitatis odorem efflans corpus, quaſi opus pigmentarij redolens innocentiam, ſanctitatem; intactum ſeruant, & reddunt Domino diues, & cœleſte depoſitum. Non miror ſeruaſſe, demiror exteriori cultu leones Danielem veneratos. Audi Chryſoſtomum homil. 1. de pœnitentia: *Nihil agreſtius illis beſtiis, & fame velut carnifice quodam intrinſecus vrgente, atque ipſa Prophetæ femora diſcerperent, clamante, cibum venerati ſunt.* Appropinquantem gulæ cibum leones non mandunt, ſed colunt, non vnguibus dilacerant, ſed venerantur, vel caudâ adulantes, vel linguis lambentes, vel poplitibus flexis adorantes. Iamque lacus ille, & leonum ſtabulum erat velut Eccleſia, dum Daniel plenus Deo, Deum precatur,

Daniel in lacum leonum miſſus.

Cur non attingunt Danielem belluæ fame extimulatæ?

D. Chryſoſt. Leones cibum venerantur.

In Daniele à leonibus cultoribus Euchariſtia venerata adumbratur.

aures erigunt, & caudâ adulantur; at Iſraël, ſiue Iudæorum populus, nec minima grati animi ſignificatione Deum ſummum beneficatorem agnoſcit. Audi Galenum quid de aſino dicat: lib. 2. Method. *Si curatorem inſpexerit, hominem agnoſcit, micat auribus, & caudam quatit, & rudit, & laſciuit, cum aſpexerit, vtique indicans ſe familiarem agnoſcere.* Et Columellam, quid de boue, citatum à Gesſnero lib. 1. de boue: *Ad alligandos boues, neque à poſteriore parte, neque a latere, ſed aduerſus, placidè, & cum quadam vocis adulatione, appellationibus blandis, & illecebris oblatorum ciborum, venito, bubulcus admiſceat, vt accedentem conſueſcant aſpicere: Deinde nares perfricato, vt hominem diſcant odorari.* Itaque bos curatorem narium odore ſentit, aſinus hominem agnoſcit, at Iudæorum populus, aſino, & boue ſtolidior, curatorem Deum non agnouit, non intellexit.

Aſini ingenium. Galen. Columella Gesſner. *Boum inſtinctus.*

2. Sæpiſſimè Deus exprobrat ſtupiditatem Iſraëlitarum ex comparatione gratitudinis animantium, & volucrum. Quare Chryſoſtomus expendens verba Ieremiæ cap. 8. verſ. 7. *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Serm. 9. de Aſcenſione Chriſti ſic fatur: *Ecce, & aſinis, & bobus, ecce & volucribus, turture, atque ciconià nos inſipientiores oſtendimur.* Additque: *Imò lapidibus ipſis ſtupidiores euaſimus. Viſne horum quoque proferam teſtimonium? Audite conualles, inquit Propheta,* (Michæas cap. 6. verſ. 5.) *& fundamenta terræ: quia iudicium Domino aduerſus populum ſuum. Cum hominibus iudicium exerces, & eos vocas fundamenta terræ? Imò verò inquit: nam & terræ fundamentis ſtolidiores ſunt homines. Quem ergo adhuc quæris in iis exceſſum malitiæ, quando & aſinis ſtupidiores, & bobus irrationabiliores, & hirundine, ac turture rudiores, & formicis dementiores, ipſiſque lapidibus ſtupidiores reperiuntur.* Quæ omnia populo Iſraëlitico, de quo vates Ieremias, & Michæas ſermocinantur, apprimè quadrant.

Propoſita gratitudine animantium, & volucrũ, Iudæorũ ſtoliditas ſapiſſimè arguitur. D. Chryſoſt. *Homines lapidibus ſtupidiores.*

3. Vt pudore ſuffundatur homo, placet proferre in medium animantium exempla gratificationis, erga curatores, & dominos. Plutarchus libro de ratione animantium de Elephanto ſcribit: *Quid Poro Regi in illa aduerſus Alexandrum pugna ſaucio, nonne multa Elephas ſpicula leniter, ac citra dolorem promuſcide vulneribus extraxit? Et cum eſſet grauiter vulneratus, ipſe autem non antè abiecit ſe tamen, quàm exanguem, & nutabundum Regem intelligeret, hic enim vt ne durius ille caderet, ſenſim ſe humiliter prior demiſit, exhibens illi declinationem inoffenſam.* Vulgaris eſt gratitudo canis, quam verbis elegantioribus ponderans ſanctus Ambroſius lib. 6. exameron cap. 4. inquit: *Quid autem de canibus loquar, quibus inſitum eſt naturà quadam referre gratiam, & ſolicitas excubias pro dominorum ſalute prætendere?* Poſtea ſubiungit: *Quis enim non erubeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cum videat etiam beſtias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ ſeruant memoriam, tu non ſeruas ſalutis acceptæ.*

Elephantis gratitudo. Plutarch. D. Ambr. *Canis gratitudo.*

4. De volucrum gratitudine hæc libens ſubiicio ex ſancto Ambroſio in Malachiæ Prophetæ cap. 1. *Nonne enim videmus minutiſſimas aues cum illuceſcentem diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudiosè agere, priuſquam procedant, vt Creatorem ſuum, quia loqui non poſſunt, ſuauitate demulceant? Et quemadmodum vnaquæque earum, quoniam confeſſione nequit; modulis prodat obſequium, ita vt videatur ſibi deuotius gratias agere, quæ dulcius perſonauit: hoc etiam peracto diei curſu ſimiliter facere? Quid ergo ſibi vult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena, & iugis iterſio, niſi gratiarum quædam ſit immoderata confeſſio? Paſſeri enim ſuo auis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuauitate blanditur. Habent enim & aues paſtorem ſuum ſicut ait Dominus* (Matthæi cap. 6.) *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt; & pater veſter qui eſt in cœlis paſcit illa. At quibus tandem cibis paſcuntur aues? Viliſſimis ſcilicet, & terrenis. Aues ergo propter viles eſcas gratias agunt: tu pretioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es?* Hæc Ambroſius.

Anium, & paſſerculorũ gratitudo. D. Ambr.

5. Ex opportunitate relictis aliis belluis bouis, & aſini expenditur gratificationis gratia, quia Dei populus vituli caput, & iuxta quorundam placitum, caput aſini tanquam diuinum numen veneratus eſt. Quare ad incrementum veſaniæ, & ſtupiditatis recenſetur bouina, & aſinina beneuolentia erga altores ſuos, vt omnibus ſit manifeſtum in quantam inſaniæ voraginem fuerit immerſus populus, qui cum boue, & aſino dominum non colat, nec leuem nutum gratitudinis inuiat; potius bouinum, & aſininum caput, & has inſipientes belluas tanquam Dominum, & Deum reuereatur. Quod diuinum cultum exhiberet boui populus Iudaicus compertum eſt; ex Exodi cap. 32. In quo maximis tripudiis, choreis, epulis, agitatus eſt dies feſti celeberrimi vitulo conflatili ſacri: ſuperſtitioſum enim cultum Apis, & Mneuis, quos in ſpecie bouis, ab Ægyptiis edoctus, in Ægypto coluerat, poſt tranſitum maris rubri retinuit, in vituli figmento quod Aaron conflauit, priſcoſque mores, & religionem renouauit. Pulchrè Tertullianus lib. aduerſus Gnoſticos cap. 3. (inquit: *Sapiens ignis caput vituli deſundit illis, ſugillans illic cor habentes, vbi & theſaurum. Apud Ægyptum ſcilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiuſdam conſecratricem.* Et ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Glaph. in Exodum: *Quod in Ægyptiacum* (inquit) *errorem relapſi eſſent, priſtiniſque temeritatibus ſeſe contaminaſſent, reipſa nobis oſtendit Aaron, dum ipſe ſimulacrum in ſpecie vituli adorandum formauit. Vitulus enim in Ægypto colebatur, non ab Ægyptiis ſolum, verùm etiam ab aliis eodem errore laborantibus.* Et ſanctus Hieronymus ad ea verba Oſeæ cap. 4. *Ne aſcenderitis in Bethauen,* ſic ſcribit: *Quod in Ægypto didicerant Apim, & Mneuim, qui ſub figura boum colunt eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſeruarent.*

Iſraël, Bouem, & Aſinum venerabatur. Tertull. *Ex femineis inauribus conflatũ caput vituli, vt affectum Iſraëlitarum erga bouem notaret.* D. Cyrill. Alexand. *Vituli adoratio.*

6. De aſinini capitis adoratione religiosè obſeruatà à Iudæis, hæc ſcribit Plutarchus ſympoſ. lib. 4. problem. 5. relatus à Gesſnero lib. 1. *Probabile videtur Iudæos ſuem colere, vtpote ſeminandi, & arandi magiſtrum, vt aſinum quoque colunt, quod aquæ fontem eis aperuerit.* Eadem verba Tertullianus cum ex Cornelio Tacito retuliſſet, Apologet. aduerſus gentes cap. 16. Cornelium refellit vocans eum loquaciſſimum ſugillatorem, Tertullianus zelo Chriſtianæ religionis ductus eſt, vocabant Ethnici Chriſtianos aſini adoratores, ideò vt Chriſtianos tueatur, ab hoc piaculo expiat Iudæos. Iure quoque Ioſephus lib. 2. contra Apionem ab hac labe purgat Iudæos, aſſerebat Apion in ſacrarij adyto, aſini caput aureum Iudæos coluiſſe. Reſpuit iure Ioſephus hoc figmentum de aureo aſini capite in ſacrario collocato. Illud tamen reuocari poſſet in dubium; an cum Ægyptiis omnia animantia, & ſingillatim aſinum venerantibus,

Iudæi ſuem, & Aſinum colunt. Plutarch. Tertull. Cornel.

rantibus, in Ægypto Iudæi colerent aſini numen.

Iudæi portenta Ægypti adorant. D. Hieron.

7. Sanctus Hieronymus de Iſraëlitis fatus ad caput 7. Oſeæ: *Super vinum, & triticum ruminabant.* hæc ſcribit: *Vt hoc facerent in terra promiſſionis, quod in Ægypto didicerant, colentes Apim Ægyptium, & omnia eorum portenta venerantes.* Quòd inter alia portenta adorarent Ægyptij aſinum, notat Ælianus relatus à Lilio Gyraldo Syntagmate 6. dicens: *Quod Ochus Perſa Apim bouem ſacrum interfeciſſe dicitur, & aſinum conſecraſſe, & Ægyptios iuſſiſſe vt illum colerent, ſummo cultu.* Sanctus Athanaſius venerationem Aſini Ægyptiis tribuit orat. contra gentes, ſcribens: *Bruta rationabiliaque animalia inuicem permiſcentes, & in vnam ſpeciem contrahentes, pro diis colant. Quales ſunt apud Ægyptios Canicipites, Serpenticipites, Aſinicipites.* Hic apud Ægypti barbaros inoleuit cultus: De Iudæis verò aſini cultoribus hæc habet Cœlius Rodiginius lect. antiq. lib. 21. cap. 24. *Sed inter Græcos quoque nominis haud obſcuri Democritus aureum aſelli caput à Iudæis cultum non tacuit: nec ritu quidem ſacrorum neglecto, ſeptimo quoque anno peregrinum hominem perduci aſſueuiſſe, ac fruſtillatim conciſum necari.* Nec miteris cultores aſini Iudæos, qui enim talpas, & veſpertiliones, Iſaia teſte cap. 2. tanquam numina adorarunt, quid mirum ſi aſinum venerati ſunt?

Ælian. Lil. Gyrald.

Aſini ſacra, & ritus. Cœl. Rod.

Aſinini cultus exordium. D. Iſidor. Mart.

8. Vnde aſini cultus apud Ægyptios, & Iudæos inualuit? Quia in ſacris Oſiris, ſeu Bacchi, quem colebant in ſpecie bouis, aſinus circumferebatur; hoc affirmat ſanctus Iuſtinus Martyr apol. 2. *Dionyſium Iouis filium eſſe dixerunt, inuentorémque vitis prodiderunt, & aſinum in myſteriis, & arcanis eius ſacris duxerunt,* Aſini hæc in ſacris ſocietas erat, quia Bacchus aſino inſidens triumphabat, lactis, & mellis riuos in ſyluis oſtendit. De quo Ouidius 4. Metamorphoſeon:

Bacchū Aſinus in myſteriis portas. Ouid.

——Tu biiugum pictis inſignia frenis
Colla premis Lyncum, Baccha, Satyrique ſequuntur,
Quique ſenex ferulâ titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.

Et lib. 3. Faſtorum:

Vtque piger pandi tergo reſidebat aſelli
Applicat hunc vlmo, corticibuſque cauis.
Conſtitit ipſe ſuper, ramoſo ſtipite nixus:
Atque auidè trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, & vertice nudo
Spicula defigunt: oráque prima notant.
Ille cadit præceps: & calce feritur aſelli
Inclamátque ſuos auxiliúmque rogat.
Concurrunt Satyri: turgentiáque ora parentis
Rident: percuſſo claudicat ille genu.

Sed licet non foret exploratum hac veneratione aſinum coluiſſe Iudæos, compertum tamen eſt, extitiſſe aſinis tardiores, & hebetiores, & hoc indicat illa comparatio à Vate propoſita: *Cognouit aſinus præſepe Domini, & populus meus non intellexit:* Quam obtuſa fuerit Iudaici ingenij acies ad myſteriorum Chriſti intelligentiam, his verbis exponit Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum: *Fili*, inquit, *præſcriptorum meorum ne obliuiſcaris. Quod ſi non omnium eſt cognitio, aſinus ad Lyram, vt ij dicunt, qui prouerbiis vtuntur multis ſunt, quæ ſcripta ſunt. Propterea inquit Dominus, loquor eis in parabolis, quod videntes non vident, & audientes non audiunt, & non intelligunt.* Tritum prouerbium, quod in eos intorquetur, qui obtuſis ſunt auribus, & hebetes ingenio, ritè accommodat Clemens in Iudæos diuina Chriſti myſteria nec animaduertentes, nec intelligentes. Sunt animantia, quibus nonnulli Muſices ſenſus ineſſe videntur, & allectantur Cantico, vt equis, elephantibus, auibus, ſerpentibus: aſinum nihil cantus excitat: ſic nouum diuini Verbi Canticum, quod in puſilla hominis forma de præſepio cantitat, dulcéque Angelorum modulamen, quod perſonuit de cœleſtibus, attraxit Magos, & Ethnicos, Iudæus verò tanquam aſinus ad tibiam extitit.

Clem. Alex.

Prouerbium illud: Aſinus ad Lyram Iudæis quadrat.

Iudæus, Aſinus micans auribus, lyram auſcultans. Lucian.

9. Huic inſtituto non incongruè adaptabis Luciani verba lib. aduerſus indoctum, ſcribentis: *Iam vt tot tibi libri ſint, quot Athenis in Italiam aduexit Sylla, vt ſuper his dormias, affixos tibi vbique circumferas, num ideò eruditior es futurus? Et librum quidem ſemper in manu portas, legiſque ſemper aliquid, quorum tamen nihil penitus intelligis, ſed aſinus micans auribus, Lyram auſcultas.* Sic Iudæus de libris diuinæ legis glorians, & Prophetarum ſcripta ſecum circumferens, nec credens, nec intelligens; tanquam auribus micans aſinus ad lyram, & tibiam eſt.

Iudæus, Aſinus portans myſteria. D. Iſidor. Ariſtoph.

10. Iudaicæ inſcitiæ, & tarditatis typus extitit aſinus ab Abrahamo ſtratus, omnem paraturam ſacrificij Iſaac portans. Geneſ. c. 22. verſ. 3. *Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum.* Expendit verba ſanctus Iſidorus quæſt. in Geneſim allegatus in catena: *Aſinus* (inquit) *ille ſtratus inſenſata eſt ſtultitia Iudæorum, qui quidem omnia ſacramenta portabat, ſed quid ferebat, neſciebat.* Alluſiſſe videtur Iſidorus ad antiquum prouerbium: *Aſinus portans myſteria.* De quo Ariſtophanes in ranis:

Ita per Iouem ſum aſinus vehens myſteria,
Verum iſta non iam ſuſtinebo diutius.

Sic Iudæus aſinus gerulus Chriſti, & myſteriorum; cum in illum non credat, nec iſta intelligat. Sed de his ſatis ſupérque.

Bos & Aſinus Dominum in præſepio agnoſcunt.

11. Sancti Patres aliter exponunt hunc locum de Chriſti Domini natalitiis, quando reclinatus fuit in præſepio, & ab ipſis animantibus agnitus fuit. Et in eâdem expoſitione differunt, nam aliqui eorum exiſtimát bouem ſignificare populum Iudaicum, iugo legis aſſuetum; aſinum verò innuere populum gentium. Hæc tamen expoſitio eſt accommodatitia, quantum ad ſignificationem bouis, & aſini, nec literæ cohæret; imò contradictionem inuoluit; nam ſi bos ſignificat populum Iudaicum; ibi dicitur quod Deum agnouit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum.* Et ſtatim dicitur de eodem populo: *Iſrael autem me non cognouit:* Dicere autem quod idem populus Dominum in præſepio agnouit, & non agnouit, contradictio eſt. Hæc ergo expoſitio eſt violenta.

Bos & Aſinus infantem Ieſum in præſepio venerantur.

12. Si verò cum aliis Patribus aſſeramus hoc eſſe vaticinium de boue, & aſino, qui Dominum Ieſum in præſepi iacentem ſuperiori quodam inſtinctu, & extraordinariis reuerentiæ ſignificationibus venerati ſunt, non eſt inconueniens, quod hic ſenſus ad literam pertineat; nam Iſaias in ſuis vaticiniis præterita, & futura eodem intuitu Prophetico comprehendit, & primam ingratitudinem Iudaici populi cum de Ægypto educeretur, cum ſecunda, quando erutus eſt de poteſtate tenebrarum, coniungit; ingratitudo poſtrema fuit complementum vecordiæ, & malitiæ cumulus. Et eſt ſenſus aptiſſimus, bos, & aſinus venerati ſunt me, in præſepio, Iſraël autem nec agnouit, nec intellexit. Sicque interpretantur Eccleſiæ Patres, Chryſoſt. homil. de Natiuit. Auguſtinus orat. contra Iudæos, & Paganos; & contra Fauſt. lib. 13. cap. 11. Origenes homil. 13. in Lucam. Ambroſ.

D. Chryſoſt. D. Auguſt. Origen. D. Ambr.

D. Athan. D. Proſp. lib. 2. in Lucam cap. 2. Athanaſ. ſerm. in illud Matth. 21. *Inuenietis pullum.* Proſper. part. 3. de diuinis prædict. cap. 5.

Discvrsvs I.

Apud Bethleemiticum diuerſorium, & antrum, in quo Chriſtus naſcitur, cæleſtis Apollinis inuenies oraculum, illo Delphico multo celebrius, & illuſtrius.

1. Dvm vim verbi Hebraici *ebus* attentè perpendo, præſepe, ſtabularium, locúmque in quo diuerſantur animantia, ſignificantis; videre mihi videor præſepe Domini, ſacrámque ſpeluncam cœlis ipſis ſplendidiorem, in quo nouus Rex oritur: Diuini humanique Apollinis ſpelæum cerno, celeberrimúmque antrum, in quo Virgo myſteriis initiatur, & de ſacro pectore fundit eloquia; verus Deus oraculum eſt, & qui olim loquebatur Patribus in Prophetis, nouiſſimè loquitur nobis in Filio. ſed vtrumque oraculum Apollinis, & Chriſti comparemus. In antro quodam *Apollinis domicilium.* inuentum eſt Apollinis oraculum, de quo Strabo *Strab.* in lib. 9. Geographiæ: *Diuinum ipſum domicilium profundam, & curuam eſſe ſpeluncam, non admodum lato patentem ore. Atque hinc auram reddi, ſacro efflante numine.* *Diodor.* Diodorus etiam: *ſpecum, & antrum* vocat lib. 16. hiſt. cap. 26. locum Natiuitatis Chriſti iiſdem nuncupationibus ornant ſancti Eccleſiæ *D. Hieron.* Patres: Hieronymus epiſt. 17. *Quo ſermone, quâ voce, ſpeluncam tibi poſſumus Saluatoris exponere?* *Saluatoris ſpelunca.* *D. Iuſtin. Mar.* Sanctus Iuſtinus Martyr in dialogo: *In ſpelunca quadam, quæ vico propinqua erat, diuerſatus eſt.* Et *Beda.* Beda libro de locis ſanctis cap. 8. appellat *ſemiantrum.* Antrum itaque Apollinis, ſpeluncæ, & oraculo Emmanuelis prælùſit, in quo verbum obmuteſcens, non è Tripode, ſed è præſepi, Angelis, & hominibus veridica dat reſponſa.

Apollinei oraculi origo. 2. Sed originem Apollinei oraculi inſpiciamus, de quo Diodorus Siculus lib. 16. cap. 26. inquit: *Diod. Sicul.* *Terræ hiatus eo loco fuit, vbi nunc adytum templi exiſtit; circúmque hunc capræ paſcentes oberrarunt quæcumque propius ad voraginem accedens deſpiceret, mirum in modum exultabat, & vocem ab vſitata prius diſſonam emittebat. Id paſtor gregis admiratus exploraturus acceſſit, & ipſe, & deſpectans, eodem modo affectus abiit. Quicumque propiùs adierant, furore diuino corripiebantur. Hinc locus ille, ceu fatidicus pro miraculo habitus, terræque oraculum eſſe creditum fuit. Durauit ad tempus ille mos, vt qui diuinare vellent, antro appropinquantes, de futuris alter alteri reſponſarent. Vnam ex omni fœminarum ſexu vatem conſecrarunt, quæ fatidicis effatis præeſſet. Sortes a Virginibus editas, fama eſt, quod & naturam haberent incorruptam, & ſexus cum Diana communionem: adde quod ſeruandis oraculorum ſecretis magis idoneæ viderentur.* Miranda prorſus ſunt iſta, ab aliis grauiſſimis auctoribus relata.

Apollinei oraculi magnalia, in Chriſti ſpecu maiora ſunt. 3. Tria potiſſimum continet Apollinis oraculum myſterio Chriſti aptiſſima; primum quod in antro repertum, de quo ſupra. Secundum, quod primum inuentum eſt à paſtoribus, ſicut etiam oraculum Bethleemiticum, de quo Diuus Hierony- *D. Hieron.* mus epiſt. 19. *Ecce in hoc paruo terræ foramine, cælorum conditor natus eſt, hîc viſus à paſtoribus.* Et quod caput eſt, Lucæ cap. 2. dicitur: *Paſtores erant in regione eadem.* Et *inuenietis infantem poſitum in præſepio.* Et *venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & infantem.* Tertium, quòd oraculum illud circunſtabant Vates, & fatidici Apollinis interpretantes reſponſa. Quartum quod oraculum illud ad piſcatores venit, & à piſcatoribus ad ſeptem Græciæ ſapientes, vt teſtatur Bulengerus tom. 1. lib. 1. de oraculis cap. 6. Demum quod à virgine pulcherrima, & caſtiſſima, oracula edebantur. Nos non ad oraculum Delphicum, ſed Bethleemiticum properamus, & in hoc adyto circunſtantes, puellam Virginem Deiparam, quæ inter omnes creaturas à Deo electa, & magis idonea viſa eſt, vt in ſui pectoris ſacrario arcana myſteria à ſæculis abſcondita, reconderet; & æternam ſapientiam, Pater æternus Virgini fideret. O vtinam in ſpelunca nobis demonſtret verum Apollinem, omniúmque Prophetarum, & præſertim Iſaiæ nobis aperiat vaticinia! Hoc oraculum Virginis Deiparæ, & Apollinis Ieſu circumſteterunt Vates diuinæ mentis interpretes, ad hoc antrum appropinquarunt, & de diuinæ ſapientiæ fonte ſpiritum prophetandi hauſerunt, virgineâque Mariæ aurâ ſunt afflati, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, de maioribus. Et de minoribus Oſeas, Ioël, Amos, & reliqui. Quanto melius dices de hoc oraculo, quod ſupra dixit Diodorus de Apollineo: *Locus ille, ceu fatidicus pro miraculo habitus; terræque* (imò cœlorum) *oraculum eſſe creditum fuit.* Acceſſerunt etiam ad hoc oraculum piſcatores, ſacri Apoſtoli, & ſpiritum prophetandi, & Prophetas interpretandi hauſerunt. Deuenit demum iſta ſapientia ad ſeptem ſapientes, ſeptem Eccleſiæ patres, quos præcipuè in hoc commentario ſequimur. Primum Hieronymum, ſecundum Cyrillum, tertium Chryſoſtomum, quartum Baſilium, quintum Thomam, ſextum Euſebium, ſeptimum Procopium.

4. Nec eſt aliud oraculum ſub cœlo, nec ſupra cœlum, ad quod animus tutò poſſit accedere, vt eruditioni, aut ſaluti conſulat, aut optimis nutriatur conſiliis, niſi ſpelunca, & domus panis. *A Chriſto fugata vana gentium oracula.* Hoc tibi demonſtrat oraculi Delphici ſilentium in Chriſti ortu, nam ſtatim obmutuit. Teſtatur id Theodoretus lib. 10. de oraculis: *Theodor.* *Priuſquam vindex hominum Deus in noſtra mortalitatis ſubſtantia appareret, maligni Dæmones hominibus erant infeſti. Poſtquam verò lux diuinæ veritatis orbi terrarum exorta eſt, cuncti, ſpecubus, latibuliſque ſuis relictis, fugam arripuerunt: & qui diuinationis dolos nobis inuexerant. Neque enim iubar diuini luminis ferre poterant.* Derelictum eſt, Chriſto illuceſcente, Apollinis antrum, mirúmque ſilentium impoſitum Pythiæ, vt derelictis ambagibus prophanorum, & ſpecuum, & vatum ad puram veritatem, & lucem in Bethleem ortam homines currerent.

5. Quam ob rem in ſua exhortatoria ad gentes *Impia adyta deſerenda.* ſapienter eas hortatur Clemens Alexandrinus: *Clem. Alex.* *Impia ergo adyta ne inueſtigetis, nec barathrorum ora præſtigiis plena, aut tripodem Cirrhæum, & quod illic eſt oraculum.* Quæ verba nobilis interpres, & ſcholiaſtes Hentianus Heruetus declarat: *Hentian. Heruet.* *Poſtquam oſtendit quod ſit Dei verbum, quod ſuſcepta carne eſt Chriſtus, concludit non eſſe quærenda oracula. Clemens ea vocat ἄθεα, id eſt, in quibus non ſit Deus.* in noſtro verò oraculo Bethleemitico verè eſt Deus, ſed abſconditus, Deus Iſraël Saluator, ideò iſtud oraculum illo Delphico multo ſublimius eſt. & illuſtrius.

6. Acceſſit Moyſes celeberrimus Vates ad antrum,

Moyſes in foramine petra inuenit Chriſti oraculum.

trum, & petræ foramen [illegible]que tanquam ad oraculum vt ſpiritu cœleſti correptus videret Deum, videret poſteriora Chriſti, Exodi cap. 33. verſ.2. inquit Deus: *Ponam te in foramine petræ.* O qualis aura redditur Moyſi in hac ſpelunca, ſacro afflante numine; quid ſi in ſpiritu vidit paruum terræ foramen (ſic vocat Hieronymus præſepe ſupra) vbi oritur Ieſus; quid ſi vidit gloriam Chriſti, quæ turris Ader paſtoribus ſanctis affulſit. Vidit petram, vidit Chriſtum, petra vtique erat Chriſtus, in petra foramen eſt, non barathrum, in Chriſto cernitur Pater, in Chriſto Ieſu arcana

Origen.

patris pateſcunt. Audi Origenem homil. 4. in Cantica: *Ecce poſui te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea: igitur petra iſta, quæ Chriſtus eſt, non eſt ex omni parte clauſa, ſed habet foramen. Foramen verò eſt petræ, qui reuelat, & innoteſcere facit hominibus Deum. Nemo ergo videt Patrem niſi filius. Nemo ergo videt poſtrema Dei, id eſt quæ in poſtremis temporibus fiunt, niſi poſitus in foramine petræ, ſcilicet cùm ea, Chriſto reuelante, didicerit.* Vidiſti celebrius oraculum? Dum naſcitur oraculum eſt Ieſus, quia manifeſtauit & Patrem; dum moritur velum templi ſcinditur, liber ſignatus ſigillis ſeptem aperitur, cœlorum myſteria reuelantur; quid mirum, petra Chriſtus habet multa foramina, dum ſacra vulnera hiant clauorum, & lanceę terebrata cuſpide, ſi habet multa foramina, habet multa oracula, quia oraculum oraculorum eſt moriens, & oriens.

Discvrsvs II.

Sacra Chriſti natalitia in ſpecu celebrantur, quia ſpelunca ſpiritualis eſt arena certaminis, in qua de Dæmone, de vitiis triumphatur.

1. Victoriis, trophæis apta eſt ſpelunca; ſæpiſſimè facta amphitheatrum honoris, Angelorum ſpectaculum; in ſpecus ſolitudine, non defuit lauri, coronæque luſus, nec plaudentium clamor. Ardentes furiarum tedas, minaceſque vultus Saul, fugiebat Dauid, & in ſpelunca Odollam, latibulum inuenit. 1. Reg. cap. 22.

Dauidicus triumphus in ſpelunca.

verſ.1. poſtea in locis tutiſſimis Engaddi inter inuia ſaxa, præruptâſque ſilices abſconditur. Huic fugæ non ingloriæ triumphale cecinit carmen Pſal. 56. cuius titulus eſt: *Dauid in tituli inſcriptionem, cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam.* Fugit Dauid, ſed Deus Saulem ad Dauidem trahit. Saul exonerandæ alui neceſſitudine premitur: *Erátque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.* 1. Reg. cap. 24. verſ.4. Tradidit Deus ferocientem hoſtem in manus ſuas; quàm placidè Dauid proprias vindicare poſſet iniurias! ſed tranquillo animo ſedauit, conculcauit ſæuitiæ multicipitem chimæram; vim etiam vi repellere nititur, militúmque furorem: duplici ſtola gloriæ, duplici ornamento dignus, qui propriam, qui alienam iracundiam ſua lenitate compeſcuit: at quis huic pugnæ, huic palmæ ſignatur locus? Viarum, aut plateæ theatrum? Fores domus Regiæ? vt è ianuis nobilis, & ſelecta iuuentus, aut populi turba proſpectet? aut planicies campi, vbi cœlo

nitent arua ſereno? Minimè, ſed in ſpelunca ſtatuitur certaminis palæſtra. Id adnotauit Chryſoſt. tom. 1. homil. de Dauid, & Saule: *Vidiſti omnes adhortantes, vt enſem in hoſtis pectus immergeret? Nunc mihi ſpecta philoſophicam animi moderationem, ſpecta luctam, victoriam, coronam. Luctatus eſt Dauid, pugilem egit iracundia. Spelunca illa campus erat.* Preme verba illa: *Spelunca illa campus erat.* Inter ſaxa, & cautes, cauum antrum deſtinatur prælio, eligitur victoriæ.

D. Chryſoſt. Campus in quo deuicta eſt iracundia, ſpecus.

2. Probat ſanctus Iuſtinus Martyr quamplurima figmenta ethnicos ex ſacræ Scripturæ locis, qui eorum intelligentiam fugiebant, hauſiſſe. Ex occaſione verborum Iſaiæ Prophetæ cap. 33. verſ. 16. *Iſte in excelſis habitabit.* Vbi Septuaginta legunt: *Iſte habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortiſſimæ,* fabulati ſunt Mithram, ſeu Solem, quem vt Deum venerati ſunt Perſæ; ex ſpecu prognatum, & in ſpecu petræ fortis, eius ſacris initiantur. Id teſtatur ſanctus Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone Iudæo: *Porrò* (inquit) *quando illi, qui Mithræ initia tradunt, è petra eum natum eſſe memorant, & ſpelaum, ſiue ſpecum nominant eum locum, vbi initiari ei credentes perhibent, non ego hic quod à Daniele eſt dictum, lapidem abſque manibus abſciſſum de monte ingenti, & quod ab Iſaia eſt promulgatum eos ſequutos eſſe, atque hæc conſimiliter inſtituiſſe ſciam?* Hanc fabulam, & commentitium aſſertum cum reſpuiſſet, & exſufflaſſet ſanctiſſimus Martyr, poſtea eodem dialogo fol. 304. aſſerit verba Iſaiæ eſſe ipſiſſimam veritatem, ſi de veri Solis iuſtitiæ Ieſu exortu in Bethleemitica ſpelunca intelligatur: ſic ſcribit loquens de Ioſeph ſanctæ Virginis Mariæ ſponſo: *In ſpecum quendam vico proximum conceſſit. Atque ibi cùm eſſent, enixa eſt Maria Chriſtum, & in præſepi poſuit. Quod verò Iſaias de ſymbolo, arcanóque ſpecus vaticinio ſuo præloquutus ſit, vobis inquam recenſui.* In hoc loco ſpelunca Natiuitatis Chriſti ab Iſaia celebrata eſt, eamque Perſarum ſuperſtitioſus cultus æmulabatur; ibi milites baltheo ornati, gladis accincti initiabantur Mithræ, eiuſque militiæ adſcribebantur. De quibus Tertullianus libro de præſcriptionibus ſcribit: *Signat ille in frontibus milites ſuos.* Iam enim in ſpelæo Mithræ, ſpirituale certamen, & militiam ſpeluncæ Ieſu imitabatur gentilis, militéſque prophani numinis, militiæ Chriſti prælud ebant, vt eſſet indicio Ieſum alumnos ſuos in ſpecu Bethleemitico ad ſpirituale certamen accendere.

D. Iuſt. Mart.

Mithra Deus Perſarum in ſpecu natus iuxta eorum figmenta.

D. Iuſt. Mart.

Mithra, ſeu Solis ortum in ſpelunca de Iſaia, & Daniele mutuarunt Perſæ.

D. Iuſt. Mart. Solis antrum, ſpeluncā Natiuitatis Chriſti portendibat.

In ſpecu Mithræ initiantur eius milites.

Tertull.

3. Expugnaturus acerbam mortis tyrannidem, venit Ieſus ad monumentum: vt Lazarum à mortis eripiat faucibus: notat tunc Euangeliſta Ioannes cap. 11. verſ. 38. *Ieſus venit ad monumentum, erat autem ſpelunca.* Accurata enarratio, quæ myſterium patefecit, quàm argutè ſanctus Chryſologus inquit ſerm. 65. *Dixiſſe ſuffecerat veniſſe ad monumentum; quid eſt quod tantopere ſpeluncam Euangeliſta commemorat? ſpelunca planè, vbi hominem Diaboli latrocinium collocauit: ſpelunca vbi virum fraus condidit mulieris; ſpelunca vbi Dei plaſma mortis rapacitas includebat.* Vides ſpeluncam, Romanorum digladiantium, luctantium, Olympicorum certaminum amphitheatro illuſtriorem? ſeratur ſpelunca Dauidi vt remittat iniurias; aperitur ſpelunca Chriſto, vt Tartarei ducis adimat ſpolia in rediuiuo Lazaro. In antro ergo, & ſpecu oritur Ieſus filius Dauid, vt maceriam inimicitiarum diſſoluat, & criminibus ignoſcat tuis, & te inſtruat ad ſpiritale certamen.

Ieſus in ſpelunca mortē expugnat.

D. Chryſoſt.

4. Adhuc triumphalia certamina in ſpelunca.

Banaias in ciſterna Leonem interimit tempore niuis

Adhoc ſtadium prouocatur Banaias vir ſtrenuiſſimus, qui bellorum expeditione, Dauidis cingebat latus, de quo hoc egregium facinus literis, & æternitati commendauit Hiſtoria ſacra lib. 2. Reg. cap. 25. verſ. 10. *Banaias, ipſe deſcendit, & percuſſit Leonem in media ciſterna, in diebus niuis.* Hiſtoriæ textum illuſtrat Ioſephus lib. 6. antiquit. cap. 10. *Cum ningeret, Leo in quemdam puteum illapſus eſt, cuius os, quod anguſtum eſſet, videbat breui fore, vt id niuibus oppleretur: atque ita deſperato exitu, & ſalute, rugire occepit: Banaias autem fortè iter faciens, accurrit ad rugitum beſtiæ, & quum deſcendiſſet in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat exanimauit.* Vicit in hoc facto fortiorum audaciam; O mirabile inuicti pectoris facinus, ô animoſitatem tali duce dignam; mirum dictu: Leo rugit, quis non timebit? Non expauit ad Leonis rugitum; imò ferociſſimæ belluæ clamore, quaſi tuba, vocatur ad prælium. Licet procelloſi nimbi ingruerent, niuiumque montes, & aquæ gelidatæ cumuli; accingitur, deſcendit, venit, vidit, occidit, vicit. Quid ſi Leonis onuſtus exuuiis aſcendit, oſtentaturus victoriam? Sed huius ſpectaculi celebris, ſtadium puteus, & ciſterna fuit. In hoc facto Chriſtum quærit, & inuenit Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in librum 2. Regum citatus à Gloſſa: *Banaias, qui interpretatur ædificator Domini, Chriſtum ſignificat, qui Eccleſiam ædificat: hic in tempore niuis, & frigoris, cùm gratia Chriſti mundo reſplenduit, & frigus charitatis homines refrigerauit, Leonem, id eſt Diabolum interfecit.* Imaginem Chriſti naſcentis ad viuum expreſſam depinxit Hiſtoriographus. Iuxta proprietatem verbi Hebraici, *Banaias* idem eſt ac *filius Domini.* Id eſt Ieſus filius Dei patris, qui de cœlis ad ſpeluncam, & ciſternam Bethleemiticam deſcendit: *Tempore niuis*, hyemis tempore, cùm membra corporis tremula frigore rigeſcunt, quatiuntur; vt temporis iniurias in paruulo, & delicato corpore experiretur: cum magis refrigeſcebat charitas, venit ignem in terram accendere. O quantas, & quàm viuidas flammas, quaſi è camino ignis ardentis ex ſpecu illo ejaculabatur in hominum pectora! non imbres, non grandines, non niues valuerunt eas extinguere: Congelatos ſceleribus, & induratos hominum animos ignis ille diuinus liquefecit, & in lacrymarum fluenta ſoluit. Ad quid deſcendit? Vt agnus, & Leo, vel fortitudine, vel manſuetudine, Leonem diabolum interficeret. Sed locus triumphi ciſterna, & ſpelunca eſt.

Ioſeph.

D. Hieron. *Banaias Ieſum innuebat, qui Diabolum interfecit, in ciſterna Bethlemitica.*

Ieſus Naue quinque reges in ſpelunca abditos de medio ſuſtulit.

5. In celeberrima illa Ioſuë victoria, quando obediente Deo voci hominis, ſol immotus ſtetit; fugerunt quinque Reges, Rex Ieruſalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Eglon, & abſconderunt ſe in ſpelunca. Ioſuë cap. 10. verſ. 17. *Nuntiatúmque eſt Ioſuë, quod inuenti eſſent quinque Reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda.* Milites inſequuntur victoriam, & aduerſariis vſque ad internecionem penè conſumptis, cum Principe militiæ Ioſuë regrediuntur in Maceda: *Præcepitque Ioſuë: aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant. Cúmque educti eſſent ad eum, ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Quàm inſignia trophæa Ieſu Naue ſeruantur in ſpelunca Maceda; à quo non vnus, ſed quinque ſubiugantur Reges, vt Ieſum noſtrum innueret de Tyrannis, & Regibus triumphantem. De hac victoria Origenes homil. 11. in Ioſuë ſic fatur: *Ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum. Non crudelitas, ſed humanitas, & [illegible]gnitas inuenitur. Vtinam tu talis eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & conculcares leonem, & regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interceptis, ſolus in te regnet Chriſtus Ieſus.* Puellus Ieſus è cunis, è pannis te docet certare, & vincere, ipſe manus, pedéſque poſuit ſuper aſpidem, baſiliſcum, leonem, & draconem, Diabolum, carnem, peccatum, mortem.

Origen.

Ioſuë verum Ieſum innuebat, qui Dæmones calcare docuit.

6. Obſcurat à cunis ſuis Ieſus Herculis celebre facinus, de quo circumfertur, colubros a Iunone immiſſos, in cuna exiſtentem, digitulis compreſſiſſe, & viciſſe. Id à Seneca celebratur in Hercule furente, actu 2.

Ieſus puer Hercule fortior, qui in cunis colubros compreſſit.

Seneca.

—————*Gemina criſtati caput*
Angues ferebant ora, quos contra obuius
Reptauit infans, igneos ſerpentium
Oculos, remiſſo pectore, ac placido intuens
Arctos ſerenis vultibus nodos tulit
Et tumida tenerâ guttura elidens manu
Prælufit Hydræ.

A faſciis, ab ipſo puerperio Herculeus infans ſerpentes, & ſcorpiones Dæmonas ſtrangulauit, vt inſtituat hominem ad victoriam, & in ſimilem affectum Origenis prorumpere cogat: *Vtinam Dominus meus Ieſus concedat mibi calcare ſpiritum fornicationis, & ceruicem ſpiritus iracundiæ, & auaritiæ. Et cum hoc fecero, geſti operis ſummam non mihi, ſed cruci eius appendere.* Sed dum differtur mors, appende ſpolia iſta in ſpelunca; talibus enim ſericis, purpureis acu pictis, & aureis periſtromatibus, hæc aula Regis ornatur.

Origen.

DISCVRSVS III.

A mundo fugere, & ſeſe abſcondere; à conſpectu hominum propriam occultare gloriam; opus maximum eſt.

1. MVNDVS quantus eſt, totus eſt in aucupanda, & oſtendanda gloria; licet agnoſcat perituram, & inſtar lanuginis eſſe, quæ à vento diſpergitur, & inſtar fumi, qui à vento tollitur, ſtatim euaneſcentis; aram erigit in pectore, eique ſacrificat offerens cor, animum, corpus. Cur ô homo ſequeris inſomnia, & euaneſcentes vmbras? Ridebit, & ſalubre conſilium (ô falſam inſaniam) vocabit deliramentum. Nobilitatem eructat, diuitias iactat, ementitum fortunæ ſplendorem aliorum oculis conatur obiicere. Raros inuenias, qui ſplendorem premant, ne erumpat, & ſub pallio charitatis, & humilitatis abſcondant, hoc facinus viri probi eſt, excelſi, ac religioſi animi, & imitatoris Ieſu. O quot latibula inuenit natus in Bethleem puer! Diuinitatem obſcurat, potentiam diſſimulat, ſapientiam abſcondit; Regis dignitatem obtegit, eligens paupertatem, & abiectam caſulam pro natalitiis: agnoſco leonem de Tribu Iuda, & catulum leonis, è Patre natum ante luciferum, è leæna Deipara genitum poſt luciferum. Vis ſapere cur dicatur leo? Intende in proprietatem leonis ſcriptam à ſancto Epiphanio in Phyſiologo cap. 1. ibi ait: *Cùm leo in monte oberrat, & venatorem odoratur, ſua ipſius veſtigia, cauda obtegit, ne illi inſiſtentes venatores, luſtrum inueniant, atque ipſam*

Mundi fugax gloria deſpicienda.

Ieſus dicitur leo quia diuinitas in ſuam abſcondit.

D. Epiph. *Leo ſua obtegit veſtigia.*

Plutarch.

ipſum capiant. Idem aliter refert Plutarchus lib. de animantium comparatione dicens: *Leo ſemper contortis ingreditur pedibus, tanquam vagina. Conditis intus vnguibus, ne veſtigantibus notam relinquat.* Sua verba eruditè accommodat Epiphanius vbi ſupra: *Sic Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſpiritualis leo, qui vicit de Tribu Iuda, a Patre miſſus, ſua ipſius ſpiritualia cooperuit veſtigia, id eſt diuinitatem ſuam.* Sed verba Plutarchi emphaſim habent: leo cùm cauernam, aut luſtrum ingreditur, vngues abſcondit, ne veſtigia, aut notas venatoribus relinquat. Ingreſſus Ieſus in ſpeluncam abſcondit venatoribus Diabolo, & Herodi veſtigia, ne capiatur; occultauit ſplendorem gloriæ, & diuinitatis, hoc maximum eſt humilitatis prodigium. Nunc intelliges cur Paulus Apoſtolus vias, & diuitias Chriſti vocat inueſtigabiles, quia immenſa diuinitas in paruo corpuſculo occultata eſt.

Verus Dauid Ieſus qui in ſpelunca ſua Humanitatis celauit diuinitatem.

2. Abſcondit ſe Dauid à facie Saul in quodam ſubterraneo ſpecu, vt conſtat ex titulo Pſalm. 96. *Cùm fugeret a facie Saul in ſpeluncam.* Comparat ſanctus Auguſtinus Dauidem in ſpelunca abſconditum cum Chriſto Domino abſcondente ſeſe in ſpelunca carnis ſuæ, ne ſplendor gloriæ, & diuinitatis à Iudæis videretur. Do illius verba, & in illis acumen ingenij, relata à ſancto Iſidoro quæſtionibus in lib. Regum cap. 17. *Quid eſt* (inquit Auguſtinus) *quod fugiens à facie Saul in ſpelunca latuit? quare autem latuit, niſi vt cuſtodiretur, & non inueniretur? Quid eſt contegi ſpeluncâ, niſi contegi terrâ? qui enim fugit in ſpeluncam, terrâ tegitur, ne videatur. Portabat autem terram Ieſus, carnem, quam acceperat de terra, & in ea ſe occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus. Quare ergo Dominum gloriæ non inuenerunt? Quia ſpeluncâ ſe texerat, id eſt, carnis infirmitatem oculis obiiciebat, & maieſtatem Diuinitatis, corporis tegmine tanquam ſpelunca abdito occultabat.* Vidiſti curam, & ſolicitudinẽ abſcondendi potentiam, diuitias, Regiam maieſtatem, & ſplendorem gloriæ? O quanta ſidera! quanta lumina in illo humanitatis cœlo latitabant! oritur ſol in antro tenebroſo, ſol humanitatis Solem diuinitatis occultabat; Mirum dictu; Sol magnus à Sole paruo abſconditur; Solem humanum, & terrenum, oculis Dæmonis, & Iudæorum obiiciebat, quo hallucinati, non agnoſcunt Solem cœleſtem, & diuinum. O Iudaicam aſſiduitate peccandi induratam cæcitatem! oculis fidei vtrumque Solem cerneres, ſi lippitudinem furoris, & inuidiæ ab oculis detergeres.

D. Iſid.

D. Auguſt.

Dauid à Saule exagitatus, ſpem ſuam fixit in Deo.

3. Anchoram ſpei ſuæ firmauit Dauid Domini firmamento, quod labefactare nequit humana infirmitas, aut improbitas; & de tentationum nimbis, quas Saul excitauerat, ſperabat emergere: confugit ad dexteram manum diuinæ poteſtatis, ſemper ad auxiliandum extentam, & ad alarum vmbraculum, quod diuina pietas prætendit ad protectionem filiorum. Pſalm. 56. verſ. 2. & 3. *In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſſimum.* Hæc verba cecinit Dauid in ſpelunca clauſus. 1. Reg. cap. 22. & 24. exul, & fugitiuus à facie Saul, vt teſtatur ſanctus Hilarius in Pſalm. *In ſpelunca clauſus hæc loquitur.* Et ſtatim; *Ceterùm videri non poteſt, vt qui ob metum erat intra ſpeluncam reconditus, pſalterio, & citharâ, vt teſtatur in Pſalmo totius artis muſicæ perſtreperet apparatu.* Occurrit difficultati illuſtris Pictauorum Antiſtes fuiſſe illum animi concentum omni inſtrumento dulciorem: modulamen fidei, ſpei dulcis cantilena; labiorum artificio verba deprecationis piè concinnata omni citharâ, & fiſtulâ dulciùs perſtrepebant. Aptè ergo ſubiungit Hilarius: *Clamabo ad Deum altiſſimum. Clamat fide potiùs, quàm voce, qui fugiens, & latens clamat.* Saulem fugiens, in ſpelunca inſtructus à Deo eſt, Deo pſallere citharâ cordis, & pſalterio ſpiritus, quod ſolet eſſe vocaliſſimum. Ex hac fuga illud peniſſimum conſequutus, à mundo didicit fugere, & ſeſe abſcondere; inter ſaxa, & cautes ſeſe abſtrudit Dauid, vt ab humanis expeditus, animus liberior euolaret ad Dominum. Hoc enim viri iuſti eſt egregium facinus, contemptis mundialibus, ſeſe occultare ab hominum conſpectu, & quærere cubiculi latebras, vt feriatus rerum tumultu, Deo, & ſibi viuat.

D. Hilar.

Dauid, in ſpelunca latens canit.

D. Hilar.

Dauidis latentis in ſpecu cantilena vocaliſſima.

Seraphinis magna cura inerat obtegendi regem in throno ſedentem.

4. Seraphim ſatellitium, quod excubabat pro foribus cœleſtis aulæ, vtrumque cingebat latus ſedentis in throno Domini Sabaoth. Multiplici funguntur munere, & cuſtodiendi Regem, & celebrandi eius præconia. Sed maxima Seraphinis erat cura, eum obtegendi alarum velamine. Iſaiæ cap. 6. verſ. 2. *Duabus velabant faciem eius.* Laudes Dei, & integumenta à Seraphicis ſpiritibus exhibita proponit ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 38. his verbis: *Quorum alter* (loquitur de Iſaia) *Dominum Sabaoth in gloriæ throno ſedentem vidit, eúmque a Seraphim ſenis alis præditis in orbem cinctum, ac laudatum, & occultatum.* Vt gratam offerant Domino clientelam, eius faciem occulere ſatagunt, ſciebant etenim Domini propenſionem ad ſeſe occultandum, ideò eius voluntati conniuentes, alarum velamento diuinam, & glorioſam faciem obtegunt. Nunc ſi Dominum in throno ſedentem, & in præſepio recumbentem conferamus, laudationis ſimilem inueniemus concentum, cùm ibi ter ſanctum, hîc glorioſum in excelſis Angelorum exercitus clamat; ſed locus omnino diuerſus: ibi in magna baſilica apparet, hîc ſpeluncâ clauditur, & ſtabulo: ſatellitium quoque, & operimentum vtrobique magnum habent diſcrimen; in throno Seraphinis cingitur, in ſtabulo ſtipatur belluis; in præſepio celat gloriam, & diuinitatem ſuam, humanæ carnis nube, tegumento palearum, panniculorum, & faſciarum inuolucro: in throno operitur Seraphicarum alarum plumis ſplendidis, & verſicoloribus, tanquam expanſis velis, & cortinis ante thronum Regium. Sed in throno, & in præſepio eſt Deus abſconditus; & remouere, & abdere ſe hominem inſtruit à mundi irritamentis, & interdum ab hominum frequentia.

D. Gregor. Nazian.

Operimentum Dei in throno ſiſtitantis, & inuenierum in præſepio recumbentis diuerſum.

Chriſti victoriam Habacuc celebrat.

5. Celebrat heroico carmine cap. 3. Propheta Habacuc Chriſti victoriam de Dæmone reportatam. Ex toto Cantico verſum vnum ſeligo: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo:* Verſio Septuaginta Interpretum elegantiſſima eſt: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo ad lucem* Sed illius intelligentia humanum captum tranſcendit. Omitto tritam illam de Aſcenſione Chriſti in cœlos interpretationem; ſcribo aliam ſingularem ſancti Cyrilli Alexandrini in Habacuc, de Ieſu in Crucem aſcendente, & de illius morte, in qua Sol iuſtitiæ radios diuinitatis abſcondit, obſcuratus eſt, vt luceret ſponſa Eccleſia, ſancti Patriarchæ Alexandrini verba ſunt; *Solem Emmanuelem dictitamus, Lunam Eccleſiam Dei. Quando igitur iuxta vocem Prophetæ eleuatus eſt Sol, (Crucem enim pretioſam Chriſtus propter nos aſcendit) tunc etiam Eccleſia ex gentibus lumen dedit, & ſtetit in ordine ſuo ad lucem, hoc eſt pleno lumine, vt luna quadam.* Vide miracu-

Lect. LXX.

D. Cyrill. Alexand.

Ieſus in Cruce exaltatus tanquam Sol in cruce obſcuratur, vt ſponſa Eccleſia luceat.

lum amoris ſponſi Chriſti erga ſponſam Eccleſiam. Sol Chriſtus cùm Crucem aſcendit, in occaſu ſuo obſcuratus eſt, imitatus eſt Solem Diuinum Sol cœli creatus, vidit Creatorem ſuum morientem, vidit Solem Solis, à quo lucem ſuam mutuatur, obtenebratum, ipſe etiam retrahit radios, deliquium patitur, & compaſſione quadam moritur; vt iuxta tenebras Solis in cœlo languentis, & obſcuras vmbras Solis in Cruce morientis, intenſiores radios, & lucis ſplendores funderet Luna ſponſa; vt quanto magis abſconditur Sol, tanto plus manifeſtetur Luna. *Stetit in ordine ſuo ad lucem*, vt gradum lucendi, in quo Sol ſtare debebat, haberet ex participatione Eccleſia Luna. Acutè dixit Cyrillus: *Pleno lumine, vt Luna quadam.* Vt plena Luna. Quanto Sol decreſcit, tanto Luna creſcit; minuitur Sol vſque ad diminutionem, & exinanitionem, creſcit Luna vſque ad plenitudinem. A ſolis ortu vſque ad occaſum videbis Deum abſcondentem ſe. Ideò à ſolis ortu ad occaſum laudabile nomen Domini. Celat ſe in humanitate Diuinitas, vt Luna Eccleſia plus luceat; celat ergo ſe in humanitate, & morte Sol Chriſtus, vt ex abſconſione ſua, Eccleſia plus fulgeat.

D. Cyrill. *Per Solis diuini decrementa, noua accipit Luna Eccleſia lucis iperementa.*

Citiſſima Dauidis fuga à mundo. Arnobius.

6. Redeo ad ſpeluncam Engaddi, & latibulum Dauid, eámque rurſus illuſtrat Africanus Arnobius in Pſalm. 56. vbi in titulo legit: *A facie Saul Regis.* Quaſi denotat à mundo fugam citiſſimam, à facie Dæmonis, qui regnat ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Cùm fugeris* (inquit Arnobius) *à facie Principis huius mundi perſequentis te, ſicut Saul perſequebatur David, ſpeluncam pete, id eſt, ita te cõſtitue, vt ab inimico tuo inueniri non poſſis, & tu quidem inimicum tuũ inter manus habeas, ille verò te nec videat. Hoc enim eueniet, ſi ex toto corde dicas Deo, & in vmbra alarum tuarum ſpero, donec tranſeat iniquitas, & clames ad Deum altiſſimum; ipſe mittit de cœlo; & liberat te, & dat in opprobrium conculcatos te.* Ille Solus conculcat Tartara, & debellat aëreas poteſtates, qui ſolus nouit abſcondere ſeſe à conſpectu mundi. Felix qui tale latibulum quærit, plus æſtimans cum Saluatore in ſpelunca viuere, quàm in præclaris Regum domiciliis.

Iuſtus inter alas Domini abſconditur, & protegitur.

Discvrsvs IV.

Verbum Patris inter belluas exoritur, vt hominum ſtoliditatem ferarum ritu viuentium oſtenderet.

Magna Domini familiaritas cum belluis.

1. QVANTA Dei familiaritas cum iumentis! ille cui adſtant Angelorum chori, & Seraphinorum famulatus à dextris, & à ſiniſtris obſecundat; nunc in Regio præſepis throno teſtes ſuæ Natiuitatis adhibet belluas, ſacramentorum conſcias; ſed cur tantus Dei cum feris amor? Niſi quia homines vitiorum affectibus quaſi à natura extorres, in belluinam formam, degeneri conditione, & vilitate tranſierant. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Conuerſatur cum belluis, vt eas alliciat. Eſuriit Petrus in domo coriarij, & in ecſtaſin raptus; cœna ei paratur ab Angelis, & à cœlorum penuaria cella portantur alimenta. Actorum cap. 10. 11. *Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli.* Quàm vilia, & inſipida alimenta, quæ iure abhorret natura, Eccleſiæ Principi Petro, & Apoſtolorum apici extranea! durior eſt Angelus Petro, quàm Eliæ coruus; iſte panem portat, ille ſerpentem; paruulus Petrus petit panem, & Dominus porrigit ſcorpionem? Mitior cum Iudaico, & ingrato populo Angelorum natura, dum manna de cœlo impluit: porrigite Angelicum cibum, mellitum panem, fartóſque turtures, ſeſamum, aut ſaccharum, Hyblæos, aut Samſonis fauos. Hæc non ſunt iſtius paraturæ, aut menſæ cibaria. Sed quæ? Aſinus, leo, lupus, bos, ſerpens aquila, coruus. Hæc ſunt cibaria è cœlo delapſa, ea Angeli ſubminiſtrant. Sed quorſum iſta? Reſpondet ſanctus Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. *In illis generibus quadrupedum, & ferarum, & volucrum, figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum modo beſtialem videtur induta ſæuitiam, niſi Spiritus ſanctificatione miteſcat.* Accingitur Petrus, vt gentium animos inſtitutis diuinæ legis informet, quadrupedum cibos manus Angelorum porrigunt, vt ſciat per peccatum, animalium formam homines induiſſe.

Petri eſurientis ecſtaſis, & mẽſa plena animantium ſerpentis.

Homo in belluam moribus degenerauerat.

2. Obſcura ſententia in Oſeæ loco reperitur cap. 4. verſ. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Nunquid latrones fornicatio, & ebrietas? Vtique domum animæ perfodiunt, & furantur cor hominis, & in ea collocant cor belluæ. Septuaginta legunt: *Fornicationum, & vinum, & ebrietatem ſuſcepit cor populi mei.* Furibus aperuit ianuam, & tanquam amicos ſuſcepit incautus, direptio domus facta eſt, & ſublatus pectoris theſaurus. Verborum emphaſim agnouit ſanctus Hieronymus in commentario, quaſi diceret, cor humanum ablatum eſt ab homine, & ſubſtitutum cor belluinum. Accipe illius verba: *Emphaticus autem legendum, fornicatio, & vinum, & ebrietas aufert cor, ſicut enim vinum, ebrietas, eum, qui biberit, mentis ſuæ impotem facit, ita & fornicatio, ac voluptas peruertit ſenſum, animumque debilitat, & de rationali homine, brutum efficit animal: vt ganeas, & lupanaria, & libidinum luſtra ſectetur, cumque ita cor loco ſuo motum fuerit, ligna, & lapides Deos putat, & adorat opera manuum ſuarum.* Æquo iure nuncupat impuras, & immanes belluas, homines, vini, & libidinis ardoribus, & furoribus inflammatos; vbi æſtuante ebrietatis, & voluptatum mari, obruitur animus, luménque rationis ſepultum iacet, viget animalis ſenſus, & in nefaria, & truculenta ſcelera præceps ruit.

Fornicatio, & ebrietas cor belluinum ingenerant. Lect. LXX.

D. Hieron.

3. Vaſtam, & tetram belluam tibi demonſtrabit Daniel cap. 4. verſ. 13. ſcilicet Babylonis Regem Nabuchodonoſorem, de quo ſacer textus: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Et verſ. 22. *Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes.* Vera Metamorphoſis diuinâ virtute operata, cùm à Regali gloria decidens, propter ſuperbiam, & ferinam crudelitatem in belluam transformatus, non in feram ſubſtantialiter mutatus, ſed per immutationem phantaſiæ, dum ſibi bellua eſſe videbatur, exterior etiam oris, & corporis habitus ferus, & horridus apparuit, dum ab humano commercio fit exul, belluæ non refugiunt illius conſortium. Quamobrem ſubditur cap. 5. verſ. 20. *Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio Regni ſui, & gloria eius ablata eſt. Et à filiis hominum eiectus eſt, ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, &*

Nabuchodonoſoris immutatio in feram.

cum

cum onagris erat habitatio eius, fœnum quoque, vt bos comedebat. Quàm æquum ſupplicium, vt qui ferinâ rabie in homines inſaniebat, cum feris habeat conuictum; qui cœli lumina tentare auſus, & cor per elationem vſque ad paradiſum Dei extulit, qui thronum, & ſedile inter cœlites collocare tentauerat; comparetur iumentis inſipientibus, & pronus in terram inter aſinos comedat fœnum. Hanc mirabilem transformationem depingit ſanctus Pacianus libro de pœnitentia: *Leonum in illo iubas impexa cæſaries, & barbarum horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur: cum fœnum in morem bouis ederet, pallentium ruminator herbarum.* Vidiſti malam Dæmonis, & peccati tractationem, in leoninam, & bouinam formam hominem transmutantis? Leo erat Nabuchodonoſor, dum elatione inſanit, & ad ſuperos effertur, aquila dum violenter aliena rapit; Bos dum in ſubditos tremebundo rugitu immugit, eoſque cornu petit. Quot ſcelera admiſit, tot belluarum ſpecies, & formas expreſſit.

D. Pacian. *Diuerſarum animantium ſpeciem Rex Babylonis induit, vt diuerſa flagitia exprimeret.*

4. Dum natiuitatem, & creationem hominis in Geneſi lego, lamentatione, & lacrymis proſequendam iudico ablatam ab hominibus gloriam. cap.1.verſ.26. *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Et immediatè ſubiicit verba ſequentia: *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum*: Miror tam citò immutatam ſacri textus ſententiam; poſſet quiſpiam aut ſcriptorem ſacrum mendacij, aut Deum infidelitatis arguere. Duo promiſerat Creator donanda primi plaſmatis animo, & imaginem, & ſimilitudinem; creato homine, Moyſes ſilentio premit ſimilitudinem, at imaginem ſolum repetit. Nunquid Deus promiſſum remordet? Et qui munificus in largienda imagine, in deneganda ſimilitudine illiberalis oſtenditur? O quanta nitet in Moyſe ſapientia, in ſacris ſuorum librorum monumentis poſteritati reliquit, quot virtutum, & gratiæ ornamentis condecoratus fuerat homo ante peccatum; quot inſignia, & decora cœleſtia poſt peccati ruinam amiſerat. Ante peccatum imago, & ſimilitudo Dei in eo reluxit, poſt peccatum retinuit imaginem, obſcurata eſt ſimilitudo. Acutè præſentem quæſtionem excitat, & diſſoluit Rupertus lib.2. in Geneſin cap.6. dicens: *Quidnam hoc eſt, quod ſcriptor iſte cum retuliſſet, Deum dixiſſe! faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ſubſequutus, vnum ex duobus omiſit, dicendo: & creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum? Nunquid caſu vel obliuione, tam magna parte conditionem hominis in ſuo ſermone diminuit, quam in Dei dictione tam nobiliter vtraque parte extulit?* Nodos difficultatis ibidem diſcutit: *Scienter quid Deus intendiſſet, in verbis eius expreſſit, & quid accidiſſet, prudenter in ſuo ſermone ſeruauit. Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem facere intenderat, cum autem hoc iſte ſcriberet, homo per peccatum, Dei ſimilitudinem amiſerat.* Qui poſt peccatum ſimilis factus fuerat iumentis inſipientibus, Pſalm.48. æquum non eſt vt diuinæ ſimilitudinis dignitate decoretur.

Cur in homine creato ad imaginem, & ſimilitudinē Dei, imago exprimitur à Moyſe, ſimilitudo ſilentio premitur.

Rupert. *Homo per peccatū, Dei ſimilitudinē perdidit.*

5. Lamentatur felicitatem amiſſam ſanctus Bernardus ſerm. *Ecce nos reliquimus omnia*, ibi fatur: *Comparatum iumentis quis dubitet hominem, niſi quod ipſis iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur, quod iuga neceſſitatis earum, propria ipſe ſubeat voluntate; quod enim illis natura eſt, huic culpa: dum tanquam vnum ex his, quæ ratione carent, ſine ratione degens, & ipſe ſimiliter, ſub corporeis ſenſibus incarnatur.* Miror homines in brutorum degeneraſſe naturam, ſtupeo homines diuinitatem iumentis tribuentes, & tanquam cœleſtia numina adorantes.

D. Bern. *Homo cum iumentis cōparatur.*

6. Hoc maximum flagitium exprobrat infidelibus Tertullianus lib. apolog. contra gentes cap.16. cùm gentes hoc ſcelus Chriſtianis impingerent, quod aſininum caput venerarentur; impium mendacium, & confictam accuſationem in eos acriter intorquet dicens: *Hoc prius capite, & omnem hinc ſacramenti noſtri ordinem haurire, repercuſſis antè tamen opinionibus falſis; non vt quidam ſomniaſtis, caput aſininum eſſe Deum noſtrum.* Et ad finem ſubdit: *Vos tamen non negabitis, & iumenta omnia, & totos cantherios cum ſua Hippona coli à vobis. Hoc forſitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum, beſtiarumque, aſinarij tantum ſumus.* Vltima verba expendit Minutius apud Pamellium Tertulliani ſcholiaſtem: *Niſi quod vos, & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Hippona* (ſtabulorum Dea) *conſecratis, eoſdem aſinos cum Iſide religioſè decoratis.* Quid ſtultius, quid inſipientius? quàm hominem cœlo, & Deo creatum, aſinino, aut vitulino capiti, diuinum cultum exhibere. Ideò Emmanuel inter belluas exoritur, vt ſeſe Deum, & Dominum hominum, & iumentorum oſtenderet.

Gentes fictum crimen [illegible] impingebant [illegible]. Tertull.

Gentes iumenta omnia colebant.

Minut. Pamell.

7. Inueſtigat Heſychius cauſam ortus Ieſu in ſtabulo, & præſepi: Et acutè ſoluit quæſitum orat.2. de laudibus Mariæ: *Libens* (inquit) *reconditur in præſepi, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, id eſt ſermonem, & rationem in in præſepi conſtituant: vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* Immanitate feras ſuperabat homo, in operationibus ſuis exuerat mentis conſilium, & tanquam rationis expers indomitis cupiditatibus fræna laxabat: venit Ieſus Verbum, & logos ad præſepium, vt ferinus homo rationem hauriat, mentémque recipiat. Erat *logion* antiquitus apud priſcos ſacerdotes legis antiquæ in pectore. Exodi cap.28. *Facies & rationale.* Græcè eſt λογεῖον: innuebatque rationem illam æternam à Patre genitam, in qua condita ſunt omnia, vt explanat Philo Iudæus lib. de vita Moyſi 3. erat tunc ſacerdotali pectori appenſa ratio, & Verbum ornatum Angelorum choris, aut duodecim tribuum magnalibus, quæ pretioſi lapides innuebant: at in præſepi pro ornamento, & gemmis circundatur fœno, & paleis, belluiſque cingitur; vt homines iumentorum inſtar viuentes, depoſitis ferinis moribus, iuxta præſcriptum mentis, & rationis, viuant ſpiritu, & virtutis laude.

Heſych. *Ieſus in ſtabulo oritur, & in præſepio reconditur, vt pecuini homines inueniant Verbum, & rationem.*

Lect. Græca. *Rationale Aaron ſignatur gemmis, & tribuum magnalibus, at Patris logion cingitur paleis, & belluis.* Philo Iud.

8. Quantùm degenerauerit homo per peccatum à regia virtutis dignitate perpendit ſanctus Chryſoſtomus ſerm. 9. de Aſcenſione, qui habetur inter opera ſancti Gregorij Thaumaturgi, in lucem editus à Gerardo Voſſio: examinat os aureum Pſalmographi ſententiam ex carmine 48. verſ.13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Et hæc verba annectit: *Dum audieris quod ſimilis factus eſt rationis expertibus, ne arbitreris hoc dicere, vt oſtendat homines eſſe belluis pares, ſed illis peiores oſtendere voluiſſe. Etenim rationis expertibus euaſimus peiores, & inſulſiores. Non quod vt homines illuc delapſi ſimus, at quod etiam ad maiorem ingratitudinem groſſilierimus. Et hoc patefaciens Iſaias dicebat: cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* Hæc ille.

Homo à ſua dignitate degenerauit. D. Chryſoſt. D. Gregor. Thaum. Gerard. Voſſ.

Homines peiores belluis.

DISCVR

DISCVRSVS V.

Paruulus quaſi Deificus Amphion feras cantu demulcet, eáſque in humanam, & cæleſtem vitam transfert.

1. ENERVM infantem auxiliaribus copiis deſtitutum in ſpecu, & præſepi, artifici manu amor depoſuit, vt lacrymis, vagitibus indomitos ferarum animos deliniret; quas belluas effrænes, & immanes, faſciæ, & ligaturæ brachiorum Ieſu, quaſi catenarum nexui non conſtringunt? Quos compedes, aut ferreas manicas non iniiciunt pedibus animalium inſipientium ſacri panni, quibus infans inuolnitur? Ad conſpectum Domini ferociſſima animalia manſueſcunt; præſepe, ſpecus, cœleſtium, & diuinarum transformationum ſacra ſchola, & officina eſt; vileſcunt à prophanis vatibus confictæ metamorphoſes, ſi cum veris, mirandiſque Ieſu tranſmutationibus conferas. Pſalmographus Pſal. 44. hunc titulum affixit: *Pro iis, qui commutabuntur, canticum pro dilecto.* Carmen nuptiale dedicat dilecto, ſeu amantiſſimo ſponſo Ieſu, pro tranſmutationibus ab ipſo factis, Ad noſtrum inſtitutum mirè explanat Venerabilis Beda: *Titulus ſic eſt conſtruendus, canticum iſtud cantatum pro dilecto, id eſt ad honorem, & laudem ſponſi ſpecialiter dilecti, propoſitum filiis Core pro iis, qui commutabuntur, id eſt, cauſa commutationis facta in ſe ipſis, ad intellectum, ſcilicet vt intelligant, & ſe commutatos, & commutationem eſſe non ex ſe, vel aliunde, ſed per dilectum.* Omnium tranſmutationum auctor eſt Ieſus, carmen itaque transformationum à Regio Pſalte dilectiſſimo dedicatur.

Præſepe Domini cœleſtiũ trãſformationũ theatrum

Carmen pro iis qui commutantur.

Beda.

Ieſus dilectus homines immutat.

2. Placet videre mirabiles metamorphoſes à Ieſu operatas? Audi ſanctum Auguſtinum in hunc Pſalmum: *Exponam quid ſit, pro iis, qui commutabuntur; hoc omnis mutatus agnoſcit. Videat, quid erat, & quid nunc ſit; & primò ipſum mundum videas commutatum, nuper adorantem idola, modò adorantem Deum, nuper ſeruientem iis, quæ fecit, modò ei à quo factus eſt. Vnuſquiſque noſtrum ex vetere homine in nouum mutatur. Ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, caſtus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis pro iis, qui commutabuntur, & ſic incipiat deſcribi, per quem commutati ſunt.* Hæc Auguſtinus. Gratiſſimum carmen occinis Chriſto, vitiorum acie detriumphatâ, ſi in meliorem vitam te ſenſeris immutatum. Denone hymnum transformatori, qui te de tenebris in admirabile lumen tranſtulit; hoc cantico blanditur puer, ſiſtuntur lacrymæ.

D. Auguſt.
Hominũ mutationes à Ieſu operatæ.

3. Iobi artem, & ingenium, aliquando in examen vocat Deus cap. 39. verſ. 9. *Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?* Ferox, & indomitum animal Rhinoceros, vel cum limato cornu præparat ſe pugnæ, & quaſi inuicto, & euaginato gladio animantia petit, aut cum ſagittas, & venabula deſpicit, pedicas, & laqueos dirumpit intrepidus, ſpumans, & rugiens, celerem intendit curſum in tendiculatum, aut vulnerum auctorem, nunquid vires, & induſtria tibi ſuppetunt ô Iob, vt rete intereeptum capias, manſuetum, & placatum, deducas oneris amicum bajulatorem in ſtabulum, vt eodem, quo aſinus, & bos ſaginetur pabulo? Imbecilliores ſunt tantæ victoriæ hominis vires, Soli Deo in præſepio recumbenti ſeruatur Rhinocerötis domiti triumphus; cum deſcribit ſanctus Hieronymus in hæc verba Iob, ſcribo ſua: *Hic igitur Rhinoceros, ſeu Vnicornis, populi gentilis imaginem præfigurat, cuius etiam ſuperbia ſignificatur in cornu. Hic monoceros, qui per ſapientiam mundialem, tumore ſuperbiæ erat in ſublime porrectus, ſubiicietur, vt per fidem in ſanctitate, & iuſtitia ſeruiens, obedientiæ colla ſubmittat, & manſuetus effectus atque humilis, ad Dominicum præſepe recurrat: ac verbis Dei, hominiſque aſſumpti ſacris cibariis ſaturetur.* Quid illuſtrius? Non miror Imperatorum reportatas de hoſtibus victorias, ſubiugata colla: prorſus ſtupeo manſuefactas, & excultas bellnas vnicornium, ſeu barbaras gentes ſub iugo Chriſti ceruicem ſubmittere, aureis charitatis deuinctas nexibus, ad præſepe Domini alimentum vitæ prandentes.

Rhinocerotis induſtria, & robur.

D. Hieron.
Vnicornis, hoc eſt, gentilis, manſuefactus, ad Domini præſepe currit.

4. De ſacræ arcæ inuentione felici gratulatur Dauid humano generi Pſalm. 131. verſ. 6. *Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis ſyluæ.* Aſcendit tamen Pſaltes vaticinij concentu ad myſterij ſpeculationem, & natum Ieſum in ſpelunca Bethleemica intuetur, & de inuenta arca corporis Domini exultat. De Bethleem, in qua natus eſt Dominus Theodoretus verba expendit: *Ephrata illa (inquit) quæ nunc appellatur Bethleem nominabatur: ibi enim Dominus Chriſtus ortus eſt.* Sed cur Bethleem, & ſpecus in quo natus eſt Dominus *campus ſyluæ*, vocitatur? Quia frondoſus mons, & nemoroſa conuallis ſolet eſſe latibulum beſtiarum, rugitibus, & gemitibus ferarum inhorreſcens. At ciuitas Bethleemitica deliciarum hortus, & paradiſus Domini extitit, in quo non ſentuoſi frutices, ſed lignum vitæ pullulat; nec exaudiuntur mugitus frementium beſtiarum, ſed concentus Angelorum: cur ergo Vates campi ſyluam nuncupat? Circumſpexit Dominus orbem, & immanes belluas homines inuenit, at dum accurrunt ad Ephrateam ſyluam, in qua exortus eſt hominum eruditor, & morum formator, omni feritate depoſitâ, in cœleſtem, & Angelicam vitam migrant. Grauiter, & acutè ſanctus Ambroſius inquit lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. exponens, quæ ſit iſta ſylua: *Illa ſylua, ad quam Paulus lupus quidem raptor intrauit, ſed paſtor exiuit. Eramus ergo feræ, & ideò dicit Dominus: attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt in veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Sed per Spiritum ſanctum iam leonum ſæuitia, pardorum varietas, aſtutia vulpium, luporum rapacitas de noſtris exoleuit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutauit, vt conuerſatio noſtra, ſicut Apoſtolus dixit, in cœlis ſit, qui antè ſicut feræ errabamus in ſyluis.* Hunc ſpiritum, hanc gratiam terris inuexit Dominus, vt eſſet in iis conuerſatio cœleſtis, apud homines, qui moribus ſuis non diſcrepabant à bellnis. Nato Domino exulauit ab hominum pectoribus ferina crudelitas, leonis furor, luporum voracitas, vulpis vafricies, quæ inoleuerant humanis affectibus, Saluatoris exortu abrogata ſunt, abiectiſque vitiorum formis, beſtiarum laruis, virtutum ornamenta congerunt, & vitam viuunt Angelicam; harum transformationum amphitheatrum, Ephrata, & campus ſyluæ Bethleemiticæ conſtitutum eſt.

De Ieſu inuento in ſpecu Bethleẽ gratulatur. Dauid humano generi.

Theodoret.

Cur Bethleẽ campus ſyluæ, vocatur.

D. Ambr.
Ieſus homines ferarum ritu viuentes in cælites tranſmutauit.

5. Operoſæ virtutis Ieſus incrementa ſubſtituo, dum fictas, & commenritias fabulas narro. Amphionem, & Orpheum ad miraculum cantitaſſe ſuper

ſuperſtitioſa gentium prodidit vetuſtas, vt refert Clemens Alexādrinus in exhortatione ad gentes, inquiens: *Amphion Thebanus, Thracius autem alius Sophiſta ſolo cātu feras reddebat manſuetas, quin etiam cæteras arbores, & fagos ſuis locis motas, muſica tranſplantabat.* Quæ omnia figmenta Clemens ad ſpiritualem Amphionem, & cœleſtem Orpheum Chriſtum ſapiēter tranſtulit, ferarumque naturas, quæ ad auſcultationē cantilenæ confluxerant, cum vitiorum mōſtris comparat: *Volucres eos qui ex ipſis ſunt leues, ſerpentes eos qui deceptores; leones eos, qui ſunt animoſi, & ad iram concitati: Sues eos, qui ſunt voluptati dediti; lupos eos, qui ſunt rapaces; lapides, & ligna ſunt inſipientes.* Poſtea de transformationibus Ieſu, ex his feris in homines cœleſtis, hæc aurea verba ſubiicit: *Meus cantor ad ſuaue, & benignum Religionis, & pietatis in Deum iugum nos traducens, in cœlum rurſus euocat, eos, qui humi ſunt abiecti. Solus quidem certè ex iis, qui vnquam fuerunt difficillimas feras homines manſuefecit. Has ergo omnes immaniſſimas feras, & tales lapides, ipſe cœleſtis cantus in manſuetos homines transformauit.* Ante aduentum Chriſti, idololatriæ confuſa barbaries, & vitiorum colluuies homines inundauerat, dum ij animantia, reptilia, quadrupedia, volatilia, ligna, & lapides diuina credunt numina, bruteſcentium ferarum teguntur formis, moribus; at poſtquam Verbum caro factum eſt, & nouus cantor in præſepio iacuit; poſtquam Angelica turba nouum canticum occinit, Gloria in excelſis Deo, diuinus Amphion immanes belluas in manſuetiſſimos, & cœleſtes homines transformauit.

Clem. Alexand. Amphionis Cantici trāſformationes fabuloſæ.

Ferarum ingenia hominū mores repræſentant.

Clem. Alex. Ieſu Canticū veras operatur tranſmutationes.

6. Virtutis Noë generis humani Protoparentis ſecundi egregius admirator eſt Chryſoſtomus, cùm eum contemplatur in abſcondito arcæ deliteſcentem, tot dierum curriculo commorantem, & conuiuantem inter immanes belluas; erat etenim in illo ligneo antro, & diuerſorio, leonis, vrſi, lupi, ſerpentis, draconis ſtipatus ſodalitio. Hæc ſunt oris aurei verba; in illam Geneſis cap. 7. ſententiam, verſ. 16. *Et incluſit eum Dominus deforis,* homil. 25. *Ego autem ſupra omnia virtutem iuſti admiror, Dominique bonitatem, & ineffabilem miſericordiam, quando conſidero, quomodo potuerit verſari in medio beſtiarum, leonum dico, & pardorum, & aliarum immitium ferarum.* Magna ſuſtinentia iuſti, tolerantis ſtabuli fœtorem, immanium belluarum contubernium; hæc tamen detrimenta, & conuictus incommoditatem temperabat animantium manſuetudo, & lenitas; nam in illud luſtrum introductæ beſtiæ, cicuratæ ſunt, & vnaquæque gaudebat alterius conuictu, & commercio. Subiungit de Noë Chryſoſtomus: *Virtus namque iuſti diuinâ miſericordiâ adiuta, priſtinum reparauit dominium, a naturàntque beſtiæ iterum ſubiectionem. Cùm enim illæ viderunt iuſtum, obliuiſcuntur naturæ ſuæ: imò non naturæ, ſed ferociæ, & naturalem ſuam ferociam in manſuetudinem conuertunt.* Quid mirum ſi ex Ieſu ſodalitio, & conſpectu in arca Bethleemitica clauſi; depoſitis ferinis moribus, homines manſueſcant?

Noë virtus eum feris commorantis.
D. Chryſoſt.

D. Chryſoſt. Noë virtus belluas manſuefecit.

7. Melius quàm ad primum, vniuerſa animantia terræ, & vniuerſa volatilia cœli cicurata detulit Deus ad Adam ſecundum, & cœleſtem. Mentior niſi ſacra Bethleem ſpelunca, nobilior eſt Noë arca; Eccleſiam ſuam Antiochenam comparat cum arca Chryſoſtomus, tom. 5. homil. 3. de pœnit. dicens: *Quare iam non peccauerit, qui arcam Eccleſiam maiorem eſſe conteſſerit, arca quidem animalia ſuſcepit, & animalia conſeruauit. Eccleſia verò animalia ſuſcipiens, eadem transformauit, vt puta, accipiter illuc introiuit, & accipiter exiuit. Introiuit hic quis accipiter, & columba exit; introiuit lupus, & ouis egreditur, non tranſmutatâ naturâ, ſed malitia excluſa.* Non peccat, qui ſpecum Chriſti natalitiis deſtinatum Eccleſiam maiorem eſſe autumat; hic videre eſt mirandas brutorum transformationes; non excluſâ naturâ, ſed depoſitis beſtiarum moribus. In hoc animalium receptaculo, introeunt belluæ, exeunt homines in Angelos transformati, leo in agnum, accipiter in columbam, lupus in ouem, lapides in filios Abrahæ tranſmutantur.

D. Chryſoſt. Eccleſia eſt nobilior arca Noë, quæ animantia immutat.

DISCVRSVS VI.

Humanum ſcelus ingratitudinis promulgant, & iniiciunt turpem hominibus pudorem belluæ, dum virtutem odorantes venerantur, & diuini cultus primitias delibant.

1. ADMOVIT Deus ad menſam ſuam feras, & in proprium admiſit contubernium, vt pudore afficeret homines, dum illæ beneficium, manſuetudine, beneuolentia, & benefactis compenſant; cumque ſanctimoniæ odoramenta præſentiſcunt, aut venerabundæ ſe abiiciunt ad pedes ſanctorum, aut reuerentiæ exhibent ſigna. Homines verò Iudæi, quorum villæ Bethleemiticæ amicior factus, & huic omni ſolo, ille Deus Optimus Maximus, cuius nutu orbis terrarum gubernatur; illum ipſum deſpiciunt, non meritam gratiam memori mente perſoluunt, nec beneficiâ accepta meminerunt ingrati: *Interrogate iumenta, & docebunt vos.* Iob cap. 12. verſ. 7. Et pudore replebunt. Suſceperunt feræ fame enectæ Danielem velut amicum, & ſocium, nec tanquam oſſam inuadunt, dilaniant, devorant; ſed poſitâ leoninâ feritate velut oues, & agniculi blandiuntur. Daniel cap. 14. verſ. 12. *Miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. Porrò in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duo oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem.* Et verſ. 39. *Venit ergo Rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonum.* Quis tabidâ fame incitatas belluas cohibuit? quis concluſit ora leonum, ne præſentem diſcerperent cibum? quis pro lamenâ dedit Danieli cuſtodiam? in lacu quaſi in culcitra impauidus recumbit, inter leones velut corporis fidos cuſtodes; odorati ſunt inuicti leones, vel ieiunij, vel virginitatis odorem efflans corpus, quaſi opus pigmentarij redolens innocentiam, ſanctitatem; intactum ſeruant, & reddunt Domino diues, & cœleſte depoſitum. Non miror ſeruaſſe, demiror exteriori cultu leones Danielem veneratos. Audi Chryſoſtomum homil. 1. de pœnitentia: *Nihil agreſtius illis beſtiis, & fame velut carnifice quodam intrinſecus vrgente, neque ipſa Prophetæ femora diſcerperent, clamante, cibum venerati ſunt.* Appropinquantem gulæ cibum leones non mandunt, ſed colunt, non vnguibus dilacerant, ſed venerantur, vel caudâ adulantes, vel linguis lambentes, vel poplitibus flexis adorantes. Iamque lacus ille, & leonum ſtabulum erat velut Eccleſia, dum Daniel plenus Deo, Deum precatur,

Feræ, virtute, & ſanctimoniam præſentiſcunt.

Daniel in lacum leonum miſſus.

Cur non attingunt Danielem belluæ fame tabeſcentes.

D. Chryſoſt. Leones cibum venerantur.

In Daniele à leonibus cultibus Euchariſtia veneratus adumbrabatur.

precatur, ipſúmque viuum Dei templum, tanquam diuinum ſimulacrum,& in ſeruo Dominum leones venerantur. Forſan in Daniele,qui expreſſa Chriſti extitit imago, Euchariſticas epulas, aut præſepis paſtum odorati ſunt leones. Et beneficio non ingrati procidentes myſticum oſculantur cibum, *Cibum venerati ſunt.*

Diui Cuthberti Benedictini contemplatio. Beda.

2. Miraculoſam,& ſtupendam lenitatem ferarum erga ſanctum Cuthbertum Epiſcopum refert Venerabilis Beda in eius vita cap. 10. Orabat Dei ſeruus aquis maris immerſus,inter reciprocos fluctus,& alternantes vndas in diuina rapiebatur integra nocte, cum lux auroræ è ſublimi erumperet, exibat ad littus,precéſque fundebat; *Quod cum ageret* (inquit S.Beda) *venere continuò de profundo mari quadrupedia, quæ vulgo Luthræ vocantur; hæc ante illum ſtrata in arena, anhelitu ſuo pedes eius fouere cœperunt, ac villo ſatagebant extergere: completóque miniſterio, perceptâ ab eo benedictione, patrias ſunt relapſa ſub vndas.* Vidiſti religioſiorem cultum beſtiarum ergà hominem, dum anhelitu ſuo pedes fouent, villo ſeu piloſa cute extergunt? Quid mirum ſi æqualia naturæ blandimenta erga Dominum in præſepio recumbentem animantia demonſtrarunt,vt pudore ſuffunderetur homo; hunc alloquitur Chryſologus ſerm. 141. fine: *Tu homo, ſi non mox cum Angelis, agnoſce, vel tardiſſimè cum iumentis; ne dum miraris, ipſis iumentis, quibus ante comparatus fueras, poſtponaris. Ecce iumenta adulantur caudis,blandiuntur auribus,linguis lambunt, & motu quo poſſunt, auctorem ſuum fatentur contra naturam, in tuam veniſſe naturam.* O beatas belluas Solis iuſtitiæ fulgoribus illuminatas,diuini partus conſcias, & teſtes mirabilis Sacramenti fideles; ad præſentiam Creatoris exultant, Deitatem præſentiunt, religioſos pietatis motus præferunt, rationalem ſine ratione cultum exhibent præſepis pabulo, dum adulantur caudis, dum blandiuntur auribus,dum linguis tenellum infantem, aut pannos lambunt, dum frigore rigeſcentem confouent; dum hiante ore apertis naribus vitalem anhelitum ſuper ipſum exhalant; vt calefiat calor, vita, fons Solis,ex quo vitalem halitum iumenta mutuabant. Præuenirunt adorationem belluæ, & ante Iudæorum, & gentium populum, primitias venerationis prælibarunt.

Cuthbertum venerantur, & conſequens marinę belluę.

D.Chryſol.

Animantiū blandimenta, & obſequia præſtita puero Ieſu in præſepio recumbenti.

Si Iudæus cerneret in præſepio Vitulinum aut aſininū caput, forſan adoraret. Tertull. Cornel.

3. Sed cur Iudæe non adoras familiarem, & conſanguineum Deum? Quia vides hominem? Audeo dicere vitulinum,aut aſininum caput adorares, ſi in præſepi cerneres. De Iudaica aſinini capitis adoratione non inficior transferre Tertulliani verba in apolog. aduerſus gentes cap. 16. ex Cornelio Tacito mutuata:inquit Tertullianus: *Iudæos refert* (Cornelius) *Ægypto expeditos, ſiue vt putauit extorres, in vaſtis Arabiæ locis aquarum egentiſſimis, cum ſiti macerarentur, onagris, qui forte de paſtu potum petituri æſtimabantur, indicibus, fontibus vſos, ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe.* Falſa ſint iſta, vera ſint iſta, Iudæum non afficies contumeliâ, ſi aſini adoratorem nuncupes; qui vitulum, & Ægypti animantia coluit vt diuina numina, vt prænotatum eſt in commentario,& Iſaia teſte,adorauit talpas,& veſpertiliones, non mireris aſinum adoraſſe. Telum aliud Tertulliani efficax, & acutum mordaci pluteo illitum in Marcionem, veram Chriſti carnem negantem, phantaſticam concedentem, eiaculatum; ſine ſcrupulo in Iudæos intorqueo; ô ſi aculeus iſte eorum animos ſtimulet,ac pungat. Sic fatur Tertullianus lib.de carne Chriſti cap. 4. *Si re vera de lupa,aut ſue,aut vacca prodire voluiſſet, aut feræ, aut pecoris corpore indutus Regnum cœlorum prædicaret, tua opinor illi cenſura præſcriberet.* Induat Deus pellem leonis, vituli, ſerpentis,aut pecoris, & dabo Iudæum adoratorem, tanta eſt illius dementia, dum Deum hominem, & puerum videt, contemnit; quem feræ lubenter adorant, Iudæus adorare renuit.

Tertull.

4. Eos,qui ſunt in parentes, & Deum ingrati ſic allóquitur Philo Iudæus, ſermocinetur cũ Iudæis Iudæus libro de decalogo: *Qui nec pietatem,ſanctitatémque ſuſpiciunt, qui parentes ſuos negligunt, eos ſic libet alloqui: feræ debent cicurari ab hominibus, & licet nonnunquam videre manſuetos leones, vrſos, pardos blandientes non ſolum cibum præbentibus, ſed alijs etiam, opinor, quia vident illos illis ſimiles; decet enim deteriorem ſectatorem eſſe potioris in ſpem profectus futuri. Nunc cogor contrarium dicere, vos cum homines ſitis, quaſdam feras imitamini. Illæ pro accepto beneficio norunt gratiam repouere. Canes domos cuſtodiunt, & cadunt pugnando pro Dominis circumuentis aliquo repentino periculo, alij gregibus ſeruandis adhibiti vſque ad mortem decertant pro ſalute pecorum, ne damnum accipiant pecuarij; & non fatebimur probrum eſſe longè turpiſſimum hominem gratus natum, gratitudine ſuperari a cane audaci, aſperaque beſtia.* Adde & ab aſino, & boue animalibus inſipientibus. Pondera verba illa: *blandientes non ſolum cibum præbentibus, ſed alijs etiam, quia ſimiles.* Tu ô Iudæe ſi non hominum iure, naturæ tamen propenſione ad gratificationem muneris accepti, quæ etiam in iumentis relucet, teneris adſtrictus, vt Deum in ſtabulo agnoſcas, vel quia homo, & tibi ſimilis; ſimilitudo etiam in brutis conciliat amorem; vel quia pabulum eſt, vel quia in deſerto quadraginta annis epulum è cœlo dilapſum præbuit.

Philo. Iud.

Ex animantium gratitudine, ingratitudo hominum taxatur.

5. Claudat hunc diſcurſum Habacuc Propheta ſuáque exhortatio ad Iudæos, & gentes facta, vt derelicto cultu Idolorum, & beſtiarum, vnum Deum venerentur, cap.2.verſ.19. *Væ qui dicit ligno: expergiſcere; ſurge, lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. Dominus autem in templo ſancto ſuo. Sileat a facie eius omnis terra.* Idola quadrupedum, & ſerpentium formis fabrefacta ex auro, & argento, non felicitatem, cum ſint infeliciſſima; non vitam, cum ſint inanima; non auxilium, & adiutorium, cum omni careant fortitudine, præbere poſſunt; adorate vnum Deum viuum, felicem adiutorem; adorent eum, homines, feræ; *Sileat à facie eius omnis terra.* Hebraicè *timeat.* Septuaginta: *vereatur.* Chaldæus; *conſumentur à facie eius vniuerſa idola.* A facie eius, qui in templo corporis ſui apparuit,vt ait Rupertus, Audi ſanctum Cyrillum Alexandrinum in Commentario; *Errore circumuentos meritò deplorat,qui vno, & verè,& natura Deo relicto, in perditionem præcipitent, ligno quidem acclamantes, expergiſcere, lapidi autem ſtultè, eluare. Solent enim ſeducti, ſi quis eos timor conſternauerit, tangere aras, aperire delubra, & idola animâ carentia compellare, miſeremini, ſaluate. Sed reuereatur à facie eius omnis terra. Quibus enim ſana mens, illi vnum naturâ, & verè Deum adorandum cenſent, cui,quiuis ſapiens cultum adhibebit: ei ſupplex erit: apud eum ſalutem quærat: ipſum opificem omnium Dominum Saluatorem, & Redemptorem, fortiſſimum, puriſſimum, naturas rerum, vt voluerit, interdum immutantem, & nutibus ſuis vniuerſitatem hanc gubernantem, conſitebitur.* Quem reuerentur belluæ, reuereantur homines, & cui

Relictis idolis, Homo Deum verū veneretur.

Lect. Hebr. LXX. Chald.

D. Cyril. Alexand.

& cui ſigna gratitudinis animantia exhibent, rependant gratitudinis ſigna homines.

DISCVRSVS VII.

De ſtabulo, & præſepi, in quo Deus iacuit, paradiſus pullulat.

1. ADHVC in ſtabulo, & inter ſtercora verſatur animus, de inuenta margarita, & theſauro, gaudio geſtiens; non nemus, non ſylua, non hortus irriguus talem frondem, tales flores protulit, ſurgit virginitatis roſa, candénſque lilium conuallium ſine fraude vernat; & de ſtercore paradiſus pullulat, nec iam ſtabulum fœtidum odorem exhalat, ſed florum ſuauitatem, paradiſi delicias. Chriſtus infans paradiſi reſtaurator eſt, ornamenta, quæ Adam amiſit, Ieſus recuperat. Quàm bellè ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. apolog. *Pro vnaquaque rerum noſtrarum, vnaquæque res eius, qui nobis ſublimior, eſt repenſa. Chriſtus propter Adamum. Idcirco generatio, & virgo, præſepium, & Bethleem. Generatio propter effictionem, Virgo propter mulierem, Bethleem propter Eden, præſepium propter paradiſum.* Quàm ſublimis, & conſpicua compenſatio: perdidit mundus Adamum, lucratus eſt Chriſtum; felix iactura, quæ Deitatis attulit lucrum; pro generatione terrena, effictionem, & regenerationem cœleſtem; pro Eua, Mariam; pro Bethleem, Eden, pro præſepio paradiſum Deus recompenſat.

...radi... aura...tor, & prima effictionis humanæ reformator.
D. Greg. Nazianz.

2. In Bethleem naſciturum Dominum Propheta Habacuc cecinit, organum linguæ à Spiritu ſancto motum concrepat, cap. 3. verſ. 8. *Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* De loco Natiuitatis Chriſti interpretatur Hieronymus. *Bethlehem ſita eſt ad Auſtrum in qua natus eſt Dominus, atque Saluator, & Dominus ab Auſtro veniet, hoc eſt naſcetur in Bethlehem, & inde conſurget.* Alia tranſlatio reperitur apud Septuaginta: *Et ſanctus de monte vmbroſo, & condenſo.* Quis mons vmbroſus, & condenſus? Addit Hieronymus: *Mons vmbroſus, & condenſus intelligitur paradiſus, & cœleſtia plena Angelis, plena virtutibus, plena arboribus vberrimis.* De paradiſo venit Dominus? Sed à quo ſumeret aduentus ſui exordium, cœlorum & Angelorum Rex niſi è cœlis, & Angelorum Regia; venit à Regalibus ſedibus, vt ſecum adduceret cœleſtia, venit è paradiſo, vt cœlicolas, & paradiſi delicias ſecum deferret.

Dominus in natiuitate venit de paradiſo.
D. Hieron.
Lect. L x x.

3. Sæpiſſime ſtupeo Iobum ad ſterquilinium declinaſſe, vt tegula ſaniem extergeret; defuit hoſpitanti in domo ſua pauperes, alicuius pauperis domuncula, aut tugurium? Cur eligit ſtercora pro domo, pro ſtragulo? Iob cap. 2. 8. *Teſtâ ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Reſpondet eleganter Chryſoſtomus de patientia Iob homil. 4. *Iob ſedet in ſtercore, expectat ſuſcitantem de terra inopem, & de ſtercore erigentem pauperem.* Expectat Ieſum, qui de præſepio in cœlum extolleret, & ſtercora in paradiſum conuerteret, ſubdit paulo inferius: *Sterquilinium ſuum omni regali diademate illuſtrius paradiſum feci.* Viua fidei ardebat igniculus in Iobi pectore, in ſtercore, & ſterquilinio videbat præſepium Saluatoris, intuebatur ſtabulum, ideò locum certaminis elegit ſterquilinium, & præclaris domicilijs prætulit, ſedebat quaſi

Cur Sol ſedet in ſterquilinio.
D. Chryſoſt.
D. Chryſoſt.

P. A. Luc. de Azeuedo in Iſaiam.

ſpectans remiſſionem peccatorum, vt mundaret Ieſus ſaniem delictorum, & demum vt ſterquilinium in paradiſum conuerteret.

4. In mundi naſcentis exordio querelas audio à muliere conflictas, apud Patrem mendacij, & hominum criminatorem Satanam: cum à muliere callidè quæreret cauſam interdicti ligni, reſpondit circumuenta Dæmonis fraudibus, Deum in reliquis munificum, & liberalem extitiſſe, in paradiſo parcum, & tenacem, cum metas appetitui poſuiſſe, lignum vnum ab humana exemptum poteſtate, ſibi ſoli quaſi auarum reſeruaſſe. Hic eſt ſenſus verborum Euæ cap. 3. Geneſis verſ. 3. *De fructu verò ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Mentita eſt iniquitas ſibi, cum lignum vitæ in paradiſi medio plantatum, licitum erat hominibus epulum. Acute in prædicta verba Rupertus ait lib. 3. in Geneſim cap. 5. *Mentita eſt; nam & lignum vitæ erat in medio paradiſi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo iam impatienter ferebat, & murmurabat, quod quaſi parcus, & auarus Deus, pretioſa medij paradiſi reſeruaret; vt viliora quæque per circuitum colligendo in cibum homini conceſſiſſet.* Iniuſtè conquereris Eua, te nimij appetitus libido mouit, vt talia verba in Deum iactares. Lignum vitæ tibi terra protulit, pretioſiſſimum, & pulcherrimum omnium tibi plantauit Deus, vt vitæ, & immortalitatis comederes alimoniam; conſuluit honori ſuo Deus dum naſcitur, nec pretioſa paradiſi cœleſtis ſibi reſeruauit. Quod eſt pretioſius in paradiſo Dei, niſi lignum vitæ, verbum Dei, germen Patris? In ſtabulo plantauit, in præſepio collocauit lignum tenerrimum, germen delectabile paradiſi Dei, vt Eden delicias, & optimum quod in paradiſo eſt, homini conferret.

Primæ fœminæ querelæ aduerſus Deum iactat.
Rupert.
Deus lignum vitæ non interdixit in paradiſo.

5. Cecinit Dauid Regi paruulo regnanti triumphale carmen. Pſalm. 96. *Dominus regnauit, exultet terra.* Pro Regis, & regni auſpicijs [illegible] exultationem totius orbis. Quæ ſit cauſa [illegible] & exultationis in Regno Chriſti [illegible] Chryſoſtomus tom. 1. in expoſitione [illegible] ibi inquit: *Iam non timeo, terra es, & in terram reuerteris. Nunc audio: Cœlum es, & in cœlum aſcendes. Dominus ergo regnauit, exultet terra. Non iam ſub terra iaceo, non iam in abſtruſis, & ſilentibus, tenebroſiſque Diaboli ſpecubus, & labyrinthis in inferno detineor. Meum eſt poſthac nubes tranſcendere, & propter regnantem Chriſti gratiam, ſurſum in cœlum currere.* Non dixit: exultet cœlum, exultent Angeli, exultet Abyſſus, exultent montes ſicut agni ouium; ſed exultet homo, quem terram vocat, quia de terra formatus, & maledictione multatus in terram reuertetur. Homini maxima, & potiſſima eſt cauſa lætitiæ, quia in Chriſti aduentu, per regnantem Chriſti miſericordiam, & gratiam, qui terra erat, iam cœlum eſt. *Ab abſtruſis*, vtor verbis Chryſoſtomi *ſilentibus, tenebroſiſque Diaboli ſpecubus*, liberatus; in ſpeluncam, & ſpecum Chriſti ingreditur, videt Deum regnantem, videt Regnum cœlorum ſecum detuliſſe. Subdit Chryſoſtomus. *Chriſtus vbi regnauit, paradiſus olim Adæ clauſus, apertus eſt.* Si paradiſus de præſepi aperitur, ibi paradiſus pullulat. Aperi Domine Ieſu paradiſi ianuam, ſi claudis, nemo eſt qui aperiat; ſi aperis, nemo eſt qui claudat, vt omnes mereamur comedere de ligno vitæ.

D. Chry[illegible]

Homo egreſſus à Diaboli ſpecubus Chriſti ſpeluncam ingreditur, & paradiſum nanciſcitur.
D. Chryſoſt.

DISCVRSVS VIII.

Menſa Bethleemitica videtur capacior, & auguſtior Euchariſtica, dum inter conuiuas ſacri epuli numerantur belluæ.

D.Chryſoſt. *Menſa Euchariſtia vicem explet præſepis.*

1. MENSAM Euchariſticam cum præſepi comparat Chryſoſtomus homil. de ſancto Philogonio: *Si cum fide* (inquit) *acceperimus, proculdubio videbimus illum in præſepi iacentem: ſiquidem hæc menſa vicem explet præſepis: nam & hîc ponitur corpus Dominicum, non quidem faſciis inuolutum, ſed vndique Spiritu ſancto conueſtitum.* In menſa *Bethleem*, ſeu domo panis quiddam mirandum intueor; circumſtant menſam Euchariſtiæ Angeli, homines; conuiuium Bethleemeticum, circumdant Deipara, & Ioſeph, at circumdant etiam iumenta. In Deo omnia mirabilia, ſed hoc maximè mirandum; Deus in cœlo cibus Angelorum, Deus in præſepio alimentum iumentorum. Stupet ſanctus Auguſtinus ad hanc Dei manſuetudinem, & pietatem, & ſerm. 1. in Natali Domini ait: loquens cum Matre Virgine: *Lacta, mater, cibum noſtrum, lacta panem de cœlo venientem, & in præſepi poſitum, velut piorum cibaria iumentorum.* Vt nullum, ſiue homo ſit, ſiue fera ab alimenti participatione ſecernat. Sed inſigne decus, & Regium fulget in Christo, dum in lucem editur in domo panis, & brutorum ſtabulo, nec iam vileſcat iumentorum conſortium.

D.Auguſt.

Octauius Auguſtus in penuaria cella naſcitur. Sueton.

2. Penuaria cella Auguſti Imperatoris pro eius Natalitiis commendatur à Suetonio Tranquillo in vita Octauij Auguſti, cap. 6. & 5. *Nutrimentorum eius oſtenditur adhuc locus permodicus, & cellæ penuariæ inſtar tenétque ciuitatem opinio, tanquam & natus ibi ſit. Huc introire niſi neceſſariò, & caſtè, Religio eſt, conceptâ opinione veteri, quaſi temerè adeuntibus, horror quidam, & metus obiiciatur.* Et cap. 5. ait: *Natus eſt Auguſtus è regione Palatij ad capita bubula.* Et in ſcholiis additur: *Quod ibi capita boum ſuſpenſa viderentur.* Boum capitibus inſignitur locus natiuitatis Auguſti, & nuncupatur penuaria cella; ſi Rex terrenus ſimili gaudet loco naſci, non mireris ſi Imperator cœleſtis elegit natiuitati animantium diuerſorium, & Bethlehem domum panis ſacram ſpeluncam æquo iure vocitabis penuariam cellam, quæ alimentum Angelorum, hominum, & iumentorum recondit.

Cur Ieſus in præſepio ponitur?

3. Ordinem cœleſtis diſpoſitionis, quæ de Patris conſilio, & ſapientia venit, vt occultaret Ieſus, tempus, & locum natiuitatis ſuæ, mirabili artificio diſpoſuit, vt ad ſpecum digreſſio, & animalium ſocietas à Deo deſtinata, quaſi fortuita viderentur, vt in deſiderium ſuum præbendi ſe ipſum in pabulum animantibus, omnia coirent, dum a diuerſorio expellitur, dum tempus partus inſtat, dum neceſſitate conſtricti, pater, & mater, pannis inuolutum in præſepi reclinant. Id inſinuat ſanctus Lucas cap. 2. verſ. 6. *Factum eſt, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret. Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Prædicta omnia acutè notauit Chryſoſtomus tom. 5. oratione 4. ibi ait: *Curnam hoc inſtituit? Quia præſepe brutorum menſa eſt. Cœleſtem illum cibum in brutorum menſa appoſuit, vt quorum animi, ſenſúſque bruti eſſent, ad præſepe tanquam ad menſam ſuam accedentes, non amplius gramen, quo bruta animalia paſcuntur, inueniant, ſed eum qui pronuntiauit, ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi.* Brutorum menſa appoſita eſt, nullus excuſationem prætendat: ſi Angelus es, accede ad ſupernarum virtutum conuiuium; ſi homo es, panem Angelorum manducauit homo: ſi bellua es, alimentum iumentorum inter præſepis paleas recumbit.

D. Chryſoſt.

In præſepi iacuit, vt bruti panem vitæ inueniant.

4. Eumdem conceptum exprimit argutè Heſychius expendens, quantus reluceat in Deo ferarum amor, cùm eas pellicit pabulo, & in præſepio inter fœnum, & paleas occultatus dulces belluis parat inſidias, non machinatus necem, ſed vitam, & incolumitatem; vt dum ad hordeum, & commixtum migma accedunt famelica, panem vitæ, & triticum perpurgatum ex area virginea in cellarium Bethlehem reconditum inueniant, ſicque faciliùs capiantur. Audi Heſychium oratione 2. de laudibus Deiparæ: *Libens reconditur in præſepi, &c. Vt qui currunt ad paleas frumentum nanciſcantur, vt beſtiarum more feſſi nent, arbitrantes ſe inuenturos in præſepi manipulos hordei, & panem verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, eſcam lætitiæ.* Diuinus auceps celauit ſe ſub fœni manipulis, & belluis parauit tendiculas, vt accurrentes ad pabulum iumentorum cœleſtes nanciſcantur epulas, quibus aucupentur. Dolebat Deus hominem inhiare pecudum nutrimento, ſeſe ipſum in præſepio conſtituit, vt deguſtent alimoniam cœleſtem; ſecernántque granum à paleis, quantúmque diſcrimen interſit inter fœnum voluptatis huius ſæculi, quod momento exareſcit, & inter delicias panis cœleſtis, qui nos ad æternitatem nutrit.

Heſych. *Bellua alimentum vitæ nanciſcūtur in præſepi.*

5. Miror quantùm appetit Deus quod homines eum comedant, & deuorent: vix frui cœpit Ieſus huius lucis vſurâ, cùm menſam in præſepio inſtruxit, epulum ſplendidum adornauit, & ſe ipſum exhibuit comedendum belluis. Pulchrè ſanctus Gregorius Thaumaturgus oratione 1. de annuntiatione, inquit: *In menſa iumentorum cœleſtis panis propoſitus eſt: vt homines inſtar pecorum irrationales myſtici cibi participes redderet.* Ex quo ſpiritum huius vitæ hauſit, & in præſepio reclinatus eſt, iam obuerſabatur animo eius conuiuium Euchariſticum, ſui corporis ferculum, & ſanguinis poculum, quod hominibus exhibere cupiebat, ex præſepio ad hominem inclinabat, vt veſceretur. Perpende Thaumaturgi ſententiam: *In menſa iumentorum cœleſtis panis propoſitus eſt.* Propoſitus eſt in menſa cœleſti; vt manducarent Angeli, & ſupernæ virtutes: in menſa propoſitionis figuratiuus panis apponitur, vt comedant Sacerdotes: in menſa Euchariſtica, vt comedant homines; in menſa, & conuiuio Bethleemitico, vt nutriantur iumenta.

D. Gregor. Thaum. *In iumentorum menſa, panis cæli proponitur.*

6. Imperat Deus Oſeæ Prophetæ, vt di[illegible] mulierem adulteram, ſuiſque ſtringat am[illegible]xibus; iuſſis obtemperat Vates, eámque d[illegible] vxorem, & coro hordei iuxta conſuetudinem Iudaicæ gentis mercatur. Id fatetur Oſeas cap. 3. verſic. 2. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.* Sed cur [illegible] non conduxit Oſeas coro tritici, ſed coro hordei?

Cur Oſeas mercatur vxorem hordeo, & non tritico?

dei? Quia triticum pabulum eſt animantium ratione vtentium: hordeum cibus eſt brutorum irrationalium: ei quæ more pecudum vixerat, alimentum datur pecudibus conueniens. Tranſcribo verba Hieronymi in commentario: *In lege mulier, quæ à marito accuſatur adulterij, in probatione τοῦ ἐλέγχου, id eſt, conuictionis, quando arguitur in peccato, farinam accipit hordei: quæ enim imitata eſt equos, & mulos, quibus non eſt intelligentia, equorum, atque mulorum ſuſtentatur alimentis.* Dura animaduerſio, ſed iuſta, & plena contumeliâ; aſperè tractat Deus belluas, needum ſemen Abrahæ apprehenderat, nondum naturam humanam Dæmoni amico dilectam cum idolis fornicantem, maritauerat Deus, nec ſuis implicauerat amplexibus; nondum carbunculatis ſui ſanguinis gemmis copulauerat perpetuo ſibi iure matronam; nondum empta, nondum redempta pretio magno, Deifico ſanguine, quem Iudas proditor, non quindecim, ſed triginta argenteis vendidit. At poſt mirabilem nexum, & copulam Verbi ſponſi cum humana natura, non agreſtem, & ruſticum maritum expetitur, ſed blandum; vxorem alioqui adulteram, quæ ſacri ſponſi, & creatoris iura violauerat, incultam, & immanem belluam; in thalamum introductam, delicioſè tractat, non pabulum hordei largitur, ſed adipe frumenti eam ſatiat; tritici, inquam, quod de Virginei ventris area pullulauerat, & inter præſepis paleas prouidus Ioſeph recondidit, vt non deficeret animalium eſurientium annona.

D. Hieron.

Ieſus ſponſæ ſuæ largitur frumēti adipem.

Ioſephi prouidentia pro alimonia iumentorum.

7. Sed non prætereamus Ioſephi prouidentiam; conſtitutus eſt vniuerſæ terræ Ægypti præpoſitus, & vt conſuleret ſeptem annorum ſterilitati, eius imperio *In manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in terra Ægypti.* Geneſ. cap. 41. verſ. 47. Mira Ioſephi ſolertia, in cellas frumenti, & alimentorum theſauros, non abdidit triticum puluere, & quiſquiliis purgatum in area, ſed integros manipulos cum ariſtis, & paleis, vt alimento iumentorum conſuleret. Id notat Philo Iudæus lib. de Ioſeph. *Eas fruges cenſeo* (ait Ioſeph) *cum ſuis manipulis condendas, nec trituratas, nec purgatas, vt & iumentis condatur pabulum.* Pro alendis iumentis Deus victualia deſignauit. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Vtique, & cura, & ſolicitudo maxima de iumentis.

Philo. Iud.

Verſ. 4. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.

COMMENTARIVS.

Quid in Hebræo denotet dictio Væ.

1. VÆ GENTI PECCATRICI.] In Hebræo licet ſint diuerſa nomina, eſt elegans repetitio, & conſonantia הוי גוי *hoi goi*, *Væ genti*: prima vox eſt condolentis, vel deplorantis alienam calamitatem, cùm ex præcordiis attrahuntur alta ſuſpiria, vt notat Vatablus. Interdum eſt execrantis, & exprobrantis: & in hoc ſecundo ſenſu accepit vulgatus. Inuectiua oratio eſt Iſaiæ, quâ Iudæorum crimina obiurgat, & eorum magnitudinem pondeçat, primò ex habitu peccandi in illis verbis *genti peccatrici.* Conſuetudo diuturna callum in peccando obduxerat. Secundò ex grauitate: *Populo graui iniquitate.* Sanctus Cyrillus legit: *Vitiis onuſto*, quotidie addens peccata peccatis, grauiſſimo onere premebatur; grauitas, & pondus proueniebat à peccato idololatriæ, & Deicidij, vnumquodque maximum, & immenſum pondus. Septuaginta legunt: *Populus plenus peccatis.* Vt non ſolùm menſuram peccatorum impleuerit, ſed etiam cumulauerit. Sic interpretatur ſanctus Cyrillus.

Gens peccatrix quæ?

Lect. D. Cyrill.

L x x.

2. SEMINI NEQVAM. &c.] Parentum mores, & crimina imitati ſunt filij, quaſi diceret. Hiſpanè: *Mala caſta.* Etenim ex probis parentibus, probi; ex improbis, improbi filij naſcuntur, iuxta prouerbium *mali corui malum ouum.* Ad rem dixit Theognis:

Non etenim è ſquilla roſa naſcitur, aut Hyacinthus
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Et Horatius in Odis:

——— *Neque imbellem feroces*
Progenerant aquilæ columbam.

Ex improbis parentibus, filij nequam naſcuntur.

Theog.

Horat.

3. FILIIS SCELERATIS.] Septuaginta legunt: *Filij ſceleſti.* Sic legunt S. Cyprianus, S. Hieronymus citati in ſcholiis, Septuaginta, at S. Baſilius propriè: *Filij corrumpentes.* Aptiſſima lectio iuxta notionem verbi Hebraici שחת *ſchacat*, *corrumpere, putreſcere*: Geneſ. cap. 6. 12. *Cùmque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, omnis quippe caro corruperat viam ſuper terram.* Quibus demonſtrat Vates miſerrimum, & turpiſſimum illius Regni ſtatum; deprauatoſque corruptoſque Iſraëliticæ Reipublicæ mores.

Lect. L x x. D. Cypr. D. Hieron. D. Baſil. Lect. Hebr.

4. DERELIQVERVNT DOMINVM.] Qui Grammaticali ſenſui, & literæ cortici hærent, Rabbinorum, & Hebraizantium interpretationes ſectantes, illiſque plaudentes, hæc omnia ad Oziæ Regis tempora referunt. Nos verò cum Diuo Hieronymo ad tempus Oziæ, & Chriſti aduentum adſcribimus: nam diuinus Iſaias vtrumque tempus propheticâ viſione amplectitur, præſentia tangens, futura proſpiciens: *Dereliquerunt Dominum.* Quaſi omnium malorum maximum dolet, reliquiſſe Dominum; & adoraſſe ſculptile, & conflatile Solis, ac Lunæ, & aliorum numinum, fidémque violaſſe, & pactum lege, & religione ſancitum de non adorandis Diis alienis, quod ſæpiſſimè cum Deo pepigerat populus.

Rabbini.

D. Hieron.

5 BLASPHEMAVERVNT SANCTVM ISRAEL.] נאץ *naats*, ſignificat *detrahere, exprobrare, blaſphemare, irritare, ad iracundiam perducere.* Iudæos Iſaias æquo iure blaſphemos vocat. Poſtremam ſignificationem ſequuti ſunt Septuaginta legentes: *Ad iracundiam concitaſtis ſanctum Iſraël,* Sæpiſſimè Deo populus detraxit. Numerorum cap. 14. verſic. 11. *Dixit Dominus ad Moyſen: vſquequo detrahet mihi populus iſte?* Contumelia, & contumelias in Deum iaciebant, ei maledicentes; omnipotentiæ, iuſtitiæ, aut ſanctitati nominis eius improperantes. De tempore Euangelij interpretatur Hieronymus: *Blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, propriè de Iudæis dicitur conclamantibus: non habemus Regem niſi Cæſarem; Dæmonium habet, & Samaritanus eſt.* Per auxeſim poſitum eſt *Sanctum Iſraël.* Vt paulò antè nomen *Iehouah* cum reſpectu ad nomen ineffabile inſculptum in lamina aurea Exodi cap. 28. *Sanctum Domino.* Nomine illud ineffabile, &

Quid ſit blaſphemare ſanctum Iſraël?

Lect. L x x.

Blaſphemauerunt Iudæi contra Chriſtum clamantes.

veneraṅdum blaſphemarunt, nomen, inquam Dei fortiſſimi, & ſanctiſſimi, qui Patriarchæ Iacob nomen impoſuit *Iſraël*; quodque Iacob ſummo cultu, & veneratione proſequutus eſt.

D. Hieron. D. Baſil. Theodor. Procop. Aquila.

5. ABALIENATI SVNT RETRORSVM.] Hæc verba apud Septuaginta non habentur, vt teſtatur ſanctus Hieronymus. Addita ſunt à Vulgato interprete, iuxta Baſilij ſententiam, ex Theodotione; vt cenſet Procopius ex Aquila; prouerbialis videtur loquutio ad innuendam idololatriam; per quam populus à Deo recedens faciem conuertens ad idola, vertit ad Deum terga per ſummam impudentiam, & irriſionem. Alibi ſæpè in ſacra Scriptura dicitur, abire retrorſum, recedere à Deo, vertere ad Deum terga, & dorſum. Ieremiæ cap. 2. 27. *Dicentes ligno: pater meus es tu, & lapidi tu me genuiſti. Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Septuaginta: *conuerterunt ad me dorſa.* Hieronymus epiſt. 46. ad Ruſticum, expendens hunc locum: *Per cordis duritiam, in iniuriam meam ſua terga verterunt.* Theodoret. in Comment. Ieremiæ ait: *Quia Deos ex ligno, & lapide fabricatos patres, & genitores appellabant, mihi terga verterunt, & velut hoſtem auerſati ſunt, illud extremæ potiſſimum eſt impudentiæ.* Et Ieremiæ cap. 7. 24. *Factique ſunt retrorſum, & non in ante.* Septuaginta: *Facti ſunt in poſteriora.* Chaldæus: *Auerterunt in cultu meo dorſum.* Et Ezechiel cap. 8. poſt omnes vocat maximam impietatem quod *viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini.* Sanctus Hieronymus ibi: *Eo quod contempto Domino adorarent Solem.* Præterea aliquæ gentes ad ludibrium, & exprobrationem aliarum nationum vertunt illis terga. Igitur vt oſtenderet Iſaias, quod populus Iudaicus Deum deſpiceret, quantúmque illius nomen *Iehouah* ſanctiſſimum vilipenderet, diuinum cultum tribuendo idolis, ait, quod per ſummum dedecus, & veri Dei ignominiam, illi dorſum conuerterat.

Idolorũ cultu homo ad Deũ dorſum conuertit.

D. Hieron. Theod. Lect. Lxx. Chald. D. Hieron.

DISCVRSVS I.

Ad eam dictionem: *Væ.*

Nihil lacrymis, & lamentatione dignum, niſi peccatum.

1. DIXIMVS in Commentario dictionem illam *Væ* eſſe in Hebraico, & Latino idiomate, condolentis, & deplorantis alienam calamitatem, & ruinam, nullámque inuenit Iſaias planctu, & fletu dignam, niſi peccatum; dicens: *Væ genti peccatrici.* Non effundas lacrymarum fluenta, neque profundas, quaſi prodigus, oculorum margaritas pro amiſſione diuitiarum, quæ inſtar labentis vndæ præterfluunt; non pro morte charorum, quia exactoribus, Dæmoni, & Morti, debitum naturæ tributum ſoluunt. Non pro ruina humanæ poteſtatis, & gloriæ, quæ inſtar marinorum fluctuum, fluunt, & refluunt, creſcunt, & decreſcunt. Margaritam gratiæ perditam, mortem animæ, amiſſum ius cœleſtis Imperij, ſqualore, & luctu, & profuſiore lacrymâ proſequere; ne dedecore, & infamiâ nobiles lacrymas opprimas. Nobiliſſimæ Timothei lacrymæ; celebrat eas Paulus 2. Timoth. cap. 1. *Memor lacrymarum tuarum.* Eas rurſus nobilitat Chryſoſtomus homil. 12. in caput 4. epiſtol. ad Coloſſen. *Quando fratrem delinquentem admonemus, flere oportet lugendo, & ſuſpirando. Quando adhortamur aliquem, is verò non attendit, ſed perit, flere oportet; Philoſophiæ ſunt lacrymæ. Quando autem pauper quiſquam eſt, quando morbo corporali correptus, quando moritur, non hæc eſt lacrymandi ratio. Non enim iſta digna ſunt lacrymis. Infamamus lacrymas, dum illas importunè vſurpamus.* Pauperies, morbus, mors, quæcumque orbis calamitas ingruat, indigna ſunt fletu; ſi pro his immodicè illacrymaris, lacrymas infamas: rubore, & ignominiâ afficis, dum pro alio niſi pro ſcelere commiſſo fundis; hic decor, & honor lacrymarum eſt. O quantùm condecorantur oculorum fontes, dum pro alienis, aut propriis debitis cryſtallinas guttas ſoluunt! Ditat, nobilitat Iſaias, dum flet, lacrymas, cum eas pro Iudæorum ſceleribus fundit.

Pro animæ iactura effundendæ lacrymæ.

D. Chryſoſt.

2. Idem Vates amarè deflet mundanorum lacrymas pro rebus temporalibus effuſas. cap. 15. vbi de onere, & vaſtitate Moab, ſubdit verſ. 9. *Aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine.* Eum aptè, & ad mores expendit Aelredus in Iſaiæ Commentario, dicens: *Aquæ Dibon, quæ interpretantur fluxus, eorum lacrymas ſignificant, qui pro fluxu rerum temporalium, aut rident, ſi habeant; aut plorant, ſi amittant. Ideò aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine, quia ij, qui pro temporalibus rident, malo ſuo rident: & qui plorant, malo ſuo plorant. Nihil enim purgationis eiuſmodi afferunt lacrymæ: ſed inſuper abundantiori eos peccati ſanguine fœdant.* Proh dolor! lacrymæ, quæ apud Deum mediatoris funguntur munere, & ſolent legationem ſuſcipere pro delictis, delictum augent, dum pro amiſſione temporalium vanè profunduntur. Expende illa verba: *Nihil enim purgationis eiuſmodi afferunt lacrymæ.* Cùm immoderatè defles peritura bona, quæ poſſeſſorem non reddunt felicem, animum non abluis, nec purgas; purgatorium tibi eſſent lacrymæ, ſi pro peccato eas funderes.

Pro amiſſione rerum temporalium nõ eſt plorandum.

Aelred.

3. Inter alias cœleſtis Ieroſolymæ delicias promittit Deus lacrymarum fugam, & dolorum dulce lenimen. Apocalypſ. cap. 21. verſ. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* O hominem beatum, qui inter Dei brachia leniter recumbit! felices lacrymæ, quas manus Domini lintei loco abſtergit! Sed cur deſiccantur oculorum fontes, abolentur lacrymæ? quia fugatur mors animi, deſtruitur peccatum; vbi peccatum non erit, deſinant eſſe lacrymæ, quia indignæ ſunt lacrymæ, niſi pro peccato fundantur; ideò addit Euangeliſta Ioannes: *Et mors vltra non erit.* Vtique mors animæ, vt declarat ſanctus Ambroſius in Apocalypſ. quem citat Gloſſa ordinaria, ibi fatur: *Mors vltra non erit. Primus homo immortalis factus, peccando immortalitatem amiſit. Poſt reſurrectionem mors non erit: poſſibilitas peccandi, quæ mortem mundo intulit, ab eis auferetur.* Quaſi diceret Deus: nolite, ô filij! flere, qui de loco flentium, & porta compungentium vocati eſtis ad requiem, tempus, & ſtatus fletus euanuit, non hic in paradiſo peccatum, nec poſſibilitas peccandi, quia repleta voluntas ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis potata, mare deliciarum abſorpta, non valet crimen admittere. Ergo vbi neceſſitas Deum amandi, & impoſſibilitas peccandi eſt, deſinit lacrymæ. Sed rurſus inſiſto in ſuperioribus verbis Apoſtoli: *Abſterget Deus omnem lacrymam.* Et premo adiectiuum

Quid denotet Deũ omnem lacrymã abſtergere?

D. Ambr.

iectiuum *omnem*. Ergo omnem lacrymam reſpuit, & nullam ſtatus ille felicitatis admittit. Nunquid indecet Beatum lacryma ? *Beati qui lugent.* Quid ſi in paradiſo cœleſti, corda Beatorum gaudio ineffabili delibuta, & oculi de Deifica plenitudine deliniti, gaudio perfuſi, non doloris, ſed amoris irrorantur lacrymis ? nec abnuo, nec renuo ; alij iudicent. Sed ſi poſſibilis eſt lacryma in oculis Beatorum corporum ; adhuc vera eſt ſententia. *Abſtergit Deus omnem lacrymam.* Quà ratione omnis lacryma abſtergitur, ſi aliqua non abſtergitur ? Omnis lacryma eſt, quæ pro peccato funditur, quia peccatum omni lacrymâ dignum, cum ergo peccatum non eſt, nec poſſibilitas delinquendi, ceſſat omnis lacryma, & omnis lacryma abſtergitur.

Poſt reſurrectionem.

Omnis lacryma pro peccato impendenda.

4. Æquo iure vocitat Iſaias lacrymas gentium infructuoſas, & ſteriles, quando faciem rigant, maculas amici non eluunt. Capite 15. *Aquæ Nemrim deſertæ erunt.* De hypocritarum lacrymis accipit Aelredus : *Nemrim* (inquit) *pardus interpretatur. Eſt enim pardus animal maculoſum, & varium, quod vitæ, & moribus congruit hypocritarum. Exitus aquarum deduxerunt oculi eorum: Sed aquæ iſtæ deſertæ erunt: quando veniens ille, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, lacrymas ſteriles, & infructuoſas, ob hominum tantum oculos exortas, omni gratia, & remuneratione oſtendet eſſe priuatas.* Lacrymæ pro delictis quaſi ros à Domino, etiam inter ſentes fructum centeſimum multiplicant, fiúntque fontes ex oculis ſalientes in vitam æternam ; pro temporali, & peritura gloria fuſæ, ſicut guttæ pluuiarum, quas ſuper ſilices, & ſaxa nubes profundunt, ſteriliſcunt. Exitus, & riui aquarum, quæ de cordis ſcaturigine proſiliunt, lamentum crepant, ſonitum doloris pro delictis edunt ; hauſtus ille dulciſſimus ſuopte pondere fertur, vt defleat, & deleat crimen.

Improborum planctus infructuoſus. Aelred.

5. Nec tantâ lamentatione deflendus filius cùm de viuis exceſſit, quanta peccator eſt. Audi Chryſoſtomum in cap. 9. homil. 21. in Acta: *Quid luges, dic, oro ? Non enim in peccatoribus hoc ſolum facies. Vtinam hoc eſſet, & non prohiberem luctus. Vtinam talis meus eſſet. Hic luctus Apoſtolicus eſt, hic luctus & Dominicus. Plorauit enim Ieſus Ieruſalem. Luge, plora peccatorem, & ego deducam lacrymas, & ego magis quam tu. Non te autem ſolum oportet plorare, ſed & ciuitatem totam, & omnes occurrentes, tanquam eos, qui ad mortem ducuntur; verè enim mors illa mala eſt : mors peccatorum, & omnia confundit.* Pulchra verba, quæ ſpiritum Apoſtolicum redolent, hunc Iſaias hauſerat, lugubrique carmine Iſraëlitas ſuos tanquam mortuos deplorat, dicens : *Væ genti peccatrici.*

D. Chryſoſt. *Mors animæ deflenda.*

Discvrsvs II.

Improborum ſcelera, velut crudeles tyranni, & cruenti carnifices, Sanctorum animos excruciant.

1. IN carnificina ſæuiſſimi tyranni Iſaias conſtitutus, acerbiſſimiſque oppreſſus doloribus, Iudæorum improbitatibus dilaceratus, & blaſphemiis erga Dominum quaſi ſpiculis traiectus, ingemuit ; océmque illam illacrymabilem protulit *Væ*. Non gladius, non ſagitta, non liquatum plumbum, non equuleus, rota, crux, tantos dolores & gemitus è viſceribus Martyrum extorſit, quantos de ſanctorum animis, malitia peccantium crudelis. Placet videre Martyrem ante gladium, ante effuſionem ſanguinis; intuere Paulum, & illius cruciatus, auſculta illius gemitus, & pro delinquentibus ſuſpiria. Ad Galatas cap. 6. verſ. 14. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Singularis eſt ſancti Bernardi expoſitio, mundi ſcelera hominúmque peccata, crux erant Paulo, in qua tam dirè torquebatur, ac ſi eſſet in patibulo clauis affixus ; Bernardi verba ſunt : ſermon. 7. de quadrag. *Crucifixum ei mundum reputatione, ipſum verò mundo crucifixum compaſſione : crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipſe crucifigebatur ei per compaſſionis affectum.* Acerbiſſimos cruciatus ſuſtinebat mundus, nexibus ſuorum ſcelerum constrictus ; & velut clauis affixus patibulo, mortem, & tormenta crucis patiebatur Paulus, inter peccatores viuens, cor Apoſtoli peccatis alienis velut clauis ſuffigebatur cruci.

Sanctorum dolor, & cruciatus pro peccatis alienis.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Paulus compaſſione peccantium crucifixus. D. Bern.

2. Minatur Deus Ieroſolymæ vaſtitatem, Ezechielis cap. 9. ſex viri ſecuribus, aut gladiis armati non parcunt ſenibus, adoleſcentibus, virginibus, paruulis. Paucorum numerus fugit aciem gladij, & ſeruatur incolumis, ibi verſ. 6. *Omnem autem ſuper quem videritis Thau ne occidatis.* Quis diſtrictos mucrones gladiorum à iugulis ſuis reiecit ? Signum Crucis venerandum, quod Thau litera oſtendebat ; Angeli ſignatorum vitam tuentur, non ſignatos interimunt ; ſed quos ſignant, eóque vitæ, & redemptionis charactere inurunt ? Declarat Vates verſic. 4. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Inter improbos, & ſceleſtos Ieroſolymitanæ vrbis incolas, aliqui iuſti, & ſancti florebant viri, ſicut lilia inter vepres, ſicut inter tenebras noctis lucent ſidera ; qui deplorandi peccata populi fungebantur munere ; columbæ in medio accipitrum gemebundo rugitu dolebant ſuper cunctis abominationibus vrbis. De his ſanctus Hieronymus : *Gementes igitur, dolenteſque ſaluantur, qui non ſolùm malis non conſenſerunt operibus, ſed & aliena planxêre peccata.* At cur Thau notantur, non alio charactere, aut ſigno ? Quia *Thau* inſigne Crucis exprimit ex ſancti Hieronymi ſententia : *Thau litera, Crucis habet ſimilitudinem : quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur.* Cunctis, qui Crucis ſignaculum in fronte portant, mors pepercit, vita donatur: plangentes, & dolentes aliena delicta nec ſine morte viuunt, vita mors illis eſt, & mors Crucis. Tales viros crucifixos nuncupo, corpore, & animo crucem deferunt, eos abominationes populi, & delicta crucifigunt.

Signum Crucis à morte liberat.

Ieroſolymitani aliena plangentes peccata, aciè Angelici gladij fugiunt. D. Hieron.

D. Hieron. *Vitam viuũt Crucifixorũ.*

3. His heroibus, & cruciferis adijcio alium compaſſionis dolore inſignem Loth, de quo ſanctus Petrus Apoſtolus epiſt. 2. cap. 2. verſ. 8. *Habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.* Examinat verbum illud : *cruciabant*, clariſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus, in titulo Pſalmi 69. *Neque enim Loth ille ſanctus in Sodomis, ab aliquo corporalem perſecutionem patiebatur, aut dictum illi erat, vt non ibi habitaret; perſecutio eius facta mala Sodomitarum erant.* Non

Loth iniquorum operibus cruciatur. D. Auguſt.

Loth perſecutionem patitur.

Loth feris immanibus dilaniandus obiicitur, non equuleo torquetur, non vnguibus excarnificatur, non eum deuorantis ignis flamma circundat, ſed circumſepit Sodomitarum impudens, & impudica conuerſatio, ſuiſque grauiſſimis ſceleribus, quaſi ſæuiſſimis tortoribus anima iuſti cruciatur, ſubdit eleganter Auguſtinus: *Nunc ergo nullo remanente, qui palàm Chriſtianis audeat inſultare: adhuc tamen inter organa, & ſymphoniacos gemimus; adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus, & ferro non poſſunt, eos ſuâ luxuriâ perſequuntur. Videmus etiam in fronte portantes ſignum eius, ſimul in ipſa fronte portare impudentiam luxuriarum. Et inter hæc gemimus, & hæc perſequutio noſtra eſt.* Furor tyrannorum, & perſequutionum turbo nunquam ſanctis etiam in pace deficit, dum non deficit ſceleratis libertas peccandi. Frons impudens, & impudici iactantia, perſequutio ſanctorum eſt; dum mali peccant, iuſtos quaſi clauis pungunt, dum ſeſe offerunt, eos iaculis configunt; dum renuunt diſciplinam, iuſtos viros excruciant. Perpende Auguſtini ſententiam: *Videmus etiam in fronte portantes ſignum eius, ſimul in ipſa fronte portare impudentiam luxuriarum.* Reuoca in memoriam ſanctos illos in fronte cruce ſignatos apud Ezechielem ſuprà; ſi ante crucem Chriſti, crucis dolores patiebantur; dum cernunt peccantes, acerbiorem crucem portant, qui poſt Chriſti mortem de peccatis alienis dolent, dum cernunt frontes Cruce ſignatas, impudentiâ ſignari luxuriæ: dum iſtos Auguſtinus gemit, inter viros gementes, & dolentes ſuper abominationibus populi, Auguſtinum numerare potuiſſes.

D. Auguſt. *In quorum improbitatē, perſecutionē ſuam, & gemitum, vocat Auguſtinus.*

4. Audiuimus Martyres ſartagine ferreâ frixos, videbimus ſanctorum animos ſartagine etiam ferreâ excruciatos. Ezechiel cap. 4. verſ. 3. *Sume tibi ſartaginem ferream.* Sume tibi, in tuum cruciatum; vt dum de peccatis Ieruſalem doles, in ea frigaris. Audi magnum Gregorium homil. 12. in Ezechielem: *Quia ferrum forte metallum eſt, & in ſartagine cibus frigitur, quid per ſartaginem ferream, niſi ſpiritualis zeli fortis frixura ſignatur; omnis quippe ſpiritalis zelus doctoris animam frigit: quia valde cruciatur, dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari conſpicit.* Vidiſti cruciatum acerbiſſimum, & dolorem? Maiora tormenta ſunt, quæ Dei amor, & erga peccatores compaſſio ſanctis viris parauit; quàm ea, quæ cæca ſæuitia Martyribus moliebatur.

Sanctorum cruciatus propter iniquos. D. Greg. Magn.

5. Liceat oſtentare in hac ſpiritali palæſtra, & honoris amphitheatro, pugilem vnum doloribus oppreſſum, cruciatibus languentem, & penè exanimem; Dauidem virorum omnium laniſtarum, mytmillonum ſtrenuiſſimum, fortiſſimum; qui Philiſthinorum phalangas ſæpiſſimè fugauit, deiecit, qui leonem, & vrſum ſtrangulauit, qui Goliath occidit, vicit: dum zelo, & triſtitiâ afficitur propter delinquentes; doloribus, anxietatibus, tortoribus circumdatus, impetitus, cedit, languet, cadit ſine viribus exanguis. Suæ infirmitatis teſtis eſt Pſalmus 118. verſ. 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Alij legunt apud Lorinum: *Contriſtauit, oppreſſit, diſſipauit, conſumpſit, enecauit, cadere, ac labi fecit.* Ecce Dauidem Principem virorum fortium labentem, cadentem, enecatum, occiſum compaſſionis affectu. Quis eſt iſte zelus, quis dolor fortiori viro potentior? Optimè ſanctus Hilarius in Pſalm. 118. literâ *Tſade*: *Ad omnia vitia noſtra, & crimina exanimatur Propheta. Quantus autem nobis dolor eſt, cùm vnum ex Dei populo effici videmus ſæculi miniſtrum?* Doloris, & ſenſus grauitatem Hilarius exprimit: *Ad omnia vitia noſtra, & crimina exanimatur Propheta.* Maxima peccatorum acerbitas, & crudelitas, non tantum Dauidem onere premunt, fœditate cruciant, iterato lapſu diſcerpunt, ſed exanimant Imperatorem inuictum.

Dauid virorum fortiſſimus tabeſcit, & exanimatur ex hominum flagitiis.

Lect. Var.

D. Hilar.

6. Alterum inſignem delictorum, & delinquentium lamentatorem in medium produco, Michæam Vatem ſanctiſſimum, qui cap. 1. verſic. 8. totus eſt in lamentatione peccatorum Regni, & ciuitatum Samariæ: *Super hoc plangam, & vlulabo: vadam ſpoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Septuaginta Interpretes aliter transferunt: *Faciam luctum quaſi filiarum Sirenum.* Verſionem iſtam ſequutus eſt ſanctus Cyrillus Alexandrinus, & vtramque comparationem illuſtrat Draconis, & filiarum Sirenum; horúmque animantium lamenta dilucidè exponit. Sirenarum nomine non intelligit illas dulcedine vocis, & adulatione celebres, mortiferas nauigantium decipulas, cum propter oris ſpeciem, & vocis, ac cantus ſuauitatem, inter ſcopulos, & cautes diſcuſſa nauigia, marinis fluctibus obruta, miſerrima fecêre naufragia: ſed auiculas quaſdam, quæ circa littora maris, & vndas nidum conſtruunt: ſic loquitur Cyrillus: *Diuinitus autem inſpirata Scriptura Sirenas vocat paſſerculorum loquaciſſimos, aut ſuauem ſonum edere ſolitos, aut interdum ipſas luſcinias, quæ in finibus marinis, ouis incubant. Deinde nido à fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, partûs ſui damna quodammodo lamentantes.* Quid illuſtrius? Itaque luſciniæ, aut Sirenæ, Michæas ſe comparat. Non Michæam ſolum, Prophetas omnes, Sanctóſque Dei homines luſcinias, Sirenas æquo iure nuncupabis, in ſtabili littore habitantes, immunes periculis; cum filios, quos Deo genuerunt, & pepererunt Chriſto, cernunt delictorum fluctibus abripi, fidei, aut gratiæ crebra pati naufragia; mœſtum carmen, & væ intonant, lugubre melos fundunt partus ſui damna lamentantes. Quibus viris nec cruciatus deſunt, qui in Dracone lamentante, & vlulante reperiuntur: de quo ibidem ſcribit Cyrillus: *Si percutiatur Draco, tum demum eiulare, vt in periculo, doloremque ſuum caudâ terram verberando declarare ſolitum; nec mediocrem clamorem emittere.* Dolor maximum eiulatum, & ſupplicium à Dracone extorquet: ſic Vates in peccatorum Samariæ cruciamentis, flagelliſque poſitus, luget, vlulat, vt Draco. Audi in Iſaia lugubre Sirenæ, & luſciniæ melos, horriſonúmque vlulatum: *Væ genti peccatrici.*

Michæa Propheta pro delictis alienis planctus, & cruciatus.

D. Cyrill. Alexand. *Sirenæ vocātur paſſerculi loquaciſſimi.*

Luſciniæ.

Sancti viri Sirenæ ſiunt, & luſciniæ.

D. Cyrill. *Draconis eiulatus.*

DISCVR

Discvrsvs III.

Salus, & redemptio propriæ nationis, aut patriæ, etiam ſanctos viros, vehementer angit, ſolicitat.

1. Illo lugubri, & lamentabili *Væ* plangit Propheta ſanctiſſimus, ſui populi Iudaici flagitia, quibus tenebatur obſtrictus, inclytam vrbem Hieroſolymam, natale Vatis ſolum, turpiſſimis motibus corruptum; quo magis ſanctis viris nationis, & patriæ immunitas à peccatis cordi erat, tanto grauiori ſenſu doloris, & anxietatis, deteſtandis oppreſſam ſceleribus, deplorant. Ionæ Prophetæ imperat Deus ſeriò, profectionem in Niniuem ciuitatem opulentam, omniúmque maximam, & diuini verbi in ea præconium. Ionæ cap. 1. verſ. 2. *Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea.* Quis non expectabit Ionam baculo innitentem in procinctu poſitum, non currentem, ſed volantem, vt diuinis iuſſis obtemperet? intueor fugientem à conſpectu Domini: *Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à conſpectu Domini.* ibi verſ. 3. ſed à quo fugis, ô Iona? à conſpectu Domini? Et in Tharſis. Et in Tharſis non eſt facies Domini? Siue in mari, ſiue in terra lateas, facies Domini inueniet te: oculi, & facies Domini ſuper iuſtos, & tu in eorum numero recenſeris. Tharſis interpretatur: *contemplatio gaudij*, & quale gaudium valet ineſſe viro, qui lumen Dei videre noluit, & fugit à facie in quam deſiderant Angeli proſpicere? Ecce Eccleſiaſtæ munus, & onus quantum apud Ionam vileſcit; voluntario ſe multat exilio, vagus, & profugus à patria, curſum dirigit in Ioppen, ne Propheticum ſermonem Niniuitis explanet de ſuggeſtu. Numquid pudore, aut timore correptus, ſermocinari refugit? Poſtea tempeſtate iactatus propriæ vitæ prodigus eligit fluctibus abripi, & immanis belluæ vterinum habitaculum, quàm comminatorium ſermonem Niniuitis referre; tametſi fera mitior Vate, blandè, & ſine fraude deglutit, viſceribus ſuis ſancti cuſtodit, & fouet, & concionatoris baiula, cum ad littus expuit. O quanta Ionas pericula deuorat, ne Niniuitis deferat vaticinium. Cur tarda molimina nectit Vates? Reſpondet ſanctus Hieronymus: *Scit Propheta, ſancto ſibi Spiritu ſuggerente, quod pœnitentia Gentium ruina ſit Iudæorum, idcirco amator patriæ ſuæ, non tam ſaluti inuidet Niniue quam non vult perire populũ ſuum.* Et ſubdit: *Dolet ſe ſolum electum, qui mitteretur ad Aſſyrios, & quod his maius eſt, timebat, ne per occaſionem prædicationis ſuæ, illis concurſis ad pœnitentiam, Iſraël penitus relinqueretur.* Tenerrimum, & dulciſſimum affectum matris ſuperat Propheta, dum exilium turbati maris procellas, naufragia, marini monſtri hians guttur, mortem ipſam impauidus contemnit, ne Iſraël dilectus pereat. Satagentis, & ſoliciti animi pro patriæ ſalute, actio eſt, à Niniuitis fugere; filios ſuos, Iudæos ſuos habebat in corde, tactus dolore cordis intrinſecùs, denegat Niniuitis præconium, ne patriæ, ne nationi ſuæ derelictionis, & ruinæ ſequatur ſupplicium.

Iona fuga & illius ratio.

D. Hieron. *Ionas fugit à Deo Deúmq; deſerit, ne populum derelinquat ſuũ.*

Caſſiod. *Salus patriæ commendatur.*

2. Quàm vera Caſſiodori Aurelij ſententia lib. 1. epiſt. 21. *Vnicuique patria ſua charior eſt: dum ſupra omnia ſaluum fore quæritur, vbi ab ipſis incunabulis commoratur.* Cum a facie Dei Ionas fugit, ſaluationem, & redemptionem patriæ quærit. Tantus eſt amor patriæ, vt aliorum ciuium calamitates, & ſcelera in ſe refundat quaſi propria.

Ieſus filius Ioſedech in iudicium vocatur.

3. Ieſus filius Ioſedech, populum Iſraël, de Babylone in patriam Ieroſolymam, annuente Cyro, deduxit; apud Zachariam Prophetam, à Satana in iudicium Dei vocatur, & peccatorum reus accuſatur. Zachariæ cap. 3. *Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini; & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei.* Et poſtea verſ. 4. *Ecce abſtuli a te iniquitatem tuam.* Cuius criminis reus factus eſt Sacerdos? An quod Syrianam, contra legem patriam, vxorem duxerat? An cultum Chaldaïcæ Idololatriæ Diabolus criminatur? An quia ritibus, diſciplinâ, moribúſque Chaldæorum aſſiduitatem contraxerat? Minimè gentium. Pulchrè rationem aſſignat Theodoretus: *Ego exiſtimo eum, nempe magnum Sacerdotem ſibi populi iniquitatem vendicaſſe, & attribuiſſe: & velut vna cum ipſis peccaſſet, preces adhibuiſſe, & tanquam ſuorum veniam delictorum, populi ſuſcepiſſe.* Ex ſententia Theodoreti Ieſu excuſatur à crimine; amore patriæ, exuliſque populi, aliena in ſeipſum transfert crimina commiſerationis affectu; vt ſi in populum Dei ira deſæuiat, diuini furoris impetum in ſeipſo frangeret; aut ſi ſua relaxet crimina, ſimul populum à peccatis abſoluat. Sed habitus ipſe lugubris pœnitentis, Ioſedech indicat pietatem: *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis.* Habitus iſte pœnitentis eſt, in quo exomologeſim operatur, cui Deus veniam ſpopondit; illi ſimilis, quem refert Chriſtianorum Tertullianus in apolog. cap. 40. *Ieiunijs aridi in ſacco, & cinere volutantes.* Hoc ornatur Ioſedech, vt veſtitu ſordido, oratione, lacrymis, ſui populi commiſereatur, & dilectæ patriæ peccata deploret.

Theod. *Ioſedech amore patriæ ſuæ, peccata populi ſuper ſe ſuſcipit.*

Pœnitentium habitus.

Tertull.

Humana calamitatu Deus miſeretur.

D. Iſid. Peluſ.

4. Miſertus eſt Deus hominis, & mundi, cum ad extremum malorum perueniſſet; cum in omni iniquitatis, aut rapacitatis genere ſeſe homines ingurgitarent, Deus pietatis viſcera oſtendit; de quo ſanctus Iſidorus Peluſiota epiſt. 329. ſic fatur: *Dæmones vna cum imperatore ſuo Diabolo, mortales in malorum extremum compulerunt, tum omnium Rex, atque paternus Sermo, quod horum miſeria commoueretur, humanam naturam ſubiens in acie ſtetit, atque barbarinum Dæmonum agmen vna cum ſuo duce calamitates ſuas deplorabat.* Vt ad compaſſionem humanarum calamitatum amplius commoueretur, humanam naturam aſſumpſit, vt eiuſdem conſors factus naturæ, quidquid ſceleratum, quidquid infauſtum homini accidiſſet, tanquam contubernalis, & conſanguinei hominis ærumnis, maiorem ſenſum doloris perciperet. Compone duas illas Peluſiotæ ſententias: *Paternus ſermo horum miſeria commoueretur.* Et: *Dæmonum agmen calamitates ſuas deplorabat.* Vtrinque compaſſio, vtrinque lamentationes, & lacrymæ, hîc Pæana canitur, hîc lituorum ſonitus ex vtroque exercitu reſultat, præeuntibus Imperatoribus reſonat lamentatio, carmen, & væ; Deus plangit hominis captiuitatem; Diabolus plangit hominis libertatem; Deus ſuo populo, & humanæ carni compatitur: Dæmon cruciatus compaſſionis patitur; quia videt Deum compatientem Dæmon gemit, & furit. Ergo compati diuinum eſt, ergo inuidere compaſſis dæmoniacum eſt.

Diabolus ſalutem hominis deplorat.

Compaſſio Dei & Moyſi erga populum.

5. Ad certamen aliud è regione oppoſitum inter Deum, & hominem iuſtum, lectorem voco, certamen, inquam, compatientis Dei, & compatientis Moyſi: ſacris literis mandatur Exodi cap. 32. vbi

populus Iſraël diuerſis titulis nuncupatur: verſ. 1. *Videns autem populus.* Rurſus verſ. 7. *Loquutus eſt autem Dominus ad Moyſem dicens: vade, deſcende: peccauit populus tuus.* Rurſus verſ. 11. *Moyſes autem orabat Dominum Deum dicens: cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum.* O diuinæ ſapientiæ immenſum pelagus! Populus ante peccatum adorationis rituli, nec populus Dei, nec populus Moyſi, vocabatur, ſed populus; tunc nullum videtur habere Dominum, & nullius eſt. Peccat populus, duos dominos habet, & populus Dei, & populus Moyſi eſt; Deus dicit Moyſi: populus tuus eſt; Moyſes dicit Deo: Domine populus tuus eſt. Ergo Deum, & Moyſen habet Dominum. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut vnum diliget, & alterum odio habebit. Certè populus ante peccatum, & Dei eſt, & Moyſi eſt; poſt peccatum nec Dei, nec Moyſi, ſed Dæmonis eſt: qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Sed ſi rectè perpenditur ſacræ literaturæ ſubtilitas, populus magis indiget Domino poſt peccatum, qui ſuæ incolumitati, & redemptioni prouideat, vt deficiente vno, alteri onus commiſerationis, & libertatis incumbat. Optimè Abulenſis quæſt. 17. in caput 32. Exodi, ponderat populi nomenclaturas dicens: *Quamuis exteriùs ſuaderet Moyſi Deus, ne oraret, monebatur à Deo interiùs, vt pro eo oraret, ne deleretur, tanquam pro re ſua: quia ſuus populus erat teſtimonio Dei. Moyſes è contrario iſtum populum Dei eſſe dixit, quaſi totam curam populi illius, & bonum, & malum Deo incumberet; ecce larga Dei pietas, & benigna voluntas, quæ miſerentis formam habet. q. d. Domine ſi iſte populus non eſſet tuus, deberes in eum iraſci, quaſi hoſtis, ſed quia tuus eſt, debes ei mitis eſſe ſicut pater.* Præclara inter Deum, & hominem contentio pietatis, in qua Dei, & hominis commiſeratio, & compaſſio palmam reportant, vbi vterque vincitur, vterque victor eſt; ſine laudis iniuria, abſque honoris diſpendio, imò cum vtriuſque gloria. Vincit Deus dum Moyſem impulit, vt pro populo, pro patria, pro conſanguineis affectu miſerationis apud Deum exoret, pro re propria, & dimidio cordis ſui interpellet. Vincitur, dum argumentis, & rationibus conſtringitur à Moyſe, vt populi tanquam proprij, & peculiaris Deus commiſereatur; vt ſaluet, & redimat populum, ſeruum Dominus ſolicitat.

Cùm peccat populus duos habet Dominos Deum & Moyſem.

Abulenſ.

6. Hanc religioſam commiſerationis affectionem imitatus eſt Paulus ad Romanos cap. 9. verſ. 2. & 3. *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Ad noſtrum inſtitutum expendit ſanctus Ambroſius hîc: *Per hoc* (inquit) *dolet genus ſuum quod eſt ſecundum carnem, quia incredulitate ſua, perenni, & ſalutari beneficio Chriſti ſe priuarunt; ergo optabam, ait, non opto, quia ſcit fieri non poſſe, vt tam honeſtum membrum nullo præcedente vitio abſcinderetur a corpore Chriſti; affectum tamen, & dilectionem erga genus ſuum oſtendit.* Acerbiſſimo mœrore Paulus contrahitur exoptans Iudæorum ſalutem, maximóque dolore pungitur illius animus, dum cernit pereuntes, eorúmque ſalus anxium continuò tenent, & ſolicitum.

Paulina miſerationis affectus erga fratres ſuos.

D. Ambr.

DISCVRSVS IV.

Ad ea verba:

Genti peccatrici.

Inueterata conſuetudo peccandi, viua & expreſſa inferorum imago, & ſtatus damnatorum eſt.

1. OCCVRSAVITNE aliquando tuæ mentis oculis inferorum barathrum? Tartari ſpecies, horribilia ſpectra, ſilentes vmbræ, furiarum tedæ, catenarum indiſſolubiles nexus, regio mortis, & caliginis, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Talem tecum ipſe reputa humani, & indurati cordis habitaculum, in quo Diabolus diuturnam peccatis conduxit manſionem. Placet ſpectare peccantis carcerem, cuius pedes præfectus cuſtodiæ Lucifer in neruo poſuit, cuius collum catenarum ſtrinxit nexibus? Totum hominem tractat quaſi viliſſimum mancipium damnatum triremibus. Lege, & audi ſanctum Iob ad ea verba capitis 12. *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.* Eáque ſanctus Gregorius Magnus expendit lib. 11. Moral. cap. 5. dicens: *Omnis homo, per id, quod malè agit, quid ſibi aliud, quam conſcientiæ ſuæ carcerem facit? Qui cum iudicante Deo, in malitia ſua cæcitate relinquitur, quaſi intra ſemetipſum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam ſæpè nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, ſed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt.* Debitas ſuis ſceleribus diuinæ iuſtitiæ pœnas luit peccator, dum aſſiduitate peccandi, ſibi ipſi vincula fabrefacit, ſuper indurati pectoris incudem; ſibi ipſi carcerem ædificat nefariorum ſcelerum vindicem; etenim æterna inferorum ſupplicia aliquatenus æmulatur, dum ſibi euadendi aditum præcludit, impoſſibilitatem, non phyſicam, ſed moralem elabendi è vinculis, & carcere ſibi ingenerat. Hoc enim denotant Gregorij verba: *Ne euadendi locum inueniat, &: à ſemetipſis exire non poſſunt.*

Inferorum regio qualis?

D. Gregor. Magn.

Iniquus ſceleribus ſuis carcerem ſibi ædificat.

Mala peccandi conſuetendo.

2. Hunc peccatoris ſtatum deſcribit ſanctus Pacianus orat. de Baptiſ. circa finem, dum fatur: *Si quis redemptionis ignarus rurſus ad Angelorum ſeruitutem tranſierit, antiquis illis compedibus, & catenis, id eſt peccati vinculis alligabitur, & fient nouiſſima eius deteriora prioribus: quia & Diabolus eum quaſi perfugam victum vehementius inligabit.* Expende verba illa: *quaſi perfugam victum vehementius inligabit.* Etenim ille, qui contritis Dæmonis laqueis, & mundi contemptis illecebris, ad exercitum, & partem filiorum Dei victor, & ouans tranſierat, calcato Archidæmonis capite, quem ſuſceperant lætabundi expanſis brachijs Angeli, & Angelorum Dominus, in eius amplexus ruentes, & oſcula; huius ſtatus feliciſſimi, & verè beatiſſimi quaſi reſipiſcens, rurſus per peccatum quaſi terga dans Chriſto, & ſocios deſpiciens Angelos, ad Satanæ vexillum euolat; dux impius, & animarum hoſtis antiquum ſeruum recognoſcit, & perfugam militem ſeueriori cuſtodiâ claudit, durioribus compedibus, & ſtrictiori vinculo nectit, ne iterum fugam meditetur. O voluntariam, ſed miſerrimam ſeruitutem fugacis, & momentaneæ voluptatis pretio emptam; catenarum tuarum ſonitus vincula in æternum duratura tinniunt.

D. Patian.

Diabolus peccatorem in vincula conijcit.

3. Miſeram

Adamus de Paradiſo proiectus ſtatum peccatoru à Deo expulſi delineauit.

Lect. Philonis.

Philo. Iud.

3. Miſeram peccatoris ſortem in primo homine ſapientiſſimus Deus delineauit; quando Adamum poſt peccati ruinam è Paradiſo proiecit. Geneſ. cap.3.verſ.24. *Eiecitque Adam* Philo Iudæus lib.de Cherub.legit: *Et expulit Adamum.* Et acutè obſeruat duo verba illa,quibus Adamum exilio mulctat, nam verſ.23. dicitur: *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis.* Et verſ. 24. *Eiecitque Adam.* ſeu expulit. Subdit Philo: *Nunc dicit expulſum, quem modo emiſſum dixerat, non temerè ponens hæc vocabula. Qui emittitur, redire non vetatur, quem autem Deus expellit, is æterno damnatur exilio.* Poſtea Philo ſeipſum ad rem noſtram magis explicat: *Qui nondum tenetur à malitia, datur redditus tanquam in patriam, ad virtutem vnde exciderat; eum verò, qui vehementer obnoxius morbo inſanabili premitur, neceſſe eſt, ferre ſua mala in omne æuum ſine fine damnatum.* Non agnouit Philo Iudæus humani generis redemptorem, Adamum de exilio ad patriam, & paradiſum reuocantem,ideo dixit: *Quod æterno damnatur exilio, & quod fert ſua mala in omne æuum ſine fine damnatus.* Gratias habeamus Domino Ieſu, qui peccata noſtra portauit, gratias Deo Patri, qui Adami, & filiorum iniquitates poſuit ſuper eum, vt ſua charitate diſſolueret, ſuo deleret ſanguine, vt à vinculis abſolutum, in cæleſtem patriam reduceret. Sed ſi ex præſenti Dei iuſtitia, & ex peccati meritis peccator attenditur, à facie Dei non ſolum emittitur, ſed expellitur, & æterno damnatur exilio. Talis eſt ſtatus illius, *Qui* (vt Philonis verbis vtar) *vehementer obnoxius morbo inſanabili premitur, nam is fert ſua mala in omne æuum ſine fine damnatus,* nam inueterata conſuetudo peccandi ſtatus damnatorum eſt.

Siſyphi laborem & cruciatum experitur peccator.

4. Iniquitates ſuas grauiſſimo oneri comparat Dauid Pſalm.37.verſ.5. *Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Numquid in his verbis Siſyphi lapidi alludit Vates? De quo Poëtæ fabulantur, illo ſupplicij genere apud inferos plecti, vt ſaxum ingens in verticem montis nitatur prouoluere, quod cùm magno labore in cacumen extulerit, quaſi irrito labore, deorſum repentè relabitur? De quo Ouidius lib.5.Metamorph.

Aut petis, aut vrges rediturum Siſyphe ſaxum?

Lorin.

Ita ſentit Lorinus expendens verba Pſalmi,dicens: *rectè appellaueris peccatum Siſyphium ſaxum.* Siſyphus peccator eſt, qui cum magno niſu, & contentione ad montem pœnitentiæ, & pietatis Dei conatur aſcendere, peccandi conſuetudine,& peccati onere prægrauatus, iterum relabitur, magnôque impetu deorſum fertur; iſte aſcendens, deſcendens, apud inferos redintegrantis laborem Siſyphi imitator eſt.

Creata omnia auerſantur peccatorem.

5. Quid plura? Prauitate induratum peccatorum, cœlum, terra,elementa omnia auerſantur. Comatus Abſalom, qui quotidie ornabat,demulcebatq; intonſam, & auream comam, è capillitio calamiſtraro,cincinnatóque tanquam è fune ſuſpenſus, è patibulo quercus circumplexus, & irretitus ſtetit. lib.2.Regum cap.18.verſ.9. *Adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* O egregium ſpectaculum! O miram ſacri Hiſtorici ſapientiam; quid opus eſt accuratè referre tyrannum parricidam infantem Abſalonem inter Cœlum, & terram ſuſpendioſum? Quid mirum ſi in aëre ſuſpenditur,inter cœlum, & terram medius ſtet? Nec iniucunda, nec ſuperuacanea annotatio ſacræ Hiſtoriæ eſt: peccatorem Abſalonem cœli ipſi deteſtantur, terra tangere refugit, & quod maximum eſt, mulus deſerit ſeſſorem dominum, & celeri curſu elabitur, ne opprimatur, inquinetúrve ſacrilego onere. Sed audi ſanctum Chryſoſtomum, in Pſalm. 3. ſic fantem: *Poterat ergo videri Abſalon ſuſpenſus in medio cœli, & terra: Cœlum eum non admittebat; ſi enim primum inſurrectorem eiecit Diabolum, quomodo ipſum ſecundum inſurrectorem admiſiſſet? Terra eum auerſabatur non ferens pollui paſſibus parricidæ.* Elementa omnia peccatorem abhorrent, non cœlum recipit, terra alioqui communis, & pia hominum mater, non ſuſcipit; ſolum inferi tanquam Tartareæ Reipublicæ ciuem, & amicum, obſtinatum peccatorem libenter admittunt.

D.Chryſ.

Homo flagitiis conſtrictus infernum vocatur.

6. Continuis ſceleribus obſtrictum hominem Paſtoris vetidica Lyra infernum vocat. Pſalm.9. verſ. 18. *Conuertantur peccatores in infernum.* Non dixit in inferno, quaſi conuerſionem fontium poſt diuturnas inferorum pœnas fallacem, erroneam cum Origene ſpectes. *In infernum* dixit,conuertitur peccator; ſicut enim animus contritione, & gratia in cœlum mutatur, ita aſſiduis ſceleribus in infernum conuertitur, inferorum præſagium ſecum portat: ſic expendit verba Pſalmi ſanctus Auguſtinus: *Conuertantur peccatores in infernum, id eſt dentur in manus ſuas,cum eis parcitur,& illaqueentur delectatione mortiferâ.* Cùm à Deo iuſtè derelinquitur homo in manibus peccatorum ſuorum,ſcelera ſceleribus nectens, talis peccator in infernum conuerſus eſt. Proh dolor! quot Principes, quot diuites, gloriâ, & diuitiis affluentes, infernum tēporale ſecum portant; faxit Deus, ne tales peccatores in infernum per infinita ſæcula duraturum conuertantur.

D. Auguſt.

Peccatores Furiis agitantur.

7. Sed vt libidinoſi, iracundi,in ſceleribus ſeneſcentis, & quaſi furiarum tedis ardentibus incitatum animum, & accenſum pectoris rogum ſpectes,in medium produco verba ſancti Iſidori lib.8. Etymolog. cap.11. *Aiunt, & tres furias feminas crinitas ſerpentibus, propter tres affectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ,nec periculi ſui reſpectum habere permittant, Ira, quæ vindictam cupit: Cupiditas, quæ deſiderat opes: Libido,quæ appetit voluptates. Quæ ideò furiæ appellantur, quod ſtimulis ſuis mentem feriant, & quietam eſſe non ſinant.* Iſidorum illuſtrat Cicero orat. pro Roſcio Amerino, & lib. 1. de legibus, quem refert Lilius Gregorius Gyraldus ſyntagmate 6. ſic loquitur eloquentiæ parens: *Sua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ, quæ dies, noctéſque pœnas repetunt, quæ agitant, & inſectantur impios, non ardentibus tædis, ſed angore conſcientiæ.* Vidiſti in peccatore inferias vmbras, viuam inferni imaginem? Hæc Tartari monſtra improbus creat, & nutrit, dum quotidie prauos impinguat affectus, alimenta præbens ſceleribus, vitioſiſque habitibus, deuorantem ignem, ardoréſque ſempiternos alit.

D. Iſid.

Cic.

Lil.Gyral.

Mala conſcientia anger.

DISCVRSVS V.

Adeò formidandum, & graue peccati onus, vt Gigantæos, & Dei omnipotentes humeros penè opprimat.

1. QVAM inmane peccatum eſt, quàm graue,& ponderoſum! totus portare nequit orbis;

orbis; etiam lacertoſus Gigas tanto ſuccumbet oneri. Hoc velut immenſum pondus agnouit Ioſeph, cùm illecebris circundatus, ſed non captus, ſerpentinam vocem Harpyæ, & virulentum flatum, ingentes manuum ſpiras, pallium conuoluẽtes, incolumis euaſit; horrore culpæ ſanctus iuuenis correptus, & ad immanitatem ſceleris expaueſcens, rogum ardentis incendij, blandientéſque ignis impudici flammas animoſus tranſiliit. Vide horrorem, aduerte pauorem. Impudenti fœminæ, non heræ, ſed ſuæ cupiditatis ancillæ reſpondet: *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Geneſ.cap.39. verſ.9. Hebræus legit: *quomodo faciam malum grande.* Ingenuum fatetur animum, in ſeipſo impoſſibilitatem agnoſcit ferendi tam graue onus, vt pulchrè annotauit Oleaſter in morali interpretatione Geneſ.cap.39. Hæc ſunt illius verba: *Hoc malum peccatores, dum peccare volunt, habent; quod cum peccare cupiunt, peccatum attenuant; iuſti verò, omnes neruos eius extendunt: & tam graue, & magnũ faciunt, vt vires eorum omnino excedat, & ſic dimittant, nec ſe poſſe, aut ſcire facere fatentur.* Impius dum criminum magnitudinem cæcus non examinat, non reſpicit, nec eorum pondus ponderat, quaſi leuiſſimas paleas ſuper ſcapulas defert, velut inſipiens iumentum onuſtum fœno; at vir timoratus, & iuſtus vires ſuas, tametſi robuſtiſſimas, tantæ magnitudini imbelles, & pygmæas, tanto oneri ferendo impares iudicat; ad ſufferendum ſqualorem, & laborem carceris, & ferreæ catenæ onus, vt gigas exultauit, humerúmque ſuppoſuit Ioſeph, cum fratrum inuidia, immanſueta, & barbara fera, inuictus luctatur pugil; at cum à Gigantæa mole peccati ad luctam prouocatur, certamen reſpuit, arma proiicit, ſe imbecillum, infirmum, debilémque ad pugnandum fatetur, nec poſſibilitatem, nec vires, nec firmamentum ad tantum onus portandum ſuppetere. *Quomodo faciam malum grande.* O piam, ſed honoratam puſillanimitatem, ſed vincentem, ſed triumphantem! *Quomodo faciam malum grande?*

Ioſeph contra peccati vires non eſt auſus.

Lect. Hebr.

Oleaſt.

Iniqui vires peccati extenuant, iuſti illius robur extendunt.

2. Grauitatem iſtam peccati elegantiſsimis verbis amplificat ſanctus Anſelmus lib. 1. cur Deus homo? cap.21. *Si neceſſe eſſet aut totum mundum, & quidquid Deus non eſt, perire, & in nihilum redigi; etſi plures eſſent mundi, vel infinito numero multiplicarentur, aut te facere tam paruam rem contra voluntatem Dei, cum intueor, quod ſit contra voluntatem Dei, grauiſſimum quiddam, & nullo damno comparabile intelligo.* Si librates pondere totam mundi machinam, montium grauedines, & quidquid creatum, & creabile mundialis, & corporei orbis eſt, leuiſsimum inuenires, ſi comparares cum leuiori crimine, quod contra voluntatem Dei eſt; audeo dicere illum, quem, ſi totus dilabatur orbis, impauidum ferient ruinæ, vel leue peccati pondus non feriet impauidum, ſed penitus opprimet.

D. Anſel.

Grauiſſimum peccati onus.

3. Vidit Deus populum ſuum onuſtum ſceleribus, & miſericordia motus eſt. Pſalm.80. *Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt.* Hanc ſententiam ſic expendit Venerabilis Beda: *Ipſum quaſi multis oneribus ſarcina peccatorum incuruatum erexit. Quia manus eius ſeruierunt in cophino, id eſt, opera eius fuerunt in expletione carnalium concupiſcentiarum, & carnalium deſideriorum, quod verè ſeruitus erat, & ab his oneribus liberauit eum.* Stercoreis voluptatum cophinis implendis, onerandiſque mancipatum populum à Deo liberari egregium beneficium exiſtima, quod Deus in Iſraëlem, in peccatorem confert; dum ligna, lapides, & denſum lutum baiulantem videt, & à ſuis humeris abominationes proiicit, quibus ferè ille, qui verbo, & nutu virtutis ſuæ ſuſtinet orbem, incuruari videtur.

Peccatorum pondere incuruatur peccator.

Beda.

4. Attentè vide, & audi Deum ſcelerum onere oppreſſum, ac gemebundum, edentem lamenta, & triſtia ſuſpiria Amos cap. 2. verſ. 13. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Quæ verba Tigurina ſic effert: *En ego onuſtus nimium premor, ſtrideóque ſub vobis, perinde ac plauſtrum onuſtum manipulis premitur, ac gemit.* Conqueritur Deus præ nimia ponderis peccatorum preſſura, ac gemit; Diuinus Atlas, qui manibus cœlum ſuſtinet, & appendit tribus digitis molem terræ, peccatorum oneri ſuccumbit, & præ immenſa grauitate, & anguſtia prorumpit in gemitum. Sed comparationem plauſtri fœno onuſti eleganter explicat ſanctus Cyrillus Alexand. in Amos: *Ero igitur, inquit, vniuerſorum Dominus, vt axis, voluuntur autem circum axes rotæ, lignis, graui, & ingrato ſono ſtridentibus, propè clamantibus, quæ illis impoſita ſunt oneribus. Clamabo verò quaſi qui onus graue peccatorum ab impijs aceruatorum amplius ſuſtinere nequeam.* O moleſtam, ponderoſam, & penè immenſam ſcelerum grauitatem, qui cœli, & terræ onus ſuſtentat, peccatorum non ſuſtinet pondus, eorum onere premitur. Populus grauis iniquitate, ſeu peccatis onuſtus (hanc verſionem in literali commentario propoſuimus) plauſtrum ædificat innitens volubilibus rotis temporalium rerum, quæ in momento, in ictu oculi tranſeunt, prætervolant; dum peccata peccatis accumulat, plauſtrum complet fœno; Quid pulchritudines? quid voluptates? quid mundi gloria niſi fœnum? Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos; imple plauſtrum tuum tritico, & manipulis ſpicarum bonorum operum, non paleis, non fœno; ne tibi materiam adminiſtres ignis in perpetuum arſuri. Hoc igitur plauſtrum criminum vndique circumfert peccator, & dum iſtum Deus ſuffert, plauſtrum ſuper omnipotentes humeros velut imponit. O quot innumera pondera peccantium portat Deus! quid mirũ ſi noſtris vſibus ſe ſe accommodans, gemat, prematur, incuruetur ſub onere. O peccatorem! miſerere Dei tui, & vt Deus tuus miſereatur tui: Alter alterius onera portate, tolle onus de humeris Dei, vt onus tollat Deus de humeris tuis, dum enim à criminibus ceſſas, ipſum Deum velut alleuias.

Plauſtrum onuſtum peccatorum pœna.

Tigurina.

Deus ſcelerũ pondere velut opprimitur.

D. Cyrill.

5. Cum in Raphidim bellum iniret Ieſus Naue cum Amalech, Moyſes aſcendit in montem oraturus Deo pro victoria, & triumpho, plus pugnans oratione, quàm gladio. Exodi cap. 17. verſ. 11. *Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues.* Vnde Moyſi manus tam graues? Cur eas Hur, & Aaron brachia ſuſtentant? cur ſacri lapidis indigent fulcimento? Numquid eas peccatorum pondus aggrauat? Magno ingenij acumine, & verborum profunditate reſpondet ſanctus Ambroſius in Pſalm. 43. *Nullum remedium futurum, niſi Ieſus, depreſſa iam brachia Moyſi tanquam infirmitati legis attolleret, & ſua miſericordia ſuſtineret. Sed infirmum adhuc fuiſſet legis auxilium, niſi ipſe Ieſus veniſſet in terras, qui in ſe noſtras ſuſciperet infirmitates, quem ſolum noſtra peccata grauare non poſſent, nec inclinare manus ſuas, qui ſe inclinauit vſque ad mortem Crucis.* Itaque Moyſes in eleuatione, & depreſsione brachiorum legem ſuam teneram, & delicatam repræſentat,

Cur in pugna contra Amalech, Moyſi manus tam graues?

D. Ambr.

Ieſus pondera peccatorum noſtrorum ſuſtinuit.

ſentat, quæ pondus prælij, quod inferebant Deo hominum crimina, ſuſtinere nequit; Gigas ille virtute, & ſanctitate, cuius imperio cœlum, terra, maria, elementáque omnia famulantur, ſcelera ſui populi ſuſtinere non valuit, eorum pondera etiam Giganteos humeros, & Atlanticas manus deorſum inclinari cogunt: *Manus autem Moyſi erant graues.* Manus illæ, quæ ad miracula, facinora, triumphos, faciles erant, expeditæ, leues, manus enim contra Pharaonem, & virgam leuauit in portenta, nunc lapideæ, & plumbeæ in profundum deferuntur. Veniat ergo verus Saluator Ieſus, qui infirma legis brachia, & hominum peccata ſuſtineat; ſed quid eſt quod addit Ambroſius? *Quem ſolum noſtra peccata grauare non poſſent, nec inclinare manus ſuas.* Vt homo peccator aggrauatus non eſt; cum Verbo Dei humanam ſuppoſitante naturam, ſcelus, aut crimen, nullum poteſt habere conſortium; non eſt enim incuruatus commiſſione delicti, qui naturâ impeccabilis eſt, ſed quia alienas iniquitates portauit in corpore ſuo ſuper lignum, peccatorum pondere vſque ad patibulum Crucis inclinatus eſt; & vt etiam Deo ponderoſa nimis peccata demonſtrentur, baiulans Crucem non ſemel in genua procumbit, labore, & anxietate oneris oppreſſus, proſtratus vſque ad terram corruit: Extendens, & leuans manus ſuas in Cruce ad populum non credentem, ſed contradicentem, ſed blaſphemantem, eas ſuffixit ligno, vt claui eas retinerent, ne eas ſcelerum pondus ad terram inclinaret. Clamat ergo Iſaias Chriſti nomine, & officio: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, peccatis onuſto.*

Cur manus Ieſu clauis ſuffixa?

Discvrsvs VI.

Dum peccator menſuram peccatorum vſque ad cumulum implet, menſuram miſeriarum, & ſuppliciorum ſuper ſe effundit.

Lectio LXX. illuſtratur.

1. HIc diſcurſus verſionem Septuaginta Interpretum exornat, ſuprà in commentario propoſitam: *Populus plenus peccatis*: Eámque ſic expendit ſanctus Cyrillus Alexand. lib. 1. in Iſaiam: *In cumulo, ac plenitudine ſuorum peccatorum hæſerunt. Quod etiam illis Chriſtus dixit* (Ioannis 8.) *in peccatis veſtris moriemini. Etenim expleuerunt, & ipſi menſuram patrum ſuorum. Ad aliquod enim tempus, & menſuram tulit Deus contemptum delinquentium, cum autem ad plenitudinem peccati pertigerint, ſupplicium irrogat.* Quid illuſtrius? Menſuram peccatorum expectat impleri Deus, cum autem ſupereffluentem viderit, ſupplicia immittit, flagella, inquam, tremenda, & formidanda: in peccatis veſtris moriemini.

D. Cyril.

Menſura peccati quæ ſit?

2. Hanc peccatorum menſuram oſtendit Angelus Dei Zachariæ Prophetæ, cap. 5. verſ. 5. & 6. *Et egreſſus eſt Angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: leua oculos tuos, & vide quid eſt hæc, quod egreditur, & dixi: quidnam eſt? Et ait: hæc eſt amphora egrediens. Et ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ: & dixit: hæc eſt impietas.* Huius ſymboli vmbram obſcuris lineis Zachariæ delineatam ab Angelo, Septuaginta Interpretes viuidis coloribus, & luminibus verborum illuminant: *Hæc eſt menſura quæ egreditur. Hæc eſt iniquitas eorum in omni terra,* quaſi dicerent hæc eſt menſura iniquitatum ſuperplena, vt aduertit Hieronymus: *Angelus, qui loquebatur in Prophета præcipit illi, vt leuet oculos ſuos, & videat peccata populi Iſrael, in menſuram coaceruata perfectam, & impleta delicta cunctorum.* Ad menſuram ſcelerum ſubſequuta eſt menſura ſuppliciorum. Nec prætereunda ſilentio eſt, Vatis illa ſententia: *Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Et eſt ſenſus ſecundum Vatablum: *Hæc eſt oculus, quo videntur à Deo peccata, quæ fiunt ab hominibus.* Ille, qui puriſſimus, & clariſſimus eſt oculus intuens omnia, dum peccator menſuram non implet, aut excedit peccatorum, quaſi velum obtendit ne videat ſcelera; vnde amphora illa coaceruata delictis, & impleta ſceleribus, quaſi viſorium eſt, lumen & oculus vt ea ad puniendum intueatur.

Amphora Zachariæ oſtenſa, menſura eſt peccatis ſuperplena.

Lect. LXX.

D. Hieron.

3. Sed audiendus eſt ſanctus Iſidorus Peluſiota, lib. 3. epiſt. 33. *Quoniam quæris quidnam cauſæ ſit cur Zacharias iniquitatem ſuper menſuram ſedentem viderit? Reſpondeo per menſuram, diuinæ erga eos, qui peccauerunt lenitatis, & patientiæ finis, pœnæque principium ſignificatur. Nec enim abſque menſura, nec ſemper vitiis indulgere permittentur, verum iam iamque acerbiſſimis ſuppliciis mulctabuntur.* Ad examen voca illam plenam formidinis, & timoris ſententiam: *Diuinæ lenitatis, & patientiæ finis, pœnæque principium.* Inſinuat Peluſiota ſtatum, & certum criminum numerum in quæ peccator, Deo permittente, liberè corruet: dum numerum adimplet, expectat Deus, ſuſtinet Deus, allicit, terret, minatur, ſed impleto numero, finem imponit peccator clementiæ, & pietati Dei, cui in miſerendo, & parcendo peccantibus non eſt numerus, eúmque vt iuſtus Iudex ad æterna ſupplicia damnat, qui non agnouit beneficia, quæ in eum contulit vt miſericors pater; impius, & ſceleſtus filius expleat voluptates, & voluntates ſuas, profundiſſimo vitiorum, turpitudinúmque omnium gurgite ſe ſe immergat, dabit Deus his quoque finem; peccabit vltimum, delinquet extremum, ianuam miſericordiæ, menſuram implendo, claudet, portam vltionis, & pœnarum aperiet.

D. Iſidor. Peluſ.

Cur iniquitas ſuper menſuram ſedeat?

Patientiæ Dei finis, & pœnæ principium.

Nil ſine menſura à Deo fit.

4. Diuinæ iuſtitiæ executores miniſtri deſtinantur Angeli ad deuaſtandas Sodomitarum vrbes, concremandas ignibus, redigendas in cinerem; quis compulit Deum vt in Pentapolim eiacularetur fulmina, compluerct flammantes globos, & ſulphureos ignes? Impleta menſurâ peccatorum. Geneſ. cap. 18. verſ. 20. fatetur Deus ſe à tali menſura ad vindictam prouocatum. Dixit itaque Dominus: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Septuaginta legunt: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ impletus eſt apud me, & peccata eorum magna valde.* Quam lectionem expendens ſanctus Ambroſius libro 1. de Abraham cap. 5. ſic fatur: *Magna Domini patientia, vt non ſtatim peccatorem puniat, ſed diu differat, expectans correctionem: nec commouetur ad vlciſcendum, niſi peccator menſuram excedat. Vnde & Dominus Ieſus in Euangelio ad Iudæos ait: implete menſuram patrum veſtrorum.* Improbitatum aceruus, & cumulus clamor peccatorum eſt vindictam poſtulantium. Ad aures Dei quotidie clamitant vt peccatores diſperdat.

Completa menſura ſcelerum, Deum compulit ad ſ dona ſupplicium.

Lect. LXX.

D. Ambr.

Dei patientia peccatorē expectat, donec menſuram expleat.

5. Pulchram, & decoram nimis tribuit natura formam Principi Abſalom filio Dauid, è capite fluebat aurea cæſaries totos humeros circumuolitans, quæ ad radiorum Solis ictum repercuſſa, mirum eiaculabatur ſplendorem. Capillitij pulchritudinem

Abſalonis capillitium quanto in honore fuerit apud Ieroſolyma ſeminas.

tudinem refert liber 2. Regum cap. 14. verſ. 26. *Quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico.* Aureum vanitatis in capillis ſuis Abſalom venerabatur Idolum, dum effœminati adoleſcentes, delicatiores, & lautiores feminæ tonſum vellus mercantur ad ornatum, vt capilli in alienis frontibus, & temporibus, aut cincinnati defluant, aut orbiculos criſpatos oſtentent, vt turris, aut collis in ſimilitudinem efformentur. Vidiſti ſimilem vanitatem? Ieroſolymitanæ puellæ patibulo ſuſpenſi cuiuſdam, & crinibus decorantur parricidæ. Quid mirum, ſi tonſis, de cadauere femineo, & forte damnato, capillis, Chriſtianæ ornantur feminæ? Sed multiplicitatem criminum in capillis agnouit ſanctus Paulinus epiſt. 4. vocat enim ad ſtateram mentis capillorum numerum, & pondus, dum eos Abſalom librat: *Ponderabat capillos capitis ſui.* Inquit ergo Nolenſis Epiſcopus: *Quo apertius exprimi poteſt, pro operibus numerari capillos, cum in impij capite, non aliquam virtutem, ſed tantum ſarcinam capillorum Scriptura ſignarit.* Pro operibus Abſalom iniquis numerabantur capilli, dum ſingulis annis ſpolium verticis ponderabat, vt liceretur; licia aurea appendebat Deus, an numerum impleſſent; impleta eſt enim menſura malorum, & illius ſcelera redundarunt vſque ad verticem, ideò de vertice orta eſt Abſalonis ruina; capillorum, ſeu malorum numerus reſtem longam contexuit, vt de quercus patibulo ſuſpendatur.

D. Paulin.

Numerat Deus operum capillos.

Iuſti bonorum operum menſuram implent.

6. Quàm longè diuerſam implent iuſti menſuram; non criminum, ſed bonorum operum, ſed ſuſtinentiæ in laboribus, & flagellis. Hanc menſuram replebat Paulus ad Coloſſenſ. cap. 1. verſ. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Difficillimum Pauli aſſertum, illius profunditatem proponit Photius apud Oecumenium: *Chriſtus non modò ſimpliciter compleuit omnia, verum etiam ſupra omne ingenium, & ineffabili ratione expleuit; quæcumque perferamus, ſi ad Chriſti conferantur afflictiones, defectus quidam ſunt. Quo enim modo fiat, vt ſit ex æquo completum, ſi Dominus pro ſeruo patiatur, per id quod ſeruus pro Domino?* Sed his omnibus ſatisfacit pleniſſimè acutiſſimum ſancti Auguſtini ingenium, nodos omnes, & tricas Photij, velut fortis Samſon vincula Allophylorum diſſoluens. Supponit quod Chriſtus patitur in capite noſtro, & patitur in membris ſuis, & corpore, quod eſt Eccleſia, paſſionum Chriſti in quantum caput eſt, nullus poteſt implere menſuram, cùm ipſe paſſionibus, & tormentis pleniſſimè cumulauerit; at paſſiones Chriſti, quas patitur in corpore, quotidie complent iuſti. Inquit ergo ſanctus Auguſtinus in ea verba Pſalm. 61. *Tanquam parieti inclinato. Si ergo in membris Chriſti es quicumque homo, quidquid pateris, deerat paſſionibus Chriſti. Ideo additur quia deerat, menſuram implens, non ſuperfundens.* Quod deerat paſſionum Chriſti ſupplent iuſti, & menſuram paſſionum Chriſti implent, iniqui autem implent menſuram punitionis Dei, & theſaurizant ſibi iram in die iuſti iudicij Dei.

Photius. Oecum.

Quomodo Paulus & viri iuſti adimpleant, ea quæ deſunt paſſionum Chriſti.

D. Auguſt.

Iuſtus patiens pro Ieſu, menſuram implet paſſionum.

7. Talis erat Baltaſſar Nabuchodonoſoris filius, qui in prophano conuiuio temulentorum Principum in Phialis aureis Salomonici templi, ſacrilego auſu, & contemptu vina delibat, & libat Baccho Diiſque ſuis. Dum amores, ſymphonias, & blaſphemias iactant; ipſe Sympoſiaſtes Baltaſſar videt manum in pariete hæc verba ſcribentem Danielis capite 5. verſ. 25. MANE THECEL, PHARES. Audiuit Danielis Prophetæ interpretationem: ibi verſ. 26. *Hæc eſt interpretatio ſermonis.* MANE. *Numerauit Deus Regnum tuum, & compleuit illud.* THECEL. *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Quid opus eſt ad puniendum Regem Babylonis, menſura, numerus, ſtatera? Vt intelligas Deum numerare ſcelera, menſurare, & appendere delicta. Articuli digitorum, & ſcribæ manus ad numerum, & ſummam redegit peccata Regis, & inuenit impleſſe menſuram; in diuinæ iuſtitiæ ſtatera opera Regis appenſa, & inuentum eſt lancem malorum adeò grauem, ponderoſam, lancem bonorum penitus eleuaſſe, quia pauca, aut nulla, quæ præponderarent inuenta ſunt; æquo iure irrogata eſt pœna, cùm menſuram malorum adauget culpa. Sed ad hæc pondera, & menſuras, Theodoretum audi in cap. 5. Danielis: *Docuit nos ipſos Propheta nihil eſſe quod apud Deum non ponderetur, quin etiam miſericordiam, ac diuinam lenitatem, menſura quadam, & pondere hominibus adhiberi. Quando itaque tranſgreſſus es, inquit, clementiæ fines, accipe diuinam ſententiam.* Caue peccator, ne dum menſuram iniquitatum adimples, viſcera miſericordiæ conſtringas, reprimas; at pietatis, & dulciſſimæ miſericordiæ fluenta ſuper te non effundantur.

Menſura peccatorum Regis Babylonis.

Theod.

Omnia Deus ponderat. Lenitatem quadam menſura ponderatam tribuit.

DISCVRSVS VII.

De impudentia cum Dæmone certant iniqui, cùm Deum retrorſum abijciunt, & Dæmonem viæ ducem, ante faciem portant.

Iniquus Diabolum Deo præfert.

1. HANC impudentiam præ ſe ferunt Iſaiæ verba: *Abalienati ſunt retrorſum.* Conſueuit iniquus Deo Diabolum præponere. Teſtis eſt ille primus hominum interfector Caïn, qui proprio fratris ſanguine dexteram cruentauit. Innocentem puerum, & Angelicum iuuenem Abel, ſubdolis verbis ad certamen, & lanienam allexit. *Dixitque Caïn ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras.* Geneſ. cap. 4. verſ. 8. auſum dicere nec ſolum egredi in campum Caïn, nec ſine ſocio profectum Abel; hic habet ſecum Agonothetem Deum, vt patientiâ muniat, & Martyrem coronet; illi præit Satanas dux belli, qui zelo, & inuidia Caïn pectus armauit, vt ſub ſigno, & magiſterio illius, qui homicida fuit ab initio, fratrem ſuum diſceret occidere. Vere egreſſus es foras, ô Caïn, receſſiſti à domo Dei, à conſortio Dei; nec, ô infelix mortalium, iterum reuerſurus; dum anima fratris ſolutis corporis vinculis in paradiſum euolat; ſequere ô Caïn imperatorem tuum, quem habuiſti in ſcelere adiutorem, habebis in ſupplicio vindicatorem. Ducem ergo Diabolum ſequebatur Caïn, cui pro vindicta fratris, animam ſpoponderat. Id annotauit ſanctus Chryſoſtomus hom. 7. in caput 5. ad Romanos in morali: *Omnibus (inquit) ab animo excuſſis à Diabolo, ſtans in acie ſe ſe collocabat, animo ad confligendum parato. Etenim Diabolus idem, tum vna cum Caïn belli ducem agebat.* Dux homicidarum Diabolus eſt, ſi Caïn belli ducem ſibi præeuntem Diabolum habebat, Deum ergo retrorſum abiiciebat, vide verba inſani, impudentis, Deum retrorſum abiicientis. Quærit ab eo Deus verſ. 9. *Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: neſcio.* Ore tuo te iudico ſerue nequam, vere inſanus, vere furens,

Caïn in bello habuit Diabolum ductorem & ſocium; Abel habuit Deum præſentem.

D. Chryſ.

rens, verè neſcius extitiſti, qui liuorem fraterno amori, qui Deo Diabolum prætuliſti.

Iudas incipiens eſſe cū Diabolo eycitur à Chriſto.

2. Gradum facio ab vno ad alterum homicidam, ab homicida fratris, ad homicidam Magiſtri Iudam. In cœnaculo ſacrilegus conuiua, in ipſo epulo amoris, & pacis, continuò traditionem moliebatur, quia in pectore ſuo Diabolum ducem ſcelerum, atque vitiorum prætulerat Chriſto. Hoc, amoris Interpres Ioannes ſcriptum reliquit, cap. 13. verſ. 27. *Et poſt buccellā introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Ieſus: quod facis, fac citius.* Vtramque ſententiam Euangeliſtæ Ioannis grauiter enodauit ſanctus Ambroſius lib. 2. de Abel cap. 4. dicens: *Momento eo, quo Iudas Diabolum recepit, Chriſtum amiſit. Denique ſcriptum eſt & poſt buccellā introiuit in eum Satanas. Dixit illi Ieſus: Quod facis fac celerius. Quid illud? Vt quia introierat in illum Satanas, ipſe abiret à Chriſto. Eycitur itaque, & excluditur, eo quod iam cum Domino Ieſu eſſe non poſſit, quia cœperat eſſe cum Diabolo.* In vno, vel altero verbo inſiſto. *Momento eo, quo Iudas Diabolum recepit, Chriſtum amiſit.* Quid eſt *recepit?* in cuſtodem, protectorem, ducem, vt in illius militia ſtipendia mereretur. Contempto Imperatore cæleſti, & Domino Sabaoth. *Eycitur itaque, & excluditur,* &c. à Chriſti magiſterio, à Collegio Apoſtolorum, à cœli culmine, à Ieſu ſodalitio, quia Diabolum prælegerat, quia infidelis, & apoſtata per ſummam impudentiam, & inuidiam terga verterat Chriſto, & ad Satanæ partem tranſierat.

D. Ambr.

Diabolus retrò factus eſt, cum à Chriſto vincitur. D. Auguſt.

3. Hunc communem delinquentium contemptum, & de impudentia cum Dæmone certamen ſcribit ſanctus Auguſtinus ad ea verba Pſalm. 9. *In conuertendo inimicum meum retrorſum.* Sic ea diſcutit Aurelius: *Huius ergo inimicus quando retrò conuerſus eſt? An quando ei dictum eſt, vade retro Satana? Tunc enim qui tentando, ſe preponere cupiebat, retro factus eſt, non decipiendo tentatum, & in eum nihil valendo. Conuerſus eſt igitur inimicus retrò, poſtquam non valuit hominem cæleſtem decipere tentatum: & ſe ad terrenos conuertit, vt dominari poteſt. Quapropter nullus hominum eum præcedit, & retrò eum eſſe facit, niſi qui deponens imaginem terreni hominis, portauerit imaginem cæleſtis.* Qui ergo portauerit imaginem terreni hominis, & depoſuerit imaginem cæleſtis, non retrò, ſed ante faciem ſuam Diabolum fecit; vide iniqui peruicaciam, Diabolus retrò factus eſt, cum dicitur: *vade retro Satana,* vt Chriſtus præcedat; at peccator Dæmonem ante faciem portat, vt Chriſtus retrocedat. De præexcellentia cum Deo, cum hominibus militat Diabolus, & omnes homines, vincens tentatos, præcedere tentat; ſed non ſuccumbens inſultibus inimici, victoriam reportans, calumniatorem humiliaſti, & retro eſſe feciſti. Conuerte ergo animum ad Deum tuum, cui verteras dorſum, & ante faciem, Regis imaginem cæleſtis porta, vt etiam Diabolus in te ſuum veneretur auctorem.

Iuſtus cùm portat imaginem hominis cæleſtis, retrò facit eſſe Diabolum.

Difficilis locus Philonis expenditur. Phil. Iud.

Iniquus de caſtris Dei ad caſtra Dæmonis transfuga.

4. Difficilis locus reperitur apud Philonem Hebræum lib. de Gigant. circa finem: *Filij terra* (inquit) *mente ſua exorbitantes, & puteos effodientes, deſerto meliore ordine ſuo, ad deteriorem, contrariúmque transfugerunt, Neb et huius facti principe. Dicit enim legiſlator, hic cœpit eſſe Gigas ſuper terram Interpretatur autem Nebrod transfugium. Non enim ſatis erat miſerrima animæ neutrarum eſſe partium, ſed accedens ad hoſtes, arma ſumpſit contra ſocios, & apertum bis bellum intulit.* Hic auctor difficillimus redditur, quia plures ſacræ Scripturæ dictiones in eadem ſententia connectit. Sicut in præſentiarum. Alludit enim ad Geneſ. cap. 6. verſ. 4. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis.* Et ad cap. 10. verſ. 8. in quo de Nemrod dicitur: *ipſe cœpit eſſe potens in terra.* Primus enim extitit in terra Tyrannus. Alludit etiam ad cap. 26. Geneſ. in quo de puteis, quos obſtruxerunt Philiſthiim, fit mentio. Præterea Nemrod in lingua Hebraica, *rebellē* propriè ſignificat. Sed acumen ingenij Philonis perſcrutemur. Præclara ſummi Philoſophi verba, ſi primi Angeli peccatum innuiſſet, quis Nemrod rebellis, & tráſfuga, niſi Lucifer, qui contempto Deo deſertóque ordine Seraphici Principatus, ad deteriorem, contrariúmque transfugit, & accedens ad hoſtes apoſtatas Angelos arma ſumpſit contra ſocios, Angelos videlicet ſocietate naturæ, & gratiæ in prima creatione cōiunctos, & apertum bellum Deo intulit. Nonne Apoſtatæ Angeli imitator eſt religioſus transfuga, qui deſerto ordine meliore, ad ordinem ſeculi tranſit, & arma ſumit contra ſocios, & profeſſioni ſuæ malis operibus bellum infert? Iſte calce abiicit Deum, & ad Principem tenebrarum fugit.

Nemrod Luciferum rebellem exprimit.

Apoſtata defectionem Satanæ æmulatur.

A duplici Satana Chriſtus tentatur.

5. A duplici Satana inuenio tentatum Chriſtum, primo: Matthæi capite 4. cum ei dixiſſet Diabolus: *Hac omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus: vade Satana.* Iterum Matth. cap. 16. verſ. 23. dicit Ieſus Petro: *vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*: vtraque reprehenſio ſeueritatis plena eſt. Sed Petri increpatio amore temperatur. Vtrobique eſt: *vade, & Satana.* at Petro tantummodo addit, *poſt me* Vt Ieſum vitæ ducem ſequatur; Diabolum verò à ſe abiiciat, quia ipſe Deum retrorſum abiecerat. Id annotauit ſanctus Anſelmus in caput 4. Matthæi, ad ea verba: *vade Satana*: ſubdit: *Non autem, vt plerique putant, condemnatur Petrus, eadem ſententia, qua Satanas. Petro enim dicitur vade retro me, id eſt ſequere me, qui es contrarius meæ voluntati. Hic vero audit, vade Satana, & non additur retro me, vt potius intelligatur in ignem æternum, qui preparatus eſt tibi.* Qui nunquam Ieſum ante faciem portare voluit, æterno igni damnetur; at Petrus etiam in Satanæ nomenclatura, & increpatione, beneficium accipit, cùm Ieſus vt ſe ſequatur iubet; ſciebat enim tametſi trinā negatione ad breue tempus magiſtrum retro relinqueret, imitatorem, & ſocium futurum paſſionis, cùm in ligno Crucis ſuſpenderetur. Et ideò fortaſſis, in terram capite inuerſo elegit crucifigi, vt eſſet caput deorſum, quod debebat eſſe ſurſum, quia propter ancillæ loquentis manifeſtationem, timore perculſus, Chriſto, quod eſt caput Eccleſiæ antepoſuit amorem vitæ.

Cur Ieſus nūcupans Petrum Satanā addit: vade poſt me? D. Anſelm. *Solus Petrus & non Diabolus ſequitur Ieſum ducem.*

Petrus cùm Satan vocatus, beneficio afficitur.

Petrus cur capite in terram verſo crucifigitur.

6. Sed deueniamus ad Iudæos, qui vſque hodie abalienati ſunt retrorſum. Iudas dux iniquæ cohortis, & miniſtri Sacerdotum cum laternis, & facibus veniunt comprehendere Ieſum, cum ergo eum inquirerent, Ioannis cap. 18. *Dicit eis Ieſus: ego ſum. Vt ergo dixit: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Huius ruinæ myſterium proponit ſanctus Auguſtinus citatus à ſancto Thoma in Catena: *Ego ſum, dicit Chriſtus, & à Iudæis expectatur Antichriſtus: vt retrò redeant, & in terram cadant, quoniam deſernentes cæleſtia, terrena deſiderant.* Hæc Auguſtinus.

Iudæi abalienati à Deo cadunt retrorſum. D. Auguſt. D. Thom.

Verſ.5. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens.

COMMENTARIVS.

Calamitates populo inflictas deſcribit Vates.

1. EGIT de peccatis populi, nunc ſermo eſt de pœnis populo inflictis. Caſtigat Deus omnem filium, quem recipit, ipſúmque erudire ſtudet tum per beneficia, tum per flagella; ideò filios, quos delicatè enutriuit, & glorioſe exaltauit, rebelles, & incredulos cum idolis quotidie fornicantes, flagello laborum, & calamitatum eos ad ſe reuocare conatus eſt. Dorſum, & terga, quæ ad Deum verterant, acriter verberauit, quotidie fœda recentibus vulneribus apparebant. Fame, peſte, gladio, ſeruitute, cæde vexauit. Sed fruſtrà; nã Deo addente flagella, & vulnera; ipſi addebant flagitia, & præuaricationes, noua colentes idola omnium gentium, Ægyptiorum, Babyloniorum, Sydoniorum, &c. Sed præſertim poſt vaſtitatem, & incendiũ templi, & vrbis, & reliquas calamitates inflictas à Veſpaſiano, & Tito, ſubſequutam indurationem, & contumaciam Iudæorum redarguit. Ita ſentit ſanctus Cyrillus.

Deus populũ vt malè moratum ſeruũ caſtigat.

2. Nunc Deus humano more loquitur inſtar parentis, aut heri, qui malè moratum filium, aut ſeruum verberibus caſtigatum, excruciatum, & non emendatum, quin potius contumacem, & induratum ad vulnera, maiora crimina committentem, quaſi ſecum deliberans introducitur, & loquens; quid faciam cum homine iſto? caſtigatione fit inſolentior. Prorſus de tua ſalute, & emendatione deſpero. Similis loquendi modus reperitur Oſeæ: c.6.v.4. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda?* Sic interpretantur prædicta verba S. Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, Chryſoſtomus, Procopius. Fauet lectio Septuaginta: *Quid adhuc percutiamini, addentes iniquitatem?* Eámque ſequuntur S. Cyrillus, & Procopius. Theodotio: *addentes declinationem.* Chryſoſtomus, & Baſil. *addentes legis præuaricationem.* Tigurina: *addentes defectionem.* Quæ omnia in idem recidunt. Audi Procopium: *Quorũ enim peccata medicinam poſſunt admittere, eoſdem minacibus verbis caſtigare ſolitus: viſitabo inquit in virga iniquitates eorum. At iis, quorum eſt deplorata ſalus, tanquam de reſipiſcentia dubitet, atque deſperet: quid vltra, ait, percutiemini.*

Innuit Iſaias deſperatam populi ſalutẽ.
D. Hieron.
D. Cyrill.
D. Baſil.
D. Chryſ.
Procop.
Lect.
LXX.
Theod.
Tigur.
Procop.

Ieroſolyma grauiſſimo morbo languet.

3. OMNE CAPVT LANGVIDVM, ET OMNE COR MOERENS.] Rempublicam Iſraëliticam proponit Iſaias velut corpus morbo grauiſſimo oppreſſum, in quo caput, cor, pedes, hoc eſt Reges, Principes, gubernatores, Sacerdotes, Scribæ, Doctores, vulgus; ſupremi, medij, infimi, vario morborum, ſeu vitiorum genere laborant. Reges, & Principes cum capite, Sacerdotes, & legis Doctores cum corde, æquo iure comparat. Quia Reges ſuperiorem, & eminentiorem obtinent locum, ſicut caput in corpore. Cor eſt vitæ, & venarum principium, & caput à corde dependet, & è contra, ſic eſt vita Reipublicæ Sacerdos. Si caput, & cor langueſcunt, neceſſe eſt, quod reliqua corporis membra careant ſanitate. Sub hac Metaphora capitis, & cordis intelligit ſanctus Hieronymus Sacerdotium, & regnum Iudæorum, attamen ſelectiora ſunt verba ſancti Cyrilli Alexandrini: *De vno velut corpore Iudaicæ Societatis, de paruis, inquam, & magnis, & mediocri ſorte præditis hominibus ſermonem inſtituit. Caput videtur dicere eum, qui Regni prærogatiuis ornatus eſt: cor verò ſacroſanctam, & ſelectam tribum, id eſt, Leuiticam, velut lege eruditam, & curam totius corporis gerentem.* Enimuerò ſeruatâ metaphorâ, Deus & Iſaias inſtar medici loquuntur, qui agnita vi, & malitia morbi; eúmque eſſe inſanabilem, pro deſperato derelinquit; proponunt Rempublicam Ieroſolymitanam ægrotam, ac deſperatam, ita vt nullum membrum ſit quod non aliqua mortifera infirmitate laboret. Nullúmque vel lene, ac blandum, vel rigidum, ac mordax medicamentum huic myſtico corpori ad reſtituendam ſanitatem profeciſſe.

Sacerdos cor Reipublicæ, Rex caput eſt.
D. Hieron.
D. Cyrill.

Deus tanquam medicus explorat ægritudinem, & deſperatam decernit.

4. Alia viâ poſſumus perſcrutari profunditatem verborum diuini Vatis, ſi vehementem, & periculoſam mœſtitiæ, & mœroris ægritudinem à corde promanantem, & in corde reſidentem, perpendamus: ex nimia enim triſtitia, & timore mali imminentis, aut iam præſentis cor ſæpiſſimè deliquium patitur, totúmque corpus deficiens viribus langueſcit. Cordis mœſtitiam egregie definit Galenus lib. 3. de Hippocratis, & Platonis decretis cap. 5. verba referens, & approbans Chryſippi: *Quidam dicuntur cordis dolore laborare, qui ſolicitudine, curiſque verſantur, quippe cum in corde, ille ex mœſtitijs curiſque conceptus dolor exiſtat.* Ibidem ex Platone hæc recenſet: *Nam & cordis palpitatio, & totius animæ concurſus ad cor, in pauoribus euidens eſt. Pauores, & angores, omnéſque id genus affectus in corde conſiſtunt.* Diſſolutio, & remiſſio omnium corporis partium cum pauore, & mœſtitia connectitur. Illuſtris eſt Galeni locus lib. 12. metho. medẽdi c.5. ſic habet: *Sunt porrò affectus animi timor ſubitus, & vehemens (quem ἔκπληξιν Ecplexin Græci vocant) ſcimus enim eius occaſione periſſe quoſdam. Iam reliqui quoque magni timores omnes ſi non iugulant, at ſeriè facilè reſolubilem, infirmúmque ſpiritum reddunt, triſtitia verò, & anxietates, vires reſoluunt. In omnibus eiuſmodi vſibus manifeſtè videntur ægrotantes, tum animo linqui, tum viribus reſolui, nonnulli verò etiam mori.* Hæc ex Galeno.

Altera expoſitio.
Mœſtitiæ, & mœroris ægritudo qualis ſit?
Galen.
Plato.
Chryſip.
Galeni placita de cordis affectibus prolata.
Pauores, & angores cordis.
Galen.
Magni timores ſpiritus reſoluunt & languorem efficiunt.

Mœrentis affectus, & languor.
Seneca.

5. Audiendi ſunt quoque humanæ literaturæ Vates. Seneca in Hippolyto mœrentem, & languentem inducit.

Terrà repente corpus exanimum cadit,
Et ora morti ſimilis obduxit color.

Et in Troade:

Reliquit animus, membra quatiuntur, labant
Torpétque vinctus frigido ſanguis gelu.

Actu tertio oſtenditur Andromachæ mœſtitia in Troiæ excidio:

Quid mœſta Phrygiæ turba laceratis comas?
Miſerúmque tunſæ pectus, effuſo genas
Fletu rigatis? leuia perpeſſæ ſumus
Si flenda patimur.
Tunc obruta atque euerſa Troia concidit.
Torpens malis, rigénſque ſine ſenſu feror.

In Hercule Oetæo, Actu tertio:

Vagus per artus errat excuſſos tremor,
Erectus horret crinis, impulſis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,
Pauidúmque tepidis palpitat venis iecur.

Galenus lib. 4. de Hippocrat. & Platonis decretis cap. 5. in medium producit pauorem, mœrorem, & remiſſionem virium Agamemnonis in Troiæ incendio, & vaſtitate, omnino ſimilem mœrori, languori, ſtupori Hieroſolymitanorum ciuium in excidio, & incendio vrbis. *Nam ſtatim* (inquit Medicorum

Galen.
Plato.
Agamemnon in Troia excidio mœrore perculſus deſcribitur à Platone, & Galeno.

eorum Princeps) *ob cladem, fuſúmque exercitum vnà cum aliis Principibus, incredibili quodam mœrore perculſus.* Et ſtatim introducit Agamemnonem interroganti Neſtori his carminibus reſpondentem:

Erro adeò, neque enim mulcet mea lumina ſomnus
Sed bello exagitor Græcorum, & clade recenti.
Nam Danais valde timeo, nec mens mihi firma
Sat manet, at trepidat dubiis in rebus; & ipſum
Cor pauitat; latebríſque è pectoris exilit imis.
Deficiúntque mihi venienti crura timore.

Ieroſolyma ex vaſtitate & incendio Romanorum timore & mœrore perculſa lãguet.

Sic diuinus noſter Vates in illis verbis: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens,* Chriſti temporibus, præſertim poſt illius necem, nobis ante oculos conſtituit Iudaicam gentem velut ægrotum in lectulo decumbentem, languidum, deficientem viribus præ mœſtitia, & dolore incendij, vaſtitatis, patriæ, templi, ciuium, iam iam animam agentem. Hic videtur eſſe genuinus horum verborum ſenſus, & colligitur ex verbo Hebraico לחלי *lacoli* quod reſpondet *languori, vel languido.* Significat enim: *dolorem, cruciatum, infirmitatem.* Septuaginta legunt: *omne caput in labore.* Sanctus Cyrillus: *omne caput dolet.* S. Baſilius, & Chryſoſtomus: *omne caput ad dolorem.* Præterea pro *mœrens*; Hebraicè eſt דוי *davvaj* à radice דוה *daua*: *infirmari, ægrotare, languere, pertæſum eſſe*, ſicut accidit ei, qui viribus naturalibus deſtituitur. Vnde Sanctes Pagninus tranſtulit: *Omne cor languidum, debile, viribus deſtitutum.* Idem verbum in Syro-Chaldæo idem eſt, ac *doluit, mœſtus, vel miſer fuit*: inde verbum: *miſeria, calamitas, infelicitas, dolor, anxietas.* Et Græcum λύπη *contractio animi*, atque *ægritudo, dolor, mœſtitia, pernicies.* Vnde ſanctus Hieronymus *mœrens* tranſtulit, Ieremiæ cap. 8. verſ. 8. Threnorum cap. 1. 13. & 22. & cap. 5. verſ. 7. Septuaginta: *Omne cor in mœrore.* Cyrillus: *omne cor mœret.* Chryſoſtomus, & Baſilius: *omne cor ad triſtitiam.* Sed audiamus ſanctum Hieronymum Ieremiæ cap. 8. vbi dicit Ieremias: *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens*, eſt idem verbum *daua.* Ait ergo Hieronymus: *In Hebraico autem non tam dolor eſt qui Græcè dicitur ἀδημονία, quàm μειδίαμα: quod nos interpretari poſſumus, rictum oris dolore contracti, & habentem riſus ſimilitudinem. Emphaticῶs autem hæc ex perſona Dei legenda ſunt plangentis euerſionem Hieruſalem, & eius miſerias non ferentis.* Similiter Iſaias pronuntiat populum illum, Reges, Sacerdotes, mœrore confectos, triſtitiâ tabefactos, infelicitate, doloribus, anxietatibus penè exanimes, cùm viderent vaſtitatem, incendium, & ruinam ſuæ gentis tempore Babyloniorum, aut Titi Imperatoris, Ieroſolymã expugnantiũ, & incendentium.

Verſiones variæ illuſtrantur & conciliantur.
Lect. Hebr. L x x. D. Baſil. D. Chryſ. Sant. Pag. Syrus. Chald. Lect. Græca. D. Hieron.
Lect. L x x. D. Cypr. D. Baſil. D. Chryſ. D. Hieron.
Ieremias dolore conficitur propter Ieroſolyma euerſionem.

Circa expoſitionem Textus.

QVÆSTIO VNICA.

Inter caput & Regem, inter cor & Sacerdotem quæ analogia; & proportio reperiatur?

1. CVM comparatio Regiæ dignitatis cum capite, & comparatio cordis cum ſacra Sacerdotis gloria à Spiritu ſancto dictata Iſaiæ ſit; videat lector quam apta ſit ſimilitudo, & munia, & officia capitis, Regi, munia & officia cordis Sacerdoti quàm apprimè quadrent.

Primum capitis inſigne. Ariſt.

2. Primò: de capite ait Ariſtot. in problem. ſect. 35. q. 9. *Pars princeps noſtri corporis caput, caput pars ſacra præcipuè eſt.* Et lib. 3. de partib. animal. c. 11. *Cerebrum, principatũ maximè vitæ obtinet.* Sic pars præcipua corporis Reipublicæ Rex eſt, ſacráque illius altitudo, & majeſtas, Regnis, Prouincijs, vrbibus vitam præbens.

3. Secundò: S. Ambr. lib. 6. exam. c. 9. loquens de hominis capite: *Non immeritò igitur capiti quaſi conſultori ſuo cætera membra famulantur, & circumferunt illud ſeruili geſtamine ſicut numen, atque in ſublime locatum vehunt.* Rex quoque ſuper excelſum thronũ reſidens apparet, auro, & purpurâ nitens ſuper geſtatoriam ſellam, aut curru aureo vectus, aut ſuper humeros ſatellitum collocatus, tanquam quid humano maius, aut vnus è cælitum numero portatur. Vnde S. Greg. Naz. orat. 27. cũ Imperatore Iuliano ſic fatur: *Cognoſcite quantum id ſit, quod veſtræ fidei commiſſum eſt quantúmque circa vos myſterium. Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, diademate paruo, atq; exiguo panno retẽtus. Subditis veſtris Deos vos præbete.* In quibus verbis eos nũcupat terrena numina.

D. Ambr. Secundum inſigne. Membra capiti velut conſultori famulantur. Illud vehunt tanquam numen.
D. Gregor. Nazian. Regis dignitas.
Rex tanquam Deum ſe præbeat ſubditis.

4. Tertiò: Ariſt. lib. 1. de hiſtor. animal. c. 15. *Caput ceteris omnibus ſuperiorem obtinet ſitũ, corporis ſui ratione. At homo quoniam ad vniuerſi orbis habitum inſtitutus eſt, idcirco partem iſtam habet reſpondentem parti ſublimi vniuerſi.* Et S. Iſid. lib. 2. different. c. 17. *Caput ad cœlũ refertur, in quo ſunt duo oculi quaſi duo luminaria Solis, ac Lunæ.* Et S. Ambr. lib. 6. exam. c. 9. *Vt cœlũ eminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra ſũt mundi, ita etiam caput ſupra reliquos artus noſtri corporis, cernimus eminere, tanquam inter elementa cœlũ, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia.* Cœlũ Rex eſt in hoc inferiori orbe, quaſi ſplendidis margaritis ornatum, honore, gloriâ, ſapientiâ, diuitiis, reliquiſque virtutum ſideribus diſtinctum, in inferiores influens vtilitates honoris, & gloriæ; arx eſt & commune afflictorum profugium, vt imbelles, & paruulos ab iniuria potentiorum tueatur.

Tertium inſigne. Ariſt. *Caput in ſuperiori loco.* D. Iſidor. *Caput tanquam cœlũ. Oculi luminaria Solis ac Lunæ.* D. Ambr. *Caput eminet tanquam arx inter vrbis mœnia.*

5. Quartò: S. Iſid. ſupra: *In capitis arce mens collocata eſt, tanquam in cœlo Deus, vt ab alto ſpeculetur omnia, atque regat.* Et S. Ambr. ſupra, *In arce autem hac regalem quandam habitare ſapientiam ſecundum propheticũ dictum* (Eccleſ. c. 2.) *quia oculi ſapientis in capite eius: hanc eſſe cæteris tutiorẽ, & ex illa omnibus membris vigorem, prouidentiámq; deferri.* Rex in alto ſolio tanquam in ſpecula conſtitutus vt ſolertiâ ſuâ regna dirigat, & habenas gubernationis moderetur, ſapientérque Reipublicæ prouideat, præcauens mala, bona prudenter promouens.

D. Iſid. Quartum inſigne. Mens in capite reſidet, tanquam in cœlo Deus, vt proſpiciet omnia. D. Ambr.

6. Quintò: quid illuſtrius ad inuitandam ſubditorũ ciuium erga Principem ſuum beneuolentiam, & alacritatem, quàm Ambroſij ſententia vbi ſupra de capite hominis diſſerentis? *Vnde cenſoriâ poteſtate quò vult dirigit, quorumdam obſequia ſeruulorũ, & præcepta ſingulis obeunda decernit. Videas Imperatori ſuo ſingula gratuitò ſtipendia militare. Alia portant, alia paſcunt, alia defendunt, & miniſterium ſuum exhibent, parent vt principi, ancillantur vt Domino.* Eadem præbent obſequia ciues Regibus ſuis.

Quintum inſigne. D. Ambr. *Membra capiti vt Imperatori milites obſequuntur.*

7. Sextò: ſubdit S. Ambroſius: *Mollius eſt cæteris cerebrum, quia omnes ſuſcipit ſenſus: eo enim nerui referunt vniuerſa, quæ vel oculis viderit, vel auris audierit, vel odor inhalauerit, vel lingua increpuerit, vel os ſaporis acceperit, quod quia molle ad compaſſionem aptius: quod autem durum ex aliquo rigore neruorum, ad agendum efficacius.* Reges enim habent oculos, quibus videant, aures quibus audiant, linguas quibus loquantur, amicos ſcilicet, & familiares, fideliſſimos Achates qui omnia Regi referant; quales autem futuri, qui ſunt Re-

D. Ambr. Sextum inſigne. Cerebro ſenſus referunt omnia; cerebrum ad compaſſionem mollius. Regis oculi, & aures.

gis oculi, & aures, &c. infra dicendum. Illa verò Ambroſij ſententia: *Quod quia molle, ad compaſſionem aptius*, cæleſtis quidem eſt, quia pietas, compaſſio, clementia, Regnorum, & Regum ſunt ſtabilimentum; nec auro, & purpurâ, ſicuti compaſſionis decorantur affectu; clementia lapis pretioſus eſt, qui Regium diadema exornat, & illuſtrat; ciues alliciens, beneuolentiam captans, Dei naturam æmulatur, Hæc de capitis cum Rege ſimilitudine.

Clementia in principe fulgeat.

Cordis, & Sacerdotis collatio.

Primum cordis ornamentum. *Ariſt.* *Cor fons ſanguinis & vitæ.* *Origo lætitiæ, & mæroris.*

8. SEptimò: cor etiam hominis aptiſſimum ſymbolum Sacerdotis, & Sacerdotalis dignitatis eſt. Perpendamus illius naturam, & attributa, Ariſtoteles lib. 3. de partibus animal. cap. 4. de corde ait: *Caloris principium eſt. Sanguis ex corde ad venas deriuatur, at verò ad cor non aliunde deuenit, id enim origò prima, & fons ſanguinis & vitæ eſt. Motus lætitiæ, ac triſtitiæ hinc oriri.* Etenim Sacerdos quaſi vitæ ſpiritalis principium, corpus myſticum informat, & viuificat, charitate & bonis operibus fouet.

Secundum ornamentum. *Ariſt.* *Cor à natura in medio collocatum.*

9. Octauò: Ariſtoteles lib. 3. de partib. animalium cap. 4. *Situs cordis ſedem obtinet principalem. In medio enim poſitum eſt. Natura enim rem nobiliorem conſtituere in locis nobilioribus ſolet.* Optimè igitur Sacerdos comparatur cordi, quia nobiliori loco conſtituitur à Deo Sacerdos, etenim Sacerdotalis dignitas inter omnes eminet, etiam Regum, & Imperatorum ſublimes poteſtates, Regale Sacerdotium facilè ſuperat.

Ariſt. *Tertium ornamentum.* *Cordis mucro.* *Sacerdotij gladius.*

10. Nonò: Idem Ariſtoteles ſuprà: *Extremum eius turbinatur in mucronem firmiſſimum.* Quia arma Sacerdotis gladius ſunt ſpiritus, ſcilicet verbum Dei pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum. Etenim Chriſtus Rex, & Sacerdos non venit pacem mittere, ſed gladium. Habet etiam ſacrum Sacerdotium gladium poteſtatis, quo improbos, & contumaces punit, eos à diuinis arcens myſteriis.

Quartum ornamentum. *Ariſt.* *Cor ignis natiui, & caloris focus.* *Sacerdos proximior foco & aræ ignis diuini.*

11. Decimò: Ariſtoteles lib. 3. de part. animalium cap. 7. *Cor omnibus animalibus neceſſarium eſt propter caloris originem. Locum enim adeſſe aliquem quaſi lares focúmque oportet, quo natura fomites, & primordia ignis natiui contineantur, & ſeruentur; eundémque tutum eſſe veluti arcem corporis totius neceſſe eſt.* Cor itaque inter aras, focos, & ignes ſemper verſatur, natiuum ignem membris corporis ſubminiſtrans. Quid illuſtrius ad oſtendendum officium Sacerdotis, cuius munus eſt verſari ſemper inter altaria Euchariſtica, & diuini amoris focum, quo Chriſti corpus, & ſanguis conficitur, & ſicut cor reliquo corpori alimentum, vitam, vitales ſpiritus, & ſanguinem diſtribuit; in corde enim fons ſanguinis reſidet, ita Sacerdos corpori Eccleſiæ, cæleſtis, & æternæ vitæ alimentum, panem viuum, qui de cœlo deſcendit, & Chriſti ſanguinem largitur; illius verbis, & ore ſanguis Chriſti conficitur, fons vitalis, & Deifici ſanguinis in eius manibus continetur, vt Eccleſiæ corpus viuificet. Præterea Sacerdos, & Eccleſia arx eſt, & commune delinquentium perfugium.

Quintum ornamentum. *Ariſt.* *Cor nullum vitium patitur.* *Ariſt.*

12. Vndecimò: idem Philoſophorum Princeps lib. 4. de partibus animalium cap. 2. ait: *Cordi nullus huiuſmodi humor appropinquare poteſt: quoniam illud, affectum nullum patitur violentum.* Et lib. 3. de partibus animal. c. 4. hæc verba ſubnicit: *Cor ſolum viſcerum, atque omnino partium corporis nullum vitium patitur graue: idque rectâ ratione, cum enim principium corrumpitur, nihil eſt, quod cæteris, quæ inde pendeant, præbere auxilium poſſit.* Cor namque nullum affectū violentum, nullum humorem, aut vitiū poteſt admittere, ita Sacerdotem nullus deprauatus affectus nullum crimen debet tangere; in oculis nubecula, in facie macula, in capite deformitas, in reliquis Eccleſiæ partibus labes aliqua poteſt permitti; at Dei Sacerdos, qui cor eſt, & principium vitæ; eſſe debet integer vitæ, ſceleriſque purus: in eo nullus animi morbus, nulla vitioſitas admittenda eſt.

Sacerdotis puritas.

Sextum ornamentum. *Ariſt.* *Cor in homine ſolo palpitat.* *Cor Sacerdotis ſurſum eſt.*

13. Duodecimò: Ariſt. lib. 3. de partib. animal. c. 6. *Cor enim homini animalium vni palpitat, quia homo ſolum ſpe rei futuræ, expectationéque moueatur.* Vnde Sacerdos nullis temporalium rerum curis irretitus teneri debet, ſed ſpe cœleſtium viuere, quaſi inter Angelorum choros verſaretur. Sacerdotibus Dei maximè dicitur: Surſum corda.

D. Chryſ. *Analogia cordis & capitis expenditur.*

14. Denique ſanctus Chryſoſt. tom. 2. homil. 38. in c. 21. Matth. Sacerdotem cum corde comparat: *Cor autem, & Stomachus Sacerdotes intelliguntur, quia in rebus ſpiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et ſicut cor ſapientiæ locus eſt, ita Sacerdotes ſunt receptacula ſapientiæ ſpiritualis, Iſaia dicente, de Regibus quidem omne caput in dolore; de Sacerdotio autem: omne cor in triſtitia.* Sed hæc omnia in ſequentibus potiſſimum illuſtranda.

Discvrsvs I.

Rex iuſtus, & ſapiens, in terris; ſicut Sol in cœlis inter ſidera fulget.

1. QVIA Rex humani caput eſt orbis, pulcherrimè Rex cum Sole comparatur. De qua comparatione ſuprà num. 3. ſicut enim Sol Dux, & Princeps, & moderator luminum reliquorum, ita Rex ſicut animata lampas per totum orbem inter minora ſidera ſuum iubar effundit; omniáque ab eo illuſtrantur lumine. Solem vocat Regē Philo Hebræus lib. de Mundi opificio: *Cum vniuerſum tempus diſtributum ſit in duas partes, diem, & noctem, diei præfecit Pater ille Solem, tanquam magnum Regem.* Quam ſimilitudinem Regis, & Solis ornatiſſimis verbis amplificat magnus ille Philoſophus Plutarchus lib. de Doctrina Principum dicens: *Vides in ſublime cœlum hoc immenſum, quod terram vndique liquidis vlnis amplectitur? Sed Sol ornat omnia, omnibus vim amoris ex ſe ſe admiſcens. Quemadmodum enim Deus in cœlo pulcherrimum ſuiipſius ſimulacrum conſtituit Solem, ac Lunam, talis eſt in Republica imago, ac lumen Princeps. Qui Dei reuerens, iuſtitiam tuetur, hoc eſt Dei rationem geſtat, nempe intellectum.* Pulcherrimam ſuiipſius in cœlis Solem, in terris Regem Deus collocauit imaginem, quaſi alterum diuum, lucidumque minorum poteſtatum ornamentum in ſolio velut in altari erectum ab omnibus venerandum; qui ſi diuinam pulchritudinem æmulatur, ad diuinæ bonitatis regulam, & æquitatem mentem accommodans, terrarum Solem ſine inuidia nuncupabis.

Philo Iud. *Sol Rex magnus in cœlo eſt.* *Plutarch.* *Sol Dei ſimulacrum.* *Sol in Republica Princeps.*

2. De Salomonis inclyti Regis Satellitio, & equitatu mira refert Ioſephus. Nam iuuenes Gigantæâ ſtaturâ ſublimes, & erecti, venuſtate quadam in veſtitu, & habitu, Solis, ac Lunæ æmulâ, dum pacificus Imperator exibat in publicum, eius cingebant latera: Do tibi Ioſephi verba lib. 8. antiquit, cap. 2. *His decus addebant equites flos iuuentutis*

Regis Salomonis ſatellitium. *Ioſeph.*

præcerâ

procerâ ſtaturâ, promiſſoque capillitio conſpicui, & tunicâ è Sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri capillum quotidie ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur. Hi armati, & pharetris ſuccincti Regium currum ſtipabant, quo ſublimis inuectus, & amictus veſte candidâ, mane ſolebat vrbem egredi. Dum fulgura, & radios euibrabant armatorum capillamenta aurea, plures ſoles merito nuncupares, vt Sol maximus Salomon, inter paruos ſoles fulgentiſſimus appareret.

Sol nuncupatur Rex, quia vitiorum vmbras ab aula expellit. 3. Sed quorſum ſpectat hæc collatio Solis, & Regis? Vt ab aula, criminum tenebras, & vitiorum lucifuga monſtra, ſua luce diſpellat. Egregius ille Pſaltes Iſraël honor, & ornamentum citharæ, & muſici concentus Dauid, iam iam moriturus hoc carmen de ſeipſo quaſi cygnæa voce cecinit lib. 2. Reg. cap. 23. verſ. 3. & 4. *Dominator hominum iuſtus, dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ oriente Sole mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuys germinat herba de terra.* Numquid in mortis limine ſuas celebrat laudes? Et ante paradiſi gloriam, exaltatur? Sed vbi animi demiſſio Dauidi quaſi congenita? vbi Ieſſæi paſtoris abiectio, & obſcuritas? Nunc dominationem ſuam oſtentat, & gloriam Regni cum auroræ lumine, cum oriente, & limpidiſſimo Sole componit? at vbi Spiritus ſanctus auctor eſt, & inſpirator carminis, remoueatur procul à maledicorum inuidia, elationis ſuſpicio. Egregiam auguſti regiminis normam hereditatis pignus, poſteris dereliquit, vt inſtar cæleſtis lampadis, caliginem diſpellentis, nullas in Regia patiatur malorum tenebras. O egregiam Dauidici

Rex tenebriones non permittat in aula verſari. animi indolem! *Iuſtus dominator* (inquit) *in timore Dei.* qui iuſtus eſt, qui in timore Dei moderatur orbem, tenebriones non patitur, ſicut aurora lux, ſicut Sol oriens in mundo, mane abſque nubibus rutilat. Audi Rabanum Maurum Epiſcopum Moguntinum citatum à Gloſſa: *Qui in timore Dei dominationes in ſubditis exercet, lucis opera per Solem iuſtitiæ illuminata profert, nec in eis aliquid obſcurum remanet, ſed imbre cæleſtis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne viuens fructificat.* Rex iuſtus & timoratus velut ſolaris orbis, radios, in ſubditos euoluit illuminans, illuſtrans, luminoſos reddens, in eiſque lucis opera gignit, feras omnes, tacito, ſed efficaci imperio in latibula exulare cogit.

Raban.

Feræ orto Sole quærant latebras. 4. Tenebræ in immanibus belluis augent feritatem, & rapiendi audaciam, eáſque excitant, vt ſub velamento noctis Soli officientis, in oues, aut agniculos inuadant. Sed orto Sole quaſi receptui canitur ab palpebris diluculi, vt à præda, & rapina ferarum exercitus abſtineat. Quod eleganter cecinit Dauid Pſalm. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Tigur. legit ex Hebræo: *Cum tenebras inducis fit nox, in qua omnes feræ ſylueſtres prodeunt.* Vatablus explicat: *peruagantur, diſcurrunt.* Ea verò verba: *Congregati ſunt.* Legit ſanctus Hieronymus: *Oriente Sole recedent.* Hebræus: *ſe ſe recipient.* Quia lumen, & Solis radios ſuſtinere nequeunt. Optimè Theodoretus: *Nox ſecuritatem feris largitur, vt eſurientes ventres expleant. Oriente autem Sole, hac quidem in ſua luſtra diuertunt.* O vtinam terrarum Sol Princeps inceſſanter illuminaret aulam, & in omnes angulos domus Regiæ ſuum diffunderet ſplendorem; feræ è latibulis, & antris egredi non auderent, ſed æternis carceribus conſepultæ, & Regiis radiis clauſæ remanerent.

Tigur. *Vatabl.* *Lect.* *D. Hier.* *Hebr.* *Theodoret.*

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Solaribus radijs Principis, non luſcioſus, ſed purus gaudet oculus. 5. Improbi animi, & luſcioſi, lucis radios fugiunt. At probi, luminis gaudent aſpectu. Egregia eſt illa Caſſiodori ſententia lib. 7. variar. epiſt. 75. *Manifeſtatio eſt conſcientiæ bonæ præſentiam iuſti Principis expectaſſe: quam ſolus ille deſiderare poteſt, qui de magna mentis puritate conſidit. Aſpectum Solis niſi clara lumina non requirunt, quia illi tantum poſſunt rutilantes pati radios, quos conſtat oculos habere puriſſimos. Sic præſentiam Principis ambiunt, qui de cordis ſinceritate præſumunt.* Aſpectu Solis gaudet, & fruitur purus, & ſerenus oculus, ſic qui ſibi conſcius nullius eſt criminis, præſentiam Principis ambit, quia tenebras non habet, quæ à lumine arguantur; at conſcientia eorum qui in tenebris ambulant, & expectant noctis caliginem, ſcelerum velamen, & operculum, radios Solis fugiunt, & ſemper quærunt latebras.

Caſſiod.

Diuiſio diei ac noctis quare. 6. Dixit Deus Geneſ. cap. 1. verſ. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem.* Quæ iſta ô rerum Creator ſeparatio? Penè circuitus ſuos ordiuntur luminaria, & inter ea iam reperitur diuiſio? In cœlis, qui regio pacis ſunt, & quietis, inteſtinum bellum, & rixas video. Vniant, & nectant diem ac noctem, & vtriuſque diuerſitas apparebit; nox tenebris obruta, dies illuſtrata lumine. *Diuidant diem, & noctem.* Id acute annotauit ſanctus Auguſtinus lib. de Geneſ. imperfect. c. 12. *Nonne iam Deus diuiſerat inter lucem, & tenebras, & vocauerat lucem diem, & tenebras vocauerat noctem? Ex quo apparet eum inter diem, & noctem diuiſiſſe, quid ſibi nunc vult quod dicitur de luminaribus: & diuidant inter diem, & noctem? Ita verò Deus eam fecit ante circumitum luminarium, vt videri niſi à paucis ſano ſpiritu, & ſerena ratione non poſſit.* Itaque Sol ille cæleſtis de quo ſuperiorem ſententiam interpretatur Auguſtinus, cenſorius, & ſeparator eſt, vt lucem ſuam videri non ſinat, niſi ab eis, qui ſano ſpiritus oculo, & ſerenitate conſcientiæ perfruuntur; eos verò quorum oculos vitia obnubilant, aut caligine inuoluunt, ab aula cœlorum Regia arcet, & expellit. Magnum Principis elogium ſi noctis, & diei ſit diuiſor, & regali lumine tenebras ſequeſtret, & omni hora diei cœlis ſuis luceat.

D. Auguſt.

Mens pura & ſerena lucem videt.

Sol non noctis ſed diei præſes. 7. Hoc munus præſtitit Soli, rerum parens, ac conditor Deus. Geneſ. c. 1. verſ. 16. *Fecitque Deus luminare maius vt præeſſet diei,* id eſt non vni, aut alteri parti, ſed omnibus diei horis dominetur, vt expedit Vielmius citatus in Gloſſa magna Geneſis: *Obſerua non dixiſſe prima tantum diei hora, vt Aſtronomi quidã fruſtrà contendunt, quorũ alij quidam ſecundam Mercurio, tertiam Veneri, quartam Lunæ, quintam Saturno, ſextam Ioui, ſeptimã Marti, &c. Commentitia ſunt hæc, & vana. Verbũ Dei eſt vt præeſſet ſiue vt dominaretur diei, nimirum integrè, ac propterea ſingulis eius horis, hoc eſt quandiu lucet.* Sol terrarum Princeps, & Dominus, non vni, aut alteri diei particulæ præſit, ſed in omnibus diei horis vt verus Sol exerceat dominatum; diei non Mars, non Venus præſideat, nec officium iuriſdictionis vſurpet; omnium horarum numerus à Sole dependeat, ideo Sol dicitur, vt ſolus præſit diei.

Vielmi. Gloſſ. *Omnibus diei horis Sol dominatur.*

Munia Solis & Regis conferuntur. 8. Solis, & Regis munia pulchrè connectit Steuchus in Coſmopœia: *Regem diei, atque auctorem, ſiue operum diurnorum rectorem, Solem. Præſes ergo diei ſtatuitur, tanquam dux, ac rector, cuius ductu, & ſigno terrena regantur, vt quaſi ſignifer nobis ſit, aut ductor, ſicut ſtella Magos, columna in deſerto duxit Hebræos.* Hæc ille.

Steuch.

DISCVRSVS II.

Is apud Deum ſolus Rex, & Imperatorijs ornatur inſignibus, qui ſeipſum moderatur, & Regiâ poteſtate ſuos compeſcit affectus.

1. SED numerum primum, & ſecundum illuſtremus: In quibus Rex caput eſt, quia ſicut capiti membra famulantur, ipſéque in ea regalem exercet principatum. Non ſolium eburneum, ſceptrum, aurum, & diadema, purpura ornata margaritis fulgentibus Regem conſtituunt, ſed virtus, & animi tranquillitas. Quàm vera Chryſoſtomi ſententia, homil. 3. in cap. 1. 2. ad Corinth. in Morali: *Reges efficimur ſi voluerimus abſurdis imperare cupiditatibus: nam is demum regnat, & quidem verius, quàm qui diademate cinctus eſt.* Nec diſſentit Boëtius lib. 3. proſa 5. metro 5.

D. Chryſ. Abſurdis cupiditatibus imperare, verum eſt imperium. Boët.

Qui ſe volet eſſe potentem
Animos domet ille feroces
Nec victa libidine colla
Fœdis ſummittat habenis,
Etenim licet Indica longè
Tellus ſua iura tremiſcat,
Et ſeruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas
Miſeráſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

Rex flagitioſus exauthoratur Regis inſignibus. Ozias à Sacerdotibus nõ appellatur Rex.

Do tibi Regem diademate coronatum, ſine titulo Regis. Ozias ſuperbo faſtu Regni elatus, Regiæ poteſtatis cancellos tranſilire auſus eſt, Sacerdotale munus adolendi incenſum ambiens, in templum Domini irruit. lib. 2. Paral. 26. verſ. 16. *Ingreſſúſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis.* Superbo auſu, ſacrilego contemptu thuribulum, & prunas ad ſuffitum aptanti, Sacerdotum exercitus occurrit, præeunte Pontifice Maximo, & impauido pectore verbíſque Chriſtiana libertate plenis, eius infringunt audaciam. Ibi verſ. 18. *Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino.* Numquid iracundia rapti Sacerdotum animi, aut nimio conculcatæ legis, & Pontificiæ dignitatis zelo perciti honoris Regij obliuiſcuntur, vocantes Oziam, ſupprimentes nomen Regis? Minimè gentium; vidit Dei Sacerdos quod Ozias, quando thuribulum violenter arripuit, Regis ornamentum depoſuit. Audaciſſimæ ſtultitiæ, & temeritatis pendit pœnas, vt qui alienam Sacerdotij dignitatem inuaderet, propriam Regni, & Regis perderet. Hoc argute Chryſoſtomus ſcribit homil. 5. de verbis Iſaiæ: *Non appellauit enim Regem, neque titulo principatus appellauit, propterea quod ipſe præueniens, ſe ſe dignitate deiecerat.* Æquâ lance librat, & æſtimat Deus mundiales poteſtates, earum perſonatâ felicitate, & externo ſplendore non fallitur, ſicut hominum vulgus ignobile, qui Deifico Regiæ majeſtatis ſplendore rapitur, & admiratione tenetur. Penitius intuentur Dei oculi; non mirantur an corpus ſit ornatum fulgoribus, ſed an animus ſit illuſtris moribus, an in ſenſus, & affectus teneat dominatus inſignia.

D. Chryſ.

Syneſ. Quæ ſit Regis norma? Quæ vitia ab eo fugienda.

2. Hic attexenda eſt Regis formula, quam Syneſius Epiſcopus Cyrenſis ſcripſit ad Imperatorem Arcadium: *Hæc eſt vnica Regis norma. Qui per luxũ poteſtate abutitur, & Imperium voluptate, ac delicijs conterit, ſuas omnes cupiditates explendas ſibi eſſe ducens: vnde ſubditi grauiſſimis damnis afficiantur, idque ex multorum imperio lucrum deputas, ſi quamplurimi ſuis libidinibus, ac cupiditatibus ſeruiant. Qui gregem non ſaginare, ſed à grege ſaginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum Tyrannum eſſe cenſeo, ſi quod ſubditum eſt, ſit ratione præditum.* O quàm vitiorum ſeruitus, quàm voluptatibus indecoris addicta mẽs regium ſplendorem inficit, dum de arcis poteſtate deturbatus animus ad turpiſſimum obſequium, & degenerem famulatum abiicitur, ex ingenuo impudens, ex libero mancipium, ex Rege efficitur ſeruus.

Cur Moyſes quando videt rubum ardẽtem, iubetur calceamenta deponere?

3. Cùm ad celebre illud, & prodigiis plenum ſpectaculum rubi ardentis, & incombuſti appropinquaret Moyſes, diuinâ voce velut è ſuggeſtu prodeunte, paſtoris properantis retardatur impetus. Exodi cap. 3. verſ. 5. *Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis.* Quid innuat calceamentorum depoſitio, facilè coniectabit quiſpiam; vt curas huic ſeculo adhærentes, & emortua opera abiiceret. Sed cur in hoc loco, tempore, opportunitate, intimatur præceptum, inſtat imperium, ſpoliandi Moyſis pedem ſubligaculis, & mortuorum animalium exuuiis? Mentiar ſi Moyſes hîc Im[illegible]rator, & Dominus populi à Deo non conſtitu[illegible] vt Regali virga, & poteſtate Prophetica tant[illegible] mu[illegible]titudini imperitaret. Moyſem dum Regem [illegible] creat Deus è rubo; Imperatorem ſui ipſius conſtituit, ſolutionem iubens calceamentorum; vt h[illegible] illecebrarum carnis victor, rector ſenſuum, p[illegible] affectuũ, vt ad decus, & ornamentũ regiminis p[illegible] ſit aſcendere. Audi S. Ambroſ. lib. de Iſaac, & anima, cap. 4. *Talis Moyſes, cui dicitur, ſolue calceamentum pedum tuorum, vt vocaremus populum ad Dei Regnum, prius carnis exuuias deponeret, & nudo Spiritu, veſtigióque mentis incederet. Hoc eſt ergo quod ait: exi tu in calcaneis gregum. Quia per greges Regnum intelligimus, eo quod poteſtatis ſit gregibus præſidere. Præſidet autem vnuſquiſque ſibi quadam poteſtate Regali, ſi coerceat in ſe corporis luxus, & ſeruituti redigat carnem ſuam.* Clarior Moyſes lenitate morum, paſſionum imperio, quàm hoſtium triumpho; cum ad illius iuſſum, decreti ordinis metas elementa tranſgrediuntur, cum ad virgæ contactum ſilex euomit cryſtallinas lymphas, cum in formam muri extolluntur Erythræi maris ſolidatæ vndæ, & in profundo pelagus ſiccas oſtendit ſemitas, ſtupendus naturæ, mirabilis hominibus apparebat. Sed mirabilior Deo, cùm tentatus maledictis, exaſperatus opprobriis, erumpentes è pectore mitigauit fluctus; cùm populo duræ ceruicis ſæpè Deum reddidit placatum, cùm ſe velut murum iræ Dei ſæuientis oppoſuit, cùm à præfectura populi ingrati reddentis mala pro bonis, non deſtitit; cum Dux populi, & Deus Pharaonis, & Dominus elementorum conſtitutus, ad illius enim nutum natura quotidie contra naturam placidè famulatur, nec elatione effertur, nec imminente morte turbatur, nec pulſatur ambitionis affectu, *ſed nudo ſpiritu* (vt verbis vtar Ambroſij) *veſtigióque mentis incederet. Præſidens ſibi quadam poteſtate regali.* Ideo auguſtior humanâ formâ vultus eius apparuit, eiuſque animum regale diadema cingit, cuius radij, & mirabiles ſplendores foras erumpentes faciem ambiunt, vt corpus quod animum ſuis affectibus imperantem gerebat, inſigne Regium ex animo mutuaret, & gloriæ ſplendore coronatum incederet.

D. Ambr. Cum Moyſes Princeps populi inauguratur, docetur à Deo, in paſſiones ſuas tenere principatum.

Moyſes affectuum ſuorũ domitor.

D. Ambr.

4. H

Rex terræ regat terram corporis ſui, D. Auguſt.

4. His ſimiles æquo iure nuncupat culmen, & corona Regum Dauid, Reges terræ. Pſal. 75. *Terribili apud Reges terræ.* Hanc ſententiam ſanctus Auguſtinus illuſtrat: *Eſto Rex terræ, & erit tibi terribilis Deus. Quomodo, inquies, ero Rex terræ? Rege terram, & eris Rex terræ. Noli ergo auiditate impendendi ponere tibi ante oculos prouincias latiſſimas, quà tua Regna diffundas, terram quam portas, rege.* Qui Rex terrenus, & Rex terræ eſt, duplici coronâ circumdatur, vnâ, quia ſubditis, alterâ, & nobiliori, & illuſtriori, quia affectibus imperat; fortior, & beatior Rex, qui ſeipſum vincit, quàm qui gladio, & haſtâ deuictis tyrannis, plura acquirit regna.

Abrahã Rex illius imperium quod in cogitationes ſuas exercuit,

5. Prodeat in medium nouus Rex Abraham, honoratior Rege, cuius caput coronâ aureâ cingitur gemmis fulgentibus illuminatâ; ad montem Moria properans cœleſti iuſſu, vt dilectiſſimum filium Iſaac ferro, & flammis deuoueat. Geneſ. cap. 22. verſ. 3. *Abraham abiit ad locum, quem præceperat ei Deus.* Non incedit ſtipatus clientibus, nec ſeruulorum munitus cuſtodia, non Regij excubitores, & ſatellites, illius latera cingunt, ſed graditur opimis ſpoliis onuſtus, de turba cogitationum deuictarum reportatis, vt ea in ara pietatis, & fidei pro anathemate ſuſpendat, propterea vocat eum Regem Chryſoſtomus homil. 3. in caput 1. epiſt. 2. ad Corinth. *Cùm iuberetur interficere filium, cogita quàm multæ cogitationes tunc inſurrexerint in illum, & tamen ſubegit omnes, omnes illum metuebant. Magis quàm Regem metuunt ſatellites, omneſque ſolo oculorum intuitu compeſcuit, nec vlla illarum auſa eſt erumpere, ſed ſubmittebant vultus, ac velut Imperatori cedebant vniuerſæ, quamuis erant acerrimæ omnes.* Vidiſtin' nouum regnum, nouúmque cogitationum ancillantium obſequium? Affectus ipſi carnis, & ſanguinis tyrannis crudeliores ad nutum Abrahamidæ fortitudinis manſueſcunt, magnitudinémque illius ſacrati pectoris reuerentur; nec glorioſior Imperator in throno apparet, auro, & pretioſis lapidibus ornatus, ſicut mens Abrahami nihil terrenum ſciens, digna cœlorum virtutibus, irruenti turbæ cogitationum imperans. Hi Reges cœli deliciis perfruuntur, in protectione Dei cœlorum commorantur, & inter illius brachia leniter recumbunt.

D. Chryſoſt.

Abrahæ cogitationes acerrimæ tanquam imperatori cedebant.

D. Ambr. Rex dicitur, qui ſe regere nouit.

6. Cor Regis cum diuinæ legis norma compoſitum tanquam quid pretioſum, & volupe, Dei tenetur manu. Prouerb. cap. 21. verſ. 1. *Cor Regis in manu Domini.* Sanctus Ambroſius in Pſal. 118. verſ. 14. legit: *Cor Regis in manu Dei eſt.* Et ſubdit: *Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec eius paſſionibus turbari animam ſuam, rector ſui congrua vitalitate permiſerit, is benè regia quadam poteſtate ſe cohibens, Rex dicitur, quod regere ſe nouerit. Huius anima non perit in æternum, nec quiſquam rapit eam de manu Patris omnipotentis, aut Filij. Manus enim Dei, quæ ſolidauit cœlum, quos tenuerit non amittit. quæ ſint igitur iſta manus conſideremus. Læua eius ſub caput meum, & dextera eius complectetur me.* O ineffabiles delicias, ô inæſtimabilem felicitatem, ô miram erga tales Reges diuinæ bonitatis dulcedinem! Eligat ſibi opulentiſſimus Salomon ferculum requietis de lignis Libani, aſcenſum ornet purpurâ, fabricet reclinatorium aureum; ei, qui Rex animi ſui eſt, Deus ipſe ſolium, & lectulus eſt, brachia; & manus Dei, reclinatorium, in quo curarum onus Reges deponunt. Quàm alienus timoris, quàm immunis periculi tyrannorum, & ruinarum inſtabilis fortunæ, inter brachia Dei imperium conquieſcit. Non hic ſedandus cæde, ſanguine, ſupplicio tumultus ingruentium bellorum, animus Regiâ quadam poteſtate ſe ipſum cohibeat, & pacata ſunt omnia.

Rex prebus in manu Dei eſt.

7. Sed audiendum eſt conſilium ſapientiſſimi Regis Salomonis Prouerb. cap. 31. *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Quæ verba ad rem noſtram grauiter expendit Radulphus Flauiacenſis lib. 7. in Leuitic. cap. 4. *Lamuel interpretatur in quo eſt Deus. Inſtruit ergo mater Eccleſia filium ſuum, vt Reges ſuos, ſenſus videlicet, ſpirituales, quibus humana anima regitur, ſobrietate cuſtodiat, ne carnalis voluptatis vino inebriati, cauſam filiorum ad ſuæ libidinis votum inclinet.* Hæc Radulphus.

Radulph. Flau. Anima ſenſus ſuos tanquam reges inſtruat.

Discvrsvs III.

De Regis auribus.

Adulationi obturandæ ſunt aures, & aſſentatorum, velut peſtis aulæ, euitandum contagium.

1. REVOCANDA ſunt in memoriam ſancti Ambroſij verba num. 6. in quæſtione relata, quòd caput omnes ſuſcipit ſenſus, eò neruí referunt vniuerſa, quæ vel oculus viderit, vel auris audierit; vt capitis aures facilius inſtruamus, eaſque ſpinis, imò lanceis ſepiamus contra palponum improbitatem, virus lethale inquam, fucis blanditiarum, & aureo verborum ſplendore illitum, ad animum ſerpens, ſenſum titillans, & affectum demulcens: *Adulator* (inquit ſanctus Hieronymus in regula Mona. cap. de laude vitanda) *blandus inimicus eſt, naturali ducimur malo, adulatoribus noſtris libenter fauemus, quamquam nos reſpondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam intrinſecus anima lætatur.* Ferocientem hoſtem, telis armatum prudentior quiſpiam fugiet, limati, & nudi gladij euadet ictus; at inimicum, qui ſub molli byſſo, & fulgenti purpura pugionem abſcondit perſonato vultu amicitiam prætendit, & parat mortis inſidias, molli verborum lenocinio, quis euitabit?

Adulator blandus inimicus. D. Hieron.

2. Validiſſimum Diaboli telum adulatio eſt, vt fortiorem militem proſternat; eo cœleſtis phalangis Imperatorem Chriſtum, inimicorum acies adoritur, velut iam præſumens de triumpho. Satanas in monte ieiuniis deuictus, & pudibundus aufugerat, in capite ſerpentis tentationum confracta ſunt tela; ſagittas, quas ſibilando iecit, in ſeipſum intorſit, inermis, & lethali vulnere occiſus iacuit. Sed Leuiathan qui ad tentandum ſemper viuit, iterum bellum reſtaurat, & Deum prouocat ad pugnam. Exeunti Chriſto de naui in regionem Geraſenorum occurrit ei homo, in quo erat ſpiritus immundus. Marci cap. 5. verſ. 6. *Videns autem Ieſum à longè, cucurrit, & adorauit eum. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei altiſſimi?* O ſubdolam Dæmonis mentem, & miram fallendi artem! Quorſum in Dæmone tantæ humilitatis prodigium? Ecce, qui tumido ore clamauerat: Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, vt habeatur vt Deus, vt adoretur vt Deus; nunc humillimo obſequio ante Chri-

Diabolus adulatione tanquam validiſſimo telo in Ieſum irruit.

Diabolus adorat Ieſū, vt is adoratione tangatur.

ſtum procumbit, ipſúmque adorat; quid valdè mirum proferam; qui elationis eſt pater, & totus eſt in ſuperbia; vt tentet, vt fallat, ſuperbiam ad tempus videtur deponere, vt adulatione vincat inuictum, humilis vult videri; & adorationis gloriam, quam tētando Chriſtū Diabolus ambiebat, largus, & munificus obtulit Saluatori, vt aſſentatione tangeretur. Sed do tibi ſanctum Chryſologum ſerm. 17. *Quid eſt Diabole, quem trina tentatione prouocabas ad lapſum, quem promiſſione regni vt te adoraret, ſubdolus ambiebas, nunc tremens, & miſerandus prolaberis, & adoras? Modo vt adulator non vt deuotus, & obſequens hic adorat. Credit infelix, vt quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, poſſit adulatione pulſare.* Sciebat enim Diabolus adulationem potentiſſimum iaculum extitiſſe, ſuámque in paradiſo Dei labefactaſſe conſtantiam, obſcuraſſe pulchritudinem, & eieciſſe Angelos de Regno Dei.

D. Chryſol.

Adulatio ortum habuit in Paradiſo Dei.

3. Etenim adulatio in cœli ſupremi aula orta eſt, & in ipſis Luciferi potentatus primordiis, & ſolio quod ipſe ambiebat, locum inuenit. Ezech. cap. 31. de Lucifero in perſona Aſſur loquitur; *Riuos ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis.* Quæ verba acutè expendit Rupertus lib. 1. de victoria Verbi Dei cap. 11. *Quia ſapientiam ſuam multam effundendo vniuerſas Angelorum multitudines circumuenire, & in ſententiam ſuam deducere laborauit, vt apud illos tanquam altiſſimus haberetur, & adoraretur vt Deus.* O quantum valet principis ſeſe inſinuans voluntas; mentes æreas, & inexpugnabiles ſicut magnes ferrum rapit; illicò inuenti ſunt in domo cœli regia aſſentatores Angeli, arbitrio Luciferi annuentes; & cedri paradiſi ſublimes, & erectæ, frondium apices ad magnam Luciferi cedrum inflectunt; & theſaurorum gratiæ, & gloriæ iacturam deſpicientes, auerſæ à Deo, commutarunt vultum, & ſermonem ad Luciferi mentem, & voluntatem, eum pro Deo adorantes, Hoc ipſe vates exprimit ibi verſ. 9. *Et æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo Dei.* Et ſubdit Rupertus ſupra: *Quia cunctos quidem Angelos per ſuam ſapientiam decipere, & ad ſuum fauorem deducere tentauit. Sed adulati ſunt ei tantummodo ſpiritus illi, qui gloriam ſuam quærebant non Dei.* Magna adulationis vis malorum Angelorum principem cum ſuis ſatellitibus deiecit, & ad inferos deturbauit; ideò Chriſtum aſſentatione adoritur ex Chyſologi ſententia, vt quem nec voracitate, nec ambitione gloriæ in trina tentatione deiecerat, adulante adoratione ſuperaret, qua ipſe victus in cœlo eſt.

Rupert.

Lucifer Angelos circumuenit, vt eum venerarētur, vt Deum.

Rupert.

Spiritus adulatores ſecta ti ſunt Luciferum.

Moyſes ab incunabulis virus adulationis reſpuit.

4. Hoc virus Princeps fugiat timore Dei munitus, ſicut Moyſes, qui ab ipſis incunabulis hoc vitium maximo horrore auerſatus eſt. Ad ripas Nili fluminis expoſito puero prouidentia diuina non defuit; illacrymanti, & vagienti elegantis formæ infantulo, Thamutis Pharaonis Regis filia arridet, blanditur, & diligenter quærit mammæ ſolatium, *Cui ſoror pueri: vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit: vade. Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam.* Exodi cap. 2. verſ. 7. nec prætereunda ſilentio doctiſſimi Abulenſis ſententia de lactatione Moyſis, dicentis: *Filio Pharaonis fecit, vt ait Ioſephus, multas Ægyptias ei præbere vbera, quibus auertebat faciem nolens de lacte illo ſugere, tanquam quæ eſſent agnoſceret: tunc Maria captatâ occaſione loquendi, dixit: Vis vocem tibi mulierem Hebræam, quæ lactet puerum, quia forſitan accipiet mamillas gentis ſuæ?*

Abulenſ.

Cur Moyſes à fœminarum Ægypti vberibus auertit faciem, & maternæ mamillæ adhæſit.

Hoc extremum apertius proponit Ioſephus lib. 2. antiquit. cap. 5. *Adducens communem matrem, tum infans perquam libenter inhærere mamillæ viſus eſt.* Mirabilis Moyſis cautio, & prudens in teneris annis ſolertia, expaneſcentis mulierum Ægyptiarum viſu, vberum tactu; etenim animoſus pupus Ægyptiacum alimentum conſtanter deteſtatus eſt, ne blanditias vocis, & geſtus, ipſamque adulationem ægyptiorum genti quaſi congenitam ipſo lacte ſugere, & ebibere videretur. Inſinuatio quædam eſt in hoc loco Stephani Cantuarienſis: *Materno debet lactari vbere, id eſt educari frumento gratiæ, non adulatione.* Itaque Moyſi dum Ægyptia nutrix porrigit mammam, & lac in ore ſtillat, tanquam venenum, aut amarum abſinthium expuit, delinificum aſſentationis blandimentum. Ab ipſo ætatis exordio conſilium obſeruans: ſi te lactauerint peccatores ne acquieſcas eis.

Ioſeph.

Moyſes adulationē Ægyptiis congenitam aſpernatur.

Stephan.

5. Hunc animum adulationi aduerſantem in magnatibus vehementer cupit Syneſius lib. de regno, dum loquitur cum Arcadio: *Verum cauendum præſertim, idque totis animi viribus, aut etiam ſi fieri poteſt vniuerſa ad hoc Regiarum aularum arma comparanda ſunt, ne amicitiæ perſonam extrinſecus circumfuſa incautis obrepat adulatio. Sola quippe hæc nequicquam vigilantibus ſatellitibus Imperium deprædatur; niſi enim penitus arceatur, in ima vſque conclauia ſenſim penetrat, Regúmque nobiliſſimam partem, animum nimirum adoritur.* At Regij corporis cuſtodiam ſtipatorum, & ſatellitum ſtatus numerus ſatis eſt, ſed ad tuendum Regis animum ab adulationis incurſu ne deprædetur imperium *vniuerſa Regiarum aularum arma comparanda ſunt.* Vt à Regis Salomonis lectulo, & quiete arceant timores nocturnos, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël ad bella doctiſſimi: vt ab aula, & animo Regis propellant ambitionis malum, omnes excubitores, omnes bellatores, duces, omnis gladius, omnis clypeus, omnis armatura fortium neceſſaria eſt.

Syneſ.

Adulatio à regia aula totis viribus, & armis exterminanda.

6. Conqueritur David Rex aſſentationem in aula habitaculum, & requiem inueniſſe. Pſal. 43. verſ. 20. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* Hebræus legit: *In loco draconum.* Aquila legit: *Quomodo humiliaſti nos in loco Sirenum.* Quam lectionem approbat ſanctus Ambroſius in Pſal. 43. & ſic interpretatur: *Earum autem interpretatio hæc eſt: voluptas vocis, & quædam adulatio.* Sirenarum illecebris plenus eſt mundus, ſed timendum eſt ne in potentatuum domibus, vbi ſonus canentium concrepat, diuitiæ affluunt, & renidet aureum in domo lacunar, domicilium Sirenes inueniant: aſſentatores Sirenas voca, qui ſuauitate cantus, & vocis fictæ dulcedine per mare huius ſæculi nauigantes conantur decipere, vt ſcopulis illiſa nauigia miſerandum faciant in fine naufragium. Cuiuſque aures vt Vlyſſes non cerâ, ſed timore Domini teſerandæ ſunt, ne dulcis verborum lenociniis, & incantationibus adulationis virus per auditum in animum ſerpat, ſed per turbatum procellis mare intemerato poſſit nauigare veſtigio. Audiendus eſt ſanctus Ambroſius lib. 4. in Lucam in proœmio inſtruens nos contra adulantes Sirenas: *Vlyſſem illum, Sirenes cantu vocis illectum, ad illud famoſum voluptatis naufragium penè deduxerant, niſi aduerſus illecebroſa ſonitus cantilenæ inſerta cera ſociorum clauſiſſet aures.* Ferè eâdem admonitione nos inſtruit Aurelius Caſſiodorus lib. 2. variar. epiſt. 40. *Sirenas in miraculum cantaſſe narioſa prodit antiquitas. Et quamuis nauigantes fluctus abducerent,*

Lect.
Hebr.
Aquil.
D. Ambr.

Palpones ſunt Sirenæ.

D. Ambr.

D. Ambr.

Sirenæ ad naufragium polliciunt.

Aduerſus Sirenarum carmina, aures ſepiendæ cera.

Caſſiod.

ceret, carbaſa ventus inflaret, eligebant ſuauiter decepti ſcopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire. Quibus ſolus Ithacus euaſit, qui nautis ſolicitatorem protinus obſtruxit auditum contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentiſſimus feliciſſimam ſurditatem, & quam vincere intelligendo non poterat, melius non aduertendo ſuperabat. O egregiam vincendæ noxiæ dulcedinis induſtriam. O ſi plures Ithaci forent, qui contra noxiam dulcedinem adulationis aures ſuas obſtruerent, abſque malaciâ, turbine, naufragio, felicitatis occuparent portum.

Contra noxiã dulcedinem opponenda ſurditas.

De oculis capitis.

DISCVRSVS IV.

Præ ſumma poteſtate, & totius orbis opibus, tanquam quid Regio culmine auguſtius, & ſublimius æſtimet Rex eſſe mundi mentem.

Prouidentia mundi mens.

1. HOC titulo inſigniuit Tullius prouidentiam; vocans eam mundi mentem, cuncta proſpicientem. Hic autem diſcurſus quartus ornamentum erit numeri quarti, in quo Iſidorus ait: *In capitis arce mens collocata eſt, vt ab alto ſpeculetur omnia, atque regat.* Et ibidem Ambroſius: *In arce hac regalem quamdam habitare ſapientiam, quia oculi ſapientis in capite eius. Et ex illa omnibus membris prouidentiam deferri.* Imperij decus prouidentia eſt, eâ Rex Regum gloriatur. Cùm Ezechieli oſtenderet Deus primogenitorum Ægyptiacæ genris necem, & de Pharaone triumphum, quando currus, & equites maris obruti fluctibus ſalutis filiorum Iſraël, & incolumitatis teſtes extiterunt, & quod eos Deus alarum ſuarum protegeret velamento; amicorum ad cuſtodiam, inimicorum ad ruinam de columna nubis proſpiciens caſtra. Sacri Cherubini, alas, pectora, dorſa quaſi lapidibus pretioſis, & ſideribus, oculorum luminibus, velut manifeſtiſſimis diuinæ prouidentiæ ſymbolis ornata oſtentantes, Deum ipſum vehunt ſublimi curru de hoſtibus triumphantem. Huius habitus teſtis eſt Vates ipſe Cherubinorum, & ouantis Regis ſpectator, cap. 1. verſ. 18. *Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum.* Et cap. 10. verſ. 12. *Et omne corpus, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis.* Vtrumque locum ſic effert ſanctus Hieronymus: *Totum corpus, & dorſa erant plena lucis in circuitu; vt nullum membrorum aſpiceres, quod oculos luminis non haberet, qualemque deſcribunt fabulæ Poëtarum Argum fuiſſe centoculum, ſiue multorum oculorum.* Currui, & iugalibus equis, manubiæ, & ſpolia de mortali hoſte quæſita, aptior eſſet apparatus; clypeum, gladium, & arcum prælij, ex equis gloriæ Dei phaleratis, aptius ſuſpendat triumphator. Quid luminum ornamenta cum prælio, quid ocellorum ſuauitas cum ſæuo, & furibundo Marte? Quid viſus decor cum Imperatore triumphante? O Angelicum, & Cherubicum ornatus, & veſtimenti genus! abſcedat procul purpurea toga tota, indurata, pulla, laurea, & palmata veſtis. Habitus iſte ocellatæ tunicæ, ſideribus, nitido cœlo pulchrior, & glorioſior eſt. Omnia proſpicientis, omnia prouidentis Dei, Cherubini induunt formam. Si Dominus totus eſt oculus, vt creaturis prouideat, oculis pleni Cherubim, prouidentiam iſtam in ſe ipſis repræſentant. Vnumquodque animal ſacrum, Angelicus Argus eſt centoculus, ſiue multorum oculorum.

D. Iſid.

Oculi Cherubini diuinæ prouidentiæ ſymbola.

D. Hieron. Cherubim ocularis quaſi Argus centoculus.

2. Pia femina, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, pudore infirmitatis perfuſa, Chriſti fugiebat oculos, & faciem, & inter fluctuantis populi turbam quærebat latebras, vt tacita furaretur ſalutem. Matthæi cap. 9. verſ. 20. *Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.* Mulieris fides à Chriſto prædicatur. Si ſciebat Deum omnia videntem, cur tantopere refugit à Chriſto videri? Certabat cum pudore fides; dat ſecuritatem fides recuperandæ ſanitatis pro potentia Deitatis præſtitutæ, ſed pro reuerentia Saluatoris detinetur verecundia. Sed verbum illud *retrò* acutè diſcutit Chryſologus ſerm. 34. *Sed vbi retrò? Retrò nihil erat, ibi faciem quam declinabat inuenit. Erat in Chriſto corpus multiplex, ſed erat Deitas ſimplex. Erat totus oculus, qui poſt ſe ſupplicem ſic videbat.* Vt proſpiciat mulierculæ labori, & infirmitati. *Erat totus oculus* Deus. Ecce Argus centoculus, ſeu multorum oculorum cœleſtis, & diuinus, miſerorum incolumitati ſemper inuigilans, ad cuius nutum Cherubini Principes eius prouidentiæ æmuli in circuitu ornantur oculis, vt inſtruant Reges, qui Cherubinorum inſtar præſtantiores debent eſſe ſapientiæ, vt incolumitati Reipublicæ multis oculis prouideant.

Fides feminæ fluxum ſanguinis patientis.

D. Chryſol. Ieſus totus oculus, vt infirmantem cernat.

3. Princeps Iſraëlitici populi Moyſes creatur à Deo Rex, & conſtituitur Deus Regis Ægyptiorum, ipſum Pharaonem dignitate, & poteſtate ſuperans. Exodi cap. 7. verſ. 1. *Dixitque Dominus ad Moyſem: ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Ad apicem honoris Moyſem euexit Deus, vt Pharaoni, qui dicebat in corde ſuo, Deus ego ſum, & propriæ Deitatis cultum ambiebat, præſtantiorem Deum præponeret. Sed dices; ſi inſulis decoratur Imperij, ornetur inſignibus poteſtatis vocatus Dominus, non Deitatis nuncupatus Deus; nec ingloriè Pharao, qui ſeruus eſt peccati, ſeruiet Domino Moyſi, qui ſeruus eſt Domini. Hanc quæſtionem eleganter ventilat Guillelmus in cap. 7. Exodi, clauſula. 1. dub. 1. *Cur Dominus non dixit ad Moyſen: ecce conſtitui te Dominum Pharaonis: ſicut dixit Deum? Maximè cum Dominus ſit nomen poteſtatis, quæ collata fuit Moyſi ſupra ipſum Regem Pharaonem? Dicendum quod hoc nomen Deus imponitur ad ſignificandum naturam diuinam ab vniuerſali rerum prouidentia. Vnde Dionyſius dicit quod diuinitas eſt, quæ omnia videt prouidentia, & bonitate perfecta.* Quia in regimine populi, & redemptione de tyrannide Ægypti, vicarius Dei eſt Moyſes, ſit Dominus, ſed appelletur Deus; ſit præditus ſummâ poteſtate, ſed plus gaudeat dulcedine Deitatis, vt in mirabilium operatione, Dominum, in prouidentia populi ſe agnoſcat Deum; vt in eo humanâ maior miratio reſplendeat Deitatis omnia videntis, prouidentiâ, & bonitate perfecta.

Cur Deus, & non Dominus Pharaonis Moyſes conſtituitur.

Guilhelm.

Deus nuncupatur à prouidentia.

4. Delicatus iuuenis, deliciæ Rachelis Iacob fugitiuus, erro, exul maternæ domus, & patriæ, per campeſtria ciuitatis, quæ Luza vocabatur, ad Meſopotamiam Syriæ feſtinat. Cum ecce Sol occubuit, & altæ cadunt de montibus noctis vmbræ, habuit ad requiem pro culcitra, & molli ſtragulo humum, pro puluino aceruum lapidum, pro circumſtrato aulæo aëris intemperiem, & pruinoſæ noctis

Iacob peregrinatio.

noctis iniurias. Cum ſubitò cœlum apetitur, cœleſtia reſerantur, & ſcala de cœlo ſuſpenditur innixa Deo, & cui nititur Deus; Angeli ſurſum deorſum curſitantes, concurrentes Deo, accurrentes Iacob. Geneſ. cap. 28. verſ. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam. Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Quis ſolitarium, & præſidio deſtitutum Iacob nuncupet, qui in Deo requieſcit fiducialiter, qui dum dormit habet Deum vigilem excubitorem, & vtrumque latus dormientis caſtris ſtipatur Angelicis, qui prouidæ pietatis ſentit dulcedinem, indulgentiſſimæ parentis inter amplexus, & oſcula filium delicatè nutrientis. Eò enim tendebat viſio Dei, & Angelorum, vt vigilem curam, & prouidentiam Dei in periculo experiretur. Id argutè indicat Oleaſter in annot. morali ad caput 28. Geneſ. dicens: *Vigilat ſuper nos indefeſſus ille diuinæ prouidentiæ oculus, mittens, & remittens adminiſtratorios illos ſpiritus, qui nos cuſtodiant in omnibus viis noſtris.* Deus Optimus Maximus ex quo totus pendet orbis è cœlorum ianua reſpexit ſuper dilectum Iacob, vt curam pupilli ſui, quem ſuſceperat Rex Regum, & Dominus Dominantium, Iacob animaduerteret, eámque edoceret Reges, qui è lumbis ſuis erant egreſſuri; ideò ſæpiſſimè coram filiis beneficium prouidæ cuſtodiæ retulit, dicens: Deus qui apparuit mihi in Bethel. Vult enim Deus ſuæ prouidentiæ Reges eſſe imitatores, vt teſtatur Syneſius lib. de Regno, in quo ſic fatur: *Itaque per familias, & ciuitates, & populos, & nationes, & continentes vniuerſi Regia prouidentia, & prudenti ſolicitudine fruantur; quam Deus ipſe ſeſe intellectilibus rebus Archetypum præbens, prouidentiæ ſuæ quamdam imaginem tribuit, inferioráque iſta iubet, ex ſublimiorum rerum imitatione temperari.* Hæc ille.

Viſio ſcalæ.
Oleaſt.
Supernus prouidentiæ oculus ſuper homines inuigilat.
Deus Reges prouidentiam docet.
Syneſ.

5. In quo igitur Dominator gentium reliquit occultam ſymbolo paternæ pietatis prouidam curam? Exiſtimo duas illas Cherubinorum imagines, quæ Dei oraculum, & propitiatorium ſuſtinebant, paternæ ſolicitudinis Dei exemplaria extitiſſe, de quorum conſpectu Sacerdotes, Reges prouidam vigilantiam mutuarent. Nec me fallere ſinit Philo Hebræus, qui acutâ inueſtigatione perſpicacis ingenij myſteria rimatur. Verba ſacri Textus ſunt Exodi cap. 25. verſ. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi.* Acumen verò ſuum proponit Philo lib. 3. de vita Moyſis dicens: *Per has figuras intelligo duas antiquiſſimas eius qui eſt, potentias; alteram conditricem, rectricem alteram, per quam totum mundum ornauit, & condidit: Regia vero Dominus per quam creaturas regit pro imperio. Rex ſuapte naturâ, quando in creaturas nulli magis quam creatori debetur imperium.* Quibus verbis intelligit duo Dei attributa potentiam, & prouidentiam. Per primam competit Deo res ex nihilo educere, per ſecundam, regiâ maieſtate, & prouidenti gubernatione vniuerſum temperare. Harum potentiarum in duobus Cherubinis, cœlorum terrarúmque potentiſſimus Imperator poſuit, tanquam ſpecula regiminis clariſſima, in quæ intenderent Reges humani, vt quà latè patent Regna, & terrarum tractus, ad talis exempli æmulationem, rectè, & iuſtè vigilíque cuſtodia moderarentur.

Cherubim oraculi Dei prouidentiam innuunt.
Philo. Iud.
Deus orbem potentiâ condidit, prouidentiâ moderatur.

DISCVRSVS V.

Dilectus Deo, & hominibus Rex in cuius pectore moratur compaſſio, & clementia.

1. SED de cerebro capitis nonnihil dicamus ad numerum ſextum, in quo fatur ſanctus Ambroſius: *Cerebrum quia molle, ad compaſſionem aptius.* Vt in capite myſtico ea virtus emineat, quæ diuinior eſt in rationalis moderatione gregis, nempe manſuetudo, & clementia: quæ virtutes maiorem conferunt ſplendorem Regi quàm Diadema, & purpura, vt teſtatur ſanctus Chryſoſtomus tom. 5. lib. de comparatione Regis, & Monachi, fatus: *Talem Regem libens viderem, & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantem, vt eumdem patris loco, ſubditi habeant, cum omni manſuetudine ciuitatibus conſuetudinis ſuæ copiam facientem.* Paterna enim manſuetudo familiaris eſt omnibus, dum eos in numero filiorum, non famulorum ponit. Talis enim qui pietatis viſcera effundit, adoratur tanquam Rex, diligitur vt pater, & omnium amores, voluntates indiſſolubili nexu connectit.

Regem ornat manſuetudo.
D.Chryſoſt.

2. Beneuolentia potentior quàm metus ad conciliandos hominum animos. Ea ſiquidem honoris, & gloriæ maiora emolumēta ſibi adſciſcit, imperia prouehit, & nouas in dies veteribus coronas annectit. Memoratu digna eſt Plutarchi ſententia lib. de doctrina Principum ſcribentis: *Princeps, qui Dei rationem geſtat, non ſceptrum, aut fulmen, aut tridentem, qua ſpecie ſe ipſos nonnulli fingunt, ac pingunt ſtultitiam ſuam, quod videantur inacceſſi, reddentes inuidioſam. Offenditur enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur: delectatur autem his, qui ſuam æmulantes virtutem ſeinet in honeſtate, & humanitate reddunt adſimiles, atque hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, ac manſuetudinem. Quibus rebus nihil eſt diuinius, neque ignis, neque lux, neque Solis curſus, neque exortus, & occaſus aſtrorum, nec ipſa æternitas, aut immortalitas.* Examina verba illa: *Qui ſemet in humanitate reddunt adſimiles, hos in maius prouehit.* Stulta quædam auctoritas, & nimia grauitas eos reddens inacceſſos, & incommunicabiles, inuidiam, & odium in ſubditorum pectoribus gignit; at benignitas, & humanitas, honorum, & gloriarum cumulos quotidie parturit; tanto enim clementia in Regem liberalior, cúmque diuitiis, & commodis magnificentius auget, quanto ipſe maiorem animi lenitatem in ſubditos aperit.

Plutarch.
Rex ne ſit inacceſſus, ſed ſeruitate, & clementiâ conſpicuus, quibus rebus nil eſt diuinius.

3. Cultus, & veneratio Principis Ioſeph à fratribus exhibita, & ab oraculo promiſſa legitur Geneſ. cap. 37. verſ. 9. *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Somni veritatem exitus comprobauit. Geneſ. 42. verſ. 6. *Cúmque adoraſſent eum fratres ſui.* Sed alias duas adorationes inuenio. Geneſ. 43. verſ. 26. & 28. *Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus ſuis, & adorauerunt proni in terram.* Et poſtea verſ. 28. *Et incuruati adorauerunt eum.* Cur trina veneratio exhibetur? Sufficit duplex adoratio, vt duæ venerationes duobus ſomnis reſpondeant, prima manipulorum cultui, quem reddiderunt manipulo Ioſeph; ſecunda

Cur Ioſeph trinâ veneratione colitur à fratribus?

cunda adorationi Solis, Lunæ, & ſtellarum. Sat eſt quod cultu, & obſeruantia duplici proſequantur Ioſephum, cumque ſibi reddant propitium, cur tertia venetario ſuperadditur? Duplex ſomnus, ne mendacij, aut vanitatis argueretur, duplicem venerationem ſibi æquo iure poſtulabat. Duplex humiliatio venditionis duplicis; duplex preſſura vinculorum in ciſterna à fratribus, in cuſtodia carceris à Domino; duplicem exaltationem exigebant. Sed veneratio tertia, qua incuruati adorauerunt; debebatur clementiæ, qua Ioſeph ſuſcepit, & allocutus eſt fratres. Mentiar ſi id clarè non indicat ſacer textus Geneſ. cap. 43. verſ. 27. *At ille clementer reſalutatis eis, interrogauit eos dicens: Saluúſne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit? Qui reſponderunt: ſoſpes eſt ſeruus tuus pater noſter, adhuc viuit. Et incuruati adorauerunt eum.* Planè hanc vltimam adorationem clementia ſibi vendicauit, Nec diſſonat ab hac mente Rupertus, qui lib. 9. in Geneſ. cap. 6. ſic fatur: *Et notandum quanta fuerit in Ioſeph altitudo honoris, quanta maturitas, vel dignitas in illo cum ſpiritu manſuetudinis, quem pro vno dignationis ſuæ verbo, quo dixerat; ſaluúſne eſt pater veſter, adhuc viuit? iterum adorauerunt incuruati.* Si verbum vnum humanitate coniunctum ita fratrum animos temperauit, vt iteratá tertiò adoratione obſequium præſtarent Ioſepho, ac ſi per hoc ſolum Regiam dignitatem agnoſcerent, quia clementer reſalutauerat, quos ferreos animos non emollirent multiplicata lenitate verba, aut bonorum operum cumulus de amore prodeuntium? Vna enim virtus, benignitas, Principes amabiles reddit ſubditis.

Tertiam adoratione fratrum, ſibi vendicauit Ioſephi clemētia.

Rupert.

4. Quod caput eſt, nihil Deum beneuolentiorem reddit hominibus ſicut humanitas, & clementia. Sicut fatetur ſacra ſponſa dilectionis Chriſti interpres Cantic. cap. 1. verſ. 2. & 3. vbi ſponſum Regem nuncupat: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Non ſola introducta eſt in diuinorum myſteriorum aulam, nec oſculis ſponſa ſola, nec ſola fruebatur ſponſi amplexibus. Dulcior fruitio Dei eſt, cum de aliarum conſortio lætatur anima. Venit enim ſtipata Regina turbâ puellarum, & ipſa duce in Chriſti palatium ingrediuntur. Quid in adoleſcentularum animis flammas amoris excitauit, vt Chriſtum ſponſum deperirent? & quæ antea adorabant Solem, & Lunam in media hac luce errorum tenebris caligantes, nunc expedito curſu ad Solem iuſtitiæ euolarent? verba ipſa ſponſæ affectus pectoris indicant: *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me poſt te curremus.* Metaphyſicis quoque rationibus gaudet ſponſa dicens *ideo*, motiuum amoris innuens. Quod ergo in ſponſo? Quod Rex? Quod ſpecioſus formâ præ filiis hominum: Quod Deus exercituum, & Imperator eſt? Quod in eo theſauri ſapientiæ abſconditi? Quod diffuſa gratia in labiis ſuis? Quæ omnia ſolent comparare ſibi amorem. Motiuum amoris ſponſæ, & pediſſequarum, benignitas, & clementia ſponſi eſt, vt teſtatur ſanctus Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap. 3. *Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te. Bona quidem prudentia, ſed dulcis miſericordia. Illam enim pauci aſſequuntur, hæc ad omnes peruenit. Propter hanc inquit indulgentiam tuam, diligunt te animæ renouatæ ſpiritu.* Quas minis, terrore, flagello fortaſſis à Dæmonum contubernio, & veneratione ſculptilium non reuocarat; pietatis, & clementiæ dulcedine allexit. Adeò vt contemptis deliciis, & auitis motibus per flammas, ferrum irent in ſponſum, & illius legis iugo colla ſubmitterent; tenet me, ô Domine Ieſu potentia tua, quæ condidit orbem; ſapientia, quâ moderaris orbem; rapit mentem in admirationem prudentia, qua cuncta fortiter, ſuauiter diſponis, dirigis, ſed indulgentiſſimæ pietatis viſcera, quæ abundè in filios hominum effundis; duriora corda ſaxo, ære, adamante liquefaciunt, vt ad bonitatis tuæ tactum fluant ſicut cera à facie ignis. Cœlorum Regem æmuletur terrarum Rex, & clemens, & humanus vocari gaudeat, hac vna virtute immitiores animos conciliabit, & quacumque ferâ immaniores gentes ſuo ſubiugabit imperio.

Ieſu clementia, & benignitas animas attraxit.

D. Ambr.

5. Quàm bellè, & ſublimior occinit noſter Caſimirus Heliconis decus, Pimpleiadum gloria, inter Marones, Flaccos, Naſones, ab Apolline, & Muſis lauro coronatus, Lyricorum lib. 1. Ode 17.

Caſimir.

Humanitas Regis lætitia populi.

Non vitri paries vitri
Cryſtallique fores, aut Mareoticis
Aurum poſtibus illitum,
Laudandum memori carmine Principem
Clarabit, neque barbaras
Decidet tumulo gloria laureas;
Sed frons mitior aſpici,
Innubique nitens ore meridies,
Et qui ſoſpitat omnia
Irati vacuus nube ſupercilij,
Primo gratior Heſpero
Formoſus roſeâ vultus in Iride,
Regum vultus imagine
Regnorum legitur, pandite lumina, &
Vultum pandite Principes.
Iam vultum, & populi lumina vidimus.

Clementia itaque Principis lux orbis, lætitia populi, miſerorum exultatio.

6. Nec me pudet in medium producere magnum diſſertatorem clementiæ Regiæ Senecam lib. 1. de clementia cap. 19. ſic fantem de Rege apum, & eius exemplo Imperatorem Neronem inſtruentem: *Regi apum ampliſſimum cubile eſt, medióque, ac tutiſſimo loco. Pugnaciſſimæ ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; Rex ipſe ſine aculeo eſt: natura telum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. Quid magis decorum regenti quam clementia. Quocumque modo is, & quocumque iure prępoſitus cæteris eris.* Attexere ſequentia non inficiabor, quia cenſeo lectori placitura; de Regis, & Regni ſecuritate, quam gignit clementia: *Non opus eſt inſtruere in altum editas arces, nec in aſcenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris, turribuſque ſepire. Saluum Regem in aperto clementia præſtabit. Vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium.* Quid illuſtrius

Seneca.

Apum princeps ſine aculeo, & mitis.

Seneca.

Clementia, Regis, & regni tutamen.

DISCVR

DISCVRSVS VI.

Talis conditionis Regnum inueniet, qualem Rex virtutis, aut ſceleris formam, & exemplar ei præſtiterit.

1. DIXIMVS ſuperiori numero quinto caput cæteris membris imperare cenſoriâ poteſtate, vt ad eius nutum, & imperium præbeant miniſteria ſeruulorum; etenim caput corpori regiminis eſt norma, & ad ſui exemplum corpus componit; aut noxios, aut vtiles ſpiritus, & humores in corpus influit; Princeps quoque exemplar eſt, & ſpeculum Reipublicæ, exemplo boni, aut mali calcar addens animis ſubditorum, virtutibus, aut vitiis. Egregius ille declamator, & expugnator vitiorum Ionas ingreſſus ciuitatem opulentam, vt Niniuitas criminis ſomno conſepultos excitaret, & barbaros ad pœnitentiam prouocaret. Verbum Prophetæ peruenit ad Regem. Ionæ cap. 2. verſ. 7. *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius.* Septuaginta Interpretes aliter legunt: *Et prædicatum eſt in Niniue à Rege, & ab omnibus magnatibus eius.* Nunquid Rex cum optimatibus ſuis munus Eccleſiaſtæ aſſumpſit, & è ſuggeſtu verbum Ionæ populis prædicauit? O egregiam mutationem! Verbum Ionæ clamantis in miniſtrum verbi, & concionatorem Regem transformauit. Nec contentus Rex prædicare Ionam populo, ille adiutor præconij factus, verbum Dei promouit. Exiſtimo verbum illud à Septuaginta prolatum: *Et prædicatum eſt in Niniue à Rege*, ita temperandum, vt Rex non verbo, ſed clamaret exemplo. Etenim cum Rex infulas regni abiiciens, baltheum, diadema, purpuram; induitur ſacco, & cinerem ſpargit ſuper caput ſuum; ſaccus, funis, cinis, præcones erant vociferantes, edentes ſonum quauis tuba clariorem. Mœrenti, & lugubri exomologeſis habitu prædicatum eſt in Niniue à Rege. Conceptum Septuaginta Interpretum, ſententiarum luminibus ornat ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Rex, qui ſceptri honore auguſtus erat, & ſplendore, atque gloria eminentiſſimus, thronum regalem deſerit, ſtolam ſibi propriam valere iubet, purpuram exuit, ſaccum induit; hoc eſt habitum lugubrem capit, & in cinere ſedens, ſignum cæteris dat, & cibo abſtinere, & continuis obſecrationibus, Deum mitigando, miſericordiam expoſcere oportere.* Ad examen voco illud: *Signum cæteris dat.* Sumpta ſimilitudo eſt à militari diſciplina, cùm è regione hoſtilis exercitus milites conſtituti, cùm clangor buccinæ concrepuerit, dato ſigno irruendi in hoſtes, diſtringuntur enſes, blandiuntur lanceæ, & ad vocem ducis, & imperium, huc, illuc milites ſæuiente Marte diſcurrunt. Sic Rex Niniuitarum ſacco cilicino, reſti, incineratôque capillitio, ſignum dedit optimatibus, plebi, vt funibus lumbos ſtringerent, volutarentur cinere, veſtéque lugubri amicti incederent, niſi forte *ſignum dedit*. Quia de ſacco, & veſte lugubri vexillum pietatis erexit, vt ſacrum illum ciuium pœnitentium exercitum glorioſius ductaret, dirigeret, quàm ſi fulgentibus armis ornatum educeret, vt de hoſtibus triumpharet. Vt in placando cœleſti numine pœnitentia, ieiunio, & lacrymis dux eſſet ciuibus, & magiſter, qui antea malorum operum ad ruinam populi, præiuit exemplo.

Ionæ declamatio apud Niniuitas.

Lect. LXX. *Regis Niniue præconiũ quo ſenſu accipiendum.*

Rex Niniue pœnitentis habitu populo prædicabat.

D. Cyrill. Alexand.

Rex Niniue ſignum dedit exomologeſi operanda.

Qui fuerat exẽplar iniquitatis dux factus eſt exercitus ieiunantium.

2. O quàm altè reponuntur ſubditorum pectoribus, vel virtutum, vel vitiorum regalia documenta. Veriſſima námque eſt illa Theodorici Regis ſententia, quam refert Caſſiodorus lib. 3. variarum cap. 12. *Publici enim decoris mater eſt mens regentis: & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectum. Facilius eſt quippe, ſi dicere fas eſt, errare naturam, quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit formare Rempublicam.* Quia Regni, & Reipublicæ Princeps, & mater, & pater eſt, eam gignit, & parit ſibi ſimilem moribus impoſſibile eſt filium ſpeciem parentum non trahere, impoſſibilius eſt Rempublicam ad archetypi ſui exemplar non efformari.

Caſſiod. *Animus regentis eſt populi mater quæ ſibi ſimiles generat.*

3. Traditus eſt cuſtodiæ Ioſeph, vt emineret in eo maieſtas regni præambula, & primum Regij muneris ſpecimen vincti prælibarent. Circumuentus, & accuſatus à Putipharis vxore, tanquam adulterij reus, & criminis alienum domini inuadentis thalamum; innocens, & pudicus adoleſcens conijcitur in vincula, dominus enim nimis credulus verbis vxoris: *Tradidit Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.* Geneſ. cap. 39. verſ. 20. Sed Ioſeph Princeps ſui, Rex vinctorum breui futurus, latronum, homicidarum, maleficorum, ſceleratorúmque hominum cuſtodiam, in cœleſtis diſciplinæ meditatorium ſuo exemplo transmutauit. Do tibi Philonem Hebræum Ioſephi virtutum admiratorem, lib. de Ioſeph ſanctem: *Tanta virtutis edidit ſpecimina, vt etiam facinoroſis illis eſſet miraculo, ad ſuæ calamitatis ſolatium credentibus ſibi contigiſſe hunc hominem. Iamque locus non erat carcer, ſed diſciplinæ meditatorium.* Et ſubdit: *Poſtquam enim ſuam vitam continentia cæteriſque virtutibus plenam, velut tabulam benè pictam in medium propoſuit, conuertit etiam eos, qui videbantur inſanabiles, itavt iam damnarent vitam præteritam, exprimente has voces reſipiſcentia, vbi tantum bonum tandiu latuit? à quo pridem aberrauimus.* Circe, & Siren illa Ægyptiaca furiarum tædis ardentibus laſciuiæ, & iracundiæ inflammata Ioſeph ad carcerem impulit, vt digna ſceleris pœnâ fœmina mutaretur, ſi tanto virtutum exemplo, & rei domeſticæ adminiſtratore priuaretur. Deo permittente ſeminæ tentatione pullulat, generatur opprobriis, ipſa tentatio Deo præſtat obſequium, & Ioſeph ad carcerem defert, vt dum Sol ille caſtimoniæ fulgoribus rutilans occidit obſcuræ Putipharis domui; ſqualenti, & tenebroſo carceri vinctorum oriatur, ſuóque ſplendore eum colluſtret, & cubilia draconum, & cauernam ſerpentium mutet in ſcholam diuinæ ſapientiæ. Non verbis non exhortationibus indigebat: *Poſtquam enim ſuam vitam velut tabulam benè pictam in medium propoſuit*, ad honeſtæ vitæ Philoſophiam carcerem compoſuit. Tantùm valuit Ioſephi exemplum in palæſtra regiminis ſeſe exercentis, ad maiora imperij certamina.

Ioſeph in carcere, & vinculis exemplar virtutis extitit facinoroſis. Philo Iud.

Carcer mutatur in diſciplinæ meditatorium.

4. Huius propoſiti tenax fuit Rex Dauid, vt domui ſuæ ſe ipſum in exemplar præberet. Pſalm. 100. verſ. 2. ait: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Id eſt, clariſſimum ſpeculum virtutis ſeipſum propoſuit, vt ab aulicis, & domeſticis imitaretur. Sic explicat Cardinalis Caietanus: *Deſcripſit integritatem cordis manifeſtam domui. Quod ſit in media domo manifeſtè ſit, ad differentiam eorum, quæ occultè fiunt in angulis. Vt eam non ſolùm exemplarem domui, ſed etiam abſque omni ſimulatione intelligeremus. Vnde ex hoc, quod manifeſta eſt domui propria integritas cordis Principis, verè*

Dauid ſe tanquam integritatis ſpeculum aulicis proponebat.

Caietan.

verè eſſe comprobatur. Sed acutiorem ſenſum inſinuat Pater purpuratus, hoc ſibi proprium vſurpant Regis opera vel ad infelicitatem ſi improba, vel ad gloriam ſi recta; quòd ſemper quaſi in medio domus, vel in medio foro perpetrantur; impoſſibile iudica operoſa Regis ingenia aliqua diſſimulatione occultari, in medio Sole fiunt. *Tu enim feciſti abſconditè* (ait Nathan ad Dauid lib. 2. Reg. c. 12. verſ. 12.) *ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.*

Regis improbitas in ſubditos redundat.
D. Iſid.

5. At mali exemplum efficacius, & incitatius mouet, & impellit animos ſubditorum, quanto eſt ad improbitatem natura propenſior: de Rege Ieroboam lib. 2. Regum c. 14. verſ. 16. refert quod *peccauit, & peccare fecit Iſrael.* Nec ſibi ſoli malus erat, ſed addidit Iſraëlitis vitiorum incrementa. Optimè inquit ſanctus Iſidorus lib. 3. ſententiarum cap. 50. *Reges vitam ſubditorum facilè exemplis ſuis vel ædificant, vel ſubuertunt: ideoque Principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati eius impunita licentia. Nam Rex qui ruit in vitiis, citò viam oſtendit erroris, ſicut legitur de Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſrael. Illi namque adſcribitur quidquid exemplo eius a ſubditis perpetratur.* Crimen Principis Reipublicæ pernicies eſt, viuáque lex & forma peccandi, quæ ciuibus addit calcar erroris, vt impunè, & impudenter delinquant. O durum, & crudelem improborum Regum fortunam, aliorum ſcelerum ſuſtinere pœnas; & propriis inferre ciuibus maiores ærumnas.

Rex flagitioſus viã oſtendit erroris.

Rex Ieroboã iniquus.

Improbi Principis exẽplum, quantũ noceat.
Lect.
L x x.
Tigur.

6. Malorum Principum exempla dolet Oſeas cap. 9. verſ. 15. *Omnes Principes eorum recedentes.* Alij legunt: *Deficientes* Septuaginta: *inobedientes.* Tigurina: *omnes Principes eorum apoſtatæ ſunt.* Quia à Deo deficientes idolis mancipati ſunt; (quod Hæreticis Principibus quadrat) Deo, & Eccleſiæ Catholicæ inobedientes, contra Deum, & Regem ſuum rebellantes, eum qui ab initio apoſtata fuit imitantes, à Catholica, & Romana fide deſciuerunt, & apoſtatare faciunt ſubditos, defectionem permittentes, vel ad apoſtaſiam impellentes. Sed ſanctus Alexandriæ Patriarcha Cyrillus aliter expendit: *Accuſat igitur non iniuria Iſraelem, vt qui penitus à recto itinere declinauerit, & principem de ſuis nullum omnino habeat, qui peccantes corripiat; qui ab errore auocet; aut certè, qui morum, ac virtutis ſuæ ſplendore, Deo exorato, iram eius amoliri poſſit.* Conqueritur Vates quod in Iſraële nullus inueniretur Princeps, qui iram Domini ſæuientis reprimeret, & virtutum ſplendore diſcrimen Reipublicæ amoueret; nam Rex iuſtus murus eſt patriæ, Regni antemurale, irruptiones hoſtium virtutibus arcens, diuinæ iuſtitiæ flagella, & calamitates auertens.

D. Cyrill. Alexand.

Abraham diſcrimen ſubit in Ægypto.

7. Voce Dei, magnus Abraham exul fit patriæ, & in Ægyptum deſcendit peregrinus, & ingreſſus Ægyptum, pudicitia coniugis periclitatur, & honor Abrahæ diſcrimen ſubit. Ægyptiacæ vrbis vix limina attigerant, cùm Saræ decor, & venuſtas vbique celebratur, & eximiam ſpeciem, & pulchritudinem ad aures Principum, & Pharaonis Regis, volitans fama deduxit. Geneſ. cap. 12. verſic. 14. *Cum itaque ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum viderunt Ægyptij mulierem quod eſſet pulchra nimis. Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.* Mirum dictu. Citius excellens mulieris peregrinæ forma, quàm

Saræ decor ab aulicis Pharaonis celebratus.

virtus, & modeſtia vultus ad aulam anticipata, & exaggerata peruenit, vt ſenſum Pharaonis inſtar equi inſanientis in feminas aulici demulcerent. Modeſtia, & pudor à Regia Pharaonis exularant; impudentia, impudicitia, & omnis generis luxus aditum, & domicilium inuenerant. At non abiit impunitus Pharao; *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram.* ibidem verſic. 17. In quo peccauit domus, vt ei etiam infligerentur pœnæ? Quæſtionem proponit, & diſſoluit dilucidè ſanctus Chryſoſtomus homil. 32. in Geneſim: *Qua de cauſa cùm Rex peccet, omnes de domo eius pœnæ ſunt participes?* Solutionem ſubiicit os aureum: *Veriſimile eſt eos cooperatos fuiſſe, vt aliquando committeretur iniquitas. Audiſti enim ſuprà ſcripturam dicentem: quia vt viderunt eam Principes Pharaonis, laudauerunt, & introduxerunt eam in domum eius. Vidiſtis eos lenonis agere officium in Regis gratiam, auferendo iuſti vxorem?* Conſtantinopolitanus Patriarcha magnatibus Pharaonis debitam lenonum nomenclaturam impingit, vt eos dedecore, & pudore afficiat. Ad omnia flagitia propenſum Regem impellebant. Pharao voluptatibus irretitus, & deliciis diffluens validiſſimum nequitiæ ſuæ obtulit exemplum; optimates currenti ad flagitia Regi calcar addebant, & ſua ſponte ad luxuriam incitatum vehementius inflammabant; ardoribus libidinis exardeſcens caput, viuidos igniculos in aulicos, & ſocios immittebat. Quid? ſi mollis, & in deliciis viuere aſſuetus Rex, & totus medicamentis luxuriæ delibutus tetrum vitiorum, & luxuriarum odorem exhalans, domeſticis vitiis atque flagitiis Regiam inquinaſſet. Chimæram effingis ſi cum capite ſordidato compati exiſtimes corpus incontaminatum, impollutum, talem Rempublicam Rex inueniet, qualem ſe moribus ipſi præſtiterit,

Cur domus tota Pharaonis punitur?

D. Chryſoſt.

Pharaonis Principes lenonum agebant officium in Regis gratiam.

Attributa cordis, & Sacerdotis comparantur.

DISCVRSVS VII.

Sacerdos quia propinquior fonti cœleſtis ſanguinis, & illius eſt diſpenſator, proprio debet carere ſanguine, & ſi quem habet, pro Chriſto offerre, & effundere.

1. MODò verò metaphoram cordis illuſtrandam ſuſcipimus, ad numerum ſuperioris quæſtionis ſeptimum. O ſi Deus, qui corda fingit, & ſcrutatur interna cor ſcribentis illuminet, & purificet, & manu teneat, dirigátque digitos ſcriptoris, vt myſtici cordis rimetur arcana, eáque Sacerdotibus patefaciat. Cor principium caloris, & vitæ, & origo ſanguinis eſt, cùm in ſe ipſo exiguum contineat, ſed puriſſimum humorem ſanguinis; vnde cùm ſcinditur parumla ſtillicidia ſanguinis effundit, vt diſcat Sacerdos, qui quotidie bibit de ſanguinis Deifici fonte, quod debet eſſe exanguis, & ſine humore ſanguinis viuere.

Cor exiguũ ſed puriſſimũ ſanguinem continet.

viuere. Inter alios cæremoniarum apparatus, quibus ordinis Leuitici filiis Aaron ad oblationem ſacram, vitulus iubebatur occidi; illa non inferioris notæ eſt, Leuitici cap. 1. verſic. 5. *Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron Sacerdotis ſanguinem eius.* Cœleſtium myſteriorum, & ſpiritalis intelligentiæ ſedulus perſcrutator intende. Alius adducit immolandum, & alius immolat vitulum; nonne acceptius Deo foret ſacrificium, ſi mactandam hoſtiam, ipſe oblator, & ſacrificator afferret? Labor deferendæ pecudis deuotionem oſtenderet, oblatio ipſa affectum animi comprobaret; alius detulit, alius obtulit; Nomen aſportantis tacetur; offerentis exprimitur: *Offerent filij Aaron.* Et addit: *Sacerdotis.* Vt in ſola oblatione ſanguinis, Sacerdotis dignitatem, & munus diſcerneret. Ductare de armento ligatum vitulum, & victimam de florum ſertis coronatam; plurimorum eſt; ſed ſanguinem offerre Deo, ſolius Leuitarum ordinis eſt. Acutus, & elegans eſt in præſenti Iſychius Epiſcopus Hieroſolymitanus dicens: *Qui ſunt qui hunc ſanguinem offerunt? Filij videlicet Aaron Sacerdotis, ipſi enim & occidunt. Equidem is, qui oblationem offert ſine nomine, & non deſignatè expreſſus eſt. Filij autem dicuntur Aaron ſanguinem offerentes: qui oblationem quidem adducere, id eſt promittere quorumlibet eſt: Implere autem promiſſa, quod occiſio bouis ipſius docet, & ſanguinis effuſio, non quorumlibet, ſed illorum, qui filij Aaron reuera ſunt, vtpote habentes in ſemetipſis Sacerdotij dignitatem.* Quàm plurimi ſe deuouent Deo, ſed vota non reddunt, & nolunt ſtare promiſſis, iſti vitulum deferunt, & non occidunt, nec ſanguinem effundunt; at qui voti ſponſionem, qua tenentur adſtricti, fideliter Deo ſoluunt, gratioſam mactant victimam, & illius ſanguinem fundunt. Perpende verba illa: *Implere promiſſa, occiſio bouis, & ſanguinis effuſio, habentes in ſemetipſis Sacerdotij dignitatem.* Is ſolum gaudet Sacerdotij nomine, & ſacræ dignitatis ornatur infulis, qui in pectoris ara cor Deo immolat, affectuum, & vitiorum vitalem ſuccum, & ſpiritum Deo litat. Quàm placabilis hoſtia, gladio ſpiritus ſe ipſum occidit, vt vitulus in ara imponitur, cupiditates amputans: ſanguinem effundit, manet exanguis, ſed non mortuus, ſed meliori vitâ viuit. Occidit mundo, viuit Deo.

Alij ducunt victimam, Soli Sacerdotes mactant.

Iſych.

Promiſſa implere, & ſanguinē effundere eorum eſt, qui ſacerdotij ornātur infulis.

2. Ad hoc ſacrificium, & ſanguinis interitum, magnus Sacerdos Paulus, Sacerdotes Chriſti hortatur ad Rom. cap. 12. verſic. 1. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem.* Sanctus Petrus Chryſologus ſermon. 108. legit: *hoſtiam viuam*; & mille facetiis verborum ſententiarúmque Paulinæ propoſitionis ſenſum diſcutit, dicens: *O inauditum Chriſtiani Pontificatus officium, quando homo ſibi ipſe eſt, & hoſtia, & Sacerdos. Quando hoſtia mactatur, & viuit. Sacerdos neſcit occidere qui litauit. Mirum ſacrificium, vbi corpus ſine corpore, ſine ſanguine ſanguis offertur.* Maximâ tauri victimâ perfusâ ſanguine Deus non placatur, nec cæſis pecoribus gaudet; cupit Deus hoſtiam viuam, corpus tuum, animum tuum, in quo ſacrificio, nec hoſtia moritur, nec Sacerdos. Sed viuit Deo, viuit æternitati. *Corpus ſine corpore* (inquit) *ſine ſanguine ſanguis offertur.* Velut qui corpus ſuum litat Deo, homine maior, ſublimior olympo, quaſi expers corporis eſſe videatur tranſgreſſus metas corpulentæ molis, ad ſtatum, & legem ſpiritualitatis tranſierit. Talis debet eſſe Sacerdos. Quid plura? ſine ſanguine ſanguinem offerat. O acumen ingenij. Victima irroratur ſanguine cum ſanguis offertur, & ſine ſanguine eſt? totum ſanguinem conſecrat, & dat Deo, ergo exanguis eſt, & remanet ſine ſanguine. Teneo mentem Chryſologi, ſed liceat verba ita diſpungere, cum Sacerdos carnis & ſanguinis legibus alienus, pretioſum Redemptoris offert ſanguinem, tunc: *Sine ſanguine, ſanguis offertur.*

In Pauli mēte qua ſit hoſtia viua.
D. Chryſol.

Qua ratione corpus ſine corpore, ſanguis ſine ſanguine offertur.

3. Redeamus ad Leuiticum ſacrificium, ne tanquam obliuioſi, præcipuum holocauſti ritum præteriiſſe videamur. Leuitici cap. 1. verſic. 5. *Offerent filij Aaron Sacerdotis ſanguinem eius, fundentes per altaris circuitum.* Septuaginta legunt vltima verba: *Et effundent ſanguinem ad altare per circuitum.* Vt circumfuſio ſanguinis, & totum holocauſtum, tota feſtiuitas dicaretur altari. Circuitus iſte mirabilis eſt, & circularis figura perfectior; ſanguinis aſperſio, & Sacerdotis circumlatio, perfectior, gratior, pulchrior eſt, quàm Solis circuitus, quo ſingulis diebus ſuo rotat, & voluitur orbe; ros ille ſanguineus iucundior rore matutino, & margaritis fulgentibus, quas ſuper flores diluculum rorat. Accipe verba Iſychij Epiſcopi Hieroſolymorum lib. 1. in Leuit. *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium. Hi ſanguinem fundunt per altaris circuitum. Per ſanguinem animam hic intelligi dubitandum non eſt. Oportet ergo nos non parcere animæ, vnde Dominus ait: qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam. Hoc eſt ſanguinem fundere.* Sanguinem totum propter Deum effundat Sacerdos, non carni, non ſanguini parcat, ſed vitam profundat. Sed quid eſt in altaris circuitu? Reſpondet Iſychius: *Fundit autem in altaris circuitu, videlicet in vnigeniti corpus, hoc enim re vera altare dicitur; ad eius imitationem Sacerdotes operantur.* Magni Pontificis ſpeculetur, æmuletur amorem, dum ad myſterium, & altare appropinquat. Si Deus totum ſanguinem fudit, vt agnus in ara Crucis immolatus, vt totius mundi expiaret delicta; nonne ego carnem oſſeram, noxios, & ſanguine madidos affectus libens non libabo? Tunc enim dulciori, & ſuauiori animi affectu, Chriſti incruentum ſanguinem libo, vtilius delibo, cum ſine ſanguine ſanguinem conſecto.

Lect. L x x.
Quid ſit ſanguinē effundi ad altaris circuitum?

Iſych.
Qui animam propter Ieſum perdit, inuenit.

Iſych.
Altare corpus Chriſti eſt, ad cuius imitationem Sacerdotes operantur.

4. Ad craterem, & poculum deuotionis melle, & ſaccharo charitatis conditum inuitat Sacerdotes Dei Rex Salomon Prouerb. cap. 9. verſic. 2. *Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum.* Septuaginta Interpretes in Biblia Sixti legunt: *Miſcuit in cratera,* (aliàs cratere) *vinum ſuum.* Miror Salomonis prudentiam, ſtupeo Dei ſapientiam; ad conuiuium allicis, & perterrefacis morte? Ad dilectionis, pacis, & vitæ ſympoſium vocas, bello; & gladio minitaris, & prætendis necis inſidias? Ecce ſub veſte, Sapientia abſconditum portat pugionem, vt perdat, vt mactet, vt morti inuitatos deuoueat. *Immolauit* (inquit) *victimas ſuas.* Magno clamore ad craterem inuitat, vt conuiuas ſacri epuli, cruenti laniſtæ ſubitò adoriantur, & iugula petant mucronibus, menſamque perfundant ſanguine? Mentiar ſi id verſiones Septuaginta non exprimant: *Mactauit hoſtias ſuas.* Sanctus Ambroſius: *interfecit.* Tertullianus aduerſus Gnoſticos: *Sophia iugulauit filios ſuos.* O piam ſapientiæ crudelitatem! o mortis in vitam

Salomon ad vitæ poculum & ſimul ad lanienam inuitat.

Lect. L x x.

D. Ambr.
Tertul.

commu

commutandæ cœleſte conſilium. Sacerdos Dei à ſapientia vocatus, à Rege inuitatus, vt incruentum ſacrificium in calice immoles, & Euchariſtico epulo diſſuauieris. Prius te ipſum manibus piæ matris ſapientiæ mactandum trade, ad conuiuium Deificum, & ſanguinem accede occiſus, iugulatus, exanguis. Si ita eſt, prius moriar, vt viuam, libens iugulum do carnificis gladio, vt totum ſanguinem fundat. Nec ab eo diſcurſu videtur alienus Polychronius in catena Græcorum Patrum in Prouerbia: ibi inquit: *Miſcuit in cratere vinum. Probè illud. Nam primo Chriſtus Dominus ſe ipſum Deo Patri in hoſtiam, & ſacrificium pro omnibus obtulit. Mox Apoſtolos, alioſque, & alios mortis ſuæ imitatores fecit. Per craterem autem Eccleſiam accipere licet, hæc enim ſanguinem, qui pro ea effuſus eſt, in vſum ſuſcepit, ſanctéque cuſtodit, atque diſtribuit.* Gazas Regias, & carbunculatas ſui ſanguinis gemmas Eccleſiæ ſponſæ Chriſtus ſponſus concredidit; vt tepida Sacerdotum corda, calentis, & amorem exhalantis ſanguinis foueret vitali ſpiritu, vt viuidos igniculos, & flammantes faces, de igneo fonte Deitatis accenſas, in hominum pectora eiacularetur, charitatis, & imitationis incitamenta; vt ad conſpectum calicis Ieſu, phialæ rubentis ſanguine, erubeſcat Sacerdos proprij non eſſe ſanguinis prodigus, pudeat non mori ſeruum pro Domino, qui pro vilis famuli ſalute mortuus eſt. Felix Sacerdos, qui ſine ſimulatione pronuntiat: Cùm ad vitæ fontem appropinquo, plus ſeculo morior, & incrementa vitæ cœleſtis accipio; dum vberiori hauſtu Euchariſtici ſanguinis animus immergitur, plus caro ſilet, & gelidus coït Domini timore, & formidine ſanguis.

Ad Dei conuiuium mactatus, & exanguis accedas Sacerdos.

Polychron. Caten. Græc.

Chriſti mors in Euchariſtia oſtenditur, vt accedentes excitet ad moriendum.

5. Cùm cœleſte, & Propheticum carmen, velut cygnæa voce Moyſes iam iam ad meliorem vitam migraturus occineret, de benedictione Leuiticæ tribus hæc reſultauit Cantilena. Deuteron. cap. 33. verſ. 9. *Leui quoque ait: qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos.* Quàm expertes ſenſus, & affectionis humanæ Sacerdotes Domini, cum interfecerunt in ore gladij tot millia fratrum propinquorum, non acquieſcentes carni, & ſanguini, non patri, non matri, non filiis parcunt; correptus zelo Dei Leuita cunctos interimit, qui ſe ipſos fœmineis Madianitarum amplexibus inquinauerant, & initiati fuerant Beelphegor: hos Leuitas expertes ſanguinis nuncupat Hugo Cardinalis dicens: *Leui non pepercit familiaritati, vel ſanguini.* Hic dignitate, & munere Pontificatus cenſetur benemeritus. Subdit ſacer Textus, verſic. 10. *Ponent thymiama, & holocauſta ſuper altare meum.* In quæ verba Dionyſius Carthuſianus ſubſcribit: *Sacerdotes, & clerici omnem carnalem, & inordinatum affectum abiiciant; & ponant holocauſtum ſuper altare, quoniam corpus, & ſanguinem Saluatoris conſecrant, vbi & mactant, offeruntque ſe ipſos grandi compunctione, ac integra deuotione.* Vt dum appropiant ſanguini Chriſti, alieni ſint à carne, & ſanguine.

Tribus Leuiticæ magnanimitas.

Leui non parcit ſanguini.

Hugo Card.

Dionyſ. Carthuſ.

Sacerdotes carnis affectum relinquãt, vt carnem viuificam conſecrent.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Discvrsvs VIII.

Maxima Sacerdotis dignitas, & honoris amplitudo, dum inter Deum, & hominem, mediator, & interceſſor exiſtit.

1. IN medio cor natura collocauit, vt vidimus numero 8. ex Ariſtotele, cui etiam ſanctus Gregorius Nyſſenus adſtipulatur lib. de hominis opificio cap. 12. *Etenim cor locum in humano corpore toto medium obtinere videtur, vt motus à conſilio profectus facilè in corpus vniuerſum ex hoc medio ſe diffunderet.* Sic etiam Sacerdos in hoc myſtico Eccleſiæ corpore in medio conſtitutus, & inter Deum, & hominem mediator eſt.

Ariſtot.

D. Gregor. Nyſſen.

Cor in medio corporis conſtitutum.

2. Mirabilis fuit diſpoſitio caſtrorum à Moyſe conſtituta filiis Iſraël, vt diurnas, nocturnas agerent excubias circa tabernaculum fœderis, & arcam Domini. Principes familiarum alij ad Orientem, alij ad Occidentem, iſti ad Meridionalem tractum, illi ad Septentrionalem plagam metabantur. At filij Aaron, & Sacerdotes Domini medium caſtrorum ſortiti ſunt locum. Numerorum cap. 3. verſ. 38. *Aaron cum filiis ſuis habentes cuſtodiam ſanctuarij in medio filiorum Iſraël.* Vt ab exordio ſui principatus tribus Leuitica auſpicaretur patroni munus, & officio mediatoris fungeretur. Hoc Rupertus annotauit lib. 1. in Numer. cap. 5. *Hi vel horum familiæ omnes Leuiticæ, ſicut pro officio medij ſunt inter Deum, & populum, ita & poſitione medij excubabant inter tabernaculum, & caſtra duodecim tribuum.* Vt ſitus ipſe medius operi reſpondeat, & pro dignitate loci, officia, & partes ſuſciperent Mediatoris.

Cùm caſtrametantur filij Iſraël, Aaron in medio collocatur.

Rupert.

3. De munere, quo tenetur adſtrictus Sacerdos, Oſeas differens, oratione vtitur, quæ plurimum obſcuritatis habet cap. 4. verſ. 8. *peccata populi mei comedent*: apponit Deus Sacerdotibus menſas non fartis turturibus, Sybariticis, aut delicatis obſoniis refertas, fercula ſunt peccata; dapes ſummâ concinnitate comparatæ, hominum ſcelera; quaſi penuaria Sacerdotum cella nullum aliud eſculentum palato præbeat, niſi flagitia. Hic locus obiter exponitur: *peccata comedent*, id eſt ſacrificia pro peccatis. Iuſſu diuinæ legis Leuitici cap. 3. & 10. ex cuius præſcripto exta, & adipes litabantur Deo, reliquo Sacerdotes veſcebantur. Sed quid ſi peccata etiam ipſa comedant? Sicut enim cibus dentibus manditur, & in ventrem traiicitur, calore decoctus conuertitur in ſubſtantiam aliti, vt quid proprium apud ſe retinet; Sic Sacerdos, vt propria ſuſcipit aliena peccata flammis charitatis, & lacrymis excoquit, pro ipſis patrocinium ſuſcipit, & cœleſte numen exorat; nec diſſentit ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Tanquam mediator Dei, & hominum Sacerdos aſſumitur. Vides quomodo mediatores agunt, qui diuino altari adſtant, & caſtiſſimis precibus iram in peccantes intentam amolientes, & tantum non animas ſuas pro peccatis populi in odorem ſuauitatis Deo ſacrificantes?* Peccata comedit, vt terat, & conterat crimina, & eorum felleam amaritudinem præſentiat, & ex oculis lacrymas eliciant. Nulla diuinior Sacerdotali victimâ, cùm ſe quotidie immolat pro

Sacerdotes peccata populi comedunt.

Non ſolùm ſacrificium pro peccatis, ſed peccata ipſa comedunt.

D. Cyrill. Alexand.

Sacerdotes pro peccatis populi ſe ipſos offerunt.

 ſalute

ſalute populi, cùm medius inter Deum, & hominem pacis, & reconciliationis arbiter exiſtit.

4. Hoc munus omni Regali diademate illuſtrius, purpurâ, thronóque Regio, & omni ſublimiore poteſtate magnificentius. Audi ſanctum Chryſoſtomum tom. 1. homil. 5. de verbis Iſaiæ: *Quid cum hoc honore conferri poſſit? Itaque medius ſtat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus.* Hæc Chryſoſtomus.

D.Chryſoſt. *Mediatoris munus in Sacerdote quàm eximium.*

5. Seditionis Core conſortes, qui auſi ſunt alieni miniſterij ignem thuribulis inferre, cæleſtis incendij flamma vorax vaſtabat, iam Angelica poteſtate iniiciebantur in rogum, cum morte colluctantia corpora, & ex ferali pyra ſurgebant incredibili ſtridore volitantes flammæ: cùm Aaron, vt proprio muneri faceret ſatis, ſeſe murum opponit igneis globis, & exercitui flammarum. Numer. cap. 16. verſ. 47. *Cùm Aaron cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama: & ſtans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Sanctus Auguſtinus ſerm. 99. præſenſit myſterium Chriſti, & officium mediatoris agnouit, cuius imitator debet eſſe Sacerdos. Sic enim inquit: *Cernere potuiſti ſtantem Pontificem medium inter viuos, & mortuos. Aſcende nunc ad verbi huius celſiora faſtigia, & vide quomodo verus Pontifex Ieſus Chriſtus aſſumpto thuribulo carnis humanæ, & ſuperpoſito igne altaris, anima ſine dubio illa magnifica cum qua natus eſt in carne; adiecto etiam incenſo, qui eſt ſpiritus immaculatus, medius inter viuos, & mortuos ſtetit, & mortem non permiſit vltra graſſari.* Summus Pontifex Ieſus ad æmulationem Sacerdotes prouocauit, vt ferant opem, & ſalutem patriæ, populo contra imminentes iræ cæleſtis turbines, ſecurum exhibeant periclitantibus portum; pro incolumitate delinquentium, rogo charitatis exurendos ſe ipſos dedicent, vt virtutum, & orationum redoleant ſuffitus, odoretur Deus odorem ſuauitatis, & reddatur placabilis.

In ſeditione, & vaſtitate Core Aaron deprecatur.
D.Auguſt.
Verus Pontifex Ieſus mediator.
Thuribulum caro, ignis anima Chriſti eſt.

6. Singulis annis ingrediebatur Sacerdos in ſancta, in veſtimentorum ornatu, & gloria totum ſecum ipſe portabat, & introducebat orbem ad interiora velaminis. De Aaron loquitur ſapiens cap. 18. verſ. 24. *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* Hanc globoſam mundi molem, quam opifex ſummus architectatus eſt, Sacerdos in veſtimentis referebat. Mitra cœlum empyreum repræſentabat, omnia ſuo complexu cingens, atque coercens: Byſſus terram: Purpura mare, quia conchylij fucatur colore; hyacinthinus color aërem: color puniceus ignem; ſed cur in ſe exprimit vniuerſi ordinem, ornatum, concentum, factus microcoſmos? Reſpondet Philo Iudæus lib. 2. de monarchia: *Alij Sacerdotes tantùm pro familiaribus amicis, ciuibuſque ſolent rem diuinam facere. At Iudæorum Pontifex non ſolum pro toto humano genere, verùm etiam pro naturæ partibus, terrâ, aquâ aëre, igne, precatur, & agit gratias, ſolitus ſupplicationibus reddere propitium parentem, conditorémque ſuum.* Vt ſciret Sacerdos ſe eſſe mundi totius mediatorem apud Deum, & ſingulis orbis partibus ſuo habitu, & cultu benignitatis benedictiones imprecari. Velut ſi ſerena cœlorum facies, aëris temperies; terræ prouentus vbertas frugum ex eorum honeſtate, & precibus pendeat.

In veſte Aaron totus erat orbis terrarum.
Philo. Iud.
Sacerdos pro humano genere, pro naturæ partibus erat.

7. Veniat in mentem parabola illa ficus infructiferæ, & ab agricola magno labore excultæ, rore cœli, & aquarum irrigatæ fluentis, fœcundatæ ſtercoribus; & iudicis ſecuri armati exciſionem minitantis; Lucæ cap. 13. verſ. 6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit ad cultorem vineæ; ſuccide illam, vt quid etiam terram occupat.* Nonne experiretur ſecures, & ignes, niſi pius vineæ cultor interueniret? Felix ficulnea; quæ talem meruit habere interceſſorem. Paternus viſcera cultoris tangit amor, cùm ad radices arboris appoſitam ſecurim intuetur: orat, ſupplicat, illacrymatur, in genua procumbit, vt exciſio proteletur, bonæ frugis expectatione, nulli parcit labori; cupit in compromiſſa fructificatione parum fidelis apud Deum videri agricola, quam de miſericordiæ fructu quid negare: vide repellentem periculum, enixè exorantem veniam, & dilationem ſupplicij. ibi verſ. 8. *At ille reſpondens dicit illi: Domine dimitte illam, & hoc anno: vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam.* Quis agricola, qui Chriſtianâ pietate plenum pectus interpoſuit ad ſuſcipiendos ictus, vulnera, ne vilis plantula, & fatua feriretur? ſine dubio fuit Sacerdos. Sic ſentit ſanctus Gregorius Nyſſenus orat. in mulierem peccatricem: *Alienus à cædendi acerbitate Sacerdos eſſe debet, tanquam promptus, & paratus ad excolendam humanitatem; vt etiamſi Dominus aliquem vti plantam inutilem exſcindere iubeat, ipſe tanquam inſitor debeat ſupplicare, vt ignoſcat parumper, ac ſententiam differat.* Eximium Sacerdotis officium eſt, & plenum compaſſionis, pro delinquentibus ſupplicationes offerre, ferrum, tela, diſtrictos in peccantes diuinæ iuſtitiæ mucrones retundere.

Ficus parabola, & ſignificatio.
Sacerdos ſupplicat ne ficus exſcindatur.
D. Gregor. Nyſſen.

8. Sed non grauabor clauſulam Nyſſeni referre pro huius diſcurſus coronide, vt eius verbis tanquam lapidibus pretioſis coronentur Sacerdotes. Sic eos affatur Nyſſenus: *Noli eſſe tam facilis ad amputandum, & exſcindendum tu, qui Dominum, ne id faciat, debes obſecrare. Diligentiam adhibeto: reprehenſionibus circumfodito: cohortationibus foueto, tanquam ſinu. Documentorum quaſi aquarum copiâ rigato, præceptis, vt vallo communito. Tuum eſto placare iudicis animum. Demus operam, vt eodem nomine, quo Dominus appellemur. Is enim dicitur conſolator, dum hominum generi Patrem propitium reddidit.* Hoc munus Sacerdotis: eſſe mediatorem, interceſſorem inter Deum, & hominem, vt cor humanum imitetur, quod in medio corporis eſt.

D. Greg. Nyſſen.
Sacerdotis munus, & opera in excolenda ficu.

De cordis

De cordis mucrone.

DISCVRSVS IX.

Poteſtatem deiicit, & imperium ſuum iniuriâ afficit Sacerdos, cùm gladium in vagina reconditum tenet; limatum, & fulgurantem, contra delinquentes non eximit.

Sacerdos gladius ſpiritalis.
Ariſtot.

1. DE corde teſtatur Ariſtoteles quod *eius extremum turbinatur in mucronem*, vt cor myſticum Sacerdotem obarmaret, & ſui muneris admoneret, vt ancipitem, & diſtrictum gladium manu teneat, ad malefactorum vindictam. Hoc munus Sacerdotale auſpicati ſunt in mundi exordio ſacri illi, & Cherubici ſpiritus, pro paradiſi foribus iuſſu Dei excubantes, vt Protoplaſtum vigilanter ab introitu prohiberent, ſplendidis, & circumfulgurantibus machæris, feris, & hominibus aditum præcludunt. Geneſ. cap. 3. verſ. 24. *Eiecit Dominus Adam de paradiſo voluptatis, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Primum legis tranſgreſſorem de domo deliciarum conſtanter repellunt, nec Adami, aut Euæ gemitibus, lacrymis flectuntur, vt offenſi numinis imperata non exequantur; exiſtimant genus pietatis eſſe in hoc euentu videri crudeles; eiiciunt iteratis monitis, impellunt minitantibus gladiis præuaricatores, contumaces, egreſſionem renuentes. Proculdubio, Cherubici excubatores mirificè delinearunt munus Sacerdotis mucronem poteſtatis contra improbos exerentis, vt ab Eden, ſcilicet Eccleſia proiiciat, & ab eius introitu impudentes arceat. Mens eſt in præſenti S. Brunonis tom. 3. lib. de paradiſo: ſed verba, quæ ibi leguntur, & plura alia refert Tilmanus ſuper Geneſim: *Cherubim plenitudo ſcientiæ interpretatur, Eccleſiæque Doctores ſignificat.. Cum autem quis de paradiſo, id eſt de ſancta Eccleſia propter peccatum ſuum eiicitur, ne ad lignum vitæ, id eſt ad carnem Chriſti participandam accedere præſumat, ab his interdicitur. Stant enim cum gladio ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Et ab Eccleſiæ introitu peccatores conſtanter repellunt. Eſt autem iſte gladius lucens, & flammeus, ſplendidus, & ſine rubigine: quo qui percuſſus fuerit, aut illuminatur, aut exuritur. Eſt autem verſatilis, facilis, & velox ad feriendum. Vndique circa ſe delinquentes percutit, pauperes, & diuites condemnat.*

Gladio Cherubico Adam expellitur de paradiſo.

D. Bruno.
Sacerdos Cherubim eſt qui gladio poteſtatis iniquos à ſacris arcet.

Proprietates ſpiritalis gladij expenduntur.

2. Proprietates ſpiritualis gladij viuis coloribus exprimit: quod ſplendidus, & ſine rubigine; nec mirum ſi gladius tuus, ô Sacerdos, ſqualidus, rubigine exeſus, & liuidus in vagina reconditus, ſi virgo vt ita dicam eſt, inexpertus vulneri, excidio; nec ſemel in peccantes diſtrictus, nec inimicis ibundus viſus eſt hoſtibus in ſponſam irruentibus, cum ſcelerum exundantes turbines in Eccleſiam ingruant. Metus diſplicendi magnatibus, cupiditas aſcendendi in vberiora beneficia, & opulentiores glorias mucronem tuum tenet abſconditum. Gladius ſpiritus à Cherubinis tenetur brachio extento, faxit Deus, ne tuis muneribus areſcat reddentibus immotam dexteram; ambitione, & expectatione maioris dignitatis; Ne metu, & tremore contrahatur, rigeſcat: reſpirare iam ſcintillas ſpirantem, & zeli Dei gliſcentes flammas, ambitio, & adulatio potentatuum quàm facili negotio extinguunt. Stabant Cherubini gladio ſplendenti, læuigato, verſatili, armati, ne quis prophanus in domum deliciarum Dei tentaret ingredi. Ne in manu tua otioſus ſit gladius, ne ludicram, aut ſimulatam armorum ſpiritualium, & cœleſtium artem exerceas. Mucronem hebetem poli, obtuſum læuiga, acue; vitæ tuæ & ſplendor, & lux eſt etiam gladius, vtrumque exere, quos cùm vaginâ nudatos aduerſarij viderint, ſuorum oculorum acies tuo fulgore perſtringes. Inuictâ fortitudine animi tanquam ferro, reliquis virtutibus tanquam chalybe in camino ignis zeli Dei, gladium tuum confla, vt limatus, politus ſplendeat, in Eccleſiæ hoſtes irruat, ne tanquam debilis infringatur, aut propter minus aptam temperaturam inflectatur, incuruetur.

3. Nec ab hoc Cherubinorum conceptu Septuaginta interpretes diſcrepant, cum legunt: *Ordinauit Cherubim & flammeam rhomphæam; quæ vertitur cuſtodire viam ligni vitæ.* Ad hunc finem Sacerdotes ordinari, vt lignum vitæ cuſtodiant, vt probra, & indecora verba, & opera turpia, quæ in facie Dei quotidie perpetrantur, in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ iniuriam, à Sacerdoribus præcipuè vindicentur. Hoc vult ſanctus Iſidorus lib. 14. Etymolog. cap. 3. dicens: *Cherubim, id eſt Angelorum præſidium arcendis ſpiritibus malis ordinatum eſt; vt homines flammæ, Angelos vero malos Angeli boni ſubmoueant, ne cui carni, vel ſpiritui tranſgreſſionis aditus paradiſi pateat.* Eccleſia paradiſus eſt, Chriſtus in ſacramento altaris lignum vitæ, Sacerdotes Angelorum præſidium, caſtra Dei, Chriſti Imperatoris cohortes, vt omnem carnem, & ſpiritum, & diuinæ legis tranſgreſſores gladio ſpiritus increpent; ſacramenta cœleſtia ſuis improbitatibus, & impudentiſſimis cum fœminis alloquiis polluentes, prophanantes ab Eccleſia repellant. Hoc ſcelus vilipendij, & irreuerentiæ maximè oculos maieſtatis Dei prouocat. Notanda eſt Hebraica verſio Tigurinæ, quæ pro flammeo gladio legit *Laminam gladio micantem, ad cuſtodiendum iter arboris vitæ.* Ad quid enim in ianua paradiſi, & in via, quæ ducit ad lignum vitæ, lamina cum gladio inſeritur? Peccator, qui coram agno, qui incruento altaris ſacrificio quotidie mactatur, & viuit, in impudicitias præceps ruis, diſtrictos, & fulgurantes mucrones non times? Time laminam. Quid eſt lamina? Sceleta ſtylo ferreo, & adamantino ſculpuntur in lamina, vt ea nulla temporis vetuſtas expungat, aut deleat obliuio, vt flagitia, quæ circunſtans altare, aut in via ligni vitæ perpetraſti, perennarent. Verâ contritione abolita eſt culpa, & æterna pœna; fortè multorum annorum ſpatio ſenties Dei vindictam temporalem, ſed grauem tui ſceleris lues pœnam.

Lect. Lxx.
Sacerdos viâ ligni vitæ tenetur cuſtodire.

D. Iſid.

Impudica colloquia circum altaria Euchariſtica interdicenda.

Tigurina.

Euchariſtiæ irreuerentia grauiſſimum ſcelus.

4. Celeberrimum genialis lectuli Salomonis ſatellitium a ſacra Scriptura deſcribitur Cant. cap. 3. verſ. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Giganteæ molis, & ſtaturæ ſelecta gladiatorum cohors ad corporis Regij, & ſomnij vigilem cuſtodiam; ſinguli de ſexaginta heroibus tenent gladium eleganti manubrio ex auri, argenti metallo affabrè elaborato, cælaturis varijs nitente, eumque de balteis pictis, & elaboratis ſuſpendunt, gladium inquam anci-

Salomonis lectulus.

pitem, & ſplendentem, vt dæmones qui ambulant in nocte, ſpectra, & mortis vmbras, & quidquid per quietem interturbare ſolet mortales, à Regia aula, & Salomonis lectulo arceant. Theodoretus, & ſanctus Ambroſius prælatos intelligunt nomine fortiſſimorum Iſraël, qui veri Salomonis Chriſti lectulum, hoc eſt Eccleſiam, in qua recumbit, & requieſcit, ſtrictis gladiis cuſtodiunt. Do tibi vtriuſque verba: Theodoretus ait: *Hi lectulum ipſius ambiunt, ſponſam ab hoſtium incurſibus cuſtodientes. Binos autem geſtant gladios, vnum ſuper femur; alterum in manu, vnum reprehenſionis, alterum intelligentiæ.* Eccleſiæ ſponſus ſtatim agnoſcitur, non ſi aulam circumdet, aut frequentet, ſed ſi ſponſam Eccleſiam ſibi traditam ambiat, & cuſtodiat; nunquid ſponſum vocabis eum, qui nunquam de facie nouit ſponſam, nec in eius ruit amplexus? Intelligentiæ, & reprehenſionis gladios accepit pro ſponſalibus, increpationis gladium ancipitem, & dictictum in peccatores pro regali diademate capitis, & monili aureo pretioſiſſimóque ornamento oris, & pectoris ſibi traditum exiſtimet. Sed audiendus ſanctus Ambroſius tom. 5. in comment. Canticorum: *Sunt & alij gladij in Eccleſia, de quibus dicitur: Domine, ecce duo gladij hic, Eccleſiaſtica videlicet poteſtatis, & mundanæ. Habent ergo fortiſſimi iſti, lectuli Salomonis cuſtodes huiuſmodi gladios in manibus: habent paratos, & exertos, vt ſpiritales nequitias noſtri Regis quietam interturbare volentes ſuâ virtute oppugnent.* Tenet Sacerdos gladium Eccleſiaſticæ poteſtatis ad oppugnandas ſpiritales nequitias, Dæmones nocturnos, & diurnos; hos ſic nuncupa conuenticula, & factiones laſciuientium, qui à populari platearum turba ad Eccleſias ſe retrahunt, vt iniqua pacta condant; hos, & his ſimiles contumacia induratos beneplacitum eſt Deo, vt gladius Sacerdotis flammeus, aut ſcindat, aut exurat. Nec prætereunda ſilentio verſio Hebraica: *Sexagima heroës, qui vniuerſi capti ſunt gladio* Emphaticè loquitur: non capti ſunt auro, argento, adulatione, ſed capti ſunt gladio, qui non ceperunt per fas, & nefas gladium, ſed capti ſunt gladio, à Sacerdotali munere, & poteſtate capti ſunt; honor ipſe gladij inſequutus eſt fugientem, ſplendor dignitatis, humilitatis latebris deliteſcentem manifeſtauit, & in publicum produxit; non temporalis regiminis clauo capti, ſed gladio Sacerdotij, qui tenet captum quaſi captiuum, & ſeruum Chriſti Sacerdotem, aureis compedibus, & vinculis ligatum, ne à ſpirituali Eccleſiæ regimine ad alienam ſæculi gubernationem, vel terrenam poteſtatem, tranſeat, vel fugiat. Nec miror, ſi nunquam gladium diſtringis in peccatores. dorſa vertentes ad altare ſuis criminibus, ſi gladium tuum in virgam iuſtitiæ commutaſti, & baculum paſtoris in virgam iudicis.

Sexaginta fortes Prælati ſunt.

Theod. *Bini prælatorum gladij.*

D. Ambr. *Gladij duo Eccleſiaſtica, & mundana poteſtatis.*

Lect. Hebr. *Qui ſint fortes gladio capti?*

5. Vt in Chriſtum Ieſum excitaret hominum charitatem, hoc cecinit carmen Regius Pſaltes. Pſal. 28. verſ. 6. *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Nonne aptius ſumeret exemplum Vates ſi cum agniculo, & gratiſſimo hinnulo Ieſum comparaſſet? Hæc enim animantia reddunt affectum amoris, & gratiam. Quid amabilius agno, qui inter pecudes nitet aurea clarus comâ? Vel cum exultat luſibus, & propter candorem, & innocentiam ſolet eſſe paſtoris deliciæ: at vnicornis, indomitus, & ferus, non expaueſcit venantium iacula, laqueorum tricas, & retia impauidus diſſoluit, præcipiti curſu inſectatur iaculantem, cornu petit, & percutit, pedibus conterit, & frontis gladio diſcerpit. Non ergo dilectus, ſed formidandus ſicut filius vnicornium Chriſtus Ieſus nuncupandus. Acutè reſpondet Euthymius: *Tu illud conſidera quomodo Dei filius agnum ſe atque ouem appellari voluit, quando pro humani generis peccatis in ſacrificium ſe patri obtulit, iuxta illud, Ecce agnus Dei. Item quaſi ouis ad occiſionem ductus eſt. Filium vero vnicornium quando vindictâ opus fuit, & quando inimici poteſtatem deſtruendam prædicit.* Quando pro totius mundi delictis immaculatus, innoxius in Cruce immolatur, occiditur, pius agnus erat. Zelans honorem patris, ſæuiens in crimina, confringens in die iræ ſuæ Reges, vnicornis erat. Delens quod aduerſus nos erat chirographum ſtylo clauorum ferreo, pro dilecta ſponſa vulneratus ſanguinem fundens, vt ſtolam in vino dealbaret, agnus erat. Tenens cornua in manibus, Crucis extima, quibus ventilauit gentes vſque ad extremum terræ, vt granum à paleis ſequeſtraret, debellans aëreas poteſtates, vnicornis erat. Sacerdos magnus cum ſe in Crucis ara ſacrificium obtulit Patri, imitandum dedit Sacerdotibus clariſſimum exemplum, vt agni pietatem, inuictum, & inſuperabile vnicornis robur æmulentur. In ſuſcipiendis ad Eccleſiæ gremium gentibus, & barbaris, qui ante conuerſionem ſuam, luporum inſtar gregem Domini deuorabant, ſint agni. In admittendis peccatoribus ad pœnitentiam, agni candore, & pietate reſplendeant. Pro ſponſæ dilectione, & gregis ſalute mori, & immolari parati, Agni Paſtores ſunt. Cùm inuadentes Domini gregem feras fugant, & cornu feriunt poteſtatis, vnicornes ſunt.

Ieſus filius vnicornis.

Euthym. *Ieſus dicitur agnus propter pietatem, & filius vnicornium propter ſeueritatem.*

6. Zelus Phinees iure celebratur, cùm cœleſti impulſus ſpiritu Iſraëlitam turpitudine, & cultu Beelphegor initiatum, ſimul cum Madianitide ſcorto, pugione transfodit: Hoc egregium facinus celebrat Dauid. Pſal. 105. *Stetit Phinees, & placuit.* Et ſanctus Hieronymus zeli Phinees Sacerdotes imitatores cupit: *Quod diligenter auſculta, Sacerdos, cui animæ commendatæ ſunt: euagina gladium: interime fornicatores: hoc eſt profer verbum, inſta, importunè, opportunè, argue, increpa, obſecra cum omni patientia, & doctrina, vt tibi reputetur ad iuſtitiam.* Deum, & Angelos habebit procul dubio laudatores.

Sacerdos Dei ſit Phinees imitator.

D. Hieron.

7. Ad excitandos Sacerdotum animos, vt Dei gloriam quærant, componendæ ſunt duæ ſacri textus ſententiæ, quæ videntur aliquid contrarietatis inuoluere. Geneſ. cap. 49. verſ. 7. Tribus Leui à parente maledicitur: *Simeon, & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia. Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Rurſus Deuteronom. cap. 33. verſ. 11. Tribus Leui à Moyſe benedicitur: *Leui quoque ait: benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe.* Quid portenti eſt hoc? Iacob vir ſanctus morti propinquior Sacerdotalem tribum malis onerat, & maledictis carpit. Moyſes migraturus ad ſuperos Leui beneficiis cumulat, eique benedictiones imprecatur. Reſpondet Guillelmus in cap. 32. Exodi, clauſulâ tertiâ, quia Leuitæ ſimul cum Moyſe veneratores vituli occiderunt gladio, maledictionem in benedictionem commutarunt. Et verba ipſa Exodi adſtipulantur cap. 32. à verſ. 26. ait Moyſes: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi, congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui. Quibus ait: hæc dicit Dominus Deus Iſraël: ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum,*

Cur tribus Leui à Iacob maledicitur, à Moyſe benedicitur.

Guilhelm. *Leui occidēs gladio cultores vituli maledictionē in benedictionem commutauit.*

eum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum. Et ait Moyſes conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Ait ergo Guillelmus: *Conſecraſtis manus veſtras, id eſt reddidiſtis dignas conſecratione, vt digni ſitis benedictione contra maledictionem patris veſtri Iacob, quam meruiſtis propter interfectionem Sichimorum.* Manus madentes ſanguine idololatrarum, quæ cruentos mucrones oſtentarunt, deſtinatæ ſunt ſacro miniſterio immolandi victimas, & offerendi holocauſta. Execrationes, & diras, quibus Iacob Leuiticam congregationem deuouerat, Sacerdotes hoc præclariſſimo facinore auerterunt, exaltationem, & gloriam ſui nominis adepti. Gladius Sacerdotis Chriſti non corporalis, ſed ſpiritualis eſt; cum gladium verbi Dei in peccantes exerit, vt à flagitijs reuocet, cumulum beneficiorum, & gratiarum à Deo expectet.

Qui ſint duo gladij Apoſtolorum tempore paſſionis Ieſu.

8. Cùm viderent diſcipuli Ieſum expectantem acerbitatem mortis, ingruentes paſſionum fluctus, parantem manus militum irruentium turbæ, vt eas necterent vinculis, & ſtringerent funibus; Apoſtoli alloquuntur, Lucæ cap. 22. verſ. 38. *At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: ſatis eſt.* Vt duobus gladiis diſcipuli magiſtrum ab hoſtibus protegerent. Nunquid Dominus qui ſolo nutu innumeras cæleſtium ſpirituum legiones afferret ad tutamen ſui corporis, humanam diſcipulorum tutelam ſpectabat dicens: *ſatis eſt?* Magiſter, qui diſcipulos continuis ſermonibus ab omni ſuſpicione vindictæ reuocat, nunc eis iniungit curam gladiorum? Alios mucrones ſine dubio magiſter innuebat, & gladium verbi Dei, & gladium poteſtatis, vt ijs muniret Petrum Eccleſiæ caput, & Apoſtolorum coryphæum, & in eo Sacerdotes inſtrueret. Ita cenſet Hugo de ſancto Victore citatus in allegoriis Tilmani: *Ecce duo gladij hic. Vnus corporalis, qui ſecundum legem, pœnam peccantibus irrogat. Alius ſpiritualis, qui ſecundùm Euangelium culpas feriens, homines ſanat.* Demum Hugo Sacerdotes Domini his verbis alloquitur: *Hic eſt gladius ſpiritalis, quo prælati vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit, ſi tamen ſui ſeruoris hæredes exiſtunt. Videte igitur, ò paſtores, quid facitis: Chriſtus in oculis veſtris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vagina habetis? Quid in paſſione Chriſti feciſſetis, qui modò ad percutiendum pigri eſtis? forte quia diſcubuiſtis ad ollas Pharaonis, & ſaginam diligitis, pigrum vobis eſt ſurgere ad bellum. Fortè quia lac, & lanam, non oues diligitis, ideo veniente lupo fugitis, & de ouibus non curatis.* Hæc Hugo.

Hugo Vict. *Gladius corporalis & ſpiritualis.*

Hugo Vict. *Prælati gladio ſpiritali vitia hominum ferire debent.*

Segnes prælati obiurgantur.

De ara, & foco ignis natiui, ad numerum 10.

DISCVRSVS X.

Tunc cælitibus gratum ſacrificium cùm feruido ſpiritu Deum in aris Sacerdos immolat, & de diuini amoris foco manantibus viuidis igniculis, flammiferum cor litat Deo.

Ariſt.

1 DIXIT Ariſtoteles ad numerum decimum, cor eſſe *quaſi lares, & focum, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur, & ſeruentur.* In idem recidit quod affirmat ſanctus Gregorius Nyſſenus de hominis opificio cap. 12. *Motum mentis igneæ naturæ affinem eſſe. Cùmque in corde caloris fontem eſſe, ſit in confeſſo: idcirco mentis motum cum caloris mobilitate quaſi temperatum eſſe, cor naturæ intelligentis receptaculum, quod calor eo contineatur.* Itaque cor eſt quaſi ignis perpetui ara, & viuus focus igneos & vitales ſpiritus corpori diſtribuens, vt vita, & vitali ſpiritu, & halitu caloris viuat. Vt ſui officij admoneatur Sacerdos, cuius eſt munus inter aras, & focos Deifici ignis viuere, & ſacrificium offerre. Comminationem Propheticam vehementer incitatam in Iudæos iactat Oſeas Vates cap. 3. verſ. 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine teraphim.* Verbum vltimum diuerſimodè interpretatur, & vertitur: Septuaginta legunt: *Erunt ſine manifeſtationibus.* Sanctus Cyrillus; *ſine manifeſtis.* At ſanctus Hieronymus cum Cyrillo exiſtimant *teraphim*, & *manifeſtationes* idem eſſe ac λογεῖον ſeu rationale ſummi Sacerdotis pectori appenſum. Quod vocatur: *vrim*, & *thummim* Exodi cap. 28. fauet Aquila legens: *erunt ſine illuminationibus.* Vnde & lapides Rationalis appellabantur illuminationes, quia ſuis ſplendoribus illuminabatur Sacerdos vt futura cognoſceret, has ergo rerum manifeſtationes defecturas, & illuminationes obſcurandas portendit. Sed quoddam aliud diuinius innui illis verbis cenſeo. Non enim tanquam maximum ſupplicium recenſendum foret quod in Chriſti aduentu fulgores lapidum penitus euaneſcerent, quando in præſentia Solis nec lucidiſſima ſidera apparent; quid mirum ſi oriente iuſtitiæ Sole fugantur vmbræ, & obſcurantur fulgentes lapides? Perpende vim verbi: *vrim*; vt annotauit Oleaſter, ſignificat *ignes.* Vnde idem eſt dicere; *erunt ſine manifeſtationibus, ſine vrim, ac: erunt ſine igne.* Carebunt igne illo diuino, quem in terra noſtra Chriſtus accendit: erunt ſine charitatis ara, ſine amoris foco; erit ſine calore ſacrificium, carebit viuificante ſpiritu, qui cor, & ſacrificium inflammet. Quia cæcitatis glacie, & incredulitatis niue cor induratum, ignitum Dei flatum admittere noluit. Et hoc præ ſe ferre videntur verba ſancti Cyrilli Alexandrini: *Summi Sacerdotis pectori appendebantur* (doctrina, & veritas) *manifeſtè clamante typo vniuerſorum Saluatorem, & liberatorem, ſanctum genus in mente, & corde habiturum; aut certè neceſſarium eſſe omnino Sacerdotes Chriſti, ſemper meminiſſe, & per ſpiritum in ſe habitantem circumferre. Domus autem eius, & mens pura, & cor perpurgatum.* Mens verborum Cyrilli eſt: cor Dei, & cor Sacerdotis, & eorum mutuam coniunctionem, & familiaritatem confert. Summus Sacerdos Chriſtus, cuius typus erat Aaron, in pectore, & in corde Sacerdotes habet, velut fulgentiſſimos lapides, & pretioſos, quibus Chriſti pectus ornatur; cùm Sacerdos mente illibatâ, & corde perpurgato tanquam in domo propria Deum tenet, & Ieſum ſui pectoris, & cordis pellucidam gemmam: *per ſpiritum in ſe habitantem Chriſtum circumferre.* Chriſti vehiculum eſt charitas, amore vndique Chriſtum circumferat, Vt Sacerdotis cor dicatur Chriſtiferum, in quo quaſi in domo propria amor habitat, dans ei vitam, & ſpiritum, & viuidum præbens caloris alimentum, ne ignauia frigeſcat. Nunc ergo Iudæi erunt ſine Sole, ſine Ieſu illuminante, erunt ſine igne ſpiritus & amoris igne diuino. In obſcura vmbra viuent, & algebunt frigore Iudæi, cùm Sa-

D. Gregor. Nyſſ. *Cor natiui caloris fons.*

Sacerdos inter aras & focos ignis Deifici commoratur.

Lect. LXX. D. Cypr. D. Hieron. *Iudæi carent illuminationibus.* Aquil.

Oleaſt. *Carent igne diuino.*

D. Cyrill. Alexand. *Ieſus Sacerdotium regale in corde ſuo circumfert.*

Domus Dei mens pura, & cor perpurgatum.

cerdotes Chriſti feruore charitatis, & ſpiritus æſtuent, & de igneo amoris fonte vitæ halitum quotidie hauriant.

2. Cùm minaret gregem Moyſes ad interiora deſerti, in ſenticoſo, & inflammato frutice, ei Deus apparuit. Exodi cap. 3. verſ. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Illud in præſenti examinandum occurrit, cur in medio viſus Angelus? Aut Deus? Et non ad latus? Sed in medio tum flammæ, tum rubi promicabat forma illa pulcherrima? Proculdubio quia Deus Sacerdotes è ſinggeſtu illo flammeo inſtruebat. Cuius diſciplinæ clariſſimum ſymbolum calceamentorum imperata ſolutio. Etenim Theodoretus quæſt. 7. in Exodum inquirit: *Quare iuſſus eſt Moyſes calceamentum ſoluere?* Et quæſtioni ſatisfacit: *vt prædoceretur quâ ratione oporteat Sacerdotes in tabernaculo deſeruire. Nudis enim pedibus illi ſacrificia diuina peragebant.* Dum Deus Sacerdotes nouis ceremonijs, & ſacris ritibus imbuit, in medio rubi apparet, vbi argutè ait Vatablus: *Hebraicè de corde ignis, quia cor in animantibus medium locum obtinet.* Si per rubum ardentem Synagoga illa portendebatur; de medio rubi Deus, qui ignis conſumens eſt, ramuſculos, frondes, & folia igniuit; ſed præcipuè igneum fontem applicat ad cor, ſcilicet Sacerdotum algens frigore, vt camino æſtuantis incendij igneſcat; natiui enim calores, & igniculi cum de caloris fonte pullulant, reliqua membra confouent; ideo ad centrum, & cor rubi Deus ſuccenſas applicat faces, vt ad extrema omnia igne ille cæleſtis deriuetur. Vidiſti cordis proprium habitaculum, in medio globi ignei alitur, inter ſuccenſas pyras moratur, inter aras, & focos diuini ignis viuit; hinc inde lambentibus, & exoſculantibus flammis ſtipatur, cingitur; vndique ignes vitalis ſpiritus, & caloris præbent fomenta cordi, ne lædatur frigore. Cor ſic inflammatum, ita ſuccenſum nónne ſuſciperet Angelus, & propriis manibus gratum Deo holocauſtum ad cœlum eleuaret?

Cur in medio rubi viſus à Moyſe Angelus?

Deus è rubo Sacerdotes inſtruit.

Theodor.

Lect. Hebr.

Deus de corde ignis in rubo promicabat, vt cor Synagogæ igniret.

3. Iuſſu Dei in Salomonis templo altare ignis, & incenſi ad miraculum fabrefactum collocatum eſt, vt cor aliquod illius ſtructuræ ſacræ, in quo ignis perpetuus alebatur ſemper viuens, nullo euentu intermortuus, vt ara illa, & focus ignis ſacri, ſacroſanctus ille fons perennantis elementi fulgidi, & ardentis, flammas, & ignes ſubminiſtraret Sacerdotibus ad comburendas victimas, & vorandа holocauſta. Leuitici capite 6. verſ. 12. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* De ara ignis, & victima pacificorum nonnihil dicendum, Ducent nos per medias flammas, & ignes Septuaginta Interpretes, & à Spiritu ſancto illuſtrati, noſtram illuminabunt mentem. Legunt enim: *deſuper adolebit hoſtiam ſalutarem.* Quæ ſit autem hoſtia ſalutaris, explicat magnum Iſychij ingenium libro 2. in Leuiticum cap. 1. ſic enim ſcribit: *Ignis in quo ordinari oportet intelligibilem hoſtiam, quam Septuaginta ſalutarem ediderunt, vt deſiderium ſalutationis offerat, ſeu deuoneat, qui ſpiritu totus factus ſpiritalis, nihil mali habens, nihil miſerum, neque terrenum, ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet de altari. Spiritus enim eſt Deus, & qui adorat eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Vnde & intelligibile altare, quod eſt Chriſti corpus, inextinguibilem habet ignem ſubminiſtrationis ſpiritus.* Nihil ſic inſidere deberet in hominum animis, quam propriæ ſalutis

Ara & focus ignis ſacri in Salomonis templo.

Lect. Lxx.

Victima pacificorum, & hoſtia ſalutaris quæ ſit.

Iſych.

Ignis perpetuus eſt deſiderium ſalutationis.

Chriſti corpus inextinguibile habet ignem.

memoria, & nunquam perituri ſeculi ſtatus, omiſſo illo, quod dum tenetur, è manibus labitur; perpetuæ incolumitatis animæ recordatio, in corde ad hæc terrena interdum inhiante, manet conſepulta. Ideo Deus Sacerdotem admonet, vt acceptabile ſacrificium offerat deſiderium ſalutationis. Hoc eſt enim viuere in ſpiritu, proprij ſpiritus ſalutem cupere; tunc enim in ara ignis perpetui cor Deo dicatum viuit, cum deſideriorum ligna ſubijcit, ſacrati ignis alimenta, & incrementa. Perpende illud: *Intelligibile altare, quod eſt Chriſti corpus inextinguibilem habet ignem ſubminiſtrationem ſpiritus.* Alludit ad hoſtiam ſalutarem, vel ſalutis. Et Græcum σωτήριος Ieſum innuit. Acumina enim conceptuum, & ſacræ literaturæ interpretamenta ſine hoc ſaccharo, & melle Ieſu condita non ſapiunt. Corpus enim illud, quod in ara immolatur perpetuos ignes ſpiritus eructat, confouentes ſpiritum hominis, & ab eo depellentes tepotem. In Chriſto enim corpus, ſpiritus, & Deus dant flammas, quæ corpus Dominicum ſapiunt, Deum, & ſpiritum redolent; vt qui iuxta igneam ſcaturiginem Deitatis repletus potu viuit, viuat ſpiritu, & vitali igne recaleſcat.

4. Celebris eſt illa Dei ore prolata ſententia Lucæ capite 12. verſ. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Numquid ſingemus Deum inſtar Iouis dexterâ ſacrâ iaculantis fulgura, & fulmina, aut fluuium igneum immittentem, quo totus deflagraret orbis; aut terræ nomine iſtam, quam pedibus corporeis calcamus, madefactam imbribus, gelu, & glacie rigeſcentem, vt Sol ille cæleſtis radios in æſtus meridie exufflans, eam exureret? In alia gleba terræ vehementiorem ignem accendi deſiderat. In animi delubro, in ara cordis optat accendi Dei ignem. Audi ſanctum Marcum Eremitam oratione de Baptiſmo fantem, illius verba ſeligo: *Templum autem eſt animi corporiſque delubrum à Deo creatum. Altare ſitum in hoc templo ſedes eſt ſpei, in qua cogitatio offertur à mente, & velut animal primogenitum immolatur.* Et ſubdit: *Quemadmodum tempore populi Iſraelitici, ignis conſumebat reliquias: non aliter hic euenit; fideli corde per ſpem reſerato, Cæleſtis Pontifex apprehendit primogenitas animi cogitationes, illaſque igne diuino abſumit. De quo inquit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Omnis ſceleris expers homo, omnia parata habet ad ſacrificium, in ſe ipſo templum, ara, victima, Sacerdos ipſe eſt; parata ſunt omnia dum voluntas à Deo excitata, ſuarum cogitationum gregem velut primogenitum animal Deo litat; ſed caue ne cogitationes ſanctas à ſola mente, & voluntate progenitas exiſtimes, niſi enim fœcunda mater gratia iuuet, bonarum mentium non tenebit genituram, nec partum. Celebris ritus quem reſpexit ſanctus Marcus, dum de cœlo Deus inflammabat ſuper ſacrificium, & ſuper ſacrificulum, & ignis à Deo progrediens totam deuorabat victimam; quantò ſuauius ignis cæleſtis linguæ, humana pectora lambunt, manducant, deuorant; ô quanta diuini ignis edacitas; inexplebili edendi humana corda auiditate tenetur, dum plura edit, plus eſurit, propter cor tuum famelica eſt rerum ſaturitas, ô homo. Cor in ara pectoris inflammatum mirâ dulcedine abſorbet, & in Deitatem tranſfert.

Ignem Deus miſit in terris.

D. Marc. Erem.

Cor delubrũ Deo dicatũ, in eo Sacerdos cogitationes primogenitas igne diuino abſumit.

Ignis diuinus deuorat corda.

5. Harum deliciarum experta ſacra ſponſa, ſponſum ſuum tanquam florum faſciculum mirificè afflantem ſuauitatis gratiam, in medio pectoris collocat. Cantic. cap. 1. verſ. 12. *Faſciculus myrrhæ*

dilectus

dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Non ad vbera quaſi ablactandum infantem, cùm ſit prouectioris ætatis,& corpore quod geſtat, annis,& paſſionibus adoleuerit, ſed inter vbera. Sanctus Gregorius Nyſſenus legit: *In medio vberum.* Homil.3. in Cantica, vbi eſt elegantiſſimus Interpres amoris ſponſæ: *Ipſe Dominus in faſciculo conſcientiæ in ipſo meo corde commorans, & habitans. Localis enim cordis poſitura ab ijs, qui ea ſunt ſpeculati dicitur eſſe in medio vberum:& cor eſſe quemdam fontem nobis innati caloris, à quo per arterias in vniuerſum corpus calor diſtribuitur, per quem fiunt calida,& vitalia membra corporis, vt quæ foueantur ab igne cordis. Quæ ergo principatum tenente animæ facultate ſuſcepit bonum Christi odorem, & cor ſuum fecit faſciculum huius ſuffitus, ſe ita comparat, vt omnia ſingulatim vitæ ſtudia, tanquam alicuius corporis membra ferueant ſpiritu, qui ex corde promanet, nullâ iniquitate vlli membro corporis refrigerante dilectionem in Deum.* Hæc pulchrè Nyſſenus. Vnam,aut alteram ſententiam ad examen voca; nam omnium collectio mentem in titulo propoſitam dilucidè exprimunt: *Cor ſuum fecit faſciculum huius ſuffitus*, à cæleſti ſponſa, dum in terris peregrinatur, Chriſtus amore ardens viuifica hoſtia quotidie immolatur, cruciatus redolens piorum vulnerum,& acerbiſſimarum tolerantiam paſſionum, quæ odoramenta ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris dolorum pigmentarijs,ex filio exhalata,odoratus eſt Pater; hos ſuffitus,& ſuauitates odorum, qui afflantur è floribus paſſionum, ſacra ſponſa in theca pectoris,& in corde velut in pyxide eburnea recondit, vt bonum odorem Chriſti redoleat, vt vnguentorum ſuauitate pelliciat amantes animas, & innumeras adoleſcentulas ad ſponſum attrahat. Vel: dum memoriam recolit paſſionum,cor ſponſæ accenditur, & flagrat amore, dum ſpicula, & ignes ſpirantem Dilectum ad pectus accommodat, incendio charitatis concremata, cor ſuum virtutum ſpiracula halat ſuauiſſima, ijſque recreatur ſponſus. Addit Nyſſenus: *Se ita comparat vt omnia vitæ ſtudia tanquam alicuius corporis membra ferueãt ſpiritu.* De accenſo,& inflammato corde nonne deriuarentur amores, & ignes, ad cogitationes, & opera? Anima, quæ inter aras,& focos ſponſi moratur, non permittit quemquam affectum frigore corripi, aut tepidiori aurâ afflari, ſed eos omnes vehementiori ſpiritu prouehit, vt ſpiritualis vitæ calore inualeſcant.

Chriſtus ab ſponſa ſacra in medio cordis collocatus.

D. Gregor. Nyſſ.

Cor fons innati caloris.

Cor faſciculus odoris Chriſti.

Omnia corporis membra feruent ſpiritu.

Qui ſint ſuffitus ex corde ſponſæ afflati.

D. Nyſſ.

6. Secundus humani generis parens Noë, poſtquam totus terræ orbis fluctibus obrutus in ſerenitatem,& ſpeciem emerſit; ex arca egreſſus, gratiarum actiones, & ſacrificationes obtulit; hoſtias ad ſacrificium arca ipſa præbuit. Geneſ. cap. 8. verſ.20. *Ædificauit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus,& volucribus mundis,obtulit holocauſta ſuper altare, odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Quæ odoris ſuauitas in ſemiuſtulata inter torres, & fumante pecude, vt eius nidore nares Dei complecantur,& oblectentur? Det ſacræ aræ thura Noë lucidiſſima ſuper pateras aureas, & gratiſſimum in ſacrificijs præbeant ſuffitum. Thure de Saba, & calamo ſuaue olente de terra longinqua, ſuffumiget odoratum Dei Noë, non boue, aut alite fuligine aſperſis, & inter titiones, & cineres fumigantibus. Non placatus eſt Deus ſolis iumentis, & volatilibus, ſuper ſtruem lignorum concrematis; affectu animi, & eximiâ pietate cordis iuſti delectabatur Deus, cuius odoramenta omni myrrhâ, thure, aromate, ſuauiolentiora. Audi Rupertum lib.4.in Geneſim cap.28. *Odoratus eſt Dominus. Hoc de ſpiritu pietatis eſt quod odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, non quod carnium nidoribus oblectetur, nec enim caro ipſe eſt, aut corpus, vt talium dicatur odoratu. Sed quia ſpiritus eſt, & in hoſtijs corporalibus, offerentis cor intuetur, & ſi pium eſt, contritione eius delectatur ſuauis Dominus, plus quam homo corporali, quantumuis ſuaui odore mulceatur.* Hoc enim ſacrificium cœlicolis gratiſſimum, cùm cor igne Dei inflammatum ab homine offertur.

Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis in Noë ſacrificio.

Rupert.

Deus in offerente ſacrificium,cor intuetur.

Cor nullum vitium patitur.

DISCVRSVS XI.

Terrenis affectibus intactus debet eſſe Sacerdos,& in regione incorruptionis tanto ſpiritu ſanctificationis perfrui, vt ipſum Deum quodammodo ſanctificet.

1. MORBORVM, & affectuum cor immune prædicatur, vt vidimus ex Ariſtotele numero vndecimo: *Quod affectum nullum patitur violentum. Nullum vitium patitur graue.* Nec diſſentit ſanctus Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio cap.30. in quo laudat Dei prouidentiam in diſpoſitione humani cordis, quod tot,ac tantis munitionibus circumuallatum conſtituit, ne quidquam pateretur nocumenti. Hæc ſunt illius verba: *De corde, eſſe nimirum hoc inſtar munitæ domus omni ex parte comprehenſum aptiſſimè ac circundatum ab oſſibus duriſſimis. Vt hoc modo tutum vndique foret aduersùs res omnes, quæ ipſi vel moleſtiam, vel malum etiam creare poſſent, ne quid aduerſi patiatur.* Vt intactus debeat eſſe Sacerdos,ab omni humore malitiæ alienus.

Ariſt.

D. Greg. Nyſſ.

Cor vndique munitum ne quid aduerſi patiatur.

2. Lex holocauſti ſancita à legiſlatore proponitur Leuitici cap.3.verſ.3. *Offerent adipem qui operit vitalia, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis.* Viſcera,& præcordia pecudum proijciuntur in ignem, vt offerantur Domino. Cur cordis nulla fit mentio in ſacro holocauſtorum, & victimarum rituali? Epulùm palato Dei iucundius, ſuauius; donum ſacratum, & pretioſum in conſpectu Domini, in offerendorum numero literis non mandatur. Dices apud Deum iumentorum corda vileſcere. Si vileſcunt corda, vileſcant viſcera, adeps, renes, ilia: Cur illa concremanda imperat; contemptis cordibus? Si in hoſtijs ratione carentibus ſe oſtentat animantium Creatorem, liteutur corda vitalis halitus, & ſpiritus origines, & demonſtrabunt ipſum eſſe vitarum vitam, & viuentium igniculorum fontem: Huius dubij ſolutionem dedit Philo Iudæus lib. de ſacrificio Abelis, & Caïn,in fine: *Tria video in ſacrificiorum ordinatione præcipi, vt offerantur præ cæteris victimæ partibus; adeps, renes, fibria iecoris. Nuſquam cerebrum, nuſquam cor, quæ ante alia conſecrari oportebat, ſi legiſlator principatum agnouiſſet in horum altero.* Sanctiſſimum legiſlatorem omni Philoſophorum, & Ægyptiorum ſcientiâ, & eruditione inſtructum,ſacrâque imbutum Theologiâ, hac inſcitiæ notâ immeritò inurit Iudæus. Perſcrutatus eſt, intimè agnouit rerum naturas Moyſes, mentémque Dei in offerendis victimis præſenſit, percallnit

Quare intra offerenda in holocauſto cor non recenſetur.

Phil. Iud.

Iniuſtè Philo Iudæus legiſlatorem inſcitia arguit.

Phil. Iud.

percalluit viuacitate animi lumine Prophetico illuſtrati. Sed verba Philonis videamus : *Quia principalis illa vis ſingulis temporis momentis , vel ad melius, vel ad deterius mutabilis; honeſtatis, & turpitudinis neutrum excludens , & parem honorem tribuens vtrique , non minus impurum quàm purum , legiſlator iudicans, ab altare Dei amouit, quod enim turpe, idem prophanũ eſt, prophanum verò omnino inconſecrabile.*

Cordis mutatio ad purum & impurum propenſio.

Tantâ innocentiâ,& ſanctitate fulgere cupit Philo cor Deo immolandum , vt omnis impuritatis ſit incapax. Fateor animi mobilitatem; fateor ad bonum,& ad malum cordis propenſionem. Cor humanum quaſi mare feruens , quod quieſcere non poteſt , & velut nauicula cogitationum fluctibus iactata ad omnem ventum impellitur ; numquid ſtabilitatis portus deficiet Dei potentia , in quo placidâ ſtabilitate conquieſcat ; aut cæleſtis ſpei non tenebitur anchorâ diuinæ gratiæ firmatâ rudentibus? Aut in mari rubro Chriſtiferi ſanguinis non candidabitur, vt impolluta hoſtia ſacris ſubiiciatur altaribus? Subdit Philo: *Cui ſi accedat certum iudicium , tum demum perpurgatus omnibus partibus, immaculata , impollutáque tota adolebitur* Vt Sacerdotalis animi puritatem prædicet, omni vitiorum & criminum labe expertis.

Cor à Deo ſtabilitur.

Philo. Iud.

3. De Rebecca Iſaac vxore magnum elogium prædicatur Geneſ. cap. 24. verſ. 16. *Puella decora nimis virgóque pulcherrima, & incognita viro.* Inter alia nominis Rebeccæ ſignificata , pulcherrimum eſt illud Clementis Alexandrini aientis , denotari per Rebeccam *incorruptionem* quæ in pace dimittitur à proprijs laribus ad Salem ciuitatem , & Sacerdotum manſionem , in ea enim illibata puritas condidit domicilium. Verba Clementis ſunt lib. 4. ſtromat. *Sapientiſſimus Moyſes corporis , & animæ incorruptionem deſcribens hoc modo : virgo autem erat pulchra, vir non cognouit ipſam Rebecca autem exponitur Dei gloria, Dei autem gloria eſt incorruptio. Hæc eſt, quæ verè eſt iuſtitia, totum eſſe templum Dei ſanctificatum; iuſtitia eſt pax vitæ, & ſtabilitas, ac tranquillitas ad quam Dominus amandauit dicens : abi in pacem, Salem enim pax exponitur, cuius Seruator noſter Rex deſcribitur Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei altiſſimi, panem , & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ* Virgo iſta pulcherrima , & intacta, puritas ipſa , & incorruptio eſt , quæ æquo iure nuncupatur Dei gloria, nam in templo cordis ſanctificato , in animo incontaminato, & omnis labis immuni glorificatur, & exaltatur Deus potiori honorificentiâ, quàm in cœlis ipſis, aut in templis deauratis. Hanc virginem incorruptionem , quæ ſummâ pace , & tranquillitate animi perfruitur , mittit Deus ad ciuitatem Regiam , & Sacerdotalem Salem in qua Seruator noſter viuit , vt eam ſibi deſpondeat , vt cum illibata virgine , puritate inquam delicietur, debitéque offerat panem,& vinum Euchariſticum. Expende verba illa : *Incorruptio ad Salem mittitur, cuius Seruator noſter Rex, Sacerdos, panem, & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ* Chriſtus Ieſus non ſolùm quia Deus , quia Verbum eſt, quia animam viſione beatificâ ornatam poſſidebat, incorruptionis munere lætabatur; ſed potiſſimè quia Summus Sacerdos erat, cruentatam hoſtiam ſeipſum offerens Patri in Crucis ara, incruentam, & velatam accidentium tegminibus in vltima cœna , & amoris ſympoſio ; neceſſe erat vt ſummâ incorruptione , & puritate potiretur; ideò Paulus clamat epiſt. ad Hebræos cap. 7. verſ. 26. *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* In Sacerdote enim, qui holocauſtum pro peccatis omnium offerebat , immenſam puritatem exigebat Paulus ; iure ergo mittitur ad Chriſtum Sacerdotem virgo Rebecca; & ad Sacerdotium Regale virginea puritas, & incorruptio , vt Sacerdotes Domini, mente, & corpore purgati , in ipſa incorruptionis regione viuant.

Rebecca denotat incorruptionem.

Clem. Alex.

Dei gloria eſt incorruptio.

Chriſtus Sacerdos dans panem & vinum ſanctificatum in regione pacis, & incorruptionis moratur.

4. Inter incendia Babylonica huius mundi ſic debet tranſire Sacerdos vt illibatum , & virgineum florem vſque ad miraculum cuſtodiat. Omnes tribus dederunt Moyſi virgas nominibus familiarum inſignitas, vt deſuper Deus cenſoriâ virgulâ, Sacerdotalem oſtenderet. Numer. cap. 17. verſ. 6. *Dederunt ei omnes Principes virgas per ſingulas tribus. Quas cùm poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij : ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui : & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, folijs dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.* Non temerario auſu auxilium , & miraculum Moyſes præſtolatur , ſed honorificat Sacerdotium, dum in virga germinante expectat prodigium. Nam Sacerdos inter Reges,& vulgus ignobile, debet eſſe ſanctitatis portentum , & vitæ innocentis miraculum. Pulchrè ſanctus Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſi ait: *Firmiter credebat (Moyſes) quod miraculo quodam per virgam , quam vnuſquiſque attulit , deſuper Sacerdos manifeſtaretur.* Vt Sacerdotij dignitas , & munus à portentis inchoaretur ; vt tota Sacerdotis vita eſſet magnum naturæ, & gratiæ miraculum. Sed cur igne cælitùs dilapſo , aqua ex ſterili ſaxo mirabiliter ſcaturiente , aut alio naturæ prodigio Sacerdotale inſigne non diſcernitur ; ſed virgâ pullulante flores germinante frondes ? Vt virgineis frondibus, & illibatis floribus , eximiam Sacerdotij puritatem Deus portenderet. Et bene flores amygdalæ, quæ anticipatâ cupiditate renaſcendi mediâ hyeme , dum aliæ arbores horrent proprio carentes ornatu , pulcherrimi veris primitias , & inſignia præferunt , quaſi dux arborum anteit frondibus. Vt Sacerdos Domini candidis innocentiæ floribus , virtutum germinibus , reliquis præfulgeat ; vt dum cæteri criminum gelu rigeſcunt , omnémque florem luxus pruina decoxit , germen Sacerdotis effloreſcat, & fructus parturiat. Pro *amygdalas* , legunt Septuaginta : *nuces.* Eámque lectionem ad Sacerdotis inſtructionem Nyſſenus illuſtrat : *Hoc fructu , quem Aaronis virga ediderat , qualis debeat eſſe Sacerdotis vita monemur, aſpera enim, & continens , duráque debet exterius eſſe , intus autem, & in occulto ſuaue quoddam edulium continere.* In nucis aſpero, & amaro cortice, & teſtæ munimento , natura ſepit , & cuſtodit dulcem nucleum ; ſic in Sacerdote ſanctimoniam protegit,& munit vitæ aſperitas, & ſeuerior diſciplina, à delicijs, & luxu aliena. Ideo ſubdit ſanctus Nyſſenus : *Quare ſi Sacerdotis examinaueris vitam, inueneriſque redolentem vnguentis , ac roſis , byſſo & purpurâ florentem, ac menſis pinguibus inhærentem , in qua non adhibentur niſi defæcata , & clariſſima vina, & vnguenta pretioſiſſima , rectè in hunc Euangelicis vtens verbis : fructum video , Sacerdotalem arborem non agnoſco.* Sacerdotis vita roſis coronata, & vnguentis vitiorum delibuta , nihil niſi ſericam Damaſcenam , aut bombycinam veſtem cupiens ad ornatum politiſſimum,& ſuperbiſſimam pompam, vt totus nitidus, & fulgens appareat, tanquam pupula quædam Veneri conſecrata , & mancipata libidini,

Sacerdotalis virga miraculo oſtenditur effloreſcens.

D. Greg. Nyſſ.

Cur virgâ germinante Sacerdos à populo diſcernitur.

Vita Sacerdotis floribus virtutum ornata alijs præfulgeat.

Lect. Lxx.

D.Greg. Nyſſ.

Vita aſpera & continens in Sacerdote exigitur.

D.Greg. Nyſſ.

In Sacerdote delicia aſpernanda.

libidini, dedecore afficit Sacerdotij dignitatem; inter huiuſmodi ſpiracula, quæ vitia, & nimius corporis cultus halant, virtutum flores marceſcunt, & languent. Puritatis flos, caſtimoniæ lilium, & roſa non inter vnguenta, & redolentia balſama, & deliciarum affluentiam, ſed inter ſpinas, & ſentes aſperæ, & diſciplinatæ vitæ cuſtoditur.

5. Tanto ſanctitatis ornamento condecorandus Sacerdos, vt ipſum Deum ſanctitatis fontem quodammodo ſanctificet. Numer. cap. 21. verſ. 8. de Sacerdotibus loquitur: *Conſecrati ſunt Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt, ſint ergo Sancti, quia & ego Sanctus ſum.* Aliter Septuaginta efferunt verba: *Quoniam ſanctus eſt Domino Deo ſuo; & ſanctificabis eum*: quaſi Sacerdos Deum ipſum ſanctificet; ſed ex homine, qui conceptus ſemine, & in peccatis eſt natus, acceſſio poteſt fieri ſanctitatis, in ſanctificationis auctorem? Sit Sanctus Sacerdos, & ſanctificabit Sanctum Sanctorum. Acute Iſychius in Leuit. ait: *In ipſis, & ab ipſis ſanctificari dicitur. Quomodo autem nos eum ſanctificare poſſumus? Si ergo a Deo datam nobis ſanctificationem nos Sacerdotes cuſtodiamus, ſanctificamus per noſtram ſanctificationem eum, qui ſanctus ſecundum naturam eſt. Quia in conformibus, & participibus eius gloria voluit ſanctificari.* Magna Dei dignatio, & Sacerdotalis ſanctimoniæ ſolicitudo. Ille, qui ſanctus per naturam eſt, & omnis puritatis ſcaturigo, à ſuis ſanctificatis ſanctificari cupit; quia dum Sol ille diuinus inter Sanctorum ſplendores plus fulget; eximia eius ſanctitas inter plures ſanctificatos, & conſortes gratiæ, & gloriæ ſuæ, pulchrior, & ſanctior apparuit, quæ tot ac tantos ſanctitatis riuulos ad participes Sacerdotalis gloriæ deriuauit.

Lect. LXX.

Sacerdotes ſancti Deum quodammodo ſanctificant.

Iſych.

A Sacerdote ſanctitatem ſeruãte Deus ſanctificatur.

Discvrsvs XII.

Tanquam vnum de Cælicolis, & Angelorum Choro, viuere Sacerdotem, cogunt, Deitatis ſpeculum, & quotidianum puritatis oſculum.

1. Miror ſæpiſſimè ſatagentis Dei curam, & ſolertiam in diſponendis ſacrificiorum legibus, & victimarum ritibus; ceremonijs ſacri cultus, & obſeruationibus, in litandis boue, vitulo, ariete, agno, ſcatent libri Exodi, Deuteronomij, & Leuiticus. Quot hoſtiæ, aræ, ignes, quot aurearum, & argentearum phialarum apparatus ad fundenda libamina; quanta Leuitarum, & ſacrificulorum caterua, quàm ſplendida, & ſumptuoſa veſtimenta! Cur tanta rerum moles? cùm ad Deum nullius indigum propriæ vtilitatis incrementum, nec interioris gloriæ additamentum redundaret? Humanæ vtilitati, & emolumento proſpiciens Deus, hæc omnia ordinatè diſpoſuit, vt ſui muneris offerendi coram Deo victimas nunquam immemor Sacerdos, ad ſectandam animi puritatem vrgeretur. Mens eſt Philonis Iudæi lib. *quod Deus ſit immutabilis*, ibi fatur: *Qui nullius indigus, offerri ſibi poſtulat, propter ſummam erga genus noſtrum benignitatem. Vt per ſtudium cultus diuini, & gratiarum actionis puri ſiamus ab iniquitatibus, & abſtergamus ſordes contractas vel verbis, vel operibus.* Subditque pulcherrimam ſuæ ſententiæ rationem: *Ferendum videtur, vt Deum puriſſimum accedat quis impuram habens animam, niſi mox ſequatur pœnitentia?* Amentia magna, & impudentia eſt, Solis iubar coinquinatis, & caliginoſis manibus velle prehendere, quod aurum tangat fuligo, quod adamãtem, & margaritam pellucidam ſtercore, aut cœno inuoluas. Sic quod ad Deum puriſſimum, impuriſſimus animus appropinquet. Ideò Deus tot ceremonijs adſtrinxit, tot legibus ligauit Iudæos, vt quotieſcumque ad diuinum numen ſacrificijs placandum accederent, non indecorè ſe gererent, ſed corde ſupra cœli ſplendorem lucido, & ſereno, & ſuper niuem dealbato Sacerdotale munus obirent.

Deus tantum ſacrificiorum apparatum ab hominibus exigebat, vt per ſtudium cultus diuini puri fierent à peccatis.

Phil. Iud.

Ad Deum puriſſimum, impurus non accedat.

2. Sacerdos Dei, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus auſculta præceptum Domini ſempiternum ab Ezechiele Propheta intimatum, c. 44. verſ. 9. *Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne, non ingredietur ſanctuarium meum.* Audi huius legis Gloſſam apud Clementem Alexandrinum lib. 4. ſtromatum: *Solum ergo ij qui puram agunt vitam verè ſunt Dei Sacerdotes.* Quanta autem futura ſit eorum puritas, ſubdit: *Quando enim anima, quæ tranſcendit generationem, & cum ideis verſatur, is factus tanquam Angelus, erit cum Chriſto.* Ab omni affectu, qui carnalem generationem ſapit, prorſus alienum Sacerdotem deſiderat Clemens, omne corpulentum, corruptibile, & generabile creaturæ ſublunaris prætereuolantem animo, vt cum ideis, hoc eſt ſuperis, & Cælicolis commoretur, diuinarum pulchritudinum, & attributorum (hæ ſunt Dei ideæ) contemplatione raptus, abſorbeatur id, quod carnale eſt, & in cæleſtem conuerſationem transformetur. Inter cælites, & Angelorum choros degens, vt Deitatis quoddam ſimulacrũ Chriſti lateri adhæreat. Terris poſitus, in paradiſo commoretur, vitâ Angelus, puritate alter Deus.

Clem. Alex.

Ij ſolum ſunt Sacerdotes qui puram agunt vitam.

Sacerdos eſſe debet tanquã Angelus.

3. Ita viuere docet Sacerdotem, Deitatis, & humanitatis ſpeculum, quod tenet manibus per ſingulos dies, & pectori ſuo, cordi ſuo appendit. Speculum nitidiſſimum nuncupo carnem à Verbo aſſumptam, & Eucharíſticis accidentibus veſtitam. Ni fallor id vult Nyſſenus lib. de beatitudinibus, verbis exprimens præclariſſimum mentis conceptum: *Si diligenti, & accuratâ vitâ ſordes cordi illitas, & obductas rurſus ablueris, reſplendebit in te diuina pulchritudo. Quemadmodum ij, qui in ſpeculo Solem vident, etiamſi Cœlum ipſum fixis oculis non contueantur, nihilo ſecius in ſplendore ſpeculi Solem vident, quàm illi, qui ipſum orbem Solis intuentur. Ita nos ad contemplandum lumen inacceſſum. Puritas enim, & vitiorum, affectuúmque vacuitas, & ab omni malo alienatio Deitas eſt. Si hæc in te ſunt, Deus prorſus in te eſt. Sanctimonia, puritas, lucidi diuinæ naturæ ſplendores per quos Deus videtur.* Cor omni vitio terſum, ſplendidum virtutibus, nuncupat ſanctus Nyſſenus ſpeculum diuinitatis, in eo etenim, in quo nitet ſanctimonia, & puritas diuinæ naturæ Sol conſpicitur. Sed iuxta mentem Nyſſeni, illius ſententiam melius, & felicius percipies, ſi Deum ipſum ſpeculum, & exemplar puritatis eſſe dicas, ex quo candoris, & innocentiæ radij ad cor perpurgatum reſultant. Id indicant verba illa: *Puritas, & ab omni malo alienatio Deitas eſt.* Et illa: *Sanctimonia, puritas, lucidi diuinæ naturæ ſplendores.* Sed verba Gregorij intimiùs penetras, ſi Chriſtum in altari oblatum ſpeculum vocites; quid purius, quid ſanctius, quid ab omni ſceleris concretione alienius, quàm caro illa ſpiritu ſanctificata, operatorio Sacerdotis ſermone conſecrata? Per eam namque multò ſublimius, & ſuauius in cognitionem Deitatis manuducimur,

Speculum Deitatis & humanitatis Euchariſtia.

D. Gregor. Nyſſ.

In ſpeculi ſplendore Sol videtur.

In ſplendoribus vitæ purioris Deus videtur.

Per ſpeculum Euchariſticũ Deus cernitur.

ducimur, quàm per aliam creaturam aſpectabilem, vel quæ noſtrum fugiat aſpectum.

4. Nunc intelliges verba ſapientiæ cap. 7. verſ. 26. de Deo filio loquentis: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis.* De Christo Domino aliqui Patres accipiunt, quos citat Lorinus; ſed de Euchariſtico myſterio non incongruè vſurpabis, In eo etenim Ieſus ſpeculum eſt nitidiſſimum Diuinitatis fulgores in animas iniiciens. Argutè ſpeculi proprietates Christo adaptat Rupertus Holcoth, Lectione 101. in Sapiẽtiam, cuius hæc verba ſunt, quæ ſuccinctè referuntur à Lorino: *Chriſtum planum ſpeculum fuiſſe docendo; concauum humiliter moriendo: conuexum potenter reſurgendo. In concauo ima, ſummáque ordine apparent inuerſo; & ignis à radijs illic alliſis excitari ſolet. Nihil præpoſterum magis, quam mori Deum (peregrinum, & alienum opus ab eo vocat Iſaias) & in hac meditatione exardeſcit ignis.* Addo ex ipſius verbis Holcoth; *Sicut in ſpeculo integro non apparet niſi vna imago: ſi autem confringatur quælibet particula ſuam repræſentat imaginem.* Noſtra intereſt has ſententias Christi Sacramento accommodare. Deus ipſe indiuiſus ſpiritus eſt; & ſacra illa Ieſu caro inſecabilis, impartibilis in amoris epulo exhibetur, ſi accidentia in innumeras particulas diuidas totus, & integer Chriſtus in illis perſeuerat, in exiguâ forma adeò magnum ſicut in magna, fidei oculis vides Chriſtum. Hoc ſpeculum tibi repræſentat dulce, & gratum monumentum, acerbiſſimæ paſſionis, & mortis, qua agnus immaculatus innoxius immolatus eſt, delens ſuo ſanguine chirographum decreti, quod Adam ſuâ exarauerat manu; ſimul etiam expians totius orbis delicta. Hoc ſpeculum concauum eſt. Quanta illinc corpus Chriſti, omni Pario marmore, ebore, cryſtallo, cœlo purius, fundit miſſilia amoris; quanta ex illo cæleſtis Ætnæ monte eructant flumina, fontes diuini ignis, inflammantes animos, & improbos affectus exurentes. Ex candida illa accidentium nube, quæ diuinitatis, & humanitatis tegit, & obumbrat vtrumque Solem, Charitatis, & luminis fulgura, & fulgetra Ieſus continuo iaculatur; para pectus ſagittis, non rigidum, induratum, ferreum, adamantinum crimine; ſed molle, tenerum, carneum; mentiar ſi iaculum cor non traiecerit, & reddiderit ſauciatum.

In Euchariſtia Ieſus ſpeculum ſine macula.
Holc.
Lorin.
Comparatio Chriſti, & ſpeculi.
Holc.
In qualibet particula ſpeculi integra imago reſultat.

5. Adhuc manibus teneo ſpeculũ Chriſti, morborum, & curarum dulce lenimen. Annotat S. Iſid. lib. 16. Etymol. cap. 23. loquens de ſtanno: *ſpecula etiam ex eo temperantur.* In cryſtallo, aut vitro necdum temperato, lucis traijciuntur radij, tranſeunt, nec ſpeculum intuentis regerit ſpeciem; at ſi terga cryſtalli illinas ſtanno & temperes; vultus reſultat ſimulacrum, luminíſque diſperſi congregantur, & reflectuntur radij. Ad ſpeculum Deitatis immaculatum omni cryſtallo ſplendidius caligabat humanus oculus, donec immenſum lumen, magnus Deus, ſtanno humanitatis congregatum vnitum, & corpore temperatum illuſtriores Deitatis, & ſecretorum eius notiones ad hominis notitiam immiſit. Sed adhuc Dei hominis fulgoribus circumdata, & immerſa mens humana cæcutit; & vtriuſque Solis Deitatis, & humanitatis opprimitur gloriâ. Neceſſe eſt vt gemmam candidam, & pellucidam cryſtallinæ humanitatis, albenti accidentium ſtanno amor attemperet. Vt ex gemino Sole crebetrimæ coruſcationes reſiliant. Nunc aptiora ſunt verba Nyſſeni, *qui in ſpeculo Solem videns.* Dum videmus per ſpeculum, & in ænigmate, in nullo alio ſublunari, aut cæleſti, ſicut in ſpeculo Euchariſtico penitùs cernes Deitatis Solem; dum enim Deus manditur, deuoratur, pectori includitur, bonitatem, ſapientiam, & amorem lucidiùs manifeſtat. Hoc tenet manibus ſpeculum quotidie Sacerdos, vt ad eius intuitum & exemplum componat vitam, mores; vt cor ſuum, animus ſuus ſit puritatis ſpeculum, in quoque Deitas, & humanitas Chriſti refulgeat: *Sanctimonia, puritas,* (vtor verbis Nyſſeni) *lucidi diuinæ naturæ ſplendores per quos Deus videtur.* Cenſeo Chriſtum Ieſum in ara ſpeculum ſine macula nuncupari; vt ſpeculum immaculatum hoſtiæ, Sacerdotes immaculatos reddat; vt dum ſpeculum nitidiſſimum, immaculatiſſimum ſingulis diebus intuentur, non ſpargant obſcurum humorem, quo obuelent nitidiſſimam claritatem, aut nubeculam offundant, criminum malè olente halitu; ſed ſpeculum conſulentes, omnes labeculas abſtergant, vt facies animi regerat ſpeciem, & effigiem Chriſti, & ſpeculum ſine macula non teneat niſi immaculata manus.

D. Iſidor.
Speculum, vt regerat ſpeciem, ſtanno temperatur.
Deitatis ſpeculum humanitate, & accidentibus Euchariſticis temperatum, vt Solis diuini radij reflectantur.
D. Nyſſ.
D. Nyſſ.

6. Sed perueniamus ad puritatis oſculum. Ex ore ſponſi Chriſti, ſancta oſcula delibat ſponſa, & inter ſodales diuidit. Cant. cap. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* De ſacris nuptijs, quas celebrat in communione corporis, & ſanguinis ſui Rex, & ſponſus cæleſtis, in quibus homo Deum oſculatur, & amplectitur, interpretatur Theodoretus in Cantica, ibi fatur: *Ne quis oſculorum vocabulo perturbetur, conſideret, quemadmodum myſtico ſponſi tempore ſponſi corpus ſuſcipientes, complectimur, & oſculamur, atque oculis cordis imponimus, atque ipſum charitate timorem foras eycientes, nos amplexari putamus, & ſuauiari.* Oſculum quod vel minimam impudicitiam, aut turpitudinem redoleat, à ſacris altaribus procul abſcedit. Ad oſcula Chriſtus inuitat, vt labijs ſuis ſanctitatem propinet. Sicut enim in ſe oſculantibus fit quædam animorum, & ſpirituum tráſmigratio; ſic oſculantibus Dominum, ſpiritus Chriſti transfunditur. Spiritus autem Chriſti immaculata puritas eſt. Hunc locum illuſtrat Nyſſenus homil. 1. in Cantica dicens: *qui omnibus ſcatere facit vitam, & vult omnes eſſe ſaluos, neminem vult eſſe expertem huius oſculi. Eſt enim eius oſculum purgamentum cuiuſuis ſordis.* Dum fideles ad epulum, & populum inuitat, ad oſculum allicit, vt carni, & ſanguini ſuo labia imprimant, & tali purpurâ rubeſcant. Felices animi, beata corda, quæ tali oblectantur nectare, & vitali ſanguinis fonte, qui de latere Agni immaculati ſcaturit, dealbantur. Ad ſcaturiginem puritatis acceſſiſti, vt ſordes abluas, & Sole ipſo appareas ſplendidior, & pulchrior.

Theodoret.
Euchariſtiam ſuſcipientes. Chriſtum oſculamur.
D. Greg. Nyſſ.
Chriſti oſculum à ſordibus purificat corpus & animum.

7. Felix Maria, quæ pedibus Chriſti prouoluta amoris continua figit oſcula. Heus tu infelix Phariſæe, qui dicis in corde tuo: Recede à me, noli me tangere, (abſque dubio peccatricem reieciſſes, ſi ad deoſculandos pedes tuos acceſſiſſet.) cur maledicò dente carpis mulierem, tangentem, deoſculantem? Tangit pedes Chriſti, vt ſanctimoniam delibet, ebibat puritatem; tu verò ſordidatus impurus remanſiſti, quia oſcula Chriſti pedibus non dediſti; ſed tumido ore, non tam lepra, quàm ſuperbia, improba iaculorum verba in pœnitentem fœminam iaculatus es. Argutè hoc expendit Nyſſenus vbi ſuprà: *Oſculum mihi non dediſti; reuera enim fuiſſet mundatus ab ægritudine ſi ore attraxiſſet puritatem.* Animo, & corpore immutaretur Phariſæus, & redderetur candidus, ſi carnem Chriſti tangeret, ex ea enim puritatem ſugeret. Si ex talibus oſculis fœmina

D. Greg. Nyſſ.
Phariſæus leproſus fuiſſet mundatus ſi ore Chriſti tanger. e.

mina ſordidata flagitijs, ſit niue cādidior, & Angelis purior, nónne purus, & nitidus reddetur Sacerdos ex crebris ipſius puritatis oſculis, quando corpus Chriſti oſculatur, & lambit ſanguinem.

Ad oſculandum Chriſtū, regius pſaltes inuitat.
Lect.
Hebr.
Lorin.

8. Regalis Pſaltes cum Sacerdotibus fatur Pſal. 2. verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam.* Vbi Hebræus, & Hebraizantes apud Lorinum eleganter vertunt: *Oſculamini filium, frumentum, vel faſciculum ſpicarum.* Vt panem Euchariſticum innuat. Alij legunt: *oſculamini purè puritatem.* Vt puritatis oſculum, Sacerdotem excitet ad acquirendam Angelicam puritatem.

De pulſatione cordis.

DISCVRSVS XIII.

Dei Sacerdos terrena deſpiciat, & ad cæleſtia aſpiret.

1. DENIQVE cordis pulſus, & motus Sacerdotes informat, & excitat, vt cum tēpore peritura faſtidiat, & propter illa æterna, & cæleſtia, quæ oculus non vidit, nec in cor hominis aſcenderunt, anhelet, & ſuſpiret. De Gigantibus hæc verba ſacra Scriptura commemorat Geneſ. cap. 6. verſ. 4. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis:* côſque à filiis Dei diſcernit ibidem verſ. 2. & 4. illos terrigenas, & voluptatum venatores nuncupat; iſtos verò cælicolas, & homines Dei, qui ſunt Sacerdotes, vt annotat Philo Iudæus lib. de Gigantibus, ibi fatur: *Dei verò homines Sacerdotes ſunt, quorum maior eſt dignitas, vt ſe miſceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues ſint, ſed ſublimiores omnibus rebus ſenſibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi ſortiti domicilium, adſcripti Reipublicæ Idearum incorporearum, & incorruptibilium.* Quàm excelſo animo, quam ſublimi debet eſſe Sacerdos, vt non annumeretur humanæ Reipublicæ, ſed totus factus cæleſtis, in Regia Dei curia inter cælites adſcribatur.

Phil. Iud.
Sacerdotes ſunt Dei homines omnia ſublunaria ſpernentes.

2. Ad ſummi Regis laudes nos excitat Lyricus Vates Pſalm. 148. *Laudate Dominum de cœlis.* Si in terra ſumus, & in terra laudamus, quomodo *de cœlis?* Numquid cœli ſunt famæ, & nominis eius celebratores? Aut in terris poſiti in cœlis degunt? Reſpondet ſanctus Auguſtinus: *Primò de cœlis dicit, poſtea de terra. Laudatur enim Deus, qui fecit cœlum, & terram. Nos autem adhuc in imo ſumus, ſed cum cogitamus quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, & non ſine cauſa audimus; ſurſum corda. Leuemus cor ſurſum ne putreſcat in terra.* Dum mortalis vitæ aurâ fruimur non expoſtulat Pſaltes commorari nos corpore in aula cæleſti, ſed affectu, & animo. Si enim corpus in terra ſit, mens in cælitibus viuat, in terra conſtituti, Deum laudamus de cœlis.

D. Auguſt.
Cor ad cœlū leuandum.

3. Inter alios antiquæ legis ritus in conſecratione arietis obſeruandos à filijs Aaron, ille non inferioris notæ refertur Leuitici cap. 8. verſ. 29. *Tulitque pectuſculum eleuans illud coram Domino.* Quam eleuationem contemplatus ſanctus Bruno in allegorijs Tilmani, inquit: *Quare coram Domino pectus eleuat? Niſi vt corda, & pectora noſtra ſemper ſint leuata ad cæleſtia contemplanda.* Vt in ipſa eleuatione pectoris ſacræ victimæ, pectus ſuum, & animum Sacerdos eleuaret, & dirigeret ad ſuperna.

D. Bruno.
Pectora & corda ſacrificantium extollenda ſunt ad cæleſtia.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

4. In rituali Ezechielis Vatis præcipitur Sacerdotibus ſeptem dierum purificatio. cap. 44. verſ. 26. *Et poſtquam fuerit emendatus, ſeptem dies numerabuntur ei.* Hunc ſeptenarium purificationis numerum grauiter, & acutè expendit Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromat. *Eſt per omnem obedientiam puritas cum rerum quoque mundanarum depoſitione. Siue ergo fuerit tempus, quod per ſeptem, quæ enumerantur periodos, in ſummam redit quietem: ſiue ſeptem cœli, quos quidem per aſcenſum numerant; dicit oportere eum qui eſt præditus cognitione, emergere ex generatione, & ex peccato.* Vltimam ſententiam illuſtrat Gentianus Heruetus nobilis Scholiaſtes Clementis dicens: *Terrenarum rerum relicta contemplatione ad cæleſtia aſſurgere.* Sed preme verba illa: *ſiue ſeptem cœli, quos quidem per aſcenſum numerant.* Vt ſublunatia deſpiciat, vt Lunam, Solem, ſidera, orbes cryſtallinos, ſydereos, aqueos præteruolet; illibatæ mentis contemplatione ab vno, in alterum ſcandens Sacerdos, cœlorum, & terrarum Domino cor ſuum ſiſtat, & deuoueat.

Cur Sacerdotibus ſeptem dierum purificatio præcipitur?
Clem. Alex.
Septenarius numerus purificationis declaratur.
Ad cæleſtia aſcenſus Sacerdotibus iniungitur.

5. Optat Paulus corpora noſtra litari Deo ad Roman. cap. 12. *Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem.* Apoſtoli mentem acutè perſcrutatur ſanctus Chryſologus ſerm. 109. Paulinæ ſententiæ nodos aperit, & diſſoluit. *Numquid Apoſtolus ſola corpora digna diuinis hoſtijs probat: & animas velut reprobas, aut tacet, aut præterit, aut relinquit? Nónne anima de cœlo eſt, corpus è terra? Fratres corpus, quod capiunt peccata, quod delicta vincunt, laborat attollere, vt corpus ad originem animæ conſcendat, non anima deſcendat corporis ad naturam, & corpus animam comitetur ad cœlum, non anima corpus ſequatur ad terram.* Non deſpicit Deus imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vt ſacris altaribus minus idoneam, aut inuiſam hoſtiam derelinquat; placabile, & ſuauiſſimum ſacrificium Deo anima iuſti. Sed corporis, & animæ exigit in oblatione conſortium, vt corpulentam molem, quæ deorſum ad terrena labitur, ſecum anima deferat ad cæleſtia.

Hoſtia viua corporis qua fiet.
D. Chryſol.
Corpus animam in cœlū aſcendentem comitetur.

5. Hunc affectum animi exprimit Regius Pſaltes, ad cælitum regionem euehentis cor immune corporis paſſionibus. Pſalm. 85. *Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te animam meam leuaui.* Legit S. Auguſtinus *iocunda animam ſerui tui* Quia homo dum nititur ſcandere affectibus ſuis æthereas regiones, de diuinæ dulcedinis fonte ebibit ſuauius, & deliciarum ſcatebris inebriatur, iocundatur. Felix anima, quæ adhuc in via ſtillicidijs diuini nectaris irroratur. Sed portio iſta cæleſtis illis ſolum tribuitur, qui corda ſua ſurſum ſubleuant: audi S. Auguſtinum in hæc verba Pſalmi ſic fantem: *Solus enim tu es iocunditas, amaritudine plenus eſt mundus. Certè rectè admonet membra ſua, vt ſurſum corda habeant. Audiant ergo, & faciant, leuent ad illum, quod male eſt in terra: ibi enim non putreſcit cor; ſi leuetur ad Deum. Frumentum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret leuares ad ſuperiora, frumento tuo quæris maturè locum, & cor permittis in terra putreſcere: frumentum leuares ad ſuperiora, cor leua in cœlum.* Quid pulchrius? In pectore tuo admonitorem continuo circumfers, cor ipſum leni pulſu, & motu monet vt animum tuum, affectus, cupidines ad Deum euehas.

D. Auguſt.
Cor ad cœlū ſubleuandū, vt non putreſcat in terra.

H *Verſ. 6.*

Verſ. 6. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

COMMENTARIVS.

Inſanabilis Ieroſolymæ morbus cui nō applicatur medicamen. Lect. Lxx. Chryſ.

1. DIXERAT totum populum, omnia illius membra fuiſſe à Deo percuſſa, itavt à planta pedis, vſque ad verticem eſſet plagis affectus, nunc dicit eſſe deſperandum morbum prorſúſque inſanabilem, quia noluit vulneribus applicare medicinam. Sic ſanctus Chryſoſt. in caput 1. Iſaiæ ſecutus verſionem Septuaginta: *Non eſt malagma imponere.* vbi ait: *Hoc priore grauius; morbo enim quopiam laborare non tanti eſt periculi, vt eſt ægrotum nullis modis curari poſſe: præſertim cum talis adfuerit medicus.* Eodem modo interpretatur ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Quando modicæ plagæ humanum corpus infeſtant, & vnum tantummodo membrum peruaſit læſio, tum moderatæ curationes eorum, qui rei medicæ gnari ſunt, puta malagma, ligamenta, & olei inunctio contentas partes, ac rigidas reſoluens, eſſe poterunt vſui. Cum autem corpus totum corruptum eſt, quodnam curationis genus proderit? Superat enim omnem remediorum vim, ac virtutem artis, magnitudo morbi. Itaque populus Iudaicus iam conſauciatus ſanari non poteſt. Et inueteratis morbis cum laboret, intolerabiliter, nec vllo modo ei ſuccurri poſſit, omnino perijt.*

D. Cyrill. Alex.

Cum totum corpus corrūpitur, inualida eſt medicina.

Quid ſit vulnus? Liuor.

2. Sed exponamus ſingula: *vulnus* eſt hians paténſque apertura corporis ex humorum redundantia, vel ictu aliquo inflicta: *Liuor*, eſt veſtigium, nota, & color, qui ex aliqua contuſione, aut percuſſione reſultat, quando ictu illato, exiles venæ contuſæ nigreſcentem ſanguinem, ad extremam cutem diffundunt. *Plaga tumens*: eſt vulnus profundius, ex quo ſanguis, & purulenta ſanies fluit, De plaga dicitur, quod non ſit circumligata; ſolet enim chirurgus faſcijs, & linteolis circumligare vulnus, & oleo emollire, vt docet Galenus libro 4. de compoſit. medicament. per genera cap. 2. *Quamobrem* (inquit) *haſce faſcias ex linteis, non panniculoſas eſſe expedit. Molli, puro, & ſicco linteo ſaniem vlceri abſtergas.* Et ſtatim: *verum ſi rubor quiſpiam, vel omnino calor in circumpoſitis vlceri partibus exuperet, adſtringente, & refrigerante aliquo id faciendum eſt. Si durities maior extiterit, oleo veteri,* &c. Vlcus autem Ieroſolymæ nec oleo inunctum, nec circumligatum medicamine ſalutis, Septuaginta legunt: *non eſt malagma imponere.* Aquila relatus à ſancto Hieronymo, & Scholijs Septuaginta interpretatus eſt μότωσιν quod propriè ſignificat vellicata fila, aut tortiles funiculos lineos, qui vlceribus iniiciuntur, & ſanctus Hieronymus legit: *linteola*, quæ ad exſiccandam ſaniem, & purulentias extrahendas iniiciuntur vulneribus. Nos Hiſpanè dicimus, *hilas, mechas.* At verò *malagmata* compoſitiones ſunt, quæ vocantur emollientia, quæ concretas duritias emolliunt; applicantúrque, vt quod concretum eſt, commodè fundant, & ſenſim per euaporationem diſcutiant, qualia ſunt ammoniacum, bdellium, butyrum, adipes omnes. Malagmatis definitionem ſcribit Galenus libro 7. de compoſit. medicam. per genera cap. 1. *Malagmata vocant medici, quæ partes præter naturam induratas emolliunt.*

Cuius vſus ſint linteola in plagis? Galen.

Quid oleum in vlcere efficiat

Quid ſit malagma. D. Hieron. Schol. Lxx. Galen.

Iudaici populi plagæ.

3. Verberibus, & vibicibus liuet corpus Iudaicum, cùm percuſſum à Pharaone flagellis in Ægypto; cùm patitur decem tribuum captiuitatem, hiant vulnera ſub captiuitate Babylonica: plaga tumens, & putrida captiuitas eſt Romanorum. Quibus vulneribus nullùm medicamentum applicuit; nec ea oleo miſericordiæ diuinæ fouit, nec lacrymis emolliuit, nec alligaturas, & malagmata pœnitentiæ appoſuit. Manet ergo inſanabile corpus, quid mirum ſi patitur æternæ ſeruitutis, & indurationis ærumnam?

Galeni Aphoriſmus de morbis inſanabilibus ferro & igni excindendis. Galen.

4. Aphotiſmus Galeni de inſanabilibus morbis apprimè quadrat Hieroſolymæ languori. Sic ſcribit de compoſit. medicament. per genera libro 6. capite 2. *In omnibus inſanabilibus ſcopus communis eſt incurabilem partem ex corpore excindere. Excinduntur autem nonnunquam ferro, interdum igni.* Sic Deus vrbi Hieruſalem inſanabilis morbi medicamnen tandem applicuit, gladium Romanorum eam exſciudentem, & ignem eam exurentem. Ideò ſubiungit verſu ſequenti: *ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni,* &c.

DISCVRSVS I.

Lenitati Confeſſorum erga pœnitentes exomologeſim operantes, diuina clementia ſuffragatur.

1. BLANDVM olei fomentum exigunt grauiſſimorum ſcelerum vulnera, in ſpiritu lenitatis increpandus peccator, ne exulcerentur. Periclitanti naufrago ſinum pietatis expande, vt erutus de peccatorum vorticibus, dulci charitatis gremio reſpiret, & cœlum lætus aſpiciat. Cygnæa voce Iacob iam iam ad ſuperos transferendi editum eſt celebre vaticinium, cap. 49. Geneſis. ibi tribui Zabulon nauigationis, & mercium felicitatem portendit verſu 13. *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.* Sed ſublimiori ſenſu, fidam Eccleſiæ ſtationem promittit, & maternam erga naufragantes filios charitatem. Audi ſanctum Ambroſium lib. de Benedict. Patriarch. cap. 4. *Zabulon iuxta mare habitabit, vt videas aliorum naufragia ipſe immunis periculi. Magiſque ad ſubueniendum parata* (loquitur de Eccleſia) *quàm periculo obnoxia, vt ſi qui tempeſtatibus acti grauibus confugere ad portum velint, præſto ſit Eccleſia tanquam portus ſalutis, quæ expanſis brachijs, in gremium tranquillitatis ſuæ vocet periclitantes, locum fidæ ſtationis oſtendens. Vſque ad Sidonem: vſque ad grauiſſimorum criminum peccatores, donata hæreditate benedictionis abſoluat.* Vidiſti furens, & inſanum mare cùm profundiores arenas flatibus ventorum agitatum verrit, & criſpatis fluctibus lambit ſidera, inundatione ingruentium aquarum nauis immugit, diſſipatur, frangitur, & vndarum cumulis ſummerguntur, deuorantur nauigantes, ſi quis emergit natandi peritus, lignum arripit, pignus vitæ, cum mortis periculis, & aquarum monſtris luctaturus, cum vi ingruentium vndarum penè exanimis

D. Ambr.

Eccleſia expanſis brachijs pietatis peccatores recipit.

exanimis ad littus proijcitur expectans pietatem. Homo iſte, peccator eſt arripiens ſecundam pœnitentiæ tabulam poſt naufragium peccati, ipſaque ad diuinæ clementiæ portum protelatur; Sacerdotes Domini, quibus ligandi, atque ſoluendi commiſſa poteſtas, placidâ Eccleſiæ ſtatione requieſcunt, dilatent ſinus, brachia expandant, ambiant peccatores charitatis amplexibus, vt immunes flagitiorum periculis experiantur paternæ dilectionis dulcedinem. Nec diſplicet interpretatio illa Sidonis: *vſque ad Sidonem, vſque ad grauiſſimorum criminum peccatores.* Miſericordiæ Chriſti viſcera, contritos peccatores, quantumuis magnos, non deſpiciunt, fœtore vulnerum malè olentes non proiiciunt, omnes intra ambitum ſuum claudunt.

2. Pietatem iſtam Deus ipſe opere comprobauit in Nabuchodonoſor Rege, qui damnatus ad beſtias, ferarum ritu viuens inter nemora, & ſyluas, ſeptem tempora mutantur ſuper eum. Vide cæleſtis conſilij rigidam, ſed iuſtam ſententiam. Danielis c. 4. v. 30. *Eâdem horâ ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Mille leporibus, & vernantibus ſententiarum pigmentis deſcribit ſanctus Pacianus horrentem habitum, & ſqualidam ſpeciē Regis, lib. de pœnitentia, & confeſſione ſic fatur: *Rex ille Babylonius exomologeſim, deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa caſaries, & barbarum horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipſa illa malè tractationis calamitate felicem.* Perpende poſtrema verba: *quem horrebant homines Deus recipiebat,* &c. Noti, ignoti, recedunt à Rege, Imperatorem in ſpeciem belluæ transformatum aſpernantur ſeruuli; belluæ ipſæ ſtupefactæ monſtri peregrinâ formâ, eius penè refugiunt conſortium. Solus Deus nec aquilinis vnguibus, nec leoninis iubis ſtupet; nec auertit oculos ab hiſpidis horrentis cutis crinibus, nec immani bellua perhorreſcit; pœnitentem recipit, illacrymantem ſuſcipit, deteſtantem peccata complectitur. Vide Domini lenitatem in recipiendis peccatoribus feris, ſi belluam, & monſtrum ad pœnitentiam, & miſericordiam admittit, quem dimittet? Regem eiuſdem cubilis, & pabuli ferarum ſocium, vocat ſanctus Pacianus æquo iure felicem, quia temporali regno amiſſo, pœnitentiæ habitu ad temporale, & cæleſte regnum præludebat. Nónne verè beatus, qui à feritate iumenti in ſe, & ad ſe reuerſus agnoſcit Deum, confitetur Deo, & charitatis Dei gaudet amplexibus.

D. Pacian.

Regem Babylonis exomologeſim operantem Deus recepit.

3. Huius lenitatis, quam ad Dei exemplar debet præ ſe ferre Sacerdos, teſtem Salomonem inuoco. Suppeditabit nobis egregium ſymbolum in baſi, & mari æneo, quod duodeni boues ſuſtinent. Illud in præſenti annotatione dignum, lib. 3. Reg. cap. 7. verſ. 29. *ſubter leones, & boues, quaſi lora ex ære dependentia.* Leo habebat lorum quaſi frænum quoddam ori iniectum. Lorum, & catenam habebat bos quaſi vinculum plauſtri, erat enim veluti iugo ſubmiſſa, & circumligata ceruix. Huius ænigmatis, & ligaturæ leonis, & bouis pulchra ſolutio apud ſanctum Bedam apparet libro de Templo Salomonis, capite 20. *Super leones (inquit) & boues lora dependent, quando ſancti Doctores & in ſeueritate diſtrictionis, qua peccantes iudicant, &*

Symbolum Sacerdotalis clementiæ in mari æneo.

Beda.

Sacerdotes abſoluentes crimina timore Iudicij Dei exercentur.

P. A. Luc. de Arcones *in Iſaiam.*

in manſuetudine lenitatis, qua pœnitentibus remittunt, iudicium ſui timent auctoris, ne fortè iniuſtè ligando, ipſi iuſtè ligari, ab eo, cuius iudicium errare nequit, mereantur. Quæ pulchrior diuinæ clementiæ demonſtratio, cum iraſcentem animum Sacerdotis Deus intuetur ad improborum ſcelera vindicanda, & ex inſolita turba, & corruptione ſcelerum pectus nauſeans; quàm lupatis diſtricti iudicij Dei in pœnitentiarios iudices comminantis, effrænes cohibere iræ motus, Ne durè exprobrent, aut iniuſtè repellant accedentes ad tutamentum miſericordiæ Dei; quaſi blando loro, & fræni motu indocilem compeſcat Deus vt dicat: manſuetudine & lenitate pœnitentibus remitte delictorum vincula; ſi extiteris inmitis, & crudelis; vincula, quibus tu teneris adſtrictus non remitto, iniuſtè ligaſti, iuſtè ligatus es ab eo, cuius iudicium errare nequit. Noli paruipendere, aut repudiare peccatores, magno Deifici ſanguinis pretio emptos.

4. Vnum de diſcipulis Ieſu Iudam rapuit Diabolus, & deſperatum dedit inferis, quæ deſperationis occaſio in alumno, & diſcipulo Dei? Ex pluximis non minima extitit Iudæorum exprobratio, & aſperum Sacerdotum verbum. Ni fallor id inſinuat ſanctus Ambroſius examinans traditoris infructuoſam pœnitentiam. Matthæi capite 27. verſ. 3. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet: pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus dicens: peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris.* Ait ergo ſanctus Ambroſius libro 2. de pœnitent. cap. 5. *Arbitror enim quod etiam Iudas potuiſſet tanta Dei miſeratione non excludi à venia, ſi pœnitentiam non apud Iudæos, ſed apud Chriſtum egiſſet.* Ecce Iudæorum iniquitas, & imprudentia pœnitenti Iudæ miſericordiæ ianuam claudit. Lumini, quo crimen agnouit, & Magiſtrum fatetur iuſtum; principes Sacerdotum tenebras offundunt, & ſuper delictorum fluctus iam penè enatantem, deſperationis voragine immergunt. O infelix, ſi ad genua Chriſti procumberes, & effunderes contritionis lacrymas, & veniam poſtulaſſes; audeo dicere poſt traditionem tuam, poſt acceptam pecuniam, quâ Iudæis Ieſum ſpoponderas, poſt latam mortis ſententiam, à nefandi criminis vinculo benignus Ieſus te ipſum abſolueret.

Exprobratio Iudæorum Iudam dedit in deſperationē.

D. Ambr.

Apud Iudæos non apud Ieſum pœnitentiam egit.

5. Proculdubio maiori indurati pectoris animoſitate aſpernantur Iudæi Iudæ reſipiſcētiam, quàm nummorum contagium. Id enim indicant verba: *At illi dixerunt: quid ad nos? tu videris.* A pœnitentia tua, verba, conſilia, nos ipſos ſecernimus; ſi te pœnituet facti, nos voluntatem tuam perfeciſſe gaudemus. Sed dum Iudæi crimen accumulant, addit Ambroſius difficilem ſententiam: *Quæ vox alia veſtra eſt, cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid reſpondetis aliud niſi hoc; quid ad nos? tu videris. Hunc ſermonem laqueus ſequitur: eo feralior pœna, quo culpa eſt minor.* Non contendam ancipiti Marte quod fuerit maius flagitium, Iudæ, an Iudæorum? Irreuerens, & impœnitens cogitatio iſtorum adauget crimen; præuaricatoris confeſſio ſiuum ſcelus imminuit. Ad rem ergo illa Ambroſij ſententia: *hunc ſermonem laqueus ſequitur.* Quid enim parturirent ſenticoſa verba, & aſpera reprehenſio niſi diffidentiam? Si blanditijs verborum, & paterna dulcedine delinirent confitentem, pondus peccati, quod in præ-

Iudæi aſpernantur Iudæ reſipiſcentiam.

D. Ambr.

Aſperum ſermonē Iudæorum ſequitur laqueus.

H 2 cipitium

cipitium dedit Iudam, forſan ſubleuarent. Sed generatio praua, & pietatis inimica, petenti panem dederunt indurati pectoris lapidem, petenti veniam ſuggeſſerunt ſcorpionem, priori flagitio addiderunt calcar, vt infelix de ſpe veniæ cadens in deſperationis barathrum conuolaret ad laqueum, & in aëre ſuſpenſus, infeſtus terræ, inuiſus cœlo, viſcera effunderet.

Discvrsvs II.

Solus, & totus, & vulneratus Ieſus humanorum vulnerum, & languorum Medicus.

1. DOCET Pſalmographus à nullo alio animi, & corporis expectare ſalutem niſi à Ieſu. Pſalm. 43. *Manus tua gentes diſperdidit.* Nullæ nationes vicerunt, neque Zinæi, neque Amorthæi, inquit ſanctus Ambroſius in præfato carmine: *Neque Raphaïm qui profitetur alys ſe ferre Medicinam, cùm vulnera ſua curare non poſſit: & ideò ſi quis ad huiuſmodi medicum confugerit, neceſſe eſt priùs patrimonium ſuum omne conſumat quam profectum ſanitatis accipiat, ſicut illa mulier in Euangelio, quæ per duodecim annos affluentem ſanguinem corporalium voluptatum ſiſtere non potuit, niſi poſtea quam confugit ad Chriſtum. Intellexit enim quod nemo perfectus medicus, niſi qui deſcendiſſet è cœlo.* Pia fœmina oleũ, & operam perdis. Se cognouit, nullúmque profectum inueniſſe ſalutis, cum ad medicum recurrit humanum, donec tetigit fimbriam Ieſu, de qua fluebat vnguentum vitæ, & medicamentum ſalutis. Solus Medicus de cœlo cæleſtis manantem humorem ſiſtit.

D. Ambr. *Nullus medicus ſanandis vulneribus perfectus niſi ſolus Ieſus.*

2. Animi corporiſque morbis deſperatis, Æſculapio, & Apolline longè ſapientiorem inuenies Ieſum, de quo Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagogi cap. 2. *Qui Verbum Patris, qui fabricatus eſt cælum vniuerſi figmenti curam gerit, eiúſque corpori, & animæ medetur, qui eſt omni ex parte ſufficiens medicus humanæ naturæ ſeruator. Solus humanarum ægritudinum Pæonius Medicus, & ſanctus ægrotæ animæ incantator.* Qui hominem de cæleſti, & terrena materia compactum contrarijs humoribus temperauit, valet depellere morbos; manus illius tornatiles hyacinthinæ, qui ſiderum architectatus eſt orbem, vulneri tuo parabit medicamentum ſalubre. Quantò ſufficientior, tantò præſtantior medica Ieſu manus, ipſo Apolline, quem Pæonium nuncupat Clemens, & inuentorem Medicæ artis non ignobilis fama concelebrat. *Et ſanctus ægrotæ animæ incantator.* Pulchrè dictum. Monet, terret, minatur, blanditur, mille modis ad ſanitatem allicit, vt ægrotus è vulnere, è languore conualeſcat: ægrotæ animæ ſapiens incantator eſt.

Clem. Alex. *Solus Ieſus medicus ſufficiens.*

Cur Pæonius medicus dicatur?

3. Needum natus, vix lumen aſpicit, & in præſepi officinam medicam inſtituit, & noſtris imponit emplaſtra vulneribus: pannis, & faſcijs ligatur, inuoluitur, vt cataplaſma applicet vlceribus humanæ naturæ, & circumliget medicamine. Appoſitè ſanctus Auguſtinus ſermone 17. de Tempore ſic fatur; *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra naturæ.* Querulam vocem Iſaias ſuſpendat, & temperet à lacrymis; iam enim eſt malagma imponere, & ligare medicamine vulnus, tumentem plagam, liuorem.

D. Auguſt. *Ieſu faſciæ & panni naturæ emplaſtra.*

4. Seris firmatum ab ſponſa oſtium aperiri iubet ſponſus, opportunè, importunè, & intempeſtâ nocte pulſat ad ianuam, interpellat, & ſuſcitat dormientem. Ingenuè id fatetur ſponſa Canticorum capite 4. verſu 2. *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quis dubitat ingruentis morbi vim excitaſſe charitatem Dilecti, vt inuiſeret ægrotantem animam, quæ diu multum in grabato infirmitatis iacebat, & adduceret artis ſuæ pharmaca. Pro potione dedit amoris philtrum, ſtillicidia roris, quæ in cincinnis aureis velut in pyxide continebantur. Sic expendit verba illa Pſellus apud Theodoretum in Cantica: *Si aperueris mihi, dabo tibi munus magnum rorem capitis mei, & cincinnorum guttas. Ros enim meus eſt hominum Medicina.* Quod eſt enim munus æternum, quod caput ſponſi, & medici coronat? Quæ officina narthecijs, myrothecijs referta, in vertice ſponſi? Qui in capite Chriſti expreſſi, eliciti torculari igne Medici liquores? Proculdubio ſudor irrorantis ſanguinis, vi amoris, & doloris expreſſus, eliquatus, & medicinalis liquor eſt. Guttulæ illæ, quæ ex puncto, & terebrato vertice erumpunt, ſunt medicamenta ſalutis. Ros enim iſte ſuus eſt hominum medicina.

Pſell. Theod. *Ros quo plenũ eſt caput Ieſu, hominum medicina exiſtit.*

5. Sanare cupiens Dauid hæreditarium vlcus peccati, vulnera Chriſti crucifixi auidè requirebat. Pſalm. 118. *Tempus faciendi Domine:* affectum Dauidicum exprimit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 16. ibi fatur: *Vt ſi ingraueſcente ægritudinis alicuius incommodo, curras ad Medicum vt citiùs veniat, ne poſtea ſubuenire non poſſit. Medicus enim tunc amplius deſideratur, cùm grauius incubuerit ægritudo languenti: ergo cùm videat in ſpiritu Propheta præuaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos, quaſi pro nobis interueniat, currit ad Chriſtum, quem ſolum tantis ſciebat ſubuenire poſſe peccatis. Tempus faciendi Domine, vt pro nobis crucem aſcendas, mortem ſubeas.* Solum enim Ieſus eſt, affligtantis morbi remedium: in pennis eius, manibus in cruce extentis, ſanitas exiſtit.

Dauid auxilium medici Ieſu ad medicamen vulnerum animæ requirebat. D. Ambr.

6. Iſaias vim medicamentorum agnouit cum de Chriſto ſublimi prædicatione intonat cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde.* Sanandorum vulnerum corporis, & animi Seruator curam ſuſcepit; cui nec deſunt pharmaca, nec epithemata, nec vini, & olei fomenta. Quàm pulchrè ſanctus Bernardus ſerm. 16. in Cantica: *Veniebat vngere contritiones noſtras, ac linire dolores. Sciebat ſe ad infirmos deſcendere, & quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque prouidus medicus medicamina curauit afferre. Vides quot phialas plenas odoramentis, cæleſtis medicus præparauit, ad ſananda vulnera illius miſeri, qui incidit in latrones? Spiritus enim vitæ erat in phialis, ex his profectò infudit oleum, meis vulneribus.* Sed acumen ingenij Iſaiæ in eis verbis perpende: *Vt mederer contritis corde.* Supponit ergo medela corporis, contritionem cordis; exiſtimo nullum de ergaſtulo carnalis infirmitatis Ieſum ſubleuaſſe, niſi ſimul alleuiaſſet peccatorum pondere; nec de humanis languoribus retuliſſe palmam victoriæ, niſi contritionem cordis languentibus indidiſſet. Pignus ſanitatis, contritio cordis. Prius ergo ſanabat animæ vulnera, lauabat ſaniem, putrilaginem ſcelerum abſtergebat, vt ſanitas redundaret ad corpus.

Medicus Ieſus ſecum attulit multa pharmaca ad curationem. D. Bern.

Spiritus vitæ in phialis.

Contritos corde Ieſus curabat. Corpora, & animas ſimul ſanabat.

D. Ambr.

7. Porrò hunc diſcurſum claudam pulcherrimâ coronâ, quam in Conuerſione Matthæi de Tribu Leui, S. Ambroſius contexit, lib. 5. Commẽt. in c. 6. Lucæ ad ea verba: *Et nemo mittit vinum nouum:* ibi Publicanus ad meliorem frugem, & Euangelicam vitam immutatus, ſic cum medico Ieſu fatur: *Solum te ſequor, Domine Ieſu, qui ſanas vulnera mea.*

Charitatis, & pœnitentia affectus in Publicano Matthæo.

Quis enim me ſeparabit à charitate Dei, quæ in te eſt? tribulatio? an anguſtia? an fames? Ligatus ſum fidei clauis quibuſdam, & bonis compedibus charitatis innexus ſum: omne mandatum tuum ſicut cauterium impreſſum tenebo: & ſi vrit cauterium, tamen putrefacta carnis exurit, ne ad viuum ſerpat contagio. Et ſi mordet medicamentum, tamen vitium vlceris, tollit. Aufer igitur Domine Ieſu potenti machæra tua, meorum putredines peccatorum, dum me habes ligatum charitatis vinculis; ſeca quodcunque vitiorum eſt, Veni citò incidens occultas, & latentes, variáſque paſſiones: aperito vulnus, ne noxius ſerpat humor. Emunda omne, quod fœtidum eſt peregrino lauacro. Audite me terreni homines, qui in peccatis veſtris cogitationes ebrias geritis. Et ego talibus paſſionibus eram ſaucius. Inueni medicum, qui in cœlo habitat, & in terris ſpargit medicamenta. Hic ſolus poteſt ſanare vulnera mea, qui ſua neſcit: hic auferre cordis dolorem, pallorem animæ, qui nouit occulta. Quid illuſtrius.

Validam Ieſu manum in medicando prædicat.

Ad Ieſu medicamen peccatores hortatur.

DISCVRSVS III.

Peccator diffidentiam peſſumdat, & deſperationem irridet, dum cernit, omnipotenti medico nullum deſperatum morbum.

1. MAGNA ſpes affulget flagitioſiſsimis peccatoribus, & deſperatis ægrotis ex pietate, & omnipotentia Medici; quâ ſolâ ex graui, ac diuturno morbo recreati conualeſcent. Dexteræ excelſi vim, & Medicæ artis dexteritatem ſanctus Auguſtinus expertus eſt, dum oleo miſericordiæ Dei delinitus, & vnguento ſanitatis delibutus in Pſalm. 58. interpretatione exclamat ad ea verba: *Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es*, ſic de ſe ipſo, aut de humanâ naturâ fatur: *Quid eram, niſi ſubuenires? quàm deſperatus eram, niſi curares! vbi iacebam, niſi aduenires? Certè ingenti vulnere periclitabar. Sed illud vulnus meum, medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil eſt inſanabile, non renuntiat alicui:* non homicida, nõ fornicator, non auarus aut immundus à ſpe ſanitatis decidat. Manus, quæ ſuſtinet molem terræ; cuius nutu cœli circulis ſuis continuò rotantur, & orbibus; cui elementa, ex natura contra naturam famulantur; vel leui digitorum motu, & vulnerati corporis tactu diſpellit morbum, & ſanitatem reſtaurat.

Medicæ artis dexteritatem expertus eſt Auguſtinus.
D. Auguſt.

Auguſtinus medicum omnipotentem requirebat.

2. In officinam Medicã ingreſſus eſt Paulus; immò cum omni medicorum paratura apparuit illi Ieſus, minas, tormenta, ligaturas, gladios, ignes oſtentás. vide ægrotum inſanientem in Medicum, vide Saulum ſpirantem minaru, & cædis in diſcipulos Domini; ſed Deus Saulum nube circundat, ligat charitatis funibus, vt curet; cerne in ipſa curatione dolentem, amantem, cruentatum, vulneribus ſauciũ, dum contra ſtimulum calcitrat, & penè exanimem, in terra decidentem. Act. c. 9. *Quis es Domine? Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Domine quid me vis, facere?* Vox eſt ægroti ſub manu medici poſiti, & clamãtis ad medicum: Vrẽ, ſeca, abſcinde putrida mẽbra, inure cauterio, vt in æternum viuam; diſtringe gladios, ignes non metuam. Hic tamen perpende fiduciam, & cautionẽ Pauli, quis ſit Medicus, examinat, vt illius virtutem exploret. Ieſus eſt, ſatis eſt, reſtituet me totũ ſanitati. Acumen Ambroſiani ingenij ſectator, ipſe S. Archiepiſcopus Mediolanẽſis in Pſ. 39. ad id *holocauſta, &c.* verbis exprimit. *Vide congruentia vtrinque magiſteria, Medicus minatur, vt corrigat terret vt curet. Æger primò medici perſonam requirit, ſi ſit idoneus, à quo ſanari ſe poſſe præſumat. Vbi medicinæ audiuit Auctorem, remedium popoſcit, ſalutem inuenit.* Dũ Ieſus de nube quaſi de cathedra, & ſella cum Paulo ægrotante loquitur, fulget ſapientia Pauli, & humilitas eximia: *Quis es Domine? Æger primò Medici perſonã requirit, ſi ſit idoneus, à quo ſanari ſe poſſe præſumat.* quaſi diceret: Ego sũ peccatorũ primus, blaſphemus, contumelioſus in Ieſũ, & ſponſæ Eccleſiæ flagellum, & perſecutor, totus lãguidus ægritudine graui, ſcatens vulneribus, fluens putrilagine. Quis Medicus ad depellendos morbos animæ conſentanea medicamenta præfiniet? Solus Ieſus: ſi tu, Domine, Ieſus es, Saluator es, à te ſolo ſaluari me poſſe præſumo; magna infirmitas, ſed maior Domini poteſtas.

In medicam Ieſu officinam ingreſſus eſt Saulus.

Saulus explorat virtutem medici.

D. Ambr.

3. Quàm lætum nuntium attulit Ieſus mundi lãguidis apud Matth. c. 9. v. 12. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus:* quæ verba expendit Origen. lib. 8. in Leuit. apud S. Cyrillum: *Omnis medicus ex herbarum ſuccis, vel arborum, etiam metallorũ venis, aut animãtium naturis, profutura corporibus medicamenta componit. Veni nunc ad Ieſum cæleſtem Medicum, intra hanc ſtationem medicinæ eius Eccleſiam, vides ibi languentium iacere multitudinem; venit mulier, quæ ex partu immunda effecta eſt. Venit leproſus, qui extra caſtra ſeparatus eſt, pro immunditia lepræ. Quærũt à medico remedium, quomodo ſanentur, & quomodo mundentur, & quia Ieſus hic Medicus eſt, & ipſe eſt Verbum Dei, ægris ſuis non herbarum ſuccis, ſed Verborum Sacramentis, medicamenta conquirit.* Hæc Origenes. Nec prætereunda ſine nota verba illa: *Quia Ieſus medicus, eſt Verbũ Dei.* Humani medici herbis, radicibus, floribus, pharmacis, vnguentis, purgationibus vix reſtituunt ſanitatem: Cæleſtis Medicus, quia Verbum Patris, & omnipotẽs, qui ſolo Verbo creauit omnia; quacunque detineatur infirmitate, reddit Hominem ſanum ſolo Verbo.

Languidi accurrunt ad Medicum, qui non herbarũ ſucco, ſed verbo ſanat.
Orig.
D. Cyrill. Alex.

4. Ante oculos conſtituit Iſaias Ezechiam Regẽ in lectulo decumbentem, grauiſsimâ ægritudine exæſtuantem, & iam morti deſtinatum. c. 38. *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* Poſtea vates de cœlo admonitus attulit pignus vitæ, pollicetur ſalutem prodigioſo miraculo. Sol ipſe Iſaiæ precibus decem lineis retrogrado greſſu regreditur, ibi v. 6. & 8. *Ecce ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearũ, per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis, & reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcẽderat.* Sat eſt reſtitutio regiæ ſanitatis, Regem ipſum de mortis faucibus eripi; cur languentem Deus nouis beneficiis irretiuit, & mirandis operibus obſtrinxit? In tenebris mœſtitiæ, & porta vmbræ mortis, & regione tenebrarum iacenti, lux ſanitatis, & vitæ gratior munificentia eſt. Hoc vnũ miraculum grati animi monumentum ære perennius exiſtet; quid neceſſe eſt cæleſtium orbiũ interturbare curſus, & motus, & tantis horis diem protelare? Reſpondet ſanctus Cyrillus Alexandrin. lib. 3. in Iſaiam: *Præſtitit autem omnia hæc,*

Cur Ezechiæ ſanitatem Iſaias confirmat nouo miraculo?

D. Cyrill. Alexand.
Contractionẽ animi à Rege Iſaias reiicit.

contractionem animi è medio profligans. Dum terrificū fulmen ſententiæ à Deo iaculatam, & ab Iſaia prolatum, in palatio Regio vidit ægrotus Rex; irreuocabile fatum, & verbum exiſtimat, & ab ſpe recuperandæ ſalutis decidens, totus in lacrymas funditur, ideo ſigna afferuntur de Cœlo, vt fiduciâ redintegrandæ ſanitatis roboretur, & credat Deo omnia eſſe poſsibilia: Cæleſti etenim Numini, tam facile eſt mortis, æquo pede pulſantis pauperum Paſtorum tuguria, Regúmque auratas turres, cohibere greſſus; quàm vi Angelicæ manus ſe ſe impellentium Cœlorum, coërcere motus. *Præſtitit omnia hæc, contractionem animi è medio profligans.* Sed in hoc diuinæ poteſtatis facinore induſtriam Medici idem S. Cyrillus recognoſcit: *Quemadmodum enim medici acerrimi, & peritiſſimi, quæ in corpore computruerunt; vel igne colliquefaciunt, & abſumunt; vel ferro ſecant. Ad eumdem credo modum, vniuerſorum Deus offenſiones morborum in nobis, moderatá acerbitate, ac ſecuritate reſcindit, ne cum mundo, ſicut ſcriptum eſt, condemnemur.* Vt medicus præſtitit iſthæc miracula Deus, vt ab animo Regis contractio, & diffidentia exularent.

D. Cyrill. Alex.

5. Eapropter peccatores omnes à planta pedis, vſque ad verticem, peccatorum vulneribus ſcatentes ad pœnitentiæ pharmacum excitat S. Ephrem Syrus ſerm. 1. de pœnitentia dicens: *Si inſanabilium tibi conſcius ſis vulnerum, cogitationum, & actuum in te latentium, quare occulta illa tua vulnera negligis, nolens ea medico, vt cureris, oſtendere? quid times medicum? non eſt durus, neque verò immitis, atque immiſericors. Non vtitur ferro, nec medicamento quidem auſtero, vel cauterio: ſolo verbo ſanat.* Medici vulnerarij lanceolis, gladiolis, forcipibus, ferro, igne armati, medicaturi veniunt; & grauiora vulnera cauſtico medicamine, vel admotô igne curant; at Ieſus Medicus nec durus, nec immitis in medicando; quid laudabilius? quid potentiùs? inſanabilia naturæ, & arti vulnera; ſolo verbo ſanat.

D. Ephr. *Vulnera aperienda medico clementiſſimo, qui ſolo verbo ſanat.*

6. Potentiam Medici prædicat Dauid. Pſalm. 102. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas,* qui dicit omnes, nullum morbum excludit. Solent vulnerarij medici, famæ colligendæ auidiſsimi, cùm in vrbem opulentam adueniunt, tituli inſcriptionem publicè oſtendere, in qua nomen illius celebratur; in ea legitur: Aduenit medicus, qui ſanat vulnera, claudos, debiles, febri æſtuantes, & priuatos oculorum luminibus; vt famâ populus excitus ad officinam medicam currat; ſic Dauid inſcriptionem ſuam in celebri columna figit, & de Ieſu Medico prophetiæ buccinâ intonat: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Sed audiendus eſt ſanctus Auguſtinus cum languidis, & ægrotis fatus: *Languor eſt, ſanat & omnes languores tuos. Sanabuntur omnes languores tui, noli timere: magni ſunt, inquies, ſed maior eſt medicus. Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit: tantùm, tu, curari te ſine:* Cum omnipotentem medicum cernis, non diffides, nec exiſtimabis deſperatum morbum, cum ad propellendum accedit tam valida manus.

Dauid potentiam diuini Medici diuulgat.

D. Auguſt. *Ab omnipotenti medico nullus lāguor inſanabilis excluditur.*

Discvrsvs IV.

Sententia mortis, & vitæ; ſanitatis, aut deſperandæ ſalutis de conſilio tuo prouenit.

1. Adstrvimvs arbitrij libertatem, non deſtruimus coadiutricem, aut excitantem gratiam: tanta eſt hominis celſitudo, vt ſanitas ægrotantis animæ, ex eius pendeat arbitrio. Probaticæ piſcinæ infirmum inueterati languoris, Ieſus ſanaturus acceſsit; ac ſi in illius manibus eſſet conſtituta ſanitas, eius voluntatem explorat Ioan. cap. 5. verſ. 6. *Vis ſanus fieri?* Vbi Hugo Cardinalis: *Requirit omnem voluntatem Hominis, quia non iuſtificat inuitum. Eccleſ. cap. 15. Ante hominem vita, & mors: bonum, & malū: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc Hugo. Hanc veritatem agnouiſſe ſupremos Philoſophię apices, fatetur Clemens Alex. lib. 4. ſtromatum dicens: *Simonides quidem, ſicut etiam Ariſtoteles, ſcribit homini eſſe optimum, ſanum eſſe. Secundum autem, ad bonum, & honeſtum, natura, & ingenio eſſe aptum.* Duo hominis optima, ſtatuunt philoſophiæ Magiſtri: primum, à vulnere, & languore mentis eſſe prorſus immunem. (nec tanti corporis ſanitas æſtimanda, vt bonum optimum cenſeatur) ſecundum Hominis optimum recenſetur, habilitas animi, & voluntatis facultas, qua præditum eſt rationale animal, vt poſſit ex cæleſtis medici conſilio, & conſortio expellere infirmitates, & cicatrices vulnerum abolere, in hoc etenim miris laudibus celebranda hominis amplitudo; cum Deo ipſo de gloria, & poteſtate certat, dum in ipſo eximia refulget deriuatio Deitatis; cùm ipſum admittit in conſortium, & ſocietatem operandæ ſalutis, cum eo partitur imperium.

Deus ad conferendam ſanitatem voluntatem languentis explorat.

Hugo Card.

Clem. Alex. *Hominis aptitudo ad bonum & malum*

Duo hominis optima.

2. Ex eo probat ſanctus Athanaſius Archiepiſcopus Alexandriæ lib. contra Sabellij gregales circa finem. Chriſtum, Deum verum, & hominem; quia opera quæ humanum ſuperant captum, patrauit, & prodigioſas ſanitates reſtituit voluntate. Ibi ſubiungit: *Ipſa opera Deitati teſtimonium perhibent, vt quæ perpetrata ſunt diuinis prorſus, & caleſtibus viribus; quale eſt cum imperat elementis, increpat ſpiritualibus poteſtatibus; membrorúmque mutilationes reſtituit, & voluntate morbos ſanat.* Voluntate ſanans ægrotos, arguitur Deus, cuius velle omnis morbus, omnis ſalus ſubiecta eſt. Corporis morbo præpeditum hominem, ſaluum præſtat Deus. Solâ voluntate ſuâ, cui adiacet præſtare omnia: Sed ad ſanitatem animi perficiendam expectat hominis arbitrium, iudicium, & ſententiam; vt ſi ægrotus velit, ſanitatem reddat Deus; ſi nolit, in languore permaneat. Quàm clemens, & liberalis Dominus, cum eo facultatem ſanandi animum partitur; ſocium, & conſortem Deitatis, & poteſtatis admittit: Salus tua à Dei voluntate, & gratia dependet; ſalus quoque tua in manu tua ſita eſt.

D. Athan.

Qui voluntate ſua ſanat corporis morbos, ad ſanitatem animorum expectat hominis voluntatem.

3. Homini laboranti, periclitanti, in lectulo infirmitatis, & mortis ſe ſe continuò volutanti, vt ſupperias ferat Ieſus, enixè flagitat propheticus paſtor Pſalm. 40. verſ. 4. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Symmachus legit: *Lectum miſeriæ.* Aquila: *grabatum miſeriæ.* Vt ex grauitate morbi, reddita ſanitas ſit gratior, in eo verbo inſiſto: *ſtratum*

Lectus, & grabatus miſeriæ.

Sym. Aquila.

Grabatum infirmitatis Deus, & homo ſimul verſant.

ſtratum eius verſaſti. Quàm tractabilem, quàm benignum ſe gerit Deus cum infirmantibus! Nunquid in Xenodochio miſericordiæ, & pietatis lectulum durum, & ferreum ſtragulum blande verſat, & reddit tractabile, & blandum; vt ægrotus gratitudini, & dolore vexatus ſuauiter quaſi in molli culcitra, & ſtragulo recumbat? nec indignum immenſa pietate, ſi cum infirmorum curatore ſe comparet Deus. Sed altiorem intelligentiam claudit *verſatum ſtragulum.* Cuilibet ægrotanti; ſi adſit Deus, grauiſſimo, & deſperato morbo præpedito, licet, & libet ſe ipſum in ſalutem verſare.

D. Ambr. Mens eſt ſancti Ambroſij in commentario huius Pſalmi ſcribentis: *Stratum omnem verſat Dominus in infirmitate languentis, cui adeſſe dignatur: quod verſatur, ſtatum mutat ex ægritudine ad ſanitatem. Sic ergo, qui ægrotat, vertat ſe ad remedium ſanitatis.* Ecce Deum & hominem ſimul ſtratum infirmitatis verſantem; verſat Dominus, cùm adeſt languenti, & opem impendit; verſat homo, cum ſe ipſum Altiſſimi adiutorio, & vitam ſuam immutat. *Hic ergo, qui ægrotat, vertat ſe ad remedium ſanitatis.* Verſatio lectuli, grauiſſimorum ſcelerum, & vitiorum, in quo recumbis, in manu, & poteſtate tua ſita eſt.

Nouatiani recidiuo peccatori indulgentiam negant.

4. In morbum animi reincidenti peccatori ſanitatem denegabant Nouatiani, iteratam pœnitentiam reſpuentes, ſophiſticâ argumentatione innitentes, quam proponit ſanctus Pacianus lib. 3. contra Nouat.

D. Pacian.

Horum nodi diſſoluuntur.

Qui ſæpius remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit; & medicus ille cùm curat aſſiduè, vulnerari docet. Velut ſi Deus toties peccanti parcens, & vulneratum ſanans, ad crimina, & vulnera excitaret. Hæreticorum claudentium pœnitentiæ ianuam, obiectiunculæ ſapienter reſpondet ſanctus Pacianus:

D. Pacian.

Pœnitentia labor voluntarius.

Fortaſſe hoc poterat credi, ſi pœnitentiæ deliciæ putarentur: cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui iuges lacrymæ, cui gemitus ſempiternus. Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari? rurſus exuri? Indulgentiâ ſuâ creator pandit miſericordiæ viſcera, non edocet crimina. Intertexta ſentibus, plena gemitibus pœnitentia eſt, quando in reſarciendis animi vulneribus peccator tantum laboris, & doloris impendit: *Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari, rurſus exuri?* tam gratum, & delicioſum eſt, ſe ipſum altari imponere, & iterato ictui mucronis ſubiicere iugulum? Ad reiiciendam ſaniem, vſtulati ferri experiri in vlceribus ſcintillas, flammas, ignes? Non eſt horramenti materia peccatum, quod tantâ acerbitate expiatur. *Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari?* Si rurſus ſceleribus liuet animus, & hiant vulnera, dum ſe ipſum ſecari, & exuri permittit homo, ex voluntate ſua pendet reſtitutio ſanitatis.

5. Gladio cruento armatum, & in nefarium ſcelus fratricidij ruentem Cain compeſcere conatur Deus his verbis Geneſ. cap. 4. verſ. 6. *Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Munus medici præſtitiſſe creatorem, ait

D. Chryſoſt. Chryſoſtomus, præbentem pharmacum; vt inuidentiæ, & liuoris ſanaret vulnus. Sed Cain ſecundam addit plagam, dum abhorrens medelam, interimit Abel, & manus ſuæ Fratris madent ſanguine. Os aureum protulit pulcherrima verba, homilia 19. in Geneſ.

Deus non imponit neceſſitatem, ſed animæ ſalutem voluntariam relinquit.

Quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturam fecit omnium Deus, ipſe quidem, quæ ſua ſunt, omnino pro ſua miſericordia ſemper exhibet, & neceſſitatem vtique non imponit, ſed congruis remedijs appoſitis, totum iacere in ægrotantis ſententia dimittit. Mentis trutinâ appende egregiam illam ſententiam: *Totum iacere in ægrotantis ſententia dimittit*; non excludit Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, & in ſuggeſtu, & concione primarius excitans, & adiuuans auxilium; ſed hoc ſupponit, hoc enim inſinuat verba illa: *Congruis remedijs appoſitis,* totam ſanitatem collocat in ægrotantis arbitrio; Deus ipſe ſanitatis iudicem, & arbitrum conſtituit Cain, & hominem languentem, vt ſententiam proferat ſanitatis vlceribus animi ſui; homo totam controuerſiam languoris dirimit conſenſu, & calculo ſuo.

D. Auguſt.

Deus ſanat voluntarium, non inuitum.

6. Inculcat ſanctus Auguſtinus hanc voluntatis potentiam, ad ſanandos animi languores ad ea verba Pſalm. 102. verſ. 3. *Qui ſanat omnes languores.* Sic legit Auguſtinus, & hæc adiicit verba: *Sanabit te, opus eſt, vt ſanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat inuitum. Quid autem te beatius, quàm vt tanquam in manu tua vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam. Si velles eſſe in aliquo ſublimi honore in hac terra; ducatum, proconſulatum, præfecturam ſi concupiſceres, nunquid continuò poſſet, quod velles?*

Magna hominum felicitas; in cuius poteſtate eſt vita, & ſanitas.

Te bene fortunatum nuncuparem, ſi in poteſtate tua, ſi in manu Medici teneres corporis ſanitatem; at medici ſæpius promittunt ſalutem, ſed non reddunt: At bonum animi habitum, & valetudinem ex arbitrio, & voluntate tua pendere voluit. Deus Magna hominis felicitas, vt mentis ſalutem Deus iudicio ſuo arbitrariam relinquat.

Verſ. 7. Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in voluntate hoſtili.

COMMENTARIVS.

Calamitates populo Iudaico illatæ à Romano exercitu, & Babylonico vaticinatur.

1. De more vates propter certitudinem prophetiæ ponit præſens pro futuro. Sed ſingillatim recenſet calamitates illas, quibus Deus ſuum percuſſerat populum, ſcilicet ciuitatum ruinas: incendium Ieroſolymæ, & templi, quod Babylonij, aut Romani exercitus flamma conſumpſit; cædes virorum: rapinas vrbium, populorum, quam calamitatem paſſim Iſaias lamentatur, & lugubri carmine ſæpè canunt Prophetæ: ſimilis locus reperitur apud Oſeæ cap. 2. verſ. 3. *Et ponam eam quaſi ſolitudinem, & ſtatuam eam velut terram inuiam.* L X X. *Et ponam eam vt deſertum.* Et Hieronymus ibi:

D. Hieron.

Vt ducti in captiuitatem cadant in terra aliena, patientes ſitim omnium bonorum, & ad patriam ſuam redire non valeant, vel certè audiant in Euangelio: relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et Amos cap. 9. verſ. 1. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit: percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria.* Quod vaticinium illuſtrat ſanctus Cyrillus de Iudæorum vaſtitate, Romanorum tempore:

D. Cyrill.

Hoc verò in Chriſtum debacchatis euenit. Poſteaquàm enim miſeri legem, & prophetas parum curantes, Chriſtum finem legis & Prophetarum, repudiarunt: Romanis ducibus ad deuaſtandum ſunt traditi, & inflammatum eſt templum illud celeberrimum, & eius altare dirutum, & cum plebeiis optimates perierunt; nulli enim eorum arma hoſtilia pepercerunt. Hæc Cyrillus.

Romana captiuitas Ieroſolymæ prædicitur.

2. REGIONEM VESTRAM, &c.] Hæc ſicut antecedentia ad tempus aduentus Chriſti referuntur, quando Titus, & Veſpaſianus cum ſuis cohortibus vrbem Ieroſolymæ, Arcem, templum, Iudææ vrbes, ad flammam, ruinam, & vaſtitatem vocarunt.

---

*Verſ.*8. Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.

COMMENTARIVS.

Cur Ieruſalem nuncupatur filia Sion.

1. IERVSALEM vocatur filia Sion hîc, & alibi ſæpe, quia ſub Sionis monte conſtructa, ab eoque dignitatem, opes, gloriam traxit: nam in monte Sion erat arx, ſedes Regia, templum, & arca Domini. Præterea Ieroſolymæ vaſtitatem, & repudium duplici, aptâque ſimilitudine innuit vates. Solet vinitor, & hortorum cuſtos, dum vuæ, & fructus matureſcunt, ruſticam ædem, aut tabernaculum conſtruere ex vlua paluſtri, ſtramentis, ceſpitibus, aut arundinibus, & frondibus contextis, vnde Virgilius eclog. 1.

Ieroſolymæ ruina prædicitur.

Virg.

Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

Poſtea collectis, & conditis in cellariis fructibus, & finita vindemia, à cuſtode tugurium derelinquitur; ſeps, aut vallum diruitur, hominibus, animantibúſque aditus aperitur, vt eam conculcent, & paſcant. Sic populus ille, qui ab Iſaia appellatur vinea Domini infra cap. 5. quandiu bonorum operum fructus tulit, Deum, & Angelos habebat ſpeculatores, protectores, & cuſtodes; ceſſantibus fructibus, finita eſt ſpecialis illa cuſtodia, auditáque vox Angelorum ex adyto exeuntium, & dicentium: *Abeamus ex his ſedibus:* vt referunt S. Hieronymus, & Cyrillus, hîc ex Ioſepho: ſolúmque remanent veſtigia in ædificiis ſolo ſtratis, magnitudinis, & opulentiæ præteritæ.

D. Hier. D. Cyrill.

Vmbraculũ, & tentorium vineæ.

2. Verbum Hebraicum סכה *ſuccah*, à verbo סכך *ſacak*, *velare*, *tegere*, *obumbrare*; *tentorium*, *tabernaculum*, *vmbraculum* in ſacra Scriptura paſſim transfertur, & à LXX. in Bibliis Sixti vertitur, *ſicut tabernaculum*, in Complutenſi: *Sicut tentorium.* Sanctus Cyrillus verbum σκηνὴ tranſtulit, *ſicut caſula.* Tertullianus lib. contra Iudæos, & lib. 3. contra Marc. *Sicut ſpecula.* S. Baſilius: *Sicut vmbraculum.* Hebræus legit. מלונה *meluna, tugurium.* Et ſanctus Hieronymus Iſai. 24. tranſtulit: *Tabernaculum vnius noctis.* Verbum Græcum ὀπωροφυλάκιον, *pomorum cuſtodia.* Sanctus Baſilius ait: *Cuſtodia teneriorum fructuum. Cucumerarium locus eſt fructuum, momento, & breui tempore fugacium, plus aliquantò oblectationis, quàm vtilitatis exhibentium;* Quæ omnia innuunt facilem Dei receſſum à tempore, & vrbe tanquam à vinea, & hortulo quando euaneſcente fructu nihil vtilitatis, aut bonæ frugis protulit. Idem ferè locus reperitur, Pſalm. 78. verſ. 1. *Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Et apud Michæam lib. 1. verſ. 6. loquentem de Samariæ vaſtitate: *Et ponam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea.* Vbi LXX. transferunt: *Et ponam Samariam in pomorum cuſtodiam agri.* Et ſanctus Cyrillus interpretatur: *Quæ in agro naſcuntur, quidam cuſtodiunt, tabernacula compingentes, & in illis delitentes, & inde quoduis illis noxium arcentes; Comparatis autem fructibus, cuſtodes de laboribus ſuis contemptim loquuntur, ipſiſque tuguriis euerſis domum reuertuntur.*

Lect. Hebr. Lect. LXX. D. Cyrill. Tertull. D. Baſil. Hebr. D. Hieron. D. Baſil. Pomorum cuſtodia. Lect. LXX. D. Cyrill

Ieroſolymæ vaſtitas. Ioſeph.

3. ET SICVT CIVITAS, QVÆ VASTATVR.] Statum vaſtatæ vrbis à Tito deſcribit Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 18. *Quinquies prius capta, tunc iterum vaſtata eſt. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem terræ diffuſa fama, nec magna religionis gloria, quidquam iuuit, quominus periret. Iubet eos Cæſar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac templum. Totum ambitum Ciuitatis ita complanauère diruentes, vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent,* Hæc Ioſephus.

DISCVRSVS I.

Pauperum lacrymæ, qui afficiuntur iniuriá, validum armamentum, quod florentiſſima ſæpe euertit imperia.

1. TOTA diuitiarum moles cecidit, quæ ampliſſimas exornauit vrbes; honoris, & gloriæ cumulus, fugacis inſtar vmbræ, præteriit, cùm flebili voce oppreſſi iniuſtè pauperes gemunt. Fugit honos imperij, cùm iuſtas, miſerorum querelas exaudit Deus: ſurſque déque iactantur Regna, cùm lacrymarum fluctus de pauperum oculis exundant. Florens Nabuchodonoſoris maieſtas, & amplitudo deſcribitur, Danielis calamo capite 4. verſ. 8. *Videbam, & ecce: arbor in medio terræ, proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ: folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & beſtiæ; & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli: & ex ea veſcebatur omnis caro.* Vidiſtin' Babylonici imperij opulentiam, & gloriam? Cerne quàm facilè arbor dilabitur, exciduntur ſubitò rami, frondes, folia, fructus; euaneſcit ramorum protectio, & vmbra; de cælitum conſilio eſt promulgata ſententia, ſecuris ad radicem arboris mittitur: *Et ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit. Clamauit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & diſpergite fructus eius: fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius.* Ibidem verſ. 10. & 11. O magnam iuſti iudicij ſeueritatem! O quàm breui momentaneus Regni ſplendor diſparuit! Quis flatus ventorum igneus viridantia, & nitida folia exuſſit? vberrimos fructus, & pulcherrimos flores, quæ Aquilonaris pruina decoxit? quis gladius tutelarium ramorum teneritudinem diſtrinxit? quæ vis illa immanis, quæ arborem inflexit, & trunci pondus impulit? Arborem illam ad miraculum ſpecioſam, erectam dignitatis celſitudinem, faſtigiatum illud culmen opum, & imperatoriæ amplitudinis labefactauit, inflexit, ad nihilum redegit pauperum oppreſſio. Huius rei teſtem adduco Theodoretum in gloſſa ordinaria citatum: *Folia excuſſa, quam ſibi gloriam comparauerat foliorum inſtar fluentem, & tabeſcentem, fructum verò diſperſum, quia qui tributum exigebant, ad ſe ipſos in reliquum ſine vllo metu lucrum conuertebant.* Nec ſola exactorum crudelitas, & tyrannica auaritia, qua in proprios vſus vertebant tributa pauperum

Regni Babylonici opulentiam diruit pauperum oppreſſio.

Theodor. Gloſſa. Tributorum exactores iniqui.

pauperum, fuit Chaldæorum ruina; ſed miſerorum oppreſſio, & calamitas, vocem edebat tubâ clariorem, quæ ad cœlum pertingeret, & auxilium pauperibus, & dynaſtis necem afferret. Eorum clamore excitati cœlites; in conſilio vigilum, ſeu Angelorum decreta eſt vaſtitatis ſententia: vnde gloſſa interlinealis expendens verba illa verſ. 14. *In ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio, ſic ait: Angelorum quorum gemes opprimebat, quorum ſermo, & petitio erat, vt deponeretur.* Et Hugo Cardinalis ſubdit: *Angeli orauerunt, vt tale decretum fieret contra eum.* Mirum dictu, Angeli ipſi, quibus Regnorum cura commiſſa, patrocinium pauperum ſuſcipiunt, & aduocatorum perſonam agentes, in cœlorum regiâ, pro cauſa egentium exorant, depopulationem, & vaſtitatem Babylonici regni expoſtulant. Timeant Reges iuſtas miſerorum lacrymas, quæ potentiſſimis imperiis inferunt excidium.

Gloſſ. inter. *Angeli regnorum oppreſſorum poſtulabant depoſitionem regis Babylonis.*

2. Pauperis Naboth vineâ impij Regis Achab auaritiâ tollitur; vide Regem, alienum pauperis patrimonium concupiſcentem, vt ſuis deliciis inſeruiat. 3. Reg. cap. 12. verſ. 2. *Locutus eſt ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Vox regis aliena poſtulantis, prius donandam vineam rogat, poſtea commutandam, mente liberalem donationem cupit; verbis fictam commutationem exprimit. *Da mihi*; rogatione ipſa violentum affert imperium. Sed audiendus eſt S. Ambroſius lib. de Nabuthe, cap. 1. *Non igitur vnus Achab natus eſt, ſed quod peius eſt, quotidie Achab naſcitur, & nunquam huic ſæculo moritur; ſi vnus occidat, aſſurgunt plurimi: plures, qui rapiant, quam qui amittant: non vnus Nabuthe pauper occiſus eſt. Quotidie Nabuthe ſternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam ſuis terris.* Preme extrema verba: *Hoc metu percitum genus humanum cedit iam ſuis terris.* Regnorum ruina, vrbium deſolatio, ſolitudo populorum, ciuium ad alienas gentes tranſmigratio, ex obruto paupere calamitatibus, oritur.

Naboth propter vineam occiditur.

D. Ambr. *Quotidie Achab naſcitur, & nunquam moritur.*

Quotidie pauper occiditur.

3. Euerſionem Ieroſolymitani Imperij eleganter deſcribit Michæas cap. 3. verſ. 1. ad primores ciuitatis ſermonem conuertit plenum robore, & acri animaduerſione: *Audite Principes Iacob, & duces domus Iſraël: nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium? Qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum, tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo.* Quàm incitata vatis comminatio! Quanto horrore plena verba! Sed maiora ſunt Iſraëlitarum ſcelera, quæ vatem impulerant ad proferendum tam graue oraculum: ea examinanda proponimr duo Eccleſiæ lumina. Primum ſanctus Cyrillus Alexandrinus in commentario Michææ inquit: *Vos, quæ mea ſunt, atrocem, & ſæuum in modum inuadentes atque ab immaniſſimis feris nihil diſtantes, oues excoriantes, carnes dilacerantes. Per hæc, auaritiæ inexplebilis cupiditatis, & tyrannidis genus omne ſignificat. Quoniam hæc fecerunt, ipſi clamabunt, & neque inſpectione meâ illos dignabor, neque ſi clamauerint, miſericordiam implorantes, eam illis impertiar. Maligne ſubiectos tractarunt, omne genus improbitatis, acerbitatumque, & impiarum adinuentionum, molitionumque in eos exprompſerunt.* Hæc S. Cyrillus.

Euerſa Ieroſolyma, quia Principes excoriabant pauperes.

D. Cyrill. Alexand. *Auaritia tyrannis, & inexplebilis cupiditas.*

4. Secundum ſanctus Hieronymus: Illius ſunt hæc illuſtriſſima verba: *Aduerſus Principes Iſrael ſermo eſt, & ſub metaphora leonum, ſiue latronum, crudelitas eorum deſcribitur; quod ſpoliauerint pauperes, & in vrbe Ieruſalem, miſerabilem plebem afflixerint, & propter hæc inferatur eis poſtea ſupplicium in die captiuitatis.* Condigna prorſus caſtigatio, vt emporium orbis, vrbiumque ornamentum, & corona, ciuitas illa ſtabilis, & firma, funditùs euertatur, & Barbarorum pedibus conculcetur. Duces illi, & magnates faſtu, & ſuperbia turgidi, ſint ludibrium, & riſus Romanæ cohortis crudeliſſimæ tyrannidis, & inexplebilis in pauperes auaritiæ, à Deo inflictas pœnas luant. Sed nullum ſupplicium maius verbis illis: *Clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis.* Adde Cyrilli Scholium: *Neque inſpectione meâ illos dignabor; neque ſi clamauerint miſericordiam implorantes, eam illis impertiar.* Si ſub ditione meâ cuncta eſſent poſita, totius orbis imperium perderem, ne Deus contra me prædicta verba proferret. Quid infelicius, quàm in tempore tribulationis ad Deum clamantes, non exaudiat Deus, Benignum aſpectum, & miſericordiæ oculos à nobis auertat? Tantum malum eſt ſpoliare pauperes, & miſeram plebem affligere. *Propter hæc* (vtor verbis Hieronymi) *infertur eis poſtea ſupplicium in die captiuitatis.*

D. Hieron.

Principes Ieroſolymitani miſerabilem plebem affligentes, ducuntur in captiuitatem.

D. Cyrill.

Principes, qui diuexãt pauperes, miſeratione, & aſpectu ſuo indignos indicat Deus.

D. Hieron.

5. Pauperum clamores timebat Dauid, qui euocant auxilium de ſupernis, tanquam Regnorum peſtem, & certiſſimum excidium, introducit Deum veluti excitatum vocibus pauperum, vt diſperdat, & deſtruat imperia, Pſal. 11. verſ. 6. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Sanctus Hieronymus legit: *Propter vaſtitatem.* Chaldæus: *Propter violentiam, deprædationem.* Vaſtitate violentiæ, deprædatione pauperum, & inferioris fortunæ omnium excitus eſt Deus, & ad vindictam auocatus. Nec diſſentit S. Chryſoſtomus: *Magna eſt vis eiulatus, quæ ſupernum euocat auxilium. Timete, quicunque pauperes iniuria afficitis. Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam, ſed habent illi arma omnium validiſſima, luctus, & eiulatus, & illud ipſum iniuriâ affici, quæ è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta euertunt; hæc integras gentes ſubmergunt: gemitus dico eorum, qui afficiuntur iniuria.* Hæc Chryſoſtomus. Cuius oris aurei verbis quidquam addere vel demere nefas eſt.

Vis lacrymarum pauperis affecti.

D. Hieron. Chald.

D. Chryſoſt. *Pauperis iniuria affecti lacryma ruina gentium.*

Discvrsvs II.

Non inter mundialia folia, ſed inter virtutum fructus inhabitat Ieſus; & ſicut frugiferas mentes ambit, ſteriles ſpernit.

1. Diximvs ſuprà ad verſ. 8. Deum dereliquiſſe Ieroſolymam, cum expertem, & vacuam fructibus eam inuênit; ſed dilectam ſponſam contemnit Deus, & templum ſuæ ſanctitatis domicilium? humana hæreticorum mens perſuaderi nequiuit, quod Deus ſuæ vrbi daret libellum repudij. Vnde ſanctus Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 7. ait: *Adhuc de Hieruſalem, & de Domino audent dicere, quoniam ſi eſſet magni Regis ciuitas, non derelinqueretur.* Sed ſuffragaretur Irenæus ſententiæ huic, ſi fructus vitæ adhuc in ea effloreſceret.

D. Irenæ. *Ieroſolyma inutilis ad fructificationem derelinquitur.*

ret.

ret. Vnde ſubdit: *In vniuerſa terra fructu diſſeminato; merito derelicta eſt, & de medio ablata eſt, quæ aliquando quidem fructificauerat bene, nunc autem iam vtilis non eſt ad fructificationem.* Si fructum inueniſſet in ea fundator altiſſimus, haud dubito, quin in ea domicilium conſtitueret, & patris prouidentia eam protegeret, ſed Chriſti ſanguine, & Prophetarum lacrymis irrigata, nullum afferunt fructum arua colono; merito deſpicitur fructifer enim Ieſus non folia, ſed fructus amat.

2. Ingenium peccatoris mihi patefecit Adam, qui vt nudum corpus protegeret, foliorum quæſiuit vmbracula, oblitus vitalis alimoniæ, quæ vitam præberet mortuo, vt ſub tanti fructus vmbra viueret, & illius protegeretur velamento. Dauid, vt æſtuantis incendij flammas mitigaret, ad vmbram alarum Ieſu ſecurus accurrit; Adam vero, poſt lapſum, poſt ruinam poſteritatis, ad folia aduolat ficus, vt medicinali integumento lethalem accuraret morbum. Geneſ. cap. 3. verſ. 7. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Subtiliter ſanctus Ambroſius lib. de paradiſo cap. 13. in hoc euentu philoſophatur. *Docet ergo me Adam, quod ſint folia, qui poſteaquam peccauit, de foliis ficus fecerit ſibi ſuccinctorium, qui de fructibus magis eius guſtare debuerat. Iuſtus fructum eligit, folia peccator.* Nec mireris Adamum ficus folia auidiùs inueſtigantem, vtpote in quo fructus vitæ non manebat æternæ; & quid mirum ſi continuò Ieſus diſcedit ab eo, qui virtutum ſterilitatem, fœcunditatem vitiorum foliis præferebat. Ante lapſum Deus in eius animo, velut in thalamo requieuit; & ſicut in paradiſo virtutum arboribus conſito deliciabatur, poſtquam tranſgreſſus eſt pactum, ſpinas, & ſentes protulit totius vbertatis expertes: *Iuſtus itaque fructum eligit, folia peccator.*

D. Ambr.
Adam peccator folia quærit, non fructus.

3. Ieſus Naue poſt victorias, poſt triumphos totam terræ promiſſionis hæreditatem filiis Iſraël ſapienter diſtribuit; ſed ſibi ſortem ſeruauit, in qua conſtrueret vrbem, quam licet in Vulgati Bibliis non inueniam, reperi apud LXX. interpretes, qui capite 21. Ioſuë poſt verſiculum 40. Hæc adiiciunt verba: *Et dederunt filij Iſraël portionem Ieſu, per conſtitutionem Domini, dederunt, & ciuitatem, quam petiit, in monte Ephrem, & ædificauit Ieſus ciuitatem, & habitauit in ea.* Verſionem LXX. ſequutus Origenes, eorum ſenſum inueſtigat, & acutè expendit homil. 26. in Ioſuë: *Dominus Ieſus petit à nobis locum, quem ædificet, & in quo habitet; videamus ergo, quis ſit iſte locus, in quo habitare debet Ieſus? in monte inquit Ephrem, hoc eſt, in monte fructifero. Qui putas, ſunt in nobis montes fructiferi, in quibus habitet Ieſus? illi profectò, in quibus ſunt fructus ſpiritus, gaudium, pax, patientia; iſti ergo ſunt montes fructiferi, qui fructum Chriſti afferunt.* In monte Ephrem fructifero eligit Ieſus domum, & requiem; non enim in ſenticoſis, & ſterileſcentibus inhabitat montibus, ſed in amœniſſimis, & paradiſiacis hortis, fructuum Spiritus ſancti, & virtutum feracibus; cœleſtium odoramentorum ſpiracula halantibus.

Lect. LXX.
Ciuitas Ephrem Ieſu portio.

Origen.
Habitat Ieſus in monte fructifero.

4. Ad Patrem Iacob attulit Ioſeph nepotes benedicendos, vt æternæ vitæ, cuius attingebat, & oſculabatur limina, felicitatem eis imprecaretur. At non pro arbitrio paternæ charitatis maior filius dextram vſurpabat, ſed immutabili Dei conſilio ſenex immutat manus, & dextram ſuper caput minoris, ſiniſtram ſuper caput maioris collocauit. Geneſ. cap. 48. verſ. 14. *Extendens manum dextram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat.* Maior filius natu, iure, beneplacito Patris anteiuit iuniorem, vt arriperet benedictionis palmam, ſed ſerò acceſſit natura, citiùs gratia, quæ iuniorem prætulit fratrem, eique maturauit paternæ benedictionis beneficium, naturâ poſterior filius, ſed indulgentiæ munere prior acceſſit, quis cancellauit brachia ſenis, & immutauit iura naturæ, prærogatiuam dignitatis? nomen ipſum *Ephraim*, quod interpretatur *frugifer*. Ephraim fructificantem beneficiis ornat annis, & benemerenti nato opitulatur. At Manaſſem, qui interpretatur *oblitus, obliuio*, à gradu ſublimioris amplitudinis excludit; quia in cultura animi ſtertens, velut ager ſterilitate incultus, atque deſertus, non protulit virtutum germina. In hanc mortem incidit Philo Iudæus lib. ad ea verba: *reſipuit Noe Ephraim fertilitas memoriæ appellatio conuenientiſſima, quia fructus vtiliſſimus. & re vera veſcus eſt animabus.* Et poſtea: *Virtutis autem primogenitæ obuenient memoriæ, quam Deo charus homo dextrâ dignatur, & portione potiore.* Iuſti animus, quem præ ſe fert Ephrem ſemper viret, & floret virtutibus, quaſi horti amœnitate nitet pietate; iniuſtus, & iniquus quaſi ager ſterilis deſolatus, derelictus, inamœnus, floribus, & fructibus vacuus; fructiferum filium Deus ad dexteram erigit, & ſuis amplexibus ambit; infrugiferum reiicit ad ſiniſtram.

Cur Ephraim minor filius præfertur Manaſſe, & à Ioſeph benedicitur.

Ephraim interpretatur frugifer.
Manaſſes obliuio.

Philo. Iud.
Ephraim fertilitas eum conſtituat ad Dei dextrã.

5. Mœrentem populum Iſraël in reditu ad Patriam, lætum, & exhilaratum reddit Nehemias lib. 2. Eſdræ cap. 8. Cùm flentium animos inflectit ad celebritatem, & lætitiam magnam feſti tabernaculorum, ibi verſ. 15. *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, & egreſſus eſt populus, & attulerunt.* Non tam delectabatur Deus oliuâ, malo citrino, palmâ, myrto, quàm virtutum pulcherrimis frondibus, ex quibus contexitur tabernaculum, in quo manet Dominus: hos gratiores Legiſlatori calathos dedicabis pleniſſimos omnis generis florum ſuaue olentium, dulciſſimorum fructuum. Præ aulicis deliciis mapalia venuſtiora, in quibus aurei coloris poma charitatem redoleant; frons oliuæ, pietatem, & præ ſe ferat palma victoriam. His inſignibus ornat cœleſtis Regis Aulæum Stephanus Cantuarienſis apud Tilmanum in allegoriis: *Per oliuam opus miſericordiæ, per myrtum opus temperantiæ, per palmam ſpes veniæ. His itaque frondibus, & his ramis in platea portæ Ephraim tabernacula fiunt, quando prædictæ virtutes à pruina tentationis, & calore delectationis animum fructificantem vndique defendunt.* Poſtremis verbis alludit Stephanus ad verſ. 16. eiuſdem capitis 8. Eſdræ: *Feceruntque ſibi tabernacula vnuſquiſque, in platea portæ Ephraim.* Virtutum rami, & frondes animum fructificantem protegunt, & à tabernaculo ſuo arcent hoſtium incurſus; ne æſtus, ſeu tentationis ardore ſpiritualis viridarij plantæ langueſcant. Adhuc in agreſti Iſraëlitarum caſa expendit venerabilis Beda, quod contexta ſit in platea portæ Ephraim: & è ruſtico tecto prædicat ſapiens Doctor eundem conceptum. Sic enim apud gloſſam ordinariã nos inſtruit: *In platea portæ Ephraim, id eſt frugiferi, vel creſcentis, quando in latitudine liberi cordis ita proficimus, vt patefacta nobis à Domino porta iuſtitiæ ſemper in illo creſcamus in ſalutem, & in maioribus bonæ actionis frugibus abundare mereamur.* Quandiu enim Ieruſalem in porta vberrima Ephraim permanſit, vernantes flores, & opimos vi-tutum

Feſtum tabernaculorum celebratur à Iudæis poſt reditum à Babylone.

Steph. Cant. Tilman.
Frondes ornantes tabernaculum diuerſas virtutes denotabant.

Vener. Beda.
Caſula ruſtica in platea portæ Ephraim conſtructa bonæ actionis fruges inſinuat.

virtutum fructus oſtentans, habuit Deum in tabernaculo ſuo commorantem; euaneſcente fructu, ſpecialis illa cuſtodia, & Dei protectio ab auguſto illo templo auolans ad alias gentes fructibus vberes tranſmigrauit.

D. Irenæ.

6. Quamobrem ſanctus Irenæus oſtendens vmbratilem illam legem Iudæorum fuiſſe fugacem, affert hunc Iſaiæ locum, & grauiter expendit lib. 4. aduerſus hæret. cap. 8. *Derelinquetur filia Sion, ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucumerario. Quando autem hæc derelinquentur, nonne cum fructus auſertur, & derelinquentur folia ſola, quæ iam fructificare non poſſunt?* Et acutè ſubdit: *Et quid de Hieruſalem dicimus, quandoquidem & figuram mundi vniuerſi, oporteat præterire, adueniente tempore præteritionis ipſius, vt fructus quidem in horreum colligatur, paleæ autem derelictæ comburantur.* Vſque adeò gaudet Deus fructus vbertate, vt ſterilem mundum, in ſuo ordine non permittat; cùm enim hæc rerum moles, & viſibilis machina ornando, & alendo homini deſtinetur; ſtatutis cœleſtis Numinis legibus perſeuerant ſiderum fluxus, elementaris mutationis, & generationum varietas. Quibus ceſſantibus, & extremo die in patriam ſuam ſcandente homine, cum non adſit, cui mundus reddat prouentus, ornatus iſte, figura, & ſpecies mundi præteribit.

Tugurium in cucumario derelinquitur, cùm fructus auſertur.

Figura mundi præteribit, cum non ferat fructus.

Discvrsvs III.

Quid Angelicum, & pluſquam humanum eſt, in alienis calamitatibus commiſerationis affectus.

1. INfelicis Ieruſalem fortunam condoluiſſe cuſtodes Angelos, & lugentium habitum exteriùs demonſtraſſe non eſt diſſonum eorum naturæ, qui res noſtras patrio amore proſequuntur, & hominum incolumitati indefeſſe, & vigilanter proſpiciunt; ſicut enim reditum noſtrum ad Deum feſtiuis gaudiis celebrant; ſeparationem ab incommutabili bono, vrbium vaſtitatem, quæ illorum cuſtodiæ ſunt commiſſæ, debito modo lamentantur. Quod inſinuant tragica illa verba quæ in aditu templi Ieroſolymitani velut cœleſte oraculum, exaudita referuntur ex Ioſepho à S. Cyrillo Alexandrino ad ea verba Iſaiæ cap. 1. *Derelinquetur filia Sion, &c.* Sic enim fatur: *Ioſephus Iudaicæ terræ mala tragicè amplificans, cum iam in proximo erat, vt caperetur Ieruſalem, commemorat audiuiſſe in templo vocem Sacerdotum, velut Angelorum in eo clamantium: migremus hinc.*

D. Cyrill. Ioſeph.

In vaſtitate Ieroſolymæ Angeli ex oraculo templi migrant.

2. Nec lamentationes, & gemitus, quos humanis moribus ſeſe accommodantes Angeli exteriori ſpecie præſerunt, nouitij ſunt, cum ipſo cœlo de antiquitate contendunt. Voce querulà, triſtique oratione damnum, & caſum Luciferi in paradiſo Dei teſtari ſunt. Fallor, ſi id non inſinuat Habacuc vates c. 3. in oratione pro ignorantiis v. 10. *Dedit abyſſus vocem ſuam.* Vbi ſermo ex mente S. Cyrilli in commentario huius Prophetæ, de ruina primi Angeli, quando draco magnus in pugna occumbens in tartarum detruſus, & a cœleſti ſolio deturbatus eſt, cœleſtium ſpirituum acies, Apoſtatæ lapſum flebili voce, triſti cantu, lugubri nænia lugere viſæ ſunt. Miſerrimi Luciferi damnationis ſtatus vnà omnium ſociorum voce gemitur. Nec miraberis hoc, ſi verba Alexandrini Archiepiſcopi legeris, ſic fantis: *Abyſſi voce ſanctorum Angelorum multitudo per Ezechielem nominata eſt, ait igitur apud eum Deus, de Satana ſub perſona Principis Tyri, quando eum eiecit in infernum, lamentata eſt abyſſus ſuper eum. Deturbato enim, & delapſo, qui eminebat omnibus, & gloria præcellebat, qui inter Cherubim ipſos numerabatur, nihil eſt incredibile abyſſum, quæ intelligentia cernitur, hoc & ſupernarum virtutum agmina: non mediocriter doluiſſe, & tantum non ſuper miſero, qui Deum vniuerſorum offenderat, etiam ingemuiſſe.* Hæc ſanctus Cyrillus. Itaque ſpiritalis illa abyſſus, & cælitum innumera multitudo dedit vocem ſuam lugubrem, cum Luciferum ab excelſo ſolio, quod a Deo præparatum erat, tanquam fulgur cadentem in Tartari abyſſum intuiti ſunt; tunc gemebundi, & velut illacrymantes, iudiciorum Dei abyſſum venerati ſunt. Res prorſus lamentatione digniſſima, cum ſpiritualium acierum coryphæus, & paradiſi Empyrei flos, & corona pulchritudinis, Cherub ille extentus, & protegens, ornatus omni natura, & gratiæ lapide pretioſo, ſanctior cunctis, ſublimior vniuerſis, aulam cœleſtis Regiæ, pro fuligine, & culina inferorum commutauit. Paradiſi cohortes, collegæ, & domeſtici ſui damnum, & ruinam funeſtis hymnis, iure lamentabantur.

Cœleſtes ſpiritus condoluerunt quodammodo in caſu Diaboli.

D. Cyrill. Alexand.

Abyſſus dedit vocem, cū Angeli ingemuerunt deturbato Lucifero.

3. Deuenerunt poſtmodum Angeli ad hominum conſuetudinem, & commercium, & Adami caſum, & exilium videntur deploraſſe. Ad cuſtodiendam viam ligni vitæ Cherubini deſtinati, vt pro foribus excubātes ab introitu Eden protoplaſtum arcerent; triſtitia, lamentatione, & gemitu, oſtendebant Adamo pietatis, & commiſerationis affectum, Geneſ. cap. 3. verſ. 24. *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim.* Non vt exulantem ſeruum irriderent, ad ligonem, & laborem mancipatum; non vt ei exprobrarent gulæ crimen, aut exulis ærumnas; ſed vt triſtitia afficerentur propter inflictam homini pœnam; ſic cenſet ſanctus Chryſoſtomus tom. 3. ſermon. de aſcenſione dicens: *Quando puniebamur, ipſi quoque nimia triſtitia tenebantur. Et Cherubim, licet paradiſum cuſtodiebant, tamen noſtris ſuppliciis triſtabantur, & ſicut conſeruus bonus, cum a Domino cuſtodiendum conſeruum ſuſceperit, ſatisfacit quidem Dominicæ iuſſioni, ſed tamen pœna conſerui nimio dolore conteritur, & ſeruitutis neceſſitate conſtrictus, animi non reſpuit charitatem. Sic & Cherubim meruerunt quidem cuſtodire paradiſum, ſed dolebant honorem cuſtodiæ.* Sed cum legis apud Eccleſiæ Patres Angelos triſtari, lamentari, dolere, eorum verba cum grano ſalis condienda, & intelligenda ſunt, nam plurimi exiſtimarunt eſſe corporeos; qui vero eos expertes corporis faciunt, affectus pietatis, & charitatis Angelorum exprimunt, humanis vſibus, & verbis ſeſe accommodantium, ſicut in ſacra literatura dicitur, quod Deus tactus eſt dolore cordis intrinſecus. Niſi mauis viſibili ſpecie Angelos effigiaſſe, aut in aëreis corporibus apparentes, vultus triſtitiam, & voces lacrymabiles demonſtraſſe: nulla enim triſtitia, dolor, lacryma, lamentatióve interturbare poterit ineffabile beatorum ſpirituum gaudium; ſed ad hominem dolentem condeſcendunt miſericordia, pietate.

Cherubini affectū commiſerationis oſtendunt erga Adamum de paradiſo expulſum.

D. Chryſoſt.

Quo ſenſu Angelorum beatorū triſtitia accipienda.

4. Eodem Salis condimento ſequentem locum, & conceptum excipe. Apud Dauid Regem lugubrem cantum, & lamentationem inuenies. Pſal. 37. verſ.

Angeli Dauidis familiares poſt perpetratum adulterium flebiles vultus oſtēdunt.

37. verſ. 12. *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt.* Hanc ſententiam Magnus Baſilius vſurpat, de Angelis cum Dauide familiaritatis nexu coniunctis; qui poſt perpetratam adulterij, & homicidij culpam, à longè ſtantes, Dauidis caſum, & ruinam deflebant. Accipe ſancti Baſilij verba: *Illi, qui prius erant amici, & proximi eius, & omni tempore ſimul cum eo vixerant, ipſo deſerto, longiùs ab eo reſtiterunt, iam cum illo nolentes viuere, deflentes interim, vt par erat, amici calamitatem. Qui autem illi erant, niſi qui in prioribus eius bonis gaudebant, Angeli videlicet boni, & miniſtri Dei, ſuper hominum ſalute gaudere aſſueti? Hi ſunt omnes Dauidis amici, qui tempore ipſius peccati ſeſe auertentes diſceſſerunt, non tamen eum omnino deſeruerunt. Longè verò ſtantes vehementer dolebant.* Pia, vehemens, & incitata Baſilij contemplatio, ad excitandos peccatorum animos, & in via virtutis continendos, ne effuſis habenis in ſcelus ruant, cum eos conſcientia ſua grauioris criminis non redarguit, ſed vitam ſuam iuxta diuinæ legis regulam, & virtutis normam adaptantes iuſtorum vitâ viuunt; ſocios, & ſodales habent Angelos, ſummis honoribus ornantes tanquam eos qui conciues, & domeſtici aulæ cœleſtis futuri. Cùm verò in barathrum grauis culpæ labuntur, à contubernio ſeſe ſeparant peccatorum, eos aduerſantes, de longéque ſtant vehementer dolentes alumni ſui calamitatem. Quid infelicius, quàm cœleſtium ſpirituum familiaritatem amittere, & Angelicos ſpiritus contriſtare.

D. Baſil.

Angeli ſeſe abſentant, & elongant à peccante.

Angeli ad concremandā Sodomam, Diei veſperam eligunt.

5. Angeli vaſtaturi Pentapolim funeſtam Diei particulam eligunt, Geneſ. cap. 19. verſ. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere.* Cur non manè, oriente Sole? Cur non meridie accelerant impluere ſulphureos ignes, & igneas grandines ſuper Sodomam? An vt in noctis tenebris, vindices ignes plus lucerent? an vt horrentem ſqualorem vitiorum horror, & obſcura nox innueret? Enimverò occumbentis Solis vmbras, & triſtem noctis imaginem ad ſupplicium eligunt, vt triſtem hominum ærumnam, & Angelorum mœſtitiam in vindicandis ſceleribus portenderent. Annuit Rupertus Abbas lib. 6. in Geneſ. cap. 6. *Veſpere venerunt. Ipſum tempus, vel hora viſitationis, triſtiſſimæ peccatorum cauſæ conuenit. Abraham meridie viſitatus eſt.* Lugubris hora homini, Angelo, homini patienti, Angelò flagellum inferenti; qui in ictu oculi ſuper euertendas vrbes ſtare potuiſſent, ad veſperam perueniunt; de commiſeratione Angelica proueniunt tarda greſſuum molimina, pietate hominis concremandi retardantur: ſi forſan tarditate itineris poſſint, vel auertere, vel differre ſupplicium.

Triſtis imago noctis ad ſupplicium apta. Rupert.

De commiſeratione Angelica prouenit tarditas in inferendo ſupplicio.

Apoſtoli gaudent de Ieſu aſcenſu. Eliſeus præ dolore ſcindit veſtimētum in aſcenſione Eliæ.

6. Duplex corpus lego in diuinis libris per aëra ſcandens, & in vtroque homine humanam naturam de morte triumphantem. Aſcendit Elias curru igneo, & equis flammiuomis raptus ad cœlum; Aſcendit Ieſus baiulâ nube candidâ, & quaſi triumphali curru vectus in æthereas regiones, & ſuper Empyrei apicem; ſed in vtroque aſcenſu magnum Diſcipulorum diſcrimen animaduerto. Apoſtoli ſtant defixi à magnificentia aſcendentis Regis, extra ſe rapti, & gaudio delibuti. Eliſeus in aſcenſu Eliæ præ animi dolore, & triſtitiâ ſcidit veſtimenta ſua, lib. 4. Reg. cap. 2. verſ. 11. & 12. *Aſcendit Elias, Eliſeus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius. Et non vidit eum amplius: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes.* Cur diſcipuli cum vident Ieſum abeuntem, & in cœlum auolantem, præ triſtitia, & animi angore veſtimenta non diffundunt? Nec minus charus extitit Diſcipulis Ieſus, quam Elias Eliſeo. In promptu eſt ratio: quia non Eliſeo, ſed ſolis Diſcipulis adſunt Angeli, dulci Verborum facundiâ triſtitiam lenientes: ſic enim Angeli affantur, Actor. cap. 1. verſ. 10. *Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* At Eliſeo, cùm Magiſtrum ſuper æthera ſeſe librantem cernit, nullus adfuit Angelus: acuta eſt annotatio ſancti Chryſoſtomi tom. 3. ſermon. de Aſcenſione: *Cur Angeli eis dicebant, quod factum eſt? ne hoc faciant quod Eliſeus feciſſe dicitur, conſcidit veſtimentum, cùm Magiſtrum vidiſſet eleuatum ad cœlum: non enim habuit præſentem Angelum, qui Eliam promitteret aduenire: ne igitur & iſti hoc faciant, ideo Angeli ſtabant; animas eorum triſtitia ſolatio releuantes.* Non enim habuit Eliſeus affantem Angelum, nec compatientem, at poſtquam Verbum caro factum, habemus Pontificem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, & ipſi miniſtri Angeli didicerunt conſeruis miſereri. Iam homo in calamitatibus ſuis habet conſolatores: quid enim Angelicum eſt, animas triſtitiæ ſolatio releuare.

D. Chryſoſt. *Eliſeus non habuit, ſicut Apoſtoli, Angelum conſolatorem.*

DISCVRSVS IV.

In Deo vel leuiſſima abſentiæ, & derelictionis indicia formidanda.

1. HABET homo animæ ſuæ fideliſſimum cuſtodem, vel pro tempore ſtantem, vel fugientem; & licet immutabilis, & interminabilis ſit naturæ, eum noſtra abſentant crimina, vel boni retinent affectus. Seruorum fidelium tabernacula, prouidâ, & amicâ protectione circumdat, arcens ſedulo incurſus beſtiarum; at infidorum caſulas, qui inſtabili diuinæ legis obſeruantia, & lubrico fidei veſtigio, à via mandatorum Dei deflectunt ad illecebroſas ſæculi voluptates, facile ſpernit, & à fida illa cuſtodia deſtitutos derelinquit. Fugax Dei verbum eſt, ſed non irreuocabile; at quia eius fuga, & à paterna Dei cura eſſe extorres, omnium malorum compendium eſt, eapropter vel tenuis nictus derelictionis pertimeſcendus. Quàm felix, quàm immunis pœnarum beata paradiſi vita fruebatur Adam! quàm placida ſtatione requieſcebat! at poſt peccati turbinem, amiſſa pace, & tranquillitate animi, turbatum eſt mare, & procelloſis paſſionum fluctibus agitatur pelagus. Quàm ſubita mutatio facta eſt! eam in ſe ipſo Deus expreſſit in paradiſo ambulans, Geneſ. capite 3. verſic. 7. *Cum audiſſent vocem Dei deambulantis in paradiſo.* Venit Deus inueſtigare, & punire crimen hominis ingrati, & deambulat? Iudex, vt interroget reum, alto ſedet ſolio, vultúque minaci, & fulminibus verborum tranſgreſſores legis proſternit: quid eſt, quòd Deus non ſedens pro tribunali, ſed hinc, illúcque curſitans in Adamum inquirit? Vt greſſus ille, & motus,

Adami poſt peccatū, mutabilitatem Deus greſſuū ſuo expreſſit.

ſtatus

ſtatus mutationem in Adamo portenderet; & conuerſionem ſuam ab immutabili bono, ad labentis ſæculi mutabilitatem ipſa deambulatione redarguit. Sic quæſtionem diſſoluit ſanctus Gregorius Magnus lib. 28. moral. capite 2. *Quid eſt, quòd poſt peccatum hominis in paradiſo Dominus iam non ſtat, ſed deambulat? niſi, quod irruente culpa, ſe ex corde hominis motum demonſtrat. Increpauit ergo Adam, deambulans, vt cæcis mentibus nequitiam ſuam non ſolùm ſermonibus, ſed etiam rebus aperiret, quatenus homo peccator, & per verba quod fecerat, audiret, & per deambulationem, amiſſo æternitatis ſtatu, mutabilitatis ſuæ inconſtantiam cerneret.* Addit Dionyſius Carthuſianus: *Deus deambulauit, quaſi ſuo motu deſignans, ſe receſſiſſe ab eis, in quibus ante per gratiam manſit.* Deus celeritate curſus fugam meditatur, vt deambulatione ipſa minas iactet abſentiæ, fugæque terrorem Adamo iniiciat. Optimè in præſenti Hugo de ſancto Victore in allegoriis Tilmani ait: *Non ambulauit, ſed deambulauit. Huc, & illuc quaſi errabundus, & vagus, indirectam non vadens, ſed pergens, quocunque modo vadens, modo rediens, quaſi nolens ſedem ſuam deſerere, nec valens pollutam manſionem ſuſtinere.* Vides ô Adam ſignæ nutus Dei fugientis, time diſceſſum, expaueſce, cùm vides Deum à tuo tabernaculo demigrantem. Subdit Hugo: *Quid facis Adam? quare ſiles? voca diſcedentem, ſequere fugientem.* Pulchra cogitatio; & cœleſte conſilium, ſi in protoplaſti animum incidiſſet; ſed maior cura eſt illi, qui à veritate aberrauerat, fugere Deum ſequentem, quàm ſectari, & tenere fugentem.

D. Greg. Magn.

Dionyſ. Carthuſ.

Motu ſuo deſignabat Deus ſe ab Adamo receſſiſſe.

Hugo. Vict.

2. Rara Iacob lucta, rarior victoria, & omnium ore celebrata, quando in illo amphitheatro honoris inter cœlum, & terram plaudentibus Angelis, vtrinque digladiatum eſt piorum affectuum armis; quando de Deo omnipotenti, & Domino Sabaoth homuncio quidam glorioſam retulit palmam; & licèt multùm, diúque ancipiti marte, & triumpho decertatum ſit; admirabundus veneror vtriuſque pugilis ſummam contentionem, vſque ad orientem Solem prorogatam: in quo conflictu vincitur Deus, & quod maximum eſt; victus aufugere contendit, Geneſ. capite 32. verſic. 25. & 26. *Qui cum videret, quòd eum ſuperare non poſſet*, &c. *Dixitque ad eum, dimitte me.* Si quærebas, ô Iacob, Deum ſuperare, ſe victum fatetur, in manu tua eſt palma victoriæ; quid amplius quæris? Deo condeſcende, permitte, vel fugam arripere, vt non ſolum victus, ſed fugitiuus ex Athletæ lacertis dilabatur: *Reſpondit: non dimittam te.* Ibidem verſic. 26. O validum Agonothetam, ſed ſapientem nimis! quæ victoriæ felicitas, & puluerulenti luctaminis fructus, ſi fugit Deus, ſi in meo pectore leniter recumbens, & lacertoſis brachiis quaſi vinculis amotis religatus diſſoluitur, & abſcedit? ſalus, vita, corona, triumphus benedictionis forma, ſi non diſcedat. Acutè Rupertus libr. 8. in Geneſ. cap. 6. ait: *Primo enim non negligenter ſciendum, luctam eiuſmodi fuiſſe, vt contenderet Deus abire, Iacob certaret abeuntem Dominum retinere. Sic enim ait ille vir: dimitte me, iam enim aſcendit aurora. E contrario Iacob: non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Igitur Iacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet, quaſi inuito, & nolenti, & ac dicenti; dimitte me, quia videlicet ſic futurum erat, vt comminaretur Deus, ſeſe à ſemine eius recedere propter peccata eiuſdem gentis rebellis, & incredulæ.* Non extimuit Iacob luctam cum Deo ipſo, ſed cùm præſenſit in Deo ſigna diſceſſus à ſemine ſuo, vehementer expauit; & certamen in quo poſitum eſt ſalutis æternæ diſcrimen, maximoperè vrget, prouocantem ſe, & fugam meditantem ſtringit manibus, brachiis ligat, deuincit lacrymarum nexibus, eiulatuum, & orationum catenis, quibus libenter tenetur Deus, vim intulit Deo, à quo benedictionem extorſit, & quæ maior benedictio, quàm quòd à genere ſuo; de quo oriturus erat Ieſus, non penitus diſcederet. Quaſi diceret Iacob, horrebam fratrem ad me accedentem; nunc pertimeſco Deum à me recedentem (timor germani, timore Domini abeuntis, quaſi clauus claue expellitur) ſi recedit, vincor; ſi detinetur, vinco.

In Iacob lucta Deus victus aufugere contendit.

Rupert.

Deus à ſemine Iſraeli fugam parabat.

3. Primus ille fratricida, & generis humani violator, & pietatis, digno multatur ſupplicio, & licet impudens Deo inconfeſſione criminis extitiſſet, inuerecunda conſcientia quaſi teſte, qui corrumpi nequit, prodidit ſceleris pœnam, & reatum, Geneſ. cap. 4. verſ. 13. & 14. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear: ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Quem locum efferunt L x x. interpretes: *Maior cauſa mea eſt, quam, vt ego dimittar. Si eiicis me hodie, à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Aliter legit ſanctus Ambroſius lib. 2. de Abel cap. 9. *Maior cauſa mea eſt, quàm vt dimittar. Si derelinquis me hodie, à facie tua abſcondam me.* Ex ſententia ſua Cain damnatur ad tremorem, ad mortem; ad incurſus beſtiarum, à facie terræ quaſi quodam patriæ relegatur exilio; qui crudeles cruciatus, & miſerrima ſupplicia ſufferre paratus erat, ad Dei receſſum exhorruit improbus ille, & tanquam omnium grauiſſimam animaduerſionem ſuo ipſe conſtituit maleficio: *Maior cauſa mea eſt, quam, vt dimittar. Si derelinquis me hodie.* Si quid grauius eſt, quàm à Deo dimitti, meo ſceleri debetur, tanquam condigna pœna. Sed ex ſceleratiſſimo hominis iudicio pœnarum ſumma eſt, à Deo deſeri, & vel vno die derelinqui: *Si derelinquis me hodie.* Nec diſſentit ſanctus Ambroſius, verſionem L x x. ſecutus lib. 2. de Abel cap. 9. dicens: *Nihil enim grauius, quam errantem à Deo deſeri, vt ſe reuocare non poſſit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem diuino gubernaculo deſtituta præcipitatur, & in grauiora prolabitur, vt ſi gregem paſtor relinquat, incurſent beſtiæ.* Iuxta Vulgatum, deſperatorum iudicium reſeruatur Cain, dum de diuina pietate diffidit, aſſerens ſuum crimen, maius miſericordiâ Dei. Sed iuxta L x x. & Ambroſij acumen, tanquam grauiſſimum ſupplicium exhorreſcit Dei effugium, & diſceſſum.

Lect. L x x.

Cain ad Dei receſſum, & ſeu diſceſſum à facie Dei, exhorruit.

D. Ambr.

D. Ambr.

Nihil grauius, quam errantem à Deo deſeri.

4. Poſt vituli conflatilis venerationem, & cultum, iubet Deus populo, abiicere ornatum ſuum Exodi capite 33. verſic. 5. & 6. *Iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam, quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filij Iſraël ornatum ſuum à monte Horeb.* Quis ornatus iſte depoſitus? nunquid diademata, & coroliæ circumdantes Iſraëlitarum capita? nunquid cultus veſtium, & elegantia? nunquid arma militaria? in hæc, & alia interpretamenta diuiduntur Chaldæus, Iſidorus Clarus, Lipomanus

Quem ornatum iubet Deus deponere filiis Iſraël?

Chald.

D. Iſid.

Lipom.

manus aliique, in præſenti valdè arridet Guillelmi placitum. Exodi 33. clauſula ... dub. 4. ſcribentis: *Ornatus refertur ad manifeſtam Dei præſentiam, quia illi populo per Angelum apparebat Dominus; vt exponit gloſſa interlinearis, qui quidem ornatus, id eſt, Dei præſentia ex tunc ceſſauit.* Et ſtatim ſubiungit: *Alij autem dicunt, quod iſte ornatus erat quoddam paruum tabernaculum, quo cum Moyſe conueniebant ſenes ad tractandum negotia populi. Quaſi diceret Dominus, in hoc puniearis, quia amodo amittes Dei manifeſtam præſentiam.*

Guill. Ornatum deponunt cum manifeſtam Dei præſentiam amittunt.

Sed non ſunt prætermittenda verba gloſſæ, quam allegat Guillelmus: *Iam nunc depone ornatum tuum, manifeſtam Dei præſentiam, qua illi populo per Angelum apparebat, vel quod infra caſtra erat in medio eorum, quò orationis conſulendi gratia confluebat populus: vt ſciam, quid faciam tibi, id eſt ſcire faciam te, quantum mali perpetraueris, quo mea præſentia, & Angelica viſitatione priuaris. Nam ab illo die non ita manifeſtè apparuit Deus illi populo.* Hæc gloſſa inter lineas exarata. O formidabile ſupplicium, quòd Deus populo ſpecialem illam præſentiam ſubtrahat; nec ſeniorum Concilio aſſiſtat, aut familiariter non præſideat! Omni pœnâ maior eſt ſubductio diuinæ protectionis, quæ munimentum eſt Regnorum, quæ pacis, bellique conſilia dirigit, & ad optatum exitum perducit, abſque hoc fideliſſimo tutamine quid proſunt arma, milites, acies, opes, Regna, propugnacula? quid Seniorum cœtus, quid iuris prudentium conſilia, quid magiſtratuum ſenatus, ſi non aſſiſtat Deus vt cuſtos, præſes, propugnator? ſi auaritiâ, & vitiorum colluuie foras expellitur Deus? Profectò populus Iſraël, qui bellum, gladium, famem, peſtem, non metuit, diuinæ protectionis cuſtodiam ſe ſubtrahentem, & Dei derelictionem reformidat: quia ſicut vbi Deus adeſt, omnia bona, ſicut maris gurgites exundant; ſic vbi Deus abeſt, omnium malorum ingruentium fluctus irruunt.

Gloſſa. Guilhelm.

Malorũ omnium maximum, Dei præſentiâ, & Angelica viſitatione priuari.

Nil proſunt ſenatus, & conſilia, quibus Deus non adeſt.

5. Mitiſſimus Moyſes oneratur opprobriis, maledictis detractionis impetitur à ſorore Maria, & Aaron, ſtatim vocantur à Deo ad oſtium tabernaculi, vt tanto ſceleri debitas luant pœnas; excandeſcẽti Domino furor arma miniſtrat. Quæ? nunquid ſerpentes ignitos immiſit? num gladium intendit, & parauit, eduxit vaſa mortis, ſagittas ſuas detrahentibus effecit? Cerne naſum Domini grauiorum minarum ſpirantem. Numer. cap. 12. verſic. 9. & 10. *Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? iratúſque contra eos abiit, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum.* Quod fuerit magna ira Domini in verſione Hebræa legitur apud Vatablum: *Excanduit naſus Domini aduerſus eos, & abiit, & nubes receſſit à tentorio.* Magnæ iræ demonſtratio eſt, quod à Maria, & Aarone fugiat Deus; & nubes protectionis à tentorio diſcedat, pro maximo ſupplicio reputatur: mens eſt Origenis; qui ad rem noſtram iuxta myſticum ſenſum verba explanat: homil. 7. in Num. *Populus ille prior habuit in ſe gratiam Dei, ſed poſtquam in verum Moyſem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum extenderunt linguas blaſphemiæ ſuæ, diſceſſit ab illis nubes, & tranſiuit ad nos in montem excelſum, cum Saluator noſter transformatus eſt, & nubes refulgens obumbrauit diſcipulos eius.* Quod nubes tutaminis recedat à Iudæorum gente, magnum ſupplicium, quod accedat, & obumbret tutelaris nubes populum gentium, magnum beneficium, quod in lucida transfigurationis nube oſtenſum. Subijcit Origenes ad mores: *Poſt hæc ergo Maria facta eſt leproſa. Donec aderat nubes, Maria non erat leproſa, ſed cum diſceſſit. Donec viſitatio Dei erat in illo populo, non erat leproſus, vbi vero diſceſſit, ignominia vultus ſui contexit eum. Sed & nos timeamus, ne fortè effugemus à nobis hanc nubem, malè loquendo, malè agendo, malè cogitando.* Diſcedente nube, fortunatiſſima quæque aufugiunt, decus, & amplitudo imperij euaneſcit; ex Dei abſceſſu nil niſi vaſtitatem, & ruinam expectes, ergo vel leuiſſimæ derelictionis indicia formidanda.

Propter peccata populi Iſraëlitici receſſit Deus à tabernaculo,

Origen. A populo Ieſum blaſphemante diſceſſit nubis protectio, & ad nos in monte Thabor tranſiuit.

Origen. Poſt diſceſſum Dei ab illo populo, ignominioſus factus eſt Iudæus. Iniquis operibus nubes protectionis fugatur.

Discvrsvs V.

Ne fugacem redderent noſtra crimina Dominum ab Eccleſiæ mapalibus vinculis religauit amor in Euchariſtia, ne diſcedat.

1. PRINCEPS æternitatis, qui cœlum, & terram implet, elegit tuguriola, vt inter nos viueret, & in fide populorum, ſtabilem manſionem: in Pſalmo 68. egeſtatem ſuam confitetur Dominus, dum verſu 30. ait: *Ego ſum Pauper, & dolens.* Paupertatis Chriſti ærumnas Euthymius nectit commentario huius Pſalmi: *Summus Rex Regum Chriſtus de pauperrima Matre natus, non in domo aliqua, ſed in ſpelunca, poſituſque non in lecto, ſed in irrationalium animalium præſepio, nullóque comitatus ſeruo circuibat, atque ipſo etiam carebat tugurio, & ab aliis alimenta ei præſtabantur.* Nullis opibus, aut facultatibus humanis præditus erat Chriſtus, egens factus eſt, vt illius inopia ditaremur, ſicut viator declinans ad manendum proprio carebat diuerſorio: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habuit* vbi caput reclinaret, donec diuinus amor in Sacramento altaris reclinatorium fabricauit, in quo homo placidè requieſceret, & cubaret in meridie Solis æterni, & Ieſus oues ſuas, & agniculos paſceret. Expende verba illa: *Ipſo etiam carebat tugurio, & ab aliis alimenta ei præſtabantur.* Nunc in Eccleſiarum tabernaculis lætus commoratur, & pauperrima iſthæc tuguria diligit, nullus ei alimenta præſtat, ſed ipſe amicis ſuis, & conuiuis fidelibus beatas epulas miniſtrat.

Euthym. Summa Ieſu paupertas.

Carebat Ieſus proprio hoſpitio, & tugurio.

2. Inquirit Chryſoſtomus ad ea verba Pſalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Cur Chriſti Eccleſia, tentorium, & tabernaculum nuncupetur? & pulchrè reſpondet: *Quemadmodum Moſis in deſerto tabernaculum erat tugurium, in quo congregari poterant; quod Romani vocarunt papilionem; ita etiam in terra eſt Chriſti Eccleſia tabernaculum. Et quare tabernaculum? quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: quare tabernaculum? propter eum, qui dixit: ecce ego venio, & habitabo in medio veſtri dicit Dominus. Et ideò eſt etiam Eccleſia tentorium, quod fixit Dominus, & non homo.* Eccleſia tentorium eſt omnipotentis Domini ſtabilitate firmatum, vt Verbum

D. Chryſoſt. Eccleſia tabernaculum dicitur, quia in ea habitat Ieſus.

caro

caro factum habitet in nobis, non commouebitur in æternum.

Corporis Chriſti feſtiuitates prædicuntur à Regio pſalte.

3. Sed videamus nexus, & compedes, quibus irretiuit amor ſponſum in altari Eccleſiaſtico, ne ſceleribus humanis prouocatus aufugeret. Celebri pompa, & fiſtula prophetica extollit Dauid Euchariſticum conuiuium Pſalm. 117. verſic. 27. Terrigenas omnes ad feſtiua gaudia inuitat: *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, vſque ad cornu altaris.* Caſſiodorus hunc locum de Euchariſtia exponit dicens: *Sacratum diem in confrequentationibus crebrarum proceſſionum, quas populi turba condenſat, vſque ad cornu altaris, vbi corpus, & ſanguis Domini ſolemni nobis frequentatione largitur.* Vbi ſermo eſt de apparatu ſacro, & auguſtiſſimo ritu, quo anniuerſarius Euchariſtiæ dies agitur; quando liliis, roſis, frondibus ſternuntur viæ, & parietes ornantur periſtromatibus, bombycinis, ſericis magna venuſtate, & ſplendore collucentes. Annuit ſanctus Hieronymus legens: *Frequentate ſolemnitatem in frondoſis.* Sed ſingularis eſt tranſlatio Chaldæi Paraphraſtis: *Ligate puerum ad Sacrificium ſolemnitatis catenis.* Verſionem alteram refert, & ſequitur Lorinus: *Vincite agnum, aut oblationem funibus.* Et ſubiungit hæc verba: *Quia agnus cum tripudio, ac lætitia afferebatur vinctus funibus, frondéque coronatus.* Habemus victimam, ſed ligatam, quid pulchrius itaque in ſolemni feſtiuitate iuxta ritum, quem? Inſinuat Chaldæus, puer forma, & ſpecie conſpicuus, bullis aureis ornatus, catenulis iuxta aram deuinctus oſtendebatur, quaſi deſtinatus gladio, ſacrificio; ſed parcebat Sacerdos formæ, parcebat ætati, ne ſitire videretur Deus humanum ſanguinem. Alij iuueni, & adoleſcenti ſecundo cruenta victima ſternabatur; ſed mactabatur agnus, vt forma eſſet futuri, agni, inquam, immaculati, innoxij, qui in cruce ſuſpenſus totum redemit orbem, & proprio ſanguine hominum deleuit crimina: ligatur agnus funibus, puer catenis. Vide myſterium, agnoſce Sacramentum, in quo Chriſtus tanquam iuuenis, & candidus agniculus colligatus eſt. Pulchrè Lorinus hunc conceptum exornat agens de populorum accurſu ad feſtiua Euchariſtiæ gaudia: *Conuenit potiſſimum huius loci ſententia ſolemnitati corporis Chriſti, in qua frequentiſſimi procedunt, & complentur plateæ, templáque frondibus, ramis vſque ad ipſa altaria, quibus adoranda exponitur Euchariſtia, in qua victima iuxta tranſlationem aliam ligata eſt funiculis Adam, & dilectionis, id eſt ſub ſpeciebus continetur Chriſtus, quem poſſet denotare in tranſlatione Chaldæa puer, aut iunior ligatus propter vim ſummi amoris.* Quid illuſtrius? quis alius, niſi amor ligarè poſſet funibus robuſtum Samſonem? quis Deum immenſum, qui cœlos, & orbem implet, in tabernaculo coarctauit, & ligneæ caſulæ anguſtia clauſit? quis ſponſo fugaci, velociſſimo, qui ambulat ſuper pennas ventorum, iniecit compedes, vincula ex vini, & farinæ accidentibus fabrefacta, ne ab Sponſa fugeret? quis æternorum mirabilium operatrices manus, manicis innectit, ne arripiat flagellum, diſtringat gladium acutum, & limatum, & in improbos deſæuiat? quis altari menſæ Chriſtum, niſi dulcis amor ſuis ligauit lacertis? vidiſti amoris violentiam, & robur? Solus amor vicit, vinxit victum catenis.

Caſſiod. Proceſſionum pompa.

D.Hier. Chald. Iuuenis, aut agnus catenis ligatus ad ſacrificium. Lorin.

Ieſus agnus in cruce mactatus, & vinculis amoris in altari innexus.

Lorin.

Diod.Sicul.

4. Opportunè ſubſcribam portentum, quod accidiſſe commemorat Diodorus Siculus lib. 17. Bibliotheca. Hiſtoriæ cap. 41. Cùm Tyrij à magno Alexandro expugnarentur & obſtinato animo ſuſtinerent obſidionem, & in medio deditionis diſcrimine verſarentur; cuidam militi prodigio plenus exhibetur ſomnus. Huic namque correpto videbatur Deum Apollinem celeri curſu egredi de templo, fugámque capeſſere. Do tibi verba Diodori: *Quidam apud Tyrios viſum ſibi obtigiſſe affirmabat, quo vrbe ſe exceſſurum, Apollo denuntiaſſet.* Sed Apollini iam ad fugam expedito occurrunt Tyrij prudenti conſilio quod ſubſcribit Diodorus: *Hinc Tyrij Catenis aureis ſimulacrum Apollinis in baſi deuinxere, impedituri, ut perſuaſum habebant, Dei ex vrbe migrationem.* O quoties migraſſet à nobis Deus, ni charitatis compedibus teneretur, reuinctus! quotidie impellunt ad fugam hominum crimina, ſed vinculis amoris adſtrictus retinetur.

Tyrij catenis aureis ligarunt Apollinem, ne ab ipſis diſcederet.

5. In Fauſtum Manichæum acriter inuehitur ſanctus Auguſtinus, & inter alia deliramenta, illud potiſſimùm reſpuit, quod affirmabat Fauſtus, alimentis omnibus, & plantis illigatum detineri Chriſtum. Huius inſani verba refert lib. 20. contra Fauſtum cap. 13. *Vobis autem per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur.* Adiicit verò Auguſtinus: *In vua enim agnoſcunt Deum ſuum, in cuppa nolunt, quaſi aliquid eos calcatus, & incluſus offenderit. Noſter autem panis, & calix, calix, non quilibet (quaſi propter Chriſtum in ſpicis & ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt.) Sed Certâ conſecratione myſticus fit nobis corpus Chriſti, non naſcitur.* Inſaniebat Fauſtus, dum vuis, & ſpicis ligatum credebat Chriſtum, obligatum neceſſitate naſcendi, neceſſitate moriendi; quid ſtultius, quàm aſſerere verbum Dei cum palmitibus, & germinibus naſcentibus naſci, cum morientibus mori? conſecratione, & operatorio Sacerdotis ſermone non naſcitur, ſed ſub ſpeciebus eſt verè, & ſubſtantialiter, ſub quibus antè non erat. Non ligatur Chriſtus ſpicis, & ſarmentis, ſicut illi deſipiunt; ſed ſub ſpeciebus vtriuſque ſubſtantiæ, non manente ſubſtantia, propter vim ſummi amoris adſtringitur. Si hæc Sacramenti cœleſtis vincula, & Euchariſticos compedes Fauſtus agnoſceret, eſſent illi alligatura ſalutis. Sed eos vndique conſtringit illorum verborum nexibus Auguſtinus: *In vua agnoſcunt Deum ſuum, in cupa nolunt, quaſi aliquid eos calcatus, & incluſus offenderit.* Leuiores, & infirmiores clauiculi, & lacerti vineæ, vt iiſdem vinciatur Deus. At ſi Fauſtus in vua in crucis torculari expreſſa, & perſequentium pedibus calcata, Chriſtum agnoſceret, in ſacramenti calice, & ſanguine incluſum crederet; non naſcentis, ſed amantis nexus in Euchariſtico pane cerneret. Amor, qui pedes, & manus cruci clauis affixit, in ſacro epulo, in quo eſt paſſionis illius memoriale perenne, pietatis, & dilectionis nexibus alligauit.

D. Auguſt. Fauſtus Manichæus ligatum Chriſtũ in omnibus eſcis conſtringit.

In vua agnoſcunt Manichæi Deum ſuum, non verò in cupa.

Offenduntur calcato Deo.

Amoris nexus tenent Ieſum ligatũ in Euchariſtia.

D.Auguſt.

6. Huius charitatis interpretes facta Sponſa eſt, dum caput eius ſponſus eximiis laudibus ornat Cant. cap. 7. verſic. 5. *Caput tuum, vt Carmelus, & Coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Carmelus ſi ex Hebræo in Latinum ſermonem vertas, *frumentum, aut ſpicas virentes* denotat in Lexico Complutenſi, vt myſterium Euchariſticum exprimat. Sponſa ſicut Iſis facta, aut Ceres ſpicis coronatur, & frumento, quod ex terra virginea pullulauit, coronatur purpura, hoc eſt, Chriſti ſanguine. Duplex ſertum tem-

Carmelus frumentum, aut ſpicas virentes, notat.

pora ſponſæ ambit, alterum ex ſpicarum manipulis intertextum propter panis Euchariſtici copiam; alterum ex rubinorum granis, roſiſque purpuraſcentibus Deifici ſanguinis. Hoc, inquam,

D. Ambr.

Capitis Eccleſiæ ornatus ſanguis Chriſti.

præ ſe ferre autumat ſanctus Ambroſius, plexum capitis ſponſæ ex nitenti purpura textum, in Pſalm. 118. ſermon. 17. fatur: *Ornatus capitis eius glorioſus, quod non regalia diademata, ſed Dominici ſanguinis inſignia coronarent.* Verumtamen aliud

Lect. L x x.

Sponſa Eccleſia retinet ſponſum ligatum, ne auolet.

decoris, & amoris ornamentum apud L x x. Interpretes, in capite ſuo portat ſponſa, ſic enim legunt: *Plexus capitis tui, ſicut purpura. Rex ligatus in excurſibus, vel tranſcurſibus.* Maximum amoris documentum, quod Regina, & ſponſa habeat apud ſe Regem ligatum: dum ſpica, & ſanguine cingitur, regio decoratur ornamento, dum amoris nexibus vincitur ſponſus, diligitur vt ſponſa nunquam repellenda è thalamo: Quàm feliciter nectareis deliciis ſacri epuli perfruetur, quàm ſecura dormiet in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, dum non timet fugam ſponſi, dum in vincula conjectum, & amoris laqueis irretitum tenet. *Rex ligatus in tranſcurſibus.* Ales eſt ſponſus, & velociſſimus curſor. Cerne currentem: exultauit vt gigas ad currendam viam. Cerne excurſus de cœlo in vterum, de vtero ad præſepium, de præſepio ad Crucem, de Cruce ad tumulum, de Oliuarum monte ad cœlum: hunc excurrentem ſponſum, & Regem amor nexibus ſuis in altari ligauit, & conuiuio panis, & vini, *in tranſcurſibus.* Tempus edax omnia immutat, & diſſoluit, in huius prætcrlabentis mundi mutabilitate, rerum ſub aſpectum cadentium diſtrahatur ordo, diſſoluantur elementorum compages, rerum nexus dato impoſſibili ſoluantur; dum ſtat mundus, in omni rerum mutabilitate ligatus perſeuerat Rex in altari.

Verſ. 9. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.

COMMENTARIVS.

Ieroſolyma ſimilis Sodomæ.

1. IISDEM deprauatis moribus imbutus populus Iudaicus, iiſdem cum Sodoma, & Gomorrha ſceleribus irretitus, eodem prorſus afficiendus erat ſupplicio, nec mirum eſt, quia Ieroſolyma nuncupatur Sodoma Apoc. cap. 11. verſ. 8. *In plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, vbi Dominus eorum crucifixus eſt.* Digna erat, vt plueret ſuper eam Dominus ſulphur, & ignem, eámque in cinerem redigeret, penitúſque omnes interirent, vt in teſtimonium nequitiæ fumiganda conſtaret deſerta terra. Sed gratias demus illi ſemini ſancto ex Iudaico ſanguine oriundo, ſcilicet Chriſto Do-

Propter ſemẽ ſanctum non eſt penitus abolitus Iudaicus ſanguis.

D. Baſil.

mino & eius Diſcipulis, propter cuius meritum aliquos de ſtirpe Dauid, & Regia tribu Iudæ poſt captiuitatem Babylonicam reſeruauit, vt ex eorum genere Meſſias oriretur. Sic ſanctus Baſilius cuius verba ſunt: *Si vniuerſus populus redundat iniquitatibus, omneſque filij exleges, & iniqui: Cuiuſmodi tamen inſertum eſt ipſi Iſraeli; quo intercedente non ſuſtinuerunt afflictiones Sodomorum, & Gomorrhæorum, quale erat hoc? id, de quo in promiſſionibus Abrahæ dictum eſt: tibi dabo, & ſemini tuo: ait enim Paulus; non dixit in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.*

Semen dicitur ille, qui ex aliqua calamitate eſt reſiduus.

2. Hebraicum שריד *ſarid*, à radice שרד *ſarad*, quod tranſtulit vulgatus *ſemen*, propriè denotat eum, qui ex aliqua calamitate & bello, & ruina reſiduus eſt, ſaluus, & incolumis euaſit. Ieremiæ cap. 44. verſic. 14. *Viſitabo ſuper habitatores terræ Ægypti, ſicut viſitaui ſuper Ieruſalem, in gladio, & fame, & peſte, & non erit, qui effugiat, & ſit reſiduus de reliquiis Iudæorum.* Et Threnor. cap. 2. verſic. 22. *Non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur.* Et eſt ſenſus; niſi ex vaſtitate hoſtili, & incendio aliqui eſſent ſuperſtites, ſicut Sodoma fuiſſemus: vel aliter: niſi ex illa infidelitate Iudaica aliqui eſſent reſidui, in quibus fides Chriſti remaneret, eſſemus ſicut Sodoma: & in hoc ſenſu interpretatur Paulus Apoſtolus locum Iſaiæ ad Roman. cap. 9. verſic. 29. Ex cuius auctoritate iure colligit ſanctus Hieronymus hunc locum non ad captiuitatem Babylonicam eſſe referendum, ſed ad Chriſti tempora, quando reliquiæ ſaluæ factæ ſunt.

Apoſtoli ſemen ſunt, propter quos non eſt actum penitus de Iudaico populo.

3. Propter Apoſtolos etiam, non penitus actum eſt de populo Iudaico; nam Apoſtoli ſemen ſanctum extiterunt, quod ſparſum per totum orbem in paradiſum conuertit, edens fructum centeſimum. Propter Apoſtolos, inquam, non fuit populus Iudaicus ſicut Sodoma; nam ibi, vt Deus à iuſta animaduerſione ceſſaret, deſiderati ſunt decem iuſti; hìc reperti ſunt duodecim, & alij plures de ſtirpe Dauid, & Chriſto conſanguinei. Sic ſanctus Hieronymus, Cyrillus, D. Hieron.
Baſilius: verba Cyrilli ſunt: *Nec enim prorſus interiit, nec ab ipſis fundamentis conuulſus eſt, ſed hæſit in reliquiis. Nam ex illis extiterunt diuini Diſcipuli,* & ſanctus Baſilius eleganti ſimilitudine explicat: *Illi vero fame, peſte, ſeditione, ac mutuis inſidiis conſumpti ſunt, præterquam ea pars ſoſpes, & incolumis euaſit, quæ fidem Chriſti complexa, ex omni Iſrael inuenta eſt per electionem in exiguo numero, quæ quidem parua portio inter gentes facta perinde ac fermentum omnes ad ſuæ ſimilitudinis pertraxit proprietatem.* D. Cyrill. D. Baſil.

Verſ. 10. Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ.

COMMENTARIVS.

Principes Sodomorum vocantur propter nefandũ Sodomiæ ſcelus.

1. VERBIS præcedentibus cum incolis Sodomæ, & Gomorrhæ Iſraëlitas comparauit; nunc palàm, & apertè eos nuncupat principes Sodomorum. Initio capitis alloquutus eſt Iſaias cum cœlis, terrâque, nunc ad principes, & populum ſermonem conuertit, eoſque afficit dedecore ignominioſæ nomenclaturæ principum Sodomorum, & populi Gomorrhæ: quia tam principes, quàm populus nefando Sodomiæ ſcelere erat inquinatus. Et hæc eſt genuina horum verborum expoſitio, & colligitur apertè ex capite 2. ſequenti, vbi Iſaias de principibus, & populo ait: *Et pueris alienis adhæſerunt.* De quo infrà

inſtà, vbi annotanda eſt animoſitas, & impauidum vatis pectus in reprehendendis, & obiurgandis criminibus principum, & dynaſtarum. Propter hoc forſan Paulus de Iſaia affatur ad Roman. cap. 10. verſic. 20. *Iſaias autem audet, & dicit:* Propter hæc verba plena audaciâ, & Chriſtianâ libertate, Prophetâ, & Apoſtolo digna, magna aduerſitatis tempeſtas Iſaiæ conflatur, & ſententiâ mortis multatur, vt Auctor eſt ſanctus Hieronymus citatus à gloſſa.

Propter huius acris reprehenſionis audaciã Iſaias morti addicitur.

D. Hieron. Gloſſ.

Ea verba: niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen; *de ſanctiſſimâ Deipara expenduntur, & illuſtrantur.*

2. IN magnæ Matris, & Virginis gloriam hic locus diſcutiendus. In triplici acceptione verbum illud *ſemen* ſacra, & prophana literatura vſurpat. Primò accipitur pro genealogia, aut ſtirpe. Geneſ. cap. 24. verſic. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Daniel cap. 1. verſic. 3. *Vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio pueros*; Virgil. 7. Æneid. *Geminoſque iugales Semine ab æthereo.* Lucan. lib. 2. *Cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi.* Secundò accipitur pro ipſa ſubſtantia ſeminis, quæ à parentibus ad generationem ſubminiſtratur. Leuit. cap. 12. verſ. 2. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum.* Tertiò pro frutice, & germine, Ezech. cap. 17. verſic. 4. *Tulit medullam cedri. Et tulit de ſemine terræ.* Et Geneſ. cap. 49. verſic. 9. *Ad prædam.* L x x. *ex germine fili mi aſcendiſti.* Et Virgil. 2. Georg.

Deipara ſemen ſanctum. Semen variè vſurpatur. Prima acceptio pro ſtirpe. Virg. Lucan. *Secunda acceptio pro ſubſtantia ſeminis.* *Tertia acceptio pro germine.* Lect. L x x. Virg.

Seminibus poſitis ſupereſt deducere terram

3. In hoc loco non ſeiungit Matrem à filio vates, præ oculis eos ſemper habebat, tanquam ſibi valde dilectos, & ex ſuo genere oriundos. Præterquàm quòd eadem Matris, & filij cenſetur eſſe caro. Vtrumque ergo ſemen ſanctum nuncupauit, cuius miſericordiâ non ſumus conſumpti. Cedit hic gloriæ matris, filius, vt de ea locus enodetur, quia honos Matris filij ornamentum eſt. Dicitur Deipara, *ſemen*, quia Virgo Dauidicæ ſtirpis electa eſt, in eàque, & ſacroſancto fœtu linea Regum, & Patriarcharum à Protoplaſto vſque ad Ioachimum deducta ſtetit, vt partu Regis, Regno, & ſceptro perennaturi totam ornaret proſapiam. Secundò, quia flos Chriſtus, germénque Patris ex aluo virginis, tanquam è terra inracta pullulauit, ipsáque ſurculus Iudaicæ ſtirpis extitit, Spiritu ſancto impinguatus, ex quo dulcis Ieſus prodiit. Tertiò, quia Ioachim, & Anna naturali generatione corpus Virginis ſeminarunt, ex quo poſtea immaculatiſſima humanitatis ſubſtantia Chriſto communicata eſt: ipſa accepit à Parentibus, ſed ipſa dedit Deo, & Patris filio corpulentam ſubſtantiam.

Locus de Dei genitrice expenditur.

4. Hæc expoſitio magnum accipit ſtabilimentum ex Ieremiæ cap. 22. verſic. 18. in quo ſemen ſanctum vocat Deiparam, quia ad ipſam perueniura linea Regum Iuda; quibus omnibus deficientibus, cùm Iudaico Regno fuit potitus alienigena, ex Dei genitrice ortus eſt Meſſias. Sic ait Ieremias de Rege Iechonia Regum Iuda extremo, in tranſmigratione Babylonis: *Nunquid vas fictile, atque contritum Iechonias? Quare abiecti ſunt ipſi, & ſemen eius, & proiecti in terram, quam ignorauerunt? Terra, terra, audi ſermonem Domini, Hæc dicit Dominus: ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Nullus proſperatus eſt in diebus ſuis: quia nullus de domo Iuda, & familia Dauid Regni habenas tenuit; nec titulo Regis Iſraëlitis imperitauit; proſperabitur tamen futuris temporibus, quia ſanguis ille Regius Dauidicæ ſtirpis per duces, & primores gentis Iudaicæ Salathielem, & Zorobabelem, & reliquos, quos Matthæus Euangeliſta commemorat cap. 1. aptè deductus eſt vſque ad Iacob, qui genuit *Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Rectè ergo vocatur Semen, Maria, quia ad ipſam linea illa Regum deducta, & in ipſa, & in eius filio terminata eſt. Sic accipiunt locum Ieremiæ ſanctus Hieronymus, & ſanctus Damaſcenus orat. 2. de natiuitate Mariæ, cui conſonat ſanctus Irenæus lib. 3. contra hæreſ. cap. 22. expendens locum Pſalm. 131. verſic. 11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, ait: *Quem promiſit Deus Dauid de fructu ventris eius æternum ſuſcitaturum ſe Regem; hic eſt, qui ex Virgine, quæ fuit de genere Dauid, generatus eſt.*

Locus Ieremiæ ad præſens inſtitutum de Deipara illuſtratur.

D. Hieron. D. Dam. D. Iren.

5. Et Oſeæ cap. 1. verſic. 11. *Magnus dies Iezrahel.* Sanctus Hieronymus interpretatur, *ſeminus Dei*, & ſubiungit: *Magnus eſt dies ſeminus Dei, qui interpretatur Chriſtus.* Sed contextus ipſe poſtulat, vt hunc locum de beatiſſima Virgine exponamus; nam ſi ſemen Dei, hoc eſt Chriſtum corporaliter genuit, eſt etiam ſpiritualis prolis mater, & auerſos à Deo ad Deum tranſtulit; quod inſinuat Oſeas verbis immediatè antecedentibus verſic. 10. *Et erit in loco, vbi dicetur eis: non populus meus vos: dicetur eis filij Dei viuentis.* Audi ſanctum Ioannem Damaſcen. orat. 1. de natiuitate Mariæ: *Factus fuerat populus Domini, non populus ipſius, & qui miſericordiam conſecutus, non miſericordiam conſecutus, & qui dilectus, non dilectus: ob eam cauſam nunc virgo priſcæ fornicationis aduerſaria paritur, ac Deo deſpondetur, Deique miſericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat.* Itaque ſalutem, & reconciliationem cum Deo debet genus humanum Deiparæ, tanquam redemptionis adiutrici, omnéſque mortales tenet adſtrictos gratitudinis, & amoris nexibus. Nunc locum Oſeæ illuſtro: Dei genitrix nuncupatur *Iezrahel*, ſeu ſemen Dei, vel à cauſa, vel ab effectu: *A cauſa*, quia ſemen Dei, ſeu filium Dei peperit. Semen Dei idem eſt, ac generatio Dei. Non enim loquitur de æterna Dei generatione, quâ filius ſeminatur, & oritur in pectore Patris, quod indicat verbum illud: *Magnus dies.* Illa enim generatio Verbi non habet diem, ſed æternitatem: cùm enim dies ſit latio Solis ſuper terram, ante Solem, Lunam, & Luciferum, ait pater: *Genui te.* Loquitur enim de humana generatione, & temporali, poſt incarnationem, etenim Chriſtus habet diem. Et dicitur *magna* propter magnitudinem geniti, & Matris generantis, & propter beneficiorum immenſitatem, quæ in humanam naturam contulit. Dicitur Virgo ſemper benedicta: *ſemen Dei*, ſeu generatio Dei: quia illum, quem genuit pater æternaliter, genuit in vtero temporaliter; vel quia à Deo electa Regia Dauidis linea, vt ex ea oriretur fœmina, quæ Deum, & hominem caſtis ſuſciperet viſceribus. Dicitur ſemen Dei *ab effectu*, ex quo enim æterna Patris proles virtute

Oſeæ Vaticinium enodatur. D. Hieron. *Dies magnus ſeminus Dei, nimirum Chriſti.* D. Dam. *Propter Deiparam, qui non erat Dei populus, populus Dei efficitur.* *Maria nuncupatur Iezrahel, ſeu ſemen Dei, & quare.*

Spiritus ſancti in vtero Mariæ, tanquam in opima, & fertili terra ſeminata eſt, fructum protulit ſpiritualium filiorum, qui gratiâ dicuntur filij Dei, & æternæ hereditatis participes. Et qui antea non erant dilecti Dei, nec miſericordiam conſecuti, nec populus Dei; per Deiparam facti ſunt miſericordiam conſecuti, & ſemen Dei, & filij Dei: Dicat ergo Domus Dauid: & totum genus hominis; *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen Dei, Chriſtum, & eius Matrem, quaſi Sodoma fuiſſemus.*

Semen Dei in ſecunda, & tertia acceptione.
D.Dam.

6. In ſecunda ſeminis acceptione pro germine, præter locum Geneſis ſuprà relatum ſanctum Ioann. Damaſcen. orat. 2. de natiuit. Mariæ eam vocat: *Dauidicum ſurculum.* Et orat. 2. loquens de ſanctæ Annæ vtero ait: *O beatam Arcam, quæ viuifici frumenti ſegetem tulit.* In tertia acceptione, ſemen vſurpabis pro materia generationis, & fœcunda, & prolifica ſubſtantia, quam Parentes Ioachim, & Anna ad effingendum corpus Mariæ, vel ipſa Dei parens ad efformandum, Spiritus ſancti opere, corpus filij ſubminiſtrarunt: de vtroque loquitur ſanctus Damaſcen. de primo orat. 1. *O beatos Ioachim lumbos ex quibus prorſus immaculatum ſemen fluxit.* Et poſtea ſubiungit: *Ioachim, & Anna ſibi ipſis ad iuſtitiam ſeminarunt, ac vita fructum meſſuerunt.* Et orat. 3. *Vir diuinus Ioachim, & Anna ipſius vxor, diuina prouidentia vocati, precationis fructum perceperunt, hanc, inquam, naturæ Reginam, ac noſtræ maſſæ primitias.* De ſubſtantia illa, quam virgo dedit Deo, Spiritus ſancti igne diſpoſita loquitur idem Damaſcenus orat. 1. *Ex te enim ſola ſummus ille opifex partem aſſumpſit, hoc eſt, maſſæ noſtræ primitias. Caro ipſius ex carne tua, & ſanguis ex ſanguine tuo.* Sed Virginis Mariæ gloria ampliùs illuceſcet ex diſcurſuum ſequentium ſerie.

D.Dam.

D.Dam.

DISCVRSVS I.

Ex quo Deus in vtero Virginis carnem aſſumpſit, de infirmiori, & ignobiliori genere gloriatur.

1. TANTVM filius detulit Matri, vt tanquam illius ſemen, & fructum ſeſe iactet, nec de ſola generatione patris, ſed de genere Abrahæ, & Dauidicæ ſtirpis de Muliere ſe ortum eſſe glorietur. Solent mundi proceres fumoſas generis imagines, & nobilitatis infulas oſtentare; id verò quod inhonorum eſt, & minus decorum, ſuppriment, diſſimulant, ne leui notâ deturpentur ampla decora, & paruâ nubeculâ obſcurentur antiqui nomines ſplendores. Non ſic Deus, ſed de infirmiori latere, & genere, quod traxit ex fœmina, gloriatur. Splendores cœlitum circumdederunt Saulum adhuc ſpirãtem minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, & velut rapacem lupum in ouile Domini graſſantem: luminum acies caſtrametatæ ſunt in circuitu Pauli, qui Solis iuſtitiæ radiis exagitatus eſt, & ſpiculis amoris traiectus, mundo mortuus, cæcus cadit ſuper terram. Audi ſcrutantem, inquirentem ſuæ mortis, & vitæ auctorem. *Quis es Domine?* mira Saulj interrogatio, ſed mirabilior Domini reſponſio: *Ego ſum Ieſus.* Actor. capite 9. verſic. 5. Quis non expectaret hîc illas antiquas Domini amplitudines: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*; Ego Dominus militiarum, aſpiciens, & diſſoluens gentes, cui reſiſtere nemo poteſt. Ego ſum Ieſus. Et addit cap. 22. verſic. 8. *Ego ſum Ieſus Nazarenus.* Et ſic legunt in præſenti lectio Syra, & Græci codices, & ſanctus Gregor. & Chryſoſtom. in Pſalm. 5. quaſi de infimo genere Deus gloriatur. Pulchrè S. Ioannes Chryſoſtomus ad ea verba Pſalmi 5. *Secundùm magnam miſericordiam*: ſic fatur: *Ego ſum, inquit, Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris: O ineffabilis ſapientia Domini: quare non dixit: Ego ſum filius Dei? Ego ſum in principio Verbum? Ego ſum, qui in dextera Patris ſedeo? Ego ſum, qui cœlum extendi? Ego ſum, qui terram ſuper aquas fundaui? Ego ſum, qui mare diffudi? Ego ſum, qui vbique præſens ſum, & omnia repleo? Ego ſum, qui ſemper ſum, & nouus ſum? quare non dixit magna illa, & admiranda præconia? Sed quid ait illa benigna pietas, & ineffabilis clementia? Ego ſum Ieſus Nazarenus de inferiori, & humiliori loco, de parua ciuitatula.* Non protulit in medio Angelorum theatro, ad immutationem Saulj, mirabilia amplitudinis, & honoris inſignia, quæ trahit ex diuina generatione Patris, ſed infimi generis, & inferioris nominis argumenta produxit, vt teneat Paulum fugientem, quòd de paupere Matre, & ignobiliore Nazareth ciuitate natus ſit, quæ quidem quantò inferiora ſunt, maiorem Domini Ieſu benignitatem oſtendunt. Inſinuat Ieſus Paulo, quantum ſemine Abrahæ, quod apprehendit, & inferioris naturæ genere gloriatur.

Ieſus de ciuitate parua natus gloriatur.
Syr.
Græc.
D. Chryſoſt.

Ieſus Nazarenum ſe nominat, & omnia Dei attributa ſupprimit apparens Saulo.

2. Maledico, & canino dente carpunt, & improperiis onerant Ieſum Celſus hereticus, & Iudæus quidam apud Origenem lib. 1. contra Celſum: *Exprobrat ei*, (inquit Origenes) *quod è vico ſit ortus Iudaico*, Sed Origenes malitioſam, & mendacem infamationem grauiter, & acutè diſpulit: *Ieſus noſter licet opprobretur ei patria vicus, iſque non Græcanicus, nec alicuius gentis celebrata, infameturque ipſe, vt paupercula, operariæque filius, & tum ob paupertatem relictâ patriâ mercede famulatus in Ægypto: natus Seripius è minima ignobiliſſimâque inſula, & Seripiorum omnium poſtremus, valuit concutere totum terrarum orbem, non ſolùm magis, quàm Athenienſis Themiſtocles, ſed magis etiam, quàm Plato, aut Pythagoras, vel ſapientum totius orbis quiuis alius, aut Regum, aut imperatorum.* Calumniatoris criminationes doctè diſſoluit; Do tibi minùs celebrem Ieſu Patriam, ſed poſt eius ortum, celeberrimam & verè beatam: Do pauperem Matrem, ſed renuo Deiparæ famulatum, præterquàm quod ſponſo, & filio. Reſpuo Iudæi impudentiam, & illius mendacium exſufflo, quod mercede famulatus, relictâ Patriâ in alienum Ægypti ſolum migret; ſed diuinis iuſſis obtemperans duce, & interprete Angelo proprio relinquit lares, vt inſanientis in innocentes pueros Herodis, daret locum iræ. Hos titulos inglorios, quos Ieſu appingis, fugam nimirum, ignobiliorem ſoli natalem, pauperem Matrem, decoramenta honoris, & gloriæ cumulos iudicat Ieſus. Siquidem ex hac abiectione, & humilitate, ſui nominis exaltatio pullulauit glorioſius nomen adeptus, quàm Seripius Philoſophus de ignobili vico ortus.

Origen.
Celſus hereticus exprobrat Ieſu natalis ſoli humilitatem, & matris paupertatem.

Ieſus ex paupere matre ortus totum orbem reduxit.

3. Cùm vides Iacob dormientem, ſomniantem, occurret tibi ſcala illa percelebris Geneſ. cap. 28. verſ. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum.* Omitto nunc

Angelos

Scala, quam vidit Iacob, Deiparam adumbrauit.

Angelos,& eorum aſcenſum,& deſcenſum ad Dominum ſcalæ innixum de ſuperiore culmine: oculos eleuo, & ad terram fulcientem ſcalæ, & graduum molimina. Duo mihi ſtabilimenta ſufficiunt, terrenum,& cæleſte, Diuinum,& humanum, quibus Angelorum, & hominum aſcenſus firmantur, terminantur. Scala ipſa Deipara eſt, de ſuperiori apice Deus, de inferiori natura parentum humana Deiparam fulciunt. Illuſtris eſt in hoc loco ſanctus Damaſcenus orat. 1. de Mariæ natiuitate ſcribens: *Spiritualis ſcala, hoc eſt, virgo in terra firmata eſt; (ex terra enim ortum habet) Caput autem ipſius ad cœlum pertinet. Omnis quippe mulieris caput pater extitit, vt qui filium ſuum, ac prepotens Verbum, tanquam Diuinum, ac ſpirituale ſemen emiſerit.* De terrâ, terreni ſeu humani parentes Ioachim, & Anna ſcalam Deiparam fulciunt, de cœlo pater ſcalam firmat; vidiſti magnum fulcimentum, Diuinum, & humanum; quid mirum ſi ſtat? *Stantem ſuper terram.* Et nunquam cecidit ſuper terram. Perpetua ſtabilitas ei prouênit de cacumine, de cœlo, de Deo: difficultatem ingerunt verba Damaſceni: *Omnis quippe mulieris caput pater extitit.* Sententiam veneror. Sed audio Paulum reclamantem 1. Corinth. cap. 11. verſ. 3. *Omnis viri caput Chriſtus eſt: Caput autem mulieris vir: caput verò Chriſti Deus.* Si mulieris caput vir, quomodo ergo omnis mulieris caput, Pater? loquitur de Dei Genitrice, cuius caput & Chriſtus eſt, & Pater eſt; quia eam fœcundauit, & in illius vterum virginalem, *filium ſuum*, Pater (vtor verbis Damaſceni) *ac prepotens Verbum tanquam diuinum, ac ſpirituale ſemen emiſit.* Sed videre eſt, Patrem pro cœli foribus exultantem, & feſtiuis gaudijs celebrantem filij ſui incarnationem indulgenter ſe ſe demittentis in vterum virginis, cum Angelorum acclamatione, & plauſu, ineffabili enim gaudio & gloriâ perfruebatur nouis nuptijs Dei, & hominis, nouâ filij ſui generatione. vnde vbi legit vulgatus ibidem verſ. 13. *Et Dominum innixum ſcalæ* legit Chaldæus: *Et gloria Domini ſuper ſcalam.* Quaſi Deus noua filij conceptione, & natiuitate de fœmina gloriaretur.

D. Dam.

Terrenum, & humanum Mariæ fulcimentum.

Quo ſenſu Mariæ caput ſit Pater.

Chald.

4. Glorioſo decore ornatur Deus apud Moyſem, cùm humanæ naturæ habitum induere diſponit. Exodi cap. 3. verſ. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*: inter ſentes, & ignes myſterium Chriſti adumbratum fatentur Patres. Solius Theodoreti verba ſuggero, quæſt. 6. in Exodum, in qua inquirit, *quid ſibi vult ardere rubum, & non exuri?* & reſpondet: *Vnigenitum humanitatem aſſumentem, & virginalem vterum inhabitantem, immaculatam ſeruaturum eſſe virginitatem.* Quàm glorioſus, quàm nitidus, & floridus apparet Deus in ſenticoſo frutice! vndique feſtiuis vallatur ignibus, & cæleſtis ſplendoris diademate cingitur, cùm ad humanam formam, & ſimilitudinem deſcendit, pulcherrimum ſimulacrum humanâ ſpecie auguſtius oculis Moyſi ſe ſe obiecit, cuius majeſtate hebetatur obtutus, & oppreſſus à gloria in terram deijcitur: *Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum.* ibidem verſ. 6. Cur non valet fixis oculis cernere? quæſtioni reſpondet Guillielmus Exodi cap. 3. clauſula 1. dub. 6. *Cùm facies Domini ſit plena gratiarum; cur non audebat Moyſes eum aſpicere? Dicendum, quod propter excellentiam claritatis inde procedentis.* O quot modis ſe ſe iactat Deus de ignobiliore genere humanitatis; cùm in ardente rubo ad incarnationem præluderet, totus eſt in oſtendendo apparatu gloria; gliſcit incendium ignis, & amoris flamma; lumina circum rubum, quaſi nuptiarum Dei cum humana natura ardentes tædæ, & lampades fulgent. Facies, oculi, nouum claritatis ornamentum ſuſcipiunt. Sic de noua Abrahæ progenie gloriabundus fatur, ibi verſ. 6. *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Nec diſſonum erit, ſi Deus Abraham, & aliorum nuncupetur, non ſolùm, quia in eis magna fides, & charitas enituit, ſed quia ex eorum progenie matrem habere dignatus eſt.

Theodoret.

Myſterium incarnationis in rubo adũbratum.

Moyſes nõ eſt auſus aſpicere contra Deum, propter emicantem ſplendorem.

Guill.

Deus cum hominem fieri promittit in gloria ſua apparet.

5. Affectum animi erga Ieſum profuſiorem oſtẽdit Iſaias, cum à Patre enixe flagitat filij in terras aduentũ c. 16. verſ. 1. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti.* De Agno Ieſu & vellere, de dominatione Agni, & ſceptro, ex terra & petra deſerti oriundo, accipio venerabundus, & ſuſpicio admirabundus Iſaiæ verba. Nunquid durus, & ſaxeus eſt agnus, qui de rupe & ſilice oritur? nunquid ſaxum Deipara, quæ molli teneritudine animi, & miſericordiæ viſceribus omnes filios Adam ſuperat? plures conceptus in alium locum reiicio, nunc diſertiſſimus eſt Alredus in allegoriis Tilmani: cuius verba ſunt: *Petram deſerti, vt exiſtimo, ſpeluncam illam appellant, quæ in locis deſertis natura, vel arte exciſa in petra, Loth excepit de Sodomis fugientem, de hac petra deſerti in magna admiratione Agnũ dicit proceſſurum: quia in ea genitus eſt Moab, de cuius ſemine, nata eſt Ruth, cuius filius Obeth, cuius filius Ieſſe, cuius filius Dauid, de cuius genere natus eſt Chriſtus.* Cùm hæc lego, rubore ſuffundor. Supprime, ó Iſaia, omnium prudentiſſime & nobiliſſime Vates, proſapiæ Saluatoris tui maculas, & notas; preme ſilentio, aut ſtylo expunge petram deſerti, quæ tot titulos ignominiæ Dauidicæ ſtirpi peperit: in ſpelunca deſerti, vt conſtat ex Geneſ. cap. 19. verſ. 12. & 33. filia Loth temulento Patri ſubſternitur, ex eóque ſuſcepit, & peperit Moab. Cur antrum illud turpitudinis, & inceſtus teſtem in medium adducis? vide Iſaiæ ſapientiam, & dignationem Domini: cùm Deus genus Dauid ſuſcipit, dedecus, ignominia abolentur, & de peccatorum ſtirpe progenitum eſſe, exultat.

Ieſus de petra deſerti, hoc eſt, de genere Moab natus.

Alred. Tilm.

Speluncam, in qua filia Loth cum parente concubuerũt, in medium adducit vates.

6. In Chriſti genealogia inter alios referuntur: *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* cap. 1. in Commentario Chryſoſtomus in eandem mentem incidit, hæc verba expendens hom. 3. in Matth. vbi ait: *Quid agis, ô homo? quid nobis talis recordationem infers hiſtoriæ, qua adulterium turpe continetur?* ex ore aureo hæ verborum margaritæ pro ſolutione prodeunt: *Si nudi tantummodo hominis deſcriberetur genus, meritò hæc reticuiſſet; quia verò de incarnati myſterio ſcribimus Dei, non modò tacere iſta, verùm oſtentare debemus.* Et comparans hoc opprobrium cum opprobrio mortis ſubiungit: *Quanto magis exprobrabile iſtud eſt, tantum magis illud oſtendit de miſericordia glorioſum. Sic etiam in generatione illius dici poteſt, quod admiratione ſit dignus, quia tales progenitores habere dignatus eſt, nihil noſtra mala erubeſcens.* Fugatur dedecus, ignominia prorſus euaneſcit, cum Deus de proſapia humana oritur. Sed perpende verba Chryſoſtomi: *Iſta oſtentare debemus, & illum oſtendit de miſericordia glorioſum*, & cernes Deum de infirmiori, & ignobiliori genere ſe ſe iactantem, gloriantem.

Improbi progenitores in libro generationis Ieſu recenſentur.

D. Chryſ.

Ieſu noſtra mala non erubuit.

Discvrsvs II.

Poteritne filius maiora munera conferre Patri, quàm Pater filio, quod natus ſit? Deipara maiora beneficia progenitoribus detulit; Regum, & Patriarcharum claritatis infulas, tergeminis honoribus extulit.

Seneca. Reſolutio quæſtionis in fauorem filiorum.

1. In hanc diſceptationem, & vtilem quæſtionem vocat nos Seneca lib. 3. de benef. cap. 28. inquiens: *Quæritur, an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus ſuis poſſint, quàm acceperint.* Et ſolutionem affert, cap. 32. eiuſdem libri. *Quid, ſi quis in tantum proceſſit, vt aut eloquentia per gentes eniteſceret, aut iuſtitia, aut bellicis rebus, & patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebráſque natalium ſuorum clara luce diſcuteret, non inæſtimabile in parentes ſuos beneficium contulit?* & cap. 35. ſubſcribit Seneca: *Maius ergo beneficium accipit Pater, ſi vitam à filio accepit, quam filius à Patre, quod natus eſt.* Nec faſtidium ingenerabit lectori, ſi exempla ſubiungam filiorum, qui libertatem, & vitam parentibus donarunt. Æneas Patrem tulit per ignes; Siculi iuuenes parentes ab Ætnæ incendio liberarunt; Antigonus detulit ad patrem, præmium belli, & Cypri imperium: alij Patres à filijs liberati ſunt iugo ſeruitutis: hæc ex eodem Seneca ſuccinctè deprompſi. Ad rem noſtram enodanda quæſtio, quis detulit maiora beneficia? Progenitores in Mariam, an Maria in parentes? mihi pro Deipara proclamare liceat, maiora beneficia acceperunt Parentes à Deipara, & filia, cùm ab ea vitam accipiunt, quàm filia à ſuis genitoribus quod nata ſit. Nam beatiſſima virgo pietate, & fortitudine ſuperans Æneam, parentes ſuos omnes, & filios Adæ de Babylonico peccati incendio, de inferorum Ætna, de captiuitate dæmonis eripuit, & in libertatem filiorum Dei per filium ſuum aſſeruit, filiæ ſuæ adſtrictum eſt eorum decus & imperium, parentes, auos, proauos immensâ gloriâ, & honore cumulauit. Quapropter omnes vno ore deponentes, & abiicientes coronas ante pedes huius Reginæ clamant cum Iſaia, *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen* Deiparę, *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

Seneca. Patres maiora beneficia accipientes à natis recenſentur.

Deipara maiora beneficia detulit progenitoribus ſuis, quàm ab ipſis accepit.

2. Stat pro me in hoc diſcurſu generis Mariæ decus, & ornamentum, & verè Beatus Dauid Rex, qui filiam ſuam in ſpiritu præuidens, gaudio, & gloria exultans cum ea fatur Pſalm. 44. verſ. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui:* quam domum paternam, quem populum memoriâ obliterandum admoneat Pater Dauid, dilucidè expendit Chryſippus Presbyter Hieroſolymitanus ſerm. de Deipara dicens: *Populus enim, à quo cognationem contraxiſti, nequam eſt, ignominiam tibi affert. Populus imprudens tibi irreprehenſâ naturæ propagine familiaritate iunctus eſt, & culturâ ſpinarum ferax, roſam tuam producit. Propheta, & Rex ſum ego, qui tibi ſemen ſuppeditabo, tu verò declarabere mater Regis, qui Dominus eſt ſceptrorum non terrenorum, at cæleſtium. Ne poſthac attendas animum huic inferiori cognationi; quoniam in Reginam tranſmutaberis:* temperare calamum non potui, quin omnia Chryſippi verba tranſcriberem. Non gloria regni terreni, aut generationis regiæ, quam accepit à Parentibus, ſed alia excelſior, & prorſus diuina ad progenitores ex Deipara redundauit: quæ maior cauſa gloriandi, quam quod germen ſanctum, & ſanctiſſima Puella ex ſuo ſanguine oriunda, ſit Regina Angelorum, & hominum, matérque Regis æterni, qui Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, & ſuo nutu vniuerſo imperat orbi, cæleſti, terreſtrique?

Maria inſignem gloriam cognationi ſuæ attulit. Chryſip.

Maria tanquam roſa de ſpinis, de peccatoribus pullulans.

3. Ad alterum Mariæ Parentem oculos coniicio, nec minus pietate, quàm bellicâ gloriâ præcellentem Ezechiam in lectulo decumbentem, lethali morbo exæſtuantem, quando auditâ mortis definitâ ſententiâ ore Iſaiæ Præconis promulgatâ, oculos ad cœlum leuat, manus ad ſidera pandit totus perfuſus lacrymis, quarum potentiâ diſſoluta ſunt vincula mortis, rigor iudicij temperatus, & ad earum intuitum Deus vitam Regis prorogauit, 4. Reg. cap. 20. verſ. 5. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & addam diebus tuis quindecim annos.* Duplex beneficium Ezechiæ confertur, & ciuitatis Ieroſolymitanæ protectio, & ſanitatis reſtitutio, vtrumque magnum, ſed vitæ protelatio omnem ſuperat affatum; lacrymis enim promeruit Ezechias vt in libro generationis Mariæ, & filij ſui recenſeretur. Do tibi auctorem Rupertum Abbatem in cap. 1. Naum ad ea verba: *Et nunc conteram virgam eius*, qui ſic ſcribit: *Præter illam communem conſolationem, quæ illi cum omnibus electis in futuro repoſita erat ſæculo; magna in præſenti iſta quoque conſolatio, quod adijcit Dominus ſuper dies eius quindecim annos, quia videlicet per hoc factum eſt illi, vt locum, vel nomen haberet in libro generationis Ieſu Chriſti filij David. Nondum enim filium habuerat, & ad hoc reſeruatus eſt, vt generaret, & in ſerie generationis Chriſti pater cum patribus reſideret.* Rex ille auguſtiſſimus imperio, diuitiis, & gloriâ florentiſſimus, maiorem dignitatem ſolicitus ambit lacrymis, quod generationis Mariæ ſcribatur Catalogo. Purpuram, Diadema, Sceptrum, deſpicit, vt Mariani decoris, & amplitudinis illuſtretur fulgoribus; en morior ſine liberis, inquit, & tela aurea, & regia progeniei matris Meſſiæ à morte ſuccidi tur; inglorius, & inhonorus occumbo, dum patris Mariæ non ornor inſignibus, & eius progenitoribus non annumeror. Sed in veſtibulo mortis conſolationem accepit vitæ, & deſiderati honoris decus, dum genuit Manaſſem; & in libro generationis Chriſti adſcribitur.

Ezechias à morte eripitur Mariæ meritis.

Ezechias lacrymis promeruit cenſeri in linea generationis Mariæ. Rupert.

4. Deueniamus ad Iechoniam, qui miſeræ captiuitatis Babylonicæ ærumnas expertus eſt, in quo Dauidicæ ſtirpis propago videtur exciſa. De eo Ieremias ait, cap. 22. verſ. 28. *Nunquid vas fictile, atque contritum vir iſte Iechonias? nunquid vas abſque omni voluptate?* quid infelicius? vates ipſe, nomine Regis, aut Principis Iechoniam ſpoliat, vocans eum virum. Sed ſequentes verſiones omnem ignominiam augent. Lxx. legunt: *inhonoratus eſt Iechonias.* Theodoretus in Scholiis Lxx. ſic habet: *Vir iſte eſt os contemptum, & abiectum*, id eſt os carne nudum, quod inter quiſquilias, & purgamenta proiicitur. Symmachus legit: *Purgamentum, ſiue quiſquilia leues, atque proiecta.* Strictior eſt verſio S. Ioãnis Damaſceni orat. 2. de natiuitate Mariæ. *Ignominiâ affectus eſt Iudas*, quaſi dedecus, & improperium Iechoniæ, ad totam tribum, & Reges domus Iuda redundaret. Sed in media abiectione captiuitatis, conſeruatum, & honore affectum eſt

Iechonias inhonorus prædicatur, quia in eo linea generationis Ieſu videtur exciſa.

Lect. Lxx. Theod. Sym. D. Damaſc.

Iechonias honoratur propter Deiparam.

D. Dam.

eſt genus Iechoniæ, propter Mariam & fructum ventris benedictum. Audi S.Damaſcenum orat.2. de natiuitate Mariæ: *Quamquam Iudæorum Regnum etiam ante Chriſti aduentum euerſum erat, vtpote ſine vlla controuerſia circumſcriptum, ac definitum vſque ad Iechoniæ tempora & acerbiſſimam Iudaici populi in Babylonem abductionem: genus tamen ipſum ad Chriſtum vſque honori haberi; atque conſeruari, regiæque nobilitatis notas retinere, non deſiit.* Hoc autem honor adhibitus propter Chriſtum, & eius Matrem, vnde ſubdit Damaſcenus: *Quem nobis ſanctiſſima hæc virgo Dauidicus ſurculus, virgineo modo, in virgineo vtero peperit.* Temperet ergo ſibi à lacrymis Iechonias, & tam ipſe quàm omnis familia Dauid exuat ſtolam luctus, & veſtem dedecoris lugubrem; circumdet ſibi diploidem iuſtitiæ, & accingat caput diademate honoris æterni, & ſempiternæ gloriæ: quia hoc ſemen ſanctum ex ſua progenie ortum eſt: non iam Iechonias, nec domus Iuda inhonorata, abiecta, ſterilis, nec ignominiâ affecta, ſed honorata, glorioſa, venerabilis; non enim tantum fulgent Sol, & Luna, aut nitet cœlum ſideribus, ſicut genus Dauidicum huius nouæ Lunæ Mariæ radiis illuſtratur.

Abraham propter Sarã honoratur.

5. Cum deſcenderet Abraham in Ægyptum, illius honos, & vita in diſcrimen adducuntur, Sarai in Pharaonis aulam rapitur, ſed intacta à Deo ſeruatur, & à Rege cum honore dimittitur, & apparatu Satellitum. Geneſ.cap.12.verſ.19.& 20. *Ecce coniux tua, accipe eam, & vade, præcepitque Pharao ſuper Abram viris: & deduxerunt eum & vxorem illius, & omnia quæ habebat,* itaque vita, & honore donatur Abraham propter vxorem; Sara virum ſuum à dedecore, ab exilio, à morte redemit. Pulchrè ſanctus Ambroſius lib. de Inſtitutione virginis, cap. 4. ait: *Abrahæ deſcendenti in Ægyptum vxoris pulchritudo non nocuit; imò magis profuit: honoratus eſt enim per vxorem, non ludibrio habitus in vxore.* Poſſet Abram hæc verba iure proferre: Viuit, ò Sarai, anima mea ob gratiam tui; tibi vitam, tibi honorem debeo, honoratus eſt enim per vxorem: quanto melius Abrahamidum genus cum Deipara, & Sara, quæ verum riſum, & lætitiam peperit, fatur: tibi genus noſtrum adſtrictum eſt; tu vita noſtra, & honorificentia populi noſtri: honorátus eſt enim Abraham, & illius progenies per fœminam, in qua nec honori, nec pudor periculum ſubiit Pharaonis.

D.Ambr.

DISCVRSVS III.

Iuſtorum generationem, & ortum anteuertit Deus, vt eos anticipatis remunerationibus ornet.

1. QVAM valida, quàm potens, quanti ponderis & auctoritatis in mente diuina iuſtorum virtus eſt; antequàm hanc lucem aſpiciant, in lumine ſuo Deus eos videt, & diligit, & propter eorum meritum beneficia confert ingratis, aut bonos de periculis eripit; aut temperat, & ſuſpendit malorum punitionem: futurum enim ſemen ſanctorum, & benedicta progenies, quam Iſaias prophetico lumine cernebat; de Pentapolis calamitate Iſraëliticum populum eripuit. Quis iram Domini cohibuit, ne de medio tolleret Thare idololatriæ mancipatum, niſi iuſti Abrahæ filij ſui

Filij iuſti antequam exoriantur, ſunt cui parentibus.

virtus? nam Geneſ. cap. 11. verſ. 26. *Vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram.* Sed audiendus eſt Chryſoſtomus homil. 5. de pœnitentia: hæc ſunt illius verba: *Thare pater Abraham, idolorum & cultor, & factor; ſed hoc loco haud impietatis pœnam Thare irrogauit, & meritò: ſi enim præuenienſ Deus radicem amputaſſet, vnde tantus fidei fructus germinaſſet?* altero ſimili, & pulcherrimo euentu hunc conceptum confirmat in eadem homilia. *Quid Eſau nequius, inuerecundiuſque? malitia ille; nonne fornicator: nonne prophanus erat; nonne odibilis Deo? Eſau odio habui, quare protinus meritam non ſuſcipit animaduerſionem; ſi exciſus fuiſſet, maximum fortaſſis iuſtitiæ fructum Mundus amiſiſſet, & qualem? audi: Eſau genuit Raguelem, Raguel Zaram, & Zara Iob. Cernis quantus elanguiſſet patientiæ flos, ſi præueniens Deus à radice pœnas exegiſſet.* Thare & Eſau ab interitu, à iuſto ſupplicio præſeruauit Deus, intuitu filiorum Abraham, & Iob, qui futuris temporibus erant oriundi, ne ſi Deus arbores excinderet, aut iniquorum parentum ſentes exureret, tali fructu iuſtitiæ, & patientiæ orbaretur orbis: improborum tenebras tolerauit, vt duo filij iuſti tanquam duo in cœlo ſidera fulgerent. Cernis quot, ac quantis beneficiis Deus ſanctos ſuos ornet; antequam exiſtant, & perfruantur vitâ? eos honorat, & parentum vitam cuſtodit; ne ſilum, & ſeriem mors generationis abrumpat, aut falce demetat tantarum virtutum pulcherrimos flores.

D. Chryſ.

Propter ſanctitatem ſerum virtutem D.us parētes à ſupplicio eripit.

2. In veſtibulo mortis conſtituti antiqui Patres, fauſta imprecantur filiis, cælicolis commendant eorum ſortes, eóſque ſanctis imprecationibus replent; benedictionibus cumulant filios ſuos Adam, Iſaac, Iacob. Solus Abraham filio ſuo Iſaac impertitus non eſt benedictionem. Cur hoc, inquies? difficultatis nodos nectit, & ſoluit Rupertus lib. 9. in Geneſ. cap. 21. *Dicat quis: cur Abraham moriturus; non Iſaac item eo modo, quo Iſaac Iacob, & Iacob filios ſuos benedixit? videlicet quia Iſaac iam ex quo in holocauſtum Deo oblatus eſt, benedictionem hereditate poſſedit, neque opus fuit illum ſermone conſecrare, qui reipſa in typum Saluatoris ſanctum ſacrificium, & hoſtia viua eſſe meruit.* Benedictione humana non indiget, qui habet benedictionem Dei: bene, & fortunatè benedictionem hereditate poſſideat, & benedictionem cæleſtem poſteritati acquirat. Nec ſermone conſecretur a Patre moriente; qui à ſemper viuente Patre figuratiua hoſtia decernitur, & benedicta victima de ſupremis proclamatur. At liceat mihi per Rupertum aliter quæſtionis eleuare pondus: non ſola beneuolentia Patris, Iſaaco benedictionem promeruit; quæ laboribus, ærumnis parta, & vitæ periculo eſt: dum gladio igni, lanienæ rationale ſacrificium deſtinatur; dum ligna ſuis humeris portat, dum ligatur, dum aræ imponitur, dum gladius paternus de vagina educitur, ſibi acquiſiuit tantæ benedictionis gratiam. Dices, etiam Iacob laborum tolerantiâ diſponitur tantæ prærogatiuæ; cum benedictionem paternam dolo, & fraude ſubripuit; ſed benedictioni ſupernæ, quæ à Deo deſcendit ſuper caput iuſti, emeritus miles conflictu maturatur; luctamine, & victoria, quam de Deo reportat, adeptus eſt coronam decoris, & benedictionis palmam. Geneſ.cap.32.verſ.26. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*, & verſ. 29. *Et benedixit ei in eodem loco:* at Iſaac qui plus laboris detulit, tanto copioſiorem gratiam participat; quæ enim benedictio habet ſocium maius diſcrimen, & laborem, homini non delegatur, ſed à Deo confertur. Iacob ſibi ſoli benedictionem, & protectionis

Cur Abrahã migrans ad ſuperos non impertitur Iſaaco benedictionẽ.

Rupert.

Iſaac benedictionem hereditate poſſedit.

Iſaaci benedictio diuina laboribus parta & periculo vitæ.

protectionis gratiam vſurpat, quæ ab occurrentis fratris furore tuetur. At benedictio Iſaac felicior, auguſtior, ac diuinior, non ſibi ſoli, eam Deus toti orbi donauit: illam Iacob lucta promeruit, iſtam emit Iſaac gladio, & vitæ periculo, Geneſ. cap. 22. verſ. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Super caput, cui maius periculum impendet, glorioſius munus benedictionis deſcendit, adhuc Iſaac benedictio reſeruatur Deo; habet enim ſublimiorem dignitatem, qua cæteris patriarcharum benedictionibus excellit, quia à Deo benedictionis munere cumulatur, antequam genitus, antequam natus. Geneſ. cap. 12. verſ. 3. *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* Antequam oriatur Iſaac, gentibus repromittitur benedictio. Iuſti nunquam non proficui, viui, mortui, antequam viuendi munere à Deo donentur, conferunt benedictionis gratiam, ideò à parte non eſt benedictus, quia benedictus à Deo antequam perfruatur huius lucis vſurâ, & illius intuitu benedictionis munus refundit omni generationi, quæ ſub cœlo eſt.

3. In rerum omnium Geneſi Deus patefecit Adamo miſericordiæ viſcera. Poſt caſum hominis, poſt ruinam Deus execratur ſerpentem, malè precatur fœminæ partui, maledictionibus deuouetur terra, ſolus Adam, qui fuerat tragœdiæ auctor, & omnis mali, & calamitatis artifex, quaſi immunis eſſet conuicij, probris, & maledictis non vexatur. Geneſ. cap. 3. verſ. 14. horum continetur ſeries: *ait Dominus ad ſerpentem maledictus eris.* Adæ dixit: *maledicta terra in opere tuo.* Terra, ſerpénſque figuntur maledictis; in Adamum maledicta non coniicit Deus, huius cauſam eleganter aſſignat Oleaſter: *Ad ſerpentem dictum eſt: maledictus tu: homo verò non maledicitur, ſed terra propter eum, nouerat omnipotens Deus, quod aliquando eſſet naturam humanam aſſumpturus, ideò noluit eam maledicere.* Cum ſerpente ſeuerum Iudicem, cum homine ſe pium Patrem demonſtrat, eíque anticipata beneficia contulit.

Cur ſerpens maledicitur, Adam non maledicitur?
Oleaſt.

Homo non maledicitur, quia Deus naturam hominis aſſumpturus.
Theod.

4. Addo tibi diuinæ clementiæ maximum incrementum, quo ferociores animos adſtringit, vt gratitudinem & amorem rependant. Theodoretus hanc proponit quæſtionem, quæ eſt 24. in Geneſim: *Qua de cauſa Deus plantauit paradiſum, mox expulſurus inde Adamum, propter peccatum?* Subſcribit ſolutionem: *In primis Dominus Deus non ſolet condemnare ex præſcientia, quapropter tranſgreſſionem Adæ preuidens, bona illi conceſſit.* Cernis immenſæ bonitatis pelagus. Cum omnia Deus acutiſſimo intuitu cernat in æternitate, videns Adami tranſgreſſionem, antequam ſit, non eum damnat priuans paradiſo; videns illius ingrati animi vecordiam, antequam ſit, ornat beneficio; anticipatur ad conferendum beneficium; non anticipatur ad infligendum ſupplicium. Deliciarum hortum ad miraculum variegatum pulcherrimis, & vernantibus floribus, ſuauiſſimis fructibus halantibus ſpiracula cæleſtis odoris, conſtruit Deus, ac ſi in eo perennaturus eſſet homo; cum vix illius ſtatus felicis gaudia delibauit, quando mortis, & patriæ damnatur exilio: vt quid perditio hæc paradiſiacæ amœnitatis, in qua tam breui, homo commoratur? vt ſentias diuinæ liberalitatis rapidum torrentem, & curſum, quem non ingratitudo, non crimina retardare poſſunt. Appoſitè ſubdit Theodoretus: *Præterea conueniebat iuſtum Agonothetam, athletis virtutis proponere præmia victoriæ,* non coronabitur niſi, qui legitimè certauerit; ſed præuenit Deus luctatores antequam ſint, ante eorum ortum proponit præmia, ſuſpendit palmas, coronas.

Deus Adamo contulit bona, licèt præſciret illum præuaricaturum.

Deus ante hominis formationem illi præmia propoſuit.
Theod.

5. Magnificum triumphum Ieſu, Euangeliſta Matthæus deſcribit, quando pacificus mortis; & Tartari debellator, non curru vectus aureo, ſed ſuper pullum aſinæ ſeſſitans, cum puellorum plauſu & acclamatione *Oſanna,* ingreſſus eſt Ieroſolymam; præeunte Apoſtolorum Senatu, & promiſcuâ turba cædente ramos, viridéſque frondes, palmam, cedrum, myrtum ſubſternente pedibus Chriſti. Matth. cap. 21. verſ. 8. *Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.* Addit noua ornamenta comitatui S. Ephræm orat. de Abraham, proceſſiſſe ad triumphum Apoſtolos manibus ferentes victoriæ palmas. Hæc ſunt illius verba: *ſequebantur eum diſcipuli brauia tenentes,* quid ſit brauium, docet Paulus 1. Corinth. cap. 9. verſ. 24. *Vnus accipit brauium:* eſt autem brauium præmium quod certantibus, ac vincentibus datur. Nunc percipies S. Ephræm acumen ſententiæ, *ſequebantur eum Diſcipuli brauia tenentes.* In ſolemni illa Saluatoris pompâ, Apoſtoli triumphalibus coronis & palmis laureati, cæleſtis Agonothetæ cingebant latera; ante certamen coronæ munere ornati, ante luctam triumphatores: anticipata diſtribuit Ieſus, ſerta, præmiáque victoribus.

D. Ephr.
Ieſus palma victoriam donat Apoſtolis ante conflictum.

6. De eodem munere largitatis prouenit prima Hominis benedictio, Geneſ. cap. 1. verſ. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Maſculum, & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus.* Necdum homo plaſmatus de terræ limo, necdum exſufflante Deo ſpiritum vitæ, vitales ſpirabat auras, & creationis beneficio perfruens introducitur. Hæc annotauit S. Ioannes Chryſoſt. homil. 10. in cap. 1. Geneſ. dicens: *Nondum enim de formatione decurrat, neque dixerat vnde mulier producta; maſculum, inquit, & fœminam fecit illos, vidiſti quomodo, quod nondum factum, quaſi iam factum narrauit.* Non ſpectat horam formationis, ſed præuenit temporis celeritatem, vt homini præſtet beneficia, & auget conceptum Chryſoſtomus; *Benedixit illis Deus, vide miſericordiam Domini, antequam mulierem producat, participem illam facit imperij, & benedictionis honore dignatur.* Vt puniat, cunctatur Deus, differt, tempus prorogat, & pœnæ promiſſum remoratur; vt largiatur munera benedictionis, & gratiæ, anteuertit tempus, anticipata præmia virtutis iuſtis compenſat.

Deus Adamo, & Euæ ante formationem impertitur benedictionem.

D. Chryſ.

Eua ante formationem imperij inſertis decernitur.

DISCVRSVS IV.

Vnius iuſti virtus potentior eſt ad exorandum diuinum numen, & auertendum flagellum, quàm tota in vnâ vrbe improbitatum manus ad laceſſendum Deum, vel irrogandum ſupplicium.

1. SACRVM illud fulgentiſſimúmque Alexandrinæ Eccleſiæ lumen Cyrillus illuminans, & illuſtrans locum Oſeæ cap. 9. *Omnes principes eorum recedentes,* ſeu vt legunt LXX. *inobedientes* inobedientibus exlegibus, & contumacibus Dynaſtis obiicit vnum legiſlatorem, & Principem Moyſem, & in memoriam reuocat egregium

Principes recedentes qui dicantur.
Lect. LXX.

Moſaici

Moſaici animi robur, vt tutaretur populum ab impendenti diſcrimine mortis. Cum enim vituli aurei promulgatus cultus voce præconis, altè inſideret animis Iſraelitarum, & Baccho, & Veneri indulgentes, & ante figmentum auri in genua prouoluti, auro, & Dæmoni dederent Deitatem; virus idololatriæ, quod ſenſim ſerpit, excindere tentat Deus gladio, aut igne. Quis impiæ multitudini, & infidæ plebi opitulabitur? quis fulgurantem gladium ſuper vniuſcuiuſque ceruicem extentum auertet? qui lacrymarum riuuli iræ Dei flammas extinguent? vnus Moyſes occurrit Deo, tenétque vindicem manum Exodi cap. 32. verſ. 30. *Aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quinero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Aſcendit, exorauit Deum; vt parceret, inflexit. Audi S. Cyrillum: *Deum indignantem, ſua virtute, & germanitate quodammodo ad ignoſcendum compulit. Annuit Propheta Deus, vt ignoſceret omnibus. Cernis quantum moderatoris erga Deum amor Iſraëli profluxerit; & quomodo vnus ad Deum flectendum, propter ſubiectionem, & obedientiam pro omnibus ſuffecerit?* Quouis Hortenſio eloquentior Moyſes, in cauſa populi retulit palmam; Deus tanti legati gratia cum populo pepigit inducias. Magna Dei erga Moyſem obſeruantia; ô quantum reueretur Deus vnius iuſti virtutem, cuius voluntati, & precibus obſecundat ad bellum iam, & vindictam incitatus, flagellum reiicit, iram temperat, arma deponit. Denique Dominum iracundiâ ardentem cùm populo reconciliauit. Repeto verba Cyrilli: *Vnus pro omnibus ſuffecerit, vt ignoſceret omnibus,* maiores, minores, viri, feminæ maximi criminis rei facti ſunt; ſed Moyſes non vni vel alteri indulgentiam extorſit, ſed à miſericordiarum Patre generalem pœnæ abſolutionem ad populum detulit.

D. Cyrill. Alex.

Vnus Moyſes virtute ſua populum à ſupplicio eripit.

Moyſis obedientia quãtum potuit.

D. Cyrill.

2. Cum voraces flammæ, & rapida ignium fluenta ſuper capita Sodomitarum impendêrent; Loth citato curſu ab Angelo manuducitur, & ſulphureo eripitur incendio, ſed vir iuſtus penè exanimatus periculo, dum recolligit animum, vnius integræ vrbis incolumitatem ab Angelo deprecatur. Nec irritæ preces. Geneſ. cap. 19. verſ. 20. *Eſt ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea: Numquid non modica eſt, & viuet anima mea? Dixitque ad eum: ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro qua locutus es,* quem locum examinans ſanctus Ambroſius ponderat quantum vnius ſancti virtus valeat ad tutamentum vrbis integræ, in enarratione 2. ſuper Ionam hæc verba ſcribit: *Legimus quod de Sodomitarum excidio meritis ſuis Loth ſolus liberauit Segor ciuitatem; quod magis valuerit ad ſaluandum vnius gratia, quàm ad euertendum peccata multorum.* Vnus iuſtus tanquam Sol orbis peccatorum tenebras diſſipauit; & illius deprecatio velut irriguum aquarum fluentum torrentes ignis ſopiuit.

Propter preces Loth, vrbs integra eripitur ab incendio.

D. Ambr.

Magis valuit ad ſaluandũ vnius virtus, quàm ad perdendum peccata multorum.

3. Quid plura? Ne prætergrediamur verba eiuſdem capitis, ore prolata Angelico, plena dulcedinis, plena pietatis. ibi verſ. 22. *Feſtina, & ſaluare ibi; quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc,* qui poteſt vel ſolo nutu ſolo exæquare vrbes, & totum circumrotare orbem, non poteſt facere quidquam: quæ vis illa ſublimis, quæ retardare valet Angeli potentiam? nubes impluentes, irrorantes ſulphura comprimuntur, flammarũ vomitus coërcentur; aër inſtar Ætnæ eructare cupiens incendia, & fluminum turbines, frænatur ad conſpectum vnius iuſti; nec Angelus, nec aër, nubes, incendia, caminus ignis, & ſulphur poſſunt facere quidpiam, donec Segor ingrediatur iuſtus. Comparat hunc locum Oleaſter acutè cum ſententia Exodi cap. 32. verſ. 10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos.* Et hæc verba ſubſcribit: *Quis te Domine, quæſo, ligauit, vt à ſeruo ad puniendum poſtules dimitti: claudere & ligare ſolent ſancti Deo & Angelis manus, ne poſſint illis, aut alijs nocere, niſi voluerint ipſi.* O iuſtorum omnia potens virtus! manicas, & nexus iniiciunt Dei omnipotentis manibus, eaſque ligant ſuarum precationum lacertis; ô teneram, ſed immerſo amore plenam bonitatem, quæ vinciri, & ligari ab amicis ſuis permittitur! Potentiam ſuam velut deprimit creator, vt iuſtos viros pœnis, & ſuppliciis à diuina iuſtitia intentatis ſuperiores oſtendat. Ligantem hominem video, ligatum, & vinctum Deum cerno; nec punitiones immittit, nec pœnas irrogat, nec gladium, & ſcutum ſumit, nec arma deponit, niſi ex iuſtorum arbitrio; dum Deus ex redundantia amoris, iuſtorum virtutem placido vultu veneratur, ligatas manus Dei, & illius ligaturas exoſculor.

Viri iuſti ſuis precibus manus Dei ligant, ne ſupplicium immittant.

Oleaſt.

4. Cùm mitteret Ioannes ex diſcipulis ſuis duos, vt viderent Chriſti mirabilia, & Ioanni renuntiarent, eis Ieſus in hæc verba reſpondit Matth. c. 11. verſ. 4. *Et reſpondens Ieſus ait illis: euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis; cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt:* Mirum dictu, vt duos diſcipulos lucretur Ieſus, aut portenta patrantur, aut iam patrata commemorat, propter vnum, aut alterum iuſtum totum immutat naturæ ordinem. Non minus grauem quàm elegantem in hac mente Chryſoſtomum, inuenio, qui homil. 27. in Matth. in opere imperfecto ſic ſcribit: *Diſcipuli oculis, & auribus paſcebantur, mirabilia ſanitatum videntes, gratias agentium vocem audientes, & confeſſiones eiectorum Dæmonum. O miſericordia Chriſti! omnia faciebat, vt paucorum animas lucraretur: quia melior eſt apud Deum vnus iuſtus, quàm totus Mundus de peccatoribus plenus.* Hæc ille.

D. Chryſ.

Vnus iuſtus apud Deum potior eſt, quàm totus mundus peccatoribus plenus.

5. Meritò Ieremias anxiè quærebat in Ieroſolymorum vrbe iuſtum, qui malis omnibus occurreret, cap. 5. verſ. 1. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei,* quæ verba ad rem noſtram vſurpat S. Cyrillus Alexandrinus ad ea verba Oſeæ cap. 1. *Erit numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris.* Subiungit S. Patriarcha: *Intelligis ergo, quo pacto vel vnum iuſtum tuendum ſuſcipiat, & pro tota ciuitate orantem non deſpiciat, innumerabilem autem multitudinem, non curat, ſi videatur prophana, & ad impietatem declinet.* Non verbis magnitudinem, & opulentiam, non famam nobilitatis, non innumeram hominum multitudinem tanti æſtimat Deus, quãti vnius iuſti viri virtutem; reliqua alia tanquam caduca, mobilia deſpicit; iuſti virtus, & vna altiſſimis defixa radicibus, quæ nullâ vnquam vi, aut cæleſti, aut terreſtri labefactari poteſt, Deo cordi eſt, ipſa ſola hoſtium exercitibus occurrit, eôſque in fugam conuertit.

D. Cyrill.

Vnum iuſtum pro ciuitate orantẽ Deus ſuſcipit, & totam vrbem prophanam deſpicit.

6. In iuſtorum laudes ſe ſe diffundit Salomon, aſſerens eorum corda, labia, opera, ad inferendam miſeris ſoſpitatem, & repellendas infortunatas ærumnas ſuggerere auxiliatrices manus, Prouerb. cap. 13. verſ. 12. Eorum continentur elogia; *Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ deſiderium veniens.* Lxx. Seniores aliter verba diſpungunt in Bibliis Sixti V. *Iuſtus miſeretur, & commodat. Melior, qui incipit auxiliari corde eo, qui promittit, & in ſpem*

Viri iuſti cõmoda in ſuos contubernales redundãt.

Lect. Lxx.

ſpem adducit: arbor enim vitæ deſiderium bonum: In Catena Græca; ſic breuiter immurantur verba: *Iuſtus miſeretur, & commodat; honeſtum autem deſiderium eſt arbor vitæ.* Diuerſæ ſententiæ, ſed in commendationem, & decus iuſtorum æquabiliter conſpirant. Iniquus ciuitati nocet, omnibus moleſtus; at iuſtus, omnium commoditati inſeruit. *Miſeretur,* inquit, *& commodat.* Sicut enim amicus amico aurum, & argentum commodat, vt ex eo commodum, & fructus percipiat: ſic iuſti, qui ſunt Dei gazæ, fructus ferentes ſoſpitatis patriæ, in omnium ærumnis & calamitatibus ſeipſos vtendos dant, vel nomina ſua commodant iniquis, ad tranſlationem criminis, & ſupplicij; vt ex eo emolumentum percipiant immunitatis. *Melior, qui incipit auxiliari corde.* Corde, animo, ſolo deſiderio iuuant in periculis, ſicut Moyſes, qui corde clamabat, dum ore tacebat. Non ſola verba, opera, Deus, ſed deſideria iuſtorum reueretur. Nec diſſentit Auctor Anonymus in Catena Græcorum Patrum in Prouerbia, ſed nobilis, & antiquus apud Theodorum Peltanum. Anonymi verba hæc ſunt: *Miſeretur, opemque fert exteris, & ignotis: mutuat autem notis, & paribus, aut commodat verba, & repoſuit facta. Per deſiderium autem bonum, inſinuatur hic vitæ conſuetudo, quæ ſecundum Deum inſtituta eſt. Hanc enim vitam lignum, & arborem appellat, & meritò; quia vitam verè generat,* duplici, aptaque ſimilitudine iuſtorum vtilitates expendit. Prima mutui, ſecunda arboris vitæ. Quia mutuum dat ciuibus virtutem ſuam, & cum vſura pietatis, vt ingruentes arceat calamitates: vir iuſtus in vrbe, roſa inter ſpinas, inter dumeta, & vepres, arbor vitæ, nam ex ea frondes, & fructus incolumitatis pullulant, viuit ſibi, viuit omnibus, eiſque, dum à diſcrimine mortis eripit, vitam largitur.

Cat. Gr. — Vir bonus arbor vitæ.

Viri iuſti ciuitatibus commodant virtutes ſuas ad percipiendum lucrum ſoſpitatis.

Anonym. Theod. Pelt.

DISCVRSVS X.

Ad num. 10.

Veritatis comites gladius, vinculum, neruus, crux; ideò beati recenſendi Heroës, qui pro tuenda veritate, aut fortiter tolerant ærumnas, aut vitæ ſubeunt diſpendia.

Inclyti antiquæ Eccleſiæ heroës commendantur.

1. SALVETE ô inclyti Heroës veritatis aſſertores, & tutelares Angeli: fulgentiſſima cœli ſidera, quæ iuſtitiæ Solem Ieſum, qui veritas eſt, in nocte antiqui ſeculi præceſſiſtis, & viuidos, & fulgurantes radios roboris, & amoris ab ipſo mutuaſtis. Auete poma paradiſi noua, & vetera; antiqua, ob temporis vetuſtatem; noua, ob recentem memoriam, de veritatis albedine candida, de martyrij cruore non purpurea., quæ ſponſa & Regina Eccleſia in ſuæ ſapientiæ calathis, ſponſo ſeruauit. Vos alloquor fortitudinis germina, quæ apicem, & coronam ad cœlum ſuſtuliſtis. Vos enim ſponſæ dilectæ, quæ veritas eſt, propugnatores, Dei panoplia induti, non timuiſtis carceres, vincula, lanienam, non exhorruiſtis truculentos Regum Tyrannorum vultus, aut minaces inſani populi ſermones; quin comminatoria vaticinia tanquam Dei nuntij promulgaretis, iaculantes increpatoria verba, Dei verbum prædicantes. Audi clariſſimam tubam Propheticam toto orbe reboantem, immaniſſimi ſceleris ipſos dynaſtas arguentem: *Audite verbum Domini principes Sodomorum.* O quantæ procellæ, & turbines perſecutionum Iſaiæ conflantur, quia dixit verbum palàm, & apertè ſine inuolucris, ſine ambagibus! quia verbum hoc liberè protulit, ex omnium principum calculo adiudicatur morti, & pœnâ capitis plectitur, id refert ſanctus Hieronymus ex Hebræorum ſententia, quàm ipſe approbat, & refertur à Gloſſa ordinaria hìc ad ea verba: *Audite Verbum Domini Principes Sodomorum.* Et ſubiungit ſanctus Hieronymus: *Tradunt Hebræi Iſaiam, quia hoc dixerat, occiſum.* Cum hæc mente voluo, ſemper veridicam inuenio illam Florentis Tertulliani, & ſemper floridam, & vernantem de veritate ſententiam, qua eximiis laudibus celebrat Socratem confuſam Deorum turbam ſugillantem, vnum Deum prædicantem, & pro veritate occumbentem: ſic de eo Tertullianus fatur in apologetico aduerſùs gentes, cap. 14. *Taceo de philoſophis, Socrate contentus, qui in contumeliam Deorum, quercum, & hircum, & canem deierabat. Sed propterea damnatus eſt Socrates, quia Deos deſtruebat. Planè olim, id eſt ſemper veritas odio eſt,* nec hæc verba eo fine recenſui, vt Socratem in numero iuſtorum collocem; quæ enim communicatio lucis ad tenebras? ſed vt videas, quod planè olim, id eſt, ſemper, odium, vincula, necem veritas parturit.

Iſaias morte multatur, quia verbum liberè protulit.

D. Hieron. Gloſſ.

Tertull.

Socrates propter veritatis aſſertionem damnatur. Semper veritas odio eſt.

2. Redeo ad Iſaiam in carcerem coniectum, deſcendam cum illo libenter in foueam, vt nexibus illius propinem oſcula, & vincula illius diſſuauier. Rem prorſus miram narrat ſanctus Ambroſius de Iſaia in carcere conſtituto, ad ea verba Pſalm. 118. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt.* Serm. 12. Ipſius Archiepiſcopi Mediolanenſis verbis tibi do: *Fertur Prophetæ cuidam (& plerique referunt de Iſaia in carcere poſito) cùm mole imminentis vrgeretur exitij, dixiſſe Diabolum: Dic quia non a Deo loquutus es, quæ dixiſti; & animum in te, mentes, affectuſque mutabo, vt qui indignantur iniuriam, abſolutionem conſerant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate ſupplicium, quam pro adulatione beneficium.* Quid illuſtrius, ad innuendam Iſaiæ animoſitatem, & rerum humanarum deſpectum, imminente ſupplicio? non enim verborum adulantium lenocinijs irretitus, non amore vitæ, aut Dæmonis machinamentis inflexus, vt à veritatis propoſito deuiaret, maluit pro veritate mori, quàm pro turpi mendacio è vinculis eripi: O egregium animi robur, dignum cælicolis, dignum Prophetis, dignum Apoſtolis. Propter hoc ſolummodo facinus Iſaias mihi cordi erit, & illius amica vox ſemper iucundior.

D. Ambr. *Iſaiam in cuſtodia, & vinculis clauſum hortatur Diabolus ad veritatis retractationem.*

Iſaiæ gratius extitit pro veritate mori, quàm pro adulatione viuere.

3. Sed prodeat in medium in hoc honoris amphitheatro alius pugil in veritatis certamine clarus, & conſpicuus, nec minùs fidelis in redarguendis ſceleribus impiorum, Amos; tum Regi Ieroboam, tum populo liberè minatur excidium, iuxta Verbum Domini, cuius minas intrepidè iactat, cap. 7. verſ. 9. *Conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio.* Sed neſcio, quo furore percitus Amaſias Sacerdos Regem aduerſus Prophetam concitauit; vt ipſe Vates refert ibidem verſ. 10. *Et miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Iſrael dicens: rebellauit contra te Amos, in medio domus Iſrael.* Nec verbis ſolùm, & contumeliis ſanctiſſimum vatem mulctat, ſed in eum manus inferens, verberibus, & maxillarum contuſione excruciat. Duo Eccleſiæ lumina ipſius varia referunt trophæa, & inuictæ patientiæ inſignia. Primum ſanctus Cyrillus Alexandrinus

Amos prophetæ animoſitas in obiurgãdis ſceleribus Dynaſtarum.

Amaſias Sacerdos perſecutionum tempeſtates excitat contra Amos.

D. Cyrill. Alex.

Amaſias vatis Amos dētes contriuit. D.Epiph.

xandrinus præfat.Commentariorũ Amos ait : *Sacerdos autem Bethel Amaſias Propheta dẽtes contriuit, quem poſtea ad Jeroboam Regem Iſrael miſit.*Secundũ S.Epiphanius,de *Vita,& Interitu prophetarũ*, nouas addit coronas,& palmas;ſic enim ſcribit de Amos, *Ab Amaſia Sacerdote Bethel iugiter vapulans,inſidijs, & cõuitijs notatus eſt.Poſtremò verò filius Amaſiæ fuiſſe eum ſecundùm tempora feriendo , occidit; quod eum de inſidijs duorum iuuencorum ex auro ſugillaſſet.*Felix cõcionator, qui in ipſa Verbi Dei palæſtrà occubuit; impium & ſacrilegum adulatorẽ Regis Amaſiam vſque ad vltimum halitum coarguens:verè beatus, qui pro veritate decertans cecidit; & inter brachia veritatis recumbens, ſuis floridis ſertis , & verborum gemmis coronatur; fixit proculdubio columnas cum tituli inſcriptione, Herculeis celebriores, quas nec tempus edax , nec vetuſtas , nec obliuio ſuo puluere conſepeliet.

Amaſias Prophetam Amos contumelijs onerat : filius Amaſiæ fuſte vatem necat.

4. Alterius Athletæ libenter attexo triumphum, quem ibidẽ refert S.Epiphanius: ſic enim de morte Micheæ Prophetæ fatur: *A filio Achab,cui nomen Ioan , præcipitatus, occubuit, eo quod de iniquitatibus ſuis, progenitorúmque ſuorum, quas perpetrauerant,redarguiſſet.*Quis cum his heroibus annumerari non cupiat; addereque cœlo nouas coronas,& palmas? eundem agonem veritatis ingredimur ; fortè eadem oppugnatio veritatis viget. Sed vbi idem robur,& inuictus animus in veritate tuenda,in redarguendis ſceleribus? Fugimus mortis diſcrimina, recuſamus ærumnas , & vel leuiores potentiorum minas formidamus.

D.Epiph. *Filius Achab Micheã vatem de alto præcipitat.*

5. Sed redeo ad antiquiores victorias virorũ fortium; in initiatione vituli conflatilis non defuit in medio nationis prauæ , & in tanta turba peccantium, qui gloriæ Dei zelo indutus, iniquis conatibus impauidè obſiſteret, nõ Aaron Sacerdotij munere perfunctus,qui pugnare pro aris,& focis veri Dei,ſtrictiori obſeruantiâ tenebatur; cæterùm puſillanimitate, & timore correptus Sacerdotij ſplẽdorem ignominiæ maculis aſperſit; ſed Hur ſocius regiminis,ſocius poteſtatis, qui deteſtandã nequitiam ſacrilegi populi ferre non ſuſtinens , in medium proſilijt, & in dubiam vitæ ſe commiſit aleã, id indicat Exod.32.v.1. *Videns autem populus,quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes , congregatus aduerſus Aaron dixit : Surge fac nobis Deos,qui nos præcedant.* Cur venerabilis Hur tacetur,& ſecũdi magiſtratus perſona ſilentio inuoluitur ? Hunc quæſitum proponit Guillelmus, & grauiter expẽdit dubio tertio:*Quæritur ergo, cur non ſit hic mentio de Hur,quem inſtituerat Moyſes ad regimen populi cũ Aaron,priuſquàm aſcenderet in montem Sinai?* Et reſpondẽt ex Ioſepho , & auctore hiſtoriæ Scholaſticæ:*Iam populus interfecerat eum, quod ipſum argueret de tanto ſcelere* , Audaciâ & impudentiâ fretus populus, Hur de medio ſuſtulit, eo quod idololatriæ maximum ſcelus in omnium faciem impingeret. Seipſum libenter morti deuouit, vt populum ſibi ſubiectum à Dæmonis, & idoli cultu liberaret ; & tum fore gratiorem victimam exiſtimauit , cùm pietate coronatam, & patientiâ in ſubeundis contumeliis conſecratã,proprij ſanguinis purpura laureatam , ſubditorum impiæ manus offerrent Deo. Supplicio maius,Synagoga viro Hur, cuntulit beneficium , cùm vberrimum fructum iam matureſcentem , & granum à paleis ſeculi ſequeſtratum cæleſti condidit horreo.

Hur obſtitit cultui vituli aurei.

Guill. *Hur nulla fit mentio , quia à populo occiſus propter redargutionẽ vituli conflatilis.* Ioſeph. Hiſtor. Schol.

6. Dum hæc ſcriberem,incidi in coronam menſæ, & valde miratus ſum illius formam.Exod.c.37.à v. 10.*Fecit & menſam,& fecit illi labium aureum per gyrum ipſique labio coronã auream interraſilem quatuor digitorum,*Menſa panis verbi,quod procedit de ore Dei, labio ornatur, quia Verbum Dei non niſi labiis prædicatur , vitaliſque verborum cibus filiolis per labia diſtribuitur , nec prædicatio eſt ſine præmio,nec labium ſine corona.Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,ait fidelis Verbi Dei diſpenſator. Sed hæc corona,ſeu limbus menſã cingens,interraſilis, hoc eſt variis puncturis,ſeu inciſionibus perforata, quia labiis veritatem eloquiorum fundentibus,ſcelera increpantibus , non deficient lancearum cuſpides,gladiorum terebrationes:formam ſectilis, & interraſilis coronæ deſcribit Richard.de S.Vict.lib. de tabernaculo,quem citat Guillelm.in Exod.c.37. dub.9.verba Richardi ſunt:*Habebat autem crecturam quandam auream,quam Moyſes vocat labium,erat autem variis cælaturis ornata, & prout cælaturarum varietas exigebat, crebris intercißionibus perforata , vnde & interraſilis eſt dicta.* Semper enim veridica ſanctorum labia comitantur,clauorum ſtyli,& vngulę ferreæ terebrationes ; iaculorum interpuncta ſtigmata,gladiorum,ſeu ſerrarum interraſiles ſeu ſectiles ſciſſuræ, quales in ſeruis Dei vidiſti , quales in capite, & labiis Iſaiæ cernere licet , dum ſerrà vel ligneà , vel ferreà ſecatur, labia illius , & corona ſunt interraſilia.

Corona menſæ interraſilis.

Guill. Richard. Vict. *Labium menſa variis interpretationibus perforatum.*

Labia veritatem prædicãtia, aduerſitatum intercißionibus ornantur.

Discvrsvs VI.

Imperatoria paludamenta,& fumoſas maiorum imagines vitiis deturpatas deſpicit Deus ; à quo pulchra , & alma nobilitas agnoſcitur, quam virtus, & honeſti mores exornant.

1. Qvis non miretur , quod Abrahamidum, & Iſraëliticum genus,& Ieroſolymitanos incolas , quos paulò ante nomenclaturâ filiorum Dei condecorauit : *Filios enutriui,& exaltaui*, nunc principes Sodomorum , & populum Gomorrhæ nuncupat vates ? Etenim ab auitis inſtitutis recedentes,atauorum decus perdiderunt;Sodomorum, & Gomorrhæorum conſuetudine , & diſciplinâ imbuti , eorum neceſſitudinem contraxerunt , vt quorum imitati ſunt mores,& cultum,eorum participent ignobilitatem, c.6. Geneſis obiurgatur libido filiorum Dei,ibi v.2. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ , acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant :* & tantùm diſplicuiſſe Deo has nuptias , vt propter eas aquis diluuij ſummergat orbem, ibidem v.3.referuntur.tantum malum eſt viro nubere fœminæ, præſertim in ſeculo, in quo ſterilis maledicitur? in quo filiis Dei , Patriarchis, Prophetis , honorabile , & laudabile connubium? cur ergo in lege naturæ filiis Dei matrimonium ſugillatur? Huius difficultatis eleuat pondus ingenij ſui acumine , & dexteritate magnus Athanaſius in interpret.parabolarum, q.62. Do tibi illius verba : *Qui ex Enos nati ſunt liberi, filij Dei vocati ſunt, quemadmodum etiam nos ex Chriſti Domini noſtri nomine Chriſtiani nominamur. Segregatum eſt enim genus Seth ; nec cum eis commixtum, qui erant ex Cain, propterea quod ille à Deo omnium eſſet maledictus. Poſtea verò videntes filias ex cognatione Cain eſſe pulchras, atque blanditiis decepti,duxerunt eas vxores , & ſuum ita genus corruperunt.* Non exprobratur abſolutè coniugium,quod educandæ proli , & propagando generi humano inſtitutum eſt ; illa tamen ſocietas cum improbis fœminis de ſtirpe Caïn iure reprehenditur , quæ non dotes animi , & honeſtatem morum ; ſed ſpeciem corporis , & carnis blandimenta

Cur connubia filiorum Dei taxantur à diuina Scriptura?

D. Athan.

Nuptiæ filiorũ Seth,& filiarum Cain Deo inuiſã.

menta conquireret, erant enim duæ illæ generationes ſegregatæ; altera ex Adam, Seth, & Enos lineam ducens, quæ Dei cultui, & inuocationi diuini nominis conſecrata, filiorum Dei nomine decoratur, tanquam electus, & dilectus à Deo populus: Altera ex Caïn deriuata progenies, quæ paterni generis ſplendori tenebras offuderat prauitate morum; erat enim hæc impia, & iniqua natio, in omnem libidinem effuſa; ex hac ergo Caïn genealogia fœminæ in matrimonium aſſumptæ à filiis Dei, vt ſunt validiores fœmineæ blanditiæ, eos auertebant, à via veritatis ad ſuas prauitates traducentes, genus ergo filiorum Dei corruptum, & obſcuratum eſt, amiſſa virtute, & ſanctitate, quæ apud Deum, vera nobilitas eſt.

> *Quis maiori nobilitate præfulget Adam, vel Noë?*

2. Clemens Alexandrinus Adæ, & Noë comparat nobilitatem. Quis regaliori ſanguine procreatus, & inſigniori familia ortus, Adam, an Noë? pro Adam illuſtriora claritatis militant inſignia. Homo primus Adam Dei plaſtes, diuinis manibus efformatus, cui Deus animam inſufflauit, humani generis origo, & imperator totius orbis à Deo conſtitutus; manet ergo Adam dignitate, genere, antiquitate auguſtior. Sed tanquam excellentiorem, & digniorem amplitudinem Noë Clemens Alexandrinus defendit l.2. ſtromatum, ibi ait: *Quid enim Adæ profuit talis eius nobilitas, & quod eius nullus eſſet Pater mortalis? ipſe enim pater hominum, qui ſunt in generatione, turpia quidem prompto, & alacri animo delegit, vxorem ſequens: vera autem, & honeſta neglexit, quo factum eſt, vt vitam immortalem mortali commutaret; Noë autem, qui non ſic fallus eſt, vt Adam, curâ ac prouidentiâ Diuinâ conſeruatur: ſe enim Deo obtulit, ac dedicauit.* & paulò ante: *Ipſa enim nobilitas oſtēditur in eo, quod quæ ſunt pulcherrima honeſtiſſimáque digat, & exerceat.* Noë virtutis honeſtatem, & pulchritudinē elegit, quæ omnem formoſitatē ſuperat; dum egreditur ex arca, & victimam odoratam Deo offert, ſeipſum Deo dicauit: Adam verò amiſsâ Dei originali iuſtitiâ, animum ad turpitudinem, & delicias corporis inclinauit, docuitque corpus contra animū etiam inuitum rebellare. Summo genere, atque clariſſimo natus Noë, qui antiquam Adæ proſapiam virtutis fulgoribus illuſtrauit.

> Clem. Alex. *Adam nobilitate inferior, quia peccator.*
>
> *Noë ampliſſimum decus honoris adeptus, quia virtutem ſectatus, ſéque Deo dicauit.*

3. Expulit Dæmonem Ieſus ex homine muto, & cæco, de imperio ſuo Satanam deturbauit, & dum ad turbas concionem habuit, Maria virgo ad cœtum appropinquauit Matth. c.12. v. 46. *Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei, dixit autem ei quidam: ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te, at ipſe reſpōdens dicenti ſibi ait: quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Quàm libera voce, & ſeuera iudicij virgula dilectam perſtringit matrem! Nunquid caro Chriſti à carne virginis videtur extranea, quòd matrē à ſeipſo ſecernit, dum ait: *Quæ eſt mater mea?* nūquid aliquid dubitationis circa matrē inferre voluit; qui nuper indulgentiſſimus in mutū; & turbā extitit, idem acerbus, & ſeuerus in matrem? omnem carnis, & ſanguinis affectū exuit Ieſus, vt virtutis dignitatem in ſublime efferret, & ſuperbū Iudæorū faſtū deprimeret, qui de ſolo genere Abrahæ inſolenter gloriabantur. Non negat, nec reſpuit matrē, ſed adſtruit probitatem; pulchre S. Chryſ. hom.45. in c.12. Matth. ait: *Non enim reſpondet: abeas, & dic mulieri huic, quia mater mea non eſt; ſed ad dicentē directo ſermone dicit, quæ eſt mater mea? illud etiā probat, nec matrem, nec fratres ſuos virtutē negligere oportere, vna enim ſola, & vera, & communis nobilitas, atque neceſſitudo cum Chriſto eſt, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multò melior eſt, atque præſtatior.* Matrem aſſeruit, non negauit, dū illius loquelam, aut ei dare reſponſum diſſimulat; inſtruere voluit errantes, ne à via veritatis inflecterent animos, ne ſplendore falſi honoris obiecto, eorum acies perſtringeretur; aut virtutis luminibus officeret altitudo fortunæ, & nitor humanæ gloriæ. Eā verā nobilitatem, & neceſſitudinem meliorem cū Chriſto exiſtima, ſi illius volūtati obſecūdes. Hæc legis obſeruantia ad eximij honoris apicē te euehet, vt cū ipſa Deipara de dignitate aliqualiter contendas.

> *Ieſus carnis, & ſanguinis affectum reſpuit, vt virtutem exaltet.*
>
> D. Chryſoſt.
>
> *Neceſſitudinē cum Chriſto contrahit, qui voluntatem Dei facit.*

> *Magna dignitas eſſe Chriſti matrē, fratrem, & ſororem.*

4. Veneranda, & admiratione proſequenda vltima ſermonis Chriſti clauſula Matt.c.12.v.50. *Quicūq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quis maior dignitatis gradus, & honoris amplitudo, quā eſſe Chriſti fratrem, ſororem, & matrem? vt hæc omnia teneas vna tibi ſanctitatis via patet. Perpende, quantū dignitas hæc ex verbis S.Chryſoſt. accreſcat hom.45. *O mirabilem honorem!* (inquit) *ô virtutis incredibiles vires, quò ducitis benè viuentes homines? Mulieres ſanctiſſimam illam virginem beatificarunt, quotquot vterū illum admirantur, quotquot optarunt tales fuiſſe matres? quid igitur prohibet? ecce nanque rectam, atque facilem viam nobis propoſuit, vt non fœminis ſolum, verum etiā viris ad hunc ordinem peruenire liceat, imo verò etiam ad maiorem. Multò enim propinquiores Deo ſunt, qui voluntatem eius faciunt, quàm qui ſumma carnis neceſſitudine coniunguntur.* Ea verba: *imò verò etiā ad maiorē, & multò propinquiores Deo ſunt, &c.* ſic accipe, vt cōparet Chryſoſt. maternitatē Dei, & virtutem, ſeu gratiā, & filiationem adoptiuam, quæ dignitates ſi præciſæ, & ſeparatæ cōſtituerentur, præferendā eſſe dignitatē filij adoptiui docet, & propinquiorem, & perfectiorē coniunctionē eſſe iſtam, quàm ſummā carnis neceſſitudinem; ſi verò dignitas matris Dei moraliter cōſideretur, ſecundum omnia, quæ includit ex natura rei, & ex ordine diuinæ ſapientiæ illi debentur; altiorē eſſe dignitatē filiatione adoptiua dubitandū non eſt. Sed redeo ad conceptū ore aureo prolatū, licet vnicuiq; eſſe matrem Chriſti in prima acceptione, & ſummā obtinere dignitatē, ſi Dei iuſſis obtēperet; felix virgo, quia corporaliter genuit; ſed multò felicior, quia per obediētiam pepetit; magna cū Deo neceſſitudo, quòd Verbū induit carne, ſed maior cū Deo, propinquitas propter ipſius matris virtutem, & gratiam, magnum nobilitatis decus eſſe coniunctum cum Chriſto genere, & ſanguine, ſed maximum ornamentum eſt, intimior neceſsitudo, & propinquitas, quæ operatur per charitatem, & gratiam. Hic apud Deum potiſſimus titulus dignitatis.

> D.Chryſ. *Virtutis vires incredibiles.*
>
> *Qua via quis poſſit eſſe Chriſti mater.*
>
> *Dignitas filij adoptiui, & maternitatis Dei comparantur.*

> *Improbitas inhonora.*

5. At improbitas, fortunatum, gloriæ, & ſanguinis facit iacturam; & ſublimiorem quēque de celſitudinis culmine ſtatim deiicit. Quæ nobilior progenies Iſraëliticâ? at poſt ſcelera, ignominiæ notā inuritur, & audit à Deo Ezech.c.16.v.3. *Hæc dicit Dominus Deus, Ieruſalem, Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa,* vbi Theodoretus mentem noſtrā exprimit, eius verba ſuccinctè colligo, & tranſcribo. *Nulla cū Abraham, & Sem cognatione coniunctus, quorum enim pietatem repudiaſti, eorum etiam cognationem amiſiſti, & illa nobilitate prorſus ſpoliatus es. Chananæam ipſorum ſtirpem vocat, patrem Amorrhæum, & matrem Cethæam, quorum enim æmulati fuerant impietatem, eorum meritò cognationem contraxēre.* Apud Deū vera nobilitas virtus eſt, ij, qui ſocordia, & vita flagitioſa ſtirpem commaculant, non ſunt in ea recenſendi, ſed in altera improborū obſcura, & ignobili, quo-

> Theod. *Qui inſtorum pietatem non æmulatur, eorum nobilitatem amittit.*
>
> *Iniquæ ſtirpis qui particeps eſt ſceleris, conſors eſt eius ignominiæ.*

rum

rum vitia æmulati ſunt. Cum Abrahami fidem,& Iſraëlis conſtantiam ſequuti, meritò de tali genere glorientur; cum Chananæorū, & Amorrhæorum ſcelera in ſe ipſis exprimunt,ignobilitate, & dedecore Chananeæ generationis notantur infamiâ.

Verſ. 11. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum,& agnorum,& hircorum nolui.

COMMENTARIVS.

Quo tempore licita erat lex Iudaica.

1. NON damnat obſeruantiam legis Iudaicæ, quæ Iſaiæ temporibus licita erat vſque ad Chriſti noui legiſlatoris, & Spiritus ſancti aduentum, nam mandatum acceperat Moyſes de cuſtodiendis ritibus,efferendis victimis, & de feſtiuitatum celebratione,vnde Nahum c.1.v.15. dicitur: *Celebra, Iuda feſtiuitates tuas,& redde vota tua*, quæ omnia etiam poſt captiuitatem Babylonicam, & reditum ad patriam Ieroſolymitani ciues exhortantibus Eſdra, & Nehemia, Ioſue, & Zorobabel, ſumma obſeruantia coluerunt; ſæpiſſimè dato cælitus approbationis, & complacentiæ ſigno, cum apparebat gloria Domini, & templum occupabat nebula; cæterum in his omnibus non ſolum exteriorem cæremoniarum apparatum Deus requirebat, ſed interiorem animi ſanctitatem, mentiſque munditiam bonis operibus ornatam. Iudæi ergo æquo plus ſibi arrogantes, & ſoli exteriori cultui religionis nimium confidentes, eo ſolo ſine cordis puritate,fidéque viuâ diuinum numen placari,peccatáque remitti,exiſtimabant. Ab hac falſa opinione, & errore ſuum populum grauiſſimâ oratiōne eripere conatur Iſaias dicens: *Quo mihi multitudinem, &c.* victimas immundo corde, ſacrilegis manibus oblatas reſpuo, non numerum oblatorum, ſed offerentis affectum Deus reſpicit. Et hic ſenſus colligitur ex ſequenti contextu, in quo ita concludit; *Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Et ſtatim adiungit,quo animo,& affectu offerenda ſacrificia, & feſta celebranda: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, &c.* hoc indicat S. Baſilius in Commentario Iſaiæ: *Si quidem victimæ impiorum abominatio apud Dominum,qua quæſo fiducia nixi,per victimas, quas quidem numeroſè offertis, ſperatis vos aſſequuturos vllam redemptionem animarum veſtrarū,ſine condigna,ac rationabili pœnitentia?*

Cordis puritas in oblatione victimæ exigebatur.

D. Baſil.

Vetuſtæ legis, & ceremoniarum eius repudium prædicitur.

2. Præterea repudium antiquæ legis, ſacrificiorū, & ceremoniarum, in his verbis agnoſcunt ſancti Eccleſiæ Patres, Cyrillus, Baſilius, Hieronymus, Procopius, nam adueniente vero ſacrificio, & hoſtia, quæ in ara Crucis oblata eſt, & quotidie in Euchariſtia ſacrificatur;vmbra,& typus ſacrificiorū & victimarum omnino ceſſauit. Vnde ſanctus Cyrillus ait: *Adueniente tempore, quo veritatis pulchritudinem oportebat eniteſcere, typus irritus eſt,vmbra inutilis. Nos enim fide in Chriſtum illuſtrati, ſpirituales hoſtias Deo offerentes, ſancta calcamus atria, nimirum Eccleſias.* Similes auctoritates de reiiciendis ſacrificiis, & feſtiuitatibus, reperiuntur Ieremiæ c.6.v.20. *Vt quid mihi thus de Saba affertis,& calamum ſuaueolentem de terra longinqua? Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta,& victimæ veſtræ non placuerunt mihi.* & Amos c.5. v.21. *Odi,& proieci feſtiuitates veſtras: & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quod ſi obtuleritis mihi holocauſtomata,& munera veſtra,non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam.*

D. Cyrill. Alex.

Deus nullius rei indigus.

3. PLENVS SVM.] Duplicem interpretationem admittit,primam,veſtris ſacrificiis non indigeo, cùm ſim Dominus omnium,nullius rei indigus,nec honoris, qui ex illis mihi redundat, cum ſit nullius; ac ſi alicuius momenti foret,non eſt mihi opus,nā plenus ſum majeſtate,honore, & gloria, tanquam omnium horum fons,& perennis ſcatutigo, à qua omnia decoramenta homines participant: fauet S.Hieronym. dicens: *Plenus ſum, hoc ſenſu eſt accipiendum,nulla re indigeo.* Fauet S.Baſilius: *Deum enim vel maximè addecet, plenus vt ſit ſuamet beatitudine, nec præter ſe egeat cuiuſquam alienæ opis, quæ deceat Deum, vox hæc eſt: plenus ſum, quum penes me vnum ſint omnia, meique iuris: nihil à quoquam expeto, (bonum enim illud eſt, quod omnia appetunt, reuera bonus eſt Deus) fons ergo totius plenitudinis, quocirca nullius ſum alienæ opis indigus: his autem, quibus propius me adiunxero, inducam plenitudinem.* Quapropter ſententiam prædictam æquo iure vſurpare poſſet Theologus, ad probandam Dei independentiam à creaturis.

D. Hieron.
D.Baſil.

Lect. Lxx.

4. Alter ſenſus indicatur à L x x. legentibus: *Plenus ſum holocauſtis arietum.* Et in fine clauſulæ pro eo, quod vulgatus dicit: *Facta ſunt mihi moleſta*, legunt: *Facti eſtis mihi in ſatietatem.* Vnde plenus ſum,idem eſt, ac ſatiatus veſtris oblationibus; mihi faſtidium pariunt,& prouocant ad nauſeam toties repetitæ victimæ, & oblata ſacrificia, ex quo Eccleſiæ Patres inferunt repudium antiquæ legis, & eſt optimus nexus ſententiarum, nam in antecedentibus comminatur Deus ciuitatis ruinam, & templi vaſtitatem, nunc legis, & ſacrificij Iudaici proponit repudium, & iuxta dicta, poſſet etiam hic ſenſus admitti: *Plenus ſum*,vacua enim erat illa lex, nec veritatem adæquabant illa vmbratilia holocauſta,donec peruentum eſt ad Chriſtum,qui eſt plenitudo legis,& plenum ſacrificium, qui vmbras omnes,& typos euacuās, ſua plenitudine adimpleuit. Nihil enim plenum ſine Chriſto.

Faſtidio erāt Deo antiqua ſacrificia.

Legis vacuitas Chriſto adimpleta.

DISCVRSVS I.

Theſaurorum Dei plenitudo in Euchariſtia communicatur, in qua Deus plenus eſt, plenáque victima, omnes corporis ſenſus, animique deſideria adimplens.

1. REIECIT Deus vitulorum, & agnorum antiquatas hoſtias, quæ nec plenè Deum continebant, nec iis plenus erat Deus, nec animi appetitum complebant, adamauit ſacrificium omni bono & dulcedine plenum, in quo plena Deitatis, & diuitiarum Chriſti effuſio, in quo Deus plenè habitat, & gloriabundus ait: *Plenus ſum.* Vnde ſanctus Gregorius Nazianzen. orat. 42. ait: *Lex Scripta introducta eſt ad Chriſtum nos colligens, atque hæc ſacrificiorum eſt ratio. Verùm magna illa, & quantum ad primam naturam immutabilis, vt ita loquar, victima legalibus ſacrificiis immixta eſt, illa,inquam, non exigua cuiuſdam partis orbis terrarū, nec ad exiguum tempus, ſed totius mundi nunquam intermoritura expiatio*,immactabilem hoſtiam appellitat Deitatem, Chriſtus autem in ara Crucis, & Euchariſtia oblatus omnium ſacrificiorum vmbras diſpellens,& vacuitates replens,diuina victima repleuit

D. Gregor. Naz.

Chriſti ſacrificium orbem totū implet.

Expiatio nūquam intermoritura.

pleuit orbem, complet tempora, dum plenus annis, vſq; ad conſummationem ſeculi, & plenus Eccleſiis & aris, quibus per totum terrarum orbem ſacrificatur; *nunquam intermoritura expiatio* nec nuncupatur; temporum plenitudines continens, vt omne æuum exornet.

2. Speciem, & elogium ſponſæ concupiuit ſponſus, ad cuius ianuæ limen ſtans, manum introduxit, vt eam apprehenderet; id ingenuè fatetur dilecta Cantic. 5. v. 4. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*; per tabularum fiſſuras, & ianuæ rimulas eam ſpeculabatur, blanditiiſque alliciebat, vt Regi & Deo aperiret cordis penetralia. Cur non totus ſe inſinuat in ſponſæ palatium, & aulam? cur non integer ingreditur, ſed manum tantummodo infert? reſpondet Pſellus in Cantica: *Sponſus in interiore eius tabernaculo noluit habitare. Sed illum, vt qui comprehendi non poteſt, minimè capiebat; hoc enim manu ſponſi, eâque ſola replebatur.* Ante aſſumptionem carnis, quando immaculata hoſtia, & expiatio delicti necdum litata erat, manum tantummodo ſponſus tradebat ſponſæ, veluti futurarum nuptiarum pignus, aut tanquam diſcipulæ oſtendebat diuinæ omnipotentiæ magnitudinem in creatione, & gubernatione orbis terrarum; quæ omnia manus exprimebat; nec immenſum Deum capere poterat creaturæ coarctatum domicilium, donec exinanita Deitas, mortiſque, & amoris memoriale perenne in ara Euchariſtica celebratum; tunc non manus, quarum digitis appendit molem terræ, non pedes, quorum ſcabellum eſt terrarum globus, ſed totus integer Deus, & homo plenus, datus eſt Homini, nec niſi toto, & pleno Deo animæ appetentiæ, & edendi auiditati fit ſatis.

Pſell.
Sola manu ſponſi repletur anima tabernaculum.
Quid denotet Dei manus.

3. De triumpho Chriſti diſſerens Paulus de Regno mortis reportato, ſubiicit 1. Corinth. cap. 15. v. 28. *Vt ſit Deus omnia in omnibus*, quæ ſententia, licèt de ſtatu gloriæ à quibuſdam intelligatur; de ſtatu Chriſti in Euchariſtia non ineptè accipies, in qua Deus eſt omnia in omnibus. Sed audiendus eſt S. Gregor. Nyſſenus oratione in dictum Pauli, *Tunc ipſe filius ſubiicietur*, dicens: *Deus nobis ſit omnia, quæ huic vitæ videntur neceſſaria, cum per quamdam analogiam, ſeu conuenientiam vnumquodque ſumatur, ac percipiatur diuinius, adeò vt Deus ſit nobis cibus, vt Deum eſt comedi conſentaneum, & potio ſimiliter, & indumentum, aër, locus, diuitiæ, pulchritudo, ſanitas, robur, &c. adeò vt per hoc diſcamus, quod qui eſt in Deo, omnia habet, quod illum habeat. Nihil autem aliud eſt habere Deum, quàm Deo eſſe vnitum.* Preme verba illa: *Qui eſt in Deo, omnia habet*, quibus inſinuaſſe videtur vnionem illam, quæ ex cæleſtis epuli participatione perficitur, & verbis Euangeliſtæ declaratur, *In me manet, & ego in eo.* Ego, inquit, totus integer & plenus Deus theſaurorum gratiæ plenitudinem conferens, & omnium donorum, & chariſmatum abundantiam impertiens, omnem omnino animi capacitatem explens.

In Euchariſtia Deus eſt omnia in omnibus.
D. Greg. Nyſſ.
Qui eſt in Deo, omnia habet.

4. Hoc epulo futurum hominem omnium deliciarum ſaturũ promiſit Ierem. c. 31. v. 12. *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini ſuper frumẽto, & vino*, quem locum de Euchariſtico cõuiuio accipit S. Hier. inquiens: *Super frumento, & vino, de quo conficitur panis Domini, & ſanguinis eius impletur typus, & benedictio ſanctificationis oſtenditur*, & Victor in cat. Græc. Patrum, ait: *Eccleſia frumentũ habet, granũ, quod mortuũ eſt, ex quo panis confirmans hominis cor, & vinum illud lætificans.* Subiicit Ierem. v. 14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur.* Reliqua mundi iſta oblectamenta, licet ad tẽpus impinguent affectum, non explent animi vacuitatem, ſed vacuam relinquunt, dum illecebroſæ voluptatis ſtillicidiis, aut exiguis guttulis irroratur; at deificum alimentũ omnes appetẽtiæ ſinus, & latebras explet, nec quid melius concupiſcere cordi linquit, vnde Chaldæus vertit: *Satiabo animam Sacerdotum deliciis, & populus meus bono meo, quod dedero eis, ſaturabitur*, iuxta mẽſuram amplitudinis, & poteſtatis, vnuſquiſq; dona diffundit, Deus vt Deus, Homo vt Homo; quæ cõmodoriũ, aut voluptatum dona parturiet ſpecioſior, iucundior, aut potentior imperatoris manus, niſi exilia, anguſta, minuta, cum tempore ipſo prælabentia? At omnipotentis dextræ magnifica, plena, quæ cordis famem explent, & veram ſaturitatem afferant.

Ieremias Euchariſtiæ myſterium vaticinatur.
D. Hieron.
Victor.
Cat. Græc.
Euchariſtia animam ſaciat, inebriat, & Dei bonis adimplet.
Chald.

5. Expande ſinus, ô Homo, explica guttura, & ora ſemper hiantia, dilata cordis receptacula, mentiar, niſi Deus ſuis cibariis te repleuerit, Pſ. 80. v. 11. *Dilata os tuũ, & implebo illud*, ſeu vt explicatius trãſtulit Concil. Lateranẽſ. ſub Martino I. tom. 7. *Aperi os tuum, & ego replebo illud, & ego adimplebo*, leniter ad Euchariſtiã trahit hanc ſententiam Arnobius, dum hæc pulchra ſcribit verba: *Quid eſt, quod tantoperè iubes, vt dilatet os ſuum populus crimineſus, atque incredulus, qui crucifixit Dominum? dilata, inquit, os tuum, & ego adimplebo illud: ò piiſſimus Saluator, & humani generis euidentiſſimus reparator: ſi vultis euadere mortẽ, quam incurriſtis, bibite ſanguinem, quem fudiſtis*, ipſos perſecutores Chriſti ad calicem, & poculũ excitat, vt os, quod ſemper patulũ erat, ad probra, & contumelias, cibo adimpleatur; & pectus, quod inſatiabili auiditate ſitiebat fundere Saluatoris ſanguinem, purpureis laticibus è corpore Chriſti fluctibus, inebrietur, repleatur. Nec diſſimilis eſt S. Hieron. in præſẽti carmine: *Dilatate ora veſtra, ipſe eſt Dominus & panis: ipſe hortatur nos, vt comedamus, & ipſe noſter cibus eſt. Quantumcunque dilataueris, tantum accipies*, quantum adiuuante Dei gratia animum dilataueris ad tantum hoſpitem, qui cibus, & conuiua eſt, & teipſum paraueris, tantum ex opere, vt aiunt, operantis, gratiæ, & dulcedinis accipies, vel: *quantumcumq; dilataueris*, ſic vſurpa: quantũcumque anima aulas, & domicilia habeat in immenſum capaces, & dilatatas, eas omnes replebit epulũ iſtud, quod Deus, & ſacrificiũ integrum, & plenum eſt; omnia implens.

Omnem hominis appetẽtiam Euchariſticum epulum implet.
Conc. Lat.
Arnob.
Carnifices inferẽtes Chriſto necẽ hortatur David, vt bibat eius ſanguinem.
D. Hieron.
Quantum dilataueris te, tantum accipies.

6. Iure ergo Clem. Alexãd. Chriſti ſacrificiũ vocat, *plenũ*, in quo Deus bonorũ ſcaturigo nullius indigus pleniſſimè ſe dedit hominib. l. 1. ſtromat. hæc ſcribit: *Eum glorificamus, qui eſt pro nobis ſacrificatus, noſipſos ſacrificantes, ad id, quod eſt nullius indigens*; & ſubiungit. *Nullius ergo indiget Deus, nec capitur voluptate, nec eſt aut lucri, aut pecuniæ cupidus, cũ ſit plenus, & cuilibet, quod ortum eſt, & indiget, omnia præbet*, hæc ſolummodo plena victima, in qua plenitudo diuinitatis, & gratiarũ eius copia velut effunditur, nec theſauros gratiarum, vt auarus, aut miſer abſcondit; ſed dat omnibus affluenter, & non improperat. De illius abundãtia ſumus participes, in quo eſt omnium rerum plenitudo.

Clem. Alex.
In ara ſacrificatur Chriſtus, qui nullius indiget, ſed eſt omnibus plenus, & omnia largitur.

7. Ampliùs: ſi Dauid citharam & Canticum exaudias, erit tibi volupe, & mellea ſaturitas, panis viuificus, præſtantior equidem, quam ea, quæ ex Hyblæis fauis diſtillit, inquit Pſalmographus Pſalmo 80. verſ. vltimo: *Et de petra melle ſaturauit eos*, non ſolùm delinifica voluptas, ſed ſatura, quam ſuggerit; non vas aureum Babylonis, aut volupiæ, ſed vinum in cratere ſapientiæ mixtum: mellitum ſuccum continent hîc verba ſancti Hieronymi: erunt tibi quaſi placenta ſac. hæc

Chriſtus in Euchariſtia petra fluens mell.
D. Hier.

aut

aut melle condita: *Ipſe frumentum eſt, ipſe petra, qui populum Iſrael ſatiauit aqua in deſerto ſpiritualiter, melle, & non aqua ſaturauit eum: vt quicumque crediderunt, & acceperunt cibum, mel ſentiant in ore ſuo. Denique Dominus noſter poſt reſurrectionem propterea fauum comedit, & de petra melle ſaturatus eſt, ergo rem dico nouam: ipſa petra mel comedit, vt nobis mel tribueret, & dulcedinem, vt qui in lege biberant myrrham, hoc eſt amaritudinem: poſtea in Euangelio comedant mel.* Non ſolùm mellita, & ſatura dulcedo panis diuini, ſed omnem animi appetitum, & corporis ſenſum ineffabili replet dulcedine; ipſe enim myrrhatum legis ſaporem in diuinam dulcedinem commutauit; vt in omnibus animi affectibus, corporiſq; ſenſibus mellificaret.

Qui vitæ accipiunt ſacrã ſynaxim, mel ſentiunt in ore.

Ieſus poſt reſurrectionem ſumpſit fauũ mellis, vt nobis mel tribueret.

DISCVRSVS II.

Chriſtus, qui in Euchariſtia eſt plenus gratiarum, & vitæ, in ſuſcipiente exigit plenitudinem mortis.

1. HANC inſigniorem formam victoriæ deferes Euchariſtico pani, ſi pleno domitarum paſſionum triumpho altaria circumdes; perfectus, & integer Deus, plenaque vita poſtulat improborum affectuum mortem: ſit plena membrorum mortificatio, vbi viuificantis alimenti præuiſer plenitudo; nullus motus ſine coërcitione remaneat, vt ſit tibi perfecta victoria, æmulatrix victoriæ Chriſti. Saluatori hæc tituli inſcriptio quadrat: *De morte vita.* Tibi hæc: *De vita mors.* Mors contulit vitam; vita confert mortem; dum mortificas omnia membra, quæ ſunt ſuper terram, & rebelles paſſionum comprimis motus. Hæc eſt Euchariſtiæ gratia, & effectus ſingularis, non vnam, aut alteram motionem animi, ſed paſſiones omnes cohibere, & intra metas diuinæ legis continere, ne ad illicita erumpant.

De morte vita: de vita mors.

2. Harum experta gratiarum Sponſa ſacra, dum Sponſum ſpeciebus panis velatum, labris tangit, dentibus premit, & è labris Chriſti caſta libat oſcula, ſic fatur, Cantic. cap. 5. verſ. 13. *Labia illius lilia diſtillantia myrrham primam.* Septuaginta legunt: *Myrrham plenam.* Quam lectionem amplectuntur S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 18. Græci Patres cum Theodoreto. Quia plenam paſſionum mortificationem præbet Chriſtus in ſuo conuiuio. Pulchrè Theodoretus ait: *Verbum Dei tribuens, quod vnicuique naturæ, mentique congruit, quaſi quibuſdam labris in ſingulis per communionẽ implicatur, modúmque docet totius mortificationis omnium motionũ.* Cùm enim Chriſtus per communionem corporis, & ſanguinis, cum animis fideliũ charitatis nexu vnitur (ſic enim verba Theodoreti vſurpo) totius mortificationis affert magiſteriũ; non quod vna aut altera habitudo improba coërceatur, ſed continuò conſulit, & auxiliatrices vires ſuppeditat, vt homo veluti cicures, & condocefactas belluas, habenis rationis flexibiles circumferat paſſiones, domitas habeat libidines, coërceat omnes cupiditates.

Myrrha plena mortificatio omnium affectuum in Euchariſtia inuenitur.
D. Ambr.
Theod.

3. Concupiſcentia, & ardenti animo inhiabat ad Chriſti corpus anima Sancta delicijs Deitatis delibuta, ſinus animæ expandens, interaque penetralia, vt fimbrijs, & lacinijs accidentium apprehenſum, in triclinium cordis introduceret, vt eſſet introductio perfectior, & capacior; omnes paſſiones animi mortificatas detulit Chriſto. Cantic. cap. 5. verſ. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: Manus meæ ſtillauerunt myrrham.* Sed quanta ſit prudentia, & mortificatio ſponſæ, declarat Pſellus in Cantica: *Vt ſponſum exciperem, aperui: at ille penetralibus meis capi non poterat. Surrexi ad laborioſum, & magis diuinum ordinem, vt quem antea capere non potueram, laboribus multis, & carnis mortificatione, latiorem cogitationis portam patefaciens, ſponſum comprehenderem.* Imperfectio ſponſæ, & modica affectuum cohibitio obſtabat, quòd plena capacitate ſponſum Chriſtum ſuſciperet, & gratiarum abundantiora fluenta detinebat, ne ſecundùm ſuum deſiderium ſponſus, in totam animi capacitatem copioſiſſimè diffunderet. Donec à Domino edocta, ad altiorem perfectionem, & ſuperiores comprimendarum paſſionum gradus ſcandit, & cohibitis perturbatis motibus animi, corporiſque ſenſibus frænatis, ampliſſimum ingreſſum aperuit ſponſo, vt eum in cordis aula reciperet; ſciebat enim, tametſi magnum, plenum, & immenſum, opitulante plena mortificatione, facilè affectu comprehendi. Surge ergo, vt aperias dilecto manè, vt ex cæleſti menſa accipias ſponſum in ore tuo, & in pectore recondas, ex manibus tuis, ex operibus tuis diſtillẽt ſtillicidia myrrhæ, & Ieſu mortificationem in corpore tuo circumferas.

Pſel.
Per labores & mortificationem latior porta aperitur ſponſo.

4. Dum adhuc in Canticis immoror, obſeruantem intueor Nyſſenum vigilias, & ſomnum ſponſæ, poſt conuiuium ſacrum ſuauiſſimo corripitur ſomno, lymphataque redditur præ amoris affectu. Cant. c. 5. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Audiendus eſt S. Greg. Nyſſ. hom. 10. in Cantica: *Poſt illud epulum ſponſa tenetur ſomno. Eſt autem alienus ſomnus, nam in conſueto ſomno, qui dormit non vigilat, & qui vigilat non dormit.* Sed eleganter ænigma ſomni Nyſſenus diſſoluit ſubſcribens: *Somnus eſt mortis ſimilitudo. In eo enim ſoluitur omnis ſentiens corporum operatio, cùm nec viſus, nec auditus, nec odoratus, nec guſtus, ſuo fungatur munere.* Poſt Euchariſticas dapes, de quibus illud intelligit Nyſſenus: *comedite amici.* Poſt plenam verbi, & panis cæleſtis ſaturitatem, apprehendit eam ſopor; ſomnus enim imago, & ſimulacrum eſt mortis; vt oſtenderet panem viuificum eam reddidiſſe huic ſæculo mortuam, omnéſque corporis ſenſus quadam mortis ſimilitudine fuiſſe conſepultos.

Somnus & vigilia animæ ex ſacra Euchariſtia percipitur.
D. Greg. Nyſſ.

Somnus mortis eſt ſimilitudo.

5. Cum ſeipſum Ieſus in ara Crucis immaculatam, & plenam hoſtiam Deo, & Patri dedicaret, poculum paſſionis, & mortis ex calice exhauſit, nihil dignius tanto ſacrificio, nihil huius vindemiæ conuiuio ſuauius, quàm myrrhatæ potionis hauſtus. Vnde S. Iſidor. Peluſiota aptè, & verè ait epiſt. 249. *Chriſtus, exhauſto vno in Cruce poculo, & amaritudinẽ ſanauit, & voluptatem immexit.* Ebibit omnes dolores mortis, & exhauſit omnes paſſiones: nulla enim pompa feſtiuior, nec celebrior apparatus ſacræ victimæ, quàm è ſcypho ſe ſe ingurgitare, myrrhato mortificationis vino, paterq; inſipida vinacea, & mortis voluntariæ fæces exinanire.

D. Iſid. Pel.
Ieſus in Cruce omnes paſſiones exinanuſit.

6. Hanc mortificationis formam detulit Iacob, vt inuido, & maleuolo fratri gratiam benedictionis præriperet; prærogatiuam maioris præludens parauit ſuaue ſympoſion, hædos non tam pipere, aut ſaccharo conditos, quàm Rebeccæ amore, obtulit caliganti Iſaac. Gen. c. 27. v. 17. *Deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit, quibus illatis dixit: Pater mi.* In hædo, & pane adumbratũ Chriſti ſacrificium, & Euchariſtiæ myſterium exiſtimat S. Ambr. lib. 2. de Iacob, & vita beata, c. 2. dicens: *Acceſſit ad ones Iacob, & attulit innocẽtiæ partus, quia Patriarcha*

D. Ambr.

Victimam Christi ſacram in cibo detulit Iacob parenti ſuo Iſaac.

cibum nullum credidit dulciorem eſſe, quàm Chriſtum, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus ad victimam. Hunc communi parenti, cibum vilem indicabat, quo futura erat remiſſio peccatorum. Sumpſit hœdum, quia victima eſt pro peccatis, panes comedit, panémque vitæ, qui de cœlo deſcendit; obtulit Iacob etiam vinum, vt Chriſti ſanguinem exprimeret noui teſtamenti. Sed quàm maturus quã ſapiens ſenex, quàm illuminatos ſuperni luminis ſplendore, habebat mentis oculos; omnem paraturam virtutum, & mortificationis inſignia ad cæleſte conuiuium, quæ præferebat Iacob, ſtatim præſenſit: ibi verſ. 27. *Ecce odor fily mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Iacob omnium virtutum halabat gratiam, myrrham mortificati cordis, & corporis, cæleſtis floris, & fructus ſpiramina redolebat. Et benè agrum plenum vocat, quia vt afferret parenti figuratiuum panem vitæ, omnem exuit carnis affectum, & omnibus paſſionibus ſuis voluntariam obtulit mortem. Ager plenus patientiâ, plenus mortificatione, plenus pietate. Subiungit ſanctus Ambroſius verba, quæ continentur lib. 2. de Iacob cap. 1. *In ſancto Patriarcha virtutum ſpirabat gratia. Quam continens erat parſimonia! Quàm pius erga parentes! Quàm religioſus, vt fratrem recuſaret lædere! Quàm verecundus vt patrem timeret fallere! Quàm honorificus, vt matri, quod iubebat, non poſſet negare!* His virtutum, & mortificationum pleniſſimis ornamentis amictus, ſacrum, & myſticum epulum patri deferebat.

Omnium affectuum mortificationem Iacob afferebat.

D. Ambr.

DISCVRSVS III.

Vir pauper, & egenus, cum ipſo Deo, de nullius indigentia, & de felicitate contendit.

1. NVLLIVS rei indigam naturam Dei, pauper ſpiritu perfectiùs æmulatur, at ſi non plenitudine perfectâ, integritate tamen animi omnia deſpicientis, omnia calcantis, illud effatum iuxta creaturæ captum proferre valet: *Plenus ſum, præter Creatorem pauciſſimis egeo.* Pulchra, & apta ſancti Gregorij Nazianzeni ſententia eſt orat. 40. aientis: *Teipſum offer, Chriſtum indue, honeſtâ & laudabili vitâ me ale. Sic ego excipi lætor, ſic etiã Deus, qui maxima quæq; beneficia nobis elargitur, Nihil apud Deũ magnum eſt, quod non pauper quoque donare poſſit.* Poſtrema verba diſcute, quæ de affluẽtia diuinæ liberalitatis erga pauperem manant. *Nihil apud Deum magnum eſt, quod non pauper quoque donare poſſit.* Vidiſti donatam pauperi omnipotentiam, vt ex diuinis, & magnis, quæ apud Deum ſunt, poſſit egenus largiri? Dum à ſe exuit affectum humanorum omnium, Deus veſtit diuinorum poteſtate; vt quidquid bonum, pulchrum, commodum de ſuperni numinis fonte ſcaturit, paupertatis hereditate poſſideat, & Dei beneficiorum, & munerum diſtributio ſuis diuidatur manibus. Quid plura? ſicut diſpenſator fidelis tua bona pauperi diſpartiris, id amplius eſt, quod pauper diuinorum munerum adminiſtrator, & diſtributor, bona Dei liberaliùs diuidit. Pauperis dona, cæleſtia, diuina; diuitis verò bona, terrena. Felicior ergo diuite pauper eſt. Cum Deo de liberalitatis, & potentiæ felicitate contendit, quia *Nihil apud Deum magnũ eſt, quod non pauper quoque donare poſſit.*

D. Gregor. Naz.

Viri pauperis poteſtas & imperium.

2. Primum inopem, & egenum, & nullius indigum Adam inuenio, adeò pauperem, vt nudum corpus nullo tegeret indumento. Quàm diues, & plena paupertas, quæ ærumnam egeſtatem, & indigentiam prorſus neſciret. Hac opulentâ paupertate in paradiſo fruebatur, eámque amiſiſſe lamentatur Cant. cap. 1. *Vineam meam nõ cuſtodiui.* Hæc accipe iuxta ſancti Nyſſeni mentem, homil. 2. in Cantic. ſcribentis: *Factus eſt homo ab initio nullius diuini boni indigens: Eius erat ſolum munus, bona ſeruare, non acquirere.* Non loquitur Nyſſenus de actibus virtutum ſupernaturalium infuſarum, quos eliciebat Adam, nec de operibus meritoriis ad vitam æternam, ad quæ omnia auxilio diuinæ gratiæ indigebat in ſtatu naturæ integræ, ex ſancti Thomæ placito, 1.2. quæſt. 109. art. 2. & quæſt. 114. art. 2. *corpore:* Sed quod plenus erat chariſmatibus, habitibus, & donis ad illum ſtatum pertinentibus, nullóque eorum indigebat, vel quæ ad vitam corporis, & ſpiritus, naturæ, aut gratiæ, ſed omnium habebat integritatem, & plenitudinem, & Dei regerebat naturam nullius indigam.

D. Greg. Nyſſ.

Adamus nullius rei indigus creatus eſt.

3. Nec mirum ſi Protoplaſtus omnium rerum plenitudine in horto deliciarum potitur, quando verus pauper ſub ditione ſua, omnia continet. Prouerb. cap. 17. verſ. 6. *Corona ſenum, &c.* poſt quæ verba, ſuperadduntur ſequentia apud Septuaginta ſeniores, quæ in vulgato non inuenies: *Eius, qui fidelis eſt, totus mundus diuitiarum; illius autem, qui infidelis eſt, neque obolus.* Sic leguntur in Bibliis Sixti V. & Regiis. In catena Græcorum Patrum aliter diſpunguntur: *Homo fidelis, quidquid in pecuniis ornamentis eſt, id totum poſſidet; perfido autem, ne obolus quidem ſuppetit.* Hanc præclaram ſententiam illuſtrat in eadem catena Didymus horum verborum luminibus: *Vniuerſa ſuperlunaris mundi cognitio hic adumbratur: aut indicatur hic, qui omnia propter Chriſtum aſpernatur, eum omnia poſſidere. Homo fidelis, qui circa illa, quæ in oculos incurrunt, ſtudium nullum ponit, proinde ferè comparatus eſt, atque ſi omnia poſſideret.* Quàm opima iuſti poſſeſſio, ſuperlunaris, & ſublunaris orbis, ſuâ paupertate continet ambitum. Dei plenitudinem æmulatur, qui in ſeipſo omnia continet. Sed ea verba Septuaginta: *Totus mundus diuitiarum*, ad fabuloſam felicitatem auriferæ regionis, aut aureorum montium, quam ſuperſtitioſa Ethnicorum vetuſtas ſuis Diuis pollicebatur, videntur alludere, quam in ſapiente, & ſpiritu paupere, non adumbratam, aut euaneſcentem, laruarum inſtar, ſed veram, & ſolidam inuenies.

Lect. LXX.

Cat. Græc.

Qui omnia propter Chriſtum relinquit, omnia poſſidet.

Didym.

Montes aurei quales?

4. In hoc beatitatis gaudio ſeipſo ſuperiorem Senecam excipies, dum epiſt. 25. inquit: *Diuitiæ paratæ ſunt, aut gratuitum eſt quo egemus, aut vile. Panem, & aquam natura deſiderat; nemo ad hæc pauper eſt: intra quæ quiſquis deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat.* Quàm fauſta proſperitas in Deo ſpem figere, & emendicatum à creaturis adiumentum ſpernere. Qui enim pane, & aquâ contentus, nec quidquam vltra ambit, beatitudine in ſeipſo perfruetur. Beatitudo quædam eſt bonorum aggregatio ſine indigentia, verus pauper totam vim benè viuendi in omni rerum humanarum contemptione ac deſpicientia ponit. Qui omnia contemnit, nullius ferè indigus eſt. Talem virum verè nuncupem viuum Deitatis ſimulacrum, & nullius indigæ omnipotentiæ imitamentum.

Seneca.

Vir pauper cum Deo de felicitate contendit.

5. Vnde Clemens Alexand. in exhortatoria ad Gentes ait: *Chriſtus eſt vbique ſalutaris; qui enim*

Clem. Alex.

iuſti

Vir pauper Chriſti æmulator paucis indiget.

iuſti eſt æmulator, vt qui eſt amator eius, qui nullius eſt egenus, paucis indiget, vt qui non in aliquo alio, quam in ipſo Deo, beatitudinis theſaurum repoſuerit, vbi non eſt tinea, non fur, non pirata; ſed bonorum æternus dator. Securè requieſcet, & pacatè capiet ſomnum qui gazas ſuas non inſtar murium, aut formicarum, in tellure recludit, ſepulràſque cuſtodit diuitias terreſtres, cum origine ſua terra perituras, (diuitum theſauri carbones facti ſunt, dum in morte opes magnificæ in vagum puluerem, aut fumum fatiſcunt;) ſed diuitias ſuas apud Deum recondit, immunes periculi, inapertas, & inexpertas fraudi, & furi; inexhauſtum penum poſſidebit, & perennem bonorum ſcaturiginem; *Qui eſt amator eius, qui nullius eſt egenus, paucis indiget.* Dum enim ſe ipſum coarctat, vt paucioribus indigeat, in imitationem plenæ Deitatis à nullo dependentis ſeſe diffundit.

Philo Iud. Nullis rebus ferè ſunt indigi pauperes.

5. Non eſt diſſimilis Clementi Alexandrino Philo Iudæus lib. quod deterius potiori inſidiari ſoleat, dum ſcribit: *Si Patrem creatorem mundi honore dignaberis, ipſe beneficium accipiet; nullius enim indiget, nec plenus ille Deus, nec illa ſumma perfectiſſimáque ſcientia. Quò fit vt qui hos colunt, non eis, quippe nullâ re indigentibus, ſed ſibi proſint maximè.* Quod enim bono ſummè pleno adiungitur, plenus fit; & qui cum nullius rei indigo amicitias contrahit, omnia poſſidet, & nullius rei eget.

6. Hanc ſublimem ſapientiam Spiritus ſanctus docuit pauperes ſpiritu in geneſi mundi, dum volitabat ſuper æquora. Geneſ.8.verſ.2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*: Superferebatur ſuper lympharum molem, nec earum voragine immergebatur, ſed ſuperior, & altior eminebat, vt qui nullis fluitantium aquarum commodis indigeret.

D.Auguſt. Spiritus Domini volitans ſuper aquas in eis non requieſcebat.

Acutè ſanctus Auguſtinus lib. 13. confeſſion. cap. 4. ait: *Quid ergo tibi deeſſet ad bonum, quod tu tibi es, etiam ſi iſta vel omnino nulla eſſent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ. Spiritus tuus bonus ſuperferebatur ſuper aquas, non ferebatur ab eis, tanquam in eis requieſceret.* Spiritus Domini aſſiduè ſuper immenſitatem maris volitans, innuebat, quod ad decorum, & perfectionem ſuam nullas creaturas exigebat. Quid enim ſtillæ maris ſuperadderent immenſæ bonitati? Simul edocens, eum, qui ſuper aſpectabilem mundi globum penitùs ſpiritus ſuperuehitur, illúmque ex alto deſpicit, pleniotis Deitatis eſſe participem, nullâque re indigere ſpiritum, ſuper mutabile, & fluidum elementum, non firmantem veſtigium, ſed velut pennatam volucrem, volatum extollentem.

Lect. Græc. Pauperes ſpiritu nihil tenentes omnia inſtar Dei continentes.

7. Nec diſſidet ab hoc cogitatu Paulus cùm vacuos, & plenos alumnos ſuos cupit. 2. Corinth. cap. 6. verſ. 10. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Græca verſio habet ſuum leporem, & acumen: *Vt nihil tenentes, & omnia continentes.* Pauperes ſpiritu ad Deitatem euehit Paulus, Dei enim proprium eſt continere omnia, vt ait Philo

Philo. Iud.

Iudæus lib. 1. legis allegoriar: *Ipſe ſe ipſo plenus ſibique ſufficiens, cum Deus alienam indigentiam, ſolitudinem, inanitatémque impleat, & contineat, ipſe verò à nullo alio continetur.* Et lib. 2. ſcribit: *Deum eſſe nuſquam. Nam ipſe non continetur, ſed vniuerſa continet.* Sic etiam pauper iuxta Pauli mentem ſicut alter Deus omnia continet. In quo ſenſu accipe

D.Chryſoſt.

ſanctum Chryſoſtomum homil. 12. huius loci: *Et quomodo hoc eſt? Imò quomodo contrarium eſt? nam qui multa poſſidet, nihil habet: qui autem nihil habet, bona omnium poſſidet.* Nihil ei deficit ad perfectæ felicitatis æmulationem, qui res humanas ducens deſpicatui, non ſolùm continet, ſed poſſidet omnia.

Verſ. 12. Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis?

COMMENTARIVS.

Lect. LXX.

1. SEPTVAGINTA apertius transferunt: *Neque veniatis, vt appareatis mihi, quis enim quæſiuit hæc de manibus veſtris? Calcare atrium meum non apponetis.* Modus loquendi eſt, ad ſignificandum, donum non eſſe beneuolum, ſed ingratum, & Deo prorſus indignum. Decebat enim, inquit, cum apparetis ad præſentiam meam, ſacrificia, quæ offertis eſſe tanto Rege, & Domino digna. Quid iniquius, aut indignius, quàm ante ipſam æquitatem, & bonitatem, hoſtias afferre plenas iniquitate, iniuſtitiâ, & dolo.

Manus offerentium ſacrificia purificanda.

Non requirebam ego victimas de veſtris manibus immundis, ſanguinariis, & ſacrilegis oblatas, ſed de manibus ſanctis, immaculatis, ab omni ſcelere, & labe alienis.

Deus à templo Iudæos improbos arcet.

Optimè Septuaginta Deum quaſi ſtomachantem ad victimas introducunt: *Neque veniatis, vt appareatis mihi.* Quaſi diceret, meum aſpectum, præſentiámque vitate, aditum templi, meúmque conſpectum fugite. Grauis pœna Dei conſuetudine, conſpectúque priuari. Vltima verba efferunt Septuaginta: *Calcare atrium meum non apponetis.* Ad domum maieſtatis meæ propiùs non accedatis, nec mei templi teratis limina. Hiſpanè: *No me cruceis los vmbrales de mi caſa.*

Verſ. 13. Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri.

COMMENTARIVS.

Iudæorum oblationes Deo inuiſæ.

1. NVLLVM genus ſacrificiorum offeratis, nec holocauſtum, nec hoſtiam pacificam, nec oblationem pro peccato, nec iuge ſacrificium, quia iis non placabitur Dominus, nec remittetur peccatum, dum in eo parſeueratis: *Incenſum abominatio eſt mihi.* Incenſum, thus, & thymiama, quod crematis in altari incenſi, ſuffitus, & vapor, qui exhalatur ex victimis, quíque à iuſtis oblatus meas complebat, recreabat odoramentis nares, de quo dicebatur: odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, nunc mihi eſt putidus fœtor, & abominabilis odor: *con vueſtro incienſo me dais humo a narizes.*

Quid ſit Neomenia.

2. NEOMENIAM.] Non ſolùm ingratæ victimæ, feſtiuitates omnes diſplicent. Neomenia dicitur à νέος, quod nouum denotat, & μὴν menſem. Id eſt nouus menſis. Iudæi ab initio nouæ Lunæ menſes computabant. Vnde Neomenias idem eſt quod feſtum nouæ Lunæ. Hebraicè dicitur חדש *chodeſch*, quod ſignificat *innouare*, & renouare,

nouare, id eſt initium Lunæ, & nouus menſis, quod verbum transfert Vulgatus *Neomenias*, & *Kalendas*, Hæc feſtiuitas Neomeniæ quorſum inſtituta? Erat quædam gratiarum actio pro beneficio diuinæ gubernationis, in eaque deprecabantur Iudæi, ne in poſterum prouida Dei manu deſtituerentur. Ideoque in huius muneris gratam memoriam, non plenilunium, ſed nouilunium, & primitias menſium, Deo, cuius poteſtate motus cœlorum, Solis, & Lunæ moderantur, conſecrarunt.

Sabbatum. 3. ET SABBATVM.] Id eſt, dies requiei, in quo ab operibus ſeruilibus vacabant Iudæi, abſtinebant à cibis coquendis, & condiendis. Exodi c. 16. adeò vt nec ignem accendere liceret. Exodi cap.35. non licebat iter facere Sabbato, Exodi cap. 16. eo die duplicabantur ſacrificia, vt conſtat ex cap. 28. Numeror. Panes propoſitionis Sabbati mutabantur, & alij recentes collocabantur in conſpectu Domini. Et quia Deus Sabbati die requieuit ab vniuerſo opere, quod patrarat, in memoriam beneficij creationis, hic dies erat à Iudæis dedicatus, in quo fatebantur vnicum eſſe Deum verum, rerum omnium creatorem.

De aliis feſtiuitatibus. 4. ET FESTIVITATES ALIAS.] Scilicet feſtiuos dies celeberrimos, atque ſanctiſſimos Phaſe, & Azymorum, Pentecoſtes, feſtum tubarum, expiationis, & tabernaculorum, encæniorum, & alios dies à Iudæis obſeruatos, diem feſtum Iudith, feſtum Mardochæi, feſtum à Simone inſtitutum, feſtum ignis. De quibus omnibus vide Toletum in cap.7. Ioannis, Riberam lib.5. de templo.

Feſtum cœtus & collectæ. 5. INIQVI SVNT COETVS VESTRI.] Singillatim enumerat feſtum cœtus, atque collectæ, ſeu congregationis, de quo legitur Leuitici cap. 23. *Dies quoque octauus erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino; eſt enim cœtus atque collectæ.* In quo die populus congregabatur, ad ſignificandam animorum vnitatem, & pacem adeptam in terra promiſſionis, & colligebantur à populo ea, quæ erant neceſſaria ad expenſas, ornatus templi, & diuini cultus.

Comparatio Neomeniæ Iudaicæ, & Chriſtianæ.

Dum Neomenia à Deo reiicitur, omnia Neomeniæ feſtiuitatis inſignia, ad nouam Lunam Deiparam transferuntur.

Maria Neomenia, ſiue noua Luna. 1. HAbet Eccleſia nouam Lunam Mariam, quæ in locum abrogatæ Neomeniæ ſuccedit; & verè Luna, quæ Solem Ieſum peperit, Conſonant inter ſe Neomenia, & Deipara. Et Neomeniæ feſtiuitas Deiparæ celebritatem præludebat. Pulchrè ſanctus Thomas 1.2.quæſt.103. art.3, ad 4. inquit: *Feſto Neomeniæ ſuccedit feſtum Beatæ Virginis, in qua primò apparuit illuminatio Solis, id eſt, Chriſti per copiam gratiæ.* Quam ob rem omnis cæremoniarum apparatus, quo antiqua Neomenia colebatur, nouæ Marianæ Lunæ ortui aptandus eſt. *D. Thom.*

Primũ Neomeniæ inſigne. 2. Primò: gaudio exultabant Iudæ, & clangebant tubis. Pſalm. 80. verſ.4. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Exultant fideles Deiparæ natiuitate, quæ gaudium annuntiauit vniuerſo mundo.

Secundum inſigne. 3. Secundò habebant Iudæi priuilegium immunitatis, & remiſſionis, vt conſtat ex loco Machab.c. 10. verſ. 34.35. *Omnes dies ſolemnes, & Sabbata, & Neomeniæ, ſint omnes immunitatis, & remiſſionis omnibus Iudæis, & nemo habebit poteſtatem, agere aliquid, & mouere negotia aduerſum aliquem illorum in omni cauſa.* Sed Chriſtiani per Deiparam habent priuilegium immunitatis; quia dum mediatrix, & aduocata eſt apud filium, quem peperit miſericordiæ mater, priuilegium remiſſionis accipiunt.

Tertium inſigne. 4. Tertiò, Epulum opimius, aut oppiparum conuiuium fieri ſolebat. Sicut conſtat ex eo, ad quod Saul inuitauerat Dauid 1. Regum cap. 20. verſ. 5. *Ecce Kalendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum.* Et Deipara nos inuitat ad cœleſte conuiuium panis Angelorum, & cibi viatorum.

Quartum inſigne. 5. Quartò, alius ritus refertur Ezech. cap. 46. verſ. 1. Quod in die Neomeniæ Orientalis templi porta aperiebatur: *Porta atrij interioris, quæ reſpicit ad Orientem, erit clauſa ſex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbati aperietur, ſed, & in die Kalendarum.* Et verſ. 3. *Et adorabit populus terræ ad oſtium portæ illius Sabbatis, & in Kalendis coram Domino.* Et Beatiſſima Virgo aperuit nobis cœli portam, quam Eua clauſit, ipſaque eſt ianua cœli, per quam ad ſupernam ciuitatem ingredimur.

Luna imago Deiparæ. *D. Ambr.* 6. Felix Luna, quæ imago eſſe meruit Matris Chriſti. Liceat mihi Ambroſij verba aptare Deiparæ, quando cum Luna fatur lib. 4. examer. cap. 8. *Beata planè, quæ tantùm inſigne meruiſti: Vnde te non tuis Neomeniis, ſed typo Eccleſiæ* (vel Mariæ) *beatam dixerim. In illis enim ſeruis, in hoc diligeris.* Diligam meliorem Lunam, & potiori iure, quàm Endymion, de quo Plinius lib. 2. cap. 9. agens de Lunæ exortu: *Quæ ſingula in ea deprehendit hominum primus Endymion: & ob id amore eius captus fama traditur.* *Plin.* *Lunæ obſeruator Endymion.*

Primum Lunæ munus. *Noua Luna exortus feſtiuo cantu excipitur.* *Plin.* 7. Sed quatuor relata myſticæ Neomeniæ inſignia, muneribus ſuis materialis Luna præluſit. Cùm iterum renaſcens, noua luce mundum irradians, apparebat, fulgores primitiui nono plauſu, & feſtiuo excipiebantur. Vt auctor eſt Plinius lib. 2. cap. 12. De luna ait: *Et Luna crepitu diſſono auxiliante.* Et ibidem in ſcholiis citantur hæc verba Liuij lib. 26. *Campanarum imbellem multitudinem cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ, ſilenti nocte fieri ſolet, clamorem edidiſſe.* Sacerdotes Ægyptij, vt auctor eſt Horus in ſuis Hieroglyphicis, nouum exorientis Lunæ lumen magna lætitia excipiebant. Seneca in Hippolyto hæc ſcribit: *Horus.* *Seneca.*

At nos ſollicitì lumine turbido
Tractam Theſſalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

Et Tibullus canit: *Tibull.*

Cantus, & è curru Lunam deducere tentat
Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.

Quæ omnia innuunt concentus, feſtiua gaudia, & plauſus creaturarum in Lunæ Deiparæ ortu, de quo in diſcurſu primo.

Secundum munus. *Plin.* *D. Ambr.* 8. Secundum Lunæ officium apud Plinium inuenies lib. 2. cap. 9. *Omnium admirationem vincit nobiliſſimum ſidus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum, Luna.* Et apud Ambroſium lib. 4. exameron cap. 7. ipſa Luna larga roris aſſeritur: *Cùm ſerenior nox eſt, & Luna per nox, tunc largior ros fertur arua perfundere. Et pleriquesub aere quieſcentes, quo magis ſub lumine fuiſſent Lunæ, eo plus humoris ſe capite collegiſſe ſenſerunt.* Familiariſſima terrenis peccatoribus Luna Deipara, quæ ſcelerum caliginem ſua luce diſcutit, & mentes illuminat. In filios ſtillicidia gratiarum

tiarum alma mater irrorat, & in areſcentia pectorum arua fluenta miſericordiæ, & pietatis impluit.

Tertiū munus. *Plin.* 9. Nec deficit tertium epuli munus. Nam de Luna Plinius ſcribit lib.2. cap.9. *Humore terreno paſci, quia orbe dimidio nonnunquam maculoſa cernatur. Maculas enim nō aliud eſſe, quam terræ raptas cum humore ſordes.* Quàm inexplebilis auiditas in Maria depaſcendi maculas: tametſi immaculata Luna, omni labis expers, in qua nec macula, nec nubecula vnquam fuit, omnis peccatorum nubeculas, & maculas ambit, vt eas abſumat, dum filios cœleſtibus deliciis, & filij conuiuio paſcit; conuerſis peccatoribus paſcitur. Demum quia ſub ditione ſua ſunt cœli, ad cœleſtia nos auocat. Huic muneri aptanda ſunt Ambroſij verba lib. 4. Exameron. cap.8. qui examinans illud Cantic. cap.6. iuxta Septuaginta: *Proſpiciens tanquam diluculum, ſpecioſa ſicut Luna.* ita fatur: *Meritò ſpecioſa ſicut Luna, quæ toto mundo refulſit, & tenebras ſæculi huius illuminans, dicit: nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Pulchrè ait proſpiciens, quaſi eos de ſuperiore proſpectans.* Vt eos ad ſuperiora trahat.

D. Ambr.

Primus nouæ Lunæ ſplendor, ad num.1.

DISCVRSVS I.

Deus Angeli, homines, ſtellæ, auiculæ certabant inter ſe, quis maiori lætitiâ geſtiret, & vberiora in ortu Deiparæ prælibaret gaudia.

1. EXORIENTE nouâ, & lucidâ Lunâ Deiparâ, omnium gaudiorum nuncia, totus exultat orbis: nemo ab huius diei iubilo, & alacritate ſecernitur, non Deus, non Angelus, non homo, non cœli orbis, non volucres, non animalia. Sicut omnibus naſcitur, omnes admittit in exultantis lætitiæ conſortium. Appoſitè Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. orat. de natiuit. Deiparæ ait: *Commune totius mundi gaudium ex inſtis hominibus Ioachim, & Anna hodie nobis exortum eſt, laudatiſſima nimirum illa, omniſque planè reprehenſionis expers, virgo.* Gaudet Spiritus ſanctus in ortu Mariæ, eámque laudibus ornat. Egregia eſt Guarrici Abbatis ſententia ſerm.1. de natiuit. Mariæ aientis: *Longè igitur antequam naſceretur Maria, vocem ipſius aſſumebat ſpiritus, qui in ea futurus erat.* Quàm ſuauia, quàm grata Mariæ encomia, quibus extollebat Deum, quàm affluens os eius dum aperitur ad eloquium, omni lepore, venuſtate, facetiiſque plenum; ex ipſius purpureis labris verba mellea, lactea Spiritus ſanctus libabat, hauriebat; quas fundebat margaritas in elogium ſponſi, ipſe ſponſus Spiritus ſanctus colligebat, nectebátque Marianæ ſponſæ capiti corollas, dum enim exultaret gaudio Maria in Deo ſalutari ſuo, Deus veluti lætitiâ geſtiebat, vocemque virgineam aſſumebat, vt præicius gaudij virgineique clamoris, ante ſæcularia tempora eam eximiis celebraret laudibus.

German. *Maria eſt communis orbis gaudium.*

Guarric. *Maria vocē Spiritus aſſumebat vt eā laudaret.*

2. Nouæ Euæ, & viuentium matris ortum, in antiquæ Euæ natiuitate adumbratum inuenio: ibi fœmina de viri latere originem ſumit, hic Maria de Annæ ventre obſtetricante gratia oritur. Euæ formatio, & ortus deſcribitur, Geneſ. cap.2. verſ. 21. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiuiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Sed Euæ formatio, & è latere egreſſio hymnis, & canticis Angelicis celebrata eſt, vt inſinuat ſanctus Auguſtinus ſequutus verſionem Septuaginta legentium: *Immiſit Deus ecſtaſim.* lib. 9. de Geneſi ad literam dicens cap. 1. *Per hoc etiam illa ecſtaſis, quam Deus immiſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per ecſtaſim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ.* Mens Adamitica extra ſe rapta, & in Deitatem transformata, & in paradiſum tranſlata audiuit arcana verba; cœlorum gaudiis, & deliciis, Angelorumque concentu perfruebatur, luminibus condecorata Propheticis, magnum Chriſti myſterium primus omnium vates ad ſe reuerſus eructauit. Sed non erat tantæ molis Euam condere, & de viri latere educere, vt tantarum feſtiuitatum gaudia, & Angelorum Cantica potiſſimum vſurparet. Quæ hominis interitum, & peccatum induxit: calamitatum, & pœnarum pelagus, nec amores, nec choros conciliaret. Alia virginea fœmina parabatur Deo, & plaſmator hominum dum Euam format, alterius Euæ Deiparæ lineamenta ductabat. In myſterio ergo Adamus, & Angeli agnouerunt Chriſti incarnationem, & de illibato ventre carnis aſſumptionem. Nonne ad conſpectum magnæ matris, Solem, Lunam, & ſtellas formoſitate, & decore, Cherubinos, & Seraphinos puritate ſuperantis, inenarrabili gaudio geſtirent? Non dubito ad primum intuitum, & ortum Lunæ puellæ Angelicos montes irradiantis, quæ in ſponſam, & matrem filij Dei ſeruabatur, iubilaſſe omnes Angelorum acies, virgineámque gloriam fauſtis acclamationibus celebratam.

Euæ formatio ab Angelis celebrata Mariæ formationem innuebat. *D. Auguſt.*

3. Sed Neomeniæ feſtiuitati profuſiorem hilaritatem Pſalmographus indicit, ab hominibus demonſtrandam, Pſalm.80. verſ.4. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Quem locum purpuratus Hugo de Deiparæ natiuitate dilucidè expendit, dicens: *Hoc eſt thema in natiuitate Beatæ Virginis: quæ eſt in Septembri. Tunc enim nata Beata Virgo, progreſſa eſt noua Luna in inſigni die ſolemnitatis. Dies illa inſignis eſt, quia multis Prophetarum oraculis præſignata. Præceptum in Iſrael eſt, feſtum beatæ Virginis celebrandum, & laus ipſius præcipitur Iſrael, id eſt contemplatiuis, ſcilicet clericis, & religioſis.* Pulchrè, & piè. Quæ verba maiorem continent interpretationis gratiam, quia feſtum Neomeniæ celebrabatur menſe Septembri, vt figuratiua Luna, veræ Lunæ Mariæ reſpondeat.

Hugo. Card. *Dies natiuitatis Mariæ illuſtris à contēplatiuis & Religioſis celebrandus.*

4. Nefas duxi alteram Marianæ natiuitatis imaginem non referre; quam idem auctor viuis coloribus expreſſam autumat, in triumpho, & lætitia Iudithæ inclytæ fœminæ, Iudith cap.15. Cùm enim fama nobilioris triumphi per omnium ora, & aures volitaret, perrexit ſummus Antiſtes Ioachim in Bethuliam, vt grato mirabilis fœminæ ſpectaculo oculos paſceret, & venerabundus oſcularetur manum, quæ gladium tyranni iugulo immiſit. Hæc ſunt ſacri textus verba verſ.9. *Ioachim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis Presbyteris ſuis, vt videret Iudith. Quæ cum exiſſet ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce dicentes: tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Eris benedicta in æternum, & dixit omnis populus: fiat, fiat.*

Deipara in Iudith adumbrata.

Tum

Hugo Card.

Maria per Iudith, & Bethuliam deſignatur.

Tum Bethuliam, tum Iudith expreſſiſſe Deiparam cenſet Cardinalis Hugo, & egreſſione illâ Iudithæ, ortum, & egreſſum Mariæ ex vtero Annæ fuiſſe adumbratum. Do tibi pulchram, & verè auream verborũ, ſeu margaritarum catenulam, vt Reginæ puellæ pectori appendas: *Debent miniſtri* (inquit Hugo) *Eccleſiæ interdum venire ad honorem Beatæ Virginis, quæ per Iudith, & Bethuliam deſignatur. Bethulia enim interpretatur virgo Domini, ſiue domus parturiens Dominum, ſiue domus dolens Domino. Beata Virgo fuit Virgo Domini ſemper domus parturiens Dominum in natiuitate Domini: domus dolens Domino in paſſione. Debent ergo venire in Bethuliam, id eſt in adorationem, & honorem Beatæ Virginis, vt videant Iudith, id eſt ipſam Beatam Virginem, & virtutes eius imitentur dicentes: tu gloria Ieruſalem, &c. Quæ cum exiſſet ad illum, per iſtum exitum Iudith ſignificatur natiuitas Beatæ Virginis, & exitus eius de vtero matris ſuæ: Benedicta eris in æternum, & dixit omnis populus: fiat, fiat. Omnes enim in laudem B. Virginis conuenire debent.* Hæc Hugo: ſubiungit ſacer textus: *Omnes populi gaudebant, cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & citharis.* Ibi verſ. 15. Vt nullus hominum ſtatus à tanti gaudij participatione eſſet immunis.

Iudithæ exitus Deiparæ ortum denotat.

Populi gaudium.

Serg. Ierop.

Maria variis elogiis celebratur.

5. Sed citharis, & cymbalis, & ſiſtris elogia, & carmina ſuggerit Sergius Hieropolita orat. in natiuitate Mariæ: *In hoc feſto celebríque luce buccinâ ſpiritali clangamus. Etenim quæ præſenti die ex Dauidico ſemine naſcitur, vitæ mater eſt tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, Euæ reuocatrix, per quam in diuinæ naturæ participationem tranſlati ſumus, atque à morte ipſa liberati, & acclamamus ipſi omnes fideles cum Gabriele: Aue gratia plena Dominus tecum, qui propter te Maria magnam erga nos miſericordiam declarat, atque commonſtrat.*

Cælorum aſtrorumque laus, & concentus in Deiparæ honorẽ.

6. Nec laus ſiſtit in ore hominum, ad cœli lumina tranſvolat, & in honorem Deiparæ edunt ſuauiſſimum concentum. Cuius lætitiæ arcanum Hieroglyphicum in candelabro templi Salomonici inueſtigare licet. Exodi cap. 25. verſ. 31. Hæc eſt candelabri forma: *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero.* Ex Philone, & Clemente Alexandrino hæc eſt ænigmatis ſolutio; arcam in oraculo, gratiarum eſſe actionem pro terrenis, & feracis terræ fructibus; candelabrum, eſſe monumentum gratitudinis pro cœleſtibus. Quia Deus Solem, Lunam, aſtra condidit, cryſtalliniſque cameris cœleſtis domus fixit, ad illuminationem, decus, & emolumentum totius orbis. Sed audiendus eſt Philo Iudæus lib. 3. de vita Moyſi dicens: *Candelabrum, Auſtrum verſus ſubindicans motum ſiderum luminarium; nam Sol, Lunáque magis obuerſantur auſtralibus, in ſummitatibus eminebant ſeptem lucernulæ, figura planetarum. Solem enim tanquam lucerna inter illas ſex medius lucet, temperans muſicum illud, & verè diuinum organum.* Cui concinit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum; *Sol tanquam candelabrum collatus in medio diuinâ quadam muſicâ indit lucem.* Nec de concentu ſiderum miraberis, ſi legas Plinium omnes Lunæ tonos numerantem, & cantus quibus illi reddunt reliqua aſtra. Hæc ſunt illius verba lib. 2. cap. 22. *Sed Pythagoras interdum ex muſica ratione appellat tonum, quantum abeſt à terra Luna. Ab ea ad Mercurium, ſpatij eius dimidium. Et ab eo ad Venerem ferè tantundem, à qua ad Solem ſeſquiplum, à Sole ad Martem, tonum; ab eo ad Iouem, dimidium, ad Saturnum dimidium, & inde ſeſquiplum ad Signiferum: ita ſeptem tonos effici, quam diapaſon harmoniam vocant, hoc eſt vniuerſitatem concentus.* Non adſtruimus Pythagoræorum placitum, qui vocalem concentum orbibus induunt, vt acutas cum grauibus voces temperando, varios æquabili concinnitate tonos, & harmonias efficiant. Sed proportio illa mirabilis, cum ſtata librilege conſona, & a Dei ordinatione non diſſona, quâ æquabili forma ſuis cœli rotantur orbibus. Hic ordo eſt conſenſus ſemper æquabilis, ſicut in humorum ſymmetria, & diſcordi elementorum amicitia concentus vocatur. Veruntamen ſicut Scriptura ſacra montibus, & fluminibus metaphoricè exultationem attribuit, ſic ſideribus cœliſque lætitiam; & Deus apud Iob inquit: *Cum me laudarent aſtra matutina.* Laudauerunt itaque aſtra Lunam Deiparam, & ſuauiſſimo concentu planetarum chorus celebrauit laudibus Lunæ natiuitatem, dum viuidis ſplendoribus, & igniculis nitent. Nec materialis Solis, ac Lunæ cauſa candelabrum in atrio templi collocabatur, ſed quia omnia in myſterio contingebant illis, Solis Chriſti, & Lunæ Deiparæ ortum ſeptem lucernæ figuræ Planetarum concelebrant ſuis concentibus, ſuis tonis, quos ſuprà enumerant Philo, Clemens, Plinius.

Philo. Iud.

Candelabrũ cum ſeptem lucernis Solem, & ſeptẽ Planetas innuebat.

Clem. Alexand.

Plin.

Toni cælorũ, & ſiderum.

Deiparam laudarunt ſidera.

7. Deueniamus ad auiculatum cantum de quo Iſaias cap. 35. Quod à lætitia deſerti, & exultatione Iordanis exordium capit. Poſtea de Deipara verſ. 8. inquit: *Et erit ibi ſemita, & via, & via ſancta vocabitur.* Dei genitricem vocat viam, & ſemitam, per quam Deus ad homines venit, viam ſanctam, immaculatam, in qua nec leonis, nec malæ beſtiæ inuentum eſt veſtigium, vt ibi fuſiùs dicemus. Sed verſu antecedenti ait: *Orietur viror calami, & iunci.* Et Septuaginta legunt; *Erit ibi lætitia auium.* Vbi ſanctus Cyrillus ait: *Factus eſt auium concurſus, & lætitia.* Sicut enim tempore veris, incaleſcente Sole volucres, dum cryſtallinæ lymphæ leni fluunt murmure, inter viburna lenta altaſque populos inſidentes, inflato pectore ſuauiſſimè concrepant, citharizantes, & alternantes modulos roſtro, & gutture; non diſſimili metaphora ait Iſaias propter viam illam immaculatam, & ſanctiſſimam ſemitam, in qua ſolus Deus fixit veſtigia, excitatas auiculas, vt gratum ederent modulamen.

Lect. Lxx.

D. Cyrill.

Auicularum cãtus in Deiparæ gratiã.

8. Reſtat animantium alacritas, quorum gratitudinem in hoc ſymbolo excipe. Apud Ægyptios egregio Hieroglyphico celebrabatur nouæ Lunæ natiuitas. Auctor eſt Horus Apollo lib. 1. Hieroglyph. 15. *Quo modo Lunæ exortum indicent? Lunam orientem indicare volentes Cynocephalum hoc habitu pingunt, ſtantem, manúſque in cœlum tollentem, ac Regium inſigne capite geſtantem, hac igitur figura ad Lunæ ortum demonſtrandum depingunt Cynocephalum, quod hoc habitu videatur Cynocephalus Deæ gratulari: quod ambo, Sol inquam ac Luna, luminis participes ſint.* Cynocephali feræ ſunt canina habentes capita, qui exortum Lunæ ſignis lætitiæ celebrant, in quo ſymbolo adumbratam cernis animantium gratitudinem circa diuinioris Lunæ exorientem lucem. Quod ſic acommoda: ſtat Cynocephalus, manúſque ad ſidera tollit, quaſi lætabundus, & gratus Lunæ, quia pulcherrima viſa eſt, annuntians mortalibus gaudium. Regium inſigne capite geſtat iuxta myſticam accommodationem, quaſi oſtendens cœleſtem Lunam cœlorum Reginam. Quia in lucem editur illa, quæ Angelorum, & hominum obtinet principatum.

Animãtium alacritas adumbrata.

Cynocephalus manus ad cœlum tollit in Lunæ exortu.

Secundus Lunæ ſplendor.

DISCVRSVS II.

In feſto Neomeniæ tubâ canitur, quia noua Luna Deipara à ſuæ natiuitatis exordio aduerſus Dæmonum phalangem, claßicum cecinit.

Philo Iud. Caten. Græc. *Cur in Neomenia, tuba canũt Iudæi.*

1. CVRIOSA, & ſubtilis inueſtigatio eſt Philonis Iudæi lib. de Septenario, & feſtis, quem citat Catena Græcorum Patrum in Lucam cap. 22. cur in feſto Neomeniæ tubâ canerent Iudæi. Duplici ratione ſibi ipſi occurrit his verbis: *Commemorationem prodigioſi, atque miraculoſi operis continet, quod eo tempore accidit, quo legum oracula promulgata ſunt. Enimvero tunc vox tubæ è cælo ſonitum edidit, quam probabile eſt ad finem vſque vniuerſitatis perueniſſe.* Adiicit poſtea: *Tuba eſt inſtrumentum belli, tum ad excitandos homines claſſico, tum ad receptui canendum. Eſt etiam aliud bellum diuinitus inuectum, quando natura diſſidet in ſe ipſa, partibus eius ſibi inuicem inſidiantibus. Quapropter feſtum diem ab inſtrumento bellico tubæ denominatum, lex declarauit ad gratias Regi pacifico agendas, qui ſeditionibus tam in ciuitatibus, quam in partibus vniuerſi extinctis, &c.* Sed rectiùs in nouæ Lunæ natiuitate canitur buccinâ, nam fama in ortu Mariæ ſonitum dedit tubâ promulgationis legis clariorem, quandoquidem illa (quidquid per nimiam exaggerationem, aut adulationem dicat Philo) intra caſtrorum Iudaicorum ambitum ſeſe continuit; Mariæ verò celebritas ad fines orbis terrarum peruenit, omnes illius tractatus, & plagas compleuit. Tuba canunt tibicines in Lunæ exortu, quia egregia bellatrix Deipara bellum indicit inaſpectabilibus hoſtibus; ad prælium, & victoriam improborum affectuum fideles inflammat. De quo pulchre accipies Philonis ſententiam: *Tuba eſt inſtrumentum belli ad excitandos homines claſſico. Et etiam aliud bellum diuinitus inuectum.* Docuit enim Deipara ortu ſuo arma ſumere contra inaſpectabiles hoſtes, contra paſſiones animi belligerare, & vim inferre inordinatis motibus animi.

In legis promulgatione tuba magnus ſonitus. *Tuba canit contra bellũ diſcordiæ.* *Verba Philonis Marianæ natiuitati aptantur.*

D.Dam. *Maria Annæ eſt rationale.*

2. Sanctus Ioannes Damaſcenus grauiter, & acutè comparat Mariam cum Rationali, orat. 1. de natiuit. Mariæ fatus: *Omnis creatura vnà epuletur, ac ſacra Anna ſacerrimum rationale laudibus proſequatur.* De rationali ſummi Antiſtitis Aaron fit mentio Exodi cap. 28. verſ. 15. & 22. *Rationale facies. Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes.* Quam venerabilis Sacerdotiſſa eſt Anna cum ſacerrimum rationale diuinam inquam puellam velut inæſtimabilis pretij margaritam, aut auream bullam, candidámque Lunam pectori ſuo appendebat, vt lactaret vberibus, aut ſtringeret brachiorum lacertis; viuum cælum, viua & ſacrata Luna ornatum cernetes. Sed cur rationale nuncupat? quia hoſtibus formidandum. Rationale Annæ, excellentiorem quàm rationale Aaron referebat de hoſtibus triumphum. De rationali, & ornatu Sacerdotis Aaron quartum proponit dubium Guillelmus in caput 28. Exodi: *Quid operabatur iſte ornatus veſtium Aaron in aduerſarios? Dicendum quod diuinitus operabatur in eis terrorem. Dicunt enim Hebræi, vt refert Auguſtinus, quod in medio rationalis fuit quidam lapis quadrangularis magnitudinis duorum digitorum, in quo apparebat fulgor quando Dominus erat ipſis Hebræis placatus. Dicit etiam Ioſephus, quod quando egreſſuri erant ad prælium tantus fulgor apparebat in lapidibus rationalis, maximè cum deberent vincere: vt omni multitudini eſſet notum Deum Hebræorum auxilio non deeſſe.* Hactenus ex Guillelmo. Quàm dulcis nitor, & fortunatus ſplendor lucet ex Annæ rationali, in quo Patris ſapientia, & veritas tabernaculum fixit. Dum nitet, dum fulgurat, nec vnquam noctis tenebris, aut vmbra obſcuratur. Quàm certum tenet homo ſuæ victoriæ præſagium! irruunt vitia, adoriuntur Tartarei hoſtes, furor illis, aut liuor arma miniſtrat, certo ſcias Dei, & Deiparæ tibi adfuturum auxilium, impauidus deſpicies iniquos bellatores, & ad conſpectum lapidis rutili, & pretioſi, & ſacrati rationalis inter vbera Annæ commorantis, ſicut caligo ad conſpectum, & Solis diſpelluntur.

Anna Deiparam velut auream bullam pectori appendebat. *Rationale Annæ excellentius quam rationale Aaron de hoſtibus triumphat.* Guilhelm. D.Auguſt. *Quãdo egrediebãtur Iſraëlitæ ad præliũ fulgor de Rationali egrediebatur.*

D. Dam. *Maria dæmonibus formidabilis.* Thom. de Kemp. *Audito Mariæ nomine, dæmones aufugiunt.*

3. Appoſite ſanctus Damaſcenus orat. 1. de natiuit. Mariæ ait: *O ſanctiſſima Ioachimi, & Annæ filia, quæ poteſtates, ac principatus fefelliſti, atque ignea maligni tela extinxiſti. O ſanctiſſima filia in maternis vlnis conſpicua, rebellibúſque Angelis formidabilis.* Nec diſſonat Venerabilis Thomas de Kempis in opuſculis, 3. p. ſermon. ſerm. 4. *Expaueſcunt cæli Reginam ſpiritus maligni, & diffugiunt, audito nomine ſancto eius, velut ab igne. Horrent terribile, & ſanctum nomen Mariæ, quod Chriſtianis eſt ſummè amabile, & vbique celebre: non audent apparere, nec poſſunt ſua ludibria exercere, vbi nouerint nomen clarere ſanctæ Mariæ, tanquam tonitruum de cælo factum ſit, proſternuntur ad ſanctæ Mariæ vocabulum, & quo ſæpius illud profertur, ac deſiderabilius inuocatur, eo citius, & longius ipſi fugantur.* Quæ verba miſſilia ſunt, quæ cor traiiciunt, & flammas amoris excitant; ſaxo, & chalybe duriora pectora ad crebram ſuauiſſimi nominis Mariæ inuocationem emolliunt.

Equitatus, & virga qua Pharaonem debellauit, Maria extitit. Rupert.

4. Sed vocat nos glorioſa bellatricis feminæ victoria ad Erythræum mare, vt inter ſaxa, & ſcopulos illiſi fluctus lætitiâ, & laudibus reſultent. In tranſitu Iſraëlitici populi per rubrum mare; vnde ſuſpenditur, pontúſque gelido ſtupore frænatur, dat tranſitum inoffenſum abyſſus, & populus incolumis emergit de profundo nimio. Quis vias fecit, & diuiſit in fluido elemento? quis Pharaonis currus, & equites aquarum vorticibus merſit? quis de imminentis hoſtis gladio capita Iſraëlitarum eripuit? Exercitus Domini. Contra equitatum Pharaonis, equitatus Dei. De quo Cantic. cap. 1. ait Salomon verſ. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Equitatus Domini, virga Moyſi; in equitatu, & virga vincit Deipara, Ruperto auctore lib. 1. commentar. in Cantica ſcribente: *Currus Pharaonis valde multo ferro armati: equitatus meus virga vna fuit, virga Moyſi, & Aaron. Virga illa contra ſublimes currus Pharaonis, taliter equitauit, hoc modo militauit.* Et paucis interiectis, ſubiungit de Deipara: *Rectè ergo virga talis dicitur equitatus Domini, quæ contra tot currus, & equites Pharaonis ſola ſuffecit, & victoriam peregit.* Itaque atteſtante Ruperto Deipara bellauit, Deipara vicit, Deipara triumphauit, Pharaonis currus, & equites rubri maris inuoluit fluctibus.

5. Eodem ſenſu, & pietate concordat alterum Eccleſiæ lumen Seraphicus Doctor ſanctus Bonauentura

D. Bonau.
Amarū mare Maria, quæ Pharaonem ſummerſit.

nauẽtura in ſpeculo Mariano lectione 3. ad ea verba Exodi cap. 15. verſ. 19. *Et reduxit ſuper eos Dominus aquas maris.* Deiparam, quam inuenit Rupertus in virga, inuenit Bonauentura in mari. Ita ſcribit: *O quam amarum, & timendum eſt hoc mare Ægyptiis! ò quàm amara, & timenda eſt hac Maria dæmonibus.* Victrici manu, dæmonibus formidanda femina, eos debellauit.

6. Feſtinauit Maria in domum Elizabeth, vt ſanctificaret in vtero, Chriſti paranymphum Ioannem, & repleret gratiâ, ſed diu immoratur Maria ad vatis profectum. Lucæ cap. 1. verſ. 56. *Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus.* Vbi ſanctus Ambroſius lib. 2. in Lucam ait: *Quantum putamus vſu tanti temporis ſancta Maria addidiſſe præſentiam? Vngebatur itaque, & quaſi bonus athleta exercebatur in vtero matris Propheta? ampliſſimo enim virtus eius certamini parabatur.* Mirum non eſſet, ſi ad Mariæ præſentiam ſuperabundaret gaudio, exultaret in vtero, & præpararetur cœleſti præconio: Sed admiratione digniſſimum, quod Mariæ vox increpuerit Ioanni velut lituorum ſonitus, concentuſque tubarum, bellicos ſpiritus impertiens, & ad arma vocans. Inſtituebat Maria Ioannem bellatorem, & in vtero matris, velut in arena certaminis Agonothetam exercebat, vt victor eſſet antequàm natus, & præriperet palmam victoriæ. Quid enim cœleſtis hæc Pallas occineret Ioãni, quæ ab vtero matris claſſicum indixit Principibus tenebrarum, niſi Martem, & cum vitiis certamen, & de hoſtibus triumphum.

D. Ambr.
Ad Maria præſentiam Ioannes in vtero matris ad prælium inſtruitur.

7. Hæc Diua bellica antequam lucem aſpiceret bellicum cecinit, militaréſque ſpiritus indidit progenitoribus ſuis, Cant. cap. 3. verſ. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiũt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* De Deipara exponit Rupertus lib. 3. in Cantica inquiens: *Quis eſt lectus verè, & veri pacifici Regis Salomonis? Quis ille eſt, niſi vterus, dilecta dilecti, vterus virginalis?* Sed quid cum pacifico lectulo tumultus prælij, & digladiatio? Quid cum pace Salomonis Chriſti, qui conflauit gladios in vomeres, & lanceas in falces, ſtricti, & læuigati enſes, & lancearum cuſpides, & regia armamentaria? Reſpondet Rupertus: *Tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, vt defenſaretur genus Abrahe, vt defenſaretur radix Ieſſe, defenſaretur inquam, ac protegeretur genus, & radix Dauid, donec tu Beata Virgo naſcereris, lectulus veri Salomonis.* Surculus ille pulcherrimus, qui ex Ieſſæa radice, & Dauidica progenie oriundus, vires, & animos parat ad prælium, vt inter gladios, & ignes Ægyptiorum, & Chaldæorum hoſtium redderetur immunis, Abrahamidique generis arbos virens, & frondens defenſaretur, donec Deipara germen delectabile pullularet. Quis Reges, & Principes Iſraël fortiſſimos reddidit, & ad bella doctiſſimos, niſi Maria certaminum, & bellorum magiſtra? Talis erat apud Iſraëlitas bellici futoris ratio, pro Deipara decertabant, ac ſi eſſet præliaribus intermixta copiis inflammato animo irruebant in hoſtes, reportantes triumphum, Itaque Maria bellicum cecinit aſpectabilibus, & inaſpectabilibus hoſtibus.

Rupert.
Maria lectulus Salomonis.

Rupert.
Antiqui patres bellis exercebãtur, vt Maria genus defenſaret.

Tertius nouæ Lunæ fulgor, ad numerum 2.

Discvrsvs III.

Noua Luna ex vtero Annæ prænitens, abundanti gratiæ, & interceſſionis humore, & largiſſimo pietatis imbre, peccatorum pectora irrorat.

1. IN noſtra Neomenia immunitatem, & priuilegium obtinemus remiſſionis, & gratiæ; miſericordiarum fluenta, alma Luna ſuper ſterilia terrarum arua diffundit: laudes ſuas Deipara exprimit. Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 16. *In plenitudine ſanctorum detentio mea.* Paſſiua, & actiua denotat Mariæ retinacula, iuxta ſancti Bonauenturæ placitum, vel quod Maria amore virtutis detineatur in ſanctis, vel quod Deum, qui ſanctorum plenitudo eſt, ipſa detineat: Conceptus arridet ſecundus his verbis Seraphici Doctoris expreſſus in ſpeculo Mariano lect. 7. *Detinet Filium ne peccatorem percutiat. Ante Mariam non fuit, qui ſic detinere Dominum auderet. Iſaia teſte cap. 64. verſ. 7. Non eſt, qui inuocet nomen tuum: qui conſurgat, & teneat te.* Quæ niſi blanda Deiparæ manus detineret Deum, vel ad gladium, vel ad flagellum conuolantem? Non mirum ſi Luna detineatur a Sole, & in eius occurſu commoretur. Vnde Plinius de Luna ait: lib. 2. cap. 9. *Deinde morata in coitu Solis biduo, rurſus ad eaſdem vices exit.* Quod Sol detineatur à Luna valde mirum eſt. Sed Luna Deipara ſuper candorem Lunæ formoſior, omnibus creaturis valentior, impetum Domini currentis ad vindictam, retardauit; impetus Solis velociſſimè currentis in hac Luna, remoratus eſt; quando Luna noua, Sole nouo iuſtitiæ terras irrorauit.

Maria detentio qualis in plenitudine ſanctorum.

D. Bonau.
Maria Deum detinet iratum.

Plin.

2. Licèt Adam in crimine vnus, imò primus fautorum extitit, quidam igniculus moderationis, & prudentiæ in excuſatione, & confeſſione ſceleris effulſit. Deo enim ad iudicij tribunal, & ad ſupplicium vocanti, non ſe ipſum impauidus obiecit, ſed Euam tanquam munimen, & tutamen corporis, & animi appoſuit, in quo diuinæ iræ mucro retunderetur, & primi excandeſcentis Domini furores exciperentur. Audiuit enim vocem Domini in paradiſo, & contra iraſcentẽ Dominum mulierem obiecit; Geneſ. cap. 3. verſ. 12. *Dixitque Adam: mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* O ignauum militem in crimine fortem, in comminatione pœnarum fugientem, & abiicientem arma! Totum pondus prælij Domini minas iactantis, formidines opponentis declinauit, & irruentium periculorum turbines in caput feminæ iniecit. Quis maritus non ſe ipſum pro tuenda vxore periculis obiecit? Pro deliciis tuis, pro Eua tua, quæ tibi charior vitâ eſſe debebat, pectus offer gladio, ſagittæ, lanceæ, vt ſeruetur incolumis. Sed nimis prudens ſciebat Adam tutamentum viri in femina præparatum. Audi ſanctum Bernard. apud Tilmanum in allegoriis dicentem: *Adam quoque indignationi diuinæ mulierem, pro qua peccauerat, obiecit, quaſi poſt tergum eius volens declinare ſagittam.* Agnouit Adam in ea Eua alteram viuentium matrem adumbratam, & ex ea naſcituram, ab omni ſceleris labe irreprehen

Adam Euam oppoſuit diuina indignationi.

D. Bernard.

irreprehenſam, nullo errore lapſam, quem ipſa excuſaret, aut Deus reprehenderet, quæ non eſſet homini illecebra ad tranſgreſſionem, & lapſum, ſed quæ inuitaret ad pomum, & lignum vitæ, quæ hominum genus à diſcrimine mortis, & periculis tutaretur; in ſpiritu eam præuidebat, & diuinæ iræ oppoſuit, ad incolumitatem ſuam, non ad excuſationem criminis, ſed ad euitationem ſupplicij. Vnde non eſt à Domino notatus Adam, quod Euam in certamen, & diſcrimen expoſuit.

3. Nubeculam paruam bonorum nuntiam vidit Elias lib. 3. Reg. cap. 18. verſic. 44. *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* In hac nubecula viuis coloribus expreſſam Dei genitricem exiſtimat Ioannes Ieroſolymitan. lib. de inſtitut. Monachor. cap. 32. cuius verba ſunt: *Reuelauit Deus Eliæ quod quædam infantula, ſcilicet Beata Maria; per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parua naſceretur de humana natura peccatrice, deſignata per mare,* Super hoc fundamentum, quod tritum eſt, verba Eliæ examinanda, quæ coram Rege Achab protulit, ibidem verſic. 41. *Aſcende, comede, & bibe, quia ſonus multæ pluuiæ eſt.* Ex quo enim ſuper benedicta infantula nata eſt, gratiarum fluenta ſuper homines redundarunt. In hoc enim loco acumen Alberti Magni reſpondet ad finem cap. 10. Lucæ, locum Eliæ, & nubem illuminantis, dum inquit: *Statim autem clamat ſermo Propheticus, & omnis bonorum cœtus, quod ſonus inundantiæ, eſt multæ pluuiæ, quia terreſtres* (loquitur de Deipara) *compluit in gratia, & venia, cæleſtes in illuminationum gloria, & infernales* (purgatorium denotat) *in Indulgentia.* Sonitum enim vehementis pluuiæ, & irrigua gratiarum effudit. Hebræa verſio ſignificantiùs fluenta exprimit: *Impetum ingentis pluuiæ.* Vatablus legit: *Strepitus multitudinis pluuiæ, vel vehementis pluuiæ.* Et vbi legit Vulgatus: *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Legunt Septuaginta: *Ecce nubes puſilla quaſi veſtigium hominis adducens aquam.* Ex quo enim ſemper benedicta infantula de amaro mari humanæ naturæ orta eſt, gratiarum, & pietatis, & interceſſionis fluenta in orbem induxit, ipſa ſcaturiginem fontis æterni, & aquæ immenſæ tramitem hominibus areſcentibus præ anguſtia, & ſiti adduxit. Nec ſolum nubes, quæ orbem cœleſtibus fluentis irrigaret, ſed quæ poſſet eſſe ſubſidio, hominique languenti, ſub ruina peccati lapſo, poſſet porrigere manum. Vnde verbum illud: *quaſi veſtigium hominis.* Hebræus legit: *Parua nubecula, ac ſi eſſet hominis manus, aſcendit de mari.* Vatablus: *Magnitudine volæ hominis.* Quàm dulcis infantula, ipſa nubes, ipſa veſtigium hominis, ipſa manus. Manus quæ Deum tenet, ne puniat; quæ hominem retinet, ne labatur; in manibus eius ſpes noſtra eſt, & illius manu ſeruamur; poſt ruinam ſe inclinat ad lapſum, vt ſurgens firmo poſſit ſtare veſtigio. Hominum naturam explorat, & vbi cernit hominis veſtigium, relinquit pietatis indicium, & effundit miſericordiæ viſcera. Denique nubes eſt, quæ feſſis præbet vmbraculum, & exæſtuans vitiorum incendium rorifera aura mitigat. Ipſa etiam vola manus, quia enim miſericordiæ mater eſt, non dedignatur ſubire munus Angelicum, in manibus portabit filiolos ſuos,

P. A. Luc. de Arcon. s in Iſaiam.

Ioan. Ieroſ. *In Elia nubecula Deipara adumbrata.*

Albert. Magn.

Cum nubes Maria apparuit, ſonus multæ pluuiæ donorum, & gratiæ eſt.

Lect. Hebr. Vatab. Lect. Lxx. *Cur nubecula dicatur hominis veſtigium.*

Lect. Hebr. Vatab. *Cur vola, & manus hominis nuncupatur.*

ne vnquam offendant ad lapidem pedes ſuos.

4. Primum præconium, quod cecinit ſodalium chorus in Salomonis Epithalamio primo Canticorum capite continetur, cum enim cernerent puellam Deiparam ſuper omnes feminas eximio decore vernantem; omnibus naturæ, & gratiæ ornamentis fulgentem; hoc carmen illi acclamarunt fauſtè, Cantic. cap. 1. verſic. 9. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres,* Sapientiſſima fœminarum à ſponſo edocta non ignorabat ſpeciem, & dignitatem ſuam, ſed ornamenta gratiarum per humilitatem ſimulant ignoraſſe Angelici ſpiritus, vt anſam captent profuſioris laudationis ſponſæ. Angelico carmini, quod deuouit chorus Deiparæ, Cardinalis Hailgrinus hæc addit ſcholia, in caput 1. Canticor. *An ignoras te, quod ſis ſtella maris, quæ non ſolum benemerentes dirigis, ſed etiam errantes, & deuio reducis ad portum ſalutis? An ignoras te, quod ſis mediatrix Dei, & hominum, vt peccatores diſcordantes à filio tuo, reuoces ad concordiam? An ignoras, quod ſis pulcherrima mulierum, & ideò in intercedendo pro peccatoribus potentiſſima?* Horum omnium non ignara Deipara, ſed dum eorum à fidelibus excitatur memoria, maximis perfunditur deliciis: perpende mirum ſententiarum nexum in Hailgrino, dum, quia pulcherrima mulierum eſt, in intercedendo pro peccatoribus, aſſerit potentiſſimam. O quantæ pulchritudinis vires, ad deuincendos animos potentiorum! O quantum arridet Deo Mariani oris venuſtas, & hilaritas! Decor matris incredibili voluptate demulcet filium: cerne in Maria decoris, & formæ imperium, ipſam Dei omnipotentiam quodammodo æmulatur; cum interceſſione ſua, omnia poteſt.

5. Vocant nos Marianæ pietatis triumphi; ſi circumdant eam flores roſarum, & lilia conuallium, obuallant quoque peccatorum cœtus, in quorum conuerſione, de viriis retulit palmam. A Salomone triumphalis comitatus deſcribitur Cantic. cap. 3. verſic. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* In Hebræo habetur: *Tanquam columnæ, palmæ, fumi, ſuffita myrrha.* Spiritalis ornamenta triumphi, palmæ, ſuffitus myrrhæ, & columnæ inſcriptiones recenſentur, quæ mundo retulit Mariæ ortus de quo verba Cantici exipendo ſuffragante Ruperto his verbis: *Talis fumi virgula tu: O Beata Maria, ſuauem odorem ſpiraſti altiſſimo, cæleſtibus diſciplinis erudita, atque extenuata.* Alij hæc verba accipiant de cœleſti Mariæ triumpho, cùm donata eſt immortalitatis pignore; ſed cum Tuitienſi Abbate de Maria adhuc infantula, necdum maturâ thalamo, & diuinis tedis, ſuſcipimus, ſed maturâ triumpho, tempeſtiuâ beneficio, peccatorum, quos commutauit in melius, onerata exuuiis. Nec deſunt palmæ, & ſigna victricis dextræ, nec columnæ, quibus exarentur trophæa nunquam obliuione ſepelienda. Non vna palma, ſed multiplex, vnde Vatablus legit: *Vt columna.* Et Tigurina: *Palmarum inſtar.* Sed quia de interceſſione Deiparæ tot ac tanta inſtrumenta victoriæ veniunt legunt Septuaginta: *Tanquam truncus fumi incenſus myrrham.* Et apertiùs Symmachus: *Tanquam incenſi euaporatio.* Subtiliter ſanctus Ambroſius lib. de Iſaac cap. 5. *Veluti fumus natus ex igne:* & addit fumum, & odorem orationem præter-

Hailgrin. Card. *Maria ſtella maris.*

In interceſſione, potentiſſima eſt Dei genitrix.

Maria palma, & triumphi, peccatores ad pœnitentiam reducti.

Lect. Hebr.

Rupert.

Vatab. Tigur.

Lect. Lxx. Sym. D. Ambr.

prætendere: *Odor autem ille orationis piæ redolet ſuauitatem, quæ dirigitur ſicut incenſum in conſpectu Domini.* Quàm potens, quam valida Mariæ exoratio! ex quo enim hæc virguncula odoris Deifici in lucem educitur, diuini incendio concremata amoris, veluti fumum natum ex igne, ex quo nata eſt, interceſſionis, & pietatis ſpiramina redolebat, abolens fœtorem ſcelerum, & vitæ æternæ odorem exhalans; complens Dei nares orationum fumo, & odoramentis, omni calamo, thymiamate, & pigmentariis pulueribus ſuaue olentioribus. Sed truncus iſte fumi, & euaporatio incenſi, quia magnus eſt, ſpiramenta præbet Deo, & homini; Deo, complacentiæ, & placabilitatis; homini, ſpem veniæ, & in eo myrrham incendit, iuxta Septuaginta, dum excitat ad dolorem criminum, & pœnitentiæ amaritudinem. Et benè fumum exhalat, qui ſolet ciere lacrymas. O quantas Marianæ orationis fumus lacrymarum ſcaturigines elicit ex oculis peccatorum!

Virga Moyſis elementa immutauit, populi contumaciam non ſuſtulit.

6. Percuſſit bis virga ſilicem Moyſes, & ſtatim cryſtallinas lymphas eiaculatur, at ex oculis congregationis rebellis, & incredulæ compunctionis lacrymas eruere non potuit. Non enim erat fumea virgula, quæ fumificaret homini luctus humorem, & interceſſionis ſuffragium. Virga Moyſi virga terrea, virga aquea, virga aerea, virga ſanguinea, dum portenta edit, & omnia immutat elementa; ſed nunquam extitit virga fumigabunda, quæ pœnitentiæ myrrhâ oculos ſuffiret, aut margaritarum decore aſpergeret. Alteri virgulæ ſeruabatur tantæ prærogatiua victoriæ. Rectè ergo Deipara nuncupatur virgula fumi: ſed quantos pietatis ſuffitus, & ſpiracula ſpei veniæ redoleat teſtatur ſanctus Bonauentura in ſpeculo cap. 12. noua adiiciens incrementa Angelorum Cantico his verbis: *Deſertum eſt cor peccatoris, quod vtique deſertum eſt à gratia, & virtutibus. Fumus aromaticus, fumus ſuauis animæ eſt aſpiratio ſpei veniæ. Beata Virgo Maria per deſertum, quaſi virgula fumi aſcendit, quando ipſâ ſuffragante, cor peccatoris fumum ſpei veniæ ſuſcepit. Nullum piiſſima Virgo deſertum abhorret, nullum peccatorem deſpicit, ſed quocumque pertranſierit ſuauiſſimum ſpei veniæ fumum reſpergit.* Et paulò antè: *Beata Virgo Maria eſt virga fumea incipientibus, & pœnitentibus.* His triumphis addit Maria cœlicolis nouas coronas, & palmas. Sed dum contritione ſaxea emollit pectora, & vocat ad pœnitentiæ lamenta, & peccatorum humectat oculos, & velut noua Luna peccatorum corda, humida, & cryſtallina irrorat aſpergine.

Maria virga fumi, quia ſpē veniæ aſpirat, & lacrymas ex peccatorum oculis elicit.
D. Bonau.

Quartus nouæ Lunæ nitor, ad num. 4.

DISCVRSVS IV.

Cæleſtis paradiſi ianuam, quam ferreis veſtibus Eua obſtruxit, Deipara feliciter reſerauit.

7. DVM in noua Luna Orientalis templi porta aperiebatur, noua ſpes, noua lux affulgebat mortalibus, quod exoriente Lunâ Deipara, paradiſi portæ nobis patuleſcunt. Congruentis ſalutarionis exordium ſuggerit Diuus Fulgentius apud ſanctum Auguſtinum ſermon. 24. de diuerſis dicens: *Facta eſt Maria feneſtra cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen: facta eſt Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cœlos.* In ſcala immorari libet, imò per ipſam ſcandere, & cœli gazas diripere. Statim occurrit percelebris Iacob ſcala, Geneſ. cap. 28. verſic. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram.* Hæc tantummodo verba examinanda Abulenſis acumine, qui ſcalam cenſet eſſe Chriſti, & Mariæ progeniem, dextrum ſcalæ latus Patriarcharum lineam, & iuſtorum, qui in libro generationis à Matthæo recenſentur. Læuum ſcalæ latus improborum Regum, & feminarum, quibus dedecoris notam inurit ſacra literatura, genus innuit; per hanc ſcalam, ſeu generationis ſeriem Chriſtus apicem tangit cœli, quia Deus eſt, terram tangit, quia verus homo eſt. Sed felix terra, cui innituntur ſcalæ molimina, & in qua aſcenſiones fulciuntur. Grauiter, & acutè Abulenſis Epiſcopus inquit: *Quod ſcala tangeret terram, ſignificat, quod illa generatio fundata fuit ſuper Beatam Virginem, à qua Chriſtus in generatione ſua ſubſtantiam corpulentam, id eſt veram carnem humanam accepit.* Iam ſpiritu præuidebat Iacob terram, id eſt Deiparam, in qua Deus nouum fundaret orbem, requiem homini donaturam, & in qua Patriarcha veluti in aurata ſponda, & molli culcitra recumberet. Et filiam parentibus fore dulce laborum lenimen. Terra in qua ſtat Iacob ſancta, immaculata, innoxia, nullis obſita peccatorum ſentibus, piis digna amplexibus: & repetitis oſculis. A ſomno excitatus Iacob ab Spiritu ſancto inſtructus ſermonem texit de filiæ ſuæ laudibus: coram Deo, & Angelis Deiparam prædicat, ibi verſic. 16. & 17. *Cùmque euigilaſſet Iacob de ſomno ait; verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Sed Abulenſis ſubiungit: *Dicitur eſſe porta cœli, quia in ſummitate ſcalæ ibidem ſtantis videbantur eſſe quædam portæ, quibus intrabant Angeli in cœlum.* Grates rependo diuino Numini, quia iam in cœleſtibus reſeratæ ſunt portæ. Nunc primùm auditur, quod cœlitum domicilium habeat portam, ſed intrant Angeli, ingrediuntur cœleſtes virtutes: nunquid quia per Mariam etiam Angelis cœli aditus patet? adhuc in Toſtati verbis non quieſcit animus, quia ianuam cœli ſolis cœleſtibus aſſignat, in ſublimi, & inacceſſo cœlorum cardine portam collocat. Mitior affectu, ſuauior verbis Iacob Deiparæ beneficia, quæ altè biberat, hominibus eructauit. Non enim ait in ſublimibus cœlorum, oſtium cœli conſtitutum, ſed hîc in loco iſto, in terra iſta, in qua ſcala ſtabilitur. *Verè Dominus eſt in loco iſto, non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Ex quo enim Maria orta eſt, Deus cœlos ad terram inclinauit, porta præexcelſa paradiſi arci conſtructa eſt; paradiſus inacceſſus, omnibus hominibus patet. Aptè ergo ſanctus Ephræm Syrus orat. de Deipara, Mariam ſalutat: *Aue porta cœlorum, & ſcala aſcenſiſque omnium; aue reſeramentum portarum cœleſtis paradiſi.* Iam enim cœli cærula templa, Angelorum, & hominum acies admittunt, eſt enim Maria aſcenſus omnium.

D. Fulg.
D. Auguſt.
Maria feneſtra, & ſcala cœli facta eſt.

Iacob ſcala.
Abulenſ.

Abulenſ.
Terra quam tangebat ſcala Deiparam innuebat.

Abulenſ.
In ſummitate ſcalæ erant porta cœleſtes.

In terra cui innitebatur ſcala erat cœli porta.

D. Ephr.

Summi

2. Summi orbium Imperatoris tenet deauratam clauem; vniuerſæ Regni ætherei è margaritis, & cryſtallo fabrefactæ portæ Mariæ patent. Hoc enim munus Magnæ Dei Optimi, Maximi Matri, & Spiritus ſancti pulcherrimæ ſponſæ debebatur, potiori iure, quam terrenæ ſponſæ, cùm in ſponſi contubernium introducebatur, tunc enim iſti ab ſponſo Dominium familiæ, & domus claues donabantur, vt annotat Gregorius Toloſanus lib. 9. Syntagmat. cap. 19. num. 14. ibi fatur: *Vxoribus primum domum ingredientibus claues darent.* iuxta Romanorum mores. Et ſubiungit, huius deditionis documenta: *Vt ſymbolum acciperent, ſe vt matresfamilias in poſſeſſionem, & in rerum mariti communionem, ſeu ſocietatem admitti.* Dum in lucem editur Maria, dum in Dei Matrem eligitur, claues accipit ſponſæ, claues (inquam) poteſtatis, ipſa enim capſas, in quibus ſunt theſauri Dei abſconditi, aut claudit, aut aperit; ipſa gratiarum tramites de ſcaturigine fontis æterni deriuatos, inter Eccleſiarum pomaria diuidit. Denique cœleſtium portarum, clauis in manu ſua eſt. Iure ego cum ſancto Ephrem repetiã ſalutatione inuocanda. *Aue reſeramentum portarum cœleſtis Paradiſi.*

Claues cœleſtis aulæ Mariæ ſunt donatæ. Gregor. Toloſ.

Matriſfamilias clauis donatur.

Ephr.

3. Inclyta inter feminas Iahel in libro Iudicum prædicatur, quæ Siſaræ tempore validè perforans clauo tabernaculi, & iniqui ſomnum morti conſocians, de maximo Iſraëlitici populi hoſte feliciter triumphauit. Onationi, & triumpho Debbora, & Barac deuouerunt triumphale carmen, Iudicum cap. 5. Cantici verſus 26. eſt: *Percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus eſt.* Sed ſingularem Iahel victoriam, & eximium de Siſara trophæum Beatiſſimæ Virgini accommodat, de Dæmone reportanti triumphum, & adaptat Gloſſa in hæc verba: *Per ipſam figurata fuit Virgo Maria, de qua ſcribitur Geneſis tertio: ipſa conteret caput tuum, eo quod contritio Dæmonis, quæ per ſerpentem, & Siſaram ſignificatur, fuit Beatæ Virgini reſeruata.* Veruntamen nominis Iahel ſignificatio arcanum ſacramentum claudit, iuxta Origenis Adamantij annotationem homil. 5. in Iudices, aientis: *Interpretatur Iahel aſcenſio, quia non eſt alia aſcenſio ad cœlum.* Et noſtra Dei parens Iahel aſcenſio eſt, quia per ipſam ad Deum, & Empyrei aulam aſcendimus, neminique patet aditus cœlorum, niſi per Mariam. A femina nunquam maledictioni obnoxia, tyranni Dæmonis capite contrito, qui cœlorum vias, & ſemitas criminibus obſtruxerat, cœleſtia omnia patuerunt mortalibus.

Iahel triumphus Mariæ aptatur.

Gloſſa.

Origen. *Iahel aſcenſus interpretatur.*

4. Nec præter rem Salomon alternantes Angelorum choros inſtituit, qui Deiparam eſſe cœli portam occinerent. Cantic. cap. 8. verſic. 8. & 9. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt? Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Ex Chaldæi Paraphraſtis ſententia alloquitur coryphæus Michaël de Deipara tanquam de ſororcula, tenella, nec nuptiis habili: *Dixit Michaël Princeps Iſraël, quæramus miſerationem propter eam coram Domino.* Propter quam niſi propter Meſſiæ Matrem, inter Angelos, & homines mediatricem? Eximia laus in ore Angelorum reſonat, & in hominum calamo, & verbis conſonat, hunc verſum explanantium, inter omnes eminet Dionyſius Carthuſianus, ſcribens:

Chald.

S. Michaël Mariam precatur.

Dionyſ. Carthuſ.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Vbique etiam eſt diuiniſſima Virgo, per quam Saluator mundi venit in carne aſſumpta ad genus humanum, & per ipſam habemus acceſſum ad Saluatorem, & iudicem noſtrum, tanquam per piiſſimam portam omnibus patulam, & apertam; & ſicut Chriſtus eſt miſericordia noſtra, ſic ipſa eſt Mater & Domina noſtra, miſericordiæ ianua. Hæc Dionyſius.

Ma

5. Meritò Rupertus Abbas Mariam nuncupat cœlum binis oſtiis inſignitum iuxta verba Pſalmographi Pſalm. 77. *Et ianuas cœli aperuit.* Subſcribit Tuitienſis Abbas in c. 1. Matthæi: *Beata Maria cœlum illud eſt, de quo fuerat præſcriptum: & ianuas cœli aperuit. Si enim cuiuſlibet iuſti anima cœlum eſt, quanto magis hæc ſingularis Dei habitatio, vel ſedes? Quot autem, vel quæ ſunt ianuæ huius cœli, quas Dominus Deus aperuit? Duæ, altera mentis, altera ventris. Ianuam mentis Deus aperuit, quia Beata hæc credidit, quæ dicta ſunt ei: ianuam ventris aperuit, quia ſine viro virgo concepit, virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit.* Si quis compaſſionem, & pietatem huius cœli Mariani feneſtras nuncuparet, libenter annuerem. Si pro foribus huius domicilij excubes, occurret tibi ſalus, & gloria Domini circumdabit te.

Rupert. *Deipara cœlum binis ianuis conſpicuum.*

6. In hac porta, & quidem ſuper pulchritudinem ſtellarum ſpecioſa, claudi mendici conſolidatæ ſunt baſes, de qua fit mentio Actorum cap. 3. verſic. 2. *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa.* Porta ſpecioſa Deipara eſt, iuxta interpretamentum Gloſſæ ſcribentis: *Dei templum locus Beatorum, huius templi porta ſpecioſa eſt beata Virgo Maria, de qua cantat Eccleſia, felix cœli porta. Per hanc portam Dei Filius venit ad nos redimendum, & per eam deducit nos ad glorificandum. Si quis autem claudus eſt, ambulare non potens in via morum, ponatur per deuotionem ad ipſam; erigetur diuinitus, & fortificabitur ad feliciter gradiendum.* Hæc Gloſſa.

Gloſſa. *Maria porta templi ſpecioſa.*

Aræ Iudaicæ, & Chriſtianæ comparatio.

Dum religioſum Salomonici templi altare Deus reſpuit, omnia altaris incenſi, ſiu thymiamatis inſignia, & altare Euchariſticum tranſtulit.

1. DVo altaria ornabant Salomonis templum, vnum holocauſtorum, alterum incenſi, vt conſtat Exodi cap. 24. & 30. & annotat ſanctus Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechiel. homil. 2. his verbis: *In tabernaculo per legem duo altaria fieri iubentur. Vnum videlicet exterius, aliud verò interius. Vnum in atrio, aliud ante arcam. Vnum quod æs coopertum eſt, aliud quod auro veſtitur. In altari æreo cremabantur carnes, in altari aureo incenduntur aromata.* Sed vtrumque altare Deus manifeſtè reiicit: altare victimarum in illis verbis: *Quo mihi multitudinem victimarum?* Altare verò incenſi in illis: *Incenſum abominatio eſt mihi.* Et

Altaris holocauſti, & altaris incenſi diſcrimen. D. Greg. Magn.

Vtrumque altare Deus reſpuit.

vtriuſque

vtriuſque altaris repudium in hoc Iſaiæ loco agnouit ſanctus Baſilius ſcribens: *Cum enim ſacrificia corporalia abroget, & reiiciat, ipſum quoque Pontificem, qui iuxta legis ſanctionem conſecrabatur omnino ſpoliat dignitate.* Et rurſus ad ea verba: *Incenſum abominatio eſt mihi* (ſubiungit) *Thymiama illud prius, iam eſt faſtidio, & abominationi apud Dominum.* Reiecta victima, & Sacerdote, & Thymiamate conſequens eſt aras fuiſſe reiectas.

D. Baſil.

Gloria Moſaici altaris, & ſacrificij tranſlata eſt ad altare, & ſacrificium Chriſti. D. Baſil.

2. Quod verò ex abrogatione illius ſacrificij, ad Sacerdotium, & ſacrificium Chriſti ſit facta tranſlatio manifeſtè docet idem ſanctus Baſilius, fatus: *Hoc ſanè pacto ſe habet vtraque lex Moſaica, & introductio legis gratiæ. Qui igitur ex ſemine Aaronis conſecrabantur, excluſi ſunt: vt iſtis ſuccederet Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec. Non iam illud iuge ſacrificium, aut victimæ continuo repetitæ. Vna enim hoſtia. Chriſtus. Et quæ pro eius confeſſione celebratur ſanctorum mortificatio.* Et examinans eam ſententiam: *Et ſanguinem laororum,* ait: *Ceterum obſerua, eum non dixiſſe ſe nolle omnem omnino ſanguinem: ſed eum repudiat, qui ex eiuſmodi quibuſdam animalibus effunditur. Nam qui in hoc ſæculorum fine in remiſſionem peccatorum eſt effuſus, melius loquens, quam Abel, hunc habet gratiſſimum. Quin, & haſce victimas ad ſpiritale transfert ſacrificium, quandoquidem erat futura tranſlatio ſacerdotij.*

In altari holocauſti, & incenſi Chriſtus adumbratus. D. Cyrill Alexand.

3. Chriſtum verò Dominum in vtroque altari fuiſſe adumbratum concors eſt Sanctorum Patrum mens. Primus eſt ſanctus Cyrillus Alexand, lib. 4. in Ioannem cap. 28. ibi ait: *Conſidera quam diligenter vtriſque altaribus Chriſtus nobis deſcribitur. Per altare quidem incenſi, vt ſuauitatis odor aſcendiſſe ad Deum Patrem intelligitur. Per holocauſti verò altare, vt hoſtia pro nobis ad cædem acta.* Secundus ſanctus Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 12. de altari Thymiamatis ſic fatur: *Aureum altare ipſum Dominum ſignificat: qui miro atque ineffabili ordine, ita carnem veram traxit ex Adam, vt a peccato carnis Adæ veraciter eſſet immunis. In hoc altari aromata tantùm adolebantur quia Dominus preces, ſiue lacrymas effundens, non pro ſuis erratibus, qui nulli erant, ſed pro noſtra hoc ſalute faciebat.* Et paucis interiectis: *Super cornua altaris deprecatur Aaron in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placat ſuper eo, quando rogantes pro populo Dei, vel pro ſua ipſorum ignorantia Sacerdotes, per vnigenitum filium eius ſe ſe adiuuandos, & per ſacramentum paſſionis illius ſaluandos eſſe confidunt.*

Beda.

Ieſus in altari Euchariſtico incenſum eſt, & thymiama.

4. Sed illuſtre eſt teſtimonium Malachiæ Prophetæ, qui Chriſtum Dominum in altari Euchariſtico, incenſum, & thymiama nuncupat. cap. 1. verſic. 11. cùm enim verſic. 10. munera, & ſacrificia Iudaica reſpuiſſet illis verbis: *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu verba.* Poſtea ſubiungit: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Septuaginta legunt: *In omni loco incenſum offertur nomini meo.* Sanctus Cyprianus lib. 1. teſtim. contra Iudæos numero 16. qui incipit: *Quod ſacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur,* refert Iſaiæ verba, & affert locum Malachiæ iuxta Septuaginta legens: *In omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo.* Ieſum autem quotidie in altari Euchariſtico oblatum incenſum nuncupat. Sic exponunt de ſanctiſſima Euchariſtia hunc locum

D. Cypr.

Lect. Lxx.

ſanctus Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 32. circa finem dicens: *Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, de quo Malachias ſic præſignificauit: in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum.* Sed apud Septuaginta verbum Græcum Thymiama reperitur θυμίαμα, & ſic legit ſanctus Cyrillus commentario in Malachiam, & exponit de Euchariſtia dicens, numero 15. *Meliores, & magis frugi fore ex gentibus vocatos, quam Iſraelitas, hinc quoque patefacit: Apud illos enim ſacrificia munda, & benè olens thymiama, & magnum nomen Domini, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, apud vos autem altare non eſt in magna, & quæ Deum deceat gloria:* Et numero 12. antecedenti, fine, ait: *Ita conſtituto Chriſti ſacrificio cœleſti, ac viuifico, per quod deſtructa eſt mors, & caro iſta terrena, & corruptioni obnoxia incorruptionem induitur.* Eſt autem thymiama idem quod euaporatio, & ſuffitus: ad odores, & incenſum vox iſta communis, ſed ſingillatim denotat odorum compoſitionem. De quo Exodi cap. 30. verſic. 34. Vide ſanctum Baſilium in caput 1. Iſaiæ: *Incenſum,* &c. Eſt autem altare, imò & puriſſimum thymiama ex vniuerſis pigmentis compoſitum, Dominus Ieſus, qui ſpiracula Deitatis, & cœleſtium virtutum halat, & quotidie in Euchariſtia in odorem ſuauiſſimum, & ſanctum ſanctorum offertur Patri. Audiendus eſt ſanctus Dionyſius Areopagita in cap. de chriſmate, quem refert Turrianus tractatu de Euchariſtia, fine, dicens: *Et altare noſtrum diuiniſſimus Ieſus. Credimus diuiniſſimum Ieſum ſupra naturam ſuauiſſimè olentem diuina iucunditate, qua ex odorationibus ſpiritualibus afflatur, mentes noſtras replere.*

D. Irenæ. *Oblatio munda eſt, Euchariſtia.*

Lxx.

D. Cyrill. Alexand.

D. Cyrill.

Quid ſit thymiama.

D. Baſil.

Altare, & thymiama Ieſus eſt.

D. Dionyſ. Areop. Turrian.

Altaris incenſi ornamenta

5. Sed videamus altaris incenſi, ſeu thymiamatis ornamenta, eaque ad altare Euchariſticum transferamus. Ea deſcribuntur Exodi cap. 30. à verſu 1. *Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim. Cornua ex ipſo procedent. Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua, facieſque ei coronam aureolam per gyrum. Et duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera.* Eminentiora altaris inſignia ad quatuor reducuntur. Quòd affabrè elaboratum de lignis Setim: quòd quatuor habet cornua, & angulos: quòd craticula ignis, ſeu foculus eminet supernè: quòd corona aureola totum altaris circuitum ambit. De ſingulis dicendum.

Primum ornamentum.

6. Primò, De lignis setim.] Lignum quod dicitur alba ſpina, imputribile, nec igne læditur, nec flamma conſumitur. Nam Chriſtus participes ſui corporis mundialium periculorum reddit immunes, & inter vitiorum flammas incolumes; tentationibus, & ærumnis redduntur magis conſpicui,

Secundum ornamentum.

7. Secundò, Cornva ex ipso procedent.] Erant anguli, in modum obeliſci, ſeu pyramidis efformati, & coronulis inſigniti, vt annotant Lipomanus, Caietanus, Exodi cap. 30. Ribera lib. 2. de templo cap. 8. Villalpandus tom. 2. in Ezechiel. cap. 4. parte 2. lib. 4. cap. 49. vt ſanctiſſimi, & viuifici panis monumentum demonſtret; & præclaros de vitiis, de idololatria inſinuet triumphos, palmas, coronas. Et cum cornua ſint in ſacra Scriptura inſignia poteſtatis, & Regni; denotat

Ribera. Villalp.

quod

quod Chriſtus in altari, ſceptra, diademata, imperia tuetur, & cuſtodit,

Tertium ornamentum.

8. Tertiò, CRATICVLAM EIVS.] Erat enim tectum reticulatum, vt foculi, & prunarum cineres in humum deciderent, erat enim velut craticula. Eſt enim huius altaris myſtici proprium, & eximium cineres, & corruptionem diſſoluere, & incorruptionem inducere; apparebant enim ibi velut ora aperta, & patula, vt vulnera Chriſti ſignificarent, & clamores quibus ſanguis eius in altari clamat.

Quartum ornamentum.

9. Quartò, FACIES CORONAM AVREOLAM PER GYRVM.] Vt ſpeciale præmium, & aureolam ſeruatam indicet, iis, qui piè, & dignè Euchariſticum panem accipiunt. Singula hæc decora ex ſequentibus illuſtranda.

Primum Aræ ornamentum.

Ligna Setim, ad num. 1.

DISCVRSVS I.

Egregium altaris Euchariſtici facinus inter gliſcentes vitiorum flammas, & Babylonica Veneris incendia, impolluto calle tranſire.

1. PRÆCLARVM munus Euchariſtiæ eſt mundialis incendij miſtigare, aut ſopire in homine flammas, quas libido, aut turba paſſionum ſuis facibus ſuccendunt, nec ætatem ſolam effœtam viribus, temporibus canam, intempeſtiuam voluptatibus reddit immunem periculi, ſed floridam iuuentam, in qua virtutum floſculos teneros, inter caminos, & Ætnas æſtuantes ſeruat nitidos, vernantes, illibatos. Hoc panis viuifici prodigium, rubi ardentis, & non combuſti miraculo maius eſt. Hanc mirabilem naturam ligno Setim, ex quo fabrefactum altare, Creator indidit, vt nulla vi ignis, aut circundantis flammæ poſſet exuri, aut inquinari. Huius miraculi auidum ſpectatorem me conſtituit Angelus, qui templi magnalia Ezechieli oſtendit, cùm deueniret ad altare thymiamatis hæc verba protulit cap. 41. verſ. 22. *Altaris lignei trium cubitorũ altitudo*, &c. *Et loquutus eſt ad me: hæc eſt menſa coram Domino.* Altare ligneum, menſam nuncupat, vt de myſterio menſæ Euchariſticæ non eſſet ambigendi locus. Quid verò mirum in altari, & menſa fulget, vt in eius admirationem Ezechiel raperetur, eúmque Angelus ante altare ſiſteret? Verborum Angelicorum interpres ſanctus Hieronymus maximi Doctoris ore ſic fatur: *Vit ergo ille, qui Prophetam in abdita templi introduxerat, & inter cætera oſtenderat ei altare ligneum: quod & angulos, & cornua iuxta Septuaginta habebat ligneos, dixit ei: hoc altare, quod reſpicis, ipſa eſt menſa coram Domino, quæ in ſimilitudine rubi ardet, & non comburitur, de qua ſanctus loquitur ad Deum: paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.* Altare in ſimilitudinem rubi muris igneis muniti, & circumamicti flammis, & prunis, quaſi præterfluentium aquarum riuis temperati, frondibus, foliis, floribúſque vireſcentis, in templo Dei nitet; carbonis ignitos ſcintillantes, & flammatos ſuis lignis ſuſtinens, nihil ab igne patitur, nec flammæ voracitatem experitur, nec lignum aridum accenditur, nec fumum, aut nidorem ignis halat. O nouum, & antiquum diuinæ potentiæ miraculum! Sed in altari Euchariſtico renouatum, quod altare thymiamatis præ ſe ferebat. Hæc enim ſunt altaris diuini magnalia, quod eos, qui ad altare accedunt, & Chriſti corporis ſunt participes, non exurat flamma vitiorum; licet humani generis hoſtis prunas cordis, & corporis igniculos, ſuggeſtionibus exſufflet, pulchris imaginibus titillet ſenſum, & voluptate demulceat; hoc pane altaris armatus inter flammas, ignes, pulchritudines, delicias immaculatus, incolumis incedes. Intrepide dicam de plurimis viris, & feminis: propter Euchariſticum panem, in medio ignis non ſunt æſtuati. O quot iuuenes hoc alimento muniti inter Veneres, & Circes, lapidei, ſaxei, niuei! O quot puellæ vndique minis, telis, Babylonicis pyris vndique clauſæ, pericula, & incendia ſpiritu agiles, & aligeræ tranſiliunt! Sicut enim materia altaris lignum Setim, igne non exurebatur; ſic altare myſticum, & Chriſtus, qui in eo immolatur, fideles ſuos vitiorum flammis reddit immunes.

Menſa de lignis Setim Ezechieli demonſtrata.

D. Hieron.

Menſa inſtar rubi ardet, & non comburitur.

Panis Euchariſticus à mundialibus flammis reddit homines immunes.

2. De Euchariſtico pane manifeſtum ſcripſit Vaticinium Oſeas cap. 14. ex quo duas tantummodo ſententias colligo, verſic. 8. vnam: *Viuent tritico.* verſic. 6. alteram: *Ero quaſi ros.* Primam, Gloſſa ordinaria de Euchariſtia exponit: *Viuent tritico, id eſt, corpore, & ſanguine Domini.* Secundam ſanctus Hieronymus illuſtrat: *Ero eis quaſi ros, vt fornacem Babylonicam, & caminum æſtuantis incendij meo rore reſtinguam.* Septuaginta etiam plures effectus panis viui proferunt legentes, *Viuent, & inebriabuntur tritico.* Ex ſanctificato frumento vita pullulat, & ſancta ebrietas, quæ hominem extra ſe rapit, & ad cœleſtia transfert; ſed potiſſimus effectus eſt eſſe animarum delinificum ſtillicidium, & ſuauiſſimum rorem, qui ſuper animam effunditur, vt Babylonica paſſionum incendia arte Dæmonis excitata extinguat. Vnde, inquit Deus, cùm viuent tritico, ero eis, quaſi ros. Si in medio fornacis mundi qui vitiis exæſtuat, & in quo ignei flagitiorum globuli circumuolitant, fueris proiectus, viue tritico, comede ſactum panem; non Angelus, ſed ipſe Dominus deſcendet ad tuum pectus, & excutiet flammam ignis de fornace, & faciet mediam fornacem quaſi ventum roris flantem, & non tanget te omnino ignis, neque contriſtabit, nec quidquam moleſtiæ inferet. Daniel cap. 3. veruntamen ea verba Hieronymi: *Meo rore reſtinguam.* ſic accipe, non eo ſenſu, quod extinctionem fomitis ſacræ Euchariſtiæ receptio etiam in iuſtis operetur; manet enim ad exercitium virtutis, & meritum; ſed effrænes motus cohibet, appetitum ſedat, & coërcet paſſionibus excitatos, deliteſcenteſque ſub carne ignes largiſſimo gratiæ rore extinguit, ne pectus exurant, aut animum; ne in conſenſum attrahat, vires copioſas ſuppeditat. Sancti verò, & Eccleſiæ proceres, qui ſpeciali gratiæ priuilegio, impudicas cogitationes, aut illecebroſas carnis titillationes, & motus non ſunt experti, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ hoc mirabile tribuant, neceſſe eſt, Caro enim, & ſanguis Chriſti, in carne miſera, & ſanguine in malum, & voluptates pronis hoc miraculum operata eſt.

Euchariſtia velut ros carnis incendia mitigat.

Gloſſ. ord.

D. Hieron.

Lect. LXX.

D. Hieron.

Quid ſit reſtingui incendium vitiorum.

Ieſus in Euchariſtia tāquam ma.us. 3. Eccleſia ſponſum ſuum Ieſum cum malo, & pomo comparat. Cant. cap. 2. verſ. 3. *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.* Illud ſpeciale in pomo nitet, quod ſenſus omnes mirificâ quadam ſuauitate demulcet, ex pomo odor iucundus, & ſuauis aſpirat, tactu molle, palato præbet delicias, inter viridantia folia aureus, & purpureus nitor fulget, qui oculos paſcit: *Talis eſt* (inquit Theodoretus in Cant.) *Dominus noſter, & Saluator, & ſponſus, qui conuiuio ſuo ſenſus omnes noſtros explet ſuauitate.* Sed quiddam ſublimius ſponſa in pomo agnouit, etenim cum torculari exprimitur, mellitus liquor defluit, gutturi gratiſſimus. Sic Dominus Ieſus, ſicut malum pendens in arbore, & in torculari Crucis expreſſus, cœleſtes vitæ, & immortalitatis latices è percuſſo pectore effudit. Acuto Pſello hic conceptus occurrit, in huius loci commentario apud Theodoretum inquit: *Si fortè à quopiam comprimatur, liquorem ſanguineum, & aqueum emittit, & proinde innuit fontes illos ſalutares, qui ex latere Verbi, & Saluatoris emanarunt.* Lignum etiam pomi iucundum præbet vmbraculum, ſuis enim ramis, & frondibus ſpeciem concamerationis exhibet, opacam præbens, & amœnam vmbram, vt ab æſtiui Solis quoſque ardore tueatur, & Chriſtus in Euchariſtia, ſicut malus in lignis ſyluæ infrigerationis vmbram prætendit, cum æſtuantes, & ignitos vitiorum radios Diabolus exſufflat; vnde tres Patres apud Theodoretum in Cantic. ſubſcribunt: *Vmbra omnino Chriſti, in qua, qui deſiderio eſt confirmatus, cupidinum æſtu non comburitur.* Non vnius ſed omnium cupidinum iaculis, & miſſilibus impetitus, ignis non ardebit in te, ſi ad Euchariſticum confugeris velamentum, vbi virtus obumbrat Altiſſimi; ignea narium Behemoth ſpiracula, & ardentes prunæ, erunt tibi glacies, & gelidæ cruſtæ. Si vitiorum ardores, & ardentes furiarum redas vitare cupis, confuge ad Euchariſticum malum, pomúmque aureum purpureum corporis Chriſti in pectore reconde, erunt tibi vmbra nemoroſa, & æſtiua gratiſſima.

Theodor. — Pſell. — *Mali liquor Euchariſticos latices denotat.* — *Mali vmbra contra cupidinum æſtum refrigerat animum, & corpus.* — Nic. Max. Nyſſen. Theod.

Aquarum ſcaturigines Ezechieli oſtenſæ. 4. In ſacro illo templo Ezechieli oſtenſo erumpebant ſcaturigines aquarum ab orientali domus limine, & decurrebant ad latus templi, vbi erant ara, & focus. Ezech. cap. 47. verſ. 1. *Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.* Tum vir ille, qui Ezechielem ductabat, linea menſuratus eſt aquas, vt Vates tranſiret. Poſt tertiam millium cubitorum menſurationem intumuerant alueus torrentis, & aquarum gurgites; & tranare non potuit Vates. Ibi., verſ. 5. *Traduxit me per aquas vſque ad renes, & menſus eſt mille torrentem; quem non potui pertranſire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari.* In hoc loco ſe exhibet ſanctus Hieronymus non tantùm Interpretem maximum, ſed etiam Eccleſiaſtem eximium, & velut peritus nauta magno ingenij acumine torrentis rimatur ſinus, & veluti bolide, & perpendiculo altitudinem aquarum explorat, dicens: *Propheta enim, & omnis humana natura, poſt lumbos torrentem cogitationum, & incentiua in corde vitiorum non poteſt pertranſire.* Nunquid ima vitiorum maria impenetrabilia, & exæſtuans cogitationum pelagus manebit impermeabile? Iuſtus enim à Ieſu ductus, & adiutus velut leuiori, & ſecura cymba tranare poterit, vel immenſa æquora inter marinas, & furentes belluas. Sed robur, animos, & incolumitatem tribuet altare. Ideò enim ad altaris meridiem declinabant aquæ: *Aquæ deſcendebant ad meridiem altaris.* Quod autem altare ſit iſtud expendit Diuus Hieronymus, ibi: *Iſtæ aquæ, quæ egrediuntur de templo Domini, deſcendunt in latus templi dextrum, ad altaris meridiem, vbi ſponſus conuiuas ſuos paſcit, & accubat.* Altare proculdubio Euchariſticum, in quo Chriſtus, oues, & agniculos ſuo corpore, & ſanguine alit. Tametſi torrentes cogitationum, & vitiorum videantur inſuperabiles; dum accedunt, & tangunt altare, fiunt pertranſibiles, & facile ſuperabiles. Altare enim Chriſti vberiores vires ſuppeditat, vt impauido pectore coueris contra ictum fluminis; & torrentis tramites pertranſeas, vaſtos aquarum gurgites traiicias, & in profunda æquoris mole vadum, & fidam ſtationem inuenias. Hoc cœleſti viatico protectus, ſi tranſieris per aquas, flumina non obruant; ſi tranſieris per ignem, flamma non ardebit in te.

Torrens quem non potuit Vates pertrāſire, torrētem vitiorum indicat. — D. Hieron. — D. Hieron. *Virtute Euchariſtiæ ea poteſt homo pertranſire, & ſuperare.*

Secundum Altaris ornamentum, ad num. 1.

DISCVRSVS II.

Altaris, & menſæ Euchariſticæ peculiare eſt, conuiuas ſacri epuli, tentationibus, & ærumnis ſplendidiores reddere, & illuſtriores.

1. VIm alteram, & naturam in ligno Setim intueri licet, quod igne redditur purius, & ſplendidius: ardebat itaque altare veſtitum flammis, at ligna, non fuligine atrata, ſed dilucida, & nitida apparebant; vt altaris myſtici vires oſtenderet, quod virum iuſtum in camino tribulationis reddit illuſtriorem. Hanc mihi mentem iniecit ſanctus Hieronymus, qui dum expendit verba Ezechielis cap. 41. verſic. 22. *Hæc eſt menſa coram Domino.* ita fatur; cuius verba refero iuxta Gloſſam ordinariam: *Humanus ſermo non poteſt explicare, quomodo altare ligneum, in quo ignis ſuccenditur, id eſt menſa thymiamatis, quæ nihil ab igne patitur, ſed igne fit purior, ſicut ſanctorum opera, de quibus dicitur, vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, non pereunt, ſed igne puriora, & clariora fiunt. Sic altaris ligna quæ de lignis ſunt paradiſi, igne vitiorum non cremantur, ſed puriora redduntur.* Mirabile viſum eſt in præcedenti ornamento, quod Altaris tabulæ ligneæ incombuſtæ arderent. Hic addo mirabilius quod igne colluſtratæ eniteſcerent. Sicut ligna, quia altaris ſunt, igni redduntur pellucida, ſic iuſti, altaris, & corporis Chriſti participes, igne tribulationis fiunt nitidiores; hoc tibi præbet altare quod in igne tentationis poſita, nitidiùs effulgeat virtus

Lignum Setim igne redditur purius — D. Hieron. — Gloſſ. — *Menſa thymiamatis ab igne non læditur, ſed igne fit purior.*

2. Ibidem Doctor Maximus altare cum Amianto lapide, & lino comparat, quo cùm homo induitur, igne flammatus non comburitur, ſed illuſtratur: Iuxta cuius naturam locum Iſaiæ interpretor, cap. 43. verſ. 2. in quo Chriſtus Dominus in Euchariſtiæ Sacramento ad cor fidelis videtur affatus: *Cùm tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne non combureris,*

Amiantus igne non comburitur.

veris, & flamma non ardebit in te. In his verbis Chriſtum cum amianto comparat Leo Caſtrius, & illius naturam componit dicens: *Similitudine lini quod ſolet fieri ex amianto lapide, quo res contectæ, & veſtitæ, nihil igni deperdunt in mediis flammis. Ita inquit* (Sanctus Athanaſius ex quo hæc verba refert) *ſacrata Virgo agnum peperit, ex cuius glorioſo vellere factum nobis indumentum immortalitatis eſt, quo tecti neque igne comburi poſſumus, neque flamma exuri, quin per omnia cruciamenta illæſi ad immortalitatem tranſeamus.* Prima verba, quæ Amianti naturam exprimunt videntur deſumpta ex ſancto Athanaſio libro de Incarnatione Verbi. Secunda verò de Virginis Mariæ vellere non ſunt Athanaſij, ſed ſancti Epiphanij libro 3. contra hæreſ. Vltima denique videntur applicatio eiuſdem auctoris; ne in ea lector impingat. Sed de lino incombuſtibili inter flammas, & ignes nitidiori Plinius lib. 19. cap. 1. ſcribit: *Inuentum eſt etiam quod ignibus non abſumeretur. Viuum id vocant, ardenteſque in focis conuiuiorum, ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis, ſplendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis.* Chriſtus in Euchariſtia lapis, & linum Amiantos eſt; nec mirum cùm ab Gentium Doctore Paulo Ieſus, qui ſimul Sacerdos & hoſtia eſt, Amiantos nuncupetur. Ad Hebræos cap. 7. verſ. 26. *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex.* Inter alia inſignia ſummi Sacerdotis Ieſu: *Impollutus.* Addditur Græcè eſt ἀμίαντος, linum amianticum Ieſus eſt, mappáque apta conuiuio ipſius humanitas, quæ ſordes omnium lauacro gratiæ, ipſe immaculatus, & impollutus abſtergit, dum in ſacra menſa edendus apponitur. Ipſius corpus vellus aureum immenſæ gratiæ fluentorum bibulum, quæ in ſacra menſa velut effundit; cycláſque aurea in vtero Virginis Spiritus ſancti arte contexta, vt hominis nuditatem tegeret, amiantico indumento potentior. Dum enim corpus Chriſti accipis, velut diploide, & pallâ incombuſtibili ornatus, & protectus, in omni cruciatu, & tentamento non ſolùm immunis, & illæſus euades, ſed præclarus, ſplendens, & illuſtris: *Splendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis.*

Leo Caſt.
Chriſti corpus velut Amiantes bemungm reddit igne illæſum.
D. Athan.
D. Epiph.
Plin.
Linum quod igne non abſumitur, ſed ſplendeſcit magis.
Ieſus Sacerdos impollutus & Amiãtos.
Lect. Græc.

Adhuc placet inuicta natura, & inter incendia, & rogos, amianti fulgidus ſplendor, in tribus pueris fornacis Babylonicæ: Sidrach, Miſach, & Abdenago ſpecioſos iuuenes in medio camino ignis ardentis proiectos: *Non tetigit eos omninò ignis.* Daniel. cap. 3. verſ. 50. imò nitidos, & ſplendidos reddidit. Habebant enim ſecum amianton ex ſancti Baſilij ſententia, cuius hæc verba ſunt orat. 5. de ieiunio: *Eſt quædam corporis natura, quam amianton nominant, ex eo quod igne conſumi nequeat, quæ quidem in flammam iniecta, videtur in prunas redigi, at cum ex igne exempta fuerit, ac ſi aqua eſſet illuſtrata, lucidior multo euadit. Talia erant illorum trium puerorum corpora, quæ ieiunio naturam Amianti induerant: in magna enim fornacis flamma videbantur veluti aurei eſſe.* Immunitatem puerorum ieiunio attribuit Baſilius; ſed ieiunium præparatio erat ad myſterium corporis Chriſti, in cuius fide viuebant, propter quod inhiabant, & pro cuius amore flammas, ignes, vitæ diſpendia ſufferre parati erant. Id docet ſanctus Auguſtinus, lib. 19. contra Fauſtum, cap. 14. his verbis: *Si ergo antiqui iuſti pro illis prænuntiatiuis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura, & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpeſſi ſunt. Si tres pueros,* &c. *Quanto magis nunc pro Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti, ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus.* Tres illi pueri in fide Chriſti viuebant, & propter Euchariſtiæ Sacramentum, & corpus Chriſti ab illis fidelibus expectatum, paratiſſimi erant ad ſubeunda martyria flammarum; fides itaque viua Euchariſtiæ, & Sacramentorum Chriſti, in illis operabatur, eóſque reddebat in igne illæſos, & ſplendidiores. Iam enim priſcis illis temporibus Euchariſticum munus exercebatur, dum in tentatione, & ærumna iuſtos reddebat illuſtres, & conſpicuos, quaſi eſſent induti amianti lino, in flammam iniecti lucidiores multo euadunt. *In magna enim fornacis flamma videbantur veluti aurei eſſe.* Rectè ergo Deus per Iſaiam clamat: *Cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.* Quia tecum ero velut Amianti lapis.

Tres pueri in camino ignis tanquam amiantes puriores redduntur.
D. Baſil.
D. Auguſt.
Tres pueri in igne illæſi virtute Euchariſtiæ.

4. Pſalmus octuageſimustertius in myſterio Euchariſtiæ totus verſatur, vt potiſſimum ex titulo patueſcit, cuius inſcriptio eſt: *In finem pro torcularibus.* Subſcripſit Theodoretus inquiens: *Torcularia Eccleſias appellat: in his enim Eccleſiis caleſtis vitis proprium affert fructum, ſalutaréque vinum conficimus, quod verè fidelium cordi lætitiam affert.* Effectus Sacramenti Euchariſtici ſubiungit Pſaltes verſu 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* In altari enim gratiæ, & vitæ æternæ fontes ſcaturiunt. Sed verſio ſancti Hieronymi multum continet leporis, & gratiæ, quæ ſic habet: *Quia Sol, & ſcutum Dominus Deus.* In Euchariſtia Ieſus, & Sol, & ſcutum eſt: clypeus, qui iuſtum ambit, & in tentatione circumdat, & ignita hoſtis tela repellit; Sol quia in tentatione, & labore iuſtum illuminat, & illuſtrat.

Torcularia ſunt Eccleſiæ in quibus diuinum muſtũ conficitur.
Theod.
Euchariſtia Sol & ſcutũ.
Lect.
D. Hier.

5. Sol faces recordationis accendit, & in memoriam reuocat memoriæ monumentum, quod fixum eſt in Ioſue demortui tumulo, ſcilicet Solis ſimulacrum. Audi Serarium in Ioſue cap. 24. q. 12. ſcribentem: *Fuiſſe ſuper Ioſue ſepulcro, collocatam Solis imaginem, vel potius ſtatuam, qua in poſteritatem omnem, celebris perennaret admirandæ illius Solaris inſtitutionis ab ipſo Ioſue diuinitus impetratæ memoria.* In altaribus, & monumentis Chriſti, in quibus recolitur paſſionis illius, & mortis memoria, appenduntur gratiæ, & gloriæ inſignia. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Sol & ſcutum Dominus.* Clypeus reſpondet gratiæ, ſcuto circumdabit te veritas eius. Sol reſpondet gloriæ, quia in paradiſo Dei æterna luce colluſtrat Beatorum mentes; in Euchariſtia, quæ eſt pignus futuræ gloriæ, ſcutum eſt, dum enim conſecratam formam accipis, clypeum impenetrabilem, & parmam adaptas pectori, & Solem ore mandis, qui animi penetralia fulgoribus ornet; ad victoriam, & triumphum radiis obarmet dexteram, militémque ſuum de prælio, & certamine reddat omni ſidereo lumine ſplendidiorem. Deuoraui (proh magna felicitas) Solarem globum, omni ſidere, & Sole, & cœlo latiorem; radios ſuos exufflat, exurit pectus, & rurſus exæſtuans ipſius Solis, qui ſimul vmbra eſt, inueſtigo refrigerans leniori aura vmbraculum.

Serar.
Solis imago ſuper Ioſue tumulum collocata.

6. SVB VMBRA ILLIVS, QVEM DESIDERAVERAM SEDI.] Cantic. cap. 2. verſ. 3. ibi ſanctus Nyſſenus homil. 4. ait: *Tunc enim verè verbo fiunt dulces ſenſus animæ, quando nos ab æſtu tentationum, mali nos vmbra ſeparauerit; vt non ab hoc Sole vramur, qui ardet imminens meo capiti.* Anima dulcedinem pomi Euchariſtici experta, ne lædatur ſolaribus tentationum radiis, qui nos vehementer exurunt, plena Sole iuſtitiæ, & gratiæ, fugit à Sole, & radiis iniquitatis, qui in mundanis pectoribus ſplendet, à quo ſuprà ſe denigratam ſentit, & currit ad Chriſti vmbram, & bonorum

D. Greg. Nyſſ.
A tentationũ æſtu Euchariſtia protegit.

D. Chryſ. | Euchariſtia fons luminis. | D.Auguſt.

fontem, & fontem Solis, vt ab ipſo candidetur. Vnde ſanctus Chryſoſt. tom.5. homil. 61. de Euchariſtiæ Sacramento fatur: *Si quis æſtuat ad hunc veniat fontem, & æſtum refrigeret, nam cuncta refouet inflammata non à Sole, ſed iaculis ignitis. Hic fons eſt veritatis radios effundens, fons luminis.* Inter fulgura, radios, lumina non niſi nitidus, & ſplendens apparebis.

7. Fontis æterni lumine colluſtratus Dauid, æſtuantes, laborantes ærumnis hortatur, vt patulo ore, & apertis oculis ad illuminationem appropinquent. Pſalm.33.verſ.6. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Ad eos, qui ab inimicis viſibilibus, & inuiſibilibus ſunt inſectati, ſermonem dirigit Vates, dulciſque lyræ lenimine afflictos, & laborantes attrahit, iuxta ſancti

D.Auguſt.

Auguſtini mentem qui legit: *Vultus veſtri non erubeſcent.* & ſubdit: *Quidquid fecerit tibi inimicus videtur te ſuperior eſſe apud homines, ſed tu apud Deum ſuperior illo es.* Nullus quantumcumque plagis affectus, periculis afflictus, & hoſtibus inſectatus erubeſcat, potius glorietur. Accedat ergo ad il-

D.Aug. | Hortatur Dauid hominem, vt de Euchariſtia illuminetur.

luminationem Dei; quæ autem ſit hæc illuminatio, eleganter explicat ſanctus Auguſtinus, & vt Eccleſiæ Sol, ad Euchariſtiæ Solem, tentatos, & afflictos manu ducit, inquiens: *Accedamus ad eum, & illuminemur, non quomodo acceſſerunt Iudæi, vt tenebrarentur; acceſſerunt enim ad illum vt crucifigerent, nos ad eum accedamus vt corpus, & eius ſanguinem accipiamus; Illi de crucifixo tenebrati ſunt; nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur.* Vidiſti poſt inumbratam noctis caligine terram, madefactam imbribus, agitatam tempeſtatis turbine, Orientem Solem, ſuo lumine collucentem, illuſtrantem, complentem omnia opaca nemora, ſilentes ſiluas, montium ſupercilia? Quàm hilari vultu totus ridet orbis, noua Phœbi lampade nouâ ſplẽdoris, & lucis amplitudine ornatus; nec minore fulgore nitet facies iuſti, cum de Cimmeriis criminum tenebris emergens, poſt tentationum procellas, ad Solem Euchariſtiæ appropinquat, & de ſplendoris, & luminis Deifici riuulis, quibus in cœlo illuminantur Angeli, homo in terris poſitus perfunditur.

Tertium Aræ ornamentum, ad num.2.

DISCVRSVS III.

Euchariſtiæ veneratio, & altaris cultus triumphos parit, & victrices fidelium armat dextras, & in media rerum inſtabilitate linquit perennare imperia; vbi de Regno Hiſpaniæ.

In angulis altaris eminebant coronæ aureæ. | Ioſeph. Villalp.

1. ORNABANTVR anguli, ſeu cornua altaris, ex quibus craticula pendebat, coronis quatuor, vt ex Ioſepho refert Villalpandus noſter tom.2. in Ezechielem cap. 41. lib.4. cap.49. *Habens in vnoquoque angulo* (ait Ioſephus) *coronam auream.* Quia altare myſticum eſt, quod parit coronas, & triumphos, & nunquam interitura beat felicitate imperia. Iacob antequam migraret ad ſuperos, fauſta vaticinia imprecans natis; hanc filio

Euchariſtia alimentum eſt principū.

Aſer tribuit benedictionis formam. Geneſ. 49. verſ.20. *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Quæ verba duplici, & acuto conceptu illuſtrat ſanctus Cyrillus lib.1. Glaphyr. inquiens: *Ipſe dabit alimentum Principibus. Eſt panis pinguis, hoc eſt valde opimus, & ad alendum efficaciſſimus. Alit enim, & nutrit nos Saluator noſter Ieſus Chriſtus, non ſenſibile manna præbens, ſicut olim Iſraëlitis, ſed ſeipſum in animas fidelium immittens per Spiritum ſanctum:* Addit ſublimiorem ſenſum: *Dat Principibus alimentum. Dixerim enim, quod Throni, & Poteſtates, Principatus, & Virtutes, Angeli, & Archangeli, adeóque omnis creatura ſancta, & rationalis, cibum ſuum faciat Chriſtum.* Duplicem effectum aſſignat Alexandrinus Doctor Euchariſtici panis, quod non ſolum oblectamentum mellini ſaporis inſtar mannæ palato exhibeat; ſed quod opimitatem, & bonorum affluentiam animis præbeat, ipſique velut adipato epulo, & butyro pingueſcant; efficacia, & robore panis reddantur robuſtiſſimi Principes ad proprium tutamen, & ad offenſionem hoſtium.

D.Cyrill. Alex. | *Cibus Euchariſticus ſe immittit in animas fidelium per Spiritum ſanctum.* | *Quid efficiat Spiritus ſanctus in accipientibus Euchariſtiam.*

Illud autem, *Seipſum in animas fidelium immittens per Spiritum ſanctum*, ſic accipe, quod Spiritus ſanctus efformauit Chriſti corpus; & temperauit, vt aſſumeretur à Verbo, & in Vtero Virginis vt in clibano igniuit, & flammis ſuis panem vitæ decoxit vt poſtmodum conſecratus eſſet cibus fidelibus. Sed potiſſimum, quia Spiritus ſanctus aſſiſtebat Chriſto, vti dux, & imperator bellorum, & certaminum, hoſtes detriumpharet; vnde à Spiritu ſancto Matthæi cap. 4. ductus eſt ad deſerti palæſtram, vt cum Dæmone iniret pugnam, & obtineret victoriam, præſidet etiam iuſtis accipientibus Chriſtum, vt in ea carne, quâ Spiritus ſanctus hoſtes deiecit, fideles vincant.

Angeli quomodo ſuum cibum faciāt Chriſtum? | D. Cyrill.

2. Secundi conceptus meus: *Angelicæ poteſtates faciunt ſuum cibum Chriſtum*, non comedendo, cum ſint incorporeæ; nec in cœlo eſt Euchariſticus panis, nec fidei myſterium, vbi fides non eſt, nec corpus velatum accidentium regminibus, vbi claré intuetur ab omnibus, & viſio aperta, & intuitiua refulget. Eſt enim cibus viatorum, non Beatorum; faciunt tamen cibum ſuum, dum ſine inuidentia, & liuore gaudent de ſumma hominis felicitate in participatione corporis Chriſti; maximâ lætitiâ exultant, dum cernunt eumdem eſſe Angelorum, & hominum alimentum. Chriſtus in Euchariſtia præbet delicias Regibus, id eſt Angelis, quia dum altari, & ſacrificio aſſiſtunt, ſpeciali perfruuntur gaudio de immenſa Dei erga homines charitate.

Lect. Græ. | D.Cyrill. | D. Ambr. | *Principes & Reges Euchariſtia protegit.*

Si lectionem Græci textus cum ſancto Cyrillo, & Ambroſio ſectemur: *Ipſe dabit alimentum Principibus.* Senſus eſt; non quod ſolos Reges, & eos, qui potiuntur imperio, in altari alat; accedunt enim pauperes, paruuli, & infimæ ſortis homines. Sed quia panis vitæ potiſſimum præbet incrementa Regibus, Reges ſeruat, Regna nutrit, Imperia roborat, & iuxta nomen *Aſer*, quod interpretatur *Beatus*, ipſe largitur Regnis nullo diſcrimine, aut fato interruptam felicitatem. Diuitiæ robur, triumphi incrementa Regnorum ex altari veniunt.

Moyſis oratio ad eleuationē & depoſitionē Arcæ facta.

3. Ex acumine ingenij Cyrilli nimis conſtricti, latiorem egrediamur in campum. Cùm filiorum Iſraël acies caſtrorum ordinatæ incederent per deſertum, vt hoſtes profligarent, præcedebat Arca Domini, vt Moyſes milites ſuos fortius accenderet, & validius ſtimularet ad pugnam; ad eleuationem Arcæ, & depoſitionem arcana verba proferebat, quæ habentur Numer. cap.10. verſ. 35. *Cúmque eleuaretur Arca, dicebat Moyſes: Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt*

te

re à facie tua. Cum autem deponeretur, aiebat: *reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.* Quaſi non in militum manibus, nec in iaculo, & clypeo, ſed in ſola Arca, victoria ſtaret. Id annotat Abulenſis in 1. Regum cap. 4. quæſt. 5. *Moyſes præponeret Arcam in via propter defenſionem ab hoſtibus. Et ſic Moyſes demonſtrabat virtutem Dei ad liberandum ab hoſtibus, eſſe in præſentia Arcæ.* Dum præcedebat Arca, præibat palma victoriæ, ad cuius præſentiam Deus vectes confringebat ferreos, vrbium aperiebat ianuas, ſternebat Arces, & murorum mœnia. Si figura, & vmbra tot ac tantis inſigniuit facinoribus populum Iſraëliticum; quos non pariet fructus veritas, & præſentia Chriſti in altari? Nulla panoplia potentior ad debellandas inimicas poteſtates, quàm Euchariſtiæ tabernaculum. Nulla militantium acies tot regna ornabit victoriarum titulis, quàm incruentum altaris ſacrificium, & corporis Chriſti Arca, in qua latet omne robur.

Abul. *Arca protegebat Iſraëlitas, & ab hoſtibus liberabat.*

4. Mentiar ſi hoc Moyſes buccinâ Propheticâ non increpuit in ſuo Cantico Deuteronomij cap. 33. verſ. 28. *Oculus Iacob in terra frumenti, & vini.* Quia mentem, deſiderium, voluptatem Iacob, & vetus Iſraëlita in Euchariſtico pane collocarat, vt explanat Gloſſa ordinaria ibi: *Cuius hic corpore, & ſanguine per Sacramentum frumenti, & vini paſcebatur:* Quid inde? ex hoc epulo, quid ex oculis Iacobi lynceis in hoc cibarium, & conuiuium defixis? Addit Textus ibidem, verſ. 29. *Beatus es tu Iſrael: quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Domino? Scutum auxilij, & gladius gloriæ tuæ, negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Quid? victoriæ, palmæ, triumphi; fuga hoſtium, Deum habere liberatorem, Saluatorem ex perſpicaci fidei intuitu, in hoc epulum intendente, promanabant. *Scutum auxilij, & gladius gloriæ tuæ.* Quid illuſtrius? Quid de diuinæ munificentiæ largitate veniens iucundius? Chriſtum in Euchariſtia fidei oculis cernere, & colere, ſecuritatem, & munimen conciliat. Tecum in altari poſſides armamentum, ſcutum impenetrabile, gladium vinci neſcium.

Iacob, oculis in Euchariſtiam coniectis, quid de illa præcinat? Gloſſ. ord. *Euchariſtia ſcutum eſt auxilij & gladius gloriæ.*

5. Pro gratiarum actione adeptæ libertatis tempore Cyri, feſtiuam celebritatem inſtituerunt Iſraëlitæ Nehemia auctore. Supplicationis agmen ducebatur magno apparatu, pompâque ſpecioſiſſimâ; præibat populus, ſequebantur duces, milites, magiſtratus; finem imponebant Leuitæ comitatui, ſacris veſtibus ornati, & omni ſplendore conſpicui. Murorum ambitum, inſignioréſque portas, & ferè totam Ieroſolymæ luſtrarunt vrbem. Diuiſi canentium chori, concrepantes modulis, tibiiſque reſonantibus, omnia lætitiâ complent. Claudebant pompam Leuitæ duo, ferentes manibus magnas victimas altari deuouendas, vt conſtat ex lib. 2. Eſdræ cap. 12. verſ. 42. *Immolauerunt in die illa victimas magnas.* Quæ autem fuerint victimæ ibi declaratur, verſ. 31. in quo Eſdras fatur: *Et ſtatui duos choros laudantium.* In Hebræo eſt: *Duas magnas placentas.* Placenta enim ſeu torta panis offerebatur pro actione gratiarum. Vnde vbi legit vulgatus Leuitici cap. 7. verſ. 2. *Immolabitur holocauſtum, mactabitur & victima.* Legunt Septuaginta: *Offeret ſuper ſacrificium laudationis, panes.* Vnde Turrianus noſter tractatu de Euchariſtia cap. 30. hunc locum Eſdræ aptè, & eruditè expendit inquiens: *Iudæi in expiatione Hieruſalem, & portarum, ac murorum eius circumtulerunt in modum pompæ duas magnas placentas, ſequentibus Sacerdotibus cum tubis, & vaſis, id eſt inſtrumentis Cantici Dauid, & aliis præeuntibus cum laude, & gratiarum actione, collocarúntque eas, in domo Dei.* Aſſeritque duabus victimis Euchariſtiæ myſterium adumbratum, duaſque placentas, duo Chriſti ſacrificia portendere, cruentum in Cruce, incruentum in altari. Eadem mens eſt Gloſſæ ordinariæ ſcribentis: *Per hanc oblationem, ſignificatur oblatio Euchariſtiæ.* Cum Iſraëliticum agmen ordinatè incedens ab Eſdra productum, ad ſalutem, & incolumitatem vrbis intuerer, expectabam armatorum cohortes, peltatos, & haſtatos milites, vexilla, & lituorum ſonitus, nitidáſque galeas, & verſicolores pennas aëre tremulas; iuuenúmque robur, & lacertos qui tutarentur patriam ab incurſu Aſſyriorum. Quid virium, & muniminis in placenta, & torta panis? Quid tutamenti in pelta ex pane confecta, ad primum ictum in fruſta diuidenda, ad alendum, quàm ad protegendum pauperes aptiori? Sciebat vtique cælitus illuſtratus Eſdras futurum Sacramentum, quod in pane deliteſceret, vires, & neruos eſſe vrbium, qui Imperia orbis, immota ſtabilitate fulciret, Chriſtúmque panis accidentibus velatum, eſſe decus, & tutamen Regnorum. Hoc myſterium in pompaticis placentis deliteſcens, ſecum tacitus venerabatur.

Pro adepta libertate feſtiuam pompã inſtituunt Iſraëlitæ. *Victimæ magnæ erant duæ placentæ.* Lect. Hebr. Lect. LXX. Turrian. *Duæ placentæ circumductæ in modum pompæ.* Gloſſ. ord. *In ea oblatio Euchariſtia ad viuum expreſſa.* *Euchariſtia ſtabilitas & tutamen Regnorum.*

6. Felix Dauid, qui ornamenta triumphorum, & manubias de hoſtibus ereptas altari Domini pius dedicauit. Philiſtæos, Moabitas, Adarezer, Regem Syrum, Damaſcenum, fugauit, deiecit, occidit; nec tot victoriarum inſignibus elatus ſe ſe iactauit; ſed humili obſequio, & celſiori animo, altari, & templo Domini ſpolia ſuſpendit, à quo ſe acce-piſſe ſenſerat victoriam pugnæ. 1. Paralipom. c. 18. verſ. 11. *Sed, & omnia vaſa aurea, & argentea, & ærea conſecrauit Dauid Rex Domino, cum argento & auro, quod tulerat ex vniuerſis gentibus.* Non enim inæſtimabiles gazas in arcanis ſecretorum velut auarus, & theſauris incubans, ſepeliuit; nec in domibus deliciarum expendit, aut in vanis, & volaticis gaudiis inſumpſit, ſed in manu Domini ſecurè repoſuit. Quid plura? In omni bello, & euentu fortunatus, & victor extitit; id deprædicat idem Textus verſ. 6. *Adiuuit eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.* Et verſ. 13. *Saluauitque Dominus Dauid in cunctis ad quæ perrexerat.* In bellis pugnabat vt miles, & Imperator inuictus, quia exuuiarum, quas ab hoſtibus detraxerat, erat in templo, & in altari dedicator deuotus. Sed non lubet præterire ſilentio ſacri Scriptoris ſapientiam. Qui in victoriis, & triumphis titulum Regis ſupprimit, in dedicatione theſaurorum, Regis infulis Dauidem ornat. Vicit Philiſthiim, percuſſit Moabitas, ſubuertit currus Adarezer, fugauit Syrum, in his omnibus, duobus de Regibus triumphans, non Rex nuncupatur, ſed Dauid: offert Deo aurum, & argentum, tunc vocatur Rex: *Conſecrauit Dauid Rex.* Quia animus Regius, anguſtus, & dignus Imperio, qui auaritiæ affectu exutus, hilarem, & munificum datorem erga Deum ſe oſtendit. Tantâ liberalitate promeretur Deus, vt verè beatum in Dauide, & Salomone ditaret, & cuſtodiret imperium.

Dauid Rex ſpolia de hoſtibus reportata Domino ſacrauit. *Dauidem, ob illius pietatẽ erga templũ, & altare Dominus adiuuabat in omnibus.*

7. Nec ſolus Dauid valde laudabilem tenuit pietatis formam, antiquioris quoque æui patres, ſua omnia Chriſto Domino dedicarunt, vt de hoſtibus reportarent triumphos; huius veritatis teſtem ipſum Dauidem aduoco Pſalm. 43. verſ. 4. priſcorum patrum magnalia, ſacra lyra occinentem: *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Ex ore ſancti Ambroſij fluunt tanquam ros, & Ambroſia hæc mellea

Antiqui patres omnia Chriſto dicabant, vt de hoſtibus triũpharent.

mellea eloquia: In quibus omnibus Chriſtus eſt protector vt ae xtra: defenſor vt gladius. Gladius enim Dei verbum eſt. Vultus quoque paterni ſplendor eſt Chriſtus. Ipſi Moyſes, ipſi Aaron, ipſi etiam patres ſacrabant vniuerſa, quæ geſſerant, vt de hoſtibus triumpharent. Dux, & Imperator belloium, vexilla, haſtas, clypeos, manubias, ad aras Chriſti velut anathemata ſuſpendito, & gratitudinis ergò victori Deo dedicato, à quo veniunt ornamenta triumphorum.

8. Cùm ad tutamen Arcæ confugerent Iſraëlitæ, vt à Philiſtæis tutarentur, ſingulare cognomen ſortitur Arca 1.Reg. cap.4.verſ.4. *Tulerunt Arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim.* Curioſè perſcrutatur Abulenſis cur Arca Domini exercituum nuncupetur? Et acutè reſpondet q.11. *Vocatur iſta Arca Domini exercituum, quia Deus Hebræorum, cuius erat iſta Arca, erat habens exercitus multos, ſcilicet Angelorum iuxta illud Iob cap. 25. Numquid eſt numerus militum eius? Et vocantur milites Angeli, vel dicitur Deus exercituum, id eſt Deus potens in bellis, & exercitibus, ipſe enim dat victoriam quibus vult, & vertit in fugam quos vult.* Quantò melius, quantò ſecurius humanitatis Chriſti Arca, & cæleſtis panis vrna, theſaurorum Dei reconditorium, ſuggeret Regibus arma, milites, acies, florentéſque vrbes fidâ, & perpetuâ ſtatione cuſtodiet. Crede mihi: in Eccleſiis, & in circuitu tabernaculi in quo nobiſcum contubernalis, & commenſalis Deus habitat, caſtrametantur Angelorum acies, vigiléſque exercent excubias, & ad imperium Domini exercituum, huc illúcque diſcurrunt, vt ſuppetias ferant fidelibus, & ab hoſtium incurſibus reddant incolumes. O in miraculorum omnium maximum, tremendúmque altare, alma, & inuicta Hiſpanorum fides! Quot vobis, in Euchariſtiam pietas peperit triumphos? Fidei Sol puro, & nitido cœlo inter ſidera fulgens, nulla hæreſis caligine obumbratus, Septentrionales Triones hac luce fugauit, his armis repulit. Quòd fama, Hiſpaniæ nomen terrâ marique protulerit, quòd vexillum gloriæ ſuæ in quatuor terræ angulos inuexerit, quòd vbique terrarum veſtigia roboris, & magnitudinis reliquerit, altaris Sacramento attribue. Et licet interdum fortuna, ob noſtra crimina, toruum in bellis oſtenderit aſpectum; & militaria negotia aduerſam ſuſtinuerint aleam; vicit tandem Euchariſtiæ fides. Proſtratis hoſtibus innumeris, pugnaciſſimis fidelium manibus detulit palmam. Sterit huius myſterij hereditaria pietas in Hiſpanorum Regibus, & regnis, & Deo annuente ſtabit. Dum ſteterit; ſecum tenet totius felicitatis, & victoriæ præſagium.

D.Ambr. Arca Domini exercituum vocatur, quia in ea omne robur, & omnis exercitus erat. Abul.

Hiſpanorum fides erga Euchariſtiam eximios peperit triūphos.

9. Hanc Regum Hiſpanorum inuiolatam fidem erga altaris Sacramentum, cum fide Abrahæ comparo. Cerne pium Patriarchæ affectum. Geneſ. cap.13. verſ.3. *Reuerſúſque eſt per iter, quo venerat, à meridie in Bethel, vſque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum, inter Bethel, & Hai: in loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini.* Potiora beneficia in memoriam reuocauit, & in antiquo ſuæ gratitudinis altari, ſeipſum Deo dicauit, imò Deum in ipſa ara veneratus eſt. Audi ſanctum Ambroſium lib. de Abraham cap.2. *Vbi Bethel, id eſt domus Dei, ibi & ara. Vbi ara ibi & inuocatio Dei noſtri. Meritò proceſſum tantum habuit, quia Deum ſperabat ſibi auxilio fore.* In domo, & Eccleſia Dei, Abraham conſtitutus Deum in ara immolandum præuidebat, & à Deo aræ contra hoſtes ſuos, adfuturum ſperabat auxilium. A templo, ab Eccleſia, ab altari, Abrahamidæ felicitatis progreſſus. *Meritò proceſſum tantum habuit.* Quis, & quantus fuerit progreſſus eodem capite Geneſis ſubiungitur, verſ.14. *Dixítque Dominus ad Abram: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Sanctus Ambroſius promiſſum breuiter, & dilucide expendit lib. 2. de Abraham cap. 7. dicens: *Ab India littoribus, ad Herculis columnas.* Eædem promiſſiones Regibus Hiſpaniarum videntur factæ, & pollicitationes propagandi Imperij eorum pietas multo felicius obtinuit; quandoquidem Abrahami progenies terræ promiſſæ angulo coarctata, in cuius poſſeſſione Dei pactio ad litteram adimpleta eſt, (non enim loquimur de ſemine, quod eſt Chriſtus, qui totum orbem obtinuit) at Hiſpania ab Indiæ Oriētis, & Occidentis littoribus, ad Herculis columnas propagata. Sed vnde progreſſus tanti? Ex domo Dei, ex ara Euchariſtica, quæ ſolet dilatare, & perennare imperia.

Regum Hiſpanorum Fides & pietas erga Euchariſtiam, eorum Imperia propagauit.

D. Ambr.

D. Ambr.

Quartum Aræ ornamentum, ad numerum 2.

Discvrsvs IV.

Apud Gentes Idolorum cultum detriumphauit; apud fideles idololatriæ reliquias in Bacchanalibus exterminauit altare Euchariſticum.

Vbi de Ignatij, & filiorum eius pietate.

1. Adhvc inter ſacri Altaris cornua, triūphis, & coronis ludimus. Ex quatuor lateribus prominebant pyramides triumphales ornatæ coronis; vt coronas, victorias, trophæa, oſtētaret, quæ ſacra Euchariſtiæ ara in quatuor terræ angulis de idololatria adepta eſt. Vbi viget ſacri altaris veneratio, aræ, & cultus idolorum penitus euanuit, ſicut caligo, & vmbra ad vultum exorientis Solis. Sub imperio victimæ ſacræ in altari ſublimi erectæ vterque orbis continetur; & ſub ditione ſua poſitum vtrumque Mare, Oriens, Occidens; ſpurcitias ſuperſtitioſi cultus in vtroque orbe Deifica hoſtia limpidiſſimis laticibus eluit. Quæ omnia ſingulari vaticinio celebrat Zacharias cap.14.verſ.8. *Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem: medium earum ad Mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum* Communem expoſitionem de ſacræ doctrinæ fluentis, ex induſtria omittimus, & de ſacroſancta Euchariſtia cum Cyrenſi Epiſcopo Theodoreto accipimus. Tu accipe illius verba: *Ex ſancto latere patuit ſalutis fons, ex quo duplices myſteriorum latices, aquam, & ſanguinem, quæ qui vidit teſtatus eſt, vnam purgantem, & nos a peccatis expiantem, alteram nutrientem, & rigantem, & germinare facientem.* Ex theca theſaurorum Dei, lancea militis veluti claue aperta, duæ manant ſcaturigines; altera indulgentiæ, & remiſſionis, altera viuificantis ſanguinis, quem Sacerdotes bibimus, & cuius hauſtu viuimus. Apertum

Aquæ viuæ de altari Euchariſtico manant. Theod.

Fons viuificus de Chriſti latere egreſſus eſt.

tùm Chriſti latus Theodoretus vocat fontem viuum. De corpore enim mortuo vita manauit. In emortuó corpore vitæ æternæ fons latitabat. Tu verò cum ad corpus viuum, & ad apertum vulnus amoris appropinquas, labia tua immunda vulneri magno adaptare exiſtima, & dulciſſimum fontis hauſtum ſuauius bibere, exhortationem oris aurei ſequutus, qui tom. 3. homil. de Euchariſtia, & encæniis ita fatur cum communicantibus: *Repu:ate ſalutarem ſanguinem, quaſi è diuino, & impolluto latere effluere, & ita approximantes labiis puris accipite.* Quid dulcius? quid felicius quàm parulo vulneri imprimere labia? figere oſcula? velut aurea fiſtula ſugere Deitatem, & inundari paradiſi riuulis? qui non ſtagnantur vnius, aut alterius prouinciæ metis, & limitibus, ſed in remotos orbis tractus, & terrarum fines exundant. Ideo addit Vates ſacratiſſima gratiarum fluenta, inſtar fontis deliciarum in duo capita diuiſa, in Occiduum, & Orientalem orbem deriuari. *Medium earum ad Mare Orientale: & medium earum ad Mare nouiſſimum.* Quæ verba expendens ſanctus Cyrillus, & ſimul illa: *In æſtate & hyeme erunt.* ſic ſcribit: *Mare primum nominat ad Orientem ſitum, vltra terræ totius oras; nouiſſimum, ad extremos Occidentis fines. Velut enim faciem, & principium orbis Orientem deſi...it; æſtatem autem opinor calidas, & Auſtrales Mundi partes vocat; ver, Aquilonares, & frigidas.* Vbique terrarum Chriſtus in ara immolatur, agnúſque immaculatus in Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem deliciarum torrentem deriuat, riuique gratiarum limoſos idololatriæ, & vitiorum gurgites reddit defæcatos, ac limpidiſſimos, abſterſis luti, & limi ſordibus; & deſerta areſcentia, ſentibus obſita conuertit in hortum Domini, virtutum liliis, violis, roſiſque pullulantibus.

Cum ad Euchariſtiam accedis, ad apertū Chriſti latus appropinquas.

D. Chryſ.

Fons Euchariſticus in quatuor mūdi plagas influit.

D. Cyrill.

2. Audacter profetam quoddam effatum. Per Eucharistiam gentes ſub iugo fidei Chriſtianæ colla ſubmittunt, Iudæi quoque de captiuitate Dæmonis, & erroris erunt reduces. Attendite gentes, auſcultate lapidea, & adamantina Iudæorum corda, veſtræ inſignia libertatis. Apud ſanctum Lucam Ieſus filiam Archiſynagogæ vitæ reſtituit, viuæque puellæ dedit ſui amoris pignora, dum manu feminæ ſuam illaqueat manum, & iubet impertiri alimentum. Sacri ſcriptoris verba refero Lucæ cap. 8. verſ. 54. *Ipſe autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò. Et iuſſit illi dari manducare.* Mediolanenſis Epiſcopus in hoc epulo, Euchariſtiæ agnouit ſacramentum. Sed quàm pius, quàm grauis, quàm acutus, & elegans in hoc prodigio Ambroſius, Ipſum audi lib. 6. in Euangelium Lucæ ad ea verba: *Tenens manum eius. Beatus ille, cui manum ſapientia tenet. Vtinam meos quoque teneat actus, teneat manum iuſtitia, teneat Dei Verbum, inducat in penetralia ſua, ſpiritum auertat erroris, conuertat ſalutis, dare mihi iubeat manducare. Panis enim cæleſtis Dei Verbum eſt. Inde, & illa ſapientia, quæ diuini corporis, & ſanguinis ſacroſancta altaria repleuit alimentis: venite, inquit, edite panes meos, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Vide maxima amoris indicia, manui feminæ ſuos implicat artus, iam Eccleſiam, vel animam velut in ſponſam eligit, quam ad cæleſte conuiuium præparauit. Suis ligat lacertis, ne de ſuperno auxilio diffidat, quæ Dei tenetur manu. Ante inſtitutionem Sacramenti amore præuenitur Ieſus, & viuenti fœminæ præfiguratiuum præbet alimentum vitæ: quæ poſt vmbram mortis, vſura huius lucis fruebatur, & tenebat reſurrectionis formam, alimentum, & nutrimentum vitæ iure ſibi vendicabat. Sed ad rem excitat quæſtionem ſanctus Ambroſius: in propatulo, & publico viduæ filius ſuſcitatur inter tot teſtes, & ſuæ gloriæ præcones; hîc cubilis quærit anguſtias, & fida ſilentia. ibidem verſ. 51. dicitur: *Non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Sed nodum difficultatis idem Ambroſius diſſoluat: *Quæ tanta diuerſitatis eſt cauſa? Suprà publicè viduæ filius ſuſcitatur, hîc remouentur plures arbitri? Eſt forma ſapientiæ, in viduæ filio cito Eccleſiam crediturum, in Archiſynagogi filia, credituros quidem Iudæos, ſed ex pluribus pauciores.* Statim ac Ieſus in domo Principis propoſuit ſacri conuiuij formam, fides Gentium, & Iudæorum enituit; panis enim viuus ad Chriſti famulatum, populum gentium, & Iudæorum attraxit.

Iudæi conuertendi virtute Euchariſtiæ.

D. Ambr.

Puellæ rediuiuæ dedit Ieſus alimentum.

Credulitas Eccleſiæ, & Synagogæ qualis in puella rediuiua demonſtretur?

D. Ambr.

3. Hoc facinus alterius Vatis ore decantatur. Amos cap. 7. verſ. 8. Quid tu vides Amos? *Trullam cementary.* Et immediato numero 9. ſubdit: *Et demolientur excelſa idoli.* Enodandus locus iuxta Septuaginta legentes: *Adamantem, & delebuntur aræ riſus.* Adamante promittit conterendas, & abolendas ridiculas ſculptilium aras; quid magis riſu, & cachinnis dignum, quam tribuere Deitatem lapidibus, & ligneis truncis. Sed expendamus locum iuxta ſancti Cyrilli mentem aſſerentis Chriſtum eſſe adamantem, cuius inuicta vis, in domanda, & conterenda impietate potiſſimum enituit. Sic enim ſcribit: *Verum autem adamantem Chriſtum exhibebit; Dominum virtutum inexpugnabili atque inuicto robore confringentem inimicos, & aduerſarios deuincentem, & qui rumpi a nemine poteſt.* Et ſubiungit: *Inſertus autem in nobis a Deo Patre, vt lapis Adamas, Diaboli tyrannidem euertit, & aras riſus reuera deleuit; fallacia architectus Satanas cecidit, impuráque & Deo exoſa idololatria è medio ſublata eſt.* In incarnatione, & Euchariſtia Chriſtum ait à Patre inſertum, inſeritur enim nobis, manens in nobis, cum ſeipſum præbet alimentum; velut ſurculus pulcherrimæ arboris, & fœcundæ, vt è pectore noſtro virtutum germina pullulent; tunc etiam velut adamantis gemma cordi appenditur. Sed deſtruxit irridendas aras Dæmonum, & idolorum; vnáque victima ex altari ſuo, aras, riſus, & deliramenta ſacrificiorum diſturbauit, funditúſque deleuit.

Lect. Lxx.

D. Cyrill. Alex.

Ieſus velut Adamas aras riſus [illegible].

4. Inquirit ſanctus Chryſoſtom. cur Paulus calicem ſanguinis Chriſti, calicem benedictionis nuncupet? 1. Corinth. cap. 10. verſ. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Poterat enim appellitari Calix ſalutaris; calix ſanguinis Chriſti, calix vitæ, & noui teſtamenti; cur vocatur calix benedictionis? Reſpondet ſanctus Chryſoſtom. homil. 24. in 1. Corinth. cap. 10. *Calicem benedictionis appellauit, quoniam cum præ manibus eum habemus, cum admiratione, & horrore quodam inenarrabilis doni laudamus benedicentes, quod ſanguinem effudit, ne in errore permaneremus. Neque tantum effudit, ſed nos omnes participes effecit. Itaque ſi ſanguinem cupis, inquit, noli idolorum aram brutorum animalium cæde, ſed meum altare meo ſanguine aſpergere.* Expende verbum illud: *Ne in errore permaneremus.* Crux, mors, ſanguinis effuſio, amoris ſymbolum, quod in calice celebratur; eò tendere viſum eſt, vt errores auferret, & idolorum venerationem conuelleret.

Cur Calix Euchariſticus, Calix benedictionis nuncupetur?

D. Chryſ.

Sanguinem Ieſus fudit, ne in errore permaneremus.

5. De celebri feſto Phaſe, quod inſtituit Ioſias Rex, protulit lib. 4. Regum cap. 23. verſ. 21. hoc illuſtre teſtimonium: *Et præcepit omni populo dicens:*

Feſtum Phaſe Ioſias Rex inſtituens, idololatriam exterminauit.

facite

facite Phaſe Domino Deo veſtro. Et verſ. 24. *Sed & Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda, & Ieruſalem, abſtulit Ioſias.* Et verſ. 14. *Et contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos.* Scalpi digna ære perenni, piiſſimi Regis facinora, quo ſuum ſæculum illuſtrauit; ornamentum populi, Ieroſolymæ ſidus fulgentiſſimum, quod vitiorum tenebras, fucorum, & idolorum tetram caliginem ſuâ luce diſpulit. Nec ſenſit Rex iuſtus Deo dignum ſacrificium, ſi ſculptile, & conflatile cum ſuis aris non dirueret.

Phaſe innuebat Euchariſtiam.

Spiritu prænouerat Ioſias, Phaſe, ſeu tranſitum Domini, in quo immaculatus immolatur agnus, de cuius cruore roſeo, purpureóque latice, inuncta nitebant portarum limina, agni Dei hoſtiam viuentem præſignare, qui ſanguine expiaret terram, arceret Angeli minitantem gladium, & totius orbis Diabolica portenta deſtrueret.

Steph. Cant. Tilman.

Nec diſſentit ab hoc cogitatu Stephanus Cantuarienſis, qui in allegoriis Tilmani ita habet: *Ioſias facturus Phaſe purgauit terram, & templum, & eiecit figuras Idolorum. Eodem modo acceſſuri ad Sacramentum corporis,*

Qui accedit ad Euchariſtiam deyciat à corde figuras idolorum.

& ſanguinis Domini, purgare debent terram, id eſt carnem: & templum, id eſt animam, & eycere à corde figuras Idolorum, id eſt turpes imaginationes. Benè ad animum accommodat, in quo Euchariſtia aufert vitiorum idola, aras, delubra. Sed ſimulacra in toto orbe funditus deleuit memoriale Phaſe, ſeu tranſitus Domini, noſtríſque temporibus excitauit Deus ſpiritum alterius Ioſiæ eiuſdem nominis, non Regiæ dignitatis.

Ioſias ignis Domini, aut vrens Dominus interpretatur. *S. Ignatium denotat.*

Ioſias interpretatur: *Ignis Domini,* aut *vrens Dominus.* Ignatius ſanctiſſimus ignis Domini eſt, cuius nomen, verba, opera, ignis; & igne iſto Dominus totum inflammauit orbem. Saltus, & nemora, in quibus Dæmones, & ſimulacra colebantur, ſuo exuſſit igne; fauillas, & cineres prophani cultus ex Bacchanalibus exſufflauit, & Orgiorum veſtigia, quæ apud fideles remanſerant, validâ Euchariſtiæ manu penitus aboleuit. Quid ante Ignatium Bacchanalia? Domus deliciarum, Veneris, & Bacchi delubrorum frequentia, rixæ, pugnæ, gladiis armatæ manus ad iras, ad cædes, ſanguine cruentatæ dexteræ. At poſtquam ſanctiſſimum Agnum in propatulo collocauit Ignatij & Ieſu Societas; inferorum furiis bellum indixit, & inter tartari ſubterraneos ſpecus quærunt latebras; ſanguine, & carne agni illita nitent fidelium labra, & poſtes animatæ domus; hymni, & cantica ſpiritualia inter fidelium graues, & pios reſultant cœtus. Macte virtute Ignati; cuius induſtriâ, erroris, & ſceleris tenebroſa caligo, qua inuoluebatur mundus, diſſipata eſt.

6. In eo Moyſis pietas erga cæleſte altaris myſterium enituit. De quo liber Exodi cap. 24. verſ. 4. fatur: *Et manè conſurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël.*

D. Cyrill. Alexand.

Exoriente Euchariſtia Sole diſſipatæ ſunt idolorũ & vitiorum tenebræ.

Manè illud grauiter expendit ſanctus Cyrillus Alexandrin. lib. 2. Glaphyr de Euchariſtiæ Sacramento inquiens: *Rectè verò & illud diluculo nempe ſurgentem, ſacra procuraſſe Moyſem. Iam enim quaſi diluculo, & aurorâ exiſtente ac lucifero propemodum clareſcente, & die nobis myſtico exoriente: nocte verò diſcedente, & infelicibus diſſipatis tenebris, clara Eccleſia pulcritudo oſtenſa eſt, venerandum habentis altare, in quo Chriſti myſterium peragitur.* Æquo iure Eccleſiæ pulcritudinem, luciferum, mane, auroram, diem, ſolem, Euchariſtiam nuncupat; quo exoriente errorum tenebræ, & vitiorum vmbræ exularunt. Duodecim titulis altare circumdatur, vt cernas, quos in toto orbe victoriarum titulos, & triumphos Euchariſticum altare, & ſacrificij Sol ſplendidiſſimus, de errorum caligine peperit.

Euchariſtia gentes omnes conuertit.

7. Apud Michæam omnes gentes ad Chriſti regnum, & agnitionem confluunt, ad eius vexillum conuolant, propter ſacrum epulum, cap. 5. verſ. 4. vaticinatur de Chriſto: *Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ.* Quia ſtetit vt fortis, pauit vt paſtor bonus ſuo corpore, & ſanguine oues, & agnos; magnificabitur vſque ad terminos terræ, & gentes omnes ad ipſum conuertentur.

Rupert.

Sic Rupertus in Michæam interpretatur: *Paſcet ergo ſcilicet terminos terræ, quoadvſque magnificabitur, non qualicumque edulio, ſed corporis, & ſanguinis ſui Sacramento.* Magnificentia, & gloria Domini, in terminis terræ de idolis reportati triumphi, de ſacro conuiuio veniunt.

Quintum Aræ ornamentum, ad numerum 3.

DISCVRSVS V.

Panis Euchariſticus munus Dei honorarium: ignominioſam pulueris, & cineris ſententiam, in immortalitatem commutauit.

Altaris craticula cineres proyciebat.

1. ARDEBAT ignis in altaris craticula, cineréſque per reticulata foramina proiiciebantur in terram, nec remanebant ſupra; nec cineres, & fauillas altare admittebat, ſed tanquam reiectitium, & ſuperfluum reſpuebat. Quia altare myſticum non admittit ignominiam cineris, & pulueris; verùm eam commutat in gloriæ immortalitatem.

Inglorios mortis titulos Euchariſtia ſuſtulit.

Dedecus hæreditarium mors quod animantium Regem velut iumentum abiicit in congerie mortuorum ad putredinem, & vermes; ſed dum probra, & contumelias noſtræ mortalitatis, mecum ipſe tacitus perpendo; quantas poſſemus grates morti rependendas inuenio, ipſa enim ius interitus in gloriæ titulos tranſmutauit. Cum enim patulo ore, & inexplebili ingluuie in omnium corpora inhiaret; corpus Chriſti ſua proiecit voragine, & comedens corpus corruptionis alienum, ab homine mortalitatis titulos erraſit, & corporibus in cinerem redactis, incorruptionem peperit.

Mors deuorãs Chriſti corpus dedit nobis immortalitatem.

D. Chryſoſt.

Pulcrè ſanctus Chryſoſtom. homil. 24. in 1. Corinth. cap. 10. fatur: *Quemadmodum, qui cibum accipiunt, quem continere non poſſunt, etiam quem antè comederunt, propter illud euomunt: ita in Chriſti morte vſu venit. Mors cum corpus, quod corrumpere non poterat, accepiſſet: etiam illa eiecit, quæ comprehenderat.* Loquitur de Chriſti corpore in Euchariſtia, quod crucifixum eſt, & illius immenſas vires oſtendit in detriumphata morte. Inſinuat os aureum, quod prima omnium mors, vt ita loquar, communicauit,

Mors Chriſti corpus accepit.

& corpus, quod in Cruce fixum, & mortuum erat, accepit; tametſi Chriſtus, & Apoſtoli in cœna corpus Domini accepiſſent, non tamen Cruci confixum; prima omnium mors corpus adhuc in Cruce pendens ſumpſit ad ſuam ignominiam, & hominis gloriam; ſceptrum, quod in regione vmbræ mortis poſſidebat, amiſit; & maleolentia cadauera,

fœtidos

fœtidos pulueres,& putridos,eximiis ſplẽdoribus, & ſtola immortalitatis veſtiuit. Eo quod corpus accepiſſet, quod videre non poterat corruptionẽ, corpora Sanctorum à corruptione liberauit. O bona mors, per quam viuimus. O corruptionis mater, per quam incorruptionem adepti ſumus. O Regina cadaueris, cineris, & pulueris; quæ Deificum corpus accipiens, has labes, & ignominias obliteraſti,à corpore, quod vita priuaſti, & deuoraſti, honor,decus,& imperium noſtrum.

Demortui hominis cranium in mēſa Ægyptiorum ponebatur.

2. Apud Ægyptiorum ſympoſia, inter alia edulia ſingulare ferculum apponebatur, demortui hominis cranium;ad cuius conſpectum conuiuarum cõponerentur mores, & corã ſimulacro mortis ederent,& biberent, tanquam morituri. Huius Philoſophiæ teſtis eſt Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientium, poſt initium ſcribens: *Ac illud Ægyptiorum oſſeum cadauer, quod ſæpenumero in conuiuijs proponunt ſimul adhortantes,vt meminerimus,nos breui tales fore, quanquam ingratus,ac intempeſtiuus comeſſator ſuperueniat.* In hominũ cõuiuio funeſtũ eſculentum,& ignominioſum cadauer apponitur; in Dei cõuiuio abſcedit procul cõtumelia pulueris, & cineris, & vita ipſa, paniſque viuus donatur, qui primam mortis,& pulueris ſententiam reuocauit.

Plutarch.

In Dei conuiuio vita proponitur.

Damnationis noſtræ ſententiam Euchariſtia expunxit.

3. Damnationis noſtræ titulus Geneſ. c.2.v.17. de eſu ligni ſcientiæ boni, & mali ortus eſt:*In quocũque enim die comederis ex eo,morte morieris*, & cap.3. verſ.19. *Puluis es,& in puluerem reuerteris.* Sed ſege expunctam pane Euchariſtico, damnationis ſentẽtiam. Ioan. cap.6.v.50. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Et verſ.52.*Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et verſ.55. *Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Primos titulos cibi inglorios auocauit,in magnificos,& glorioſos vitæ immortalis tranſtulit. Agnouit eos magno ingenij acumine Chryſoſt.homil.24.in 1.Cor.c.10.dicens: ad communicantes: *Quando omnium Domini corpus purum,& immaculatum propoſitum videris,dic tecum: propter hoc corpus non ampliùs terra, & cinis ego ſum.* Quid honorificentius quàm cineris, & pulueris contumelias euadere. Dum corpus Chriſti accipio, pignus immortalitatis teneo. In fauillas,& cineres, & ſaniem redactæ pelles, & oſſa, ad odorem aquæ Euchariſtici fontis germinabunt,ſplendida,& glorioſa. Altare Deificũ ſemen immortalitatis cineribus noſtris abſcondit. De cuius munere venit pulueruIentam,& cineream ignominiam abolere.

D. Chryſ.

4. Myſterium hoc inuenies adumbratum Leuitici c.4.v.11.vbi de ſpoliis,& reliquiis vituli, qui offerebatur pro peccato, hæc ſcribuntur:*Pellẽ,& omnes carnes,cum capite,& pedibus,& inteſtinis,& fimo,& reliquo corpore,efferet extra caſtra in locum mundũ,vbi cineres effundi ſolẽt.* Hæc omnia deferebat Sacerdos in domum pulueris,aut cineris, aut in foſſarium,vt ſepulcra inuenerer, in quibus humana oſſa requieſcunt,vt auctor eſt Rupert.lib.1.in Leuit.c.16.dicens *Locus, in quo cineres effundi ſolent, humanæ ſepulturæ neceſſitas eſt,illic enim cineres,id eſt omnium mortalium corpora, mox in cinerem reſoluenda, effundi ſolent.* Sed cerne quàm facili negotio,altaris ſacrificium, humanæ naturæ abſtulit dedecus. Ideò in vtraq; ara, & Crucis, & Euchariſtiæ ſummus Pontifex Ieſus ſeipſum immolauit, vt notas infamiæ, & ignominiæ,quas humanæ naturæ mors inuſſerat,& à protoplaſto hominibus inhæſerant,adimeret,quæ omnia inter obſcuros, & vmbratiles antiqui antiſtitis ritus, clarè fulgẽt. Primò:adipẽ vituli adolebat ſuper altare,ibi v.8. Secundò:ſpolia,& pellẽ vituli ſuper congeriẽ lignorũ exurebat in domo, & recõditorio cineris. ibi v.12. *Incendetque ea ſuper lignorum ſtruem,quæ in loco effuſſorũ cinerũ cremabuntur.* Vt adiparũ Euchariſtiæ holocauſtũ antiquæ vetuſtatis,& mortalitatis exuuias, Deifico igne exureret. Et cõtẽptibiles cineres hoſtia vitalis aboleret. Acutè ſubdit Abbas Tuitienſis ſupra: *Sacerdos magnus veſpertinũ fecit ſacrificiũ, panem, & vinũ transferendo in corpus, & ſanguinẽ ſuum. Extra portam cremata ſunt, quando pellẽ noſtræ mortalitatis excoxit igne paſſionis, ſuper ſtruem lignorũ, id eſt in patibulo Crucis,& reſurgente à mortuis,quod mortale erat,à vita abſorptum eſt.* Ea, quæ præſtitit paſſione exutẽs mortalitatis pellẽ,& ea,quæ in reſurrectione reſtituens immortalitatẽ,auferẽs ignominiã mortis,& ſepulcri,reddẽſq; honorẽ vitæ;ea perficit ſũmus Sacerdos veſpertino ſacrificio corporis,& ſanguinis, alimentiq; vitalis. Vt caro, & corpus,quod liberalem, & gratuitã immortalitatis ſtolã amiſerat, expoſitũ corruptioni, per alimentum corporis,& carnis ab omni corruptione alienæ,incorruptione,& gloriã donaretur. Vt ex ea carne, in qua præualuerat mortis ignominia, ex ea deificata, & ſacro epulo præparata, oriretur gloria. Conſuluit Deus hominis vtilitati, deliciis, conſuluit honori, dum dedecus mortis diluit. Placuit cæleſti Parenti, honoris, & gloriæ infuſis decoratos menſæ ſuæ conſedere filios.

Locus in quo reponuntur cineres ſepulcrum eſt.

Rupert.

Euchariſtiæ ſacrificium mortalitatem diſſoluit.

Rupert.

5. Noſtræ gloriæ ornamenta adauget Iſaias, do tibi tanti Vatis inſignem locum cap. 26. verſ. 19. *Viuent mortui tui,interfecti mei reſurgent: expergiſcimini,& laudate,qui habitatis in puluere:quia ros lucis, ros tuus,& terram Gigantum detrahes in ruinam.* Hũc locum annuntiare corporum reſurrectionem nemini dubium. Quapropter hortatur Vates ſanctorum corpora,vt ignominiã ſordis, pulueris, & putredinis excutiant,& abſtergant. Sed vnde ſummũ ſplendoris, & gloriæ donum, omne dedecus abolens? Ex rore: *Quia ros lucis ros tuus.* Prodigioſus ros, matutæ roſcidæ rore, quem ex ſuo ſinu ſuper gramina irrorat, illuſtrior, & felicior; licet enim aurora velut Margaritarum decore, germina, floreſque perfundat; ros ille non eſt ros lucis, & vitæ; at ros de quo ſermo eſt apud Iſaiam, oſſa arida,cadauera, fuliginoſos, & malè olentes pulueres ſepulcri,vitali illuminat aſpergine,& gloriæ ſplendoribus condecorat. Ideò legit ſanctus Hieronymus:*Ros luminum ros tuus.* Quis ſimul ros,lux,Sol, *ſanitas*, vt legunt Septuaginta, niſi Chriſtus? Sed Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ appellat rorem matutinum, quo irrorantur pulueres, cineres viuificantur,& fulgoribus amiciuntur. Forerius ad ea verba: *Interfecti mei reſurgent*, legit ex Hebræo: *Corpus meum reſurget.* Hoc ergo Chriſti corpus, ex quo prouenit mortuorum reſurrectio, vocat rorẽ; eõque nomine exornat, quo in ſacra pagina panis Angelorum, & Manna nuncupatur. De panibus, qui ex habitaculo Angelorum defluebant, ait liber Exod.cap.16.v.13.& 14. *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* Cúmque Hebræi admiratione ſuſpenſi læto perſonarent murmure: *Manhu,quid eſt hoc?* Reſpõdet Moyſes: *Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Sed ſacratiori conſilio reſpondet Eccleſia,vt annotat Genebrard.in Pſal.77.*Lex quærit, quid eſt hoc? Euangelium reſpondet,hoc eſt corpus meũ.* De quo ſupra Iſaias cecinit: *Corpus meum reſurget.* Quid eſt hoc? quis eſt ros iſte? Eſt corpus meum, inquit Chriſtus,quod plagis cæſum, malleo quaſi pilo(inſtar mannæ)tuſum,conditum tumulo,quod à mortuis reſurrexit. Ros,& pluuia in vellus, hoc eſt

Quis ſit ros lucis apud Iſaiam.

Ros lucis & reſurrectionis à Chriſti corpore, & cæleſti pane venit.

Lect. Hebr.

Manna in ſimilitudinem roris decidebat in terrã.

Genebr.

eſt in vterum Virginis deſcendens,& in circuitum caſtrorum, id eſt militantis Eccleſiæ iacens, panis Angelorum,in quo omnis ſaporis ſuauitas. Hic eſt ros,& manna lucis,ſanitatis,& vitæ,non ſicut mãna,qui erat ros,ſed non lucis,& vitæ, *Non ſicut mãducauerunt patres veſtri manna in deſerto , & mortui ſunt,qui manducat hunc panem,viuet in æternum.* Nunc Iſaias orationem plenam lætitia, & gratia ad ſpelũcas, & cauernas mortuorũ conuertit; plauſus, clamor,& carmen reboat : *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.* Deſpicite mortis ærumnas, linquite tineas , & operimenta vermium abiicite; tabem , purulentámque ſaniem corporum propellite; exſufflate tumuli pulueres,& cineres. Aſſumite ſtolam lucis, cuius ornamentum, ſplendores, & gloria, omni ſidere ſunt fulgentiora, induite habitum omni lilio,roſã,& odoramento ſuauiorẽ odorem halantem. Occinite , ouate, concrepantes, Io triumphe. Sed vnde ouatio, triumphus,lux, ſplendor, vita? Ex rore,ex manna, ex pane Angelorum, ex corpore Chriſti.

Euchariſtia ſanguinem & corpus humanum nutrit ad immortalitatem. D. Iren.

6. Pulcrè S. Irenæus lib. 5. contra Hæreſes agens de viuificante Euchariſtiæ virtute, fatur : *Quoniam membra eius ſumus,& per creaturam nutrimur,eum calicem, qui eſt creatura, ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & eum panem, qui eſt à creatura,ſuum corpus confirmauit , ex quo noſtra auget corpora. Quãdo ergo,& mixtus calix, & factus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis , & corporis Chriſti , ex quibus augetur , & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.* Quæ verba ad rem noſtram expẽdit,& illuſtrat Roffenſis in Scholiis S. Irenæi ſcribens : *Sicut tritici granum poſt mortificationem eius, auctius,& multiplicatius ex terra ſurgit ita, & corpora, poſteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta ſunt ; virtute tamen carnis ipſius viuificatricis qua paſti ſumus,& vnum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem reſurgemus gloriã.* Vbi vides quod ſacrũ epulum ignominiã pulueris, & cineris adimit , & floridam immortalitatis ſtolã reſtituit.

Roffenſ.

Sextum Aræ ornamentum, ad num. 3.

DISCVRSVS VI.

Euchariſtia myſterium vocis , & clamoris. Pro eo creaturæ clamabant, & interpellabant ; & Chriſtus in altari pro omni creatura interpellat , & vociferationes profundit.

1. PROMICABAT in eminentiori altaris culmine craticula perforata,ad modum retis ferreæ,aut cribri,vt ora patula, vel aperta oſtenderet , quibus creaturæ propter ſanguinẽ Chriſti clamabant ; ſimúlq; voces,& clamores manifeſtaret, quibus ſacrificiũ Chriſti , & illius ſanguis in altari pro creaturis clamitat. Cain improbitatis,& liuoris ingenio ſeductũ Abel de medio ſuſtulit, fratris ſanguine cruẽtauit dexterã,totum fœdauit orbem. Iacet inhumatum cadauer proprio aſperſum , & inquinatũ ſanguine,madefacta terra innocẽtis infantuli cruore, & fœcũda nitet primi martyris purpura. De tellure madida,& ebria ſanguine eructãt ſuſpiria,clamores,cruor ipſe vocẽ edit tuba clariorẽ. Geneſ.c.4.v.10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Non clamat ad cœlos ne ſuper hoc ſcelere obſtupeſcerent , & portæ eius deſolarentur vehementer: ne fratricidij inquinamẽto alma ſidera aſpergeret. Non clamat ad Cain,refugit enim prodigioſi ſceleris auctorem, nec ipsũ alloqui dignatur. Clamat ad Deũ ſuæ innocentiæ teſtem, qui pectoris nouit arcana,qui fraudes, crimina, & impudẽtiã Caïn ſolus nouit patienter ſuſtinere. Quid clamat? quid exorat ſanguis iuſti? Vindictam, an miſericordiam? Sed iuſtus iuſtitiã amat,vindicationem ignorat. Qui primus mortem Chriſti Agni immaculati, qui corã tondentibus ſe obmutuit, & cum malediceretur,non comminabatur, ſuo ſanguine, & nece dedicauit; Qui in fide Chriſti morientis,& pro inimicis orantis,occũbit; fratris animaduerſione,aut nece nõ exigeret propriã propulſare cõtumeliam, à Deo efflagitauit clementiã? Dignum iuſto poſtulatum. Verum tanto beneficio indignus factus eſt Caïn,qui miſericordiæ ianuã ſua obſtinatione præcluſit. Si vtrũq; aut vnum, aut alterũ flagitabat ex aliquorũ placito;aliud tamen poſtulabat ex Clem. Alexãd.mente Abel pro Chriſto;illius ſanguis,pro Chriſti ſanguine clamabat. Do tibi illius verba lib. 1.pædag.c.6. *Sanguis enim vocem nunquã emittet, niſi ſãguis Verbi intelligatur; vetus iuſtus,typus eſt noui iuſti, & ſanguis vetus, qui interpellat, pro nouo ſanguine interpellat.* Iuxta Clementis placitũ Chriſtum enixè flagitabat, qui ſuo ſãguine perfunderet,& expiaret orbẽ,pro ſãguinis Deifici, & immaculati ſacrificio vociferans,clamauit. Beatitate coronatur poſt obitũ Abel , quid felicius quàm eius ſanguinem fungi legatoris , & mediatoris munere apud cæleſtẽ Patrẽ,vt mittat filium, qui mundũ redimat ſanguine? Datur mediator ad mediatorem, & interpellat pro Chriſti ſanguine: ſãguine interpellat, & clamat vt vox ſit gratior. Terra oſtẽdẽs ora latice tincta purpureo ſecurè,& validè clamat, ſi enim ſine ſanguine nõ ſit remiſſio,nec clamor poſtulãs remiſſionẽ, nõ ſit ſine ſãguine. A mũdi exordio clamores exaudiũtur. Os illud Abelis exangue cõticeſcit, ſed cruoris ſacri ſtillicidia clamore valido Chriſti ſanguinem expoſtulant,præbẽtq; documentum, vt corpus,& ſanguinem Chriſti, ſuſpiriis, gemitibus, vociferationibus concupiſcas, Iuxta Hiſpanicum proloquium : *A buen bocado buen grito.*

Vox ſanguinis Abel quid exoret?

Clem. Alex.

Sanguis Abel pro ſanguine Chriſti interpellat.

2. Hæc in mundi infantia,& cunis; in finibus ſæculorũ voces alias auſcultemus. Inter alia dexteræ excelſi prodigia, quæ Chriſti mortẽ illuſtrarunt. Illud eximiũ refertur ab Euãgeliſta Matt.c.27.v.51. *Terra mota eſt. Et monumenta aperta ſunt.* Cauſã,cur pateſcãt ſepulcra magno ingenij acumine Rupert. demonſtrat lib.1. Deuter.c.6. *Quia corporibus mortuorũ hoc expediebat, vt coniungeretur cũ eis in ſepulcris corpus huius mortui , quod afferebat reſurrectionem mortuorũ, & idcirco ad ſuſcipiendum illud certatim,& auidè ſe ſe dilatauerunt.* Sinus ſuos expandunt ſepulcra,& hiante ore expetunt,& expectant Dominicũ corpus; quot aperiuntur monumenta, tot ora patẽt ad ſuſcipiendum cœlorum theſaurum,& Patris depoſitum. Piã contentione certabant ſpelæa, antra, monumenta, ſepulcra,vt cruentum corpus reciperent,apertóque ore clamabant,vt in aliquo eorum dignaretur requieſcere: huc adeſto Domine. In hoc decumbe conditus tumulo. Corpus enim Chriſti, theſaurus deſideriorum,& clamorum eſt.

Quare in Chriſti morte aperiantur ſepulcra?

Rupert.

Ad ſuſcipiendum Chriſti corpus dilatantur.

3. Quantum pro nobis ipſe clamitet teſtatur Dauid. Pſalm.26.verſ.6. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.* Hoſtiam vociferationis cum Theodoreto Euchariſtiæ ſacrificium accipio , qui in titulo Pſalmi inquit : *Cùm Saulem fugeret his vſus eſt verbis , quando ad Abimelech Sacerdotem acceſſit , cúmque ſancti panis benedictionem*

Hoſtia vociferationis Euchariſtia eſt.

Theod.

dictionem accepiſſet, hoſtium manus declinauit. In eo ergo pane, vitæ panem agnouit, cuius virtute Saülis declinauit inſidias, hoſtiámque vociferationis nuncupat, quia pro Dauidis tutamento clamabat

Euthym.

ad Dominum. Euthymius legit: *Hoſtiam laudis, & vociferationis.* Et verba explanat: *Laudis quia ab eo protectus ſum, vociferationis verò ob victoriam de inimicis, vociferatio enim clamor quidam eſt aduerſus inimicos.*

Clamat aduerſus hoſtes.

Ab Euchariſtia contra hoſtium phalanges Dominus dat vocem ſuam, vt eos ineffabili virtute terreat, & proſternat. Chriſtus in altari vociferationis hoſtia eſt, quia in hoc iugi ſacrificio, in quo recolitur memoria paſſionis, & mortis ſemper viuit ad interpellandum pro nobis, & quotidie pro nobis clamat ad Patrem. Clamant claui, quibus terebratæ manus, pedéſque Cruci ſuffixi. Clamant fluenta ſacri, calentiſque cruoris, quem in noſtra gelida pectora diffundit, vt liquefacta diffluant, amoriſque excitet flammas; clamant hiantia vulnera, roſea charitatis ora, ſuauius, potentius quàm Angelorum labra, & linguæ ad aures Patris tinniunt. Clamat apertum ferri cuſpide latus: quantũ Deus dilexit me, qui tradidit ſemetipſuum pro me, & dedit ſemetipſum edendum mihi: ſacrificium ergo Euchariſticum victima clamoris, hoſtia vociferationis.

Chriſtus in Cruce, & in Euchariſtia ſeipſum offerens exauditur à Patre.

4. Extollit Paulus ſacerdotium Chriſti, cúmque cum Pontifice Melchiſedech comparat. Ad Hebr. cap.5. verſ.6. & 7. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Inſinuat Apoſtolus exauditum Chriſtum à Patre, quia ſemel ſeipſum obtulit in Crucis ara, & quia Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, in quo iugiter immolatur, cuius myſterium, & ſacrificium reueretur Pater. Fauet

D. Ambr.

ſanctus Ambroſius in Commentario ſcribens: *Sacerdos propter victimam, quam pro nobis offerebat, à nobis ſuſceptam, id eſt carnem, & ſanguinem, de qua victima ipſe in Euangelio ait: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, qui in diebus carnis ſuæ,* &c. *Totum verò quidquid egit Chriſtus in carne, preces ſunt, & ſupplicationes pro peccatis humani generis. Sancta vero ſanguinis eius effuſio clamor validus eſt, in quo exauditus eſt à Deo Patre, pro reuerentia eiuſdem paſſionis ſuæ ſine peccato* In ara Crucis preces, & lacrymas fudit, & clamorem validum pro hominum delictis, & exauditus eſt. In ſacrificio incruento preces offert, validúmque clamorem, dum ritu Sacerdotij Melchiſedech victimam carnis, & ſanguinis ſeipſum offert manibus Sacerdotum; idem ſanguis, qui in Cruce effunditur, in altari offertur, hic clamat clamore valido; & auditur à Patre; hoſtiam viuam, quæ quotidie litatur, filium ſuum æquo iure reueretur Pater. Si iuxta Ambroſij eloquia: *Totum quidquid egit Chriſtus in carne preces ſunt,* & ſupplicationes pro peccatis humani generis. Sacramentum quod peregit in carne ſua, & ſanguine; precum, ſupplicationum, validi clamoris, & vociferationis munus vſurpat.

5. Inter egregia Regis, & Vatis facinora caput extulit ſimulatio fortitudinis, & prudentiæ, quando immutauit vultum ſuum in aula Achis Regis

Dauid Chriſtum adumbrabat in Euchariſtia eleuatum Sacerdotis manibus.

Geth. Cum enim exul, & erro fugitiuus à facie Saül peruenitet ad Regem, finxit vultus inſaniam, vt liuoris diſcrimen euaderet. Cerne furentis, & fanatici hominis veſtigia, quæ ſacra pagina tradit, lib.1. Reg. cap.21. verſ.13. *Et immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſalinæ eius in barbam.*

Lect. Lxx.
D.Aug.

Sequitur lectionem Septuaginta ſanctus Auguſtinus in titulo Pſalm.33. concione ſecunda: legentium: *Tympanizabat ad oſtia portæ, & feribatur manibus ſuis.* Et de ſacra Euchariſtia grauiter, & acutè expendit.

Chriſtus velut tympanũ, quod dulcem concentum reddit.

Cum ſeipſum portabat, & Sacramentum inſtituebat, ſimul tympanizabat, & ſonitus, & voces, velut de tympano edebat. Tympanum corpus Chriſti eſt, quod in ligno Crucis extenſum, dulcem miſericordiæ reſonabat concentum, cum pro perſecutoribus exorabat. Huius tympani dulciſſima cantica concrepant in cœlo, & in terra, dum manibus Sacerdotum tenetur, & noſtris precibus pulſatum, reddit coram Patre dulciſonum interceſſionis modulamen. Nec mireris Chriſtum tympanum vocitari, cum ſit expreſſa ſancti Augu-

D.Auguſt.

ſtini mens ſupra concione prima, ſcribentis: *Vt tympanum fiat, caro, id eſt corium in ligno extenditur: dictum eſt tympanizabat, id eſt Crucifigebatur, in ligno extendebatur.* Ad huius tympani ſonitum exultat Pater, lætantur mortales, & cælites ducunt choreas.

Septimum Aræ ornamentum, ad humerum 4.

Discvrsvs VII.

Quia ſacrum epulum Chriſtus inſtituit, inſigni aureolo decoratur; & ritè communicantibus ſpecialis corona, & aureola in cæleſtibus reſeruatur.

1. Corona aureola altare circumdedit, vt numero quarto vidimus, vt aureolæ decoramentũ inſinuet, quo inſignitur Chriſtus, quia ſeipſum hominibus dedit epulandum in conuiuio amoris.

Chriſti aureola in Euchariſtia inſtitutione.

Difficile videtur aſſumptum, ſed in profundo maris ſacræ literaturæ ſe ſe haud difficulter inſinuat, & inter obſcuras ſacræ ſapientiæ affulget vmbras. Profundioris Sacramenti eſt, quàm ad primum conſpectum appareat, titulus Pſal. 55. *Dauid in tituli inſcriptionem cum tennerunt eum Allophyli in Geth.* Alludit ad lib.1. Reg. cap.21. verſ.13. ibi refertur, quod in conſpectu Regis Achis timore correptus Dauid: *Immutauit os ſuũ coram eis.* Furore quodam breuis inſaniæ fictum, ſimulatúmque vultum

Chriſtus in Euchariſtia vultum ſuũ immutauit.

oſtendit, vt Chriſtum portenderet, qui ſub ſacro accidentium velamine deliteſcit, vt præberet homini alimentum vitæ nempe corpus ſuum, & ſanguinem; quæ omnia Iudæis, & Apoſtolis videbantur delirantientum, & inſania: Audi ſanctum Augu-

D.Auguſt.

ſtinum in titulo Pſal.33. concione 1. fantem pulcrè, & acutè: *Ille dicebat, niſi quis manducauerit carnẽ meam, & biberit ſanguinem meum: quia mutauerat vultum ſuum, quaſi furor iſte, & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem* Et paucis interiectis: *Dixerunt enim: quomodo poteſt hic nobis dare manducare carnem ſuã? Arreptitium putabant Dominum, & neſcire quid loqueretur, & inſanire. Ille autem, qui nouerat, quid dicebat, in illa mutatione vultus ſui, & quaſi furore, & inſania Sacramenta prædicabat:* Quæ humano ſenſui mentis alienatio maior, quàm homini hominem præbere edendam in catino carnem ſuam, & ſan-

guinem ſuum in cratere potandum? Sed cordati, & diuini amoris hæc inſania eſt; non amentia, ſed potentia; non inſipientia, ſed ſumma ſapientia; cellæ ſuæ vinariæ muſto, quod non titubantiam generat, ſed ſobrietatem, velut languidus, & extra ſe raptus ſponſus in primo illo Apoſtolorum ſympoſio, hanc adinuentionem, & ſponſæ ſolatium architectatus eſt de amoris ingenio, vt Deitatis, & humanitatis ſuæ gazas ſub accidentium tegminibus occultaret. Etſi ſpecioſus, quia pudicus, & verecundus, ſacris panis, & vini inuolucris amat inuolui, vt fides ſponſæ locum inueniat, quæ Deum abſconditum veneratur, amor, cæleſtis Regni Margaritam ab oculis remouit, corpus, cœlum inquã, vulneribus velut ſideribus diſtinctum, & ornatum, ſacris velis abdidit; Solis radios, & vultum Sole ſplendidiorem accidentium nube contexit. Huic egregio dilectionis facinori titulum Pſalmi prædictum Dauid, & Dauidi Chriſto dedicauit, quando immutauit vultum, & in Sacramento Euchariſtiæ ſe ab oculis humanis ſubduxit, *Dauid in tituli inſcriptionem, quando tenuerunt eum Allophyli, immutauit os ſuum coram eis.* Vbi inſigniter legit Vatablus: *Inſigne aureolum Dauidis.* Vt corona aureola Chriſti caput cingat, quia vultum ſuum mutauit, & ſub accidentibus panis, & vini delituit; non dubito in capite, & manibus Chriſti ſpecialem lucis candorem, & ſingularem decorem refulgere, quia corpus, & ſanguinem in cibum, & potum fidelibus dereliquit, ideo inſigne aureolum Dauidis, vel Chriſti, præ margaritis fulgens caput eius circumdat.

Ieſus in Euchariſtia occultatus.

Vatabl.

Corona aureola.

2. Plures Pſalmi hoc notantur, & inſigniuntur titulo, præſertim Pſalm. 83. *Pro torcularibus.* Quæ autem ſint torcularia, & vinum, quod de vua exprimitur grauiter expendit ſanctus Athanaſius q. 110. vel 74. dicens: *Qualia dicit torcularia? Eccleſias, in quibus vinum funditur, veluti ſacroſanctus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguis effunditur, & ſanctum corpus eius immolatur, dicimus autem & hoc, quod botrus, & vua Chriſtus eſt, qui ſeipſo comminuto, voluntariè preſſus eſt, & ex morte ſua diſtillauit diuinum muſtum, ſuóque ſeipſum ſanguine rubere fecit.* Sicut in vinaceis officinis vua prelo ſubiecta, & lapideo pondere preſſa, ſuauis liquor elicitur, qui in lacus effunditur, & in doliis ſeruatur; in Eccleſiis vinum Deificum conditur, quo inebriantur Angeli, ſanguis ſcilicet Chriſti, qui velut vua in ligno pependit, & prelo, hoc eſt Crucis trabe, & immenſo peccatorum pondere preſſus, & expreſſus, in cellis vinariis Eccleſiarum recondidit potandum diuinum muſtum. Sed perpende extrema Athanaſij verba: *Suóque ſeipſum ſanguine rubere fecit.* Corpori ſupra niuem candido, ſudo, & ſereno cœlo ſplendeſcenti gratius, ſupra cycladam auream Solis radiis ictam albeſcenti; addidit ſanguineum colorem, vt propter ſanguineos latices, quos in calices Sacerdotum influit, & epotandos effundit, rubeſcentem regereret colorem omni aurora, & purpura ſplendidiorem. Agnoſco ſponſi ab ſponſa prædicata inſignia; dum cerno candidum, & rubicundum. Candicat ſponſus: candidatus ſpecialis gloriæ, & ſplendoris Ieſus, de accidentium panis candore, purpuraſcit, de vini rubore; & ſanguineo colore tingitur, de ſpeciebus vini, & latente ſanguine.

Torcularia dicuntur Eccleſia in quibus immolatur Chriſtus.

D. Athan.

Ieſus de ſuo ſanguine rubeſcit.

3. Ad conſpiciendum hunc decorem de Euchariſtici ſacramenti inſtitutione prouenientem auidiſſimè inhiabat ſponſa, torcularia concupiſcens, & ſitiens vini fontes, Cantic. cap. 2. verſ. 4. *Introduxit me in cellam vinariam.* Lectio ſancti Gregorij Nyſſeni, & verba, ſponſæ deſiderium, & affectum exprimunt; ſic legit: *Introducite me in cellam vinariam.* & ſubdit: *Quinetiam ſitit. Vſque adeo augetur ſitis, vt è ſapientiæ cratere non hauriat, neque ad ſedandam ſitim, ſatis eſſe putet, ſi totum craterem in os infundat: ſed rogat vt deducatur ad ipſam cellam vinariam, & ipſis torcularibus os ſubijciat, & dulce vinum ſcatens aſpiciat, botrumque. qui exprimitur in torcularibus.* O magnam liguritricem, & potatricẽ, quæ ſacris dapibus opiparæ menſæ ſaturari, & repleri cupit, & ſacri vini riuulis velut ebria ingurgitari! Cupediis tuis inuideo. Anhelat animus ad craterem, ipſoque exhauſto non quieſcit, donec torcularia ingrediatur, os apponat botri ſciſſuris, & cicatricibus, & de ſcaturientibus ſanguinis fluentis inebrietur; ad vini fontes ſtetit, in iiſque deliciatur. Sed adhuc auiditate fœminea illum Chriſti ſplendorem de Euchariſtiæ inſtitutione prouenientem curioſius perſcrutatur: ſubiungit Nyſſenus: *Illud autem omnino vult videre myſterium, quemadmodum ſponſo calcanti torcular, rubræ fiant veſtes? De quo dicit Propheta, quamobrem rubra ſint veſtimenta ſua, & indumenta ſicut eius, qui calcat torcular? Propter hæc, & quæ ſunt huiuſmodi, cupit ingredi domum, in qua eſt vini myſterium, ac ſacramentum.* Ad altare Euchariſticum manuducitur ſponſa, & diligenter inquirit, quemadmodum ſponſo, in domo, in quã eſt vini myſterium, & ſacramentum, calcanti torcular, rubræ fiant veſtes. De Sacramento altaris, quod torcular, & prælum Crucis quotidiano ſacrificio repræſentat, prouenit ſpecialis fulgor ille mirabilis, purpureúſque nitor in veſtimentis Chriſti, hoc eſt in eius corpore.

D. Greg. Nyſſ.

Sponſa craterem ſitit, & cellam vinariam appetit.

D. Nyſſ.

Ruborem veſtium Chriſti aſpicere optat & Euchariſtiæ Sacramentum.

4. Ornabit quoque corpora Beatorum, qui piè, & feruenter corpus Chriſti frequentant, aureola. Placidè ſuſcipe ſacrum Eccleſiaſtæ ſermonem, tecum loquentis cap. 9. verſ. 7. *Vade ergo, & comede cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Agnouit ſub hoc ænigmate Salomon myſterium Euchariſticum, & veſtimentorum candorem, qui ex ipſo promanat. Accede ad Chriſti dapes, & æternus candor in corpore tuo fulgebit. Verba vſurpo iuxta ſancti Cyrilli Archiepiſcopi Hieroſolymorum placitum, qui Catecheſi myſtagogica 5. ſic fatur: *De calice, quem Ieſus accipiens gratias egit, & dixit: hic eſt ſanguis meus. Idcirco Salomon cum in Eccleſiaſte hanc eandem gratiam in ænigmate ſignificaret: age, inquit, manduca in lætitia panem tuum, videlicet panem ſpiritalem. Et bibe vinum in corde bono: ſpiritale ſcilicet vinum.* Huius ſacri epuli conuiuis ſpeciale proponit præmium, & fructum, quod ſint ſemper candore pluſquam niueo fulgida veſtimenta. Subſcribit ſanctus Cyrillus: *Ita ſanè exutis veſtibus antiquis, & iis, quæ ſunt ſecundum ſpiritum alba, indutis, perpetuo iam in albis incedere oportet.* Sicut enim virgines, quæ vſque ad vltimum halitum, illibatum virginitatis florem ſeruauerunt, candore veſtimentorum nitent, ambulántque in veſtimentis albis, & ſplendidis: ſic conuiuæ cæleſtis panis ſingulari diſtinguentur gloria, aut niuei candoris, aut purpurei fulgoris; propter edulium ſacrum pietate, & feruore ſuſceptum.

Veſtimentoris glorioſa albedo ex ſumptione Euchariſtiæ.

D. Cyrill. Ieroſol.

5. Sponſa ſacra mentem ad ſuperiora attollit, & pio deuotionis affectu Deitatis cupit tenere culmina. Cant. cap. 7. verſ. 8. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Qui ſint palmæ fructus, explanat Theodoretus: *Salutiferum vinum, ſpirita-*

Sponſa aſcendens in palmam apprehendit fructũ Euchariſticũ.

libus

libus prelis expreſſum, unde calix impletur ille inebrians ſanè, quam præclarus. Euchariſticos fontes, qui de illius latere ſcaturiunt, ſpiritales Chriſti vocat fœtus, & partus. Sed cur opportunè Chriſtus dicitur palma? Vt triumphum Crucis oſtentet, in qua hoſtes habuit oſtentui, palam triumphans eos in ſemetipſo? An quia victoria amoris exprimitur, in qua de Deo retulit palmam? Vel quia iuſtus poſt ærumnas, laboréſque ſuauiſſimum virtutis, & tolerantiæ fructum capit? Hæc omnia pulcra. Aptiora, quæ ſequuntur. Chriſtus in Sacramento altaris dans fructus cibi, & potus vitalis, comparatur palmæ, quia ritè ſuſcipientibus ſacram ſynaxim, coronas, & palmas in cœlis diſtribuit. Audi Arnobium Africanum in Pſalm. 91. *Comparatur palmæ ſemper florenti, qui ad dexteram Patris ſedens victoribus ramos ſuos porrigit, de floribus ſuis coronam tribuens, & de fructibus perpetua refectione ſaginam impartiens.* Poſt reſurrectionem, corpora, & capita dignè ſuſcipientium Euchariſtiam, oſtentabit Chriſtus redimita corollis floreis, palatóque dabit, & linguæ beatorum ſuauiſſimum ſaporem, Ambroſias dapes, & nectarea pocula ſuperantem.

Poſt fructus Euchariſticos iuſtis ſeruatur palma cæleſtis.

Arnob.

6. Huc attinet honor ille mirificus, qui ab Angelis exhibetur fidelium corporibus vita defunctis propter huius venerandi myſterij piam, & debitã frequentiam; more ſcutatorum, & ſatellitum, qui Regium corpus cuſtodiunt, illius latera cingunt, animúmque vſque ad cæleſte domicilium comitantur. Huius veritatis teſtem aduoco ſanctum Chryſoſtomum tomo 5. lib. 6. de Sacerdotio: *Si myſteriorum huiuſmodi cum munda, ac pura conſcientia fuerint participes, cum ſpiritum ſunt efflaturi, ab Angelis eorum corpora more ſatellitum ſtipantibus, propter aſſumptum huiuſmodi Sacramentum, rectà hinc in cœlum abducuntur.* Hac enim amplitudinis dignitate, & gloriæ ornamento cohoneſtant Angeli fidelium corpora, quia cæleſtis Regis, & hoſpitis facta ſunt ſpecioſa tabernacula.

Corpus quod piè ſuſcepit Euchariſtiã, vita functum honore afficiunt Angeli.

D. Chryſ.

7. Do tibi præclara Lorini noſtri verba, quæ ſint huius diſcurſus complementum, & coronis. Ad eã ſententiam Act. c. 2. v. 42. *Et communicatione fractionis panis.* ſic ſcribit: *Non defuêre, qui affirmarunt, his, qui Chriſti corpus ſumpſerint, tribuendum in corpore peculiarem quaſi ornatum in ſimilitudinem aureolæ, cum immortalitas ipſa corporis, tanquam proprius affectus Euchariſtiæ cenſeatur.* Hæc ibi. Ideò enim corona aureola ambiebat altare, vt inſigne aureolum communicantium exprimeret.

Lorin.

Corona aureola ſeruatur ritè communicantibus.

Verſ. 14. Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta: laboraui ſuſtinens.

COMMENTARIVS.

1. REPETITIO eſt prioris ſententiæ. Solum addunt Septuaginta: *Ieiunium, & otium.* Quia Iudæi in magnis feſtiuitatibus ieiunabant, ab operibus ſeruilibus ceſſantes.

Ieiunium & otium.

2. Notandum eſt Septuaginta poſt Neomenias, & Sabbata, addidiſſe in ſua tranſlatione: *Et diem magnum.* Sic legunt Biblia Sixti, Chryſoſtomus, Baſilius, Cyrillus, Procopius. Sed Theodotion apud ſanctum Baſilium legit [illegible] *vocatam, ſiue accerſitam, vel denominatam,* Symmachus [illegible] *denominationem.* Quis verò ſit dies magnus, dubitatur. Cenſet ſanctus Baſilius dies omnes eximiæ cuiuſdam celebritatis vocari magnos, eóſque omnes abrogari. Addit ſanctus Cyrillus: *Diem, quæ magna dicitur, colunt, ea verò eſt feſti, quod tabernaculorum fixio vocatur, dies extrema.* Plura refert Chryſoſtomus: *Diem magnum Pentecoſtem dicit, ſcenopegiam, Paſcha.* Sed verbum Vulgati illuſtremus.

Dies magnus quis?

L x x.
D. Baſil.
D. Cyrill.
D. Chryſ.
Procop.
Theodot.
Symmach.

D. Cyrill.

D. Chryſ.

3. LABORAVI SVSTINENS.] Septuaginta legunt: *Nequaquam vltra dimittam peccata veſtra.* Quæ ſententia non videtur abſoluta, ſed quaſi conditionata, & comminatoria. Dum in peccatis veſtris obſtinato animo perſeueratis, non dimittam. Vulgata verſio omnino diuerſa eſt, & emphaſim habet ad innuendam Dei clementiam, & diuinæ miſericordiæ bonitatem, & longanimitatem in expectandis, & vocandis peccatoribus ad pœnitentiam: non enim animaduerſionem, & ſupplicium ſtatim Deus in peccantes immittit, nam ſi ſic eſſet, totus mundus periret; ſed diu patienter tolerat, & expectat: Minis terret, præmiis blanditur, vt tandem peccator reſipiſcat. Itaque in præſenti Deus introducitur laborans, & ſuſtinens, dum peccator conuerſionem differt. Vt labor ſit Dei, & laſsitudo portare peccatores, præſertim illos, de quibus dicitur ſupra, quod ſunt peccatis graues, & vitiis onuſti. Hunc ſenſum confirmat verbum Hebraïcum לאה *laa. Laborare, fatigari,* ſeu *feſſum eſſe, affligi,* vel *deficere.* Vltimam ſignificationem ſequutus eſt Symmachus legens: *Defeci miſerans.* Licet enim Deus indefatigabilis ſit naturæ, & totius laboris alienus; clementiſsimi Patris monſtrat affectum, quaſi peccatores, & onera peccati ſuis humeris ſuſtinendo; quaſi laborans, defeſſus, & deficiens oſtenditur. Eandem interpretationem illuſtrat verbum Hebraïcum נשא *naſa, ferre, portare, ſuſtinere.* Et dicitur de eo, qui pondus ſuper ſcapulas portat. Geneſ. cap. 37. *Camelos eorum portantes aromata.* Exodi cap. 19. *Quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum.* Et dicitur de peccati pondere. Leuitici cap. 22. *Ne fortè ſuſtineant iniquitatem delicti ſui.* Itaque Deus filios, quos genuit, quaſi nutrix portauit brachiis, & humeris, & exaltauit ad ſidera; rebellantes, contumaces, ſceleribus onuſtos, vt fulciret, & ruituros ad tartara retineret, multum laboris, defatigationis, & ſudoris impendit.

Prima expoſitio.

Vaticinium comminatorium.

Lect.
L x x.

Deus ſuſtinet cum peccator conuerſionem differt.

Dei labor ſuſtinere peccantem.

4. Alius ſenſus ſe ſe offert: nam ſuſtinere ſe dicitur de eo, qui excandeſcentiam continet, impetúmque furoris reprimit, & coërcet, ne foras erumpat; quando iræ flammas ſecum ipſe tolerantia, & patientia mitigat, & extinguit. Sic Ieremias capite 6. verſ. 11. loquitur: *Furore Domini plenus ſum, laboraui ſuſtinens.* Iuxta Septuaginta loquitur Deus: *Furorem meum impleui, & ſuſtinui, & non conſumpſi eum.* Et ſanctus Hieronymus ibi fatur: *Quod Deus retinuerit furorem, & non totum effuderit, vt reliquiæ ſaluæ ſint.* Idem modus loquendi apud Prophanos etiam reperitur.

Secunda expoſitio.

Continet ſe, & ſuſtinet, qui ſeipſum reprimit.

Lect.
L x x.

D. Hier.

Ouidius lib. 5. Faſtorum.

Sæpe Iouem vidi cum iam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato, ſuſtinuiſſe manum.

Id eſt repreſſiſſe, & contraxiſſe manum, ne puniret. Itaque peccator dum menſuram peccatorum excedit, theſaurizat Dei iram, ipſéque Deus quaſi eſſet furore repletus, ira efferueſcens, ad iuſtam vindictam à noſtris peccatis incitatus; propter

clementiam, & manſuetudinem continet ſe & ſuſtinet, ac ſuſtinens laborat. In prima expoſitione noſtris peccatis velut afflictus, & defeſſus oſtēditur. Immenſum pondus portans de fatigatione deficit. In ſecunda labor eſt Dei ſe reprimere, & ſuſtinere, ne improbos puniat. Demum cum Deus noſtris loqui aſſueſcat affectibus; Dei miſericordia velut laborat, multúmque operis impendit, vt diuinam iuſtitiam in ſceleratos, & nequiſſimos peccatores inflammatam, ac incitatam mitiget.

Discvrsvs I.

Tanta Domini patientia in expectandis peccatoribus, vt tardipedis, & imbecillis contumelias apud quoſdam ſuſtineat, ne quid longanimitatis homini deficiat.

1. Magna Domini moderatio, & tolerantia in caſtigandis improbis; criminum moles, & cumulos patitur, probra, & dedecora pro expectanda iniquorum ſalute, in ſuo honore, & dignitate ſuſtinet; dum ab hominibus cæcutientibus ad immenſum pietatis ſplendorem, non rectè callentibus diuinæ miſericordiæ viſcera, imbecillitatis, aut remiſſionis arguitur. Vereor, ne omnipotentia de iniuriis ſuis apud miſericordiam expoſtulet, & conqueratur, ne dum diſſimulat punitionem, adaugeat peccantis crimina, aut tanto Regi vires non ſuppetere cenſeatur, vt coërceat ſceleratos. Magna Domini miſericordia, contingenti ex parte hominis bonæ frugis ſpe, expectare peccantem; magna Domini potentia, quæ improbum, & improbitatem ſuſtinet. Ediſſere nobis parabolam iſtam cæleſtis paſtor, & vatidicus Rex, ad modulos dulcis Lyræ; Canit libenter graue, & ſublime carmen, Pſalm. 7. verſ. 12. *Deus Iudex iuſtus, fortis, & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Quotidie ſcelera ſceleribus annectis, & quotidie pœnas non luis, quia iuſtus, quia fortis eſt; vindictam ſumere potuiſſet, ſed diſſimulat, & prorogat ſupplicium, quia patiens eſt; alij legunt: *Quia longanimis, & iram non afferens vel inferens per ſingulos dies.* Sic Chryſoſt. & Euthymius. Tecum perpende piam inter miſericordiam, & omnipotentiam, contentionem; quænam alteri deferat victoriæ palmam? & obliteret iniqui, & mordacis oris detrahentis iniurias? Si ſtatim plectit delinquentem, vocabitur crudelis; ſi procraſtinans, moram interponit ſupplicio, exiſtimabitur imbecillis. Sed componamus cum miſericordia, & longanimitate omnipotentiam, ſiue ſtatim puniat, ſiue moras nectat. Audi ſanctum Chryſoſtomum ore aureo pro omnipotentia clamantem, & varias lectiones huius loci referentem: *Alius dicit: fremens quotidie. Hebræus autem: imita. Et alius: minans, fremens, non puniens. Si eſt iuſtus, voles omnino punire iniquos. Si fortis omnino poterit; & vbi eſt clementia, ſi ex iuſto iudicabit? In eo quod non ſtatim pœnas infligat.* Et ſubdit: *Ne quis ſtultus exiſtimet, quod propter imbecillitatem non exequitur, oſtendit cauſam dilationis, quod magna habeat ſpatia, & magnam menſuram patientiæ.* Non eſt defectus poteſtatis, ſed ſuperabundantia pietatis, & longanimitatis, habet enim immenſa ſpatia, & innumerabiles menſuras patientiæ. Enumera peccantium, & peccatorum innumeram multitudinem, adhuc immenſis ſpatiis, & modis eam ſuperat Dei patientia. Sed audiamus Euthymium Monachum Zigabonum, pro miſericordia pugnantem, & loquentem: *Per iram igitur hic pœnas intellige. Mouent quidam dubitationem, ſi iuſtus eſt Deus, & condignas tribuit pœnas, quomodo poteſt dici miſericors? ad quod dicendum eſt: iuſtum quidem Deum eſſe, veluti, qui vnicuique condignas reddit pœnas, ſed miſericordem eſſe etiam, quia non ſtatim caſtigat. ſed ſuſtinet, & pœnitentiæ, ac conuerſioni tempus tribuit, nec Dæmonem ſinit omnia perficere, quæ ille optat: & quia omni denique ex latere noſtram ſitit ſalutem.* Quæ maiora pietatis, & patientiæ indicia, quàm peccanti non ſtatim irrogare pœnam, ſed diu ſuſtinere improbitates, vt inueniant pœnitentiæ ianuam; & iniqui Dæmonis, & tortoris ligatas nexibus continere manus, impetum, & furorem inſanum coërcere; ne ingeminatis tormentis premat improbos, qui ſub iugo, & poteſtate inimici ſe ſe libera mentis poteſtate manciparunt. Immenſa Dei clementia, ipſe offenſionibus, & iniuriis affectus lædentes ſuſtinet, & à manu, & ira inflammati tortoris reddit incolumes.

Dei patientia & longanimitas in expectandis peccatoribus ad pœnitentiam. — *D. Chryſ. Euthym.* — *Contentio inter miſericordiam & omnipotentiam componitur.* — *D. Chryſ.* — *Euthym.* — *Deus iuſtus, & miſericors.*

2. Eſuriens Ieſus, & explorans infructuoſam ficum perpetuâ ariditate damnat. Matthæi cap. 21. verſ. 18. *Mane autem reuertens in ciuitatem eſuriit. Et videns fici arborem vnam ſecus viam, venit ad eam; & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi. Nunquam ex te fructus naſcatur, in ſempiternum. Et areſacta eſt continuo ficulnea.* Ad quem locum quæſtionem excitat, & diſſoluit ſanctus Athanaſius: cur ficum ariditate plectit? Do illius verba ex quæſt. 22. in parabolas: *Quid peccauit ficus, quod Chriſtus eam areſecit? quonam id propoſito fecit? & quomodo? quoniam Dominus paſſurus iam erat, ne exiſtimarent eius diſcipuli eum omnipotentem non eſſe, ſed infirmum, ideóque pateretur: in hac inanimata re ſuam declarauit potentiam, vt oſtenderet, quod omnes aduerſarios ſuos ariditate percutere poſſet. Sed quemadmodum dixit ipſe, quia non venit ad condemnandum mundum, ſed potius ad ſeruandum; ſuam quidem potentiam in inanimata ficu declarat, ſuum autem erga homines amorem, immenſa patientia erga homines exercet.* Quàm pulchra omnipotentiæ, & miſericordiæ in ariditate ficulneæ conciliatio, omnipotens virtus, patientiæ diuinæ conſulit indemnitati; dum frondes, & viridantia ficus folia, ſubitò in paleas, & ariſtas abeunt deſtinatas flammis, & iracundiæ iacula iuſtè in homines vibrata, illæſo peccatore, in ficulneam criminis expertem iaciuntur; ſicut parens in filium indulgentiſſimus, qui ſceleris immanitatem punire concupiſcens, ira efferueſcens, ſpumas crudelitatis, & furoris in proximiorem ſtatuam, aut in animalculum expuens, vindices manus, & minantia verbera præcauet à filio; ſic ſe habet Chriſtus verba ſua minantia tanquam vrentem ventum immiſit in ficum vt ſicceſceret; omiſſis peccatoribus, qui velut infructuoſæ, & aridæ plantæ, in nunquam interituras flammas proiici poſtulabant. Sed diuina clementia puniens ficum, parcénſque homini, qui ſub ficu ſe abſcondit, de cuius foliis perizomata texens, & conſuens, cinxit lumbos, diuinæ poteſtatis amplitudini proſpexit. Apoſtoli enim in Chriſti morte timore corripiendi; aliquando dubitare potuiſſent eſſe omnipotentem, qui ſibi nocentibus iuſtas non infligebat pœnas; vt hanc imbecillitatis ſuſpicionē

Cur Ieſus maledixit ficui. — *D. Athan.* — *Ieſus ficum ariditate mulctat, vt omnipotentiã ſuam oſtendat.* — *In ficulnea ſupplicio, potentia & miſericordia Dei conciliatio enituit.*

ab

ab Apoſtolorum pectoribus depelleret, ficùm ariditate plectit: in hac inanimata re ſuam declarauit potentiam, vt oſtenderet, quod omnes aduerſarios ſuos ariditate percutere poſſet. Si apud quempiam viſus eſt deſtitutus viribus, & potentia, paſſionis tempore, improperium ſuſtinere maluit, vt inter humiliatæ, & obſcuratæ poteſtatis tenebras, patienlia fulgeret, clementia trimpharet. Sed arida ficus ambitu foliorum ſpoliata, & ſpecioſo tegmine nuda, vtriuſque arbiter exritit, & omnipotentiam oſtendit, & longanimitatem declarauit.

Tarditatem diuini ſupplicij Plutarchus viruperat. Plutarch.

3. Hanc tardipedem numinis correptionem patienter ferre non poterat Plutarchus vnus è Philoſophorum primoribus, quia cenſebat ſuſpenſionem ſupplicij iniurioſam eſſe diuinæ maieſtati. Sic enim carpit Euripidem in libello aureo de ſera numinis vindicta fatus: *Iam pridem enim indignabar, cum Euripidem dicentem audirem. Cunctatur, talis enim numinis eſt natura. Siquidem nulla in re, minimè tamen in prauorum animaduerſione ſegnem Deum eſſe decet.* Et ſubdit pulchra Euripidis carmina: *Quapropter ineptè mihi Euripides in ſceleris diſſuaſionem his vſus eſſe videtur:*

Euripid.

Iniuriâ nos afficere nunc hi adueniunt
Ne metue, bile ferueant licet atra,
Mortalium, nec ceterorum acta improba,
Tacita ſiquidem, tardante quoque pede
Fortuna corripiet malos in tempore.

Cùm ergo Philoſophus importunè, & inſipienter Dei tarditati, & patientiæ improperaſſet; poſtea maturiori ſententiâ negotium introſpiciens, ſe ipſum ab errore corripuit. Subdit enim eodem libro: *Deum Optimum, ac Maximum, qui neminem timet, nullius rei indiget, qui nulla pœnitentia duci poteſt, vindictam tamen ſuſpendere cernamus, debitumque ſceleribus expectare tempus.* In exemplar patientiæ hominibus propoſuit diuinam manſuetudinem, & in vindicandis ſceleribus tarditatem. Ab ſcopo veritatis toto cœlo aberrauit Plutarchus exiſtimans probrum tardipedam vindictam in Deo, quæ de magna longanimitate, & imnenſa patientia prouenit, potius eam nuncupabis miſericordiæ decus, & ornamentum.

Plutarch. *Palinodiam canit.*

Dei ſuſtinétia maxima. Tertull.

4. Diuinæ ſuſtinentiæ inſignia, & decora enumerat florentiſſimis verbis florens Tertullianus: hæc ex cap. 2. lib. de patientia refero: *Deum ipſum oſtendens patientia exemplum, qui florem lucis huius, ſuper iuſtos, & iniuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſeruitia dignis ſimul, & indignis patitur ſimul occurrere; ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes. Nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, vt ſua ſibi patientia detrahat; plures enim idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tandiu neſciunt.* Examina poſtremam clauſulæ ſententiam: *Vt ſua ſibi patientia detrahat.* Secum ipſa patientia immurmurat, & pias ſibi dat querelas, & tantæ longanimitati obtrectat; ex qua anſam arripiunt improbi, vt in ſua infidelitate permaneant, quia vident tandiu ſuſpenſum ſupplicium.

Dei patiétia ſibi detrahit quo ſenſu accipiendum.

Multitudo pœnitentium Dei patiétia decori proſſicit.

Sed ſi pauci fatui imprudenter ex patientiæ antidoto, venenum ſibi, & mortem incredulitatis conſciuerunt; è regione paucorum pereuntium, prodeat in medium infinitus pœnitentium, & prædeſtinatorum numerus, qui ſuam ſalutem, & felicitatem patientiæ Dei, & longanimitati attribuunt; ſi patientia ſibi detrahat de paucis pereuntibus, de innumera multitudine obtinentium beatitudinis portum, potius glorietur.

5. Fugiens a Domino Ionas aſcendit nauem Tharſiacam, & ſtatim tempeſtate iactatur, ipſe verò ſtertit rauco ſpirans halitu, dulci cuiuſdam lenimine ſepultus ſomno. Ionæ cap. 1. verſ. 5. *Ionas deſcendit in interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.* Arcanum ſomnum iudicat Rupertus, ſecuritatem & patientiam Chriſti portendentem inter procelloſas perſecutionum vndas à Iudæis immiſſas. Sic ſcribit Rupertus in caput 1. Ionæ: *Ipſe verò dormiebat, quia cum eſſet omnipotens ſuam omnipotentiam continebat, neque Iudaicæ tempeſtatis vlciſcebatur iniurias.* Magna, & admiranda Domini lenitas, quòd blaſphemiis impetitur, quòd ſputis inficitur, quòd flagellis cæditur, quod ſpinis pungitur, quòd clauis ſuffigitur, ſed maxima Domini patientia eſt, quòd inter ſcelera, probra, contumelias, blaſphemantium linguas, omnipotentiam ſuam ad iram, & inſtam vindictam incitatam continere potuiſſer. Non ſola longanimitas patiens, ſed omnipotentia ipſa tarda, & patiens eſt. Vtraque in tolerandis peccatoribus laborat, & ſuſtinet.

Myſticus Ionæ ſomnus.

Rupert.

Chriſtus omnipotentiam eſſe debat, cum à Iudæis vindictam ſe cótinebat.

Discvrsvs II.

Dei patientia, & longanimitas animarum metamorphoſis.

Diuinæ patientiæ ornamenta, & triúphi eſſ. narrantur.

1. Divinæ patientiæ, & longanimitatis triumphos canam, ornamenta præclara, coronas, lauroſque ante aram miſericordiæ ſuſpendam omnipotenti dextera, animarum transformationes ex ſæuitia in clementiam, ex impuritate in cœleſtem candorem, ex horrida Dæmonis ſpecie in Angelicam formam, ex cœno, & luto in diuinum ſplendorem operatas, eidem libens dedico. Sileant Metamorphoſes Diuorum, Diuarumque à prophanis Vatibus decantatæ; quotidie Dominus Ieſus prorogans flagellum, expectans improbum, patientia, & miſericordia ſua peccatorum animas transformat. Ex hoc pio conceptu, ſolicita cogitatione, & piiſſimi, pacificique maris profundo facile emerget animus, ſi manum porrigat Paulus commendans nobis Dei patientiam erga peccatores in epiſt. ad Roman. cap. 9. verſ. 22. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam; ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Miraculoſas immutationes enumerat Paulus: eadem omnipotentia, & patientia Dei, quæ diu expectat infideles, & peccatores conuertit renuentes, & in vaſa fuliginoſa iræ, & damnationis transfert; eadem peccatores vocatos, diu expectatos, gratia excitatos, & ad meliorem frugem redeuntes in vaſa miſericordiæ, gratiæ, & gloriæ transformat. O ſapientem opificem, & omnia tranſmutantem ſigulum. Huius diſcurſus auctor eſt ſanctus Ambroſius in hoc loco: *Patientia* (inquit) *& longanimitas Dei ipſa eſt, quæ ſicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam. Omnes enim ſuſtinet, ſciens exitum ſingulorum; ac per hoc patiens eſt, quæ illos, qui ex malis corriguntur, aut in bono perſeuerantes ſunt, præparat ad gloriam. Hoc eſt autem manifeſtare potentiam ſuam in multa patientia, quia diu diſſimulat: qui cum poſſit ſtatim vindicare,*

Dei patiétia, iræ vaſa, & miſericordiæ effingit.

D. Ambr. *Dei patiétia bonos præparat ad vitá, malos ad interitum.*

diu ſuſtinuit, vt perfidi queri non poſſint damnati. Hæc ſunt præclara patientiæ Dei facinora, diu præſtolatur facinoroſum, & non correctum damnat, inter alias ollas, & cacabos ſuccenſos igne inextinguibili, fumantes confuſione, & exhalantes fletum tanquam vas inutile, & immundum in inferorum culina reponit. At iuſtum diu induratum, pietate, & patientia Dei emollitum, peccata deflentem, finali gratia decoratum, in vas aureum immutat ornatum omni lapide pretioſo, in abaco magni Regis collocat, in Dei menſa reponit.

Diuina longanimitatis facinus Pauli conuerſio.

2. Vas auteum Paulus legis ſapientia fulgens, ſed plenum blaſphemiis, ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, donec eum patientia Domini in vas electionis transformat, vt Ieſu nomen portet coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael: tranſmutationem Pauli, longanimitati Dei addicit Chryſoſtomus rom. 5. homil. 5. de patientia dicens: *Si velox ad pœnam fuiſſet Deus, Paulum Eccleſia non poſſediſſet propterea diſtulit blaſphemantem, vt Dei longanimitas oſtenderet pœnitentem: Lupum in paſtorem tranſtulit Dei longanimitas: publicanum fecit Euangeliſtam: Dei longanimitas omnium noſtrum miſerata; omnes conuertit, reduxit omnes.* Poſtea illuſtrat locum Pſalmi 76. *Hæc mutatio dexteræ excelſi* Aliáſque portentoſas immutationes enumerat à Dei longanimitate, & patientia operatas, inquiens: *Si videris olim ebrium, nunc ieiunare; ſi olim blaſphemum, nunc Theologum; ſi eum, qui quandoque turpibus cantilenis os inquinauerit ſuum, diuinis nunc hymnis animum purgare: mirare Dei longanimitatem. Bonus igitur ad omnes Deus, in peccantes præcipuè ſuam oſtendit longanimitatem.* O quantis victoriis, & animarum transformationibus Diuina patientia repleuit orbem, quæ Paulum reduxit, quæ Matthæum è telonio eduxit, quæ peccatricem fœminam è vitiorum gurgite, & luto extraxit, diuina patientia eſt, hæc denique è mari huius ſæculi hamo Crucis piſcata eſt latronem, & omnes peccatores ſuſtinet.

D. Chryſoſt.

Alia benignitatis diuinæ trophæa.

D. Chryſoſt.

Titulus Pſalmi 44. expenditur: victoriam facienti, triumphale carmen.

Aquil.

Sym.

Euthym.

Fidelium immutatio, & transformatio.

3. Lubens offeram titulum Pſalmi 44. patientiæ Redemptoris: *Pro iis, qui commutabuntur.* Et iuxta Aquilæ lectionem: *Victoriam facienti.* Et iuxta Symmachi: *Triumphale carmen.* Hæ ſunt palmæ, victoriæ, ac triumphi Domini Ieſu, in meliorem, & cœleſtem, iuſtorum vitam commutare. In hunc terminum, & ſcopum fluit Euthymij eloquium expendentis titulum Pſalmi: *Pro his, qui commutandi ſunt, hoc eſt pro Chriſtianis, qui per baptiſmatis regenerationem innouandi erant, veterem exuentes hominem, & nouum induentes. Hæc igitur commutatio transformatio eſt, & prioris conuerſationis immutatio.* Has immutationes pulchrè nuncupauit transformationes. Vnde idem eſt, ac ſi hanc tituli inſcriptionem Odæ præfigeret: *Pſalmus Chriſto transformatori.* Vel, illius transformationibus conſecratus; ex quibus ſpiritualium prouentuum vbertas ſingularis ad Eccleſiam manauit, & maximum gloriæ ornamentum in Dei pietatem redundauit.

Chriſtus inſtar agricolæ glebam ſentibus obſitam non derelinquit, ſed colit, ex ea fructus expectăs.

Plutarch.

4. Eſt enim ſapiens Agricola Chriſtus nemorúmque cultor, qui glebam rubis, aut rhamniis obſitam, incultiſque frondibus ſylueſcentem penitus non abſcindit, aut derelinquit, ſed ex feraci ceſpite, & ſolo, irriguis fructibus fœcundo, vberes, & amœnos fructus ſuo tempore expectat. Quam ſimilitudinem eleganter proſequitur Plutarchus lib. de ſera numinis vindicta: *Quemadmodum* (inquit) *agriculturæ inexpertus regionem, quam denſis cernit obſitam virgultis, plantiſque ſilueſtribus incultam, feris refertam, fluminibus, ac fontibus variis irriguam cœnóque plurimo quoquoverſum inuium, floccipendit: rei verò ruſticæ gnarus hæc omnia fertilitatis indicia eſſe cognoſcit, terræque vbertatem hinc diſcernit. Ita & abſurda, praua, ac importuna magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confeſtim præcidi, penituſque eradicari oportere arbitramur. At optimus ille iudex vtile, ac generoſum ex his diſcernens, ætatem, horámque rationis, & virtutis cooperatricem, qua natura fructum debitum, & opportunum ferat, ac reddat, benignè præſtolatur, & expectat.* Sicut agri præpingues, aut arbores vbertate laſciuientes, ramis, frondibúſque luxuriantibus erat Moyſes cùm occidit Ægyptium, Paulus cùm zelo legis, Chriſtianorum nomen conabatur extinguere, Petrus cùm Malci auriculam abſcidit. Sed in illa tellure arata diuinæ vocationis beneficio, & ſata ſemine gratiæ, cœleſtibúſque ornata culturis, Dei patientia vberrimas ſegetes expectabat, ex ſterili ſylua conuertit in Regium topiarium, fundens odoramen roſæ, lilij, garyophylli; aut in hortum, & paradiſum Domini.

Agriculturæ ſimilitudo.

Deus in homine ætatem, & horam opportuni fructus expectat.

Ex ſilueſcētia Moyſis, & Pauli animo, ingentē prouētum Deus expectabat.

Zizania ab hoſte ſeminantur.

5. Agricolæ perſequamur exemplum, bonum ſemen ſeminantis in agro, ex quo ſimul cum triticeo germine, zizania manu inimici ſata, pullularunt. Seruis eradicare conantibus zizania, paterfamilias conſtanter obſtitit, & verbum protulit manans de clementia: Matthæi cap. 13. verſ. 30. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Tantam fundit copiam pietatis in improbos, vt malos cum bonorum periculo præſtoletur. Quæ enim niſi æterni Patris patientia zizaniorum virgulta ſimul cum tritico expectare potuiſſet, vt ea in tritici ſemina immutaret. Acutè ſanctus Chryſologus ſermon. 98. inquit; *Hinc eſt, quod auctor vtraque referebat ad meſſem, id eſt vſque ad iudicium diuinæ patientiæ ſuæ, & noſtræ pœnitentiæ tempus, vt qui ſe de malo commutarit ad bonum, Dominicum deputetur in triticum cœleſtibus horreis aggregandus. Et quid plura? Si zizaniis non Dei patientia ſubueniret, nec Matthæum de publicano Euangeliſtam, nec Paulum de perſecutore Apoſtolum Eccleſia poſſideret.* Zizaniorum faſciculos in flammam deſtinandos in cœleſtia germina commutauit patientia Domini tanquam pia, & fœcunda mater pulcherrimos filios peperit cœlo, quos crimen deformatos dederat mundo; Apoſtolorum opes, & gazæ, quibus Eccleſia condecoratur, de patientiæ fonte manarunt.

D. Chryſol.

Dei patiētia zizaniam ſuſtinuit.

Arcadum transformationes.

D. Auguſt.

Circe metamorphoſes.

Illuſtriores immutationes diuina virtute operatæ.

6. Celebriores ſunt apud Ethnicos transformationes Arcadum, & ſociorum Vlyſſis, vt refert ſanctus Auguſtinus lib. 18. de ciuit. cap. 18. his verbis: *Mandatum eſt literis, à Diis, vel potius dæmonibus Arcades in lupos ſolere conuerti, & quod carminibus Circe, ſocios mutauit Vlyſſis.* Faceſſant igitur Græcorum deliramenta, & transformationum fabellæ meritò exufflentur, veri Dei patientia lupos commutauit in agnos, vt inter tyrannorum truculentam rabiem conuerſentur ſicut oues inter lupos; ſapiens, & pudica incantatrix, quæ ſapienti Euangelicæ prædicationis carmine, Ieſu ſocios, & amicos in cœleſtes alites transformauit.

Iuſtorū querela, cur Deus peccatores tandiu ſuſtinet?

7 Expedit modò iuſtorum obuiam ire querelis, cur improbis iuſtus iudex tandiu prorogat ſupplicium? Cur effrænatum impudentium, & ſceleratorum hominum impetum in omne nefas, & ſcelus ruentium, maturè non coërcet? Cur nefarios conatus velut luxuriantes palmites, & clauiculos,

D. Cypr.
Vt Dei patiētia ſuppliciū differens, peccatorem immutet.

culos, mortis falce non abſcindit? Occurrit ſanctus Cyprianus lib. de patientia, graui, & eleganti oratione: *Cùm crebrius, imò continuis exacerbetur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat. Cúmque habeat in poteſtate vindictam, mauult Dominus tenere patientiam, ſuſtinens ſcilicet clementer, & differens, vt ſi fieri poteſt multum malitiæ protracta aliquando mutetur.* Diſſimulat Deus, & expectat peccantes propter immutationes, & transformationes: *Vt multum malitia protracta aliquando mutetur.* Moras nectit, clementiam pectoris expandit, annorum numerum extendit, vt qui immutat tempora, & annos, ſuſtinentiæ dilatione animos immutet.

Dei patiētia, ſcripturæ verba, & diuina promiſſa quomodo immutet?

8. Quid plura? non corda ſolùm, ſed legis verba, & diuina promiſſa, Dei clementia immutat; cùm Sacerdotalis tubæ ſonitus longior, & concißior increpuit, corruerunt Iericunthini muri, & ciuitas facta eſt anathema; viri, feminæ, paruuli gladio corruerunt. Vnicam fœminam reſeruauit immunem periculi, vitæ, & nobilitatis decoratam priuilegio, Ioſue, cap. 6. verſ. 17. *Sola Rahab meretrix viuat.* Si gladium, omnium iugulo imminentem, à Rahab ceruice Deus auertit, quid neceſſe eſt nuncupare meretricem, & dedecoris nota deturpare hoſpitalitatis beneficium; talem prærogatiuam apud Deum tenet impudica, vt cum omnes Iericho feminas morti damnet, ſolum proſtibulum ſaluet? Liberetur Rahab, ſed meretricis nomen maneat ſilentio conſepultum. Concordi præconis voce clamatur: *Rahab meretrix viuat.* Vt verba quoque Dei pietas immutaret. Lex clamat meretrix moriatur: Dei clementia voces profundit: *Meretrix viuat.* Huius diſcurſus auctor eſt Chryſoſtomus tom. 5. homil. 5. de pœnitentia inquiens: *Reſpice noua clementiæ prædicatorem, qui in lege dicit: non mœchaberis, verbum tranſmutans de clementia, clamat per beatum Ieſum Naue: Rahab meretrix viuat.* Tanta eſt benignitas, & clementia Domini, vt non ſolùm animos immutet, ſed verba, & ſententiam mortis, in ſententiam, & verba vitæ transformet. Patientia ergo Dei eſt animarum metamorphoſis.

Clementia Dei in meretrice Rahab verba diſpūxit dicens: Rahab meretrix viuat.
D. Chryſoſt.

DISCVRSVS III.

Deus ad benefaciendum expeditus, & velox, ad caſtigandum ſerus, & tardus. Vt nos puniat, eum cogunt, & violentas manus iniiciunt noſtra crimina.

Deus magis ad miſericordiam, quam ad vindictā pronus.
Oleaſt.

1. HANC Domini alacritatem ad fundenda beneficia, & tarditatem ad infligenda flagella, eleganter annotat Oleaſter in cap. 8. Geneſis in morali dicens: *Oſtendit Dominus, quod pronior ſit ad miſerendum, quam ad flagellandum, & quod vix ferre poſſit continuare punitionem. Hoc enim illi peculiare eſt: vt ad momentum affligat, & ad multos annorum centenarios conſoletur. Id quod de eo pulchrè Iſaias aſſerit cap. 61. prædicate annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro. Vbi vides vltionem die claudi, placationem verò ad annum vſque durare.* Vt beneficiis cumulet etiam ingratos, dilatat temporum curſus, & ad annorum ambitus extendit: vt infligat debita ſupplicia, tempora coarctat; ad dies, horas, momenta flagella reducit.

Deus conſolationem ad multos annos extendit, afflictionem ad momentum reducit.

Deus ad munificentiam aliger, ad punitionem tardipes,

2. In contrariorum munere effectuum liceat nobis cernere Deum, aut de munificentia aligerum, aut de punitione tardipedem. Magnificæ viſionis apparatus apud Ezechielem hoc demonſtrat. Cum ſuper thronum ſublimem, globúmque cryſtallinum, ſideribus diſtinctum pennata, & Cherubica animantia triumphali curru vectum redemptorem circumferunt, Cherubim ocyſſimo curſu, & alarum volatu, aut ſubita ſtatione dum pedes vitulinos figunt; præ ſe ferunt Deitatis inſignia. Fere pugnantes motus in Cherubinis intueor. Ezechiel cap. 1. verſ. 12. *Vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.* Et verſ. 25. *Cum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.* Si ſtant, quomodo ſine retrogradu greſſu gradiuntur? Si gradiuntur, & non reuertuntur, quo modo ſtare poſſunt? ſed hac ſolutione, dum non inueneris meliorem ænigma diſſolue. Dum ſpiritu impellente Cherubim ad benefaciendum, aut remunerandum incedunt, properant, & feſtinant; ad hæc enim opera inclinat ſpiritus, qui amor eſt, & operibus beneuolis comprobatur. Cùm Deus ad trucidandos hoſtes Angelico gladio, & ad inferendum ſupplicium graditur, ſtant, gradum ſiſtunt, quia Cherubico intuitu cernunt Deum retardatum. Quod ad punitionem tenderet, armatorum cœleſtium caſtra portendunt. ibi verſ. 24. *Cum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis; vt ſonus caſtrorum.* Fulgebat in viro, qui eminebat ſuper thronum, & ad parcendum pietas, & ad puniendum ſeueritas; ad diſtribuenda miſericordiæ beneficia properat, & pennata animantia ad volatum incitat; dum ad puniendā crimina ab improbis excitatur, dum feſtinare tentat, remoratur, & animantibus, vt gradum ſiſtant, imperat.

Quâ ratione ſtatio, & greſſus Cherubinis ſimul conueniret

Ad benefaciendum, properant, ad puniendum retardantur.

Dei remoratio in vaſtitate vrbis Iericho.

3. Magnam Domini tarditatem demiror in demolienda ciuitate Iericho; cum armato milite in gyrum circumuallaret vrbem Ieſus Naue, ad dies ſeptem præſtolatur cladem inferre vrbi arcæ circumductu, & buccinarum ſonitu. Ioſue cap. 6. verſ. 14. *Circumierunt ciuitatem, ſic fecerunt ſex diebus. Die autem ſeptimo, diluculo conſurgentes, circumierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.* Cur ad primum clangorem buccinæ concrepantis primâ die muros Ieſu non proſternit, aut ſeptimo die qui deſtinatus eſt ſupplicio, ad primam circuitionem arcæ ciuitas non vaſtatur, ſed expectatur circumgyratio ſeptima? *Circumierunt vrbem ſepties.* Vt innueret in punitione diuinæ patientiæ tarda molimina. Sex diebus creat orbem, & ſeptem diebus euertit vrbem. Sanctus Chryſoſtomus, dum conceptum exprimit, ore aureo margaritas verborum diffundit homil. 5. de pœnitentia: *Cùm ſtruit, velociter ſtruit, cum deſtruit, tardè deſtruit. Sex diebus Deus cœlum, & terram fecit, magnitudines, latéraque montium, omnem hunc viſibilem mundum, & qui in eo eſt, ornatum ſex diebus conſummauit. Hic igitur tam velox in conſtruendo, cùm cœperit vnius demoliendæ vrbis conſilium, inuentus eſt bonitate tardus. Vult Iericho demoliri, & dicit ad Iſrael: Circumite eam ſeptem diebus, & octauâ die cadent muri. Mundum vniuerſum ſex diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem diebus ſoluis? Num potentia imbecillior? Sed clementia diuina tolerat.* Magna Domini celeritas in conſtruenda homini domo Regia, terrarum molem

D. Chryſoſt.

Sex diebus mūdus creatur, ſeptem diebus vrbs vna diruitur.

molem, globúmque cœleſtem in ictu oculi creat, & cœlum ſicut pellem expandit in deuaſtanda vrbe tarditudinem, & procraſtinationem oſtendit, ſeptémque dierum cunctationem, & moram. Nec ſilentio in hoſtes irruit Ioſue, aut ſomno oppreſſos occupat, nec ad primum tubæ ſonitum corruunt muri, ſed clamoribus buccinæ, & militum vociferationibus omnia complet, vt ſomnolentos increpet, pigritantes excitet, & iterato ſeptem vicibus tubæ ſonitu, etiam in ipſa die ad vaſtitatem decreta, ſucceſſiuis horarum articulis aliquantulum immoretur.

Dauidis militet recenſentis ſineræ punitio.

4. Crimen Dauid in recenſendis militibus commiſſum ſeuerè mulcratur; iuſſu Domini Gad Videns delegatur ad Regem, vt ſeptem annorum fame, aut trium menſium bello, aut trium dierum peſtilentia expietur delictum. Datur optio Regi, vt eligat ſupplicium; ſed cor Dauid ancipiti deliberatione ſuſpenſum, & vndique coarctatum amoris, & doloris anguſtiis, ſciens, & prudens confugit ad miſericordiæ portum, & in manus Dei incidens tutè eligit mori, lib. 2. Regum cap. 24. verſ. 15. *Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, de mane vſque ad tempus conſtitutum.* Tempus conſtitutum à Deo trium dierum ſpatium, ſed ad dimidium diei totum reducitur, & ad horam prandij: *Miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: ſufficit: nunc contine manum tuam.* ibidem verſ. 16. Sed viſcera pietatis Dei Septuaginta eleganter oſtendunt, legentes:

Lect. LXX.

Dedit Dominus mortem in Iſraël à mane vſque ad horam prandij. Et reuocauit ſe Dominus ſuper malo, & dixit Angelo corrumpenti in populo: Multùm nunc: remitte manum tuam. Necdum exacto primo ſupplicij die ſententiam Dominus reuocauit, continuit iram ſuam, retinuit manum occidentis Angeli. Perpende verbum illud de viſceribus pietatis, & clementiæ manans: *Multùm nunc.* O immenſum miſericordiæ pelagus! Dulciſſimæ compaſſionis affectu vincitur. Necdum vltio tempus impleuerat, in ipſo occiſionis exordio, mulcta magna nimis, & inſolens videbatur. Audiendus eſt ſanctus Ambroſius, qui profundo ingenij acumine diſcurſum extollit. Sic enim in Pſalm. 37. fatur: *Vide autem Domini gratiam, quod ipſe à propoſita conditione deflexit. Nunquid aliquod miſerationis eſt crimen, quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum promiſſum remordet? Cum iraſcitur in reum, differt; cum miſeretur, properat, vt abſoluat.* Erat conditio poſita quod trium dierum ſpatio mors in ciues graſſaretur, ſed Deus à propoſita pactione declinauit, & totum minarum, & cædis apparatum, ad dimidium diei curriculum redegit. Cumulatiſſimè, & celerrimè reddit promiſſa munera, nec latum vnguem diſcedit à pactione beneficium. *In exactione pœnarum promiſſum remordet.* Affligitur, ſollicitatur, vt in ſuſtinendo, & coërcendo iræ impetum laboret. Verbum *remordeo* iuxta Ambroſianam mentem accipio pro mordere, reſecare. Prolarâ verbi ſui ſententiâ ſuppliciorum tempora non adimplet ſicut beneficiorum, ſed temporis infauſti dies amputat, horas demit, horarum particulas, & momenta circumcidit. *Cùm iraſcitur differt; cùm miſeretur, properat.*

Deus ante tempus animaduerſioni deſtinatum, ſententiam reuocat. Multùm nũc, quid denotet.

D. Ambr.

Deus in beneficiis promiſſa cuſtodit, in ſuppliciis promiſſa remordet.

Quare Deus Dauidis adulterii ſtatim non correxit?

5. Dauidem Deus ferè per anni circulum ad pœnitentiam præſtolatur, adulterij, & homicidij ſceleribus ſuſpenditur pœna, ab iiſdem criminibus poſt pœnitentiam in momento abſoluitur. Abiit vxor Vriæ concepto fœtu, filiúmque maturè peperit Dauidici ſceleris præconem. Diuinæ miſericordiæ Nathan Propheta deſtinatur nuntius, qui improbitatem ad Regis memoriam reuocaret. Cerue Dei clementiam, ſceleris ſupplicium procraſtinantem, vtriuſque criminis nexus velociſſime diſſoluentem. lib. 2. Regum cap. 12. 13. *Dixitque Dauid ad Nathan, Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Nunc ingreditur Chryſoſtomus inquirens homil. 5. de pœnitentia: *Quare proximus peccantem non correxit? Quoniam vidit in ipſo peccati vigore obcæcatam peccantium animam, & obturatæ ſunt aures in peccati profundo merſorum. Differt ergo furibundæ paſſioni auxilium addens, tantumque poſt temporis correptio procedit.* Et ſubiungit pulchrè: *Cernis Deum frater tardum ad pœnam, cernis quod ad ſalutem velox.* Quid dulcius.

D. Chryſoſt. Anima aures in ipſo peccati vigore obſurdeſcunt.

Deus tardus ad pœnam, ad ſalutem velox.

6. Denique tanta pietatis viſcera homini oſtendit, vt non niſi coactus, & violentus puniat. Sodomorum iniquitates clamoribus magnis Deum excitabant, & ad vindictam impellebant. Geneſ. cap. 18. verſ. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt.* Vt Deum velut remiſſioris tarditatis arguerent, niſi in deturpatas Sodomitico ſcelere vrbes mortiferam ſtatim cladem inferret. Inter flagitiorum caliginem magnæ pietatis radius nitet, vt annotat Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus lib. 1. de prouidentia dicens: *Verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Oſtendit Dominus quàm inuitus puniat etiam grauiſſimos peccatores, dicens: quod clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit. Hoc eſt dicere: miſericordia quidem mea mihi ſuadet, vt parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam.* Quàm violentæ peccati vires vincunt inuincibilem clementiam, & reluctantem ad flagellum cogunt, vimque diuinis manibus inferunt, vt verberibus, & flammis flagitia caſtigent.

Saluian. Maſ. Deus velut inuitus punit, ad inferendum ſupplicium à peccatorum clamore velut cogitur.

7. Pulchra eſt, & elegans eiuſdem Saluiani ſententia lib. 4. de prouidentia ſcribentis: *Quid querimur quod durè agit nobiſcum Deus? Multò nos durius cum Deo agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus noſtris, & ad puniendum nos trahimus inuitum: cúmque eius natura ſit mens Dei, atque maieſtas, vt nullâ iracundiæ paſſione moueatur; tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio eſt, vt per nos cogatur iraſci: Vim, vt ita dixerim, facimus pietati ſuæ, ac manus quodammodo afferimus miſericordiæ ſuæ. Cúmque eius benignitas ſit, vt velit nobis iugiter parcere: cogitur malis noſtris, ſcelera, quæ admittimus vindicare. Vt ſicut illi ſolent, qui munitiſſimas vrbes obſident, aut firmiſſimas arces vrbium capere, & ſubruere conantur, omnibus abſque dubio eas, & telorum, & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandam miſericordiam Dei, omni peccatorum immanium ſcelere quaſi omni telorum genere pugnamus.* Hæc Saluianus. Quæ verba ſic accipe, vt nulla creata naturæ etiam omnium hominum ſcelera vim inferant voluntati Dei, aut illius libertatem labefactent: libetè punit, ſicut liberè parcit; ſed quia propenſiorem ad abſolutionem delicti, & ad pietatem, ex operibus cernimus; quando contra maiorem propenſionem caſtigat, in effectis ad extra, tanquam coactus, & inuitus operatur.

Saluian. Deus à nobis cogitur, vt noſtra peccata caſtiget.

Arcem miſericordiæ Dei noſtri ſceleribus oppugnamus.

DISCVRSVS IV.

Cùm peccator punitur, plus laboris, & doloris oſtendit Deus, quàm cùm ipſe offenditur.

1. LICET Deus ſit omnis paſſionis, & mutabilitatis alienus, ſe exhibet glorioſum pietatis oſtentatorem, dum maiora ſigna doloris oſtendit in hominis caſu, & ruina, quam in propria iniuria. Nec noua mœroris indicia in Deo, cùm plurimis abhinc ſæculis ſint prolata. Cùm conſilio decerneret aquarum turbinibus immergere, & totum delere orbem; ac ſi anxium doloris affectum ſuſtineret, ſic fatur Geneſ.cap.6.verſ. 6. *Tactus dolore cordis intrinſecus. Delebo, inquit, hominem, quem creaui.* Cor eius dolore pulſatur, dum de obruendo fluctibus aquarum orbe, & perdendo homine ſuis manibus plaſmato deliberat; nonne exaſperatur, & cruciatur delictis, ardétque dolore, cum cernit hominum genus in omne nefas, & improbitatem effrenatè effundi? Dolet equidem, ſed maiora præbet mœſtitiæ ſigna, cùm caro hominis, diluuio peritura deſtinatur. Talem doloris affectum expendit in hoc loco Abulenſis quæſt. 11. in cap. 6. Geneſ. dicens: *Dicitur Deus doluiſſe, quia puniturus erat totam multitudinem generis humani: ideo quaſi compatiens dolebat de malo, quod eis illaturus erat.* Eadem eſt mens Gloſſæ Lyræ. Licèt malorum cumulus ad ſupplicium impelleret Dei manum, cataractáſque cœli aperiret, vt imbres inſtar torrentis, & fluminis impluerent, iiſque orbem luxuriarum ſpurcitiis ſordidatum eluerent. Intus dolet, & lamentatur inſtar parentis in filium indulgentiſſimi, quem diſcrimini, & morti propria tradit manu.

Deus dolet cùm hominem delere decernit.

Abulenſ.

2. Cruci ſuffixus Ieſus, blaſphemiis, & opprobriis, impetitus, quæ effutire audebant venenatæ Iudæorum linguæ, ſimili doloris, & pietatis commouetur affectu. Iuxta ſancti Auguſtini placitum, hæc verba ex Pſalm. 68. verſ. 21. Ieſus in Cruce loquitur: *Improperium expectauit cor meum, & miſeriam.* Proſpectabat de Cruce probra crucifigentium, & ignominiæ notas, quibus inurere conabantur Deitatem, & humanitatem ſuam; intendebat in calamitates, & ærumnas, quas paſſurus erat Iudæorum populus, plus cruciatur, plus dolet de populi ruina; dum voluntaria obliuione conterit proprias contumelias. In hoc loco eminet Auguſtiniani ingenij acumen, dum inquit: *Opprobrium expectauit cor meum, & miſeriam. Sed miſeriam cuius? Expectauit enim miſeriam, ſed magis crucifigentium: vt in illis eſſet miſeria, in ipſo miſericordia: Miſeriam quippe illorum miſerans etiam pendens in Cruce: Pater, inquit, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Cernebat corpus ſuum vibicibus liuidum, innumeris pene cruoris riuulis exangue, innumera iniquitatum multitudine tanquam velo, & nube obſcuratum, & inhonoratum Deitatis ſplendorem; corporis membra tormentorum immanitate diſtracta: *Propriam expectauit miſeriam, ſed magis crucifigentium.*

D. Auguſt. *Ieſus in cruce plus dolet de Iudæorum ruina quam de ſua iniuria.*

D. Auguſt. *Ieſus à cruce miſeriã crucifig. ntium proſpectabat.*

3. Intueri etiam licet apud Matthæum Euangeliſtam dum Scribas, & Phariſæos obiurgat, velut obliuione quadam eorum vitia ad tempus obruentem, Ieroſolymæ vaſtitatem deplorantem. Matth. cap. 23. verſ. 37. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas.* Vbi aptiſſimè Chryſoſtomus tom. 2. hom. homil. 46. ſcribit: *Ecce ipſe eos miſerabili lamentatione plangebat, dicens: Ieruſalem, Ieruſalem: nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim ſic dolet quia ipſe ab eis offenditur, ſed quia quaſi violenter cogitur, perdere aliquem, qui omnes cupit ſaluare.* Plus dolet de alicuius perditione, & ruina, quàm cum ab eo offenditur. Vnde maius Dei ſupplicium, quod in peccantes infligit, eſt terum ſuarum non compati, nec de ſuis calamitatibus dolere.

D. Chryſoſt. *Ieſus dolorem maiorẽ oſtendit cum hominem punit, quam cum ipſe offenditur.*

4. Prouerb. cap. 1. hunc terrorem damnationis, & immanes minas in peccantes Deus iactat, vt à via mortis, & perditionis ad rectum virtutis tramitem traducat. ibi verſ. 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis, id, quod timebatis, aduenerit*: ad quem locum Græci Patres in catena ſic ſcribunt: *Aſt intemperatioris linguæ dixerit fortè quiſpiam. Diuinámne ergo ſapientia ob hominum interitum gaudet? Reſponſio eſt: Deum Optimum Maximum de noſtra pernicie nequaquam ridere, neque de noſtris miſeriis, ac peccatis gaudere. Verum hæc aliáque eiuſmodi non abſque graui comminatione nonnunquam afferre, quo nimirum ad ſalutarem pœnitentiam, peccatorúmque deteſtationem nos excitet.* Quaſi maximum malum damnatorum ſit, quòd diuinum Numen iis irrideat, & non compatiatur; Numen inquam, quod magno dolore pulſatur calamitatis alienæ.

Magnũ damnatorum ſupplicium quod de iis rideat, & non doleat Deus.

Caten. Græc.

Verſ. 15. Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

COMMENTARIVS.

1. REIICIT Deus in præcedentibus ſacrificia, nunc orationes, & ſupplicationes deſpicit. Leuare manus, ſupplices tendere ad ſidera palmas, habitus eſt orantis; itàque iratus Deus faciem ſuam auertit, repetitas orationes, & clamores non exaudit. Et rationem ſubiungit: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Id eſt peccatis. Etenim Deus non ſuſcipit orationes impuris manibus oblatas. In ſacra Scriptura nomine ſanguinis grauiora peccata denotantur. Oſeæ cap. 4. verſ. 2. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Chaldæus: *Aggregant peccata peccatis.* Secundò, ſanguis denotat peccatum homicidij. Pſalm. 5. verſ. 7. *Virum ſanguinum.* Id eſt virum ferocem, crudelem, fundendo ſanguini deditum, abominabitur Dominus. Quia Dauid occidit Vriam vocauit illum Semei virum ſanguinum, 2. Reg. cap. 16. verſ. 7. & Nahum propter homicidia vocat Niniuem, ciuitatem ſanguinum. Sic in præſenti manus plenæ ſanguine, id eſt, homicidiis; Iudæorum etenim manus interfectorum hominum madebant cruore. Quæ expoſitio congruit cum ſubſequentibus, in quibus dicitur, quod ciuitas Ieroſolymitana plena erat homicidiis verſ. 22. interfecerunt Iudæi Prophetas, & Dominum Prophetarum: ſicut ipſe conqueritur Matthæi c. 23. à verſ. 34. & in parabola vineæ apprehenſis ſeruis alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt. Iterum miſſis aliis ſeruis fecerunt illis ſimiliter. Denique de medio ſuſtule

Iudæorũ ſupplicationes Deus deſpicit.

Sanguis pro peccato accipitur.

Iudaicæ manus interfectorum madent ſanguine.

ſuſtulerunt heredem. Matthæi cap. 21. de peccato Deicidij hæc verba exponit ſanctus Cyrillus dicens: *Prophetas trucidarunt, ipſique Chriſto omnium noſtrum ſeruatori impias manus attulerunt. Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Auertit autem faciem Deus, & Pater, quippe non ſuſtinens videre manus homicidarum, filij ſui ſanguine rubentes.* Et ſanctus Baſilius exponit eleganti ſimilitudine: *Si quiſpiam filium alicuius vnice dilectum neci tradiderit, iſque manus, filij ſanguine eatenus cruentatas, ſupplex ex, porrigat ad patrem vehementer illi infenſum, dexteram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipſum veniæ locum inueniat. An non reſponderemus filij ſanguinem in manu filicidæ ad iram tanto acrius exacerbare Patrem tali iniuria affectum? Equidem Iudæorum preces ſic ſe habent, ad quas cum manus extenderint, Deo, & Patri memoriam renouant piaculi in Vnigenitum filium admiſſi, perque ſingulas extenſiones, manus ſuas oſtentant ſanguine Chriſti plenas.* Hæc ille.

D. Cyrill. *Iudæorũ manus ſanguine filij Dei aſperſæ.* *Auertit Deus oculos à manibus filij ſui ſanguine cruentatis.* *D. Baſil.*

Verſ. 16. Lauamini, mundi eſtote; auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſè.

COMMENTARIVS.

Ad Baptiſmi & pœnitẽtiæ lauacrũ Iudæos Iſaias hortatur.

2. CVM ſacrificiis, & victimis, quas Deus ſuprà reiecerat, lotiones illas, & purificationes cum ſanguine vitulæ hyſſopo, & cocco ſimul aſpernatur; nunc verò ad aliam diuiniorem purificationem Baptiſmi, & pœnitentiæ Iudaicum populum Iſaias hortatur, quibus tanta vis, & facultas ex meritis Chriſti ineſt candidandi animos, & ſuper niuem dealbandi, vt etiam ſpiritales animorum veſtes, & ſtolas, eorum, qui Chriſtum occiderunt, eius aſperſas, & imbutas ſanguine, abluant, & emundent. Lauamini, inquit Iſaias, quaſi diceret: manus veſtras Prophetarum, & Chriſti Domini cruore ſuffuſas, & cruentatas, per Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ abluite, applicato eodem ſanguine, quem fudiſtis. Ego emundandorum ſcelerum atrociſſimorum, quæ ſuprà enumeraui, idololatriæ, Sodomiæ, homicidij, & Deicidij, quibus manus veſtras inquinatis, nullum aliud remedium inuenio, niſi cœleſte illud Chriſti lauacrum, & Deifici ſanguinis meritum. Et dicit, lauamini vos, vt homo ad ſpiritus emundationem aliquem laborem impendat; & ſciat, quod lauare ſe, & grauiſſima mundare delicta, cum adiutorio Dei, in ſua ſitum eſt poteſtate. Vide Dei clementiam; ſuprà dixerat: *Nequaquam dimittam peccata veſtra*; nunc ad pœnitentiam populum excitat, & ad miſericordiam inuitat; nam proprium eſt Prophetarum in perſona Dei loquentium, fulgura, fragoreſque minarum, quibus metum incutiunt peccatoribus, vt à peccatis reſipiſcant, in ſerenitatem poſtea conuertere, & increpationis duritiem, Dei pietate frangere, & miſericordiâ temperare.

Homo in purificatione animæ laborẽ impendit.

Cor ab improbis cogitationibus mundandum.

3. AVFERTE MALVM COGITATIONVM VESTRARVM AB OCVLIS MEIS.] Maximam munditiam Deus requirit, vt non ſolùm à ſceleratis operibus abſtineant, ſed etiam à prauis cogitationibus, vt manus ſimul cum corde emundent, quia cogitationes improbæ peccatorum, oculis diuinæ maieſtatis diſplicent, Deus enim intuetur cordis intima.

4. QVIESCITE AGERE PERVERSE. DISCITE BENE FACERE.] Hæc vtraque verba ſimul connecto. Via virtutis duo continet extrema, ſeu terminos; alter eſt, recedere a malo; alter, ad quem tanquam ad ſcopum tendit, facere bonum. Hæ ſunt duæ iuſtitiæ partes, vt notat S. Thomas hic, & in Pſalmum 36. verſ. 25. *Declina à malo, & fac bonum.* Vbi annotat, quod aliquando ponitur prius boni operis exercitium, & poſterius declinatio à malo Pſalm. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Quia ordine intentionis prius eſt bonum, ordine executionis prior eſt vitatio mali.

Viæ virtutis termini duo exiſtunt, recedere à malo, & facere bonum. *D. Thom.*

5. Verbum *Quieſcite*, denotat perturbationes, bella, tumultus, quos in animo excitat peccatum; & veram quietem, & animi tranquillitatem ſine ceſſatione ab improbitate reperiri non poſſe. Verbum etiam *Diſcite*, denotat virtutem eſſe docilem, & homini amicam, & quod populus ille in ſcelerum, & vitiorum gymnaſio aſſuefactus, & doctus, mala, quæ didicit, dediſcat; & ad alteram diuinæ ſapientiæ ſcholam ſe conferat, vt ſub virtutis magiſterio, & diſciplina eruditus, bene viuere diſcat, & Dei præcepta cuſtodiat. Nam ſine laboris exercitio, & induſtria non comparantur habitus virtutis.

Improbitatis rixæ, & tumultus. *Virtus docilis.*

DISCVRSVS I.

Ex humano corde quantàlibet ſanctimoniâ decorato, impuræ, & improbæ cogitationes pullulant, ſed non afferunt damnum, dum non inferunt conſenſum.

1. FERE nullus hominis animus, qui ab hoc naturæ lapſæ contagio reperiatur immunis, quem impuri, aut vani cogitatus tanquam ſpinæ, & ſentes, quas carnis noſtræ terra germinare conſueuit, aliquando non pungant. In quo ſenſu ſanctus Hieronymus ea verba vſurpat Eccleſiaſtæ cap. 7. verſ. 29. *Virum de mille vnum reperi.* Sanctus Doctor ſic fatur: *In multis quippe ſtudioſis, & quotidianâ meditatione ſudantibus, vix inuenitur cogitatus purus, & viri dignus vocabulo.* Hæc quippe eſt humani cordis natura in improbitatem proni, in inſtabiles, & volatiles cogitationes facilè illabi, quæ viri dignitatem dedeceant, & ipſius ſinceritatem emaculent. Et ſi inſtar vigilis coloni ſenſus ſui tellurem ſarculo, & ligone ſarriat, & à dumetis expurget, demeſſa pullulant, & abſciſſa germinaſcunt.

Impuri cogitatus ex corde humano pullulant. *D. Hieron.*

2. In cuius rei ſymbolum hæc lex a legiſlatore proponitur Leuitis Numer. cap. 8. verſ. 7. *Radant omnes pilos carnis ſuæ.* Sed cur non iubentur euellere pilos, ſed radere? Reſpondet ſanctus Gregorius Magnus lib. 5. moral. cap. 24. *Leuitarum pili radi præcepti ſunt, non euelli: raſis etenim pilis in carne, radices remanent, & creſcunt, vt iterum radantur; quia magno quidem ſtudio ſuperflua cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt. Semper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſolicitudinis reſcidat.* Abraſi pili iterum renaſcuntur, cùm vegetabilis vitæ principium in carne, & cute remaneat; ita cogitatuum exuberans pullulatio abſcindi poteſt, penitus eradicari nequit, dum halitum vitæ trahimus; ſicut

Cur radi, non euelli pilos carnis præcipitur Leuitis? *D. Greg. Magn.* *Superfluæ cogitationes amputari poſſunt, radicitus extirpari non poſſunt.*

ſicut in horto florum varietate, & areolis aromatum, & pigmentariorum vernante, tribulos, & lappas inuenies, quas falce ſolicitudinis demetas.

3. Cogitationum noſtrarum naturam duplici, aptáque ſimilitudine explicat ſanctus Chryſoſtomus homil. 2. in c. 1. ad Romanos, ſcribens: *Talis eſt enim cogitationum natura: labyrintho enipiam, ne gryphus ſimilis eſt, nullum vſquam finem habens, neque ancedens cogitationem ſtare ſupra petram.* Labyrinthæcas moles æquo iure nuncupat occurrentium, & ſe occurſantium cogitationum acies: ſicut enim labyrinthus multis viarum ambagibus, occurſibus, & recurſibus, mæandriſque ſinuoſis, & inflexus eſt; ita ſinuoſæ, & obliquæ animi varia cogitantis viæ, dum enim ad cœleſtia aſpirat, ad terrena repente dilabitur; & dum viam virtutis animo cepit, ad vitiorum itinera ſeutim inflectitur, nunc luxuriæ callem cuſſitat, nunc ad auaritiæ diuerticula remeat; nunc ad ſe rediens retro actus animus, dum variarum cogitationum flexibus, & ambagibus conſtringitur, a ſeipſo egredi nequit, quaſi labyrintho clauditur.

D. Chryſoſt.
Humanæ cogitationes labyrinthis, & Gryphis comparantur.
Labyrinthus.

4. Gryphis quoque cogitationes Chryſoſtomus æquiparat; ſunt Gryphes animantia pennata, & quadrupedia, omni ex parte leones, in aquilinas alas, & facies deſinentia. Vnde Philoſtratus lib. 3. cap. 14. de vita Apollonij, ait: *Magnitudine autem ac viribus leonibus pares illas eſſe tradunt, & ob petrarum cupiditatem ſibi inuicem inſidiari.* Et paulò ante: *Petræ ſunt aureis guttis minutiſſimis conſperſa, quas hæc fera roſtro diſcindit.* Gryphes ſunt variæ animorum cupiditates. Volatilia, & pennata, propter velocem curſum, & volatile deſiderium, leones propter immanitatem, quâ ſe ipſas, & pectora, quæ informant, propter contraria deſideria diſcerpunt, roſtris, & vnguibus quouis leone, & aquila crudelioribus.

Quæ fera ſit Gryphus?
D. Chryſoſt.
Philoſtr.

5. Noſtrarum cogitationum flexus, & reflexus; occurſus, & recurſus, earumque confuſos tumultus eleganter deſcribit ſanctus Petrus Damianus ſerm. 60. in vigilia Natalis Domini, mundum cum flumine comparans: *Primus (inquit) huius fluminis riuus eſt cogitatio mala; riuus exundans; & qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluuiarum, feneſtras corporeorum ſenſuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infuſus adminiſtrant. Occurſat aſpectui mentis quod vidit, & audiuit; quod odorauit, & guſtauit; quod palpauit, & tetigit; & plerumque quod ſimplici oculo aſpeximus, verſipellis contortor, ad offendiculum retorquet, & ſcandalum. Fingit ſimilitudines, imagines pingit, colores aptat, & in thalamo mentis vniuerſa conuoluit; ſi forte conſenſum eliciat, & inficiat affectum. Offert horribilia de diuinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei inſtitutione, & in alueolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confeſſione euomere peccator oneratus exhorret.* Et paulò pòſt ſubiungit: *Quis in hoc riuo, vel merſum, vel ſubmerſum ſe eſſe negauerit? Videtis quam turbidus torrens, & limoſa regurgitans cœnoſitate, qui vix, aut nunquam ad hoc ducitur, vt penitus exſiccetur: non puto, quod ille, qui clauſit cœlum oratione, clauſerit animum a cogitatione; vt facilius ſit cœlum obſerare, quam animum.* Aquatiles riuos, & pluuiatiles nubes oratione Elias fugauit, qui velociſſimi imbris frænauit curſum, & fidelibus ſeris cœlorum cataractas obſtruxit, animi portas claudere non potuit, quin aliqua cogitatio intus ſeſe inſinuaret. Facilius à cœlis arcere aquarum fluxus, quàm cogitationum turbines ab animis propulſare.

Cogitationũ tumultus deſcribitur.
B. Petr. Dam.
Varias menti imagines obiiciunt corporis ſenſus.
Diabolus horribiles cogitationes contra Deitatem, & fidem animæ infert.
Qui clauſit cœlũ oratione non clauſit animum à cogitatione.

P. A. Luc. de Arconis in Iſaiam.

6. Habet enim homo intus ciuitatem, & regnum, & per ſenſus corporis hoſtes ſui, merces pulchrorum, & delectabilium, tanquam per portas inferunt; caro ipſa cum aduerſario habet amicitiam, & commercium, ipſique ſubdolè detegit, & aperit intimas animi cupidines, quibus ad cumulum expletis, perpetua lucatur ſceleſta; ex iniquis cogitationibus praua opera, tanquam fructus, & viuras iniquus exactor extorquet. Cuius dolos, & fraudes exhorret Regius Pſaltes Pſal. 54. verſ. 10. & 12. *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Et non defecit de plateis eius vſura, & dolus.* Quæ verba accipe iuxta mentem Arnobij Africani aientis: *Non defecit de plateis eius, hoc eſt de cogitationibus eius vſura, & dolus. Si inimicus maledixiſſet mihi, id eſt, ſi ipſe Diabolus per ſe mala loqueretur aduerſum me, quia certus ſum quod me oderit, abſcondere me ab eo. Tu verò notus meus, id eſt homo meus exterior, homo vtique corporalis, qui ſimul mecum dulces communicas cibos in menſa myſterij, tu contra me agis, tu cum inimicis meis delectaris, in conſiliis eorum per te veniunt ad me, veniat mors ſuper eos.* Quid iniquius, quam conſilia cordis intima propalare hoſti? Ipſumque conuocare ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, vt ipſam expugnet, & poſſideat, & ſuæ victoriæ vexillum erigat? Infidus cuſtos, & amicus corpus, quod clanculum cum hoſte ſentit; & animi patefacit conſilia, & propugnaculum cordis prodit. Notus tuus, domeſticus tuus, proditor tuus, ipſe leuat contra te calcaneum, blandos, & adulantes cogitatus excitans, robur animi eleuare, & totum hominem ſupplantare ſatagit.

Senſus corporis cũ aduerſario n ſtro commercium, & familiaritatem ineũt.
Arnobius.

7. In lege leproſi mirum quiddam a legiſlatore profertur. Leuitici cap. 13. à verſic. 10. *Cum color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro, viua apparuerit; lepra vetuſtiſſima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum Sacerdos, & non recludet, quia perſpicuæ immunditiæ eſt. Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit, conſiderabit eum Sacerdos, & teneri leprâ mundiſſimâ iudicabit.* Quid hoc myſterij eſt; cùm in cute capitis lepra effloruit, leproſus ſeparatur, & quodam relegatur exilio, & immundus aſſeritur; cùm lepra totum à capite ad pedes corpus operuit; ab immunditia eripitur? Potiùs, inquit Philo Iudæus lib. *Quod Deus ſit immutabilis*, contrarium fore aſſerendum, ſic enim ſcribit: *Quilibet probabiliter coniectans diceret contrarium, lepram, quæ vltra paruam corporis partem non diffunditur, minus impuram: per totum verò diffuſam impuriorem videri.* Idem Philo perſpicacitate, & acumine mentis nexum difficultatis ſoluit dicens: *Duplex, & duobus coloribus variata lepra, voluntarium vitium ſignificat. Iniquitates inuoluntaria, vel maximæ abſoluuntur, nec inquinant, cum graui accuſatore careant conſcientiâ. Voluntariæ verò etiamſi non latè pateant, tamen pro animæ tribunali conuictæ inſanabiles, pollutæ, impuræque iudicantur.* Lepra, quæ in minori parte corporis apparet, non ſolùm albicat, ſed etiam rubeſcit, duplicique colore reſplendet, vt immunditiam denotet ſimul cum voluntatis conſenſu; ex hac enim lepra plus impuritatis animo accerſit, cùm eum peccati macula deturpat; at lepra per totum corpus diffuſa niueum tantùm, non roſeum tegerens candorem, impuros affectus, & cogitatus deſignat, ſed inuoluntarios. Plures enim motus, improbos, & lutulentos carnis affectus etiam ſancti pa-

Munditia, & immunditia lepra.
Philo. Iud.
Cur lepra in toto corpore diffuſa, pura; in parte corporis apparẽs impura ſit?
Philo Iud.
Voluntarium vitiũ inquinat; inuoluntarium non inquinat.
Cogitatio inuoluntaria animum n n deturpant.

giuntur inuiti, quorum contagio, & fœditate non inquinatur animus, ſed in ſuſtinentiæ ſtadio fortior, & illuſtrior redditur; meritiſque cumulatior. Fortis, & iuſti viri animus impuritatibus carnis circumdatus, titillationibus ſenſuum non adlubens, non arridens, & inter lubrica huius mundi, firma tenens veſtigia; ſicut Solis radius inter ſpurcitias, & ſordes incontaminatus, & illæſus tranſit.

Discursvs II.

Magnum, & difficile certamen, belligerare, nullis datis induciis, cum hoſtibus noſtrum aſpectum fugientibus; at ſi cupis ſubigere perduellem, quem non vides, prælijs frange hoſtem, quem cernis.

Verbum Dei carnem aſſumpſit, vt in carne viſibili hoſtes inuiſibiles vincat.

1. VERBO Dei, in aſſumptione humanitatis, vna inter alias præfixa eſt intentio, vt in corpore ſuo hoſtiles incurſus vincens, in carne viſibili hoſtes inuiſibiles ſuperare docuiſſet. In medium produco huius veritatis teſtem Sophoniam Prophetam cap. 3. verſ. 14. fantem. *Lauda filia Sion iubila Iſrael, lætare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Auertit Dominus inimicos tuos. Rex Iſrael Dominus in medio tui.* Ad profuſiorem lætitiam, & feſtiua gaudia Ieroſolymitarum animos excitat Vates, vt præ nimia exultatione geſtiant, non tam propter victoriam de Aſſyrio reportatam, quando eos Dominus manu valida de Chaldæorum vinculis, & foueis eripuit, quam propter aliam ſubliniorem victoriam, quam Sophonias præmeditabatur, redemptionem nimirum generis humani ab Aſſertore Chriſto perfectam.

Redemptio generis humani à Sophonia prædicitur.

Lect. LXX.

Quapropter Septuaginta, vbi ſcribit Vulgatus: *Auertit Dominus inimicos tuos*; legunt: *Redemit te de manu inimicorum.* Eò enim tendit vaticinij ſcopus, vt homo hymnis, & canticis nomen Domini ad cœlos vſque extollat, & celebret; quia poſtquàm Verbum carnem induit, homines docuit in carne viſibili ſuperare hoſtes inuiſibiles: Ideò ea verba connectit velut vinculo aureo; *Dominus in medio tui, auertit Dominus inimicos tuos.* Dominus factus homo in medio tui tanquam bellator fortis, vt hoſtes ſuos propulſet. Audiendus eſt ſanctus Cyrillus Alexandrinus in huius loci commentario: *Gaudere vehementer* (inquit) *& exultare mirificè, & toto pectore delectari omnino iubet, ab hoſtibus non aſpectabilibus, ab intelligibilibus Aſſyriis damna, & clades effugientes, & iſſum habentes, & medium in forma noſtræ viſum vniuerſorum Regem.*

D. Cyrill.
Ieſus aduentu ſuo ab hoſtibus inaſpectabilibus victoriã reportauit.

Quando humani generis aſſertor in medio noſtrum apparuit, vnitã ſibi hypoſticè fragilitatis noſtræ ſubſtantia, manum conſerere cum hoſtibus, eoſque detriumphare docuit, vnoque ictu duos acerrimos inimicos proſternere, dum enim ſubigis inimicum aſpectabilem, hoſtem inaſpectabilem in tuam redigis poteſtatem. Hoc enim victoriæ magiſteriũ Chriſto triumphatori ſeruabatur: *Medium in forma noſtra viſum.* Vt in carne viſibili, quam gerebat, hoſtes inuiſibiles detriumpharet. Reſidet in medio Agonotheta noſter præmia luctatoribus diſtribuens, & coronas. Ideò ſubdit S. Cyrillus: *Ipſe eſt coronarum diſpenſator.* alliciens homines muneribus gloriæ, vt in carne viſibili deijciam hoſtem inaſpectabilem, & carne tua dæmones, qui ſpiritus ſunt, vincas.

Ieſus duos hoſtes vno ictu proſternere docuit.

2. Magna fortitudinis oſtentatio eſt infirmiori manu robuſtiorem, & nobiliorem perduellem profligare. Aptè ergo Heſychius Presbyter centuria notum. 47. hæc verba protulit: *Mens cum mente, modo non aſpectabili pugnat, mens quippe dæmonis cum mente noſtra. Quapropter ex intimo cordis, in ipſo pugnæ momento, clamare debemus ad Chriſtum, vt dæmonis quidem mentem procul abigat, ac velut perhumanus victoriæ præmia donet.* Digna plauſu Heſychij ſententia: *Mens cum mente modo non aſpectabili pugnet.*

Heſych.
Mens cum mente, modo inuiſibili pugnat.

Quando cum cogitationibus, & phantaſmatibus à Dæmone immiſſis, homo certat, videtur præliari cum laruis; ſicut enim homo, qui contendit cum noctium occurſaculis, buſtorum formidaminibus, aut ſepulcrorum terriculamentis, timore correptus, gelidoque ſudore madens: gladium ſtringit aduerſus aërem, & vmbras; at his omnibus erit ſuperior, quando ſe ipſum vicit, & a pectore diſpulit formidinem: ſic moleſta, & vana cogitatio, ſi te inſtar laruæ vmbratilis, aut ſpectri inanis territauit, noli diuerberare aërem, ſed cum Paulo Apoſtolo caſtiga corpus tuum; & in ſeruitutem redige, improbos coërce motus, & portetis palmã victoriæ.

Qui pugnat cum phãtaſmatibus à Dæmone immiſſis, ſimilis eſt ei qui præliatur cum laruis, aut ſpectris.

Non diuerberandus aër, ſed corpus caſtigandum.

3. Huius luctæ diſcrimen exaggerat S. Ambroſius, ait enim, charactere, & Cruce Chriſti ſignatos, ad moleſtum, & laborioſum certamen prouocari. Sic enim ſcribit in titulo Pſalmi 43. *Luctandum eſt igitur aduerſus huius carnis illecebras, & feruorem ſanguinis; luctandum eſt aduerſus nequitias ſpirituales.* Duo te laniſtæ in agone expectant, alter corpus, quod voluptatum illecebris eneruare conatur mentis vigorem; alter Diabolus, qui eminus pugnat, & cominus ferit; vulnus ſagittæ illius, & ictum lapidis ſentis, ſed manum non cernis; tanto fraudulentius, & noxius bellum, quanto à conſpectu tuo hoſtis fugacior. Ideò ſubiungit Archiepiſcopus Mediolanenſis: *Nemo grauior domeſtico aduerſario, nemo nocentior hoſte eo, cui cæleſtis ſubſtantiæ potentia ſuffragatur.* Hoſtis truculentus caro, ſed maius infert damnum, cùm implacabilis inimicus, qui nulla carnis mole præpeditur, quique purus eſt ſpiritus, puritati, & virtuti infeſtus, de cœlo deturbatus, ſuppetias, & auxiliares copias adfert, vt vecordiã, & calliditate hominem illaqueet, ſed diſrumpe vincula, & ab vtroque hoſte eris expeditus.

D. Ambr.
Duo aduerſarij quibuſcum homo pugnat.

D. Ambr.
Hoſtis ſpiritualis ſubſtãtia nocentiſſimus eſt.

4. Spiritalis certaminis athleta fortiſſimus Dauid, quem Deus ceu gladiatorij ludi magiſter inſtruxit, hymnum cecinit in gratiarum actionem pro militaris diſciplinæ documentis, ſcilicet, Pſalmum 143. verſic. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Ipſe alumnum in palæſtra inexercitatum, in campum duxit, docuit verſare gladium, ictus notare, cæſim, punctim in aduerſarium inuehere, ſeſe venuſtè ſubtrahere, aut totum inferre; ipſe docuit verberare, fundam contorquere, & iactare lapidem, & in fronte Gigantis infigere. Ipſe euaginare, & ſtringere gladium, & ſpurij Philiſthæi amputare ceruicem. Hoc exprimit Pſalmi titulus, qui ſic inſcribitur: *Pſalmus Dauid aduerſus Goliath.* Ad internum, & ſenſibile certamen, quo caro, & ſpiritus pugnant, & ſibi inuicem aduerſantur ſuffragante rectore tenebrarum; Eleganter, & acutè transfert Dauidis prælium S. Auguſtinus dicens: *Graue bellum, & quod eſt moleſtius internum.*

Deus Dauidem inſtruxit ad prælium.

D. Auguſt.
Graue, & moleſtum internum bellum.

In

Qui carnem vincit Diabolum ſuperat.

In quo bello ſi ſit quiſque victor, illos, quos non videt inimicos, continuò ſuperabit. Non enim tentat Diabolus, vel Angeli eius, niſi quod in te carnaliter dominatur. Nam quo modo vincimus illos hoſtes, quos non videmus, niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus? His confligimus: illis percutimur, & illos percutimus. Ipſe vt pugnet contra te arma vſurpat de te, de armamentario tuo arripit gladium, & peltam, illecebris tuis ſtruit inſidias; ipſe fortis, fragilitate noſtrâ vtitur ad nocendum: vince fragilitatem tuam, & fortiorem ſuperaſti, ſubige, quod in te ſentis, & proſtratum, & reuinctum tradam tibi hoſtem, quem non vides, quem non ſentis. In tua ſitum eſt poteſtate inſidias, & fallacias diſturbare hoſtium, dum in prælio, quo membra corporis militant aduerſus animam non ſuccumbis; Diabolus ad pedes tuos procumbit, petis iugulum gladio, ipſumque transfodis. Quàm præclara forma triumphi, inquit Aurelius, vno ictu, & percuſſione duplex inimicus concidit, ſimplex eſt victoria, & geminatur palma, quia dum compeſcis hoſtem, quem ſentis, deiicis inimicum, quem non ſentis.

Cur Diabolus ea verba: ſi filius Dei es, toties vſurpat?

5. Sæpiſſimè occurſat menti illa Chriſti Domini nomenclatura à Dæmone, & Iudæis toties repetita, *Si filius Dei es.* Matthæi cap. 4. ſemel, & iterum Archidæmon ea verba protulit. Cùm Ieſus in Cruce ſuſpenditur Iudæi eadem verba ex ore Dæmonis rapuerunt, Matth. cap. 27. verſ. 40. *Si filius Dei es, deſcende de Cruce.* Diabolus, & Iudæi deſcenſum Chriſti cupiunt, ſed non ad inferos, vt tartara ſpoliet, & animas ſanctorum de mortis faucibus eripiat, ſed vt impatientia victus, ſuppliciorum violentiæ ceſſiſſe videretur: Cur, tametſi conditione infidelitatis, filij diuinitatem maledicis verbis toties vſurpant? Vt humanitatem blaſphemantes, quæ obtutibus patebat humanis, obſcuram nubem obtenderent inuiſibili Deitati.

Ieſum impatientia pulſari contendunt Dæmones, vt per humanitatē deuictā Deitatem ſuperent.

D. Chryſoſt.

Do tibi verba ſancti Chryſoſtomi tom. 1. in Pſalm. 2. *Quia enim Deus in carne erat, qui crucifigebatur, & qui ſub viſum non cadebat; in eo quod videbatur, afficiebatur iniuria.* Cùm duplici hoſte (inquiunt Scribæ, & Phariſæi) nobis certandum eſt, alter eſt aſpectabilis, alter inaſpectabilis; aſpectabilem, ſcilicet corpus turpiſſimâ Crucis morte mulctemus, obruamus maledictis, vt pulſetur impatientiæ crimine, & inaſpectabilem hoſtem, ſcilicet Verbum Dei, victum remanere gaudebimus. Et licet omnium facta ſint irrita conſilia, ex his patuleſcit, quam facilè deiicitur inimicus, qui non videtur, ſuperato hoſte, qui videtur.

Herculis triūphus de Faunis, & Centauris reportatus proponitur.

6. Inter inuicti Herculis egregia facinora, illud non extremo loco reponit Diodorus, ſcilicet de Faunis, & Centauris reportatum triumphum. Agrorum, & ſyluarum Dij, monticolæque Syluani vario armorum genere inſtructi contra Herculem deſcribuntur ab ipſo Diodoro Siculo lib. 4. Hiſtoriæ cap. 12.

Diod. Sicul.

A matre Deorum Natura velocitas equorum, ferarum bicorporum vires, hominúmque intellectus, & ſolertia ineſſet, & horum alij piceis radicitus euulſis, alij grandibus petris, nonnulli ſuccenſis facibus in prælium ruebant. Hercules mirâ virtute debellauit interfectis plurimis, reliquiſque in fugam diſſipatis. Præclara forma victoriæ, ſi eam Chriſto adaptaueris (vt humana famulentur diuinis) qui Hercule potentior, Dæmonum acies, quos Satyri ferarum bicorporum, monſtra referentium, viribus calliditate, & ſolertiâ exprimebant, facilè ſuperauit. Bellica Satyrorum inſtrumenta, telorum apparatum innuebant, quibus Dæmonum phalanges diuinum Herculem Ieſum in monte ieiunij tanquam in arena certaminis adorti ſunt. Superbiæ telum in pinea arbore exprimitur, quæ faſtu quodam ramuſculorum turgentium coniferam comam ad ſidera extollit. In accenſis facibus auaritia præfulget, quæ auri cupidine animum accendit. Nec deſunt lapides: *Alij grandibus petris.* Cernè Dæmones ſaxis armatos! *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Hercules vno certaminis congreſſu, duplicem manum hoſtium diſpulit, & Satyros vicit, & Diuos ipſos, qui ad manum conſerendam cum Hercule Satyros incitauerant, facilè diſſipauit. Occiſis viſibilibus hoſtibus contra inuiſibilia numina præualebat. Et Chriſtus Ieſus dum gulæ, auaritiæ, & elationis incurſus vicit, inuiſibiles Dæmones deiecit.

Faunorum vires, & arma.

Herculis facinus Chriſto conueniens Dæmonum ſuperanti inſeruit.

Dauid peccatorem nuncupat Semei.

7. Tenax propoſiti Dauid, vt aduerſus contumelias inuiolabile ſilentium reſeruaret. Pſalm. 38. verſic. 2. *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.* Peccatorem vocat Semei, ex Ambroſij ſententia, qui Dauidem inſectabatur ex montis ſupercilio, puluerem ſpargens, & maledictis laceſſens. Quàm profundo obruit ſilentio inſani militis probra Rex ſapiens, qui prouocatus ad vindictam à peltatis ſatellitibus, qui eius cingebant latera, exultantium militum prudentioribus verbis fregit audaciam, vt furenti Semei parcens Diabolum ſuggerentem improperia, & maledicta, inſanabili taciturnitatis lancinaret iaculo. Ad librum 2. Regum cap. 16. leges Hiſtoriæ ſeriem. Interim ſanctus Ambroſius impudentiam Semei miratur, quem tanquam furore correptum non perculit Regis reuerentia, nec timorem incuſſit armatorum militum manus. Hæc ſunt ſancti Ambroſij verba in Pſal. 38.

Dauid parcēs Semei aduerſus Diabolum præliabatur.

D. Ambr.

Neque enim tam præruptus foret, vt tanti Regis reuerentiâ moueretur, nec armatum eius timeret exercitum, cùm vnus de exercitu eius conuitiantem potuiſſet occidere. Cur ergo Semei ſanctum Regem maledictis oneṛat, ipſéque Dauid exprobrantem tolerat? Subiungit Ambroſius:

D. Ambr.

Amentem Diabolus fecerat, qui eum impellebat ad mortem; ideò Dauid aduerſus auctorem magis præliabatur, quam miniſtrum perſequebatur. Vidit inimicum à Dæmone correptum, & incitatum petulantiſſima inſectari lingua Regem, quem venerari debuiſſet; contra vtrumque hoſtem, & Semei, & Dæmonem tolerantiæ, & reticentiæ tela contorquet, vt vno ictu vtrumque proſternat, & viſibilem aduerſarium ſuperans ſilentio, de inuiſibili hoſte Dæmone triumpharet.

Discvrsvs III.

Eximium Chriſtianæ perfectionis decus, non tantum ab opere iniquitatis, etiam à cogitatione abalienare mentem: ideoque Verbum Dei carnem induit, vt improbos animi motus diſceres compeſcere.

Euangelica perfectio, victoria cogitationum.

1. TVBA Iſaiæ Prophetica dulcem illum edens concentum: *Auferte malum cogitationum veſtrarum*, Euangelicam perfectionem reſonat, cuius documenti exacta, & abſoluta obſeruantia, Chriſti temporibus ſeruabatur; neque enim Iſraël tot legalibus præpeditus, totque ſcele-

ſibus prægrauatos obſeruare ſtuduit illibatæ mentis cultum, aut nixus eſt aſcendere ad tantæ ſanctimoniæ faſtigium; quippe Euangelicis potiſſimum ſectatoribus dilatum eſt. Fuſa enim blanditiis illa priſca congregatio, ſicut equus indomitus his patere lupatis,& effrænes animi cohibere motus, detrectauit. Cùm ad deſertum Sin perueniret Iſraëliticus populus deficerentque fontes, & dulcis aquæ riui, qua ſitim reſtingueret; ſitis, & famis impatientiſſimus, cupiditatem bibendi, nec tantillo tempore ſuſtinere valuit. Numeror. cap. 20. à verſ. 2. *Cumque indigeret aquâ populus, conuenerunt aduerſus Moyſen, & Aaron: & verſi in ſeditionem dixerunt: vtinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino. Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, vt & nos, & noſtra iumenta moriamur? Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto,& adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum?* Deliciis,& animorum relaxatione innutritus populus itineris incommoda tolerare neſcit, nec ad ſeditionem, & probra incitatum pectus, æquitatis, & rationis retinaculis reuocare. Hoc infirmitati illius populi attribuit ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Exodum ſcribens: *O imbecillitatem: quàm impatiens cogitatio, & quàm procliuis ad ignauiam mens.* Et ſubiungit: *Neſcit itaque Iſrael preclarè rem gerere, neque affectuum incurſionibus fortiter reſiſtere. Hæc enim res non iis, qui ſunt ſub lege eſt reſeruata, ſed potius iis preparata, qui Chriſto Ieſu ſunt inſiti.* Necdum apicem eximiæ perfectionis attigerat congregatio illa, nec belligerare cum affectibus, & cogitatibus didicerat, donec veniret Magiſter, & Dominus Ieſus, ſub cuius vexillo militaret, & tanti Doctoris erudiretur diſciplina.

Iudaicus populus impatiens, aduerſus Moyſem, & Aaron ſeditionem excitat.

D. Cyrill Alexand. *Iſraël neſcit cogitationibus reſiſtere.*

Cogitationũ victoria perfecta legi Euangelicæ reſeruata.

2. Felix Iob, qui ante legem gratiæ, ſtrictioris obſeruantiæ vinculis animum ſuum adſtrinxit. Cuius pietas exuberans, Euangelij fuit præluſio, & ante Solem, vt ſidus fulſit. Dum filios ſuos ſimul conuiuari fraterna cogebat amicitia, & gratia, quàm cautus, quam ſolicitus de eorum ſalute; minus eſt, quod exterius crimen operis propulſare nitebatur ab illo pacis ſympoſio; Deo litabat victimam pro eorum animis, vt Deus metas figeret mentibus, ne in illicitum affectum, aut irrationabilem cogitatum proſilirent. Iobi animum penè diuinum depromunt ſacri textus verba. Iob cap. 1. verſic. 5. *Cùmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim: ne forte peccauerint filij mei; & benedixerint in cordibus ſuis.* Extrema verba ſic transferunt Septuaginta: *Dicebat enim Iob ne fortè filij mei in mente ſua cogitauerint mala erga Deum.* Immolabat hoſtiam pro ſingulis; vt ſi fortè irreuerens cogitatio filiorum animos fœdauerat, eximij Antiſtitis ſacrificio macula elueretur. Iobi mentem, & intentionem holocauſti examinat ſanctus Chryſoſtomus. tom. 1. homil. de Iob, & Abraham, dum inquit: *Iob dum tentatur, apparet ſcientia, quæ poſt multa tempore danda erat, Spiritu ſancto erudiente edoctus. Quintus enim erat ab Abraham, & nepos Eſau, & legem ſeruauit ſacrificando, & Euangelium, cùm cogitationibus certando. Vitulum enim ſacrificabat quaſi legem videns, & de internis cogitationibus ſolicitus erat, quaſi Euangelium ſpectans. Dicebat enim Iob: ne forte filij mei mala cogitauerint in corde ſuo contra Deum.* Et ſubiungit: *Oportebat, vt is, qui proficiebat, & ad perfectionis apicem aſcendebat, & propria rectè ageret, & pro pueris ſolicitus eſſet.* Iob ante Euangelium Euangelicus, ante aduentum Chriſti Chriſtianus, ad puritatis culmen aſcendit, præceptum Saluatoris de mundando corde ab impuro, & luculento cogitatu longè proſpectans, vt fidus ſeruus totum ſe ad Domini nutum fingens, officioſa pietate, ſummáque obſeruantia præueniens, nec valde arduum eſſe, aut laborioſum opere demonſtrauit.

Iob in lege naturæ cogitatus compeſcere docuit.

Iob pro cogitationibus filiorum holocauſtum offerebat.

Lect. LXX.

D. Chryſoſt. *Iob legem, & Euangelium obſeruans cũ cogitationibus decertabat.*

4. Hos compedes verbi, & ſalutis iniicere animo, ne in illicita currat, paſſionum coërcere motus, benedictio Ieſu eſt, quæ in Eccleſiam copiosè deriuata deſcendit. In diſceſſu Rebeccæ è paterna domo ad firmandum Iſaaci coniugium, mater, & fratres eius, fauſta, & proſpera precantur puellulæ, Geneſ. cap. 24. verſic. 60. *Imprecantes proſpera ſorori ſuæ, atque dicentes: ſoror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* In Rebecca, Eccleſia Chriſti demonſtrata eſt, cuius munus extitit obſerare animi feneſtras, & portas, ne in interiora cordis, & pectoris penetralia ſpolianda, hoſtis erumpat. Felix, qui ad cogitationum tumultus, & paſſionum irruentium incurſus, portas poſſidet, & pro foribus excubat, ne arcem mentis expugnent, Deúmque in aula cordis Regia inhabitantem exturbent. In Eccleſia Euangelica hæc ſanctus Ambroſius agnouit inſignia lib. de Iſaac, & anima cap. 3. ita fatus: *Simen tuum poſſideat aduerſariorum ciuitates. Decora igitur Eccleſia, quæ ex inimicis gentibus filios acquiſiuit. Sed poteſt hoc etiam ad animam deputari, quæ paſſiones corporis ſubigit; & ad virtutum officia conuertit; repugnanteſque motus ſibi obedientes efficit.* Ex quo enim verus Iſaac Chriſtus, Rebeccam, quæ Eccleſiam innuebat, arctiori vinculo charitatis ſibi copulauit, de paſſionum victoria eam inſtruxit, ad præceptum, & inſtitutum Euangelicum comprimendi improbas cogitationes erudiuit. Aptéque Septuaginta legunt: *ciuitates* pro *portis*; quam lectionem ſectatur Ambroſius: ciuitas, & Regnum intra nos eſt; vrbium ruina, aut incolumitas de præſidio, & cuſtodia portarum pendet, inexpugnabilem cuſtodire vrbem animi tui, te docuit Chriſtus, ſi in foribus peruigiles teneas excubias, quæ improbis cogitationibus pedem figere in interioribus non permittant.

Paſſionũ coercere motus Ieſu benedictio eſt.

Eccleſiæ munus portas animi præcludere, ne hoſtis irrumpat.

D. Ambr.

Ciuitatis incolumitas ex portarũ præſidio pendet.

4. Quid plura? Vt cœleſti hoc magiſterio hominum animos imbueret Ieſus, de cœlorum ſublimi ſolio ad terras deſcendit. Hanc veritatem docebit te Iob cap. 48. in quo de aquarum elemento texit ſermonem. Cùm pelagus ſurgentibus albeſcit cumulis, ac vorticibus vndarum, & cautes niuea rorat aſpergine, tumentes criſpantis æquoris fluctus confringuntur leuioris pulueris, aut arenæ viliſſimæ repercuſſu. Ibi verſu 10. loquitur maris creator; *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia:* glebarum ſepe, inquit, velut vecte, aut muri ambitu æquora clauſi. Sententiis ſuis altiora ſacramẽta promittit Magnus Gregorius, ſuo menſurans ingenio maris limites lib. 28. moral. cap. 9. hæc habet: *Quia humani generis motus miſſo mediatore coercuit, aptè ſubiungit: & poſui vectem, & oſtia. Vectem ergo Deus oppoſuit; quia contra laſciuos motus humani generis, vnigenitum miſit.* Vnigenitum Dei filium viſibili forma in terris apparentem, vectem maris æquo iure nuncupat perſpicaciori mentis conſilio ſanctus Gregorius. Quis

Chriſti ad nos aduẽtus, vt animi motus diſceremus compeſcere.

Tumentes maris fluctus vilis arenæ confringit.

D. Gregor. Magn.

Mediator miſſus ad cõprimẽdos humani generis motus.

enim

Chriſti humanitas, hominis motus ſedauit.

enim feruens, & turbulentum mare cordis humani, paſſionum turbines, cogitationum fluctus coercere potuiſſet, niſi Deus homo? Ante Chriſti aduentum, hoc mare ſtatas à Deo metas facilè tranſiliebat; apparuit Dei benignitas, & humanitas, huicque rationali pelago agitato turbinibus paſſionum, terminos, & limites fixit, tum ad ſublimiora inſtituta animum euexit. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Et de corde exeunt cogitationes malæ. Rurſus humanitatem ſuam Verbum tanquam vectem maris collocauit, vt eſſet omnibus hominibus puritatis imitamentum, & vberioris gratiæ vires eis ſuppeterent, quibus motus compeſcerent humanos. Cùm cor tuum ira deferuet, aut improbis cogitationibus exundat; inundationes maris, cumulatique fluctus ad conſpectum lapidis Chriſti deponunt tumorem, confractique reſiliunt.

Iordanis fluuius retrorſum conuerſus eſt.

5. Quàm appoſitè Dauid Pſal. 113. cecinit verſ. 3. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti; & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Reſpondere poſſent mare, fluctus, & flumen: fugimus à facie Domini, à conſpectu arcæ, quæ humanum Saluatoris corpus denotabat, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi; eſt enim huius ſanctificatæ arcæ egregium facinus, retroagere æquoris fluxus, & citatiſſimos fluminum frænare curſus. Quapropter Euſebius Emiſſenus homil. 3. de Paſcha ita inquit: *Dum Moyſi ducis, & Sacerdotis ſui non reluctantur imperio, Dei meruêre comitatum. Nec immeritò eos hoſtis non attigit, lux præceſſit, fluctus expanit. Mare vidit, & fugit, quid vidit? ſine dubio illud terribile, profundum, atque ſecretum, adſiſtentis inhorruit maieſtatem, & ad præſentiam ſui ceſſit auctoris.* Ante aduentum Chriſti mare cordis extra metas, & limites ſolebat attolli, & ſeſe diffundere; ſed poſito hoc vecte, & termino animus coarctatus timore quodam, erumpentes cogitationum fluctus circumſcripſit, & clauſit rapidúmque torrentem, & curſum irrationabilium affectuum retinuit, gelidóque ſtupore frænauit. Hunc conceptum ſuggerit ſanctus Gregorius Magnus lib. 28. moral. cap. 9. *Poſtquam mundus oppoſitum ſibi vnigenitum reperit, elationis ſuæ impetum fregit, & tranſire non valuit, quia eius fortitudine, furoris ſui terminum clauſum inuenit. Vnde rectè per Prophetam dicitur: mare vidit, & fugit.* Ex quo enim Saluator apparuit, retro gradiuntur flumina, expaueſcunt maria, & littora pacificis circumdantur amplexibus. Turbatum cogitationum improbatum fluctibus mare, placida auro cohibere, fluxioriſque vitæ impetus coërcere, eximium perfectionis decus eſt, quod Chriſti temporibus ſeruabatur.

Euſeb. Emiſ.

Iordanis tremens expaueſcit ad præſentiam arcæ.

D. Gregor. Magn.

Deus ſeipſum oppoſuit hominum affectibus, & cogitationibus.

Discvrsvs IV.

Principiis improbi cogitatus obſta, & primos hoſtium ictus retunde, & facilè triumphum eriges.

1. Tantæ diſciplinæ magiſterium in Pſalmis præfulget: Regius Vates experimento edoctus, facilè proſternendi hoſtem, admonitionem propoſuit, humanum genus inſtruxit, confringi Dæmonis poteſtatem, diſturbari con-

filiorum molimina, cum homo primos aduerſarij impetus, & incurſus repellere nititur; tunc draco, & coluber tortuoſus, qui ſenſim labitur, & ſeſe in animi penetralia callidè inſinuat, in ſuo capite conteritur, pudibundus, & mœrens, ex cordis latibulo, quod ambiebat, & deperibat, licet inuitus, aufugit. Labiis repete, & animo reconde Regij Pſaltis documentum Pſalm. 100. verſ. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Non tam expectabat Vates lucis exordium, vt interimeret hoſtes; ſed exorientes armatorum Dæmonum impetus, & matutinas cordis cogitationes, cum primò naſcuntur, & incipiunt apparere, vt tenebrarum caligine mentem offundant, matutino gratiæ fulgore præuentus, ſatagebat effugare. Pulchrè ſanctus Athanaſius Dauidis mentem exprimit, dum hæc ſcribit verba: *Sicut matutinum tempus diei eſt initium, ſic omnis peccati initium, eſt inimici fraudulenta ſuggeſtio. Ideò inquit, manu occidebam: hoc eſt reſpiciebam ad principia cogitationum, & inueſtigabam eorum intentiones, atque adeò peccatores omnes vtpote dæmones, qui faciunt in me peccatum, ad perdendum omnes ex ciuitate Domini, hoc eſt ex anima; anima namque Domini ciuitas eſt. Perſequebar enim, inquit, & abſcindebam illorum capita tanquam principia ad exſcindendũ eos ex anima, ne operaretur omnẽ iniquitatem, & peccatum.* Hæc Athanaſius quæſt. 80. ex parabolis. Felix auſpicium cum congredientis hoſtis primum ictum lethali vulnere ſignas, & auſpicaris à morte; hic interitus tibi vitam pariet, interim viues, dum hoſtis occumbit: in matutino illum interfice, animi vigore, & cogitationibus ſanctis obrue, ne iterum reuiuiſcat. Pudor, & nefas eſt, vt hoſtis glorietur, ſe prætuliſſe triumphi primitias.

Primus aduerſary impetus repellendus.

Quid ſit in matutino interficere peccatores?

D. Athanaſ. Initium peccati obſeruandum.

Peccati caput abſcindendum.

Felix victoria auſpiciũ, primo ictu hoſtem proſternere.

2. Dum primitus inſinuatur bellum, viriliter, & acriter decerta, primitiuos victoriæ floſculos deliba; iiſque victricem orna dextram, vt integræ victoriæ maturos fructus carpas, & addas capiti gratiarum ornamenta; illis ſimilia, quibus ſponſa Chriſti coronatur. Cantic. cap. 4. verſ. 8. *Veni de Libano ſponſa, veni de Libano. Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Verba illa: *De capite, de montibus,* ad præſens inſtitutum examinat Gilbertus ſermon. 29. in Cantica de victoria, & corona ſponſæ, qua ab ſponſo in cœleſtibus decoratur, quia ſuperauit tentationum exordia. *Veni coronaberis* (inquit Gilbertus) *magnum eſt preſſurarum pondus, ideò forſitan montium eſt expreſſum nominibus. Iure ergo caput ipſum triumphans coronatur de capite, quia tentationum initium conterit, & tribulationum vehementia non cedit.* Sponſæ celeriter repellenti cogitationum tumultus, tentationis initia, & capita conterenti, ſertum ex floribus, aut pretioſis lapidibus in cœli regia ſeruatur, quod tuum ambiat, & circumdet verticem.

Sponſa coronatur triumpho de tentationum initiis reportato.

Gilbert.

3. Sectabatur proculdubio Origenis Adamantij monita, qui homil. 20. in Numeros ad locum Pſal. 136. verſ. 9. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* hæc verba ſcribit: *Etſi nondum aliquid operis geſſit Babylonicus in nobis iſte conceptus, dum adhuc paruulus eſt, non miſerearis eius, nec parcas ei, ſed ſtatim interfice. Odibilis enim eſt, perime, occide; allidens ad petram, petra autem eſt Chriſtus.* Et ſubdit; *In primis ſtatim initiis, vbi naſci cœperint, vbi caput cœperint de vulua animæ proferre, perniciosa deſideria*

Origen. Cum adhuc ſunt paruuli in ſuo conceptu cogitatus in petra Ieſu allidendi.

maligni ſpiritus inſpiratione concepta, arripiat ſtatim, & elidat ad petram; id eſt, adducat ad Chriſtum, vt in conſpectu tremendi iudicij eius poſita exoleſcant, & pereant. Aurea ſententia Origenis, quæ totum prælij pondus alleuiat, nec linquit animum ſuccumbere, cum ortus, & partus iniquarum cogitationum ſtatim interimit, eaſque ad pedes Chriſti tanquam ſolidam petram impactas comminuit. In idem quoque cœleſte, & ſalubre conſilium conſpirauit. Venetorum Patriarcha ſanctus Laurentius Iuſtinianus lib. de humilitate cap. 6. inquiens: *Spirituales viri tanquam munditiæ zelatores, amatores virtutum, & ſtrenuiſſimi bellatores obſeruant ſuarum primordia cogitationum, vt intelligant earum qualitates, & cauſas, quatenus totum peccati corpus in ſuo ortu tenerrimum ſpiritalis diſciplinæ mucrone transfodiant, priuſquam adoleſcat, & ad maturam delinquendi prouehatur ætatem.* Hæc ille.

D. Lauren. Iuſti.

Spirituales viri obſeruãt ſuarum cogitationum primordia.

4. Mirantur quidam Moyſem priſcis illis temporibus ad apicem perueniſſe puritatis, in medio bellorum tumultu, & immenſi regimine populi, imò in ipſa domo Regia educatum, iniquitatis, & impudicitiæ ſchola; vnde ei affulſit virtutis lumen, pietatis imago? Vnde forma vitæ cum moderamine rationis temperata, inter ſceleratiſſima aulicorum facta, & vitiorum omnium irritamenta? Et inuenio ab hoc fundamento perfectionem exorſum; quod primos animi impetus obſeruabat, & ſtrictiori inſtituto coercebat. Huius veritatis teſtis eſt Philo Iudæus lib. 1. de vita Moyſi, dicens: *In vniuerſum dabat operam, vt ad primos impetus animi reſiſteret, quaſi contumacem equum obſeruans, nimirum, ne inuito aurigaratione, curſum plus ſatis accelerantes confunderent, perturbarentque omnia.* Impetus cordis velut intractatos equos, & immorigeros domuit; frænoque docilitatis frænauit, ne in præcipitium vitiorum rueret. Ad primos ergo impulſus, & incitamenta frænum iniecit, ideoque ſeſſor animus, & auriga ad palmam ſupernæ vocationis dirigebat curſum, & corpore tanquam veredario equo, tamen ſine ſuccuſſura currebat. Merito ergo, qui paſſiones corporis velut exultantes equos inhibuit, elementorum curſus repreſſit.

Moyſes in tumultu aulæ, & irritamẽtis educatus ad primos animi motus reſiſtebat.

Philo. Iud.

5. Ad eamdem formam exhortationis traduco verba Canticorum cap. 2. verſ. 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Septuaginta legunt: *puſillas.* Lectionem ſequitur Origenes, cogitationéſque iniquas cum vulpeculis comparat homil. 4. in Cantica, dicens: *Competenter ſane cum adhuc puſilla ſunt, capiendas mandat, & comprehendi, dum enim cogitatio mala in initiis eſt, facile poteſt abijci à corde, nam ſi frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam ſine dubio ad conſenſum. Dum ergo in initiis eſt, & puſilla eſt, capi debet, & abijci, ne ſi adulta fuerit, & inueterata, iam non poſſit expelli.* Vulpes cum magna eſt, propter aſtum, & verſipelle ingenium videbatur in magnum diſcrimen vineam animæ adducere; cur ergo operam impendi iubet in capiendis vulpeculis puſillis? Quia hæ ſunt, quæ gemmantes palmites mandunt, pampinos arrodunt, clauiculos carpiunt, vuas, & fructus pectoris, qui tanquam ſpecioſa ruris monilia animum exornant, dentibus dilaniant; puſillæ ergo cogitationum vulpes cum ſepe transfodiunt, aut aditum inueniunt, & non ſtatim diſpelluntur, fertili, & ſpecioſæ vineæ afferunt vaſtitatem.

Cogitationes cum adhuc puſillæ ſunt capiendas. & abiiciẽda.

Origen.

6. Ideò anima contra torrentes fluminum, & pluuiarum ſtillas (quarum ænigmate comprehenduntur tentationum procellæ) ne per fatiſcentes teporis, aut negligentiæ rimulas, incipiat inimicum imbrem, virtutum ſepimenta quærebat. Cant. cap. 1. verſ. 16. *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Tigna, & laquearia ligni corruptionis expertis cupit, vt bene compacta, & ſine fiſſuris, ſtillicidiorum iniurias non admittant, aut exeſa putredine ſuccumbant oneri, decidatque domus faſtigium. Animum comprehendit ſponſæ ſanctus Gregorius Nyſſenus homil. 4. in Cantica, cuius hæc ſunt verba: *Quæ autem per ligna ſignificantur, ænigmata ſunt plane manifeſta, iis, qui ſenſus conſequuntur ſeriem. Imbrem vocat Dominus in Euangeliis varios inſultus tentationum, dicens de eo, qui recte domum ædificaret ſupra petram, venit imber, flauerunt venti, & irruerunt fluuij, & ab iis illæſum manſit ædificium. Propter malam ergo hanc pluuiam opus eſt nobis huiuſmodi trabibus, eæ autem fuerint virtutes, quæ tentationum inſultus in ſe non admittunt, vt quæ ſint firmæ, ac ſolidæ, nec facile cedant, & hoc ſeruent, vt in tentationibus minimè emolliantur à vitio.* Contextura trabium, & tignorum ſeruatur incorrupta, & tectum fit impenetrabile imbribus, quando tentationum inſultus non admittuntur, & tenuia ſpiramina virtutibus obturantur, ne tentationum nimbi in pectus irrumpant.

Rimulæ animi obturandæ ne tentationis ſtilla influat.

D. Gregor. Nyſſen.

Imber tentationis denotat.

7. Quid plura? adeo in virtute ſtabilis debet eſſe iuſtus, vt improbos cogitatus antequam animum titillent, præſentiſcat; & antequam animus eos gignat, execretur. Nimio vini potu ebrius, & indecorè nudatus Noë, à filio Cham irridetur. Quamobrem ſobrius factus, & euigilans, filium maledictionibus onerat, Geneſ. cap. 9. verſ. 24. *Euigilans Noe ex vino, cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: maledictus Chanaan.* Septuaginta locum efferunt legentes: *Maledictus Chanaan puer.* Expende ſacri Textus verba; Pater Cham peccat, & filius eius Chanaan maledicitur. Quod Cham peccauerit, ipſe textus exprimit. verſ. 22. *Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda Patris ſui eſſe nudata.* Quare ergo Chanaan puer maledicitur? Acutè reſpondet Origenes homil. 20. in Numeros, ſcribens; *In huius ſacramenti figura etiam Chanaan puer antequam naſceretur maledicitur: Cham namque peccauerat pater eius. Cham peccauit, & Chanaã progenies eius maledicitur, & maledicta eſt. Et ideò acrius nobis intendendum eſt, & proſpiciendum, ne fortè generet aliquid anima, quod maledicto dignum ſit, ut etiam ſi nondum opere impleuerit, in ipſa tamen voluntate, & propoſito eius, erit huiuſmodi maledicta progenies.* Propellendi ex animo iniquitatis motus, & cogitatus, & in ſua radice mactandi antequam è pectore eructent, diris deuouendi, vt facilius eos exhorreat voluntas quando ſenſum demulcent. Progeniem iſtam Chanaan, & non Iudæ, quam humanus appetitus procreat, iniuriâ laceſſe, & ante partum maledictis inure, vt primus eorum incurſus, & exordium ſit tibi deteſtabile, & execrandum.

Vir iuſtus cogitationes improbas antequàm animam adoriãtur præſentiſcit à longè.

Lect. L x x.

Cur Chanaã puer maledicitur.

Origen.

Cogitatus antequam opere cõpleatur reiiciendus.

8. Nec pudeat in calce huius diſcurſus documentum ab Ethnico mutuare; Apud Senecam in Hippolyto ſic canit, licet ſurdis auribus Phædræ nouercæ Cupidinis furore correptæ, pudicus Hippolytus.

Seneca.

Theſea coniux, clara progenies Iouis
Nefanda caſto pectore exturba ocyus,
Extingue flammas, neve te diræ ſpei
Præbe obſequentem: quiſquis in primo obſtitit,
Repulitque amorem, tutus, ac victor fuit.

Hæc ille.

Qui amoris initium repellit, victor euadit.

DISCVR

DISCVRSVS V.

Dei omnia proſpectantis præſentia, & timor, ſceleratas mentis agitationes, vel leui nutu exſufflat.

Timor iudicij & æterni tormenti, animi impetus frænat.

D. Gregor. Magn.

1. EXÆSTVANTI mari cordis noſtri, iniquarum cogitationum vorticibus, Deus præſentia ſua metam poſuit, timoris frænum iniecit. Hunc conceptum elegantiſſimis verborum luminibus illuſtrat ſanctus Gregorius Magnus, qui ad ea verba Iob cap. 38. *Quis concluſit oſtiis mare?* oſtium pectoris ſui aperuit, & has ſapientiæ gazas effudit: *Quid eſt mare* (inquit) *niſi cor noſtrum furore turbidum, rixis amarum, elatione ſuperbiæ tumidum, fraude malitiæ obſcurum? quod mare quantum ſæuiat, attendit, quiſquis in ſe occultas cogitationum tentationes intelligit. Ecce enim iam peruerſa relinquimus, iam deſideriis rectis inhæremus, iam praua opera foris abſcindimus: ſed tamen latenter intus ea, cum qua huc venimus vitæ veteris procella fatigamur; quam, niſi reſpectu iudicij, & æterni pauore tormenti, immenſi timoris clauſtra conſtringerent; cuncta in nobis penitus ſuperædificati operis fundamenta corruiſſent.* Cùm cor hominis immenſis tentationum iactatur fluctibus; & furentium ventorum vi, reciprocantes turbines exundant; timore iudicij frænatur furor, & immenſi timoris ſeris conſtringitur. Quis feras paſſionum non cicuret, exultantes, & inſolentes carnis motus non reprimat? quis pectora ipſo turbidiora mari non temperet, & inter cogitationum turbas, excitatas rixas, & lites, non componat, omnia proſpicientis maieſtatis præſentiâ, & futuri tremore iudicij.

Ioſephi certamen & triumphus deſcribitur.

2. Hic benemoratæ iuuentæ pædagogus eſt, eámque in virtute continet: hic, Ioſeph venuſti aſpectus adoleſcentulum per vias rectas puritatis deduxit, & in domo Putipharis cuſtos, & inſtitutor fuit; hic, columbam de aquilinis dominæ vnguibus eripuit, Dominæ, inquam, omni lupa impudentioris, omni leænâ crudelioris. Cùm enim in caſtitatis prædam aperto ore Diabolus inhiaret, organo femineæ, & blandientis linguæ mellita verba loquebatur, quæ ſacrum pectus iuuenis emolliremnt. Violentam impudentiam vaccæ laſciuientis in vitulum Deo dicatum, è cubiculo ipſe repedans refugit; nec lenocinantis feminæ blanditiis, & illecebris paſſus eſt implicari. Etenim Ægyptia velut vitula œſtro quodam percita proiiciens manus in Ioſeph, velut cornu impetebat; ſed ipſe pallium permiſit auferri, vt diſcrimen euaderet; abiecit pallium in feminæ manus, vt illius obuelaret oculos, ne iterum aſpiciens iuuenis decorem, retibus oculorum caperetur; & alieni luminis arderet incendio; tenebat pallium, vt trophæum caſtitatis ſemulieris ipſa manibus erigeret, tenebat charitatis amictum, qui famæ dominæ ſuæ conſuleret; conticeſcens, & ſuſtinens cum proprij nominis diſpendio, heræ ignominiam operiret. Tenebat pignus pudoris, ſanctimoniam redolens, cuius aſpectus, & tactus ad reſipiſcendum à crimine, & virtutis æmulationem prouocaret. Sed vnde in iuuene prouecta, in ipſa ſolitudine, in cubiculo, & à femina, quæ in domo habebat imperium, tantæ caſtitatis exemplar, & in fugiendo periculo conſtantia adeò procul dubio præſentia, & timore, vt ante?

Philo Iud.

notauit Philo Iudæus lib. de Ioſeph, quem introducit inter alia multa, hæc verba ſurdis feminæ auribus ſuggerentem, iam ſedato libidinis furore: *Fac nullum delatorem fore, aſſidentem Deo iuſtitiam res cunctas inſpicientem, nec timebimus, nec verebimur?* Philonem imitatus eſt ſanctus Chryſoſtom. homil. de continentia Ioſeph, ibi fatur: *Quamuis talium, & tantorum Dominus futurus, cum cogitaſſet, quod diuitiæ quidem, & potentia, ac gloria cum præſenti vita tranſeunt, & temporalium lucrum duntaxat habent, ſolius autem virtutis nullus ſit finis, ideò voluptatibus timorem Chriſti, vt frænum quoddam iniecit.* Vbi Ioſeph victoriam, & caſtitatis triumphum timori Domini attribuit. Poſtea verò de Dei memoria ſubiungit: *Si ancillas Domina caſta, & pudica turpitudini deditas, ſtatim ſolo aſpectu pudicas facit; quid mirum ſi titillantem voluptatem Chriſti memoria ſtatim ſopit?* Dei memoria, & timor valet perturbatos animi componere fluctus, & hominem in vitia profuſiorem coërcere; his retinaculis Ioſeph carnis feram domuit, omnéſque corporis paſſiones, rationi tanquam Dominæ ancillari coëgit.

Timor Dei, & illius præſentia Ioſephum in caſtitate continuit.

D. Chryſ.

D. Chryſ.

3. His ſeris, & vectibus obſignatum Dauidis cor, licet impugnatum, & ſolicitatum ab hoſtibus, cæleſtes pectoris ſui opes non prodidit. Pſalm. 73. verſ. 3. *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto:* quæ verba de Arca teſtamenti à Philiſthæis capta Arnobius vſurpat; & ad mores, ad arcámque pectoris traducit, quam præſentia Domini, ab hoſtium incurſu, incolumem cuſtodit. Do tibi verba Arnobij: *Eſt enim in nobis Arca teſtamenti Domini, quam quotidie hoſtes conantur eripere, id eſt, animæ conſtantiam, quæ pro defenſione virtutum contra vitia bella committit; ſi ergo huius Arcæ Sacerdotes, id eſt, corpus, & anima mea ex conſenſu coluerunt; requieſcet ſuper eam Dominus; & non audebunt Dæmonia nec bellum in cute conſiſtere.* O quantos Dæmon leuat aggeres, quantas munitiones ſtruit in gyrum, vt pectus tuum arcam Domini, in quo ipſe placidè requieſcit, in ſuam redigat poteſtatem, animique conſtantiam labefactet; ſed de præſentia Dei tu tamen, & ſcutum arripis, vt ignitas ſagittas repellas, & extinguas. *Requieſcit ſuper eam Dominus,* Lumen vultus Domini, quo reſpicit nos, & mentes illuminat, Dæmones exhorreſcunt. Si oculos mentis leuaueris ad montes, vnde venit auxilium tibi, & animi acie contempleris Deum omnia colluſtrantem, & pectoris tui penetralia complentem; aduerſus hoſtes præualebis.

Arnob.

Præſentia Domini ſpirituales hoſtes vincit, & abigit.

Iahel Siſarã interimit.

4. Iahel facinus, & de duce exercitus Chananæorum glorioſus triumphus à Debbora, & Barac, heroico carmine, meritò celebratur; cùm enim hoſtiles acies ad præſentiam Barac Dominus proſterneret, & terga vertiſſent timore turbatæ; dux Chananæorum de curru deſiliens, ad tabernaculum Iahel citato curſu peruenit, hauſtu lactis oppreſſâ membra occupat ſomnus, ſoporémque cum morte commutat. Iahel quippe virili animoſitate traiecit Siſaræ tempora clauo tabernaculi. Debboræ, & Baraci reſultat vatidico ore melos; qui tam præclaram hoc poëmate ſignant. Iudicum cap. 5. verſ. 25. & 26. *Benedicta inter mulieres Iahel, aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* Dum Principes exercitus Domini Iahelem cantant, laudibúſque extollunt, commentariis ſuis illuſtrat Rupertus carmina, & ad Eccleſiæ & animæ victoriam transfert; quando caput Dæmonis

Rupert.

tentantis ipſa conterit, & clauo timoris Domini transfodit. Tranſcribo Abbatis Tuitienſis verba ex lib. 1. in Iudices cap. 7. *Malleus in dextera, deſuper timor Domini in intentione cordis eſt. Ita factum eſt, vt capiti eius defigeret clauum validè in cerebrum vſque ad terram; quare in capite quæſiuit vulneri locum? Videlicet, quia peccati caput eſt feriendum, ne poſtquam ventre irrepſerit, difficilior pugna ſit. Caput prima peccati ſuggeſtio eſt. Venter autem ſubſequens delectatio. Porrò conſenſus cauda eſt, igitur in capite quæratur vulneri locus, id eſt, non expectatâ caudâ conſenſus, imò delectationis ventre, prima ſuggeſtio clauo Dominicæ Crucis, cum timoris Domini malleo transfigatur.* Quàm potens, & ſapiens femina, quæ ſub ſigno ſalutis ſtipendia merebatur, & confixo humani generis hoſte, trophæum Crucis erexit! Inſultus, & cogitatus Dæmonis, quem Siſara adumbrabat, magiſtra cæleſtis diſciplinæ repellere docuit, cùm clauo timoris Domini, & malleo formidabilis iudicij, manus ornatas, & armatas oſtentat. Volubilium cogitatuum, & affectuum rotam hoc clauo figes, & tyrannidem exercentis caput, hoc iaculo transfodies.

Malleo timoris Domini beſtiæ proſternitur.

Peccati caput feriendũ.

Dominicæ Crucis clauo, & malleo timoris Domini, aduerſarius ſauciatur.

5. Cùm carnem titillat libido, improbæque cogitationes animum pulſant, arripe gladium timoris, quo Gigas Goliath occiditur: & cum Vate Regio clama: *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.* Pſalm. 118. verſ. 120. Sanctus Ambroſius lectione ſua clauos expreſſit: *Confige clauis, à timore tuo, carnes meas.* Et locum ſubtiliter expendit ſcribens: *Confige ergo clauis, & deſtrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem vagandi, cupiditas voluptatum Cruci affixa non habeat. Eſt quidam clauus ſpiritalis, qui patibulo Crucis Dominicæ affigat has carnes. Et fortaſsè ſunt carnes quædam animæ, ſicut corpus eſt animæ. Carnes animæ ſunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini, & iudiciorum eius, & ſeruituti redigat.* Malignos cogitatus, qui ex carne pullulant, nuncupat carnes, quia ad carnis oblectamenta animum alliciunt, has carnes poſtulat Cruci Saluatoris ſuffigi clauis timoris, vt cum Paulo glorietur: *Christo confixus ſum Cruci*; quàm dulcis, quàm ſecura alligatura ſalutis, quæ totum hominem continet à lapſu criminis, & mentis ruina! Hi ſunt Crucifixi, qui crucem non tantùm baiulant, ſed veluti inſignia portant Regalia, in eàque omnia corporis membra oſtentant ſignata iudiciis Domini, velut fixionibus clauorum. Hos Chriſtus ſuo claudit gremio, ligat charitatis lacertis, ne in tentationum incurſu lubrico titubent, aut labantur veſtigio. Hi, cùm libido vrget, cùm auaritia incitat, cùm furor iræ impellit, ſtabili firmitate defixi, nec à Cruce dimouentur, nec manus, aut pedes à clauis timoris excutiunt. Bonus clauus, qui totum regit parui mundi imperium. Bonum gubernaculum clauus, quod inter procelloſas vndas maris huius ſeculi corpus veluti cymbam dirigit ad portum ſalutis.

Clauis timoris Domini, caro configenda.

D. Ambr.

Qui ſint viri, Saluatoris Cruci ſuffixi?

6. Quid plura? timore Domini expelluntur improbæ, rectæque manant à mente cogitationes. Hos ſenſus ſponſa Chriſti in ſeipſa experiebatur, dum eius capillamentum commendatur ab ſponſo Cantic. cap. 6. verſ. 4. *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Hi capilli cogitationes rectæ ſunt, quas timor iudiciorum Dei parturiebat. Mens eſt trium Patrum Nyſſeni, Nili, & Maximi apud Theodoretum, ſcribentium: *Capilli cogitationes videlicet, quæ vt ex capite coma, ſic ex mente prodeunt tua ſpiritaliter; nullum rerum huius vitæ ſenſum habentes, ſed in agendo, & contemplando, & diuinis rebus peruestigandis occupatæ, ſimiles ſunt florentibus caprarum pilis, quæ per altum quemdam, & obſcurum montem, qui dicitur Galaad, conſpicuæ apparuerunt. Siquidem ex malitiæ, & ignorantiæ, atque impietatis tenebris, ad virtutis, & ſcientiæ, pietatiſque lucem commigrarunt per Euangelium, quod fidelibus, iudicij futuri teſtimonium reddit. Galaad enim ſignificat migratio teſtimonij.* Mirum quanta immutatio cogitationum ſponſæ, quæ prius repebant, nil niſi terrenum, & carnale ſapientes; Solem, Lunam, & ſidera, vt diuina numina venerantes, nunc terrena omnia præteruolant, cæleſtem ſapientiam, & virtutem ſectantes, verùmque Deum adorantes. Vnde mirabilis iſta cogitationum, & ſenſuum animi transformatio? *Ex Galaad aceruo teſtimonij*, ex iudicio Dei futuro, ex tantæ acerbitatis timore correpta, rectas, & pudicas cogitationes pro ſceleratis commutauit.

Bonarum cogitationum fructus timor Domini parturit.

Nyſſ. Nil. Max. Theod.

7. Omnia enim difficilia ſuperat Dei timor, turbatúmque mare potés eſt ſedare. Quæ omnia aperta & notiſſima facient ſancti Gregorij verba, lib. 28. Moral, cap. vltimo ad ea Iob 38. *Quis concluſit oſtiis mare quando erumpebat, quaſi de vulua procedens; dum ſcribit Magnus Doctor: Vulua enim prauæ cogitationis adoleſcentia eſt. De qua per Moyſem Dominus dicit: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis prona eſt in malum ab adoleſcentia ſua. Corruptionis namque malum, quod vnuſquiſque noſtrum ab ortu deſideriorum carnalium ſumpſit, in prouectu ætatis exercet; & niſi hoc citius diuinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo ergo ſibi cogitationum ſuarum victoriam tribuat, cum veritas dicat: quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? quia niſi ab ipſo cogitationis primordia cordis fluctus gratia diuina retineret, tentationum procellis mare ſæuiens, terram proculdubio humanæ mentis obruiſſet. Solus ergo Dominus oſtiis mare concludit, qui prauis motibus cordis, clauſtra inſpiratæ formidinis obiicit.* Hæc ille.

Timor Domini improbos cogitatus coërcet.

D. Greg. Mag.

DISCVRSVS VI.

Diabolus, qui cogitationes iniquas ſuggerit, ſtatim diſparet cùm eum deſpicis, aut contumelioſis verbis improperas.

1. MAGNVS illud Fidei firmamentum, & Græcorum Patrum decus ſanctus Athanaſius, inueſtigans, iniquarum cogitationum exordium, & originem, iis applicat opportunum medicamentum, dum hanc quæſtionem excitat, & diſcutit; quæ eſt numero 15. ex quæſtionibus ad Antiochum: *Vnde (inquit) mouentur in corde cogitationes, & meditationes contumelioſæ, execrabiles, atque nefariæ, quæ ſæpius in Dei iniuriam tendunt, & quas nec anima vellet proferri, nec hominis lingua nominari? Reſponſio. Huius auctor eſt, & operator Diabolus: ille iſta nefanda in hominis animam ſubminiſtrat, loquens contra Deum verba, quo poſſit in deſperationem adducere hominem. Sed non ex hoc præcisè condemnatur homo. Abſit. Talis namque cogitatio ab eo diſcedit, dum cogitabit ſeipſum eſſe terram, & puluerem, non admodum reſeruans talem cogitationem.* Sed

Quæ in nobis ſit origo improborum, & execrabilium meditationũ?

D. Athan.

Earum auctor Diabolus.

Earum remedium ſe humiliare, & Dæmonem execrari.

Sed Diabolo dicens: blaſphemia tua ſit in caput tuum, Diabole; ego enim Dominum meum adorabo, nec eum vnquam blaſphemabo. Quàm ſalubre antidotum, & pharmacum adhibuit ſanctus Doctor curandis morbis, quibus Diabolus animam ſauciat; cordis nimirum humilitatem, luti, & pulueris memoriam, ex quo plaſmatus homo; in quem redigenda corpora poſt mortem; verbaque conſtantis animi Dæmonem exprobrantia: immittat interdum Satan impudicas, & execrabiles cogitationes, impias, deteſtandas, perturbantéſque animum, ad omne nefas, & flagitium incitantes; inſanias, & furores frementes in Deum, Diuos; probra, contumelias, blaſphemias blatterantes. Faceſſent omnes, & ad radium humilitatis tuæ, caliginoſæ vmbræ diſpellentur, ſi memoriâ pulueris volutêris, ſi in earum artificem contumelioſa verba, & turpitudinis opprobria iactaueris. quàm ſuaue medicamentum, & facile documentum! A concitatis aduerſum te turbis cogitationum te expedies, ſi te humiliaueris, & Diabolum contempſeris. Truces tineas animi, lucifugáſque blattas (ſic cogitatus moleſtos, & nefarios voco) quæ corda arrodere cupiunt, & cedros Libani ſublimes, & erectas aliquando exedunt, nullo negotio interimes, ſi puluere, & cinere ſepulcri aſperſeris; & in earum ſcaturiginem, in eum quippe (cuius culcitra, tinea; cuius operimentum, vermes;) Luciferum, inquam, contumelias, & conuitia congeſſeris.

Cogitationũ tineæ cinere ſepulcri aſperſæ tabeſcunt.

2. Interdum offeret tibi victoriam de Dæmone, talia ſuggerente, deſpectus cum taciturnitate. Sicut accidit in Abraham, qui armatus gladio, & igne ad lanienam filij, citato curſu properans in terram viſionis, variis cogitationum aculeis pungebatur, quos exacuebat Diabolus, vt illius cor anxietate, & mœrore traiiceret; *Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium, cúmque duo pergerent ſimul.* Geneſ. cap. 22. verſ. 6. Dæmon omni dolo, & aſtutia ad diffidentiam impellebat. Omnia artis nocendi machinamenta profert Abulenſis, dum Diabolum inſultantem Patriarchæ introducit. *Magnæ cogitationes* (inquit) *& duræ tentationes Dæmonis Abrahamum pungebant; quia vt dicunt Iudæi, cum pergeret Abraham ad immolandum filium ſuum acceſſit malus Dæmon ad eum dicens: O inſenſate, quomodo filium tuum immolari, vis? Neſcis enim quod hoc voluntati Dei repugnat? Non credas inſenſate ſenex, quod Deus talia tibi mandauerit, ſed tua inſania hoc tibi ſuggerit. Abraham autem in fide conſtantiſſimus, licet ad hoc reſpondere potuerit, ſpreuit potius, quàm reſpondit.* Vt his dictis fidem conciliet doctiſſimus Abulenſis, calculum album adiiciens Iudæorum placito, ſubſcribit: *Nec reputes hoc fore fabulam, quia idem innuit Apoſtolus ad Hebræos 11. cap. dicens: fide obtulit Abraham, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat: Apoſtolus autem non exprimit, quæ fuerint tentationes; ſed ſatis veriſimiles ſunt iſtæ.* At inter varios tentationum, & cogitationum incurſus, quibus Abrahami cor pulſabatur, perpende verba illa: *Spreuit potius quam reſpondit.* Vt contemptione, ac deſpicientiâ Dæmonem viciſſe videatur.

Deſpectus cũ taciturnitate Diaboli artes diſſoluit.

Abul. Abraham cũ ad immolandum filium pergeret, grauiter à Dæmone tentatur.

Diabolo inſultanti Abraham non reſpondit, ſed ipſum ſpreuit. Abul.

3. Liceat interdum cum diuinis humana contexere, bonâ cum lectoris veniâ. In medium prodo ab Hercule deportatum de Pygmæis triumphum, in rudique hiſtoriæ Herculeæ ſtamine licia aurea, & argentea ad mores implicabo. Philoſtratus eleganti narratione conſtituit ante oculos theatrum, hoſtes, pugnam, coronam; & his verbis vtitur, lib. 2. Iconum; ea ſummatim, & ſuccinctè colligo: *Herculem in Libya dormientem Pygmæi inuadunt. Pygmæorum exercitus Herculem circumuallarunt: & vna quidem hæc phalanx ſiniſtram petunt manum: hæ verò duæ cohortes in dextram, vt validiorem, caſtra mouent, & ſagittarij, ac funditorum turba pedes obſident; ignem in comam, in oculos ſarculum, fores ori, ac naribus admouent. Hæc quidem circa dormientem: ecce autem vt erigitur, vtque in diſcrimine ridet, hoſtéſque vniuerſos colligens, in leonis pellem congerit.* A veritatis ſcopo non aberrabo, ſi Dæmones Pygmæos nuncupem; ante Chriſti aduentum Gigantes, proceráque ſtaturâ, maximo robore, & potentiâ præditi; at poſt Saluatoris mortem, eorum imperium deturbatum, infirmata virtus; armatæ Pygmæorum, ſeu Dæmonum manus, iaculis ſagittis, fundis, lapidibus, igneis facibus, ligone, aut dentata crate, funibus. His intueberis varias tentandi, & nocendi artes ab aſtu, & nequitiâ aduerſariorum inuentas; diuerſos namque cogitationum inſultus, turpéſque imagines animo obuerſantes, tanquam armatas copias immittunt, iiſque hominem iuſtum, tanquam Herculem, vel vigilantem, vel dormientem comprehendere nituntur. Si te Dæmonum Phalanges nequitiæ iaculis, impuri Cupidinis ſagittis, deſperationis lapidibus, auaritiæ lampadibus, dentato maledicentis linguæ ſarculo adoriuntur, in ſomnis illudere, in vigilia decipere tentant, Animum tuum, & robur collige, ſta in procinctu; irride hoſtes, inſtar Herculis, *Qui in diſcrimine ridet*, armatas acies deſpice, & victoriâ coronaberis, quid plura? Si Chriſto indutus, & corpore illius armatus qui vicit vt leo de tribu Iuda, in leonis pelle omnes hoſtiles acies, inſtar Herculis, colliges, & habebis oſtentui. Mentiar, ſi his Dauid annuere non videatur, Pſalm. 63. in quo deſcribit hoſtium gladios, iacula, arcus, ſagittas, laqueos, denique vniuerſos irridet, à quibus ſeipſum cernit circumuallatum, velut homunciones ſtaturæ puſillæ, ignauos, & imbecillos contemnit. ibi verſ. 8. *Sagitta paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Exponit Euthymius: *Inefficaces: huiuſmodi enim ſunt paruulorum illus, vel propter percutientium infirmitatem.* Addit Hugo Cardinalis: *Sagitta fuerunt ſicut feſtucæ: Solent enim paruuli facere arcus, & trahere feſtucas.* Sed iam à tricis Pygmæorum me expedio, & ad alia propero.

Herculis triumphus de Pygmæis reportatus deſcribitur. Philoſtr.

Dæmones ante aduentum Chriſti gigãtes, poſtea Pygmæi.

Hoſtem deſpicere quantũ iuuet ad victoriam.

Euthym.

4. Teſtatur Regius Vates victoriam hoſtis in illius irriſione poſitâ. Pſal. 103. v. 26. *Draco iſte, quem formaſti, ad illudendum ei.* Vbi ſanctus Auguſtinus conceptum noſtrum exprimit, Eccleſiam alloquens: *O Eccleſia caput ſerpentis obſerua: quod eſt caput ſerpentis? Prima peccati ſuggeſtio. Venit tibi in mentem neſcio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire. Hoc quod venit in mentem, caput ſerpentis eſt; caput calca, & euades cæteros motus: quid eſt caput calca? Ipſam ſuggeſtionem contemne.* Et poſt pauca: *Hic ergo Draco antiquus hoſtis noſter, ira feruidus, inſidiis aſtutus, in mari magno eſt. Draco iſte, quem finxiſti ad illudendum ei. Ita tu illude draconi: ad hoc enim hic factus eſt draco.* Si horribiles affectus excitantur in te, turpiſſimíque cogitatus, ad quorum conſpectum timoratus animus exhorruit, & expauit, ne turberis, ne ſcandalizeris; ignes ſunt, quos calor hominis accendit; prunæ ſunt, quas Diabolus exſufflat, & halitu ſuggeſtionis inflammat; eas fortitudine Domini adiutus, qui ſemper adeſt tentatis, deſpice, viriliter contemne, Draconem impropera; hæc eſt facilis forma victoriæ. Factus eſt Draco vt tentet te: formatus eſt Draco, vt illudatur, & vincatur à te. Nullâ enim re Diabolus ſuperbiæ parens, quàm ſui deſpicientia,

D. Auguſt. Caput ſerpẽtis, prima eſt peccati ſuggeſtio.

Draco Diabolus factus à Deo vt ab homine illudatur.

ſpicientia, grauius torquetur; hoc telo percuſſus furit, dentibus fremit, & tabeſcit, cùm ab inferioris naturæ homine irridetur.

Cur Iob ſaniē vulnerū teſta radebat, & non linteolis leniter ſtringebat?

5. Tacitus mecum ipſe perpendo ſæpiſſimè cur Iob Sanctus purulentam vulneris ſaniem, vlceriſque redundantiam, & ebullientium vermium ſcaturiginem teſtâ raderet, accumulans dolores doloribus? cùm non deficerent linteola emollientia, & panniculi etiam in ſterquilinio, quibus hiantia vulnera leniter ſtringeret, & ſordes ſuppuratæ plagæ detergeret? Iob cap.2. verſ.8. *Teſtâ ſaniem radebat.* Attamen tam malæ tractationis cauſam, & abradendi teſtâ ſaniem, apud Origenem inuenio, lib.2. in Iob, cum ſancto viro loquentem: *Dic, ô beate Iob, atque Deo dilecte, ob quam rem hoc facis? Cur hunc dolorem exaſperas? Cur augmentas? Cur exaggeras, teſtâ radendo lamentabile hoc vulnus, atque ſæuiſſimam plagam?* Subiungit Origenes Iobum reſpondentem: *Merito, inquit, exaggero, atque commoueo ipſos dolores, vt per cuncta oſtendam nequiſſimo Diabolo, quia eius malitiam irrideo, quia iniquitatem eius contemno, quia omnes eius plagas, atque vulnera ad nihilum reputo.* Hac quippe animi magnitudine oſtendebat, certiſſimum, & validiſſimum iaculum ad ſauciandum Dæmonem, eſſe illius contemptum; hancque maiorem eſſe plagam, quâ Dæmon afficiebatur, quàm eam, qua Iobum à planta pedis vſque ad verticem capitis percuſſerat.

Orig.

Orig. *Iob irridebat Diaboli malitiā ipſúmq; contemnebat.*

Suggeſtiones Dæmonis inſtar laruarū contumelioſis verbis depellendæ. Philoſtr.

6. Denique Dæmonum ſuggeſtiones ſicut laruæ, & nocturna phantaſmata opprobriis depellendæ ſunt. Referens Philoſtratus peregrinationem Apollonij Tyanei ad Caucaſum montem, ſcribit in eius vita Empuſæ ſpectrum occurriſſe, idque conuitiis fugaſſe: hæc ſunt Philoſtrati verba, lib.2.cap.2. *At primò quidem, cùm lucente, claráque Luna, iter facerent, Lamiæ phantaſma illi occurrit, modo in hanc, modò in aliam figuram ſe ſe conuertens; quandoque ab oculis repentè euaneſcens. Apollonius autem, quidnam id eſſet, quàm primum agnoſcens, grauibúſque, & contumelioſis verbis illud increpans; ſocios, vt idem facerent, hortabatur: id enim contra eiuſmodi inuaſiones optimum ſciebat eſſe medicamentum. Eius dictis cùm ſocij paruiſſent, ſtridens phantaſma celeriter tanquam idolum aufugit.* Licet Apollonius non ſim, hoc tamen moneo; cùm variæ ſpecies rerum ſenſibilium, & inanes vmbræ, ac imagines deliciarum fucatæ coloribus, & fraudibus, phantaſiæ occurſant; quas Diabolus ſuggerit, omnium vitiorum formas induentes; velut laruas, lamias, & phantaſmata contumelioſis increpationibus extermina; *Id enim contra eiuſmodi inuaſiones optimum eſſe medicamentum.*

Terrores & phantaſmata reprehenſione fugantur. Chald. Tres Patr. Theod.

7. Fortaſſis contra eiuſmodi ſpectra muniuntur fortiſſimi Heroes, qui lectulum Salomonis ambiunt, ancipiti gladio armati *Propter timores nocturnos.* Cantic. cap.3. verſ.8. vbi Chaldæus legit: *Non timent à ſpiritibus nociuis, & Dæmonibus, qui ambulant in nocte.* Tres Patres apud Theodor. addunt: *Propter terrorem, quem nequiſſimi Dæmones dolis ſuis animæ obiiciunt, in noctibus ignorantiæ, per impetus cupiditatis rationi repugnantes.* S.Greg.Nyſſ. hom.6.in Cantica: *Quis eſt ſtupor nocturnus? Terribilem ſtuporem fieri ex quibuſdam nocturnis terroribus, per ſtuporis vocabulum oſtendit.* Sed omnes Dæmones, ſtupores, terrores nocturnos grauibus, & cõtumelioſis verbis cũ Apollonio increpa. Ideo Theodor. in illius loci commentario ſubiungit: *Binos geſtant gladios, vnum reprehenſionis, alterum intelligentiæ;* reprehende, & conuitiis onera, & aufugient phantaſmata.

D. Gregor. Nyſſ.

Theodoret.

Verſ. 17. & 18. Et venite, & arguite me dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

COMMENTARIVS.

Verſus decimus ſeptimus exhortatio quædam eſt ad opera miſericordiæ, & quia difficultate caret, eum omittimus, vt ad difficilia tranſeamus.

1. VENITE ARGVITE ME.] Communis expoſitio huius loci ſic aſſignatur: perficite omnia, quæ prædixi, & ſi non ſtetero promiſſis, venite, arguite me infidelitatis, inconſtantiæ, & leuitatis, aut fidei violatæ; ita vt in præſenti conſtantiam, & firmitatem in adimplendis promiſſionibus velit Deus apud homines adſtruere. Sed non video, quæ promiſſa Vates propoſuerit à Deo adimplenda. Comminationibus, & terroribus plena ſunt omnia. Verſ.7. ait Iſaias: *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni ... deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea,* &c. Poſtea templum, ſacrificia, feſtiuitates reſpuit; itaque totum caput ab initio ad finem, terrorem repudij, metum cædis, belli, & vaſtitatis minas iactat. Quapropter alia interpretationis via tentanda eſt. *Vulgata Commentatio proponitur.*

2. Propoſuit Vates ſuprà ingratitudinem populi, & ſcelera; teſtéſque aduocat, & auditores cœli, terræque incolas; quapropter rapinas, cædes, templi ruinam, & conflagrationem, Iſraëlitici populi derelictionem, & Synagogæ repudium minitatur. Nunc tribunal, & iudicium cum illo populo conſtituit, ſummóque iure cum illo agit, vt fas, & ius diuinæ ſententiæ appareat, & omnibus innoteſcat, quàm iuſtas, & debitas Deus exigat ab Iſraële, ipſéque populus luat pœnas. Humano quippe more Deus procedit, vt ab omni ſuſpicione, & veſtigio iniuriæ, aut iniuſtitiæ in proferenda ſententia ſe purget; populum illum ad iudicium conuocat, vt arguat, diſceptet, contradicat, diſputet, iudicet, ſi apud Deum aliquid habet, expoſtulet, & de ſententia conqueratur. Et vt ſine fraude, & dolo in hoc iudicio procedatur, Deus homines litis, & controuerſiæ dirimendæ iudices conſtituit, dicens: *Venite, arguite me.* *Alius ſenſus verbis Iſaiæ aptatur.* *Deus ſententiam repudij iuſtificat.*

3. Hæc omnia verbum Hebraïcum Vulgati, & Græcum Septuaginta propriè deſignant. Verbum Hebraïcum יכח *iacha, increpare, arguere, corripere, reprehendere, diiudicare ſignificat.* Vnde aliqui legunt ex Hebræo: *Venite iudicantes nos,* vel: *increpemus nos.* Verbum Græcum διελέγχω, *redarguo, coarguo, reuinco, confuto;* Septuaginta in Bibliis Sixti legunt: *Venite, arguamur.* Sancti Baſilius, & Chryſoſtomus: *Venite, & diſceptemus.* Sanctus Cyrillus, ſanctus Cyprianus, lib.3. teſtim. *Venite, diſputemus.* Sæpiſſimè etiam in ſacra pagina, quando Deus derelictionem populi, aut Ciuitatis Ieroſolymitanæ vaſtitatem minatur, vt iuſtificetur Dei comminatio, & ſententia; eamdem formam iudicij, & diſceptationis inſtituit. Ieremiæ cap.2. verſ.9. *Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.* Eadem iudicij *Varietas lectionū huius loci conciliatur.* Lect. Hebr. LXX. D.Baſil. D. Chryſ. D. Cypr.

forma reperitur, Oseæ c.12. v.2. & Michæa cap.6. verſ.1.

Verborum nexus.

4. Præterea verba iſta cum antecedentibus connectuntur, nam cum Deus in præcedentibus ora-tiones, & victimas deſpexiſſet, quia illotis accedebant manibus, eos à conſpectu ſuo repellens; nunc vt in iudicio cum Domino contendant, vt exorent, diſceptent, & iudicent, ad lotionem hortatur; manúſque ad iudicium diſcutiendum, omni ſcelere alienas afferant. Gentes, vt iudicarent, vt orarent, purgationum piaculis ſeipſos diſponebant, præſertim ſi in fundendo ſanguine, haberent contaminatas manus. Dionyſij Halicarnaſſæi hæc ſunt verba: *Iuſſit Horatium expiari iis luſtrationibus, quæ inuoluntariæ cædi præſcripſerunt leges.* Virgil. lib. 2. Æneid.

Gentes manus abluebāt ante precationes & iudicia.
Dion. Halic.
Virg.

Tu genitor cape ſacra manu, patriósque penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Mar. Plutarch.
Halicar.

Marius apud Plutarchum vota diis facit: *Lotis manibus, & ad cælum ſublatis.* Et Halicarnaſſ. libro 11. *Quotquot erant integris iudiciis, & iuſta cauſa aduocati, ſublatis in cælum manibus, mixtum ploratu, & indignatione clamorem ſuſtulerunt.* Cum ergo Iudæi haberent manus, Prophetarum, & Chriſti Domini ſanguine cruentatas; vt Deum exorarent, cum eóque in iudicio contenderent, admonet Iſaias vt lauacrum animi, expiationis loco adhiberent; dicens: *Lauamini, mundi eſtote, & venite, arguite me.* Quam interpretationem non obſcurè indicat ſanctus Baſilius in huius loci Commentario: *Multis (inquit) Scripturæ locis, tales nobis ſe offerunt dicendi formulæ, quaſi Deus ſe demittat ad hominum iudicium.* Et poſteà: *Docet Dei iudicium nihil habere confine tyrannidi: ſed iudicum more, qui inter homines familiarem ineunt communicationem: qua fit, vt locum exhibeant ſui purgandi, hic, qui ad cauſam dicendam ſiſtuntur iudicio. Vt videns vnus aliquis ſententiam in reum dilucidè pronunciatam, aſſentiatur in controuerſiis Dei iudicio, & inflictam pœnam comprobet.* Et ibidem ſubiungit: *Poſt lotionem verò, & expurgatam eluuiem peccatorum, tunc demum ad diſceptandum, & argumentis reuincendum vocatur is, cui promittitur, quod ſit ſicut nix, aut lana dealbandus.*

Commentationem illuſtrant Baſil. & Cyrill.
D. Baſil.
D. Cyrill.

Grammaticalis ſenſus, & cortex literæ proponitur.

5. SI FVERINT PECCATA VESTRA VT COCCINVM.] Difficilis, & celebris locus, in quo multorum interpretum euigilauit ſtudium, & induſtria. Pro cuius declaratione prius aliquid de ſenſu Grammaticali, & verborum Cocci, & vermiculi ſignificatione dicendum eſt. Coccinum Hebraicè eſt שנים *ſanim.* Arabes vocant *charmen.* Hiſpani, *grana en grano.* Cocci fruticem optimè delineauit Hiſtoria Plantarum lib. 1. cap. 8. de ilice aquifolia: *Arbor parua, ſurculoſa, cortice ex rubro candicante, glande rotunda, calice aculeis rigente, totámque fere vt in cerro complectente. Foliis paruis, ac in ambitu ſæpiſſime pungentibus, in ima parte, qua petiola hærent, nonnunquam in ſurculorum nodis granum quoddam innaſcitur rotundum, paruum, foris è cinereo rubens, intus verò ſanguineo cruore lucido plenū.* Hoc granum appellatur coccū. Coccinū verò id denotat, quòd purpuræ colorem, qui in roſis valde micat, refert, qui color exuberantiam quamdam, ac ſplendorem ruboris oſtendit. Vnde Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 10. legit: *Si fuerint delicta veſtra tanquam roſeum.* Sanctus Cyrillus, & Procopius: *Tanquam purpura.* Et Septuaginta legunt: *Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum.* Quam lectionem ſequuntur ſanctus Baſilius hic, Ambroſ. & Auguſt. ad ea verba Pſalm. 50. *Super niuem dealbabor.* Et ſanctus Cyprianus lib. 1. Teſtimon. contra Iudæos cap. 24. in qua verſione ad Phœnicis auis colorem alluſiſſe videntur Septuaginta, quæ vt teſtatur ſanctus Iſidorus lib. 12. etymol. cap. 7. *Phœnix dicta quod colorem Phœniceum habeat.* De quo in diſcurſu Chriſtiani Phœnicis.

Quid ſit coccus, & coccinum?
Hiſt. plant.
Varietas lectionum in hoc loco.
Tertull.
D. Cyrill.
Lxx.
D. Baſil.
D. Ambr.
D. Auguſt.
D. Cypr.
D. Iſid.

6. RVBRA QVASI VERMICVLVS.] Hebraicè dicitur תלע *tholah, vermiculum* denotās, aut *Coccum bis tinctum.* Septuaginta: *Si fuerint vt Coccinum.* Eam lectionem ſequuntur Latini, & Græci Patres ſupra relati. Procopius cenſet eſſe augmentum rubri coloris, dicens: *Purpura rubibus coccinum.* Sed in Vulgato eſt *vermiculus* lanæ tinctorius, qui ex cocco naſcitur. De quo Plinius libro 24. cap. 4. *Coccum ilicis in Aſia naſcens, celerrime in vermiculos ſe mutans, quod ideò ſcolecion vocant.* Sed Hiſtoria Plantarum vbi ſuprà hæc ſcribit: *Quantum ad vermiculos attinet, ſcire licet, cocci omnes, ni tempeſtiue legatur, aut tempeſtiuè collecti, ni feruentiſſimo Soli exponatur, aut in calentem furnum immittatur, aut vino albo irroretur, ſuccum in vermiculos commutari.*

De quo vermiculo ſermo ſit apud Iſaiam?
Lect. Lxx.
Procop.
Plin.
Vermis Scolecion.
Hiſt. Plant.

7. Sed audiamus Conradum Geſnerum tomo de Aquatilibus libro 4. de purpura, fol. 782. in quo ex Suida, & aliis hæc verba refert: *Herba, qua purpura tingitur, è radice, quibuſdam locis, vermiculus eruitur: qui curatus, ſericis præcipuè tingendis, purpuram facit incomparabilem, cæteros ſplendore quodam, & hilaritate ſuperans: quidam charmaſinum appellant colorem, quoniam vermiculus is Punica lingua charmes appellatur, quemadmodum, & coccus.*

Conrad. Geſnerus.
Suid.
Vermiculus tinctorius.

8. Ibidem fol. 783. de vermiculo *Chermes* ex Braſauolo in libro de ſyrupis, ſequentia transferre: *Chermes vero quanquam & ipſum ab antiquis cocci nomine comprehenſum videatur, vt ſit forte coccus ſcolecius, ſeu vermicularis ex radicibus herbarum quarumdam ſumi, eóque charmeſinum colorem tingi floridiorem quam è cocco. Ego (inquit) frequenter examinaui, & granula circa radices collegi; quæ breui tempore in vermiculum tranſeunt, aperitur enim ſemen, ſi ita vocandum eſt, & parua quædam formica alata exit, quæ auolat, exterior cortex inanis relinquitur ad tincturam inutilis. Et hic eſt cocci vermiculus, qui apud Diuum Hieronymum reperitur, & in ſacris literis legitur tinctura ex vermiculo.*

Braſauol.
Chermes.

9. Nec grauabor verba Cardani lib. 9. de varietate rerum; quæ ibidem ſcribuntur, referre: *Hyparchus amnis per Indiam fluit, ad cuius fontes flos purpureus naſcitur, quo purpura floridior quoque quam Græcanica tingitur. Ibidem animalcula cantharī magnitudine viſuntur, rubro cinnabaris colore, pedibus prælongis, & vermis inſtar mollia. Oriuntur ea in arboribus, quæ ſuccinum ferunt. His tritis Indi purpureo colore, veſtes, tunicas, & quæcumque voluerint, inficiunt: quæ Perſicis etiam tincturis præferuntur.* Ex quibus omnibus ſit manifeſtum, quis ſit vermiculus ad fucandas purpuras inſeruiens, de quo in iis verbis agitur: *Rubra quaſi vermiculus.*

Cardan.
Flos purpureus, & Indicus vermiculus.

10. Niſi forſan Iſaias de alia vermiculorum ſpecie loquatur, qui appellantur purpura, aut murices. De quibus Plinius libro 9. cap. 36. *Purpuræ vocantur ſicut murices: purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus, in mediis habent faucibus: liquoris hic minimi eſt in candida vena, vnde pretioſus ille bibitur, nigrantis roſæ colore ſublucens.*

Purpura & Murex.
Plin.

11. Nunc verò ad interpretationem accedamus. Enumeratis in hoc capite Iudæorum flagitiis, & morbis,

Senſus verborum.

morbis, poterat eſſe in eis animus perculſus, & abiectus, & ſpes recuperandæ ſanitatis fractior; eos erigit, & excitat ad ſpem recuperandæ ſalutis dicens: *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum*, quaſi dicat, id, quod eſt difficile naturæ, facile eſt Dei potentiæ, etenim lana, & veſtis ſanguine vermiculi, & muricis tincta, & medicata, cocci, aut animalculi Chermes cruore, & ſanie penitus imbuta, multóque ſaturata conchylio; millies lota, & attrita non poterit floridum illum colorem eluere. At ſtolæ animarum veſtrarum, licet ſanguine Deicidij madeant, & purpureo, & Phœniceo ſcelerum colore rubeſcant; licet ſint adeò infectæ peccatorũ cruore ſicut purpuræ Tyriæ cocco, & dibaphæ, ac Laconicæ, ſuper niuem dealbabuntur. De purpuris Tyriis Siluius lib. 1. de med. ſimpl. ſcribit: *Etenim Tyrio primum tinctas, mox & cocco tingere mos erat. Nam, & tertio, & quarto, & quinto ſaturabantur. Vnde illa veſtimenta monocoros, dicoros, Tricoros, tetracoros, Peutacoros in vitis Principum.* Et Caſſiodorus lib. 1. variar. epiſt. 2. ait: *Vt cripes illi lactei carneo poculo bis térque ſatiati, pulcherrima minus ebrietate rubuerint, aut lanæ non auxerint adorandi muricis pretioſiſſimam qualitatem.*

Silu.
Tyria purpuræ tinctura.

Caſſiod.

Quocirca ſi fuerint animi veſtimenta iterum, aut millies roſeo criminis colore imbuta, atrocitate ſcelerum, flagitiorum repetitione, peccatorum grauitate, aut ignominia; quæ omnia colorem ſanguineum, & purpureum augeant; ſi ea laueritis lauacro baptiſmi, aut pœnitentiæ, ad quod ſupra ſum hortatus dicens: *Lauamini, mundi eſtote*, ſtatim in candorem mundiſſimæ lanæ, & in albedinem niuis, qua in rerum natura nihil eſt candidius, tranſmutabuntur. Vnde ſanctus Ambroſius in Pſal. 50. ait: *Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum, id eſt, ſi cruenta, ſi tetra, mundabo.*

D. Ambr.

12. Cur Iudæorum crimina cum colore puniceo & cum purpura comparat? Alibi in ſacra Pagina vocantur putredo, abominatio, nigredo: hîc verò coccum, & purpura. Et iure quidem optimo, nam licet alij Vates dicant; ſi fuerint peccata veſtra, vt tenebræ, & nigredo, ſi fuerint vt pellis Æthiopum, vt niuem dealbabo; Iſaias tamen aſſerit: ſi fuerint vt coccinum, vt vermiculus, vt purpura. Ratio eſt, quia in textu antecedenti Deicidium Iſaias potiſſimum redarguit, ſcelus illud horrendum, & deteſtandum, quod manus inieciſſent in Ieſum, eáſque oſtenderent Chriſti madentes ſanguine; ſic exponunt antecedentia verba: *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Sanctus Hieronymus dicens: *Effuderunt ſanguinem iuſti, & peſſimi coloni heredem ad ſe miſſum interfecerunt.* Sanctus Cyrillus: *Manus Iudæorum filij ſui ſanguine rubentes.* Cum ergo peccatum iſtud in morte Chriſti, & effuſione ſanguinis ipſius, qui eſt omni purpura pretioſior, conſtaret; merito peccata illorum, qui ſanguinem fuderunt, & manus habebant rubentes ſanguine, qui dixerunt: ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, eóque erant tincti, & infecti, cum rubore cocci, & ſanguineo purpuræ colore comparat. Aptè ergo Rupertus libro 1. Commentar. in Iſaiam capite 6. inquit: *Si fuerint peccata veſtra peccata Sodomorum vt coccinum, quoniam eſtis Principes Sodomorum. Si fuerint peccata veſtra peccata homicidarum, quaſi vermiculus, quoniam occidiſtis Chriſtum. Velut lana alba erunt, vt iam non appareat ſanguis eius ſuper vos, ſed candidam gratia veſtimentum.*

Cur Iudæorũ ſcelera coccus, & rubedo nuncupentur?

Iudæi Dei ſanguine purpuraſcẽt & rubeſcũt.

D. Hier.

Rupert.

13. Accedit, quod ad denotandum peccatum Deicidij, quod inter reliqua Iudæorum peccata caput extulit; nullum aptius ſymbolum purpura. Erat inter antiquos hoc commune proloquium *purpura vorax, voracior purpura.* Refertur ab Athenæo lib. 3. ductumque exiſtimat ab acri, nitore, viuidóque purpuræ colore, quo res proximiores inficit, reliquóſque colores ad ſe ſe rapit, ſuo, & Regio ſplendore obſcurat, & vorat; ſic etiam peccatis omnium hominum, cum Iudæorum ſceleribus collatis, poſſunt iſta nuncupari purpura vorax, nam ſua grauitate, & atrocitate omnia flagitia ſuperant, ita vt in eorum conſpectu videantur, non apparere. Vel fortè vocantur purpura Iudæorum peccata à Deicidio, quod quaſi peccatum capitale, & Rex peccatorum, quod reliqua omnia grauitate ſuperauit. Hoc poſtremum indicat ſanctus Cyrillus Alexandrinus ad ea verba: *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine*, dicens: *Audiſne eum cæteris criminibus prætermiſsis, cædis dicam, impingere? Tametſi pluribus eos vitiis implicatos eſſe deprehendimus. Nam audierunt: væ genti improbæ, populo vitiis onuſto, ſemini maleſico, filiis perditis; cum vero etiam Prophetas trucidarunt, ipſique Chriſto omnium noſtrum Seruatori, impias manus attulerunt. Hinc, & quidem iure optimo grauiſſimam accuſationem, & ad condemnandum ſatis capitalem illis intendit.* Quia ergo capitale peccatum, quo inter omnia, caput veluti Imperator ſcelerum efferebat, purpura vocatur.

Peccatum Deicidij denotatur in purpura.

Adagium. purpura vorax.
Athen.

D. Cyrill. Alex.
Deicidium capitale crimen, & velut Rex criminum.

14. Demum alius ſenſus in illis verbis includitur; *Quaſi nix dealbabuntur, velut lana alba erunt.* Ita vt tacitè innuat Vates originem candoris, & albedinis, ſcilicet Chriſti humanitatem, & ſanguinem; id eſt, eodem ſanguine, quem fudiſtis, quoque manus veſtræ plenæ ſunt, niueum candorem inducetis, omni purpura ſplendidiorem; in ſanguine agni, quem occidiſtis, ſtolæ veſtræ dealbandæ, & abluendæ peccatorum ſordes. Hoc inſinuat ſanctus Hieronymus hîc ſcribens: *Peccata quæ prius in modum coccini ſanguinea fuerant dimittentur; & opera cruoris, at ſanguinis, veſte Domini mutabuntur, quæ de agni confecta eſt vellere.* Et hoc tantummodo voluit Tertullianus libro 4. contra Marcio. cap. 10. Chriſtus etiam vocatur vermiculus Pſalm. 21. & à Ruperto ſupra, quia ſuo ſanguine velut liquore Regio, & purpureo, & roſeo inficit ſanctorum animas, & maculas eluit. De quo infra fuſè dicendum in ſecunda parte huius verſiculi; nunc verò prior pars illuſtranda eſt.

Chriſti humanitas, & ſanguis origo albedinis & candoris.

D. Hieron.

Ieſus eſt vermiculus tinctorius.

TRANSLATIO LXX.
Interpretum illuſtratur.

Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum.

Phœnix Chriſtianus pœnitentiâ renouatus proponitur.

1. TRANSLATIO LXX. Interpretum eximium continet documentum, ad mores informandos; dum legunt: *Si fuerint peccata veſtra ſicut Phœniceum:* Scio phœnicem denotare purpureum, aut rubrum colorem; ſcio etiam, quod aliqua, quæ phœniceum colorem referunt φοῖνιξ phœnix nuncupantur; Plinius lib. 22. cap. 25. *Eſt & herba phœnicea appellata à Græcis, à noſtris vero hordeum murinum.* & Græcè dicitur φοῖνιξ à phœniceo

Lect. LXX.
Verbum Græcum φοῖνιξ quid denotet.

Plin.
Herba Phœnicea.

niceo colore : Palma propter eundem colorem phœniceum dicitur *phœnix:* imò Phœnix auis à multis celebrata à palmula dicitur phœnix, quæ ſingulis annis renaſcitur, vt annotant Budæus, Tuſanus, Conſtantinus ex Theophraſto lib. 1. hiſtor. Plant. & Herodoto: Hinc eſt quod Tertullianus propter ſimilitudinem, quam habet Phœnix auis cum quodam genere palmæ, quæ moritur, & renaſcitur; tranſtulit locum Pſal. 91. v. 13. *Iuſtus vt palma florebit* l. de reſurrectione carnis c. 13. *Iuſtus vt phœnix florebit.* Et quod caput eſt, phœnix, ita vocatur, eo quod phœniceum colorem referat, vt retulimus ex Iſidoro in Commentario literæ lib. 12. etymolog. cap. 7. *Phœnix dicta quod dolorem phœniceum habeat.* Vnde non mirum, ſi peccator ex phœniceo criminum colore in alitem cæleſtem renaſcens, dicatur phœnix: quare LXX. interpretes legentes: *ſicut phœniceum*: alludere videntur ad phœnicis purpureum colorem, & cum in illis verbis ſermo ſit de immutatione, quam ſanguis Chriſti per Sacramentum pœnitentiæ operatur in anima; renouationem phœnicis, & pœnitentis proculdubio Iſaias comparat, quando pœnitens ex amara pœnitentiæ myrrha nidum conſtruit, & ſe totum in rogo charitatis ſuccendit, in cæleſtemque alitem transformatur. Vermiculus phœniceus, & vermiculus tinctorius cocci, ſimillimi ſunt, dum vterq; in alitem immutatur, vt phœnicis immutationem portenderet. De vermiculo ſupra; de altero infra dicendum, color etiam puniceus, & purpureus per excellentiam nuncupationem traxit à viuido illo, floridoque purpuræ colore, qui in alis, & corpore phœnicis micat, de quo ſtatim dicendum. Aſſimilatur tantummodò phœnix, & pœnitens in eo, quod ſicut phœnix ex purpureo colore tranſit in alitem, ſic pœnitens ex peccatorum rubore immutatur in volucrem cæleſtem. Sed diſſimilitudo reperitur, nam phœnix ex vermiculo creatur in auem eiuſdem coloris purpurei, at pœnitens in niuis candorem immutatur. *Si fuerint peccata veſtra ſicut phœniceum; ſicut nix dealbabuntur.* Sed in hoc quoque analogia inuenitur, quia peccator pœnitens ex peccatorum rubedine migrat in purpureum, & roſeum ſanguinis Chriſti florem, ipſóque cruore Deifico tinctus, rubeſcit.

Bud. Tuſan. Conſt. Theoph. Herod. Tertull. Iuſtus floret vt Phœnix. D. Iſid. Phœnix à phœniceo colori. Phœnix. & pœnitens ab Iſaia comparantur.

3. Vt æquiparatio ſit perſpicua operæpretium duxi ex probatiſſimis Anctoribus, & Eccleſiæ primoribus referre Phœnicis auis inſignia, vt ea phœniceo pœnitenti facilius, & pulcrius adaptemus. De Phœnice Plinius lib. 10. cap. 2. *Aquila narratur magnitudine, aurifulgore circa collum, cætera purpureus. Seneſcentem caſſia, thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuperemiori. Ex oſſibus deinde, & medullis eius, naſci vermiculum, inde fieri pullum, principióque iuſta funeri priori reddere. Et totum deferre nidum in Solis vrbem, & in ara ibi deponere.*

Phœnicis auis inſignia ex probatis auctoribus referuntur. Plin.

4. Et ſanctus Epiphanius in lib. Ancorates ait: *Vbi cognouerit tempus mortis ſuæ, rogum ex aromatibus ſibi conſtruit, propryt pedibus, ac alis pectora ſua valde pulſans, ignemque à corpore ſuo proferens, ſubiectam materiam in loco incendit, atque ſic ſeipſum exurit, & omnes carnes ſuas cum oſſibus. Verùm ex Dei diſpenſatione nebula demittitur, quæ pluuiam effundit, & flammam corpus alitis conſumentem extinguit.*

D. Epiph.

5. Sanctus Ambroſius libro 5. exam. cap. 23. *Auis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix, cùm ſibi finem vitæ adeſſe præſagâ quadam naturæ ſuæ æſtimatione cognouerit, thecam ſibi de thure, & myrrha, & cæteris odoribus adornare, completóque opere pariter & tempore intrare illam, atque emori: ex cuius mox humore oriri vermem, paulatimque eum in eius auis figuram concreſcere, vſumque formari: ſubnixam quoque remigio pennarum, renouatæ vitæ officia, munere pietatis ordiri, nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum reſurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens reſurrexit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit.*

D. Ambr.

6. Et in ſacra litteratura iuſti renouatio cum renouatione phœnicis comparatur. Pſalm. 91. verſ. 13. *Iuſtus vt palma florebit:* Græcè eſt: *vt phœnix*, quam lectionem amplectitur Tertullian. libro de Reſurrectione carnis; *Deus enim*, inquit, *in Scripturis ſuis, & florebis*, inquit, *velut phœnix.* Sed ſingula phœnicis ornamenta accuratè aptemus homini exomologeſim operanti.

Tertull.

7. Primum. Phœnix ex caſſia thuris, & myrrhæ ſurculis conſtruit nidum, ex Plinio, Epiphanio, Ambroſio, adde ex Lactantio in poëmate de phœnice, hæc carmina:

Colligit hinc ſuccos, & odores diuite ſylua,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs.
Cinnama dehinc, aurámque procul ſpirantis amomi,
Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lacrymæ, guttáque pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis.

Primum phœnicis inſigne. Lact.

Sic homo pœnitentiâ renouandus virtutum thecam, & nidum conſtruit, illúmque potiſſimùm texit ex doloris thure, contritionis caſſia, pœnitentiæ, & amaritudinis myrrha.

8. Secundum. *Pectora ſua valde pulſat*, vt indicia illa exomologeſim operantis demonſtret: manibus percutere pectus ſolet peccator, vt animi dolorem inſinuet, & diuinum numen exoret, vt patet in pœnitente publicano Lucæ cap. 18. v. 13. *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.*

Secundum inſigne.

9. Tertium: Ignem à corpore proferens ſeipſum exurit, & omnes carnes ſuas cum oſſibus ex Epiphanio; & Lactantius ſupra id celebrat.

Intereà corpus genitali morte peremptum
Æſtuat, & flammas parturit ipſe calor.
Aetherióque procul de lumine concipit ignem,
Flagrat, & ambuſtum ſoluitur in cinerem.

Tertium inſigne. Epiph. Lact.

Sic pœnitens prauos affectus, & deſideria inordinata litans Deo, ſeipſum offert in holocauſtum, & per flammam charitatis, & amoris Dei ſuper omnia, ad vitæ cæleſtis nouitatem tranſit.

10. Quartum. *Ex Dei diſpenſatione nebula demittitur, quæ pluuiam effundit*, quibus annuere videtur Firmianus, & cum Epiphanio conſonat his Carminibus.

Quartum inſigne. D. Epiph. Lact.

Ambroſios libat cæleſti nectare rores
Stellifero teneri, qui cecidère polo.
Hos legit, his mediis alitur in odoribus ales.

Sic pœnitens dum ſeipſum eluit, in protectione Dei cœli commoratur, cœlitum delicias delibat velut ſpiritalis vitæ primitias, ſuáque oculorum lumina præ doloris magnitudine ſuauiſſimis irrorantur lacrymis, hæc enim ſunt ſtillicidia, quæ veniunt de ſupernis.

11. Quintum. *Inter cineres, vermem, tumulum mortis, renouatur.* De verme Plinius ſupra: *De oſſibus, & medullis eius naſci vermiculum*, & Ambroſius: *Ex cuius humore oriri vermem.* S. Auguſtinus ſerm. 8. ad

Quintum inſigne. Plin. D. Ambr. D. Auguſt.

fratres de monte Dei ait: *Ex quibus cineribus vermiculus naſcitur.* In quibus verbis cineres, & vermiculum exprimit. S. Ambroſius ſupra *tumulum* nuncupat, & Lactantius.

D. Ambr. Lact.

Flos velut in maſſam cineres in morte coactos
Conflat, & effuſum ſeminis inſtar habet.
Hinc animal primum ſine membris fertur oriri,
Sed fertur vermis lacteus eſſe color.

Quia pœnitens ad conſpectum tumuli, cineris, mortis, & vermis facilius compungitur, & felicius immutatur.

Sextum inſigne. Plin. Lact.

12. Sextum. *Expectare phœnicem orientis Solis lumina: totum deferre nidum in Solis vrbem, & in ara ibi deponere*, ex Plinio ſupra: adde Lactantium occinentem:

Ante tamen proprio quidquid de corpore reſtat,
Oſſaque, vel cineris, exuuiáſque ſuas.
Vnguine balſameo, myrrháque, & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio,
Quam pedibus geſtans contendit Solis ad ortus,
Inque ara reſidens, ponit in æde ſacra.

Sic verus pœnitens carnis exuuias, laqueos criminum, occaſiones, lapſus debet Domino Ieſu dedicare, & in ara Solis iuſtitiæ pro anathemate ſuſpendere. Pœnitentis phœnicis delineauimus vmbras, viuis nunc conceptum coloribus, & venuſtis diſcurſuum pigmentis illuminemus.

Phœnicis innouatio mira.

DISCVRSVS I.

Egregium Spiritus ſancti opus, Hominis per pœnitentiam innouatio, quæ tunc perfectè fit, quando depoſitis criminum exuuijs, nouæ vitæ formam moribus animus oſtendit.

1. INNOVATIONE cuiuſlibet animantis, & volucris, quam quotidie miramur, hominis renouatio mirabilior, quando per pœnitentię lauacrum ex turpi ſcelerum vetuſtate migrat in Angelicam ſpeciem, Solis fulgorem, niuéumque candorem; animi renouationem naturæ auctor adumbrauit in annua volucrum innouatione. De ſingulis annis iuueneſcente accipitre S. Iob fatur c. 39. v. 26. *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum:* quem locum S. Gregorius Magnus l. 31. moral. c. 18. pulcherrimo verborum ornatu ad noſtrum inſtitutum expendit ſcribens: *Quid eſt accipitrem in auſtro plumeſcere, niſi quod vnuſquiſq; ſanctorũ tactus flatu ſancti Spiritus concaleſcit, & vnum vetuſtæ conuerſationis, abyciens, noui hominis formã ſumit? Et bene ait: expandit alas ſuas ad auſtrum, alas quippe noſtras ad auſtrũ expandere, eſt per aduentũ S. Spiritus noſtras, confitẽdo, cogitationes aperire, vt iã non libeat defendendo nos tegere, ſed accuſando publicare. Tũc ergo accipiter plumeſcit; cũ ad auſtrũ alas expãderit, quia tũc vnuſquiſque ſe virtutũ pennis induit, cũ ſancto Spiritui cogitationes ſuas confitendo ſubſternit: qui enim vetera fatendo non detegit, noua vitæ opera minime producit: qui neſcit lugere quod grauat, non valet proferre, quod ſubleuat: ipſa nãque vis poros cordis aperit, & plumas virtutũ fundit: cúmq; ſe ſtudioſe mens de pigra vetuſtate redarguit, alacri nouitate iuueneſcit.* Hac nouæ iuuentæ accipiter imagine hominis renouationi præludit, in qua Spiritus ſanctus aura cæleſti cor humanum tangit, & igne charitatis accendit, de peccatis homo cõpungitur; compunctione aperitur cor, ex eo exiliũt plumæ antiquæ vetuſtatis, & in cæleſtem alitem tranſmutatur.

Accipitris innouatio.

D. Gregor. Magn.

Iuſti feruore ſancti Spiritus vetuſtã conuerſationem abyciũt, & noui hominis formam ſumunt.

Alas expandere ad Auſtrum, eſt sãcto Spiritui cogitationes confitendo ſubſternere.

2. Dauid Deum huius renouationis cognouit Auctorem, cámque enixè poſtulabat. Pſ. 6. l. 5. *Conuertere Domine.* Nunquid Deus conuertendus, immutandus? quid Creatoris conuerſionem expoſtulat? numquid Creator aliquo criminis lapſu à ſeipſo auerſus eſt, vt cõuerti ad ſeipſum Rex ſapiens exoret: *Conuerte me Domine* clamarem ego, non *Cõuertere.* Sed Pſaltes protulit irreprehenſibile verbum, nam illius ſenſus eſt, vt ait S. Auguſt. *Id eſt, fac me conuerti cũ ipſa ſua conuerſione difficultatem, laboremque ſentiret, nam perfecta noſtra conuerſio paratum inuenit Deũ, ſicut Propheta dicit: tanquã diluculum paratũ inuenimus eum: quoniam vt eũ amitteremus, nõ eius abſentia, qui vbique adeſt, ſed noſtra fecit auerſio. Dum enim nos cõuertimur, & mutatione veteris vitæ reſculpimus ſpiritum noſtrum; durum ſentimus, & laborioſũ ad ſerenitatẽ, & trãquillitatem diuinæ lucis, à terrenorũ cupiditatibus caligine retorqueri.* Quod Deus conuertatur ad Hominẽ, egregius Pſaltes requirit; ſicut enim Deus, homine peccãte, ab ipſo auertitur, cùm conuertitur ad Deũ, Deus ad ipſum hominem conuertitur: poſcit Dauid, vt mundi illecebras, & laqueos Dæmonis à quibus ſe extricari cupit, diſſoluat, difficultates, & labores conuerſionis gratia ſua vincat; hocq; auxiliũ omnibus præparatũ apto illuſtriq; teſtimonio adſtruit Auguſtin. Oſeæ c. 6. v. 3. iuxta vulgatũ legitur: *Quaſi diluculũ præparatus eſt egreſſus eius.* In quo de Chriſti reſurrectione, quando cõculcata morte, & fugata peccati caligine orbi terrarũ matutinus illuxit, ad literã ſermo eſt. Sed Auguſt. verſionem LXX. interpretũ ſectatur legentiũ: *Quaſi mane paratum inueniemus eum.* Et gratiæ Chriſti, quæ parata eſt omnibus, pulcrè aptat, cámq; cum aurora comparat, ſicut enim diluculum omnia illuſtrat, & ſplendidi humoris guttulis irrorat, ſic gratia Dei mentem peccatoris tenebroſam colluſtrat, vt nouũ, & ſecundum Deum hominẽ pariat; cor fœcũdat, & cæleſti lacrymarũ rore perfundit. Initia quippe & progreſſus cõuerſionis in Deũ refundit; ipſe dat peccatori, velle, & perficere immutationẽ ſuã: non eſt prætereunda ſilentio Auguſtini ſententia: *Mutatione veteris vitæ reſculpimus ſpiritũ noſtrum.* Cæleſtem illã gratiæ formã, & pulcherrimã ſanctitatis imaginem turpem reddidit, ac deformẽ peccatũ, vitiorũ tenebris, & ſqualore horrentẽ, ac tenebricosã, vt renouetur per pœnitentiã Deo adiuuante, ſpiritus reſculpitur: quo vſus eſt verbo Auguſt. vt elaboratam ab homine formã indicet, & quantũ laboris, & operæ impendat in hac ſculptura, ſculpere enim eſt materiæ formã inducere cædendo, percutiendo, vt enim dolet, & læuiget lignũ ſculptor, quod in ſtatuã, & effigiem alicuius diui efformat, ſumma ſolertia, atque ingenio terebrat, & ſcapellis ferreis perforat; mallei percuſſura inciſiones extrahit, vt perpolitum, & limatum opus perficiatur; ſic vt reſculpas ſpiritum malleo comminationis diuini iudicij conterendum cor, compungendum, & terebrandum diuinæ offenſæ doloribus, corpus tanquam dolabris cædendum flagellis, vt reſculpas ſpiritum, ſitque ſanctitatis ſimulacrum.

Qua ratione Deus conuertatur?

D. Auguſt. *Homo in conuerſione ſuæ auxilium poſtulat propter laborem, quẽ experitur.*

Deus paratus tanquam diluculum.

Mutatione veteris vitæ reſculpimus ſpiritum.

Lect. LXX.

D. Auguſt. *Quid ſit ſpiritum, reſculpere.*

5. Hæc noua fictio Spiritus ſancti opus eſt, idque debemus Deiparæ quandoquidem illius ſculpturæ exemplar, & ſimilitudinem primam in aula

virginis

Deus in vtero Virginis noui hominis imaginem fingit, vt ad eius ſimilitudinem renouemur.

virginis ipſe operatus eſt, ideo enim ſuperuenit in Dei genitricem, & virgineum vterum fœcundauit, vt noua Eua, & viuentium gratiæ vita, mater, omnes filios Adæ gigneret, & pareret conformes filij ſui imagini, renouatâ, & refictâ formâ noui hominis cæleſtis, quam amiſeramus in Adam terreno. Hic ſenſus eſt Pauli 1. Corinth. cap. 15. verſ. 48. *Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.*

D. Chryſ.

S. Petri Chryſologi hunc locum enodantis magnum eſt acumen ſermone 117. ſic fatur: *Quemadmodum non nati taliter, tales poterunt inueniri non manendo quod nati ſunt, & quod renati ſunt permanendo; hinc eſt fratres quod virgineum fontis vterum cæleſtis ſpiritus arcana luminis ſui admixtione fœcundat: vt quos origo limoſæ ſtirpis profuderat ſub miſera conditione terrenos, cœleſtes pariat, & ad ſimilitudinem ſui perducat Auctoris, ergo iam renati, iam reformati ad noſtri imaginem Creatoris.* Gratias Deiparæ quæ ab inueterato homine ſpolia reiicit vetuſtatis, cúmque noui hominis, quem peperit, induit veſtimento; & dum genuit hominem Deum, & facta eſt mater gratiæ, filios ſpiritualiter genuit ſimiles Deo, & cæleſti proli conformes: Spiritus ſanctus in vtero virginis tanquam in terra paradiſi virginea, dum ſecundum Adamum effingit, nouam in eo cæleſtis hominis imaginem tanquam in ſacrario conſtituit, vt iuxta illius normam, & ſimilitudinem, renouatæ vitæ ſpeciem homines formarent.

Oecum.

Per Spiritum ſanctum perficitur renouatio media pœnitentia.

4. Renouationem Spiritus ſanctus operatur mediante pœnitentia: vnde ad ea verba Pauli ad Epheſios c. 4. v. 23. *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ,* ait Oecumenius: *Renouamini per Spiritum ſanctum, qui eſt in mente veſtra, nam Spiritus nullo modo vetera acta tolerat.* Eleganter verò eiuſmodi *Renouationem in Spiritu fieri dicit, nequaquam enim alij pro alijs fuimus, ſed per Spiritum eſt renouatio præeunte reſipiſcentia* (hoc eſt vera contritione) *qua vetuſtatem peccatorum abradit.* Renouatio pœnitentiâ fit in ſpiritu humano; ſed per Spiritum ſanctum perficitur, abolens vetuſtatem delictorum, & ſpiritalis vitæ imaginem inducens.

Domus animæ per peccatum ſubuertitur, per pœnitentiam readificatur.

D. Hieron.

5. Hoc opus inſtauratio domus animi à ſacra pagina nuncupatur. Pſalm. 95. Cuius inſcriptio eſt: *Quando domus ædificabatur poſt captiuitatem* Confractis vinculis criminum, & homine de Dæmonis captiuitate & poteſtate eruto, ſpiritalis domus, quæ fuerat ante dilapſa, reſtauratur, & ornatur charitatis faſtigio: hæc iuxta mentem ſancti Hieronymi in Pſalmorum Commentario, aientis: *Infelix Iudas, quando Apoſtolus erat, domus Dei erat, venit Diabolus, & accepit buccellam, & ſtatim intrauit Satanas in illum, & domus eius ſubuerſa eſt, & non eſt inſtaurata, quia non egit pœnitentiam. Si quis vero poſt peccata agit pœnitentiam, iſtius domus poſt captiuitatem readificatur: oremus ergo & nos Dominum, primum quidem vt non ſubuertatur domus noſtra, ne veniat Chaldeus, & Aſſyrius, & templum Chriſti in nobis ſubuertat; ſi autem ſubuerſum fuerit quaſi naufragio, ſecundo ſolatio per tabulam poſſumus ſaluari: quando domus ædificabatur poſt captiuitatem quotidie domus iſta Chriſti in pœnitentibus inſtruitur.* Magna vis pœnitentiæ, & architectonica, ſi ſpiritale cœlum, & domus animæ alto è culmine ruat, ipſa totum reſtaurat, & in antiquum ornatum, & ſplendorem reſtituit. Infelix Iudas, & qui eius æmulatur, quibus ſubuerſa domus eſt, & pœnitentia architectante non eſt fabrefacta.

Phœnicis cantus in ſua renouatione.

Lact.

6. Nec minori ſtupore dignum hoc nonum figmentum, hæc noua conſtructio, archetypo aſſimilata, quam phœnicis renouatio, nec inferior eſt vnâ, quam alterâ, æquos plauſus, & ſuauiſſima Cantica vtraque vſurpat; in immutatione ſuâ Phœnix voce ſuaui, & canora cantilenam fundit; quaſi lætitia geſtiês pro iuueneſcête ſenectute: id fatetur Lactant. in Carm. de Phœnice occinens,

Atque vbi Sol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura leuis.
Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus
Et mira lucem voce ciere nouam.
Quam nec Iulea voces, nec tibia poſſit
Muſica Cyrrhais aſſimilare modis.

Et Chriſtianus phœnix pœnitentiâ immutatus non edet cantus, & gratitudinis modulamina? Ea iure exigit in renouatis Regius vates ſuperiori Pſalmo: poſt tituli inſcriptionem orditur inſpiratum à Dei Spiritu ſacrum poëma, excitans commutatos ad occinendum ſuauiter. *Cantate Domino Canticum nouum,* ſubiungit S. Hieronymus: *Felix pœnitentia! licet rueris, tamen ſi egeris pœnitentiam, noua domus Dei diceris. Cantate Domino Canticum nouum; noua domus nouum meretur Canticum.* Addit fulgentiſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus ad ea verba Pſal. 39. v. 4. *Et immiſit in os meum Canticum nouũ, carmen Deo noſtro:* pulcherrimum conceptũ: *Dicebas veteres hymnos, quia vetus homo dicebat, non nouus homo. Fiat nouus homo, dicat Canticum nouum, innouatus amet noua, quibus renouatur, nam quid antiquius Deo, qui eſt ante omnia & ſine fine, & ſine initio? tibi fuit nouus redeunti, quia diſcedendo factus eras vetus.* Hominis immutatione omnia innouanda, laudationes, gratiarum actiones, & hymni noui proferendi, nouus homo nouum Canticum ſibi iure vendicat; adeò gaudet auctor renouationis tuæ, nouitate; vt ipſe, qui eſt in ſe innouabilis, & immutabilis exteriori mutatione ſuâ velit ipſe nouus nuncupari: *Tibi ſit nouus redeunti,* dum tibi reddit nouitatem vitæ, & filij delicias experiris.

D. Hier.

Renouata domus nouum meretur canticum.

D. Aug.

Cuſtodes ſepulturæ Chriſti obſiſtebant vitæ & innouationi.

7. Atqui innouationẽ renuunt, ſimiles ſunt militibus, qui Chriſti Domini cuſtodiebant ſepulcrũ, qui obſtruebant aditum vitæ, & innouationis fructum à ſeipſis abiiciebant, cum Saluatoris immutationẽ de morte ad vitam denegabant. De quibus Euangeliſta Matthæus alloquitur c. 28. v. 4. *Præ timore autẽ eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui,* in mortis, quod præ ſe ferunt, ſimulacro, ſua deſideria exprimunt, mortuis ſimiles circa tumulũ apparent, qui Saluatorem in æternum mori, & nũquam viuere cupiebant, ſoporatur inimica cohors, cæleſti lumini claudit lumina, & quaſi vita defunctus miles proſternitur; quia renouationis decora, & nouæ vitæ ſplendores cernere ipſis oculis perhorreſcit, aitq; S. Petrus Chryſologus ſerm. 74. inquit: *Miſeri, quos tunc percuſſit pauor mortis, quando ſecuritas redditur vitæ. Sed crudelitatis miniſtri, perfidiæ executores alienæ, fiduciâ ſumere quomodo poterunt de ſuperſtite? obſidebant ſepulcrum, reſurrectioni ianuas obſtruebant, & ne qua poſſet intrare vita, mors perire, ſeruabant, meritò eos Angeli perculit, & proſtratis aduentus. Miſera, quæ ſibi ſemper inimica mortalitas dolet ſe mori, ne reſurgere poſſit, oppugnat.* Cum ſepulcri cuſtodibus malitiæ æmulatione certat improbus, addictus crimini, tumulatus morte, obſiſtens gratiæ lumini, vias omnes ſalutis obſepiens, ne aliqua vitæ nouæ aura recreate valeat animum in ſepulcro paſſionum; ſic iacentem, mauult in criminum buſto æternis dãnatus æterũis quieſcere, quàm à Chriſto excitatus diſcutere ſomnũ, & ad meliõrẽ vitã innouari.

D. Chryſol.

Reſurrectioni ianuas obſtruebant.

7. Quàm diligens, & volucris ſponſa ad renouationem aſſurrexit! proiecit exuuias antiquæ vetuſtatis, & integrâ morum nouitate iuueneſcens ad ſponſum cucurrit. Cant. c. 5. v. 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham.* Conceptum accipe ex S. Nyſſeno ſcribente: *Per fruitionem & priuationem fit commutatio vitæ ac mortis: cum qui mortuus eſt bono, viuit malo: & qui mortuus eſt in vitioſitate, ad virtutem reuiuiſcat: quapropter pulcrè ſponſa manus ſuas myrrha plenas oſtendit, cum vitijs omnibus mortua reſurgat, vt Verbo aditum in ſe patefaciat*, hæc habet hom. 10. in Cant. Si verè innouari cupis, tecum ſtatue fruitionibus carnis, & mundi oblectamentis dare repulſam: qui deliciis appetitus immoritur, in ſpiritualem vitam immortalitatis æmulam reuiuiſcit: mirum Nyſſeni acumen: *Per fruitionem*, inquit, *& priuationem fit commutatio*: huic duplici polo, & cardini ſpiritualis immutationis ſtructura nititur, perfrui licitis, & ſe abſtinere ab illicitis; ſed hanc metam, perfectiori virtutis cultu ſponſa tranſiliit, cum etiam licitis occumbere concupiſcit, & vitiis omnibus mortua, ſponſo ſuo innouata reſurgat.

D. Greg. Nyſſ. *Vita innouatio fit per fruitionem, & priuationem, ſeu imperium.*

8. Proponam tibi immutationis ſpeculum, renouationis formam, perfectionem ſublimiſſimis documentis pleniſſimam. D. Ambroſium auſculta l. 2. de pœnitentia c. 10. fantem: *Renuntiandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum, quàm natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vſui, ſeipſum homo abneget, & totus immutetur.* Elegantique ſimili perfectam immutationem illuſtrat, quæ morum diuerſitate comprobetur: ibi ſubiungit: *Sicut quendam adoleſcentem fabula ferunt propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ: quæ vbi non interpellata, mirata putauerit non recognitam: rurſus occurrens dixerit: ego ſum, reſponderit ille, ſed ego non ſum.* Sit alter homo, qui ad meliorem frugem per pœnitentiam tranſiit; & vitæ nouæ effigies vultu, verbis, & moribus reſplendeat.

D. Ambr. *Qualis debeat eſſe vita renouati per pœnitentiam.*

Abnegandi ſunt affectus animi.

Phœnicis thus, & myrrha.

DISCVRSVS II.

Cùm inter inſipida doloris, mœſtitiæ, & laboris aromata nouus Homo naſcitur, ex amara pœnitentiæ myrrha ſuffitus efflatur ſuauiſſimus, quo omnes recreantur cœlicolæ.

1. OMNE pretioſum laborioſum eſt: non inducitur vitæ forma cœleſtis ſine contentione animi; & moleſtia, opus eſt, vt vigiliis, ſudore, aſsiduitate, & dolore ſe frangat improbus, multúmque laboris exandet, vt emergat de luto vitiorum ad ſplendorem gratiæ, nec niſi inter ſentes, & tribulos pungentes ſanctitatis roſa pullulat; necnon abſciſſo palmite germinat vinea; nec homo optatæ reſtituitur valetudini, niſi amara, & inſuauia pocula ebibat, quæ humores exhauriant; conſtanter criminum ſoluere nexus, & prauas cordis paſsiones exuere, quæ animum induunt, violenter ſpoliare ſe veterem hominem, & proiicere eius veſtimentum, induereque nouum, hoc opus, hic labor eſt; ſe ſe expoliantis, & exuentis hominis indumenta vetuſtatis, gemitus & ſuſpiria auſculto apud Paulum 2. Corinth. capite 5. verſ. 4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri; vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* Si ſpolia, & veſtimenta veteris hominis non eſſent extrahenda, ſed ſuperueſtiendus homo, indumento iuſtitiæ, non grauaret antiquæ vetuſtatis detractio, ſed quia antiquata veſtis abſcindenda neceſſariò eſt, vt ſtola gratiæ, & ornamentum animo adaptetur; homo ingemiſcit, cum tunicam mortis detrahit: nec aliena à Diuo Ambroſio mens, quandoquidem locum Pauli de immutatione hominis pœnitentis vſurpat in Pſalm. 38. ad ea verba: *Et ſubſtantia mea*, fatur: *Etſi ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſumus, grauat tamen nos in hoc corpore conſtitutos quædam terrena contagio, quæ non grauaret, ſi nos exuere malis veterem hominem, cum induimus gratiam, quam ſuperueſtire mallemus.* Et ſubnectit ſequentia: *Et ideò ingemiſcimus, & laboramus, donec mortale hoc veteris hominis indumentum, & errori effectum obnoxium, nouitate ſuæ vita ſpiritalis abſorbeat: vt ſi ſupra venenum, plurima mella fundantur, ægrè, ac nimis ſero veneni virus aboletur; aqua etiam multa diu cum veneni melle luctatur, ſi non illud expuat, ſed abſorbeat, ideo laborioſa pœnitentia, ſuauis gratia: quia peccatum expoliatur, vbi gratia eſt; abſorbetur, vbi pœnitentia.* Dulcedine gratiæ alleuiatur laboris pondus, & amarum pœnitentiæ pharmacum temperatur: Nunc percipitur Pauli mens, & Ambroſiana cogitatio: *Vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Vitam nuncupat pœnitentiam, & pœnitentiæ gratiam, in qua donatur animæ temporalis reſurrectio; quàm hians guttur, & dilatatæ fauces pœnitentiæ inſunt, quæ mortalia omnia crimina deuorat! quàm magna, quàm efficax virtus caloris, quæ omnia conſumit! non abhorret inſuauitatem acerbiſsimæ potionis, ſed inter gemitus, & faſtidia omnia abſorbet, & abolet; hic cernere licèt (vt Mediolanenſis Antiſtitis ſimilitudinem ſequamur) inter venenum peccati, & aquas lacrymarum contentionem, & luctam; ſed præualet lacryma, & venenum euacuatur; ſi veneno infeſto poculo, multum mellis miſceatur, ægrè ac nimis ſerò veneni peſtis abolетur, melque poſt multam decoctionem, & feruidum calorem, venenum expugnat; tu quoque vt mortiferum virus peccatorum abſumas, multum laboris, & anxietatis impendes, ſed mellea gratia venenum expuet: ideo eleganter ſubiunxit Ambroſius: *Ideo laborioſa pœnitentia; ſuauis gratia.*

Spoliatio veteris hominis.

D. Ambr.

Gemitus, & labores innouationis, & pœnitentia.

D. Ambr.

Peccati, & lacrymarum lucta.

D. Ambr.

2. Infeliciſſimam ſortem pœnitentis clamitat Tertullianus, qui ad genua Sacerdotis prouolutus crimen abſcondit, ne ſectiones, ignes, acerbitates doloris experiatur; quantò beatior, qui per exaſperans inſuaue medicamenti remedium reſtituitur ſanitati; & breui confeſſi criminis pudore perfectam vitam animæ compenſat: ſcribo verba Tertulliani libro de pœnitentia c. 10. *Miſerum eſt ſic ad exomologeſim peruenire; malo enim ad miſeriam peruenitur: ſed vbi pœnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare; miſerum eſt ſecari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari: tamen quæ per inſuauitatem medentur, &*

Vtilis pœnitentiæ acerbitas.

Tertull.

& emolumento curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem iniuriam ſuperuenturæ vtilitatis gratiâ commendant. Mordacis pulueris ſenſum, & amarioris medicaminis aſperitates breui temporis particula ſufferes, hæc omnia ſanitate, vita, innouatione morum remunerat Deus: mecum ipſe perpendo, cur tot ærumnas, & dolores ſuſtineat pœnitens, cum à laqueo criminis ſolui, & auolare cupit? & ſtatim occurrit, id iuſtè fieri, vt felleam, & abſinthiam amaritudinem ſceleris deguſtet, dum tantam peſtem euomit, foráſque proiicit; quia illius acerbitatem non ſenſit, quando venenum peccati melleâ voluptatis dulcedine illitum, & infectum potauit. Peccatum adeo amarulentum, vt eius aſperitate exacerbetur quodammodo, & amareſcat Deus, vnde per Oſeam dicitur c. 14. v. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum:* & ibidem Rupertus inquit: *Magna hæc, & terribilis cauſa, ſiue accuſatio eſt: Deus enim naturaliter dulcis eſt, nec parua poteſt eſſe cauſa, per quam ad amaritudinem concitatus eſſe videatur. Cor impœnitens hoc efficit, & huius criminis rea fuit Samaria;* ſicut enim cor impœnitens Deum, qui eſt ipſa dulcedo, prouocat ad amaritudinem, ita cor contritum prouocat ad ſuauitatem, & dulcedinem; lamentis, & amaritudinibus reple animum tuum, ô homo, vt ſicut peſtiferâ delectatione creatorem tuum ad amaritudinem concitaſti, amarulenta pœnitentiæ myrrhâ Deus ipſe dulceſcat; mirabilis effectus poteſtas penès hominem eſt, quem in ipſum creatorē refundit; de dulcedine peccantis amaritudo, de amaritudine pœnitentis egreſſa eſt dulcedo.

Pœnitentia inſuauitas ex fellea peccati amaritudine prouenit.

Peccatum exacerbat Deum, & ad amaritudinē prouocat.

Rupert.

3. Quid plura? ſi thus lucidum ſplendore innouationis fulgens ſplendeſcere cupis, prius tibi per acerbitatem myrrhæ tranſeundum, tranſitum ad montem thuris, per montem myrrhæ Chriſtus ſuo docuit exemplo. Cant. c. 4. v. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Chriſti Domini mortem, & reſurrectionem denotari per myrrhæ montem, & thuris collem, Theodoretus annotat cum ſcribit: *Quando, inquit adeo decora es, adeò formoſa, adeò pulcritudine excellens, & amoris erga me vulnere ſauciata, pro te mortem oppetam, & myrrhæ montem ſponte conſcendam, ſed iterum reſurgam, & reuertar ad collem thuris; vt per myrrham mortem ſignificet: per thus autem, naturam diuinam.* Itaque Saluator, animarum allectus decore per aſperitatem myrrhæ, & mortis ad immortalitatis ſplendorem migrauit, vt hominem inſtrueret, in reſurrectione de peccati ſordibus ad ſplendorem gratiæ, prius deguſtandum pabulum myrrhæ, & fellis; quam fauum mellis; prius inſipidum & myrrheum poculum exhauriendum, quàm volupe, & iucundum, quod in renouatione animi delibatur. Sed myſterium latet in verbis ſponſi, cur mortem Crucis montem; reſurrectionem verò, appellitet collem? mortis opprobrio deſcendit ad inferiores partes terræ, reſurrectionis verò ſcandit ad ſuperius gloriæ faſtigium, ideo mors, collis; reſurrectio mons foret nuncupanda. Sed myſterium detegit Theodoretus dicens: *Quærendum eſt igitur cur montem de morte loquens, dixerit; collem autem de Diuinitate? quia illud tam excelſum, atque arcanum, vt ab homine animo, & cogitatione nequeat comprehendi: cum in forma Dei eſſet, &c. humiliaſſe ſemetipſum vſque ad mortem crucis: vt autem ad propriam gloriam rediret, & clarificaretur eâ gloriâ, quam habuit, antequā mundus fieret, id vero nec magnum, nec laborioſum, immò facile admodum fuit, idcirco montem myrrhæ dixit, collem autem thuris, vt hoc ſibi facile demonſtraret:* *P. A. Luc. de Arcones* in Iſaiam.

Per montem myrrhæ ad montem thuris tranſeundum eſt.

Theod.

Ieſus aſcendit montem myrrhæ in morte, & collem thuris in reſurrectione.

Theodoret.

Cur Ieſus montē vocat mortem, reſurrectionem vero collem?

Glorificari Ieſum facile fuit, difficile valdè mori.

illud autem arduum in primis, propter humanitatem. Deum clauis ſuffigi, & mortis amaritudinem, & myrrham deguſtare, & experiri triſtitiam, & anxietates hominis animam agentis valde operoſum, & arduum, ideo montem excelſum mortem vocauit, ſed myrrhei montis altitudine ſuperatâ montes difficultatis, & laboris ad æquabilitatem, & planitiem redacti ſunt, ipſéque Dominus contritis laqueis mortis ad naturalem gloriam remeauit, quam nuncupat collem propter aſcenſus facilitatem. Phœnix ſacer Ieſus in Cruce nidulans, & in nidulo ſuo moriens. Sed ex myrrha, & thure nidulum ſapienter inſtruxit, viam innouationi ſternens; ex myrrha compactus eſt nidus, dum myrrhatum vinum libat in patibulo, & dolores mortis haurit, ex thuris ſurculis contexitur, quia vitam ſpe fulgidæ reſurrectionis profundit, ex viminibus vtriuſque aromatis cubile nectit, quia amaritudinem myrrhæ fulgor lucidiſſimi thuris comitatur: nec nouum eſt Chriſtum appellare phœnicem. Audi S. Petrum Damianum opuſc. 52. c. 11. *Phœnix eundem Redemptorem noſtrum morte ſimul ac reſurrectione deſignat.* Super ſtruem aromaticorum frondium incubat, vt præbens documenta innouationis, vt dum phœnicem humanum renouatio delectat, prius deguſtet acerbitatem myrrhæ, vt poſtmodum ad lucem thuris, & ſplendorem gratiæ transferatur.

Ieſus tanquā phœnix in Cruce nidulans.

D.P.Dam.

4. Accedit quod renouatio aromata expoſtulat, vt eorum nidore peccatorum fœtor aboleatur. Cū ad examen voco verba Ioannis Euangeliſtæ c. 12. v. 1. non inutilis quæſtio excitatur: cur Maria Magdalene ſemel, & iterum Ieſu pedes vnxit? Cum lamentis, & lacrymis veniam exorat, Ieſu pedes lacrymis lauit, vnguento vnxit: Lucæ c. 7. v. 38. Sufficit pedes Ieſu vnguento ſemel delibutos; cur ſecundò poſt Lazarum ſuſcitatum, vbi in eadem mēſa cum Ieſu accūberet, ſuper pedes Ieſu effudit vnguentum pietatis, & totum repleuit tricliniū ſuauiſſimis odoribus? factū teſtatur Euangeliſta Ioan. c. 12. v. 3. *Maria accepit libram vnguenti nardi piſtici, pretioſi, & vnxit pedes Ieſu: & domus impleta eſt ex odore vnguēti.* Erat ibi Lazarus de putredine, & puluere ereptus, de quatriduano tumulo ſuſcitatus, qui peccatorē innuebat obſitum ſqualore vitiorū, criminū ſordibus inhorrētē, qui neceſſe eſt, vt ex pœnitentiæ myropolio vnguenta deducat, & criminū fœtorem abſtergat, charitatis igne incendat odores cōpunctionis, qui ex myrrha; & cōtritionis, qui afflantur ex thure; vt domus Dei ſuauiſſimis odoramentis compleatur. In hunc ſcopū collimaſſe videtur S. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 8. inquiens: *Quod igitur de Lazaro legimus, in vnoquoque debemus cōuerſo peccatore credere, qui licet fœtorem habeat, tamē fidei pretioſa emendatur vnguento, tantum enim gratiæ fides habet, vt vbi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus.* Et poſt pauca ſubiungit: *Itaque liberato peccatore factum eſt in ea gaudium magnū, & redoluit domus tota ſuauitate gratiæ: huius igitur effuſione vnguenti lætantur omnes, ſolus Iudas contradicit.* Qui ante fœtebat peccator, cōfidēs diuinæ viſceribus pietatis, & toto corde compungitur, vnguenta, balſama, myrrhas, caſias; thura rēdolet ſuauiſſima: iiſque Dei domū ſuffumiget, & tam iucundis ſuffimentis expiat, quæ licet ſint ingrata proditori, feſtiua ſunt, & amœna cælicolis.

Odore pœnitentiæ, fœtor peccatorum aboletur.

Cur Magdalena Ieſu pedes ſemel, & iterum iunxit vnguēto.

Lazarus peccatorem innuebat, qui fidei, & pœnitentiæ odore domum Eccleſiæ ſuffumigat.

D.Ambr.

Pœnitentiæ vnguentum ſoli Iudæ malè olet.

5. Denique ipſum Dæmonem fugant Tobias iunior, & Angelus comes, huius ſcientiæ expellendi Dæmones peritiſſimi, cùm enim in flumine Tigris occurriſſet eis piſcis immanis hianti ore

Piſcis à Tobia exenterati cor, & fel, aptiſſima ad medicamina.

paratus ad prædam, Angelo excitãte, & auxiliante eum apprehendit brachiis, exenterauit, & in fruſta concîdit; Angelus poſtea ſuum adiecit imperium, Tob. cap. 6. verſ. 5. *Cor eius, & fel, & iecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.* Et dum eius vires, & efficaciam curioſe perſcrutatur Tobias ab Azaria fratre, in hæc verba reſpondit, ibi v. 8. *Et reſpondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum.* Quis mihi daret, vt eſſem Angeli, & Angelici iuuenis itineris ſocius, & de torrente huius mundi, qui velociori, & citatiori curſu, quàm Tigris fluit, piſcem peccatoris immanem aculeo Verbi Dei, & fune prædicationis extraherem, piſcatoris munere libenter perfungerer;

Cõpunctionis, & pœnitẽtiæ nidor Dæmonem expellit.

Angelicáque, ſaluti redimendæ, darem monita, vt felle deformatam, & turpificatam maculis, animi veſtem ablueret; cor ſuum charitate cremaret, incenderet odores, iiſque Dæmonem pelleret. Hæc

Radul. Flau.

pulcrè excogitauit magnum Radulphi Flauiacenſis ingenium, qui lib. 4. in Leuit. ad ea verba c. 4. *Quidquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur:* ita fatur: *Huius cordis particulam quiſquis à Dæmone oppreſſus ſibi aſſumpſerit, imponat illum prunis ardentibus, & peſſimum inuaſorem fumo eius exturbare valebit, quia compunctionis tuæ mœrore, & pœnitentiæ amaritudine fugabitur.* Sicut delectatur Diabolus fœtore vitiorum, valde inſuauis eſt ei pœnitentiæ odor, huius odoramenti ſuffitu ſtatim abſcedit.

D. Bern.

6. Eo valde recreantur Cœlicolæ, S. Bernardus odoratus ſuauitatem vnguenti, quod mulier peccatrix effudit, hæc verba ſcribit: hom. 10. in Cant. *Si attendamus quanta in vnius peccatoris conuerſione fragrãtia reſpergitur Eccleſia, & quamuis fiat odor vitæ ad vitam quiuis pœnitens, ſi publicè, perfectéque pœniteat; profectò, & de hoc æquè indubitanter pronunciabimus, quia domus impleta eſt ex odore vnguenti. Denique & ſupernas beatorum manſiones attingit pœnitẽtiæ odor, ita vt teſte ipſa veritate magnum gaudium ſit inter Angelos Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Pœnitentiæ ſuffitus vſque ad cœlum exhalantur, cryſtallinos orbes penetrant, aſcendunt vſque ad beatorum ſubſellia, myrrhatæ, & thurificatæ virgulæ vſque ad conſpectum Domini ſe ſubrigunt, & totam cœli aulam ſuauiſſimis replent odoribus.

Suauitate odoris pœnitentiæ recreãtur cœlites.

Pœnitentiæ odor vſque ad beatorum manſiones ſe ſurrigit.

7. Mirantur quoque Angeli iucundiora pœnitẽtiæ ſuffimenta, dum intuentur ſponſam ad ſuperiora ſanctitatis faſtigia eleuari; pœnitentiæ, & mortificationis afflatas ſuauitates ſpirantem, virtutum illius pulcritudinem hoc celebrant colloquio, Cant. c. 3. v. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Quæ habitaculum animi ex myrrha, & thure texerat, & diuini incẽdio concremata amoris ſe ſe in ſuperioribus ſuſpenderat, quaſi phœnix incenderat odores, dum aromata virtutũ fundunt euaporationes, & renouata ſurrexerat. Pſellus legit; *Redolens myrrham, & thus,* & ad pœnitentiæ, & ſatisfactionis virtutes accommodat, de ſqualore, pœnitentiæ cultu, & aſperitate ſodales ſponſæ colloquuntur: ait enim Pſellus: *Cùm antea ſponſa fide, manſuetudine, iuſtitiâ decorata fueris, mox autem ad alios virtutum habitus aſcenderit, ieiunij nimirum, vigiliæ, orationis perpetuæ, atque aſperæ humi dormitionis, ſponſæ profectò ſtupentes, & tanquam ignari de illa inter ſe conquirentes. Quænam eſt, inquiunt, quæ de ſolitudine in cœlos aſcendis veluti virgula fumi, odorem redolens myrrhæ & thuris eximij: Omnis enim anima, quæ ſtudet eſſe thus, & iucundus odor Regi vniuerſorum, neceſſe eſt,*

Sponſa per deſertum aſcendens tanquam phœnix accendebat virtutũ odores.

Pſel.

Pſel.

vt prius mortificet omnia membra ſua, atque ita myrrha fiat cum Chriſto commortua: alioqui thus Domino fieri nunquam poterit. Cùm tot, ac tantis aſperioris vitæ exercitationibus atteritur, facta eſt ſponſa Phœnix facta, & renouandæ animæ forma, ipsique Plinij verba apprimè quadrant, & Ambroſij dum de phœnice inquiunt, *De myrrha, & thure conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori.*

Pectora ſua valde pulſat.

DISCVRSVS III.

Tantam pœnitentiæ vim Deus indidit, vt in breuiſſimam compungendi cordis, & manu tundendi pectoris pœnam, tormenta æterna commutet.

1. QVAM facilem viam pœnitentia adinuenit euadendi pericula, & redimendi immenſitatem pœnarum, cùm animum gemitu, pectus leui ictu multat, hoc cordis alleuiamento excitat improbos Dauid grauiſſimo ſcelerum onere oppreſſos. Pſal. 4. v. 5. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Quæ autem ſit iſta compunctio, quantáque, virtute prædita S. Auguſtinus expoſuit dicens: *Compungimini autem, ad pœnitẽtiæ dolorem refertur, vt ſeipſa anima puniens compungat, ne in Dei iudicio damnata torqueatur, aut ad excitationem, vt euigilemus ad videndam lucem Chriſti tãquam ſtimulis adhibitis.* Pœnitentia ſtimulatrix eſt, quæ dormientem, vel pigritantem animum ſuppũgit, vt expergefactus de ſceleris ſomno, perſpicuo intuitu, Chriſti lumen aſpiciat; hic dolet: *Ne in Dei iudicio,* inquit Auguſtinus, *damnatus torqueatur.* Pœnitentia igitur pœnarum compendium eſt, dum ærumnas, & pœnas in æternum duraturas, ad breuiſſimi temporis lamenta, & dolorem redigit.

D. Auguſt.

Anima ſtimulis cõpunctionis ſe ipſã plectit, ne in æternum torqueatur.

2. Alieni ignis inuaſores Nadab, & Abiu deuorantur igne, dum ad foculum temerario auſu, & ſacrilego contemptu appropinquant, flãmarum globus, igneúſque fluuius ex altari eructans eos abſumpſit: *Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Leuit. c. 10. v. 2. Num tẽporaneum an nullo fine terminandum ſupplicium Sacerdotes comprehendit? Num quando circa altare comburuntur corpora, animi æternorum igniũ cruciatibus mancipantur? Placet Abulenſis pia ſententia; morte, & igne corporum, flagitium expiaſſe, animas in faſciculum viuentium fuiſſe collectas. Scire aues, quis eas de inferni faucibus eripuit? Idem Abulenſis ſatisfacit, q. 13. *Quanquam ſubitanea morte præuenti fuerint, in ipſo tamen vel minimo mortis ſpatio conteri potuerunt, contritio namque diuturnas moras non exigit, quamquam in ipſo actu peccati morte præoccuparentur, potuerunt tamen in ipſa minimi temporis particula ſufficienter de peccato conteri, & per hoc ab æterna ſuperuentura ira liberari;* Et ita factum cenſet Doctiſſimus Antiſtites. Dum rogum, torturámque gliſcentium flammarum vſque ad mortem patienter tolerant, conſcientiæ agitatur ſtimulis, viuidos in pectore contritionis igniculos accendunt; iã iã deuouendi diris, & infernarũ furiarũ tedis,

Alieni ignis inuaſores Nadab, & Abiu, igne deuorantur.

Abul.

Subitò compuncti æternũ ignem euaſerunt.

tedis & flãmis, eripiuntur Contritionis potentiâ, & de poteſtate Dæmonũ extorquentur. Vera Contritio perennaturas ignium pœnas pro breuiſſimi temporis compunctione, & dolore permutauit.

Aaron per compunctionem ab incendio eripitur.

Lect. LXX.

3. Vidit, aut forſan præſenſit animo hæc portenta Aaron, & timore correptus ſcutum compunctionis aſſumpſit, quod in ſimili calamitate, & diſcrimine incolumem eum eueret cum audiret à Moyſe eodem Leuit. cap. v. 3. *Hoc eſt, quod locutus eſt Dominus: ſanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor, quod audiens tacuit Aaron.* LXX. legunt: *Et compunctus eſt Aaron:* Viam redimendi vitam, & ſemper duraturas, nec ſæculis claudendas pœnas per compunctionem adinuenit ſtimulis conſcientiæ punctus, & dolore ſuorum criminum compunctus: *Et compunctus eſt Aaron.*

Iudas habuit ſtimulos conſcientiæ, quibus damnaretur, nõ pœnitentiæ, quibus æternam pœnam redimerit.

4. Infelix Iudas, ſi non impatientem reſipiſcentiam facti, ſed pœnitudinem, Creatoris offenſi, & in manus cruentas immanium hoſtium à ſe traditi Præceptoris oſtenderet; ſe ipſum à laqueo, animum a fornace ignis ſemper ardentis eriperet. Habebat ſtimulos quibus conſcientia torqueretur, ſed non veram pœnitentiam, quæ temporalem cruciatum ſuſpendij, & ſupplicia æterni redimeret. Traditor in manus impœnitentis conſilij traditus, atrociſſimum facinus in ſe ipſo vindicauit, & animus ſempiternis ardoribus deuorantis ignis addictus eſt. Dum errore capitur, æterni ſupplicij non ſubiret ærumnas; ſi ſociam, & adiuuantem pœnitentiam teneret, quæ de manibus extorqueret laqueum, & in præcipitium æternæ mortis feſtinantem retardaret. Cerne peccati ſtimulis exagitatum, Matth. cap. 27. à verſ. 3. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Cauſam Iudæ, & anticipatam damnationis ſententiam à teſtificante conſcientiâ prolatam eleganter ſcribit Ambroſius lib. 10. in Lucam ad cap. 22. dicens: *Habebat lacrymas Petrus, pio quas fundebat affectu: non habet proditor fletus, quibus culpam ablueret, ſed tormenta conſcientiæ, quibus ſacrilegium fateretur, quando proiectis argenteis abiens laqueo ſe ſuſpendit, vt dum ſuo reus iudicio damnatur, & ſpontaneo ſupplicio facinus expiatur, pietas Domini, qui ſe ipſe nollet vlciſci, & diuinitas probaretur, qui conſcientiam mentis inuiſibili poteſtate interrogaret.* Accepto pretio, & ſtipulatione ligatus, Iuſti ſanguinem prodidit; ad ſe reuerſus; & immanitate tanti facinoris expaueſcens incitamenta habuit, vt coactus fateretur errorem; ſed aculeos non habuit doloris, quibus cor pungeretur; nec fidentiam tenuit, nec ſecuritatem in Dei clementia, & pietate poſuit; quid mirum, ſi in ſolida Ieſu petra non fixit ſpei anchoram, deſperationis voragine mergeretur? Ipſe ſibi teſtis, ipſe iudex ſententiam dixit; pœnam impoſuit. Si haberet lacrymas, quibus crimen ablueret, ſi haberet amaritudinis fletus, quibus inſtar Petri, cor pungeret, & induratum emolliret, ſuſpendium, & æternas ærumnas auerteret.

D. Ambr.

Optabant Martyres in perſecutoribus ſuis ſpiritum compunctionis.

5. In medio rotarum, eculeorum, & ignium, hoc deſiderio flagrabant Martyres Domini, vt tortorum corda pœnitentiâ pungerentur, eorum clamores auſcultandi Pſalm. 69. verſ. 3. *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.* In exemplar patientiæ, & charitatis propoſiti Martyres, nunc videntur inimicorum exorare à Deo vindictam, eóſque deuouere maledictis, dum clamitant: *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.* Non temperatur hîc calamus ab ſcribendo ſancti Auguſtini acumine cum Martyribus ſantis: *Quid ergo tu illis optas? Confundantur, & reuereantur, & vbi eſt, quod audiſti à Domino Deo tuo: diligite inimicos veſtros: ecce perſecutionem pateris, & maledicis eos, a quibus pateris.* Et reſpondet argute: *Hoc ergo optant Martyres inimicis ſuis, Confundantur: ſi enim confundentur, conuertentur, optemus ergo hæc inimicis noſtris, ſecuri optemus, confundantur, & reuereantur: & aliquando in his parietibus tundant confuſi pectora ſua.* Hoc cupiunt Martyres, vt conuertantur, & renouentur, vt pectora ſua valde pulſent, leuique pectoris tunſione euadant pœnas, quibus addicti erant ob torturam Martyrum.

D. Auguſt.

Saxa prærupta moriente Domino ſcindendi pœnitentiâ cordis, & tundendi pectoris exuiu ac magiſterium.

6. Quid plura? Saxa ipſa præbent compunctionis documenta. Sententiam illam Lucæ cap. 3. verſ. 8. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Compone cum verbis Matth. cap. 27. verſ. 51. *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Concutitur tremore terra, vt commotionem animi, & pectoris contuſionem edoceret. Scinduntur petræ, & ſaxa in minutiſſimas partes diuiduntur, vt ſcindendi, & pœnitentia conterendi corda, Iudæis documenta præberent. Do tibi verba Origenis in Catena Græcorum Patrum in Lucam ad cap. 3. relata: *Hi, tum (inquit) a Præcurſore lapides intellecti fuerunt, ex quibus vaticinio præmonſtrabatur Abrahæ filios ſuſcitandos, hi vtique per ſpontaneam Saluatoris paſſionem, Domini ſui affectu rupti, atque conſciſſi, & quodammodo impregnati, miraculo plurimos religioni parturierunt ac pepererunt, quaſi clara voce, & cæleſti prædicatione, pro ſuo ipſorum affectu, & in Saluatorem fiduciâ, ab errore homines reuocantes.* Patula ora petrarum, & terræ hiatus, qui Chriſto patiente velut compatientes aperti ſunt, Eccleſiaſtæ munere fungebantur, dum lapides mirabili motu concuſſi, & repercuſſi, apertoque ore pietatis, & religionis affectu in Creatorem violenta, & contumelioſâ morte in ligno occumbentem, gemitus, ſuſpiria, clamores, & vociferationes videntur profundere; cùm hæc ſigna doloris, & ſenſus in ſenſu carentibus petris, & ſaxis duriſſimis cernerent perſecutores Iudæi, ad pietatem, & compunctionem emolliti, quam plurimi eiulantes, & lamentabili voce flentes, pectora percutientes in Chriſtum crediderunt. Ex his lapidibus (inquit Adamantius) filij Abrahæ ſuſcitati ſunt, ipſaque ora, & lapidum ſciſſuræ factæ ſunt ſpiritales vteri, & vuluæ, quæ Iudæos iam Chriſtianos parturiunt. Sed perpende Origenis verba: *Domini ſunt affectu rupti, atque conſciſſi.* Lapides illi non ſolùm pietate, ſed ſapientiâ quoque mirabiles, dum Iudæos de compunctionis forma inſtruunt, & viam ſalutis oſtendunt, cúmque cæcos ab errore reuocant, facti ſunt quodammodo adiutores redemptionis, dum ſuperioris dextræ motu, commouentur, lactantur, concutiuntur, ac diuiduntur, ſpiritalis, & turbulenta commotio, compunctio, & ſciſſio cordis, ad duriora ſaxis pectora refunditur. Nunc integrè capies Origenis mentem; prædixerat Præcurſor Ioannes ſuæ prædicationis exordio Iudæis Lucæ cap. 3. verſ. 7. *Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Et poſtea de natis ſuſcitandis Abrahæ ex lapidibus, verba ſubiunxit. Nunc Præcurſoris quæſito patet reſponſio: quis oſtendit, quis docuit fugere à ventura ira? Docuerunt proculdubio lapides & ſaxa, dum ipſa ſcinduntur,

Origen. Caten. Græc.

Lapides quodammodo impregnati plurimos parturierunt filios Abrahæ. Origen.

Saxa Domini affectu rupta atque conſciſſa.

ſcindere, & conterere corda contritione, pœnitentia, vt percuſſione pectoris, & compunctione cordis eripiantur ab ira ventura Iudæi.

7. Expendamus quantam Deus præbeat contritioni ſecuritatem poſſidendi Regni cœleſtis imperia: dum cor tuum conteris, quid times de ſupernis? anguſta eſt cœli via, & porta tortuoſi criminibus ingredi non valent; neceſſe eſt, vt à Deo dirigaris, ne obſtaculum inuenias in ingreſſu. Sed audiendus eſt ſanctus Auguſtin. ad ea verba Pſal. 146. *Alligans contritiones eorum*: qui ſic fatetur: *Quid ergo dicit Deus deſuper? Tortus es, æquus ſum; ſi tu rectus eſſes, ſentires æquitatem meam: quam bonus Iſrael Deus rectis corde. Quid eſt tortum cor? quomodo dirigitur? Et tortum, & durum: iam ergo tortum, & durum frangatur, conteratur, vt dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes. Tu frange, ille dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, puniendo peccatum. Quid aliud ſignificat pectorum contuſio? niſi forte putamus oſſa noſtra aliquid peccaſſe, cùm tundimus pectus. Sed ſignificamus nos cor conterere, vt a Domino dirigatur.* Quam potens contritionis virtus, manuum percuſſionibus, & ictibus, quibus pectus pulſatur, & tunditur, diſtortus, & obliquus animus, & qui Dei regulæ non adæquabatur, perfectè dirigitur, & ad cœleſtia ordinatur; dum cor interno, & externo pulſu cõpunctionis agitatur, & percuſſionibus frangitur, cœleſte ſibi Regnum reſtaurat, & muris cœleſtis Ieroſolymæ adaptatur tanquam viuus lapis preſſuris pœnitentiæ, percuſſionibus contritionis, tunſionibus manus perpolitus, qui antea propter ſceleris curuaturam aptari non poterat.

D. Auguſt. Homo peccatis tortuoſus dirigendus, vt cœli portam ingrediatur.

Cor compunctione frangitur, pectus manu tunditur, vt homo dirigatur.

8. Cùm hæc ſcribo, quæſtio occurrit cur Rex Achab pœnitentiâ maceratus, & cultus ſalutem animi non eſt adeptus. Cerne Achab ſacco indutum, ieiuniis aridum, in cilicio, & cinere exomologeſim operantem lib. 3. Reg. cap. 21. verſ. 27. *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Reſpondet acutè Rupertus lib. 2. in Ionam ad ea verba cap. 3. *Surge & vade in Niniuem.* dicens, dolore peccatorum non eſſe compunctum, nec timore Domini ſancto correptum, ne regnum amitteret æternum, ſed ne amitteret regnum temporale doluiſſe: *Ieiunauit* (inquit Abbas Tuitienſis) *& dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Idcirco ſic egit, ne regno priuaretur temporali.* Et paulò antè, vt ſuam mentem inſtar magni Theologi explanet, inter veram, & falſam attritionem grauiter, & acute aſſignat diſcrimen dicens: *Ille namque ſolummodo pœnitentiæ tenor ad ſalutem perducit, cum idcirco, quis pœnitentiam agit, quia iudicium vniuerſale, & cœlorum Regnum futurum eſſe credit, a quo excludendi ſunt, & in gehennam mittendi peccatores. Eſt alia pœnitentia, ſiue pœnitendi intentio, cùm quis idcirco pœnitentiam agit, vt præſentia tantum, ſiue præſentis ſæculi mala effugiat, bona retineat, fidem aut curam non habens futurorum, ſiue bonorum, ſiue malorum: ſi exempla requiras, talis pœnitentia fuit Achab.* De altera pœnitentia ſubiungit: *Cùm ergo quis idcirco pœnitentiam agit, vt mala æterna euadat, & bona conſequatur ſempiterna, fidelis iudicatur, & per fidem agendo pœnitentiam, ſaluatur.* Eximiis laudibus ornat attritionem veram Rupertus: cùm quis timens, aut malis multari æternis, aut priuari cœleſtibus, de peccato compungitur, non perdit Regnum, cuius amiſſionem timebat, ſed potiùs conciliat ſibi ſecuritatem poſſidendi, præſertim cùm tali timori confeſſionem adiungit ſociam, vt fiat ex attrito contritus. Timuit Achab temporalis Regni iacturam, aut detrimentum, & hoc motiuo excitatus, pœnitentiam operatus eſt, ſtabilitatem Regni, temporibus ſuis a Deo nanciſcitur. O ſi pœnitentiam patraret, æternæ concitatus formidine pœnæ, & de cœleſtibus iacturam facere perhorreſcens, ſibi Regnum ſine fine manſurum pœnitentia comparaſſet! Mouebatur animus, & agitabatur Achab, cùm dormiebat in ſacco, & cilicio volutabatur, ſed pectora ſua inſtar Chriſtiani Phœnicis non valde pulſabat, dum dolore ſceleris tangebatur; quia temporaneum Regnum amittere metuebat; ille pectora ſua valde pulſat, qui ne iacturam faciat æternorum, aut propter Dei amorem, tundit pectora, & corde ſuo atteritur, & conteritur.

Cur Regi Achab pœnitentia non proficit.

Rupert.

Rex Achab non habuit veram attritionem.

Quæ ſit vera attritio.

Achab pectus ſuum nõ valde pulſabat inſtar Phœnicis.

Ignem à corpore proferens, ſe ipſum exurit.

DISCVRSVS IV.

Peccator pœnitens dum compungitur inter Diuini amoris buſta concrematus flammiferæ charitatis Martyr eſt.

1. VT homo innouetur, & nouus ales, & cœleſtis exurgat, pœnitentia, & charitas ſua habent incendia, vt per flammas tranſiliens, & expians delicta, ad puritatis & gratiæ habitum migret. Huic rogo iniectam, & Dei igne combuſtam ſponſam intueor, dum fumoſæ virgulæ ex odoramentis, & aromatibus euaporatæ, ſe comparat Cantic. cap. 3. verſ. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus, &c.* Dum de peccatis compungitur ſponſa, magno diuini amoris incendio vritur, ſuauiſſimiſque charitatis liquefacta flammis, odorata virtutum omnium ſpiracula fundebat. Duo examinat ad rem noſtram ſanctus Gregorius Magnus, quod nuncupetur *virgula*, & quod fumum inhalet de buſto diuini amoris, quo accenditur cor, dum compungitur, eloquia ab ſponſa prolata exponit homil. 22. in Ezechiel. ſcribens: *Itaque fumus eſt ex aromatibus compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris.* Et ſubdit; *Et notandum quod non virga, ſed Virgula nuncupatur: quia interdum in compunctionis ardore, tanta ſubtilitatis eſt vis amoris; vt hanc nec ipſe animus poſſit comprehendere, qui illuminatus meruit habere.* Quando cor pœnitentis dolor peccatorum vrit, quam dulcis, & ſubtilis amoris flamma ipſum exurit, & blandè depaſcit! Dum ſancto igne flagrat homo, ſuſpiriorum flatibus alitur amoris incendium. In hac ignita pyra omnium virtutum aromata ſuaueolentiora fundunt ſpiracula liliis, & roſis. Participat tunc animus, & de amore ignem, & de igne feruentem, & mobilem flammam, & affectum ad ſuperiora tollentem, & de flamma lucem mentis, & illuminationem.

Sponſa cum de peccatis compungitur, virtutũ odoramẽta fundit.

D. Gregor. Magn. Fumus aromatis odor contritionis, eſt, ex amore inhalatus.

Dulcedo, & ſubtilitas amoris in cõpunctione.

2. In hoc camino ignis ardentis flagrabat Dauidicum cor, dum dolore ſcelerum carpitur, & æſtu charitatis corripitur Pſalm. 38. verſ. 4. *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Dum odio proſequitur peccatum, & cor eius tangitur dolore creatoris offenſi, qui bonitatis

Cor Dauidicum pœnitẽs de peccatis, inflammatur amore diuino.

bonitatis immenſæ profuſiori dulcedine, innumeris beneficiis cumulauerat, ardoribus diuinis exæſtuat; dum ad conſpectum diuinæ clementiæ propriam ingratitudinem exaggerat, vehementiores excitantur flammæ: tanti ardoris, & amoris affectus verbis ſuis protulit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 38. inquiens: *Grauiora vulnera cauſtico medicamento, vel admoto igne curantur; ideoque ſi non plene conſummatus eſt ad offenſæ habitudinem ſanitatis, vaporatur eius cor, vel intra ſe teritur. Lapis ſi ad lapidem teratur, ignem excutit, ita etiam bona conſcientia pudore ſuccenditur, ſi renouetur ei ſuorum recordatio delictorum; & in ipſa meditatione ignis exardeſcit: non malus ignis, qui adurat, ſed non exurat. Talis ignis, quem Moyſes in rubo vidit, quando rubus vrebatur, ſed non exurebatur. Eſt ergo ignis, qui peccatum minuit, & ſuo culpam ardore depaſcit.* Tria proponit Ambroſius in pœnitentia Regis, & Vatis: *Quod cor eius euaporatur, dolore atteritur, amore ſuccenditur.* Dum criminum ſuorum pudore ſuffunditur, & quod ignis ſimilis eſt illi, qui rubum corripuit, qui ſine læſione exurit, conſumit crimina, inflammat animum. Appoſita Mediolanenſis Epiſcopi ſimilitudo, dum pœnitentiâ cor atteritur: ſicut lapis attritus eſt ad lapidem, ex eo ignis reſultat, aut dum ferramento excuſſorio ſilex percutitur, ſcintillæ ignis exiliunt; tere cor tuum dolore, ictibus pectus tunde, ferreis ſcelerum catenis cor perfrica, & feri, & ex lapideo corde ignis excutietur, quo emolliatur, & liqueſiat ad lacrymas; lapideum cor tuum teratur ad lapidem, qui Chriſtus eſt, & ex eo ignis erumpet, quo inardeſcas. Hoc ſaxum vberius Lapide Raphidim, qui ad iteratum Moſaicæ virgæ ictum largiſſimum aquarum fontem eiaculatus eſt, lapis hic viuus, ignis amoris, & aquæ lacrymarum duo fluenta fundit, quibus animum ſuccendat, & irriget. *Hoc igne euaporatur cor.* Sicut enim aromatum mixtura ad liquefactiuam ignis virtutem in ſpiracula, & odora reſoluitur, ita & pœnitentis cor diuini amoris igne ſuccenſum, ſuſpiriorum halitus ſpirat, & multarum virtutum vaporationes exhalat; & vorderitate ignis aboliá, & conſumpta excrementitia, & terreſtri peccatorum materia, in ſubtiliorem ſpiritus, & gratiæ formam reſoluitur. Bonus ignis, qui ſolam vetuſtatem criminum ſuo conſumit incendio; in... dus ignis legis, qui ſenticoſum fruticem ambiebat; at ſine gratia, & charitate Chriſti, criminum ſpinas, ſentes que, & tribulos vitiorum abſumere non valuit; ideò rubus inflammabatur, ſed non exurebatur. Ignis potentior, quem Chriſtus miſit in terras qui ſuo culpam ard[ore] depaſcit,

D. Ambr.

Cor Dauidis pœnitentis quot affectibus diuinis decoretur.

Teritur. Vaporatur.

Pudore ſuccenditur. Exardeſcit.

D. Ambr.

Cor contritū ſicut lapis ad lapidē Chriſtum atteritur, & ſcintillas amoris proiicit.

D. Ambr.

Cor euaporatur, cum ſuccenſum amore Dei, ſuſpiria exhalat.

3. Ideò de D[eo] dicit Moyſes Deuteronom. cap. quarto verſ. vigeſimoquarto: *Dominus Deus ignis conſumens eſt.* [A]dnuæ verba Stephanus Cantuarienſis in allegoriis Tilmani ait: *Deus ignis dicitur: quia ſicut igni nulla materia, ſic nec Domino vlla malitia reſiſtere poteſt. Ignis deuorans dicitur quia Spiritus ſancti gratia auidè per pœnitentiam deuorat peccatores, & in ſuam naturam conuertit.* Ignis ardentis rogus, qui è dominico pectore euolat, nullum peccatoris lignum viride poteſt reniti[er]e, nullumve crimen quacumque immanitate, aut vetuſtate ingraueſcens, aut conſuetudine obduratum voracitati ignis Deifici omnia abſumentis non reſtitit. Talis ignis gratus, quia pectus inflammat; plus placuit, quia vorax eſt: inexplebili, & immensâ auiditate animos ligurit, & cordibus paſcitur. Dapes, & cupedia Diuini ignis peccatores ſunt, Feli-ces, qui eo deuorantur, & abſumuntur, vt de ignis incendio puri, & ſancti ornantur in Deitatem tranſmutati.

Deus ignis eſt conſumens peccata, deuorans peccatores, & in ſe conuertit. Stephanus in Tilm.

4. Sanctus Auguſtinus cum extincta lucerna peccatorem comparat, quam illuminatio, & ignis ſancti Spiritus accendit. Pſalm. 17. verſ. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine.* Quæ verba ad enarrationem Pſalmi 7. verſ. 9. obiter expendens Auguſtinus fatur: *Lumen ergo illud vnde anima tanquam lucerna accenduntur, non alieno, ſed proprio ſplendore præfulget, quod eſt ipſa veritas. Ita ergo dicitur ſecundum iuſtitiam meam ſuper me, tanquam ſi lucerna ardens, & lucens diceret: iudica me ſecundum flammam, quæ ſuper me eſt, id eſt, non quâ ſum ego, ſed quâ fulgeo accenſa de te.* Lux, & ignis gratiæ, quæ in lucerna animæ fulgebat, peccato extincta, caligineque ſceleris ſqualebat obſcura, & deformis; diſpulſis tenebris rogo ignis Deifici accenditur, & charitate præfulget; quod fax accendatur, & ardens emicet, de ſuperni luminis, & ignis munere venit.

D. Auguſt.

Lucerna animæ peccati extincta a D. i igne reaccenditur.

5. Cùm Apoſtolorum apex Petrus ſua plangit crimina, & hoc igne inardeſcit; inter torrentes, & flumina lacrymarum hæ flammæ, & igniculi emicant. Lucæ cap. 22. verſ. 62. *Et egreſſus foras Petrus fleuit amare.* Exteriùs flebat, ſed intus ardebat, reſpexit eum Ieſus, & oculis, & luminibus ſuis, ex oculis Petri, lacrymas elicuit, & petra fudit riuos aquarum, intuitu ſuo velut iaculo amoris cor petri vulnerauit, ſauciauit. Dum flebat, non ſe calefaciebat, erat intus foculum plenum prunis ardentibus, quibus ardebat, & liquefactum cor per lacrymarum fontes fundebat. Audi S. Chryſoſtomum homil. 5. in cap. 2. epiſt. ad Romanos loquentem: *Si Chriſtum ſic amaremus, vt amare certe oportet, indicaremus vtique amati offenſionem gehennâ eſſe grauiorem. Audi igitur vt Petrus illius amore viſus ardeat, & animæ, & vitæ, & omnibus rebus illum anteponens: quem dum abnegaſſet, non ob ſupplicium luxit, ſed quod quem amabat, eum abnegaſſe ſe vidiſſet.* Lacrymis, & gemitibus ſuis dedit formam, librum ſcripſit de arte amandi Deum Petrus non enim ſacrum Apoſtoli pectus amore concupiſcentiæ excitabatur, vt plangeret negationum crimina, & aquarum riuis, ex oculis erumpentibus ablueret, ſed puriori rogo perfectiſſimæ charitatis ſuccenſus. Dum perpendit amantiſſimi Domini offenſam, vritur, ſuccenditur; dum plus dolet, plus diligit; reſultat de dolore amor, & de amore dolor, ideò creata omnia præpeti volatu charitatis tranſiliens, ſempiternis flammis tartarorum, & nullo ſeculo terminandæ beatorum felicitati antepoſuit dilectiſſimum Præceptorem; dum obuerſatur animo tanti memoria flagitij, angitur, cruciatur, dolore conteritur; dulcis dolor, & cruciatus Petri amantis, qui ad vltimum vitæ halitum protogatus, Cruce martyrij conſummatus eſt. Metuit amore Petrus, vt ei Ieſus benedictionis gratiam largiretur, condonaret crimina, & vt ſummus Pontifex plenariam ſcelerum indulgentiam impertiret; vt Petrus Pontifex factus, & Paſtor oues doceret, per amoris incendium expiare delicta, & dilectione Dei ſuper omnia ſcelerum maculas abolere.

Apoſtoli Petri pœnitentia, & lacrymæ.

D. Chryſoſt.

Amoris diuini flamma in corde Petri, Deum omnibus antepoſuit.

Petrus non luxit ob ſupplicium, ſed quia negauit, quem amabat.

6. Quam leuis, & ſecura de hoſtibus victoria, amore ſoluere criminum nexus, & de tartareis hoſtibus reportare triumphum. Id acutè annotat ſanctus Chryſologus ſerm. 94. inquiens: *Ama hominem Deum, & ama tutus, vt poſſis omnia ſine labore vincere peccata: tenera militia, delicati conflictus eſt amore*

D. Chryſol.

Amor omnia vincit.

amore ſolo de cunctis criminibus reportare victoriam. Hæc eſt forma victoriæ pœnitentis amantis, ſine gladio, haſta, & clypeo cum hoſtibus conſerere manum, eóſque, dum ipſe flammâ amoris ardet, & ſe ipſum iaculo amoris vulnerat, detriumphare. Triumphatorem dixi? Minus protuli. Ipſum quoque nuncupabo amoris martyrem, eiúſque lento igne exuſtum.

Trium puerorum pœnitētia in medio ignis.

7. Do tibi tres pueros pœnitentiâ martyres, & in medio ignis ardentis exomologeſim operantes. Daniel. cap. 3. cum in medio buſti caderent colligati. Ibi verſ. 25. *Stans Azarias orauit ſic, aperiénſque os ſuum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum.* Et verſ. 29. pœnitentiam agentes tres iuuenes vno ore clamant: *Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus.* Quem locum ſic legit ſanctus

D. Cypr.

Cyprianus Martyr libro de lapſis: *Loquitur Scriptura diuina: Stans, inquit, Azarias precatus eſt, & aperuit os ſuum, & exomologeſim faciebat Deo, ſimul cum ſodalibus ſuis in medio ignis;* Et de ſanctorum

D. Cypr.

adoleſcentium pœnitentia hæc verba Cyprianus ſubiungit citato libro: *Ananias, Azarias, Miſaël illuſtres, ac nobiles pueri, quominus exomologeſim Deo facerent, nec inter flammas, & camini exæſtuantis incendia quieuerunt. Bene ſibi licet conſcij, & Dominum fidei, ac timoris obſequio ſæpe promeriti humilitatem tamen tenere, & Domino ſatisfacere, nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſtiterunt.*

Glorioſum Puerorum Martyrium.

Cùm flammæ fornacis volitarent vndique, & ignei globuli Angelicos iuuenes indemnes leniter lamberent, ad pœnitentiæ clypeum confugiunt, ipsóque tutantur; tametſi eos timorata conſcientia grauioris criminis non argueret, in mortis diſcrimine ad pœnitentiam confugiunt, vt ſi diſceſſus eorum e vita, & per buſta ignis, commigratio in meliorem auram Domino placuiſſet, in pietatis portu ſecuri requieſcerent; ideò Dei clementiam, quæ corde contritis manum porrigere ſolet, inter irruentes voracioris elementi impetus, implorare non ceſſant, & cor contritum inter foculos, & ignes litant Deo. Gliſcentibus flammis circumuallantur pueri, ſed erat in eorum pectoribus charitatis ignis, qui contra caminum æſtuantis incendij inualeſcebat. Examina verba

Amoris martyres.

Cypriani: *Nec inter ipſa virtutum ſuarum martyria.* Dum amore ardent, & cœleſtibus deſiderijs flagrant, & pœnitentia Domino ſatisfaciunt facti ſunt charitatis martyres. Quid mirum? virtutes omnes Iuuenum martyrium ignis ſubeunt, dum omnes in paſſionem puerorum conſpirant, dum eos periculo mortis, & incendio propter Dei amorem exponunt. Martyrium charitatis virtutes ſubeunt, dum illa feruentiori ignei amoris affectu eas expiauit, & puriores reddidit.

Martyres effundunt ſanguinem; pœnitentes profundunt lacrymas.

8. Quid plura? In filiis ſuis martyribus quid exoptat Eccleſia? Quod pro Dei amore ſanguinem profundant. Martyres fundunt ſanguinem, pœnitentes fundunt lacrymas. Ex ore aureo manantia verba ſubripio, & haurio. Tu tibi collige: *At-*

D. Chryſoſt.

tende diligentius (inquit ſanctus Chryſoſtomus homil. 2. in Pſalm. 50.) *quid martyribus maius, qui animam ſuam ponunt pro amico ſuo? grandis gloria martyrum. Martyres effundunt ſanguinem, peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, & deleuit peccata ſua? Columna Eccleſiæ, & fundamentum fidei Princeps Apoſtolorum Petrus, ad ancillæ viliſſimæ mulierculæ interrogationem, tertiò negat Dominum, nunquid ſanguinem fudit? Nonne amarè fudit lacrymas, & abſterſit peccatum ſuum, & recepit priſtinam dignitatem?* Pœnitens ſi non æquatur per omnia Martyri, æquiualet Martyri; & effuſio lacrymarum ex vehementi charitatis ardore promanans æquipollet effuſioni ſanguinis; vt exomologeſim operatus, æmulus martyrij, amore exuſtus, vel ad inſtar Petri recipiatur in priſtinam dignitatem; vel ad meliorem vitam tranſmutetur.

Nebula, & Pluuia.

DISCVRSVS V.

Peccator inter dolores, & amaritudines pœnitentiæ, cælitum irroratur gaudiis.

1. QVAM mellitæ, & iucundæ pœnitentis lacrymæ! quantum dulceſcit dolor, & fletus; quaſi in veſtibulo gloriæ conſtitutus, ſtillicidiis cœleſtium deliciarum delibutus, Dei, & paradiſi dulcedine exhilaratur animus. Huius ſaporis ſtillam hauſiſſe videtur Eliphaz Themanites apud Iob cap. 22. verſ. 23. *Si reuerſus fueris ad omnipotentem ædificaberis.* Et verſ. 26. *Tunc ſuper omnipotentem deliciis affl ues.* Reſtaurationem, aut ædificationem domus, peccatoris conuerſionem nuncupat, quam Deus artifici manu erigit vſque ad charitatis faſtigium. Quantos verò voluptatis, & gaudij ſumptus, opifici pœnitentiæ, cœleſtis remunerator decernat. Iis verbis indicat: *Super omnipotentem deliciis affl ues.* Non ſicut vmbratile, aut volatile voluptatis illicitæ gaudium, quod vix libatur, & labitur, vix tenetur, & fugit; nec ſine ſtimulo, & angore conſcientiæ, eo quis perfruitur; ſed ſolida, & ſtabilis lætitia radices habens in omnipotenti Deo, & ab indeficienti dulcedinis fonte ſcaturiens. Septuaginta Interpretum verſio locum extollit: *Fiducialiter ages coram Domino, inſpiciens cælum hilariter.* Magna conuerſi peccatoris beatitas, qui in barathrum iniquitatum ruerat, & cœnoſis vitiorum gurgitibus ſeſe volutarat, Dei Optimi Maximi familiaritate, & conſuetudine vtitur, tanquam amici, & contubernalis; audacter oculos ad cœlum attollit, Deúmque fiducialiter exorat. Gloſſa Lyrani verbis ſuis hæc omnia claudit: *Super omnipotentem deliciis affl ues, experiendo interius diuinas conſolationes.* Sed illud verbum: *Tunc ſuper omnipotentem,* Epithaſim habet, quia dum peccator compungitur, & ſcelera plangit, ſuper brachia Domini quaſi in leni culcitra accumbit, & caput deponit.

Pœnitentium deliciæ.

Lætitia ſtabilis.

Lect. LXX.

Lyran. Cõſolatio interior.

2. Huius delinificæ voluptatis expertus Dauid Pſalm. 93. verſ. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Iuxta menſuram dolorum pœnitentis cordis, & iuxta modum fletuum, ſolamina Deus impertitur. Nec diſcrepat ab hac mente Diuus Hieronymus, dum ait: *Hoc eſt, quod dicit, quotiens egi pœnitentiam, toties me conſolatus es. Vnam fudi lacrymam: vnam merui conſolationem. Decem fudi lacrymas, decem merui conſolationes. Quantumcumque fuit pondus pœnitentiæ tantus fuit conſolationum numerus.* Quotidie cernimus peccatores ad ſe reuerſos, deguſtantes nectarea diuinæ dulcedinis pocula, voluptates corporeas faſtidire, & reſpuere,

Deus pœnitenti ſolamẽ infundit.

D. Hieron. Iuxta numerum fletuum largitur Deus conſolationes.

nam

nam mellitus ſapor gratiæ acerbitatem peccatorum abolet, & inter pœnitentiæ mœrorem, Deus quoddam volupe animæ inſtillat; oleôque lætitiæ, & gaudij contra hoſtes vngit.

3. Sponſæ ſacræ à Deo, & Angelis celebratur decor. Cantic. cap. 7. verſ. 6. *Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis.* Ad celebritatem quoque Regiæ formæ, quæ digna eſt imperio, ſpectat Venerabilis Bedæ acuta cogitatio, his ſententiis expreſſa in comment. Canticorum: *Supra in laude ſponſæ dicitur: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Hic pulcra, & decora in deliciis eſſe perhibetur. Difficile eſt vnam, eamdemque perſonam, & in deliciis ducere vitam, & terribilem eſſe, vt aciem caſtrorum ordinatam. Quia nimirum deliciæ, mentem, quam molliunt, bellicis rebus intendere non ſinunt.*

Beda. Qua ratione ſponſa ſit chariſſima in deliciis, & terribilis, vt caſtrorū acies?

Si de prophana fœmina loqueretur, exigui operis eſſet commentationis Bedæ inuenire ſenſum; nam mulier ſpecioſa, compta, & procax, libidini dedita, inceſſu, & habitu, adoleſcentum vitam labefactat, & plures euertit domos; illius decor arte ornatus, ſtibio, & purpuriſſo, ac reliquis luxuriæ irritamentis ementitum addens ſplendorem, caſtrorum acies ordinata eſt, quæ innumerabiles illecebris cupidinum irretitos, & captos, in ſuam redigit poteſtatem.

Fœmina impudica, & compta caſtrorum acies eſt.

Sed cum de ſacra, & pudica ſpōſa ſit ſermo, idem Venerabilis notum difficultatis ſoluit: *Vbi ſpiritales ſunt deliciæ, id eſt, vbi deſiderium æternæ dulcedinis fauces replet animi, ibi terribilis fit hoſtibus anima ſpiritalibus, eorumque tela omnia, quaſi acies caſtrorum ordinata eludit. Imo quò tenacius ſaporem internæ ſatietatis percipit, eo terribilior exiſtit eis, qui ſupernæ gloriam dulcedinis, ad quam creati ſunt. amaritudine ſuperbæ tyrannidis, funditus perdiderunt.* Deus dilectorum animas interna ſatietate reficit; vt ad conſpectum opiparæ menſæ, qua cibatur animus ambroſiis dapibus, & deliciis paueant, dum animam vident dulcedine ſuffultam, & armatam, tartarorum acies, eorumque artes, & inſultus in fumum fatiſcant.

Beda. Deguſtata interna dulcedine, fit anima hoſtibus terribilis.

Supernā dulcedinem commutarūt dæmones, in amaritudinem ſuperbiæ.

Ideò ſalubri diuini numinis conſilio prouiſum, vt militiæ Chriſti tyrones, qui hoſtium copias deſerentes, ad vexillum Saluatoris alis pœnitentiæ conuolant; his deliniantur blanditiis, & oblectamentis, vt inſipidum pœnitentiæ poculum hoc melle, & nectare temperatum, & conditum, auidius hauriant, & pingui mannæ abſconditi liquore inuncta anima, & deliciarum vnguentis affluens; cupiditatum oblectamenta deſpiciat; guſtatâ namque ſpiritali dulcedine deſipit omnis caro.

Cur virtutis tyrones maiorem experiantur ſpiritus ſuauitatem.

4. Iſtam ſpiritalem lætitiam Chriſtus Ieſus in terras adueniens toto orbe diffudit, & in domus ſtructura cœleſtis fundamentum poſuit. Quod Dauid cecinit 47. Pſalmo verſ. 1. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ.* Sanctus Ambroſius locum eleuat legens: *Dilatans exultationem vniuerſæ terræ.* Et ſtatim ſubiungit: *Rectè ſuprà dixit, magnus Dominus, nam verè magnus dicitur, quia iſtius terræ, in qua ante intolerabilium peccatorum germina pullulabant; vbi erat mæror, triſtitia, & gemitus, exultationem toto orbe diffudit. Itaque hominis conſcientia, quæ ante flagitiorum ſuorum gurgitibus demerſa lugebat, nunc per indulgentiam Chriſti, & remiſſionem peccatorum, metu abſoluta lætatur.* Sicut Chriſti aduentus detulit orbi hilaritatem, & gaudium; ſic renaſcente in animo, mediâ gratia, & abſolutione criminis, ad eam redit deliciis, & gaudiis delibutus, talia enim oblectamenta ſecum deportat, dulcis animæ hoſpes.

D. Ambr. *In terra, in qua erat triſtitia, & gemitus exultationē diffudit Ieſus.*

5. Quid plura? Animæ, quæ in Creatoris amicitiam redeunt, velut auiculæ, cœlitus dilapſi roris pabulo nutriuntur. Pſalm. 186. verſ. 9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Noli deſpicere nigredinem corui, nigreſcentes pullos dilexit Deus, & Æthiopis nigrorem; denigratam inſtar carbonis faciem, fuligine ſceleris atratam animam, immutat Deus in Angelicam formam, & in niuis candorem, & dulci potione cibat. Pulli enim coruorum recens in lucem editi, dum patuleſcente, & hiante ore pipiunt, & ganniunt, Deus matutini roris humorem eorum faucibus inſtillat.

Corui nigredo in albedinem mutatur.

Audiant corui, & columbæ, Dei ſapientiæ, & prouidentiæ miraculum, quod ſanctus Hieronymus ſcribit ad hunc locum: *Non ſaluatur coruus, ſed pullus, qui de eo natus eſt. Veſtri parentes, qui idolis ſeruiebant, & Dæmonibus, corui erant; nos vero qui de coruis nati ſumus, non cadauera ſpectamus, ſed rorem. Pulli enim coruorum dicuntur de rore viuere. Sic enim Philoſophi dicunt quod de rore viuunt pulli coruorum.* Gentiles idolis ſeruientes, Dæmonibus mancipatos vocat coruos fœtidos, & nigros inſtar eorum, quæ dilexerunt. Filij ex iis nati in Chriſtum credentes nuncupat pullos, quia per lauacrum regenerationis innouati, aut per pœnitentiæ ſacramentum abluti, & candidati, in nouam vitam renaſcuntur, & aſſumentes pennas columbæ deargentatas, excitantur ad volatum ſuper cœlorum vertices.

D. Hieron. *Pulli coruorum de rore paſcantur.*

Quanta autem in conuerſione ſua pulli, & noui Eccleſiæ fœtus perfruantur dulcedine, indicat in eo, quod expectant rorem, & de rore viuunt. Sicut enim quando Matuta pandit lumina roſcida ſereno cœlo, aureus, aut candidulus fluit liquor, auidis roſtris pulli coruorum cœlitùs dilapſum, & mellitum humorem hauriunt; ſic noua progenies, nouique partus, quos per dolores, & anguſtias pœnitentiæ Eccleſia eſt enixa, ſuauiſſimo liquore irrorantur, cœleſtis iucunditatis pluit ſuper eos imbrem, eorumque animos Deus potat torrente deliciarum.

Peccator in conuerſione, cœleſti irroratur humore.

6. Tantam largitatem, tam eximiam munificentiam cum peccatoribus recens è luto emerſis, miratur Dauid, & exclamat Pſalm. 8. verſ. 5. *Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Viſitationem vocat ſolatium, & leuamen; quo Deus pœnitentem à mœrore, & anxietate erigit.

Viſitat D. vt hominem cōſolatione.

Quàm acutum, & pium inuenio hic ſanctum Auguſtinum, illius verba ſunt Solis lumina: *Hunc filium hominis, id eſt, hominem nouum, pœnitentia veteris parturit cum dolore, & gemitu?* Quantâ verò lætitia cumulet, & perfundat Deus ſic dolentem, antecedentia Auguſtini verba demonſtrant: *Viſitat verò* (inquit) *filium hominis, cui ſub protectione alarum ſuarum poſito, prætendit miſericordiam ſuam: & in lumine ſuo lumen præbet, & eum deliciis ſuis potat, & inebriat ab vbertate domus ſuæ ad obliuiſcendas ærumnas, & errores præteritæ conuerſationis.* Quanta lenimina inuenit nouus homo in profuſiſſima magnifici Domini dextra, extendit alas protectionis ſuæ, vt ab æſtiuo feruore vitiorum tueatur ipſum, & inſtar nubis oppoſitæ, leni ſpiritus aura refoueat, ſui luminis iucundis ſplendoribus ambiat, & potus exhibeat meracos de torrente voluptatis ſuæ, quibus inebrietur anima.

D. Auguſt. *Peccata plāgentem deliciis ſuis inebriat Deus, vt præteritæ vitæ ærumnas contēnat.*

7. De hac dulcedine nos inſtruit ſanctus Iob cœleſti imbutus magiſterio cap. 33. verſ. 16. *Et erudiens eos, inſtruit diſciplina.* Quæ autem ſit eruditionis diſciplina, quâ veteranos milites, & tyrones Deus exercet; S. Gregorius Magnus huius

Pœnitentes erudit Deus diſciplina. D. Greg. Magn.

ſcientiæ

ſcientiæ peritiſſimus, exponit lib.23,cap. 15. *Conſideranti menti, & ſeſe per pœnitentiam laceranti, quædam plagæ percuſſionis ſunt lamenta compunctionis,* &c. *Perfectam animam iſta compunctio afficere familiarius ſolet.* Et poſtea: his plagis, & percuſſionibus pœnitentiæ quanta lætitia, & gaudium accedat, erudite aperit dicens: *Vnde aliquando ad quamdam inuſitatam dulcedinem interni ſaporis admittitur, ac raptim aliquo modo ardenti ſpiritu afflata renouatur. Tantóque magis inhiat, quanto magis, quod amet, deguſtet, atque hoc intra ſe appetit, quod ſibi dulce ſapere intrinſecus ſentit.* Dulcitudo, quæ tunc animum occupat bene his verbis ſcribitur, ſed melius affectibus ſentitur. Vnde tunc homo labores pœnitentiæ inſumptos, fortunatos nuncupat, & felices dum ex fellea amaritudine mella deguſtat, & ex pœnitentiæ ſtimulis, & tribulis pungentibus, dulciſſimos fructus carpit.

Plaga percuſſionis ſunt lamēta compunctionis.

Quantā dulcedinem experiatur, qui de peccatis compungitur.

D. Gregor. Mago.

Ad inuſitatā dulcedinem admittitur anima, & per amorem renouatur.

8. Ad momenta breuiſſima coarctatur pœnitentiæ mœſtitia, & ad magna temporis ſpatia dulcedo, & ſuauitas dilatatur, Ieremia teſte Thren. cap.2. verſ.18. *Deduc quaſi torrentem lacrymas.* Cur lacrymarum fluenta comparat torrenti, non amni leniter currenti, aut indeficienti aquarum ſcaturigini? Torrens enim eſt rapidus, concitatuſque pluuiis riuus, hyeme magno aquarum decurſu fluens, æſtate verò areſcens: curſui torrentis comparantur pœnitentis lacrymæ, triſtitia, mœror, quia breui prætereunt, at miſericordiarum fluenta, & deliciarum riui ſunt diuturni. In hunc acutum cogitatum incidit Hugo de Sancto Victore, citatus in Tilmani allegoriis dicens: *Torrens cum magno impetu decurrit: ſed quo vehementius defluit, tanto citius pertranſit. Rectè ergo compunctionis feruor torrenti comparatur: quia quanto maior vis doloris in compunctione fuerit, tanto citius diuina conſolatione ſuperueniente pertranſit.* Itaque triſtitiam pœnitentis, & mœrorem diuinis conſolationibus Deus compenſat: pœnitens lacrymis madens, idem oblectamentis cœleſtibus ebrius, roréque dulcedinis madidus.

Mœror pœnitētiæ ad breue tēpus adſtringitur, dulcedo ad longum tēpus dilatatur.

Hugo Vict.

Cur torrenti fletus comparetur.

Phœnicis Tumulus.

DISCVRSVS VI.

Ad conſpectum mortis, & tumuli, pulchra nouæ vitæ imago formatur.

1. PAllida & fœda ſpecies mortis, & horribilis aſpectus ſepulcri. Sed ad intuitum exemplaris deformis, imago pulcherrima, & potiſſima exprimitur, non adumbrata lineis, ſed ſanctitatis inſignibus colorata; ex morte ipſa conſiderata, & mortuorum conditiuo, reſultat in anima nouæ, & perfectæ vitæ præſtans ſimulacrum. Huius diſcurſus argumentum primum ex Apoſtolo ſuſcipio: qui vt imaginem tuam viuis coloribus, & luminibus pingas, exemplar proponit 1. Cor.cap.15. verſ.49. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Aliter legit Oecumenius: *Quemadmodum geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis.* Portaſti imaginem deformem Adami terreni, & peccatoris, vitiis deturpatam; porta etiam imaginem, & ſimilitudinem Chriſti, qui eſt homo vitâ viuens cœleſti. Mens optima, veruntamen alia in lectione Oecumenij deſignatur, quod effigies hominis cœleſtis, ad exemplar, & ſimilitudinem, & intuitum ſimulacri terreni hominis exprimatur, perficiatúrque. Quæ ſit autem imago hominis terreni ſanctus Methodius ſerm. de reſurrectione apud Oecumenium ſcribit: *Hæc profectò terreni Adæ imago eſt, terra es, & in terram ibis.* Et poſtea: *Eſſet ſanè imago terreni mors. Adam enim imaginem per mortem effinxit: nam & ipſe primus auctor mortis extitit. Rurſuſque Dominus Ieſus Chriſtus per reſurrectionem, & incorruptibilitatem impreſſit imaginem.* Chriſtus ex morte ipſa viuificatiuam ſpeciem, & imaginem efformauit, vt terreni hominis abiectâ ſimilitudine, vitam, & incorruptionem indueremus: Simúlque Dominus homines edoceret, cœleſtis vitæ fingere imaginem, cum de peccatis reſurgunt: multum præbet adiumenti intueri primæ imaginis formam, vt ſecundam effingas. Prima imago mors, pictorum primus Adam & prima imago, quam depinxit, mors eſt: ipſe primus mortis, & cadaueris putridi delineauit imaginem, effinxit ſimulacrum; vt ad illius intuitum artifici contritionis manu, penicillo pœnitentiæ, pulchram ſpeciem ex veteri in nouam vitam efformares. Ecce fœditas inſeruit decori, & deformitas venuſtati. Criminibus immortuo homini præbet adiumenta ſepulchrum; vt viuat, mors ipſa porrigit manum. Porta ergo mentis acie, & contemplationis intuitu imaginem terreni, mortem, cadauer, ſepulcrum; & cœleſtis vitæ portabis imaginem.

Imago terreni, & imago cœleſtis hominis.

Oecum.

Imago hominis cœleſtis ad exemplar mortalis hominis effingitur.

D. Method.

Imago hominis terreni mors.

Adam imaginē per mortem effinxit.

2. Eliæ Prophetæ miraculo totus ſtupuit orbis, cùm homo ex graui, & terrena materia compactus ſuper blandi aëris elementum libratur, equis igneis, & curru igneo æthera ſcandit. lib.4. Reg. cap.2. verſ. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Stupendum prodigium ſuis ponderibus examinat ſanctus Athanaſius oratione in aſſumpt. D. N. Ieſu Chriſti, dicens: *Magnum ibi oſtenditur miraculum. Cœlum reueretur hominem. Ne enim perfectitudo viri decerperet aliquid de ſenſu victoria contra mortem, cognitum illum primò omnibus creaturis ſiſtit, qui tunc conſcendens inauditum currum, inaudito volatu, & curſu, inferius relinquit mortem, & mutat legem naturæ dignitas gratiæ.* Illam tantummodo ſententiam enucleo: *Inferius relinquit mortem:* Cur eam non ſecum detulit ad æthereas regiones? An quia viuorum, & viuentium regio, & altiſſimum cœlorum domicilium morti aptum non erat, quæ habitat in ſepulcris? An quia Elias tot ſæculorum interſtitio expeditus morte, & moriendi immunis periculi, ad cœlites euolauit? Accipe Athanaſij mentem. Elias mortuus erat mundo, mortem ipſam, & miſeram hominis ſortem interitus, ſecum ſociam ſemper habebat, ita vt zelo diuini honoris, ne mala populi cerneret optaret occumbere. Ad intuitum ergo mortis componebat vitam, & mores. Quando ergo in meliorem vitam, immortalitatis æmulam, ſempiternæ gloriæ candidatus Elias eſt traductus flammeo curru, vale dixit morti, nunciúmque remiſit: non egeo, inquit, intuitu tuæ formæ, vt in cœleſtem vitam transformer, cum ſim felicitate circumdatus, ideò aſcendens: *Inferius relinquit mortem.* Vel eam ibi reliquit, quia eam ſecum adduxerat, tanquam ſociam, & adiutricem ſuæ transformationis, & tranſlationis.

Elias aſcendit in cœlum.

D.Athanaſ.

Elias aſcendens in cœlū inferius relinquit mortem.

Cur mortem ſecum nō detulit?

Prima ratio.

Secunda ratio.

Diui Athanaſij mens.

Ad intuitum mortis Elias componebat vitam.

Mors adiutrix tranſlationis Eliæ.

3. Poſt diſcerptum leonem robuſtiſſimis lacertis laniſtæ Samſonis, poſt inuentum examen apum,

Sanſon occiſo leone, problema proponit ſodalibus.

apum, & delibatum mellis fauum, in conuiuio ſodalium problema propoſuit, Iudicum cap. 14. verſic. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* In medio quoque ſapientum Eccleſiæ ſympoſio ænigma propoſitum, omnium excitauit ingenia, ſed ſancti Auguſtini acumen ſolutionem opportunam inuenit ſermon. 107. dum ait: *De edente vtique, id eſt, de morte, quæ cuncta deuorat, atque conſumit; exiuit cibus ille, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. De mortui leonis ore, id eſt de Chriſti morte, qui accubans dormiuit vt Leo, apum, id eſt, Chriſtianorum proceſſit examen.* De morte omnia deuorante egreſſus eſt cibus vitæ, & panis ipſe Chriſtus, qui ſemel guſtauit mortem, dum per eam vitæ immortalitas ſuo corpori donata eſt, in tantum eam charam habet, & diligit, & coli à fidelibus optat, vt conuiuium cœleſtis panis, & diuini poculi ſit monumentum mortis, vt fideles memoriam mortis Chriſti, præ oculis habentes, hoc ſaturentur epulo; vt ad contemplationem pretioſæ mortis in vitam immortalitatis transferantur. De morte etiam leonis fidelium multitudo orta eſt, dumque leo mortuus Chriſtus congregationem fidelium protulit, Chriſtianæ vitæ forma ex morte effecta eſt.

D. Auguſt.

De morte exiuit cibus vitæ.

De Chriſti morte Chriſtianorũ examen proceſſit.

Fideles ad conſpectum mortis Chriſti transferũtur, ad immortalitatẽ.

Cur Chriſtus rediuiuus primo apparuit Maria Magdalenæ.

4. Cùm legis verba Marci Euangeliſtæ cap. 16. verſic. 9. *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia:* curioſiùs perſcrutaberis cur ante alios Apoſtolos, & feminas, quæ ſepulcrum ingrediuntur, primo Chriſtus peccatrici gloriam reſurrectionis oſtendit? Et occurrit Rupertus, de ſapientia lib. 1. cap. 27. dicens: *Huic bono digna iudicata eſt quondam peccatrix Maria, quæ nimirum Crucem, & cuncta pœnarum eius inſignia memori mente geſtabat, & vel talem videre ſitiens qualem ſepulcri locus ſuſceperat.* Obuerſabatur Mariæ animo mors, & ſepulcrum, quid mirum ſi reſurgentis Chriſti decorem cerneret, & cœleſtis vitæ luminibus ornaretur. Sed ne Mariam tanquam peccatricem ſubito prætcriiſſe videamur, verba Matthæi Euangeliſtæ, quæ illius continent eloquia, examinanda duxi cap. 28. verſic. 1. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum.* Maximum eſt Chryſologi acumen ſermon. 74. *Non dixit venerunt, ſed venit. Venit Maria, & altera Maria: venit ipſa, ſed altera: altera, ſed ipſa, vt mulier mutaretur vita non nomine, virtute non ſexu.* Sed vnde hæc mutatio? Subiungit idem ſanctus Archiepiſcopus Rauennas: *Venit Maria videre ſepulcrum. Vt quàm deceperat arboris viſus, viſus repararet ſepulcri, & quam proſtrauerat illecebroſus aſpectus, aſpectus ſalutaris attolleret.* Quid enim ex viſione ſepulcri obueniret feminæ niſi ſalus, vitæ mutatio, & reſurrectio? *Vt quam deceperat arboris viſus,* &c. Sub prætextu, & ſpecie vitæ inimicus operatus eſt mortem, nunc ex morte exoritur vita; dum vitam, & Deitatem mente imaginata eſt mulier, in mortem labitur, & miſeriam; dum ſepulcrum mortui oculis cernit, adepta eſt vitam, & felicitatem.

Rupert.

Magdalena crucem, & mortẽ Chriſti memori mẽte geſtabat.

D. Chryſol.

Maria Magdalena cur vna, & altera dicatur.

D. Chryſol.

Maria fit altera ex viſu ſepulcri.

Mors Chriſti mirabilis.

5. In Chriſto res omnes mirabiles, mors ipſa admiratione digniſſima: modus, quo occubuit in ligno, à S. Ioanne deſcribitur cap. 19. verſ. 30. *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* In aliis moribundis prius eſt exhalare animam, & poſterius deficiente robore vitæ, caput flectere, & inclinare. Chriſtus inclinat caput, & poſtea vitam profundit. Huius rei cauſam diſcutit, & myſterium inueſtigat ſanctus Athanaſius quæſtion. 40. cuius titulus eſt: *Quid eſt illud, & inclinato capite tradidit ſpiritum? Nam omnes moribundi moriuntur primum, & tum demum inclinant capita.* Nodum difficultatis ſoluit, & de morte ſubiungit, *Atque hæc quidem ſibi metuens appropinquare non audebat, ideò Chriſtus inclinato capite, vocauit ipſam. Nam antequam caput inclinaſſet, verebatur propius accedere.* Hæc acerrimus fidei propugnator Athanaſius: Magnum Græcorum Patrum ornamentum, & lumen; mortem introducit ex Chriſti portentis, pendentis in ligno, velut metu correptam; fugam meditari, dum obſeruat Soli lumen eripi, terram pauore concuti, ſaxa diſcindi, ſiderum fulgoribus velum tenebricoſum obduci, noctem, & tenebrarum caliginem per totum terrarum orbem offundi. Ancipiti curà, & dubitationis fluctibus æſtuat, velut proſpiciens hominem cruci ſuffixum manifeſta edere Deitatis inſignia; vt honori conſulat, fugæ viam quærit. Si ad eum appropinquo (velut inquiebat mors) notâ inuror ignominiæ ſempiternæ; ſi communi luce priuare audeo, dignitatis, & gloriæ me orbam relinquit: ſi vitam adimo, aufert dominationis ſceptrum, & imperium, & mortuorum omnium eripit ſpolia. Inter has curas, & anxietates fugitiua mors auolat; ſed à moriente Domino nutu capitis reuocatur, detinetur; accita mors, ad Saluatorem appropinquat, & ad conſpectum mortis auctor vitæ lucis huius amiſit vſuram. Mirum dictu, Ieſus imaginem vitæ ad intuitum mortis, moriens figurat. Humani generis maximum redemptionis opus præſente morte operatur, miraculis, & magnalibus ſuis imponit metam, & adiicit complementum, & faſtigium ad mortis intuitum, vt homines vltimo halitu inſtruat, quod ad conſpectum mortis perfectæ vitæ forma effingitur.

Cur Chriſtus prius caput inclinauit, & poſtea mortuus eſt.

D. Athan.

Mors appropinquare non audens in[illegible] inclinato capite à Ieſu vocatur.

Mortis tergiuerſatio.

Ieſus ad præſentiam mortis vitæ imaginem figurat.

Phœnicis cineres, & vermis.

DISCVRSVS VII.

Terra, & cinis pœnitentiæ, & conuerſionis adiutrix, & diuinæ pietatis reconciliatrix.

1. IN puluere, & cinere, quibus damnatur homo, inuenit auxiliatricem dexteram; & in pœna ipſa reperit remedium ſalutis; dum puluerem proſpiciens, ſuæ natiuitatis exordium, & ſuæ vitæ, ac gloriæ metam in congerie mortuorum, aut volutatus cineribus, & conſperſus, pro peccatis ſatisfacit, & Dei cle-

mentiam exorat; hominibus Deus, cineres, & pulueres dedit adiutorium ad ſalutem. Teſtis eſt huius veritatis Dauid Pſalm. 29. verſic. 10. *Nunquid confitebitur tibi puluis,?* Expendit hæc verba cum antecedentibus Sanctus Beda de Chriſti reſurrectione, ex qua magnificus, & glorioſus fructus pullulauit, iuſtificatio, & confeſſio hominum, quos vocat Pſaltes puluerem. Si enim Chriſtus non eſſet inter mortuos liber, nec ſolutis vinculis corruptionis, ad nos remearet, ſed illius corpus inter pulueres ſepulcri remaneret in cineres redactum, non iuſtificaretur puluis. At æquo iure peccatorem puluerem nuncupat, quia ad pœnitendum de peccatis auxiliares copias exhibet puluis. Audi Venerabilem Bedam: *Quis fructus ſequetur* (inquit) *ex paſſione mea, dum deſcendo in corruptionem, hoc eſt: ſi ego non reſurrexero ad conſolationem, & iuſtificationem aliorum, nulla vtilitas erit, quia puluis, id eſt, peccatores attriti à peccatis, & leues vt puluis, qui conuertendi, & iuſtificandi ſunt per reſurrectionem meam, non confitebuntur tibi. Id eſt, nullam laudabilem confeſſionem facient tibi.* Conuertendos improbos puluerem vocat, quia terræ, & cineris meditatio multum adiumenti præbet ad innouationem vitæ. Non ſolus peccator, qui leuitate vitæ facilè mobilis, puluis eſt, quem ventus flatu ſuo huc, illúcque diſpergit, & ſcelerum maculas confeſſione eluit; ſed cineres, & putrida cadauera tumuli vulneribus animi medentur, dum ex eorum recordatione, & viſu, à turpitudine, & ſcelere reuocatur, & horrore putreſcentis pulueris erigitur, vt crimina confeſſione expiet. Deo quoque confitetur puluis, dum homo cilicio præcinctus, ſacco indutus, cinere aſperſus caput, argumenta præbet doloris, & ſatisfactionis. Egregia huius Pſalmi verſio apud ſanctum Cyprianum reperitur, qui de publica pœnitentia locum expendens, inquit lib. 3. ad Quirinum: *Nunquid exomologeſim faciet tibi puluis.* Exomologeſim puluis operatur, quia peccatoris lumina, quæ cæca voluptas clauſerat, tumuli cinis, & putredo aperit, dumque ſe humandum ſepulcro, & operiendum vermibus attendit, mundi vanitatem expertus, reſipiſcit.

Deo puluis confitetur. Beda.

Si Chriſtus non reſurgeret, nulla eſſet laudis confeſſio.

Beda.

Puluis peccatores dicuntur.

Puluis adiuuat peccatorem, vt à peccatis reſurgat.

D. Cypr. *Qua ratione exomologeſim faciat puluis?*

2. Si Princeps Tyri Regni ſui opes, Paradiſi delicias, & decorem, pretioſorum lapidum ornamenta meditatione pulueris ſolidaſſet, à celſitudine gloriæ nequaquam corruiſſet, vnde per Ezechielem cap. 28. verſic. 13. *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt.* Quæ verba paraphraſi explicat Chaldæus: *Ideò eleuatum eſt cor tuum. Verùm non conſideraſti cadauer tuum.* Si enim cadauer, & corpus ſuum mortuum attenderet, tinea exeſum, corruptum putredine, perforatum vermibus, labens, & fugiens regnum humilitate retineret, flagitioſam vitam facilè relinqueret, & ad honeſtam vitæ rationem rediret.

Rex Tyri à felicitate cecidit, quia cadauer ſuũ non conſiderauit.

Chald.

3. Poſt diuini verbi præconium de ore Ionæ quaſi de nube cœleſti tonans, vaſtitatis tonitruo, & ruinæ fulmine; ad communem pœnitentiæ portum, anxietatis, & mortis iactati fluctibus Niniuitæ confugiunt. Rex cum Magnatibus & populo, ſacco indui, & incinerati iram Domini auertunt. Ionæ cap. 3. verſic. 6. *Et peruenit verbum ad Regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Quanta verò fuerit, & quam mirabilis ſacci virtus, & cineris potentia expendit ſanctus Chryſoſtomus homil. 1. de pœnitentia, ſcribens: *Vbique ſaccus, vbique cinis, vbique fletus, & eiulatus: nam ipſe diademate caput ornatus, a Regali deſcendens throno ſaccum ſibi ſubſtrauit, atque ſic vrbem periculis eripuit. Et erat rem quidem nouam videre, purpuram ſacco cedentem præſtantiori effectu. Quod enim purpura nequiuit, id ſaccus potuit, quod conſummare diadema non valuit, hoc cinis perfecit.* O quantum emolumentum accepit opulenta ciuitas ex pœnitentia Regis voluntaria; quam neci, gladio, igni crimina deuouerant! Puluis, & cinis ſententiam damnationis auertit, & diram mortis fortunam depulit. Nitor purpuræ, Regia poteſtas, aureum diadema lapidibus diſtinctum fulgentibus, impendens, & inſtans diſcrimen non remouit, accedit puluis, venit cinis, & voragine vitiorum immerſis ciuibus, morte multandis, adiutricem dextram porrigit, & ab inferorum faucibus eripit: *Quod conſummare diadema non valuit, hoc cinis perfecit.* Omni purpura, & coronamento gloriæ glorioſius apud Deum ornamentum capitis, & corporis, puluis, & cinis.

Saccus, & cinis Regis Niniue.

D. Chryſoſt. *Saccus, & cinis potentior ad exorandũ Deum quam corona, & purpura.*

4. Hæc ampla decora in exomologeſim operante exigit Tertullianus, vt diuinum numen exoret, & ad pietatem flectat, dum lib. de pœnitentia cap. 11. ait: *Quid ſi etiam incommoda corporis reformidant, quod inlotos, quod ſordulentos, quod extra lætitiam oportet diuerſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris. Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis ſupplicare nos condecet.* Et addit: *Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire, itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi; quem delinquendo læſi.* Purpuras dibaphas, ac Laconicas, aut tincturas Tyrias deſpice, catenulas aureas, & monilia puerorum crepundia æſtima ad conflictum pœnitentiæ, aſperitate ſacci, lutulento fletu, ſordibus pulueris, & cineris, Deum offenſum reddes placabilem, cinis oſtendet te decorum, & ad Dei aulam introducet, gaudet enim fauillæ in pœnitentibus, videre candorem.

Tertull. *Pœnitentiæ incommoda gratiſſima Deo, ad reconciliationem peccatoris.*

Qualis debeat eſſe pœnitentis habitus.

5. Habacuc oratione ſuâ pro ignorantiis, in qua cœleſtis fulget plenitudo ſapientiæ; pro Chriſti Domini triumphis, & victoriis de Satana, de peccato, de morte carmen cecinit triumphale: cap. 3. verſic. 6. hæc habet: *Stetit, & menſus eſt terram, aſpexit, & diſſoluit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi.* Acutè locum explanat Rupertus, eum conferens cum altero lib. 2. Reg. cap. 8. verſic. 2. in quo celebratur Dauidis virtus bellica, qua Philiſthæos, & Moabitas profligauit: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ.* Perſpicua eſt lectio Septuaginta Interpretum: *Menſus eſt eos funibus, ſternens eos ſuper terram.* Vt hoſtium ſtragem oſtenderet, ſupplices, & ad pedes iacentes, ſuper terram proſtrauit; ſic Chriſtus hoſtes, quos ſpiritali fregit pugnâ, abiectionem docuit; Principéſque nationum ſuperbiæ faſtu tumidos, & ſeſe extollentes ad terram proſterni, & ſeſe abiicere inſtruxit. Imò, & menſurare terram; quia is, quem totus non capiebat orbis, poſt interitum, & diſceſſum è vita funebri linteo ſtringitur, breuiſſimo tumulo clauditur, & inter pugnos pulueris,

Hoſtes deuicti terram metiuntur.

Lect. LXX.

Menſuratione terræ ſepulcri docet Deus homines.

ueriſ, & cineris coarctatur. O quanta facinora hæc demiſſio, & ſuper terram abiectio præſtat! Adamantina corda liquantur, montium cacumina, & vertices principatuum complanantur, in genua procumbunt, crimina abluentes lacrymis. Egregiè ait Rupertus: *Quid eſt diſſoluit, niſi ad pænitentiam emolliuit? Et quid eſt contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati colles mundi, niſi ad pænitentiam contriſtati ſunt Principes ſæculi.* Turgentes ſæculi faſtu homines, & caput ad ſidera tollentes vbi terram, & puluerem plaſmationis ſuæ conſideratione humiliter tangunt, ab ipſo puluere excitati ſunt deponere ſuperbiam; planctu, & confeſſione expiare crimina.

Rupert. *Principes ſeculi emolliti ſunt ad pænitentiam.*

6. Inter alia Chriſti inſignia, hoc retulit Dauid Pſalm. 18. verſic. 6. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam.* Cur Giganti exultatio Saluatoris adoptatur? vt nos doceat eſſe gigantes in ſpiritali certamine, quibus terra ſuppetias fert, & inſtruit robore. Singularis eſt Venerabilis Bedæ in hunc Pſalmum annotatio: *Gigantes* (inquit) *ſerpentinos pedes habuiſſe deſcribuntur, in quo terræ adhærentes, & humiles licet ſint fortes notantur.* Magna in heroïbus calliditas, & prudentia; dum pedes adhæreſcunt, & infiguntur terræ, inſuperabiles, & victores euadunt. Fortaſſis alludit Beda ad Anthei palæſtritæ artis exercitatiſſimi, & Herculis luctam. De quo congreſſu diſertiſſima verba protulit Philoſtratus lib. 2. Iconum: *Vincit autem eum de terra tollens, quoniam terra ipſum eleuans, atque erigens, cùm moueretur, adiuuabat.* Antheus licet ligatus, & conſtrictus Herculis lacertis, manſit inuictus, vires ſuggerente terra, cui pedes nitebantur; terra ipſum eleuans, & erigens, præbebat adiutricem manum. Si ergo in certamine ſpiritualium hoſtium, qui te à ſalutis æternæ via remouere nituntur, te ipſum ad terram inclinaueris, proſtratus, & afflictus, animo comprehenderis tuas ærumnas, & miſerias; præbebit humus auxiliares copias, quibus aduerſarios proſternas. Neque exiguum erit tibi diuinæ pietatis indicium, ſi acerrimos hoſtes viceris.

Terra ſuppetias ferebat Gigantibus. Beda.

Cum terra infiguntur nō vincuntur.

Philoſtr. *Antheum in certamine cū Hercule, terra iuuabat.*

Hominem in lucta contra dæmonē terra iuuat.

7. Iam aduocat nos Abrahæ humilitas, quando ad exorandum Dei numen, aduocatum affert puluerem, & cinerem. Geneſ. cap. 8. verſic. 27. *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis.* Vt cohortatione ſua Deum ſanctus Patriarcha ad miſericordiam incitaret, vt Sodomitis parceret, non profert animi ſui innocentiam, nec Abrahamidi generis decus, quod omni nationi, quæ ſub cœlo eſt, benedictionem patrocinari conſueuit; hæc, & alia amplitudinis ornamenta dereliquit, terram, & cinerem allegat, quas gratiâ, & auctoritate apud Deum valere exiſtimabat; vt legatricis officio fungerentur, & apud Dei tribunal, Pentapolis cauſam agerent; & ſurphureos ignes, Angelicâ dextrâ iaculandos, puluis, & cinis non occultarent, ſed ſopirent. Et licet Sodomiticæ vrbes ob penuriam iuſtorum; propter atrocitatem, & contumaciam criminum, pœnas perſoluerint, Abraham non eſt fraudatus Dei beneficio, diuinæ largitatis vbertatem promeruit, quam refert ſanctus Hieronymus in caput 4. Malachiæ, ad ea verba verſus 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Sic de Abrahæ confeſſione humili, ſanctus Doctor fatur: *Abraham locutus eſt ad Dominum, comparatione diuinæ maieſtatis cinerem eſſe ſe ſentiens: ego ſum terra, & cinis. Propterea videbit Solem iuſtitiæ, & requieſcet inter medios eius cleros: atque ipſo portante ad cæleſtia ſubleuabitur.* Abrahamidi cordis abiectio, à memoria æterna non effluxit, cuius Deus tam fidus remunerator eſt, ea ſiquidem ad gloriæ apicem euectus, vt Dei lumen claro cerneret intuitu, & pennis Solis iuſtitiæ ſubleuaretur, Deique extolleretur manibus ad æthereas cœlitum regiones. Phœnice beatior Abraham, quem de puluere, & cinere ſuſcitat Deus ad immortalitatem, & ſuper alas Solis portatus, ad paradiſum euolat.

Cur Abrahā aliis virtutū ornamentis omiſſis, cinerem, & puluerem coram Deo allegat?

Vt legatorū munere fungerentur.

D. Hieron.

Præmiū humilitatis Abrahæ, quod à Deo portetur ad cœleſtia, vt videat iuſtitiæ Solem.

P. A. Luc. de Arcones *in Iſaiam.*

Expectat Solis ortum.

Discvrsvs VIII.

Phœnici Chriſtiano, omnia fauſta proueniunt ab oriente Sole.

1. ORIENTEM Solem aſpicit Phœnix, quia ſub Solis æterni munimine omnia inuenit iuſtus ſolatia, ſub pennarum eius protegitur velamento, lætitiæ, & gaudij luce ſuffunditur; & ad melioris vitæ formam migrat, ad initium, & ortum Solis. In Sodomæ vrbis euerſione, & incendio, Loth patrocinium ſuſcipiunt Angeli, circa ſtragem, & ex vrbe profectum, ancipiti curâ detractum, & ferè incredulum, reluctantem, foras deducunt; & in ciuitate Segor inuenit ſalutis portum, & refugium. Vix attigit ciuitatis limen, & portam, & Sol ortu ſuo Lot illuminat, & illuſtrat. Geneſ. cap. 19. verſic. 23. *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor.* Solem Deum exiſtimat Philo Iudæus illuxiſſe iuſto, cùmque ſuis ſplendoribus circumdediſſe, vt immunis redderetur periculi. Hæc ſunt Philonis verba, lib. de ſomniis: *Sol vocatur Dei ſermo, imago cæleſtis numinis, de quo dicitur: Sol exortus eſt ſuper terram, & Lot intrauit in Segor. Cum enim Dei verbum in terrenam iſtam noſtram compagem peruenit, virtutis cognatis, ſectatoribuſque auxiliatur; ſalutare præbens refugium.* Vir iuſtus ad virtutum profectum præſto habuit adiutorium Solis Verbum, & imago Patris; lumenque de lumine vires ſuppeditat, vt remoueatur ab improborum ſocietate, & contubernio, ne aliqua Gomorrhæorum labe eius puritas inquinetur: ideò è cœnoſo vitiorum gurgite, & malorum conſortio intactum extrahit, & ad eius egreſſum oritur Sol; & dum Sodomorum circundantium domum oculi caligant, clariſſimum lumen iuſto prætulit, illuminans candore cœleſti; vt ad illuceſcentis diei exordium, qui neſcit occaſum, ſecurus viuat, & perfunctus periculis requieſcat.

Loth ab Angelis liberatur de Sodomæ incendio.

Lothi, Sol Deus illuxit.

Philo. Iud. *Sol Dei verbum virtutis ſectatoribus auxiliatur.*

2. Feſtum renouationis, & purificationis templi Ieroſolymitani, quod poſt captiuitatem Babylonis, & reditum è Perſide à filiis Iſraël, ſolemni ritu, & ſummâ religione, lætitiâque celebratum eſt; modúſque mirabilis, quo ignis altaris in ſpelunca abſconditus, & in aquam craſſam immutatus; à Sacerdotibus, inflammante Domino reaccenſus eſt, refertur lib. 2. Machab. cap. 1. à verſic. 19. *Cum in Perſidem ducerentur*

Feſtum renouationis celebratur à Iudæis poſt reditum de Babylone.

Quo in loco abſconditus ignis ſacer inſtante captiuitate Babylonica.

patres noſtri Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari, occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus, & in eo conſeruati ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus. Poſtea verò non repererunt ignem, ſed aquam craſſam. Et ſubdit verſic. 21. & 22. *Iuſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant iuſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna, & quæ erant ſuperpoſita, vtque hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, itaut omnes mirarentur.* Quæ verba de renouatione animi accipit Stephanus Cantuarienſis in allegoriis Tilmani, ſcribens: *Accenſus eſt ignis magnus poſt aſperſionem aquæ: quia cùm pœnitens bene recordatur peccati, accenditur in eo feruens dilectio Dei. Bene autem dicitur ignis magnus, quia vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Dum per pœnitentiam homo renouatur, & aquis lacrymarum perfunditur, magnus rogus ſuccenditur amoris, quo ipſe ad meliorem vitam reſtauratus ardeat. Sed ſacrificium cœlitùs non inflammatur, nec ignis exardeſcit, nec deuoratur victima, nec ſacrificium perficitur, niſi exoriente Sole: *Vt tempus affuit, quo Sol refulſit, accenſus eſt ignis magnus.* Quid, omnis apparatura holocauſti, & flammei globuli, pendent à primo Sole? Vt Sol oriens, ſacrificium ſuis ornaret ſplendoribus, ipſaque victima à Sole reciperet viuidos igniculos, quibus perfectè litaretur Deo, in templi innouatione, Vt documentum præbeat renouandi habitaculum cordis, quantùm faueat ſupermundanus Sol renouatorum animis, quantis luminibus ſplendeat, & quàm eximiis eos repleat lætitiæ, & gratiæ ſplendoribus. Ex quo iuſtitiæ luminare magnum cordi affulget, ignis magnus dilectionis ſuccenditur.

Oriente Sole ignis accenditur ſuper ſacrificium.

Steph. Cant.
In pœnitente ignis diuini amoris accenditur.

Sacrificij inflammatio, & perfectio ad intuitum orientis Solis fit.

Accipitris renouatio.

3. Iterum ad examen voco verba Iob cap. 39. verſic. 26. vbi de accipitris innouatione ſermonem inſtituit: *Expandit alas ſuas ad auſtrum.* Vt auræ ſuauioris tepore concaleſcens, veteres pennas abiiciat, & nouas induat. Locum illuſtrat ſanctus Beda inquiens: *Plumeſcens quodammodo renouata ſit ſicut aquilæ iuuentus eius; ad Auſtrum vnde calor fidei eſt, ſe verterit, vnde Chriſtum veniſſe cognouit. Quod & Propheta ita faciendum prædixerat, dicens: Deus ab auſtro veniet. Bethleem in meridie, quod eſt in auſtro, poſitam ſcimus.* Ad caput 3. Habacuc alludit Beda; propoſitamque ſententiam: *Deus ab auſtro veniet,* Beda cum aliis Patribus de Chriſti natiuitate in Bethleemitico antro, ex quo tanquam nouus Sol terris affulſit, de quo idem Vates canit: *Splendor eius vt lux erit,* ſapienter interpretatur. Qui innouatione conuerſationis cœleſtis innouari cupit, conuertat ſe ad auſtrum, & cœleſtis Regis patriam Bethleem auſpiciat; è cuius ſpelunca in mediæ noctis curſu, inter caliginem, & vmbram, lumen magnum exoritur, vt pectus ſuum luce illius, luſtret, & compleat. Crede mihi, licèt algeas pigritiæ frigore, ad præſentiam ſigni præpotentis, columnæque ignis, viam illuminantis per noctem, ſupra rotam feruidam Solis exardeſcentis, & in meridiano exufflantis ignes; conualeſcas, inflammaberis, ſuccenſus amore diuino æſtuabis, & velut in hypocauſto apertis poris, veteris conuerſationis noxios expelles humores, ſanitate reſtituta vitæ, & conuerſationis cœleſtis.

Beda.
Homo vertens ſe ad auſtrū renouatur.

Ad intuitum Solis Ieſu in ſpelunca orientis.

4. Vniuerſis renouationis infulis inſignitus eſt Iacob, quando manus cum Deo ipſo conſeruit; innouatus eſt nominis ſplendore Iſraël, animi robore, famæ immortalitate, gratiarum abundantiâ, cœleſti benedictione promiſſi, quod ex eius clara ſtirpe Ieſus oriretur. Sed tantis beneficiis ornatus eſt Iacob primâ diei luce, adueniente Sole, Geneſ. cap. 32. verſic. 26. *Iam enim aſcendit aurora.* Et ſtatim ac benedictionem accepit, & decus nominis Iſraël verſic. 31. *Ortúſque eſt ei ſtatim Sol.* Vt ad Solis ortum, & radiorum fluxum nitidior cœlicolis luctator appareret, diuinioris vitæ ornamentis illuſtratus, irroratus ſtillicidiis gratiarum, Ab exordio luctæ altero crure captus inuenitur: quo ergo tempore firmo ſtetit pede, & ceſſauit claudicatio? Reſpondet Abulenſis curioſus, & acutus interpres quæſt. 6. in caput 32. Geneſ. circa finem: *Poſt fuit ſanatus, & hoc fuit ſatis citò poſt ortum Solis, quia quando venit Iacob ad Eſau, eadem die, non erat claudus, ſed rectiſſime ambulans.* Obſtupeſcenti femori Iacob ſanitas reſtituitur exoriente Sole fœlicitatum, & beatitudinum copia ab ortu Solis deriuata eſt. Statim ac repleuit illum ſplendoribus, corpore, & animo totus immutatus eſt & firmo cœpit ambulare veſtigio.

Iacob omnia fauſta exoriente Sole.

Abulenſ.
Poſt ortum Solis ſanatur claudicatio Iacob.

5. Æquo iure exigebat Dauid vt nomen Domini ab omnibus celebraretur in luce diei, Pſalm. 95. verſic. 2. *Annunciate de die in diem ſalutare eius.* Vbi ſanctus Hieronymus ſic fatur: *Quandocumque laudatis Deum, ſemper illum in luce laudate, non in tenebris peccatorum, ſed in luce virtutum, ſemper in anima tua Sol Chriſtus oriatur, vt ſemper in te naſcatur lumen nouum.* Lux nouæ gratiæ, quæ abolitis peccatis, in corde refulget, oriatur ad intuitum Solis æterni, qui diſſipata caligine ſcelerum animam renouet, & illuminet.

D. Hieron.
In luce Dominus laudandus.

Semper Sol Chriſtus in anima oriatur.

6 Quid circa necem furis interfecti lex a Deo ſancita diſponat, Moyſes intimauit Exodi cap. 22. verſic. 2. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis: quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit; & ipſe moriatur.* Si in tenebris noctis latro deprehenditur, interfector non multatur; ſed lege cautum eſt, ne poſt ortum Solis vita priuetur. Quid in hoc ſacramenti lateat ad morum inſtructionem Radulphus Flauiacenſis explanat lib. 4. in Leuiticum de peccatore pœnitente ſub furis nomine: *Hunc furem quiſquis ſub noctis tenebris percuſſerit, innocens erit: quia quandiu prauitatis ſuæ caligine cæcatur, quiſquis eum morte dignum pronuntiauerit, non peccabit. Si verò orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrabit. Quia ſi peccatori Sol iuſtitiæ ortus fuerit, quiſquis ab ſpe veniæ eum excluſerit, deſperationis mucrone furem confodiens, homicidium perpetrauit.* Quantum optat Deus furis pœnitentis ſalutem! cum enim Dei pietate excitatus ad cœlorum faſtigia celeri volatu tranſcendere nititur, vocatus a Sole, & illius radiis, & ſplendoribus allectus, ſi quis ad terram abiecerit, & deſperationis ictu proſtrauerit, à Deo ſententiâ mortis feritur. Perpende Radulphi ſententiam: *Si peccatori Sol iuſtitiæ ortus fuerit, & affectum veræ pœnitentiæ ei infuderit.* Fur, dum eum ſcelerum pœnitet, curſum, & radios Solis æterni circumit, Sol ipſe, diuinis ſplendoribus furem ornat, luminibus amoris ambit, gloria Domini colligit, vt in Solem aſpiciens illius candorem æmuletur,

Lex de furis interfectione.

Si orto Sole interficitur latro homicidium perpetratur, & plectitur.

Radul.
Fur peccator pœnitens.

Qui peccatorem à ſpe veniæ excludit homicidium perpetrat.

Radulph.
Sol diuinus furem peccatorem ornat.

ſetur, & in eius animo velut in cœlo Sol curſum perficiat.

Publicanus in Sicomoro renouatur ad conſpectum Solis Ieſu.

7. Ad huius Solis placidiſſimum aſpectum, & contemplationem Princeps Publicanorum Zachæus innouatur. Vide Phœnicem Chriſtianum cacumen arboris ſycomori aſcendentem, vt videret Ieſum, & diuinum in eius pectore, & domo oriretur lumen. Lucæ cap. 19. verſic. 4. *Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum.* A Ieſu viſus, & oculorum Ieſu ſplendoribus illuſtratus, lumen accepit, quo interiora pectoris cerneret, & tenebras diſpelleret vitiorum in alterum hominem immutatus. Sed per pœnitentiæ ſcalam ad intuitum Saluatoris eleuatus eſt. Audi Anonymum in catena Græcorum patrum hæc verba loquentem: *Sycomorus pœnitentiam ſignificat, turba verò paſſiones. Qui igitur illas tranſcendens, per pœnitentiam erigitur, ac ſublimatur, in ſe ipſo Ieſum videt, & videtur à Ieſu, & ſuſcipit eum ad ſe diuertentem, ſalutémque accipit, & efficitur Filius Abrahæ.* Per pœnitentiam ſcandens ad ſublimioris vitæ verticem, in ſe ipſo habet Ieſum, eúmque videt luminibus corporis, & fidei obtutu, dum eius animo gratia cœleſtis affulget. Habere etiam contubernalem, & commenſalem meruit, vt ſplendore, & conuerſatione cœleſti, Publicani illuſtraret domum.

Anonym. Caten. Græc. *Per pœnitentiã homo videt Ieſum, & à Ieſu videtur.*

Qui Ieſum ſuſcipit, ſalutem accipit.

Principes qui peccauerant cum filiabus Moab ſuſpenduntur cōtra ſolem.

8. Cùm populus Iſraël moraretur in Settim, & filiarum Moab illicitis fœdaretur amplexibus, diuinæ ſententiæ fulmen de cœlo iaculatur, Numeror. cap. 25. verſic. 3. & 4. *Iratus Dominus ait ad Moyſem: tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis.* Subtilis valde eſt allegoria Philonis, moraliſque conceptus, hunc locum expendentis lib. de ſomniis, ibi ait: *Non hoc tantùm hic agitur, vt occulta ſcelera in Solem proferantur, verùm etiam, vt figuratè Sol vocetur Pater ille omnipotens, cui ſunt omnia conſpicua, etiam quæ in mentis intimis verſantur cogitationibus.* Et ſubdit: *Excutiens omnia ſua facta tanquam in Solem profert inſpectanda. Inſpectatori omnium fatendo ſe pœnitere prioris opinionis impiæ, purgata & percurata eſt, placato exactore pœnæ, qui iam inſtabat iratus non immeritò, ſed fratris pœnitentiam libens, volénſque, vt innocentiam accipit.* Deum Patrum omnium Solem appellitat Philo, cui Principes affixi, & ſuſpenſi patibulis oſtentantur. In eiſque conſcientias & pectora peccatorum ritè expiantium crimina, indicat denotari, dum omnia cordis arcana, & intima penetralia manifeſta, & conſpicua diuinis oculis aduertunt; diuinſque Solis omnia colluſtrantis lumine eſſe propatula; dolore contriti, ritè animos expiant confeſſione criminum in conſpectu Solis, & illius luce clariſſima exomologeſim agunt, vt radiis Solis ſcelera exurantur. Quæ omnia ſi ad ſanctum latronem in patibulo ſuffixum, Solis Ieſu ſplendoribus illuminatum, & ad illius intuitum immutatum applicare libuerit, non diſſentiam.

Philo Iud. *Deus Sol dicitur, quia omnia ſunt ei conſpicua.*

Philo Iud. *Pœnitens ſua facta conſtituit in conſpectu Solis inſpectanda.*

Phœnix exuuias defert ad Solis aram.

DISCVRSVS IX.

Manifeſta nouæ vitæ indicia, ſi voluntates, & affectiones terrenas, & vitæ veteris exuuias ad Ieſum deferas, eorumque deditionem facias.

1. NON erit abſurdum ſi Phœnix formam tibi renouandi vitam exhibeat, cum depoſitis antiquæ vetuſtatis exuuiis nitidus apparet, eaſque ad moderatorem ſiderum ſuæ renouationis auctorem defert; vt hominem inſtruat ſpoliare ſe veteri homine, cum actibus ſuis, & ad Ieſum ſpolia deferre; gaudet Deus quòd detracta vitæ veteris indumenta, & peccatorum laqueos ad ipſum deportes. Legem Phaſe Iſraëlitis Deus præſcripſit, vt agnus immolaretur. Exodi cap. 12. verſic. 3. *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas.* Sed cur vota nuncapari, & offerri ſacrificium agni iuſſit, & non alterius animantis, aut volucris? Reſpondet Ioſephus relatus à Guillelmo in cap. 12. Exodi clauſula prima, dubio 3. dicens: *Ioſephus ad hoc reſpondet, quod ratio huius fuit quaſi in vindictam Ægyptiorum, qui Iouem in ſpecie arietis adorabant. Non ergo æquanimiter ferebant, quod Iudæi occiderent, & immolarent Domino Deo ſuo illud animal, quod ſummè venerabantur, & colebant.* In feſtiua luce celebritatis Phaſe non exigit Deus libamina, aut alia potiora holocauſtomata pinguium, ſed agni immaculati arcanam victimam, in qua omne oblectamentum, amorem, Deitatem, & omnium numinum ſupremam poteſtatem Ægyptij collocauerant; arietem cum nato tanquam Iouis ſimulacrum adorante. Quid enim gratius, aut glorioſius Deo poterat offerri, & ſuſpendi cœleſtibus aris, quam Ægyptiacæ ſuperſtitionis amor, deliciæ, ſtudia, Deus? Nec minora pignora poſtulat Deus à tranſituro fideli per mare purpuraſcens Deifico cruore ad terram promiſſam exundantem riuis olei, & mellis, vt abominationes Ægyptiorum litet, improborum affectuum paſſionúmque idola, quibus in cordis intimis receſſibus eriguntur aræ, exhibentur cultus, Deo vero immolet, & purificationis igne incendat; cupit Deus amantiſſima pectoris, hiſque opimis ſpoliis ſuas ornat aras.

Cur in Phaſe celebritate agnus, & non aliud animal offertur.

Ioſeph. Guill. *In opprobriũ Ægyptiorum offertur, quē Iouem in figura arietis adorabant.*

Voluit Deus numen, & amorē Ægyptiorum ſibi immolari.

Abrahæ alacritas in offerendo filio.

2. Occurſat meo animo ſæpiſſimè egregius ille antiſtes Abraham omnium ore celebratus, celeri, & iuuenili greſſu, viſionis montem ſcandens, immolare victimam dilectiſſimam pietatis. Qui ab humano ſenſu migrans, & ſuper cœleſtia tranſuolans animo, adamantinum, & inuictum pectus naturæ ipſi oſtendit, hinc igne, inde mucrone vtramque manum ornatam oſtentat. Nec adeò nitet cœlum ſideribus, vt manus Abrahæ fulgoribus ſplendentis, & limati gladij, aut tremula flamma, Geneſ. cap. 22. verſic. 6. *Ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium.* Inſtrumenta immolandæ victimæ Iſaac, & inſtrumenta ſui ipſius victoriæ, quibus ſe ipſum immortuum mundo, & ſenſui, & amore cœleſti inflammatum, tran-

Quid denotē ignis, & gladius in manibus Abrahæ.

ſcendentem mortalia omnia, oſtendit. Pulchrè Philo Hebræus ignis, & gladij ſignificata explanat lib. de Cherubim dicens: *An non vides quod ſapiens ille Abraham quando incepiſſet iuxta Deum metiri omnia, accipit ad ignei gladij ſimilitudinem ignem, & gladium; reſecare, ac exurere quidquid mortale habebat, cupiens vt expedita cogitatione ſublimis, ad Deum euolaret.* Vt ad vitam immortalitatis æmulam migraret Abraham, vt nouus homo, & naturæ miraculum cœlitibus appareat, cœleſtique præconio a Deo de ſupernis coronetur, accipit gladium vt humanos reſecet affectus, accipit ignem vt eos inflammet, & in ara amoris dum ſuper ſtruem lignorum dulce, & amabile pignus ponit, litet Deo, vt ſic terrenis expeditus, in aligerum hominem immutatus, ad Angelos volitet.

Philo Iud. *Gladio & igne reſecabat, & exurebat, quidquid mortale habebat. Abraham ab humanis exitatus euolat ad Deũ.*

3. A veritatis ſcopo non aberrabo ſi nuncupetur a me Maria Magdalena *Diuini amoris Phœnix.* Cui omnia renouationis inſignia leui calamo in his diſcurſibus adumbrata, apprime conſonant. Vt exemplar plenæ, & perfectæ renouationis omnibus præfulgeat, vitæ veteris, & criminoſæ depoſitas exuuias nunquam reſumendas ad Ieſu pedes abiicit Lucæ cap. 7. verſic. 38. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Laſciui cupidinis ſpolia, & retia, quibus quaſi illecebris voluptatum, pretioſas animas ceperat, & illaqueauerat, dulci amori ſuo Ieſu gemebunda dedicat, oculos manus, vnguenta, labia, auteúmque capillamentum. Dulci, & grato reſonat eloquio ſanctus Gregorius Magnus homil. 33. in Euangelia fatus: *Liquet fratres quod illicitis actibus prius mulier intenta vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit. Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Quàm celeri curſu felix illa peccatrix detulit ſpolia, & vitæ in criminibus tranſactæ exuuias ad Ieſum; ex quo radius amoris, & fulgor gratiæ in Mariæ præcordiis illuxit, omnia ornamenta pretioſa, vultus, & veſtimenti decora, vexilla, inquam, quæ amor impudicus erexerat, ad accerſendos, & pelliciendos amaſios, tanquam trophæa, & manubias à Domino exercituum reportatas, in columna, aut pariete templi amoris Diuini, pro anathemate ſuſpendenda, detulit; omnem ſæculi pompam, & ornatum Ieſu dedicauit, nullo ſibi retento: *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta.* Quæ in rogo charitatis Seraphicus Mariæ ignis abſumpſit. Armatorum illæ validæ manus leporis, & venuſtatis, quibus fortiores quoſque proſtrauerat; ad pugnam cœleſtis amoris conuertit, vt in amoris caſti diſciplina, omnia pro ſe militarent, dum defert Deo, & pro omnibus ſatisfaceret.

Magdalena diuini amoris Phœnix.

Exuuias vitæ veteris deponit ad pedes Ieſu.

D. Greg. Magn. *Omnia quot militauerans mundo, offert vt militent Dei.*

Magdalena plura obtulit in diuini amoris ara, holocauſta.

4. Celeberrimum craterem, & labium Salomon ex ære conſtruxit, ad purificationem, & ornatum Sacerdotum Exodi cap. 38. verſic. 8. *Fecit & labrum æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Quæ autem ſint ſpecula, expendit Gloſſa Lyræ, dum ſcribit: *Iſtæ erant mulieres deuotæ, quæ veniebant frequenter ad oſtium tabernaculi ratione cultus Diuini, & in ſignum quod nolebant amplius intendere ornatui exteriori, obtulerunt ſpecula ſua: quorum capſæ erant æneæ, & de illis factum eſt vas prædictum.* Gratiſſima labij ænei ornamenta, mulierum ſpecula pro foribus tabernaculi excubantium: Vt ea Sacerdotes ſæpe conſulerent ad componendum veſtium ornatum. Sed ſpecula tanto nitidiora, quanto maior in eis pietas fœminarum offerentium, refulgebat, dum enim ſecurioris diſciplinæ habitum induunt, ieiuniis, & orationibus animum excolunt; vanitatis idola Deo, ad labrum conſtruendum, dedicant. Quæ clauis æreis adaptata, & affixa nequeant diuelli ad vſus prophanos. Caue ne cultus corporis ſemel Deo oblatus, ſibi vanitas aut vendicet, aut reſtituat.

Lyran. *Piæ fœminæ excubantes ad oſtium tabernacuii, renuntiantes ſæculi pompis ſpecula afferunt Deo.*

5. Poſt perpetratum ſcelus venerationis vituli, iubetur populus ornamenta deponere. Exodi cap. 33. vbi cum dixiſſet Moyſes verſ. 4. *Audiens populus ſermonem hunc peſſimum luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Poſtea verſ. 5. eadem ornamenta abiicere, imperat: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Quæ autem extiterint prima cultus veſtimenta, Hugo Cardinalis exponit: *Cultiora veſtimenta depoſuerunt, in ſignum pœnitentiæ, ſicut Niniuitæ ad prædicationem Ionæ.* Si ad pœnitentiæ exercitationem, & ſigna, cultus, & ornatus veſtimenta exnetant, quid iterum iubentur deponi, in illis verbis: *Iam nunc depone ornatum tuum?* Quæſtionem excitat, & diſcutit Guillelmus Exodi cap. 33. clauſula 2. dubio 5. dicens: *Quare de depoſitione illius bis fit mentio?* Et acutè reſpondet: *Prima depoſitio ornatus, & culturæ veſtium iam ceſſauerat: nam populus iam incipiebat reſumere culturam veſtium: ideò poſtea præcipitur iterum abiici.* Et ſecundam reſponſionem addit: *Depone ornatum tuum, id eſt ſigna idololatriæ: quæ licet iam remouiſſent pro maiori parte, nunc tamen Dominus præcipit, omnino remoueri.* Exoptat Deus in populo perfectæ pœnitentiæ ſigna oſtendi, quod vituli conflatilis figmentum obliuione contereret, quod tranſacti ſceleris nulla in pectore, nulla in veſtium ornatu remanerent veſtigia; vt pretioſas veſtes, & pallas fimbriatas, quibus in ſolemnitate vituli initiatus eſt populus, a ſe remoueret, ne anteactæ idololatriæ memoria eorum animos refricet. Tunc pœnitens perfectæ immutationis exhibet indicia, ſi abiuratis criminibus, eorum ſigna, & monumenta prorſus abiiciat.

Quæ ornamenta iubet Deus Iſraëlitis deponere.

Hugo Card. *Veſtimentorũ cultum, & ornatum depoſuerunt in ſignum pœnitentiæ.*

Cur ſecundò imperat Deus veſtibus exui. Guilhelm.

Guill. *Idololatriæ ſigna iubet remoueri.*

6. Innouandus Moyſes in legiſlatorem, ducem populi, eximium Vatem, & cœleſtem hominem immutandus, ad conſpectum diuini ſimulacri ſuper ſenticoſam ſtirpem prominentis; & Angelicæ formæ effigiem, ſuper venuſtatem ſiderum, & Solis ſplendentis; iubetur calceamenta deponere. Exodi cap. 3. verſ. 5. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Quàm ob rem cœleſtis præco clamorem illum profundit, qui ad Moyſis ſtupeſcentis aures reſonaret? Reſpondet Theodoretus quæſt. 7. in Exodum, cui hæc inſcriptio affixa: *Quare iuſſus eſt Moyſes calceamentum ſoluere?* Et ſubdit cauſam: *Vt ſolicitudines ſæculares abijceret, huic mortali vitæ adhærentes. Nam pelles, vnde conſiciuntur calceamenta, mortuæ ſunt.* Vt nullis huius vitæ laqueis præpeditus, aut criminum onere prægrauatus ad diſcipli-

Vt Moyſes de paſtore in legiſlatorem, & ducem populi innouetur, calceamenta deponere iubetur.

Theod. *Imperat Deus vt ſolicitudines ſæculares abijciat.*

næ

næ cæleſtis,& diuinæ communicationis poſſet aſſurgere faſtigium. Sed calceos,quos ſemel abiecit, nunquam reſumpſit. Subſcribam ſancti Gregorij Nyſſeni annotationem ſingularem, homil. 11. in Cantica, ait: *Neque enim Moyſes cum iuſſu diuino liberaſſet pedes à mortuo pellium indumento, quando terram aſcendit ſanctam, & illuminatam narratus eſt pedes rurſus induiſſe calceis.* Pedum indumenta, quæ Moſes poſt ſe reliquit, nunquam induit,ſtudio renouati hominis ductus, ad pelles mortuas paſſionum, & earum dominatum nunquam regreditur; nudos pedes,terræ ſanctæ contactu, purificatos,& præſentia Domini ſanctificatos, nitidos cuſtodit, decipula terrenæ voluptatis liberos, vt ad montem Dei, & diuini vultus viſionem expeditus, & velox incederet.

D.Greg. Nyſſ. *Poſtquā diſcalceatus eſt Moyſes, non legitur rurſus pedes induiſſe calceis.*

7. Idem animi propoſitum in ſponſa inuenio. Cum enim ſponſus nocte intempeſta cincinnulos madefactos ſudi cœli humore, guttiſque noctis tanquam margaritis ornatos, aureáſque capillorum fibras roris cæleſtis imbre coronatas oſtenderet,ianuam pulſat animæ, mellifluis verbis excitata,& vocata, verbum durum,& acerbum protulit. Cantic.cap.5. verſ.3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cæleſtis ſponſus adeſt, ſtat ad oſtium pulſans, & inuitans ad cœnæ delicias, & tu remiſſione, & ignauia deprimeris? Ex ſtrato, & molli culcitra exili ſponſa, ſeras deſidiæ frangens, & erumpe ad ſponſi amplexus, & oſcula, penetralia licet aulæis ſtrata derelinque, ne ſponſus repulſus fugiat,& auolet.An ingratus,& deſpectus ſponſus quia eius caput plenum rore, & comarum annuli madefacti ſtillicidiis auroræ?In hoc diuinus agnoſcitur, & ab humano ſponſo ſecernitur, quia rubrum adfert indumentum nitens ſanguinis purpura, quia ſenticoſus plexus, quem Synagoga nouerca capiti aptauit, terebrat ſacratum verticem, & imbre irroratur ſanguineo? Vt plus placeret pyropis,& rubicundis vnionibus frontem ſtrinxit, caput coronauit. In dictis ſponſæ, tergiuerſatione, & tardipede greſſu, mira refulget ſapientia, ideò moras nectit, & aperire diſſimulat, quia lauacro regenerationis abluta, & purpureo latice candidata, pullatam, & pelliceam Adæ, & Euæ tunicam exuta, auerſatur mortalitatis amictum. In hoc facinore laudibus extollit ſponſam ſanctus Ambroſius lib.de Iſaac, & anima cap.6. *Veretur enim* (inquit) *ne iterum in tentationes reſurgat, ne iterum in culpam redeat, atque peccatum,& egreſſus ſuos, virtutúmque proceſſus, terrenis incipiat veſtigijs inquinare.* Et ſubdit: *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Exuit enim tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam,& Eua poſt culpam, tunicam corruptele, tunicam paſſionum. Quomodo induam eam? Non requirit, vt induas, ſed ita ſignificat abiectam, vt iam indumento ſibi eſſe non poſſet.* Excitat ſponſam, vt è cubili egrediatur,& è lectulo ſurgat, vt illius virtutem exerceat; an tenax propoſiti inueniatur renuntiandi ſeculi voluptatibus; ideò ad ſponſi placitum reſpondet, veteris vitæ veſtimenta ſordida, tinea, & vetuſtate conſumpta, nec apta indumento, cum ea exuit, & ſponſo obtulit, & diploidem iuſtitiæ induit. Turpe enim, & indecorum indicat, ſemel abiecta, iterum reſumere.

Cur moras nectit ſponſa ne aperiat cæleſti ſponſo?

Sponſa, tunicam corruptelæ, & paſſionum quam exuerat, nolebat induere. D. Ambr.

PARS SECVNDA
huius numeri.

Ea verba illuſtrat: *Si fuerint rubra quaſi vermiculus.*

1. PIE admodum Leo de Caſtro Iſaiæ interpres eruditus hunc ſenſum affert, & ex verbis Tertulliani componit: *Si peccata veſtra ablueritis ſanguine Chriſti dealbabuntur ſicut nix.* Vt ſit ſenſus: *Si fuerint peccata veſtra ſicut rubrum, id eſt, ſi rubent ſanguine Chriſti abluta, iuxta illud, qui lauerunt ſtolas ſuas ſanguine agni; ſicut nix dealbabuntur.* Idémque ſenſus latet in ſequentibus: *Si fuerint rubra quaſi vermiculus.* Eſt enim Ieſus vermiculus tinctorius, qui animarum ſtolas ſuo ſanguine rubere facit. Vnde Lorinus in Pſalm.21. verſ.7. aptè ſcribit: *Conuenit præterea Chriſto vermiculi proprietas eius, quo pretioſæ veſtes rubeſcunt, & alterius, qui ſericas ſuppeditat.* De quo in Commentario fusè actum eſt,& in ſequentibus nonnihil dicendum.Et præſertim de Chriſti circumciſione.

Senſus verborum. Leo Caſtr. *Animæ peccatrices ſi rubuerint ſanguine Chriſti, dealbabūtur.* *Ieſus vermiculus tinctorius.* Lorin.

DISCVRSVS I.

In vermiculo vel ſacro murice, ex quibus tinctura purpuræ conficitur puer Ieſus circumciſus, proprio ſanguine rubens, & peccata hominum expungens demonſtratur.

1. QVANDIV in hoc verſiculo immorabimur? Vermiculus Ieſus inter acerbitates gladij vagiens,& clamitans, & ſacri ſanguinis vnda, quo animas tingit, tanquam magnes ferrum, meum pectus detinuit,calamúmque retardauit; in verbis etenim Iſaiæ exuberant myſteria, quæ animus Deo adiutus hauſit, prætermittere, & non exarare literis, nefas duxi.Erit diſplicenti facile ad alia tranſgredi. Ego ſequentia omnia candido, & rubicundo Ieſu, & primitiui ſanguinis guttulis dedico.Coccus, purpura, vermiculus, muricis tinctura fere pro eodem in ſacra Pagina vſurpantur, vt annotat Lorinus in caput 14. Leuitici verſ. 4. ſed muricis, & cochleæ maris purpureus fucus antiquior, & celebrior, de quo Vitruuius lib. 7. cap.13. *Conchylia cùm ſunt lecta, ferramentis circumciduntur, è quibus plagis purpurea ſanies, vti lacryma profluens, excuſſa in mortarijs, terendo comparatur.* Cernis muricem Ieſum ferramento circumciſum; vt è plaga profluat lacryma Deifici cruoris ad animarum ablutionem? Trituram grani ad martyrium Ieſu remitto,cùm plagis,& laboribus teritur. Conſonat ſanctus Iſidorus lib.19. Etymol. cap.28. *Conchylia ſunt maris, quæ circumciſa ferro lacrymas purpurei coloris emittunt.* Sine ferri circumciſione non elicitur floridus, & purpureus ſuccus, ad imbuenda veſtimenta roſeo colore aptus. Torturam etiam patitur murex, vt ex eo purpureus ille liquor exprimatur. Caſſiodorus lib.1. variarum c.2. *Quod ſi conchyliorum qualitas non mutatur, ſi torcula-*

Sequentes diſcurſus Circumciſo Ieſu ab Auctore dicatur. Vitruu. *Cochleæ maris purpureus fucus.* *Conchylia ferramentis circumciduntur de quibus purpurea lacryma profluit.* D.Iſid. Caſſiod. *Conchyliorum torcular, & vindemia.*

ris illius vna vindemia eſt, culpa nimirum artificis erit, cui ſe copia nulla ſubtraxit. Iam enim Ieſus, botrus ſalutaris torculari deſtinatur. Vt lauet in vino ſtolam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Hanc vindemiam, torculárque inſinuat Pſalmi octaui titulus: *In finem Pſalmus Dauid pro torcularibus.* Quid præſeferant torcularia expendit Gloſſa Lyræ legens; *Victori pro torcularibus.* Et ſubdit: *Id eſt Regi Chriſto Victori. Pro torcularibus, id eſt pro meritis ſuarum paſſionum, quæ torcularia dicuntur, ſi accipiantur partes paſſionis, ſiue torcular, ſi accipiatur tota paſſio ſimul, eo quod ſanguis eius ibi fuit expreſſus, ſicut ſanguis vuæ in torculari.* Sed accipiamus pro primitiua parte paſſionum; & primos patientis Ieſu flores purpureos, & purpuraſcentes roſas delibemus. Vinea florens Ieſus paruulus, botrus torculari intempeſtiuus ætate, maturus amore, & ſanguinis fructu. Cerne vuæ cæleſtis primum torcular, botri, inquam, qui iuxta mundi torrentem pullulat, in brachiis Mariæ, & Ioſeph velut in pertica ſuſpenditur, & velut ab exploratoribus terræ promiſſionis fructus oſtenditur; gladio, & dolorum prælo ſubiectus exprimitur, fundens purpureum riuulum, vt purgaret terram obnoxiam maledicto.

Tituli Pſalmorum pro torcularibus.
Lyr.
Torcular Chriſti paſſio, & ſanguinis effuſio.
Palmitis Ieſu primus flos purpureus, & botri cæleſtis primum torcular.

3. Ad oblationem paſſerculorum, quos leprâ purificatus homo, Deo immolat, iubetur deſumi *Lignum cedrinum vermiculúmque.* Leuitici 14. verſ. 4. Septuaginta verò legunt: *Coccum tortum*, apud quos coccus, & vermiculus pro eodem reputantur. Iam enim cocci granum, immaculatúſque vermiculus torquetur doloribus, dum pungitur cultro, malefici Adami inuritur ſtigmate, & peccatoris excruciatur ſupplicio, tortura enim denotat paſſionem, vnde Iſychius inquit: *Septuaginta edunt coccinum tortum, videlicet paſſionem. Dicitur enim propter tincturam ſanguineam coccinum. Tortum autem quare dixerunt? Propter paſſibilitatem, impaſſibilitatémque connexam.* Paſſibilitas in corpore, impaſſibilitas in Deitate.

Vermiculus in oblatione paſſerum paſſionem Chriſti denotat.
Lect. Lxx.
Iſych.

4. Ornatum capillamenti ſponſæ purpureum laudibus extollit Salomon, Cantic. cap. 7. verſ. 5. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* In ſacro capillitij ornamento latent diuina myſteria, quæ opportuniori tempori inueſtiganda relinquo. Nunc ad florentis, roſeique nitoris originem, animum applico. Purpuræ infulis decoratur ſponſa, Chriſti ſanguine tinctæ. De purpuræ tinctura pulcrè in præſenti loco ſanctus Beda: *Miſſo in canalibus ſanguine muricis lana ipſa fucanda eſt, ibidem per partes diſtincta, & ſigillatim vincta tingatur. Inciſi enim ferro murices, lacrymas purpurei coloris emittunt, quibus collectis, tinctura purpuræ conficitur.* Poſtea muricem, & illius liquorem ad Ieſu ſanguinem aptè accommodat. Et de purpuræ murice, & vermiculo conſentit Purpuratus Hugo: *Purpura in canalibus lapideis, in quibus ſanguine muricis aſpergitur, quo redditur pretioſa ſanguine muricis, id eſt Chriſti, vt fiant ſicut purpura Regis.* Murex eſt Ieſus, qui inciſus mucrone, purpureas lacrymas fundit, quibus Eccleſiæ cycladem imbuat, vt ornetur Regina, & Regis purpura. Id perpende: *Sicut purpura vincta.* Vt ſponſæ infulas, & ſacri Imperij inſignia murex Ieſus inficiat, ſacri cruoris vnda, vinculis amoris nectitur, maternis Mariæ, & Ioſeph vincitur lacertis; funium nexus, & compedes præſagiens militum, Ieſum comprehendentium. Ligatur quoque infucanda purpura, quia ſponſa pedes manûſque, perſequentiũ Tyrannorũ inhærens nexibus, proprio ſanguine purpuraſcit.

Capillamentũ ſponſa ornatur purpura.
Beda.
Purpura fucanda ligatur.
Murices ferro inciſi purpureas lacrymas emittunt.
Purpureus muricis liquor, Chriſti ſanguinem denotat.
Hugo Card.
Ieſus ad fucandam purpuram vinculis amoris nectitur.

5. Sed purpureas gemmulas cum ſponſa in pyxide cordis, recondam. Ait enim anima, potiſſimúmque Deipara, de infantulo circunciſo: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Legit Origenes homil. 2. in Cantica: *Alligamentum guttæ faſciculus ſtillæ.* Et ſubdit: *Alligamentum guttæ fraternus meus mihi, corporeæ natiuitatis eius indicat ſacramentum.* Cùm fraternus in Cruce ſuffigitur, purpurei latices, ſanguiniſque copioſa pluuia de fontibus Saluatoris ſuper terram funditur, & Crucem ambientes aſpergit; tunc ex Ieſu reſultarunt guttarum flumina, mare ſanguinis, alligamenta, magníque faſciculi purpurei ſtillicidij. At poſt natiuitatem in circumciſione, paruulæ guttæ, & modicæ ſtillæ è corpore Ieſu fluitant, quæ in faſciculum collectæ, velut carbunculi pretioſi ignem ſpirantes, aut rubini iaculantes lumina, pectori ſponſæ appendantur aurea monilia; ideo dicit: *Alligamentum guttæ faſciculus ſtillæ.* Aut tanquam ſuccini, vel electri lacrymulas, redolentes puritatem, quæ vitæ æternæ odorem effundunt, & reſurrectionis gratiam, in medio cordis tanquam in eburnea theca reponat.

Sponſus alligamentum guttæ, faſciculus ſtillæ in Circumciſione.
Orig.

6. Redeamus ad muricem, & Eccleſiæ purpuram Chriſti ſanguine tinctam, quæ nobis debet eſſe Tyriâ purpurâ charior, fructúmque ſanguinis Ieſu percipiamus. Rectè ergo Philo Carpathius in id Cantic. cap. 3. *Aſcenſum purpureum*, ait: *ſi corruptibilis purpura tantum habet ſtudij apud mortales, ne maculetur, atque ſordeſcat, quanquam peritura omninò ex belluis marinis* (ſcilicet ex ſanguine muricis) *comparata: quanto maiori ſtudio, atque diligentia hæc animi conſeruari debet cæleſtis lauacri regeneratio, non ex maritimis quidem feris, ſed ex cæleſtibus theſauris, ſacratiſſimis Ieſu Chriſti ſanguinis fulgentiſſimum colorem habens, & ſempiternum?* Dum in ſacri intinctione lauacri Chriſtum induimus, regalis ſplendoris amictum purpureum ſuſcipimus fucatum ſanguine Ieſu, & ſuper ſiderum fulgores renitentem. Hæc purpura pretioſior quam Laconica, criminis ſordibus intacta cuſtodienda.

Phil. Carp.
Animæ purpura Ieſu ſanguine tincta maximo ſtudio cuſtodienda.

7. Hic ſanguis vermiculi, vinctos eduxit de Satanæ cuſtodia. Eccleſiam, apud Michæam Prophetam eiulantem, & lacrymantem cerno, miſeræ noſtræ conditionis ærumnas. Similitudine planctus, & luctus ſtruthionis, affectum ſanctorum in ſeipſo Vates exprimit, cap. 1. verſ. 8. *Super hoc plangam, & vlulabo: vadam ſpoliatus, & nudus, faciam luctum quaſi ſtruthionum.* Mirandum amoris prodigium ſtruthionis erga natos; ſi experiundæ dilectionis gratia, vitrea ampulla includatur pullus implumis, vitream cuſtodiam mater anxia circundat, pipientis pulli delinita blanditiis quærit ei aditum, & aufugium, ſed fruſtra. Tunc naturæ inſtinctu ſolitudinem luſtrat, & ſolerter inueſtigat vermiculum; delatum ad carcerem, roſtro vulnus infligit, cuius ſanie purpurea vitrum illinens, & emolliens frangit, de vinculis educit natum, vitreum ſeptũ diſſoluens. Hæc omnia refert Cauſſinus libro 9. capite 72. ex Vincentio Beluacenſi in hiſtoria naturali libro 20. cap. 170. cuius verba ſunt, loquentis de ſtruthione: *Solitudinem luſtrat, rediénſque vermiculum tulit, cuius ſanguine vitrum leuit, & diffregit, ſicque fœtum eripuit.* Si vermiculi ſanguis non præſtaret auxilium, incluſus teneretur pullus in fouea. Quis fœtus incluſus carcere niſi homo, qui Dei plaſmatus manibus, & in libertatem filij Dei aſſertus, ſeipſum in cuſtodia volens clauſit, quam ſceléribus ſuis, & legis præuaricatione conſtruxit. Venit Ieſus vt Adam e vinculis ſolueret;

Mirus ſtruthionis amor erga natos.
Struthio pullos clauſos vitrea cuſtodia, vermiculi ſanguine liberat.
Cauſſin.
Vinc.
Vermiculus Ieſus. Adam de carcere ſoluit.

Ego tre; venit vt vermiculus, dum ipſe de ſe ait; ſed *ſum vermis*, ſine viri concubitu de terra intacta progenitus; gratias Deiparæ, quæ inuenit gratiam, vt exularet pœna, quæ in ſolitudinibus ſeculi Ieſum vermiculum adinuenit, & ſauciatum amoris telo, circuncisionis cultro vulnerauit, cuius ſacri vnda cruoris reſperſum genus humanum, durum ſeruitutis iugum depulit, purpureo imbre emollit compedes, diſſoluta peccatorum vincula, Dæmonis confracta cuſtodia, tanquam cæleſtis ales homo præpeti volatu ad creatorem auolauit.

8. Quid plura? Diuini muricis ſtillæ ſanguinis, chirographum peccatorum expungunt. *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti.* Ex Paulo ad Coloſſenſ. cap. 2. verſ. 14. Et exponit ſanctus Anſelmus: *Decretum ipſa fuit ſententia damnationis noſtræ, quæ erat cunctis hominibus aduerſa. Sed deleuit Deus hoc chirographum, id eſt veteris culpæ cautionem, qua nos Diabolus debitores mortis tenebat. Huius decreti memoriam deleuit Deus, quando peccatum primi parentis per ſanguinem Chriſti abluit, & quaſi obliuioni tradidit.* Cùm Dei mandatum præuaricaretur Protoplaſtus, pactum cum Dæmone, & cum morte iniit voluptarium; ſyngrapham ſuâ manu exarauit, & voluntate ſubſcripſit, qua ſeipſum, & natos æternæ, & temporalis mortis obligatione conſtrinxit. Venit Ieſus, vitam, & ſanguinem profundens in patibulo; chirographum Cruci affixit; ſed in circumciſione redemptionem inchoans lacrymis deleuerat, ſanguineis guttulis abraſerat. Nec tantummodo probroſæ damnationis monumenta exarata characteribus, & ſtylo hominis, & ſubſcriptiones Adæ, Dæmonis, & mortis expunxit; ſed remiſſionem ſcelerum, & donationem omnium delictorum purpureis ſui ſanguinis literis ſubſcripſit. Ideo immediatè antecedentibus verbis proclamat Paulus: *Donans vobis omnia delicta.* Imperatoris æterni reſcriptum, quo omnes peccatores abſoluit, ſine rubrica filij, voluit Pater non habere valorem. Nam: *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* ad Hebræos capite 9. verſ. 22.

D. Anſelm. Veteris culpæ cautionem Ieſus ſãguine deleuit.

9. Apud terrenos Imperatores conſuetudo inoleuit, fœdera, iudicia, factas pactiones nihil habere vigoris, niſi purpuræ encauſtico, aut ſanguinis muricis ſubſcriptione facta ſignentur. Lege *ſacri affatus.* Cod. de diuerſis reſcriptis. Leo Imperator, inquit: *Sacri affatus, quoſcumque noſtræ manſuetudinis ſcripſerit auctoritas, non alio vultu penitus, aut colore, niſi purpurea tantummodo inſcriptione luſtrentur. Scilicet vt cocti muricis, & triti Conchylij ardore ſignentur, eáque tantummodo fas ſit proferri, vel dici reſcripta, in quibuſcumque iudicijs, quæ in chartis, ſiue membranis ſub notatis noſtra ſubſcriptionis impreſſerit. Hanc autem ſacri encauſtici confectionem, &c.* Decreuit prudens Imperator reſcriptione, & affatus ſacros nihil habere virtutis, niſi ſacro muricis encauſtico notentur. O quot cæleſtes affatus, & diuinæ reſcriptiones in ſacra Pagina abſolutionem criminum promittentes! Sacri cecinere Vates affuturum Saluatorem, qui omnium hominum ſcelera condonaret. Affatus eſt Elias, cecinit Dauid carminibus ſacris, Saluatoris decorem; Salomon ſacris ſcenis modulatus eſt nuptias ſponſi, caſtóſque hymenæos. Subſcribunt Iſaias, Ieremias, Amos, & cæteri Vates redemptionem futuram, quorum plures obſidem dederunt vitam, & proprio ſanguine veritatem ſignarunt. Sed puri hominis vita, & ſanguis exi-

Imperatorum fœdera purpuræ encauſtico ſubſcripta, vt habeant valorem.

Leg. Cod. Leo Imp.

Sacri affatus prophetarum Ieſu encauſtico notantur.

mia licet charitate feruens, rigoroſæ iuſtitiæ ſatisfactionem non adæquauit. Necdum erat rubefactus ſanguine tenellus infans Deus homo; nec liber Ieſus ſcriptus intus, & foris; intus Deitate, foris ſpecie humanâ, in quo ſignata, & aperta Vaticinia Prophetarum, & ſoluta ænigmata; necdum membranula humanitatis munda, & candida, in qua Pater Verbum ſuum ſcripſit, & vniuit æternùm, ſacro erat infecta rubore. Erat liber Ieſus, & reſcriptum pietatis, ſed ſine rubrica ſanguinis; donec compleri ſunt dies octo, vt circumcideretur puer; & Ieſu nomen imponitur; iam reſcripto Imperatoris æterni, quo Adæ condonat crimina, & ſoluit iniquitatis reatum, ſubſcriptio Ieſu adeſt. *Neque enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Actorum cap. 4. verſ. 12. Subſcriptio eſt rubicundi coloris, dum ſacratus murex Ieſus circumciditur, & ſanguine purpuraſcit. Abſolutionis ſyngraphæ hoc Deifico encauſtico ſigillandæ: *Non alio vultu penitus, aut colore, niſi purpureâ tantummodo inſcriptione ſignentur. Scilicet vt cocti muricis, & triti conchylij ardore ſignentur.* Ieſus in Cruce velut Agnus, & vitulus pretioſa pro peccatis victima purpureos latices copioſæ, & conſummatæ Redemptionis effundit. At in circumciſione tanquam granum cocci, & murex paruulus, pro ſignando remiſſionis reſcripto exiguas ſtillas cruoris emittit. In Cruce, & in Solis occaſu copioſius imber ſanguinis terram rigat; in ortu ſuo, & redemptionis aurora rubeſcit, rore ſanguineo, vt hac rubrica, ſcelera homo abſtergat, & ſacra ſponſa purpureo rubore ornet genas.

Cum Ieſus circunciditur habet ſanguinis rubricam.

Leo Imp.

10. De purpuræ inuento refert Pamelius Tertulliani Scholiaſtes lib. de idololatria c. 18. p. 136. ex Pollüce l. ad Commodum 1, hæc verba: *Tyry ferunt captum amore Herculem Nymphæ cuiuſdam indigenæ, cui nomen Tyro, quem canis eius ſecutus irreptantem ſcopulis purpuram conſpicatum, pereſa carunculâ, ſua ſibi labra puniceo colore infecerit. Cum igitur ad puellam Hercules adiſſet, delectata illa inſueta tinctura, quam ceu florentem in eius canis labris aſpexiſſet, affirmauit ſibi cum illo poſthac nihil fore niſi ad ſe veſtem afferret, etiam canis illius labris ſplendidiorem, quocirca Hercules inuento animante, collectoque ſanguine, munus puellæ detulit. Primus vt illâ dictitabant puniceæ infecturæ auctor.* Hæc ex Pollüce. Sed ſi humana ad diuina transferimus, puer, qui à primo ætatis flore Herculeo, & Gigantæo robore præditus (exultauit enim vt Gigas, & Heros ad currendam viam, vt perueniret ad Cœlis trophæum) amore captus Eccleſiæ, & Reginæ ſponſæ, cuius deperibat decorem, vt eam Imperatoria cyclade, aut Regia palla circumdaret, floridam, & ſplendidam purpuram contexuit, non Tyrio ſaturatam murice, ſed rubicundo Deifici ſanguinis liquore imbutam, vt Regium præberet indumentum, & ſuo ſanguine dealbaret, redderétque nitidam ſine macula, & ruga, in ſuo corpore paſſus eſt vulnerari. In tantum præualuit amor, vt de Ieſu dictum exiſtimes, quod de Deo Ouidius: *Credibile eſt lacrymas (imò & ſanguinis guttulas) elicuiſſe Deo.*

Pamel. Pollux.

Purpuræ inuentor & autor Hercules

Purpuram tincturæ Hercules ad amaſiam detulit.

Ieſus Eccleſiæ dedit ſanguinis ſui purpuram.

Discursus II.

Jeſus hominem inſtruit violenter expugnare, & deprædari cæleſtia, & per gladij, ac lanceæ cuſpides ad Deum ire.

1. Vix natus Ieſus, & Saluatoris munere functus, hominē inſtituit cæleſtem oppugnare vrbem; dum in ſeipſo experitur aciem gladij, & ſentit vulnus mucronis, & dum cultri inciſiones ſuſtinet, & dolorum tormenta, ad lanceæ vulnus, & percuſſuram aſpirat; nec aliam viam adinuenit introeundi in atria paradiſi, niſi ſpinis conſitam, & ſtratam gladiis; vt heredes regni per tela, iacula, ſagittas, gladios, Chriſti Ieſu ſequerentur veſtigia. Dedecore, & exilio multatur Adamus poſt lapſum, de felicitatis regione, & paradiſo deliciarum, & dulci Deitatis conſortio, diuinæ iuſtitiæ ſatelles Cherubicus eum expulit; nec niſi per gladium, & ignem redibit ad gloriam, quam leui voluptate amiſit: amœniſſimi horti ſemitam, & aditum præcluſit Cherub, igneâ inſtructus romphæâ. Geneſ. cap. 3. verſ. 24. *Collocauit ante paradiſum voluptatis Chrubim, & flammeum gladium.* Pueri ſpeciem prætuliſſe Cherubim, Oleaſter autumat, legitque: *Collocauit Cherubim puerum.* Vt puerum Ieſum, qui Cherubinis imperat, & ſuper eorum alas reſidet, Cherubinos decore, innocentia, ſapiētiâque ſuperantem, innueret. Simúlque puerilis ſignaret forma, affuturum puerum humanæ libertatis vindicem, qui verſatilem remoueret gladium, deuorantes flammas ſuo cruore ſopiret, & hominem extorrem patriâ, cæleſti paradiſo donaret. Examinemus quid ſibi velit igneus gladius in Cherubici pueri manu? Singulare eſt Abulenſis placitum quæſt. 26. in cap. 3. Geneſ. dum inquit: *Eſt ille ignis per modum muri ambientis totum locum paradiſi.* Domo voluptatis regia, in qua conſtitutus Adam, & natum ſibi ſimile adiutorium, & beatæ vitæ deliciis ſine iure belli, & armorum tumultu poſſeſſis, Adam perfruebatur; hæc ſtatus innocentiæ gemmina, & originalis iuſtitiæ fructus, tanquam hæreditatio iure ad filios, & poſteros deriuaret, niſi Dei munificentiæ foret ingratus; iuſtè ergo Deus decreuit, vt ad paradiſum, quem cum pace tenuit, & ſine labore poſſedit, & pueriliter perdidit, non niſi exantlatis laboribus, ignes, & gladios expertus rediret; vt bonum, quod quaſi congenitum obtinuit, & coronam, quæ ante pugnam, & rebellionem carnis, quam modo patitur natura corrupta, caput cinxit, & apud hominem viluit, non ſine ſudore, & pugnâ poſſideret. Iam ergo regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Ideo murus igneus per circuitum, paradiſum ambit; comportandi ſunt aggeres, conſtruendæ munitiones, & bellici apparatus molimina, vt tranſilias propugnacula, & Dei ciuitatem expugnes. Nec deficient arma bellorum; puer Cherub ſuggeret tibi gladium, quo paſſiones reſcindas, ſimúlque docebit ad Regem cœli, cœlitúmque tabernacula non patere aditum, niſi impetum gladiorum punctim cæſimque vulnerantium ſuſtineas. Rectè Hugo Cardinalis hîc annotat: *Nec dixit flammam, & gladium, ſed flammeum gladium: qui enim ad paradiſum redeunt, neceſſe eſt vt igne Spiritus ſancti omnes concupiſcentias huius vitæ exurant, & gladio Verbi Dei omnia noxia præcidant.* Vt qui ad paradiſum regreditur, non niſi per ignem, & gladium reuertatur.

Cherubim cuſtodiēs paradiſū pueri ſpeciem præferebat. Oleaſt.

Puerū Ieſum denotat.

Abul.

Ignis per modū muri, paradiſum ambit.

Paradiſi voluptas nonniſi expugnatione adipiſcitur.

Reuerſurus eſt homo ad paradiſū per ignem & gladium. Hugo Card.

2. Miles ignauus Balaam intentus diuinaculis, & auſcultandis Dæmonum, de humo muſſitantium reſponſis; abiecit parmam, enſem, iaculum, bello inexpertus ſpirituali, non eſt aggreſſus tenere clauum imperij domitarum paſſionum, nec virili animoſitate ſcandere cæleſtia. Non enim habebat gladium, quo feros, & indomitos animi affectus feriret; quos brutum, & inſipiens iumentum, cui inequitabat, tenuens, & recalcitrans denotabat. In ſacro textu inermis introducitur, affatus aſinam, Numeror. cap. 22. verſ. 29. *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* Acutè Philo Iudæus lib. de Cherubim exprobrat Balaami inertiam: *Balaam ille,* (inquit) *id eſt vanus populus inducitur inermis, deſertorque militiæ, imperitus belli, quo anima ſibi parat ſcientiam. Sic enim alloquitur aſinam, hoc eſt brutum vitæ propoſitum, cui omnis inſipiens inſidet. Si gladium haberem iam te transfixiſſem.* Hominis languore, & deſidia correpti munus, in improbos animi affectus, in ferocientem, & indocilem corporis equum vociferationes profundere, & aërem verberare, iactare minas; ſed rixa hæc, & perſonatus in paſſiones furor, in ſolis minis ſtat, non armatur flagello, non præcingit lumbos horridis ſetis; mortificationis gladio, corporis iumentum nec cædit, nec pungit, à cœlī itinere deuius. Ideo Angelus Domini Balaamo euaginatum gladium oſtentabat ibidem, verſ. 31. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio.* Quis ſit Angelus exponit Philo ſuprà: *Vide reſiſtentem ex aduerſo Dei ſermonem armatum.* Dei Verbum nuncupat ſermonem, qui armatus gladio corporeis oculis ſacrilegi Vatis obiicitur; vt ferarum ritu viuenti, ſalutaria præberet vitæ cæleſtis documenta; vt accinctus gladio ſuper femur, gradiatur virtutis ſemitam. Ideò ſtat in via, & diſtricto, minitantíque gladio clamitat: hac, qua euaginatus occurſat enſis, via itur ad aſtra.

Balaā ignauus miles ſine gladio.

Philo Iud.

Non habuit gladium Balaam quo feroces affectus transfoderet.

Angelus gladio inſtructus apparet Balaamo, & ad prælium excitat.

Philo Iud.

3. Inquirit Clemens Alexandrinus cur caput Ieſu ſpinis coronatum? De diademate ex ſentibus compacto, Euangeliſta Matthæus ſcribit: *Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius,* cap. 27. verſ. 25. Arcana ſacrati coronamenti inueſtigat Alexandrinæ Eccleſiæ decus, & ex tribulis has colligit roſas, lib. 2. pædag. cap. 8. *Typus eſt vitæ propter ligni ſubſtantiam; lætitia autem propter coronæ appellationem: periculi verò propter ſpinam: neque enim citra ſanguinem licet ad Verbum accedere.* In corona Ieſu, vita, merces, gloria, periculúmque inſtat; ſed omni diſcrimini obiiciendum pectus: non accedes ad caput diademate coronatum, nec figes illi oſcula, niſi aculeis infigantur, terebrentur labia; non apprehendes vitæ coronam, niſi tuæ cruententur manus; nec ex ſerto deifico, & rubo, libabis flores, lilia, roſas ſine pungentibus tribulis, qui vulnerent digitos. Adibis ad ſponſum, ſpinas frangens, & obtundens cuſpides.

Cur Ieſus ſpinis coronatur?

Clem. Alex.

Sine ſpinarū punctura, & ſanguine non accedit anima ad ſponſum.

4. Ipſe etiam ſponſus lanceæ cuſpide perforatum pectus attulit, vt perueniret ad palmam. Ioannis cap. 19. verſ. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Additque Rupertus lib. 13. in Ioannem: *Tantam ſalutem Deus noſter, per quam voluit nos ſaluari, lanceatus in medio terræ operatus eſt.* Vt operaretur ſalutem in medio terræ, ſat erant fixuræ clauorum, & ſpinarum puncturæ; addidit lateri ſuo vulnus; vt non ſolum caput, manus, pedes forent ſaluandi hominis

Rupert.

Ieſus lanceatus ſalutem nobis acquiſiuit.

hominis adminiſtri, ſed redemptioni humanæ toto etiam pectore, & viribus incubuit, vt cuſpidis lanceæ violentia, percuſſo, & aperto latere ad Patrem iret.

Ieſus puer affectuum circumciſionẽ. & diuiſionẽ carnis & ſpiritus edocet.

Tigur.

Vatabl.

5. De Chriſto Ieſu illuſtre vaticinium cecinit, Oſeas Vates cap.13.verſ.15. *Quia ipſe inter fratres diuidet.* Tigurina legit: *Quoniam ipſe inter vireta florebit.* Quam verſionem de Chriſto accipit Vatablus, dicens: *Ipſe florebit, ſubintellige, Chriſtus, verbum Dei Patris.* Quaſi Ieſu pueritiam, & ætatẽ florẽtem innuat, in qua etiam diuiſionem, & ſeparationem docuit. Alludit ad geminos, & vterinos paruulos, quos enixa eſt Thamar, in quorum inſignibus adumbratus eſt Ieſus, *Zara.* Geneſ.cap.38, interpretatur *Oriens.* Et de Ieſu vaticinia canunt; *Vir Oriens nomen eius*, quia ortu ſuo gratiæ lumen effudit, & peccatorum tenebras ſuo ſplendore fugauit. Et viſitauit nos oriens ex alto auroræ Deiparæ cubili. *In cuius manu erat coccinum.* Geneſ.38, verſ.30. adhuc infantulus Ieſus coccineo rubore circumciſionis ſignatur, & ſuo decoratur ſanguine; & funiculo coccineo Saluator, à reliqua turba peccantium ſecernitur. Eſt etiam Ieſus, *Phares*, id eſt, *diuiſio*, nam à cunis *inter fratres diuidit* docens circumciſionem affectuum, & diuiſionem animi à mundi huius illecebris. Vnde ſanctus Cyrillus in Oſeæ caput 13. legit: *Ipſe inter fratres ſeparabit:* Et hæc verba ſubiungit: *Prenunciat nobis per hæc Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ipſe eſt enim omnium conſolatio. Modus curationis. Ipſum deſtinauit Pater ante tempora ſecularia Saluatorem, ac Redẽptorem. Ipſum ait ſeparare inter fratres, quid eſt hoc? Ipſum dicentem audiuimus: non veni pacem mittere, ſed gladium.* Princeps pacis ſpiritales amans nexus, venit enim terrena, & cæleſtia colligare; ſeparationem prædicat à teneris annis? Vtique ab vberibus pendens matris puſio, & ad ſpiritale certamen, & oppugnationem cæleſtis Ieroſolymæ gladium demonſtrat, ſeparatos à ſeculo, à terrenis affectibus ſegregatos ſibi conciliat.

Phares diuiſio.

D. Cyrill. Alexand.

Ieſus, candelabrum fundens lumen Deitatis.

Gregor. Magn.

6. De ſtructura candelabri hæc verba retulit Moyſes Exodi cap.25. verſ. 31. *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo.* Candelabrum eſt Ieſus ex ſancti Gregorij Magni ſententia homil.6. in Ezechiel. ſcribentis: *Quis in candelabro niſi Redemptor humani generis deſignatur, qui in natura humanitatis infulſit lumen Diuinitatis, vt mundi candelabrum fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator, in quibus iaceret, tenebras videret.* Poſtmodum perpendit grauiter cur candelabrum *ductile* dicatur? Et ſubiungit: *Ductile autem feriendo producitur, quia, & Redemptor noſter, qui ex conceptione, & natiuitate perfectus Deus & homo extitit, paſſionũ dolores pertulit, & ſic ad reſurrectionis gloria peruenit.* Poſtea inſigentis clauos, & ferientis mallei ictus, patienter ſuſtinet, nunc acerbitatem gladij, & incidentis aciem mucronis; adhuc in præſepi candelabrum, dum exiguum lumen mortalibus ingerit, incude patientiæ, doloribus, & cruciatibus maceratur, & tunditur, vſque dum ad crucem menſuratum producatur, malleatorum tormentis affabre perpolitum; vt orbi terrarum copioſum gratiæ, & redemptionis fulgorem effundat. Tunſionum, & preſſurarum emblematibus teſſelata Ieſu corona eſt.

Ductile candelabrum tunſionibus premitur.

Lectulum Salomonis enſes diſtricti circundant.

7. Cùm intueor animo Salomonis lectulum, ſtupeo; non ad proceram, & Giganteam ſtaturam, nec ad diſtrictos gladios, limatos, & ſplendentes virorum fortium, qui Regis ſpondam ambiunt. Miror accubitum Regis, quieti, demulcenti ſomno, delicijs deſtinatum, horrore gladiorum circumdari. Sed eſt lectus veri Salomonis, & Regis æterni, ad cuius reclinatorium ſponſa non inuenit aditum niſi per diſtrictos enſes circumfuſi ſatellitij. Cantic.cap.3. verſ.7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael omnes tenentes gladios.* Nunc acutè Gillebertus, inquit, ſermone 16. in Cantica: *In lectulo locus eſt non enſibus, ſed amplexibus ſtrictis.* Enimvero non perfruetur ſponſa oblectamentis ſponſi cæleſtis, niſi in diſtrictos enſes irruat; ab ea Gillebertus pauorem diſcutit: *Noli ſtrictos in circuitu enſes vereri.* Hæc certa, & ſecura ad ſponſum via. Nec cenſeas, quod verus cupit Salomon, quod in materialem gladium pectore irruas; tenuit mentem ſponſi ſanctus Nyſſenus, & conceptum exornat: *Reuera (inquit) vt bellum geratur aduerſus voluptates, oportet, carni, & ſanguini tanquam femori enſem habere accommodatum*, homil. 6. in Cantica. Cupit ſponſus quod violenter expugnet animi paſſiones, & verbi Dei gladio abſcindat ſpurcitias carnis. Ideò ſubiungit Gregorius, hos lectuli cuſtodes à Ieſu Naue cultro petrino circumciſos, innuere: ideo addit: *Accepiſſe circumciſionem Ieſu eis illatam gladio petrino, auferente quidquid eis erat immundum.* Sed nobiliorem circumciſionem accipies à Ieſu circumciſo, ſi mortificationis Ieſu cultro, & gladio, luxuriantes affectus carnis, & improbos reſeces animi paſſiones, vt æternæ quietis lectulo requieſcas.

Gilleb.

Sponſa in accubitum ſponſi non niſi per ſtrictos enſes irruit.

D. Gregor. Nyſſ.

Fortes, habẽt gladios, vt bellum inferant carni & ſanguini.

D. Nyſſ.

Gladij circũciſionem præſeferunt.

DISCVRSVS III.

Beatificâ gloriâ perfrui, dolores ſuſtinere, & tormenta mucronis, lacrymis, ſanguineque perfundi; in vno puero Ieſu, ſupremum amoris artificium nectit.

1 ADHVC dum ferro ſacratus murex inciditur, aſcendit animus ad contemplationis ſuperiora faſtigia; dum animaduertit infantulo Ieſu cum beatificis gaudiis, concurrentes dolorum acerbitates; dum portio ſuperior animæ beatæ inebriatur ab vbertate domus, & torrente deliciarum potatur, in inferiori, ſcilicet in corpore lacrymulis, & ſanguineis guttulis perfunditur. Influunt in Ieſum irriguum ſuperius de paradiſi torrente, irriguum inferius de valle lacrymarum, & ſeculi ærumnis. Edit in ſtabulo, dum læditur cultro, dulces, & teneros vagitus, & cælitum aſſiſtit choreis. Gaudia Beatorum, & paſſiones viatorum in mortali Ieſu vita conſentiunt. Inquirit Doctor Angelicus 3.part.q.46.art.8. *Vtrum anima Chriſti in paſſione frueretur fruitione beatâ?* Et cum obieciſſet ſibi: *Impoſſibile eſt ſimul dolere, & gaudere.* Reſpondet in *Sed contra* ex ſancto Damaſceno libro 3. cap.15. *Diuinitas Chriſti permiſit carni agere, & pati, quæ propria: ergo pari ratione cum proprium eſſet animæ Chriſti in quantum erat beata, quod frueretur, paſſio eius fruitionem non impediebat.* Et ad primum ait: quod gaudium fruitionis erat in parte ſuperiori rationis per proprium actum; & dolor paſſionis ex parte corporis. Nunc ergo hunc conceptum illuſtremus in circumciſi Ieſu gaudio, & paſſione. Illius ſcopum Iſaias attigit cap.49. verſ.1.& 2. *Dominus ab vtero vocauit me*

In Ieſu irriguum ſuperius & inferius.

D.Thom.

Anima Chriſti cum patiebatur, ſimul viſione beatifica fruebatur.

D.Dam.

Locus Iſaiæ de Chriſto. Domino rẽ... & ...

me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum. Quæ verba de Chriſto Domino accipiunt Eccleſiæ Patres Hieronymus, & Cyrillus, quod verò Vates, Ieſu pueritiam innuat, denotat verſ.6. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus.* Septuaginta legunt: *Magnum tibi eſt, vt voceris puer meus.* Diem etiam circumciſionis, & impoſitionem nominis Ieſu verſ. 1. denotat: *Recordatus eſt nominis mei.* ibi Interlinearis: *Per Gabrielem dicens: vocabis nomen eius Ieſus.* Et die à circumciſione octauo à Deipara *vocatũ eſt nomen eius Ieſus.* In qua die ad gladium vocat, & gladium operibus clamitat, dum gladio circumciditur. In hæc verba Gloſſa ordinaria ſcribit: *Gladium acutum: non veni pacem mittere, ſed gladium.* At, vide acumen ingenij, quo Iſaias occultiſſima Chriſti myſteria perſpicit, in cuius os aureum, & verba florida limpidiſſimum cæleſtis ſapientiæ, & Theologiæ flumen deriuatur. In die, quo Saluatoris inſignibus decoratur puer, rubentes margaritas, & carbũculatas ſui ſanguinis gemmas obſidẽ ſecuritatis, pignus amoris, & redemptionis ſponſæ tradidit; perpẽde quod nomen Redemptori impoſuit. Ipſe Ieſus fatur: v.3. *Et dixit mihi: ſeruus meus es tu Iſraël.* Iſraëlem nũcupat: Audi Gloſſ. Lyrani: *Iſraël, quia de Iſraël natus. Iſraël videns Deum, quia anima Chriſti vidit diuinam eſſentiam ab inſtanti ſuæ creationis.* Quàm perſpicaci induſtriâ Iſaias arcana Chriſti rimatur! cernit ſagittantis dilectionis ſpiculum, in tenero corpore ſciſſuram, & exiguum vulnus: contuetur gladium ex eius ore procedentem, obtutum figit in manibus pueri cæleſtis Cupidinis, quas muniunt miſſilia, & iacula, vt vulneretur, & vulneret: cor Ieſu amoris vulnere ſaucium introſpicit; ſed ad Sancta Sanctorum pectoris Chriſti, & vſq; ad interiora velaminis per Prophetiæ lumen aditum inuenit; dúmq; obſeruat Chriſti animam mortalitatis, & doloris corpore circumdatam, beatæ vitæ gaudiis perfrui, Ieſum nuncupat *Iſraël*, id eſt, videntem Deum. In vno Ieſu, dolor, ſagitta, gladius, ſanguis, vulnus, Deitatis intuitiua viſio, cœlitum deliciæ, Beatorum gaudia; pacis fœdere oſculata ſunt.

Lect. LXX. — Gloſſ. Nomen Ieſu ab Angelo profertur. — Gloſſ. Ieſus non venit pacem mittere, ſed gladium. — Ieſus dicitur Iſraël id eſt videns Deũ. Gloſſ. Lyr.

2. Iſraëlis nomen arridet, quod periculoſæ plenum opus aleæ, Angelica lucta Iacob peperit. Geneſ.cap.32.v.28. *Nequaquam inquit Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Perpende, loco certaminis quod nomen impoſuit, ibid.v.30. *Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: vidi Deum facie ad faciem.* Poſtquam femur percuſſum ſtupuit, has victorię manubias de manu Angeli reportauit, poſt claudicationẽ, & adhuc luxatus femore, & captus pede, Iſraël nũcupatur, & Deũ intuetur. Cernis Iacob Deũ intuentem & adhuc claudicãtem? Neque luxati femoris latitudinẽ, & ſtuporem, ſine percuſſione, & dolore paſſus eſt. Vnde ad ea verba v.25. *Tetigit neruum femoris eius,* inquit Abul.q.6.in c.32. Geneſ. *Tetigit neruum femoris eius vt ſaltem Iacob per dolorem dimitteret Angelum.* Et circa finem quæſtionis ſubiungit: *Ille neruus per Angeli percuſſionem factus fuit ineptus ad motum.* Ecce Iacob percuſſus, & dolens & adhuc Deum videns, vt Ieſum de domo Iacob oriundum oſtenderet, in quo aptata, & colligata viſio, & paſſio. Annecto S. Ambroſ. ad verbum *Emarcuit*, lib.2. de Iacob c.6. fantem: *Eo quod ex eius erat generatione Dominus Ieſus oriundus ex Virgine, qui Deo nec impar, nec inæqualis eſſet, cuius Crucem obſtupeſcentis femoris latitudo ſignabat.* Nomen quoque Iſraël S. Cyrill. lib.1. Glaphyr. interpretatur: *Mentẽ videntem Deum. Phanuel ſpecies Dei.* O in obſtupeſcenti femore ſtupendum miraculum! O pretioſum monile, & ſalutis alligaturam, & redẽptioni aptatũ nexũ, amoris inuentum; annulis aureis, ferreis cõſtans; aureis, in anima Deificæ viſionis; ferreis, in corpore acerbæ percuſſionis; pretioſum ornamentum omnipotẽti Diuini amoris dextrâ, & artificio fabrefactum, ex candidis gemmis lucis æternæ, & beatifico radiorum ſplendore, & rubeſcentibus ex puncturis, & acerbiſſimo dolore! Ieſu oriundo, & ortui ipſius ex Virgine Crux, & tormentum coaptatur. In Ieſu extrema primis reſpondent. Extremo vitæ termino toti corpori, quod acerbiſſimi doloris ſtimulis pungitur, integrum Crucis accõmodatur ſupplicium; nunc cruciamentũ, & percuſſio, puero Iſraëli ex Iacobo progenito, femori aptatur, dum ſacrum circumciditur præputium; ſed in Cruce, in circumciſione, in tormentis, in ſanguinis effuſione Deum videt, beatifico delibutus gaudio.

Locus in quo luctatur Iacob appellatur viſio Dei. — Iacob ſimul claudicat. & Deum videt. — Abul. Stupor femoris cum dolore fuit. — D. Ambr. Stupor femoris Crucem denotat. — Ieſus cruciatur, dolet, & Deum videt.

3. Inueſtigat ſanctus Baſilius rationem & cauſam cur Euangeliſta Ioannes toties repetitis ſententiis Chriſtum Dominum nuncupet *Verbum? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum eſt.* Ioannis cap. 1. & acutè reſpondet in Catena Græcorum Patrum in Ioannem, his verbis: *Cur Verbum? quia ſine paſſione genitum.* Et poſtea: *Nam & noſtrum Verbũ mentis genimen, ſine paſſione genitum, neq; ſcinditur, neque diuiditur, neque fluit.* At poſtquã humana natura à Verbo Dei aſſumpta, & cũ Dei natura hypoſtaticè copulata; Deus Verbum in carne patitur, primôſque patientiæ floſculos purpureos, & illibatos libat, primitiaſque Phœnicei laticis, quo Agni Dei vellus aureum, & immaculatum fucatur, Patri gaudens litat. Verbum, quod Deitate perfruitur, ſui ipſius, Deitatis, & attributorum contemplatione beatum, & ſine paſſione; in corpore ſibi vnito patitur, Deus circumciditur, de Deo Verbo, quod non fluit, hodie ſanguis fluit.

D. Baſil. Cur Chriſtus nuncupatur verbum? — Cat. Græc.

4. Conſonat, a Iacob Patriarcha de Chriſto Domino, prolatum vaticinium. Geneſ.c.49.v.12. *Pulchriores ſunt oculi eius vino.* Septuaginta legunt: *Gratifici oculi eius.* S. Cyrill. lib.1. Glaphyr. legit: *Gratioſi oculi tui ex vino.* Et exponit de Deitatis hilaritate, & gaudio, cùm corpus in Chriſto pateretur humanũ: hæc ſunt Cyrilli verba: *Iudæorũ perpeſſus debacchationem, alapas, opprobria, non tamen multũ ea curarit, paſſus pro nobis omnéſq; ſaluans; ſed potius pro gratiſſimis ſibique aſſuetis deliciis habuerit, declarat Iacob his verbis: gratioſi oculi tui ex vino. Intelligi debet iucundũ, lætũ, & hilare, quo Diuina ipſius natura prædita eſt. Mens enim eorum, qui vinũ biberunt, iucunda eſſe ſolet, & ab his, quæ triſtitiã gignunt, ſummopere abhorret.* Per duos oculos hilares, & iucundos ex vino, intelligit S. Cyrillus lætitiã, & gaudium diuinæ naturæ, quæ erat in Chriſto, dum Chriſtus patiebatur: nõ obſtitit imperturbabili gaudio, Deitatis, tormentorum, & paſſionum acerbitas; erat in Chriſto patiente, & in tãto ſuppoſito, Deus ſeipſo beatus; ſed in altero oculo non ſolã Deitatem, ſed animã Chriſti beatã intelligit dũ ait: *Mens enim eorũ, qui vinum biberũt,* &c. erat enim Chriſti mens beatitudinis dulcedine inebriata, dum ipſe opprobriis ſaturatur, & effuſionẽ ſanguinis ſuſtinet: quàm gratum, iucundũ, & volupe fuerit ſanctiſſimæ animæ pro peccatoribus acerbiſſima tormenta perpeti, declarat Cyrillus iis verbis: *Pro gratiſſimis, ſibiq; aſſuetis deliciis habuerit.* Præter beatitudinẽ animæ, quæ ex inundante Deitate ſibi vnitã prouenit, alterã felicitatẽ & beatitudinẽ contẽplari licet manantẽ ex tolerantia paſſionum. Si enim ſunt, qui propter iuſtitiã perſecutionem

Ieſu delitiæ, & gaudium in paſſione. D. Cyrill. Alex.

tionem patiuntur, beati; quanto gaudio delibutam exiſtimas Chriſti Domini noſtri mentem, cum propter iuſtificationem impiorum, corpus ſuum percuſſum conſueretur, rubenti rore perfundi. Vt omne gaudium exiſtimet homo, cum in varias tentationes, & acerbitates inciderit, eaſque hilari, & læto ore aſpiciat, & pro gratiſſimis deliciis habeat.

4. Iam inuitat nos ſtructura arcæ ad altiorem illius intelligentiam, vt tanquam ex reconditorio ſapientiæ, ſpirituales gazas eruamus. In ea reperio ſentes, tormenta, gloriam. Exodi capite 25. verſ.10. *Arcam de lignis ſetim compingite.* De natura ligni ſetim ambigis? Dubium ſoluet ſanctus Hieronymus in caput 41. Iſaiæ dicens: *Eſt autem genus arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem.* In Palæſtinis ſyluis materia non ſuppetit lignorum, viburni, cypariſſi, buxi, aut cedrorum Libani ad ſtructuram arcæ. Cur in eremo tabulata ſetim excinduntur, & dolata compinguntur, & apparantur in fabricam arcæ? Gaudet Deus ſenticoſo ligno ſpinis pungentibus, & horridis ſetis armato, in arcæ fabrica. Vt paſſionem filij Dei portendant. Optimè Galfridus in allegoriis Tilmani, inquit: *Singulariter ligna ſetim ſeu alba ſpina paſſio eſt immaculati Agni Ieſu Chriſti.* Rurſus Arca Dei appellatur gloria, libro 1. Reg. capite 4. verſ. 21. *Tranſlata eſt gloria Dei Iſrael, quia capta eſt Arca Dei.* Vt Chriſtum Dominum adumbraret, qui Arca eſt Teſtamenti, in qua theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi, in quo beatitudo, & gloria, dolor, & paſſio apte conueniunt. In aliis Adæ filiis paſſio non eſt ſpina alba, ſed nigra; quia cruciatuum, tormenta albeſcentibus beatorum non aſſociantur fulgoribus. Sed Chriſti paſſio ſpina alba rectè nuncupatur: ſpina, quia ſtimulis dolorum lacerat, & pungit; alba, quia candore lucis æternæ decorata ſancta illius anima fruebatur oblectamentis beatorum.

D. Hieron.

Arca de lignis ſentoſis fabricatur vt paſſionem Chriſti demonſtret.

Galfr.

Arca dicitur gloria Domini.

In aliis Adæ filiis paſſio eſt ſpina nigra, in Ieſu ſpina alba.

5. In tranſmigratione Babylonis Arcam Dei Ieremias abſcondit in Moyſis antro, vt conſtat ex libro 2. Machab. cap. 2. verſ. 5. *Et veniens ibi Ieremias, inuenit locum ſpeluncæ & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.* Erat autem hæc ſpelunca in monte Nebo in vertice Phaſga, vt conſtat ex capite 34. Deuteron. verſ. 1. Addit Dorotheus in Synopſi ex ſancto Epiphanio in vita Ieremiæ: *Obſignauit eam digito per nomen Dei, & facta eſt figura velut ſculptura ferri, & nubes lucida obtexit nomen Dei. Numquam enim deeſſe poteſt gloria Dei a nomine Dei.* In arca illa propter imminentem ſeruitutis Chaldaicæ tempeſtatem, in ſaxeo illo latibulo retruſa, & occultata Dei nomine ſignata, ſigillo ferreo, quam nubes cæleſtis obumbrabat, myſterium Chriſti Ieremias ſuperno lumine illuſtratus tuebatur; de ipſo tantummodo non de arca verba Machabæorum accipienda ſunt, lib. 2. cap. 2. verſ. 8. *Apparebit Maieſtas Domini, & nubes erit.* Et ſi forſan prodigia illa cæleſtia, nubis protectio, & ſplendor gloriæ, ſuper arcam in ſpelunca deliteſcentem breui tempore refulſerunt, prælu[illegible]ia erant mirabilium Ieſu; paſſionem, & gloriam arcæ humanitatis Chriſti, ſplendore ſuo, velut digito demonſtrabant. Arca illa, ſeu corpus Ieſu Bethleemitico deliteſcens in antro ſculptura ferri ſignatur, dum octauo die circumciditur; quid enim eſt circumciſio, niſi abiectæ ſeruitutis ſtigma, & contumelioſa Adami peccatoris cicatrix? Seipſum propter

In Moyſi ſpecu abſcodita arca Dei.

Doroth.
D. Epiph.

Arca Dei nomine obſignatur ferri ſculptura, & Dei gloria protegitur.

Arca Ieſu deliteſcens in antro Bethleemitico ferrum ſuſtinet, & gloria Dei ornatur.

te ſeruituti mancipauit; & in carne ab omni labe criminis aliena peccatoris nota, & ſigno compunctus. Facta eſt velut ſculptura ferri, cum ſignum hoc, maximúſque dolor corpori eius inuritur; ineffabilis Dei ſignaculum ſculpitur, cum ſuauiſſimum Ieſu nomen imponitur. Ea verba ne inexaminata relinquas. *Nunquam enim deeſſe poteſt gloria Dei, a nomine Dei.* Puer qui eſt, & dicitur Ieſus, ſtigmaticus agnus, ferro inciſus, ſanguine cruentatus, Patris gloria perfruitur, & cæleſtis beatitudinis particeps eſt.

6. Pretioſiſſimum ſignaculum eſt puer circumciſus, & Ieſu nomine inſignitus, vt imponas illud ſuper cor. Si auſcultas vagientem, audies clamantem: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Cant. c. 8. v. 6. de fidei ſigno, & circumciſione ſancita Abrahæ poſteris, Venerabilis Beda locum explanat, inquiens: *Signaculum vbi ponitur, indicium ſolet eſſe arcanorum, rerum pretioſarum, & quæ tentari non debeant. Hinc eſt quod Abraham ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Signum illud circumciſionis ſordidum, vetuſtate obſoletum relinque, non illud ſed meipſum vt ſignaculum iuſtitiæ, imò iuſtitiæ, & ſanctitatis fontem conſtitue ſacro aſperſum cruore. *Pone me,* (inquit,) *vt ſignaculum. Sed ſignaculum vbi ponitur, indicium ſolet eſſe arcanorum.* Videamus, quæ arcana ſacramenta recludat ſignaculum circumciſi Ieſu, liquore madidi purpureo, cordi ſponſæ applicitum. Non grauabor referre ex Clemente Alexandrino nuptialium Hieroglyphica annulorum, quos ſponſus ſponſæ contradit, vt domum cuſtodiendam obſignet, inquit ergo Clemens, lib. 3. pædag. cap. 11. *Sint autem nobis ſignacula columba, vel piſcis, vel nauis, quæ curſu celeri à vento fertur, vel lyra muſica, vel anchora nautica, enſis, vel arcus.* Licet extrema non approbet, erant apud antiquos in veneratione, vt ibidem teſtatur. Puero Ieſu adaptanda, Ieſu enim ſignaculo ad amuſſim quadrant, à Sibylla *piſcis* vocatur Saluator, & piſcis iuxta maris littus ad prunas aſſus Chriſtum innuebat; piſcis amaris, & turbulentis ſeculi colluctans fluctibus, adhuc tenerrimus infans, exiguo ſui ſanguinis velut natitans riuulo, poſtea rubro paſſionis immergendus pelago, ſimul habet pro ſigno *columbam*, cùm Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eum in ſpecie columbæ, cateruatim occurſitant cæleſtium ſpirituum agmina ſuper filium hominis, eique æthereæ paradiſi aulæ ſiunt patulæ. *Nauis* in virginea cella architectata, & Spiritus ſancti compagine ſolidata, turbati maris ſuſcepta fluctibus, non mercibus onuſta terrenis, ſed vitæ æternæ frumento, diuinitatis auro, humanitatis argento, purpureis ſanguinis gemmis ex portu ſoluit Bethleemitico, & panis domo, vt homo grauiſſimo ſeruitutis iugo oppreſſus redimatur, eumque ad æternæ ſalutis dirigit portum. Sed nauim hanc ſacra *anchora* tenebat, cùm dolorum, & ærumnarum nimbis agitata, & tempeſtate perſequentium Iudæorum iactata, eam cæleſtis Beatitudo, qua perfruebatur, defixam Deo, & inconcuſſam retinebat. Denique in Ieſu eſt *lyra*, & *gladius*; gladius, dum læditur, & pungitur; lyra, dum cæleſtium ſpirituum citharizantium adeſt modulaminibus, & choreis.

Bed.

Signaculum eſt ſignum arcanorum.

Abraham ſignaculum circũciſionis accipit.

In annulis nuptialibus varia Hieroglyphica ſculpta.

Clem. Alex.

In Ieſu ſignaculo piſcis quid innuat?

Quid colũba exprimat?

Quid nauis denotet?

Quid anchora indicet?

Quid lyra & gladius inſinuent?

P. A. Luc de Arcones in Haian.

Discvrsvs IV.

Deifici infantis recèns effuſus purpureus, & calens latex, viuidos ſpiritus, & halitus martyrij efflat.

1. **V**agitv, lacrymis, renero eiulatu, pannis, candidiſque linteis, ſanguine aſperſis, milites ſuos infans ad arma conuocat, prouocat ad pugnam; recens effuſus agni niuei cruor feruidus, & calens, vapores igneos amoris aſpirat, piiſq; pectoribus martyrij incitamenta, & profundendi ſanguinis cupidines ingenerat: quid generoſius, quid glorioſius in Chriſti milite, quàm amorem, & ſanguinem amore, & ſanguine impendere? Nec ab ſcopo veritatis hic diſcurſus aberrat, cùm per coccum, phœniceum, roſeúmque nitorem in hoc Iſaiæ loco, quem illuſtrandum ſuſcepimus; martyrij purpuream ſtolam Tertullianus recognoſcat, lib. aduerſus Gnoſticos cap. 12. inquiens: *Innumera multitudo albati, & palmis victoriæ inſignes reuelantur, qui lauerunt veſtimenta ſua, & candidauerunt ipsũ in ſanguine agni. Veſtitus enim animæ caro, ſordes quidem baptiſmate abluuntur, maculæ verò martyrio candidantur, quia Iſaias, ex rufo, & coccino, niueum, & laneum repromittit.* Itaque Martyres & candidati, & purpurati nitent. Ex ſcelerum ablutione in niuei agni ſanguine dealbati; & proprij ſanguinis effuſione roſei, & purpurei.

Tertull.
Roſeus & candidus nitor, candorem & ruborem martyrum indicat.

2. Cùm primum ex agniculo pretioſus ſanguis effluit, & veſtimentum animæ caro, & indumentũ corporis, infantiæ panni, rore aſperguntur purpureo; pugnæ, & gladij ſignum in Bethleemitico tabernaculo eleuatum eſt. Ineundi certaminis ſignũ à Romanis ducibus proponebatur veſtis coccinea, vt eſſet admonitio ad armorũ paraturam, & quod militantium animos exacueret ad pugnam. Id teſtatur ſanctus Iſidor. lib. 19. Etymol. cap. 22. dicens: *Rufata, quam Græci Phœniceam vocant, nos coccineã; ſolebat etiam pridie quàm dimicandum eſſet ante principia proponi, quaſi admonitio, & indicium futuræ pugnæ.* Lintea ſanguine tincta pueri Ieſu, ad martyrij certamen prouocant, tuum ſanguinem repoſcunt, vt pro diuino ſanguine, humanum eroges. Cupit ſanctus Bernardus vt pueri, & puellæ ex Ieſu circumciſione excitati martyrij laurea decorentur, dum lib. de paſſione cap. 36. inquit: *Primam ſanguinis effuſionem legimus in circumciſione, quando nomen eius vocatum eſt Ieſus, iam tunc myſterio hoc ſignificãte, quod effuſione ſanguinis ſui, futurus nobis eſſet verus Ieſus, id eſt, Saluator. Audiant, & intelligant tam pueri teneri, quàm puellæ, & frequenter eorum mentibus inculcetur maturum martyrium innocentis Ieſu.* Quid veri, & iuſti Abel ſanguis effuſus clamare potuiſſet, niſi imitationem, & fundendi ſanguinis propoſitum in candidata plebe imbellis infantiæ.

Certaminis ſignum veſtis coccinea.

D. Iſid.

D. Bern.

Pueli & puellæ martyrium pueri Ieſu circumciſi, æmulentur.

3. Iterum ad examen voco locum Cantic. cap. 7. verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus, & coma capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Rurſus purpura oſtentatur ſponſæ ſacræ, nec rubore ſuffundor, ex coccini, repetito, & repercuſſo nitore: eadem verba, ſed variantur in ſenſibus. *Carmel* in Hebræo idem eſt ac: *Agnus circumciſus* Vt annotat Lexicon Complutenſe. Pro cidari, & diademate, & ſerto intertexto floribus, agno circumciſo ſponſa coronatur; pro radiorum ſplendore, & luminoſo Indicorum lapidum nitore, ſanguinis guttis decoratur. Rurſus Dei nominis coronamento caput cingitur. Genebrardus ſecutus verſionem Hebraicam, quâ pro, *purpura vincta*, legit: *Rex ligatus.* ita verba diſpungit: *Nomen Dei alligatum eſt cincinnis, quia ſcriptum eſt corona Dei ſui, in capite eius.* Solent elegantes, & lautæ feminæ ad ornatum, & decorem capillamento intexere monilium ſerta gemmantium, & fronti appendere nitidum lapillum; ſed ſponſa ſacra pro omni ornamento, & decore bullam, aut laminam auream in capillamento portat, in qua agni circumciſi, & Dei nominis imago ſculpta apparet; hunc mundum muliebrem toti orbi præfert, hàncque mitram capiti impoſitam, portat honoris æterni. Sed ex agno, eius ſtigmate, ſanguine, Dei nomine quid emolumenti ad pectus ſponſæ deriuatur? Quod comæ, & capilli, & cogitatus ſint purpurei ſanguinei martyrij deſiderio. Audi Venerabilem Bedam: *Comæ igitur ſponſæ vt purpura ſunt Regis vincta canalibus, cum cogitationes deuotis Deo cordibus preparatæ etiam exiſtunt, ad moriendum pro Chriſto.* Sanguis agni Dei circumciſi, illuminato fidei oculo conſpectus ardentes amoris faculas fidelium cordibus iniicit; & ad fundendum proprium ſanguinem auidiſſimè inhiant, & ad tolerantiam eculei, rotæ, enſis, ignis, & Crucis inardeſcunt. O quam copioſas pro Chriſto effuſi ſanguinis pluuias, innumeros hyacinthos, roſas, & Phœniceos flores, terra germinauit, irrigata rore Dei ſanguineo.

Carmel agnus circũciſus
Lect. Hebr.

Genebr.

Nomen Dei alligatum in cincinnis.

Sponſa agnũ circumciſum & Dei nomẽ in capite pro ornamento portat.

Bed.
Comæ purpureæ ſunt martyrij deſideria.

4. Fortitudo Martyrum in Sephora circumcidente filium adumbrata eſt. Angeli timore correpta, qui euaginatum gladium oſtentabat: *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius.* Exodi capite 4. In hoc puero circumciſo, Ieſum circumciſum agnoſcit ſanctus Cyrillus Alexandrinus libro 2. Glaphyr. in Exodum. Sed quid eſt tangere Sephoram, quæ Eccleſiam innuebat, pedes Ieſu? Niſi veneratione quadam exoſculari illius ſanguinem, ipſi Ieſu deuoueri, & vſque ad profundendam vitam pro ipſius amore, illius veſtigia ſequi, imitari fortitudinem? Pulcrè Rupertus lib. 1. in Exod. c. 21. ait: *Quotidie filios ſuos mater Eccleſia circumcidit circumciſione ſpirituali, ne fides Chriſti moriatur in illis, tangitque pedes eius, dicitque inter circumcidendum filijs ſuis. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exẽplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Si teneris annis, in florida iuuenta, ſi maturâ, ſi emarcida ſenectute frueris, tibi validiſſimum incitamentũ erit effuſus cruor Ieſu paruuli, vt ad cruciatus, & patibula cóuoles; & inter ſuperbos tyrános, truces tortores, armatos ſatellites, diſtrictis enſibus, acuminatis contis, rogo, camino, flãmis; impauidus te exhibeas, manus nexibus, pectus rogo, & gladio ceruicem, vt pro perennatura vita, breui perituram commutes.

Sephora filiũ circumcidit.

Ieſum circũciſum adũbrabat puer.
D. Cyrill. Alex.

Eccleſia tangit pedes Ieſu, cum parata eſt pro illius amore ſanguinem fundere.

5. Quid? ipſum Ieſu nomen infantulo impoſitum, addet tibi ad martyrium ſtimulos, & calcaria. Audi quid colloquantur Martyres in ipſa laniena, & carnificina conſtituti. Pſalm. 115. verſ. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quis ſit calix? quod nomen Domini à potante inuocatum? apertè ſcribit ſanctus Hieronymus his verbis: *In Hebraico ita habet: calicem Ieſu accipiam, quis eſt iſte calix Ieſu: Martyrium. Grandis*

Martyres in ipſo ſupplicio nomen Ieſu inuocant.

D. Hieron.
Calix Ieſu martyrium eſt.

res

res eſt martyrium, quoniam retribuit Domino, quod accepit a Domino. Chriſtus pro ipſo paſſus eſt, & ille pro nomine ipſius patitur. Hoc ipſum martyrium non eſt meæ virtutis, ſed gratiæ Dei, propterea non poſſum eum bibere niſi nomen Domini inuocauero. Ieſus vincit, in ſuo martyre coronatur. Cum Ieſu nomen paruulo imponitur, & Saluatoris munus, quo fungitur, ſanguinis rubrica ſignat, candidulis labellis à mamma, & lacteis guttis, delibat purpureum martyrij poculum, poſtea vſque ad fundum in Crucis thalamo potat. Amicis diſtribuit bibendum inuocato Ieſu nomine, in quo victoriam, coronam, robur, gaudium poſitum ſciebant; dum liquore ſanguinis tingitur humanitatis ſtola, nomen Ieſu ſuper eum inuocatur; cuius amoris æmuli martyres, dum ſanguine purpuraſcunt, in ipſo extremo halitu Ieſum ſpirant, Ieſu nomine in corde deliteſcente, & commorante mixtum, & obuolutum ſpiritum efflant. Si deſiderij curſum ſequerer, & calamo luderem, velut penicillo, & tabula pingerem Martyrum laureatam cohortem, quos in occiduo, & oriente Sole puer circumciſus, & Ieſu nomen genuit in heroibus, inclytiſque militibus militiæ, eius nomine inſignitæ, ſub vexillo Ieſu adſcriptis, quorum ſymbolum, & teſſera Ieſus. Hi calicem Ieſu accipiunt; Ieſum inuocantes. In his Ieſus vincit. Et in Martyribus Ieſuadæ cohortis Ieſus coronatur.

Ieſus vincit & in martyre coronatur.

Ieſus puer ad martyrium excitat.

Militia Ieſu martyres.

6. Ieſus immenſi amoris radios puer expandit, ſed teneritudine paruuli corpuſculi temperatos, quibus attraxit paruulos ad Martyrij lauream. A Iacob parente, filij Iuda elogia celebrantur. Geneſ. cap. 49. verſ. 11. Chriſti inſignia vaticinantur, de tribu Iuda oriundi: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam, lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Verbum illud *ad vitem.* Tranſtulit ſanctus Hieronymus citatus in ſcholiis Septuaginta: *In funiculo.* Sanctus Cyrillus ſtatim referendus legit: *Capreolo vitis.* Eſt autem funiculus, & capreolus vineæ, clauiculus, aut cincinnus in teneriori pampino, quo velut adminiculis, ac lacertis frondes, & palmites ſtricto nexu complectitur, quocirca de teneri, & paruuli Ieſu amore, quo gentes, & populos colligauit, ſanctus Cyrillus lib. 1. Glaphy. verba expendit dicens: *Vnis vera Chriſtus, ſibi ipſi colligauit populum ex Gentibus, quod autem alligarit capreolo vitis, hoc eſt dilectione ſua.* Cùm Crucem Ieſus vitis fœcunda maritat, ſuo amplexu fouens, vinea fertilis eſt, & vua pendens in arbore, torculari expreſſa, quæ patibulum coronat; cum brachia expandit, vt orbem totum ſuo claudat gremio, & in peccatorum ruat amplexus, non funiculo, ſed funibus, non clauiculo, ſed clauis ferreis, pedes, manúſque ligno innexuit, vt fortitudinem robuſtam dilectionis oſtenderet; ſed cum tenellus pupus cultro ſcinditur, & dolore compungitur, eiulatu ad amorem prouocat, funiculo coccineo ſanguinis conſtringit pectora, illigátque corda, teneritudinem amoris aperit, grauiora cruciamenta, & nobiliora vulnera inexperti, nunc arte cæleſtis agricolæ, vitis adhuc florens; & gemmans circumciditur, amputatur, vnica punctura gaudens; multis poſtea circumfoſſa, & decorata fixuris. Sed tenero amore, & balbutientis paruuli blandimentis teneros annos incitat ad duram, & laborioſam palæſtram. Vnde ſequentia verba: *Lauabit in vino ſtolam,* legit Chaldæus: *Erunt iuſti in circuitu eius. Purpura optima erit veſtimentum illius, operimentum eius erit ſericum, tinctum coccino variiſque coloribus* Nec ſerico, & purpu-

Tribus Iuda celebratur à Iacob.

D. Hieron.
D. Cyrill.
Lect.
L x x.

Quis ſit funiculus vitis?

D. Cyrill. Alex.

Ieſu paruuli amor gentes ſibi colligauit.

Ieſus in circumciſione funiculo, & clauiculo innectitur, in paſſione funibus & clauis ligatur.

Vitis Ieſu in circumciſione vnica punctura gaudet.

Chald.

Martyres in circuitu Ieſu.

P. A. Lac. de Arcones *in Iſaiam.*

râ, aut florido veſtimentorum ornatu indutus eſt Chriſtus, ſed veſti, cuiq; omni, pauper, moderatio néque tēperata ſacrum corpus ornauit. Cocci tincturâ, & purpura, & quidē optima veſtitur, cū ſuo ſanguine purpuraſcit. Nec ſolùs in cunis, & puerperio viuit in oſtro, ſed purpuratis militis circumdatur; habet ſocios ſacri certaminis. Gregem ſuum bonus Paſtor informat. Rubricatis innoxiorum pellibus, & pannis conſtrictus infantiæ, cæleſtium agnellorum caterua cingitur, quorum vellera, ſæuitia, & gladius Herodis rubrica proprij ſanguinis imbuit, immaculatas hoſtias litanit Deo. Ad ſuum ductorem accurrunt balantes, ludentes palmis, & coronis, cum audiunt Ieſu eiulatum, & vagitum, velut dulcis fiſtulæ modulamen. Ieſum Nazaræum, & floridū circundant flores roſarum, & phœnicia lilia conuallium. Thronū Regium, & purpuram Regis paruuli, purpuratorum circūſtat Satellitium paruulorum. Matth. c. 2. v. 16. *Herodes iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius.* De innocentium puerorum cæde hæc verba fatur S. Chryſol. ſerm. 153. *Coorta Regi cohors ſuo, magis præmori, quam commori tota geſtit. Chriſto dicati milites cœperunt ante militare, quam viuere: ante pugnare, quam ludere: fundere ante ſanguinē, quam lactis vbera perpetrare: ardentes animæ morā corporis non tulerunt; a gremio ad funeſtos hoſtium cuneos peruolantes; anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oſcula, vrgentia ferro vt cœlum poſſint antè inhabitare, quam terram.* Vt pro Ieſu ſanguine ſuum erogent ſanguinem, & ſacrum puerperium, & purpureas Imperatoris cunas, martyrij laureis, & triumphis exornent.

Innocentes pueri, Ieſu ſectantur veſtigia.

Chryſol.

7. Non immeritò ab Spiritu ſancto directa Eccleſia poſt infantis Ieſu natalitia martyrium Stephani annectit; pueri incunabula ſanguine dedicantur, à primo ortu ad pugnam Martyres prouocabat. Pulcrè S. Chryſolog. ait ſerm. 154. *Stephanus vocatus eſt à corona, quia primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conſlictum: primus meruit ſanguine ſuo militum Chriſti martyriū dedicare. Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine ſanguinem ſuum auidus bellator effudit: & quia cruore proprio tinctam ſibi ipſe purpuram coniunxit: meritò à Rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam.* Adlambēs vbera matris pullo, cupit ornari faſcias purpureis floſculis. Pro crepitaculo, & ſiſtro amat certaminis bellici tumultus, armorū ſtrepitum, tortoris ictus. Pro crepundiis, & primis pueri munuſculis in zona appenſis, & pectore, non bullas, non corallia, aut pyxides; ſed rubicundas Martyrum gemmas, gladios, haſtas, & coronas exoptat. Ideo calenti ſanguini Ieſu in Caluariæ monte, ſanguis Stephani, calēti ſanguini circumciſionis in diuerſorio Bethleemitico, aut templo, ſanguis innocentium annectitur. Vt Princeps paruulus, cum paruulis innocentibus ludat.

Poſt Ieſu natalitia, martyrium Stephani celebratur.

D. Chryſol.

Stephanus primus poſt Ieſum ſanguinem fudit.

Ieſus ab vberibus ſedens gaudet praelio martyrū.

8. Cantic. cap. 3. verſ. 9. & 10. celebratur Salomonis nobile ferculum: fecit in eo: *Reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* Miror aſcenſum totum veſtitum conchyliatis periſtromatibus, aſcenſus omnes, & gradus nitent purpura: neque Rex pacificus Ieſus, in gloriam aſcendit, ad Patris dexteram ſedens, & illius brachiis recumbens, niſi per purpureos aſcenſus. Primus gradus purpuratur circumciſione, reliqui paſſione. Non aſcendet incomitatus: effuſus ſanguis clamitat, & excitat ad purpureum aſcenſum, vt milites Chriſti, purpurati Imperatoris premant veſtigia. Inuitat, & prouocat ſponſam per purpuream ſemitam, ad requiem

Per aſcenſum purpureum adit ſponſa ad reclinatorium aureū.

 auream.

Gilleb.

auream. Audi Gillebertum ſponſi verbis cũ ſponſa fantem, ſerm. 18. in Cant. *Hos ſi tu dedignaris, vel horres gradus, reſpice, quod purpurei ſunt. Tu verò ſponſa Chriſti candido preme pede gradus purpureos: Nobilis eſt ſemita, quam dilectus tuus prior inceſſit. Quàm pulcri ſunt etenim gradus purpurei, quos pede ſacro Chriſtus prior ſignauit, pedibus illis, quibus nullus puluis adhæſit, pedibus niueis, quos cruoris ſui ſignauit veſtigio. Et tu ardenter veſtigia relege, aufer calceamentum carneum de pedibus tuis. Sanctus enim aſcenſus eſt, quem tibi diſponis. Purpuram hanc non conchylij, ſed Chriſti ſanguis intinxit. Hic tu pedem libenter pone, vt pes tuus intingatur in ſanguine Chriſti.* Sed ego in conchylio, & ſacro murice metam figo, & huic diſcurſui extremam impono manum.

Candido pede premendi aſcenſus purpurei.

Pes in ſanguine Chriſti intingendus.

Discvrsvs V.

In filij circumciſione Deipara amoris, & doloris Martyr.

1. CVM Deipara opus circumciſionis (vt pij, & docti viri autumant) perficit, & cultrum ſtringit in filij corpus, aut Sacerdotem cernit, ferrum educentẽ, vt è nube humanitatis ſectâ, purpureum imbrem ſoluat, & ſacrum ſtillicidium ad ſanitatẽ orbis mittat, puerúmq; percuſſum, dolore transfixum, queritantem, & vagientem ſtrictis liget lacertis, amore, & cõpaſſionis dolore, & cruciatu martyr extitit. Deipara ab Eccleſiæ proceribus martyr, & pluſquam Martyr in morte filij meritò nuncupatur; ſed in paſſione martyrium conſummatur, in circumciſione martyrium Matris inchoatur. Anxiè quæſitum, & gaudenter inuentum ſponſum, nunquam auolaturum ex corde, ſtringit charitatis vinculis. Cant. cap. 3. v. 4. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducã illum in domum matris meæ,* quæ verba de filij Dei circumciſione, & Dei genitricis dolore piè explanat Picus Carthuſian. lib. 2. in Cant. c. 6. loquens in perſonã Deiparæ: *Nec dimittam per tribulationis noctem ſuperuenientem, donec introducam illum in domum matris meæ per circumciſionem. In circumciſione enim Virginem non mediocriter afflictam exiſtimare eſt, cum effuſo in mundi pretium, pretioſiſſimo vnigeniti cruore, exectâque illius de viſceribus ſuis ſumptâ carne, inter non æſtimabiles angores, vidit ſuum & immaculatum Dei filium, iam iam, quã non rapuerat, exoluere.* Ex florido Ieſu, & paradiſi ligno vitæ, ex virgineo, & immaculato ventre germinante, iam colligit pia mater tribulos doloris, & iacula amoris, maternum pectus pungẽtia, cor traiicientia: iam delibat fructus myrrhæ, & amaritudinis, ex fauo fel, ex lilio ſpinam, ex roſæ odore iniucundo cruciatum, ex pomo mali mellito nectareo acerbitatem; dum intuetur paruulum in lacrymulas liquefactũ, & in rorẽ purpureum. *Non mediocriter afflictam, inter non æſtimabiles angores,* inquit Picus: Amor, & dolor artifici manu orſi ſunt plectere coronam martyrij, vt Virginis capiti ſuo tẽpore innectant. Dum tenera ſacri corporis pellicula ſcinditur, ſecatur ferri, aut ſilicis acuminati cultro, vt tunicas mortalitatis pelliceas Adamus exuat, & in immortalitatẽ innouetur; dum ſaccus, in quo erat incluſum noſtræ Redẽptionis pretiũ, ſcinditur; vt puellus tanquam Protoplaſti ſponſor, illius debita, quibus Dæmoni, & morti ſe obſtrinxerat, ſoluat aureis ſanguinis gẽmis, in quibus imagines, & facies duæ Deitatis, & humanitatis inſignitæ; & vt ſponſus animarũ, eas his nuptialibus gẽmis, & ſpõſalibus parat ad nuptias; omnia hæc, quã dulcia ſuſpiria, & quantos lacrymarũ imbres, de viſceribus, & oculis Deiparæ eliciunt! tenerumq; Mariæ cor angore, amore, dolore, & compaſſionis affectu traiiciunt.

Picus.

Deiparæ dolor in filij circumciſione, & erga ipſũ pij affectus.

2. Abraham Dei iuſſu Iſaac duxit ad victimã, ſed in mactatione filij impauidũ pectus oſtendit, quaſi à natura abſtractũ, & à ſenſu alienũ; ſola Sara ex cuius ſeneſcente, & effœta vulua germen benedictionis pullulauerat, morti deſtinatũ planxit, & ſuper ſuum Iſaac, & riſum indoluit. Hanc ſingularem mẽtẽ ſuis verbis exprimit S. Zeno ſerm. 3. de Abraham: *Chariſſimi mẽbra, quæ oſculis premere conſueuerat, armatus gladio iubetur occidere, quid faceret pietas. Præceptum differi non poteſt. Ad gladium naſcitur puer. Talem caſum nemo doluit niſi quæ genuerat Mater, nemo plangit viuas exequias.* Quantò melius Maria pro ſuo Ieſu, quàm Sara pro ſuo Iſaaco intonat, & clamitat: *Ad gladiũ naſcitur puer.* Vidit Iſaac euaginatũ paterna dextra gladiũ ſuo impendentẽ iugulo, ſed aciẽ non præſenſit mucronis, nec proprio infectus eſt cruore. Minæ Iſaacũ ornant; ſed ictus, & vulnus ſuper Ieſũ cecidit; vix vitæ limen attingit, & laboribus premitur, & gladio circumciſionis addicitur; *Ad gladiũ naſcitur puer,* vt homo ad pacis felicitatẽ, & perennaturã vitam renaſcatur. Sed perpẽdamus ſingula: *Talem caſũ nemo doluit, niſi quæ genuerat mater.* O amoris ingeniũ, ô piè ſæuiens, & acutum iaculum, & tenerrimum in materno pectore vulnus! Pendentem brachiis tenellũ puerũ, dimidium cordis ſui, litandã Deo victimam effuſione ſanguinis, & circũciſionis ſacrificio, ſic Mater, & amantiſſima affatur: feſtiua cœlorũ gaudia, muſici Angelorũ concentus, intermixti paſtorũ calamis, & fiſtulis, conuerſi ſunt in planctum. Claritatẽ Dei, & ſplendorẽ mapalia Bethleemitica circũfulgentem, expanſa humanitatis nubes ſanguinẽ irrorans obnubilat: liquida voluptas, & inenarrabiles in noui Solis ortu deliciæ, cruciatu ſunt, & acerbitate permixtæ: ſi in enixu, feminarum maledicto ſum immunis; dolores, à quibus in partu illibata Virginitas, & manus omnipotentis me eripuit, in me æquabiles, & duriores in circũciſione irruunt; eiulatus, vagitus, lamenta ſingula; ſagittæ, tela ſunt, quæ cor meũ traiiciunt; carnis abſciſſio velut lanceæ cuſpis meum pectus dolore pungit: *Nemo plangit viuas exequias.* Dum ſanguinolentum cernit, exanguem in ligno contemplatur, pueri viui tanquam emortui funeri iuſta ſoluit, vix paruulus luce perfruitur, & eius extremum diem erumpentibus oculorum fontibus, lacrymarum margaritis celebrat.

D. Zeno.

Iſaac ad gladium naſcitur.

Sola Sara indoluit ſuper Iſaac.

Ieſus puer ad gladium natus.

D. Zeno.

Deipara de circumciſione filij doluit; amoris, & doloris affectus.

Maria pueri Ieſu planxit viuas exequias.

3. His conſonat pius Dionyſij Carthuſiani affectus ad ea verba Cant. cap. 3. *Aſcenſum purpureum.* ſic enim ſcribit: *Aſcenſus purpureus fuit doloroſa compaſſio, qua affectuoſiſſima, ac benigniſſima mater filio ſuo paulatim tam intentiùs condolebat, quanto paſſio eius magis appropinquaret. Fuit dolor talis conſolationibus eius frequenter admixtus, quemadmodum enim dulciſſimè, mirabilitérque gaudebat, infantem puerum Ieſum vultu placido conſpectando, Virgineis brachiis deferendo, amplectendo, roſea facie oſculando, ſacris vberibus nutriendo: ſic planè recolendo, quod à Gabriele ſancto perceperat, dictum eſſe à Ioſeph de puero, ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, vehementiſſimè condolebat, & concutiebantur*

Dion. Carth.

Maria compaſſio erga Ieſum.

curtebantur omnia viſcera eius materna ſuper innocentiſſimo filio ſuo, ita vt cum David dicere videretur: O Ieſu fili mi, fili mi Ieſu, quis mihi det vt ego moriar pro te? A primo pueri exortu fit doloris Ieſu ſocia, eiq; per pietatis, & amoris ineffabilis viſcera compatitur, dum nomen imponitur, dum orbis libertas, & redemptio in eius ſanguine perficienda promittitur, vehementiſſime condolebat, & ſuper dilectum materna commouebantur viſcera; quid plura? Dum è roſeis labris libat oſcula, dum porrigit mammam, dum os aureum, & labella ſacro lacte rigat, dum ad pectus applicat ſtrictis puerum lacertis, quàm inenarrabiles gemitus mater, quàm dulcis amoris, & doloris è pectore eructat ſuſpiria; cum filio, quem nunc gladius ſcindens, ad clauos, & lanceam ſignat, iam commori ardenti deſiderio cupiebat.

Ieſus in natiuitate dux, & rector nũcupatur.

4. Cùm Ieſu ortum in caſtello Bethleemitico vaticinaretur Michæas, inquit, cap. 5. verſ. 2. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* At Matthæus Euangeliſta hunc locum allegans cap. 2. verſ. 6. legit: *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Statim ac naſcitur ducis, & rectoris munere fungitur; in vico Bethleem editur puer, qui totum regit orbem. Vnde ſanctus Cyrillus in Michæam, ait: *Rector erit cuiuſuis in Deum credentis.* Dum audio, & credo Ieſum eſſe rectorem, ruſſata toga indutum cerno, nam veſtis purpurea rectoribus debebatur decorum dominationis ſignum. Teſtor Aurelium Caſſiodorum lib. 6. variar. cap. 21. Cuius titulus eſt: *Formula rectoris prouinciæ,* cum prouinciarum rectoribus fantem: *Chlamydis tuæ proculdubio inter alia clauos intende, quos ſcias, non inaniter poſitos. Hinc fit, vt cum publicum agentes purpuram cernerent, de vigore ſemper Principis admonerent. Geniatus indutus veſtis gratioſa, quam filio ſuo Priapo Venus dicitur texuiſſe, vt eximiæ pulcritudinis matrem, ſingulariter ornatus filius teſtaretur.* A purpureis clauis intertextis, clauata purpura nuncupatur, vt annotat Suetonius in Auguſto cap. 73. & Ouid. lib. 4. triſt. Eleg. 9. Rectorum Prouinciæ decus, & ornamentum; ſimilem togam Priapo filio, ioci, & riſus tutelari Deo Venus mater texuit hilarem, & feſtiuam veſtem: eſt autem palla, aut candida, aut cærulea, aut marinorum fluctuum referens colorem verrucis, aut tuberibus è cocco, aut nitenti purpura fabrefactis, & intextis, clauorum capita imitantibus. Princeps Emmanuel Cœli, & terræ incolis imperitans, portans, & regens omnia virtute mirabili, dum opus redemptionis & animarũ regimen inchoat, purpura clauata induitur, dum caro ſuper niueum candorem conſpicua, guttis ſanguinis velut clauis illuſtratur, & diſtinguitur; dedit Deus mulieri oppoſitæ Euæ ſapientiam, & variegandi ſcientiã, vt immaculatum ſanguinẽ ſubminiſtrans, Dei digito, & Spiritus ſancti opera, tela illa mirabilis conficeretur è fibris, & liciis aureis diuinitatis, argenteis humanitatis, quæ purpureis gemmis condecorata eſſet rectoris, & Principis Ieſu indumentum. Ad cœleſtis puritatis fontes Ieſum, & Deiparam feliciori euentu verba illa tranſmuto: *Vt eximiæ pulcritudinis matrem, ſingulariter ornatus filius teſtaretur.* Ex humanitatis, & filij decore, venuſtas matris innoteſcit: ſed octauo die dum ſanguine ſubrubuit, apparuit elegantior, dum nitet nominis Ieſu oleo, & vnguẽto, & fulget purpura; è puniceo colore, & viuido roſeus Virginis vultus pulcrior redditur, dum duplex nitor ſplendeſcit, & virginitatis candidus, & martyrij ſubrubeus, dum inter dolores filij beneplacito ſuo fundendi ſanguinem, ſuam voluntatem libenter aſſociat, Mariæ venuſtas augetur, de virginitatis candore, de martyrij rubore. *Vt eximiæ pulcritudinis matrem ſingulariter ornatus filius teſtaretur.*

Caſſiod.

Chlamys rectoris Prouinciæ, clauata purpura.

Venus filio ſuo Priapo hanc purpurã texuit.

Clauata purpura imperatoris Ieſu in circumciſione & paſſione.

Caſ.

Filij Ieſu purpureus ornatus, pulcritudinem matris teſtatur.

5. Habuit Deipara ancillulas matres in filiorum martyrio ſocias. Ea verba Ieremiæ cap. 31. verſ. 15. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Applicat Euangeliſta Matthæus ad lamenta, & lacrymas matrum in filiorum innocentium laniena, cap. 2. de genitricibus Sanctorum Innocentium, ſanctus Petrus Chryſologus inquit, ſerm. 152. *In martyrio filiorum paſſæ ſunt matres: nam gladius filiorum pertranſiens membra, ad matrum corda peruenit, & neceſſe eſt vt ſint præmij conſortes, quæ fuerunt ſociæ paſſionis.* Et paucis interiectis: *Matres tulerunt, quidquid & angoris extitit, & doloris.* Paruuli Ieſu, fuit virgo Mater ſocia paſſionis; circumciſionis gladius dum ſæuit in filium, ad matris pectus perueniſſe neceſſe eſt, vt ſit præmij martyrum conſors, dum Chriſto patiente patitur. Ipſa Dei mater tulit, *quidquid & angoris extitit, & doloris.*

D. Chryſol. Matres innocentium paſſæ ſunt in martyrio filiorũ.

Ieſu mater ſocia paſſionis filij in circumciſione.

6. Quod non leuiter inſinuat Salomon Cantic. cap. 1. verſ. 12. dum in ſcena myſtica coram ſodalibus, & adoleſcentulis Deipara fatur: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Faſciculum dolorum, & cruciatuum, quos velut lilia, roſas, aut olfactoriolum pectori appendit Deipara, pie colligit Dionyſius Carthuſianus, & his verbis colligat Cant. cap. 1. art. 5. *Sicut Dominus Ieſus Chriſtus fuit ſuæ digniſſimæ genitrici materia copioſa lætitiæ, ita & copioſa triſtitiæ. Et quidquid pro humani generis redemptione filius eius ſuſtinuit, ipſa per modum faſciculi recollegit, colligauit, & cordi ſuo firmiſſimè ad recolendum impreſſit. Et ſicut quibuſdam Sanctis creditur reuelatum, amabiliſſima Virgo à filij ſui infantia grauiſſimos frequenter tolerauit dolores, inſpiciendo amantiſſimum ſuum, & manus eius, ac pedes tractando, ſeu intuendo, quia certiſſime nouerat, & frequenter conſiderabat, qualiter filius ſuus eſſet ab impiiſſimis crudeliter occidendus, perforandus, ac crucifigendus. Ex qua conſideratione tantam interdum compaſſionem, & afflictionem incurrit, quod venit quaſi ad ecſtaſim, & defectum.* Extrema verba corrigenda ſunt, & nequaquam admittendus in Dei Matre virium defectus, cùm ab Spiritu ſancto fulciretur, vt in immanibus filij cruci ſuffixi doloribus imperturbabilis permaneret, & ſtabilis: Maria enim ſtabat iuxta Crucem. Reliqua conueniunt ſatis Deiparæ Martyrio, à filij ſui natiuitate, & circumciſione inchoato.

Dion. Carth. Ieſus ſumma lætitia, & ſummæ triſtitiæ cauſam præſtitit Mariæ.

In manibus & pedibus pueri Ieſu acribus paſſionis dolores Maria præmeditabatur.

Discvrsvs VI.

Ad ea verba:

Quaſi nix dealbabuntur.

Decor animæ in ſtatu gratiæ ſanctificantis, omnem excedit creatæ pulcritudinis ornatum.

1. AD huius verſiculi complementum, & coronidem peruenio, ad pœnitentiæ hominis, & ſanguinis Chriſti fructum, quo peccator per exomologeſim peccata ritè expians, velut in ani-

marum lauacro tingitur, & ſuper niuem dealbatur. Ex Chriſti ſponſi purpura extat ſponſæ candidatio; nec nouum in ſanguine Agni lauatam togam ſplendeſcere, & albeſcere ſuper candidam ſtolam à radiis Solis ictam; imo animæ ſpecies, & venuſtas nitidius fulget, quàm cœli, & ſiderū ſplēdor, aut Solis claritas, & Lunæ: ſanctificatæ animæ venuſtas cæleſtium ſpirituum admirationem, & ſtuporem concitauit in illis verbis Canticorum c.8. v.5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Septuaginta legunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* Verſionem illuſtrat Theodoretus, & egregiè inquit: *Non dicit albam, ſed dealbatam. Cum eſſet denigrata, propterea quod eam Sol aſpexiſſet, dealbata eſt, & candoris ſponſi particeps effecta, qui ſicut lux exiſtens ipſam lucidam reddidit, & appellauit. Ideò adoleſcentulæ eam contuentur.* Quam formoſa, & nitida apparuit anima per inhabitantē in ea Spiritus ſancti gratiam; cū enim ſpōſus ſupra Solis fulgores emicans, & animū irradiās, in ea exoriatur; diploide iuſtitiæ veſtita, niueo candore, & ſudi cœli ſpecie ornatior, & formoſior rutilat. Habet enim anima immaniſſimis, & deformiſſimis atrata, & inquinata ſceleribus, pietatis fluēta, fontémq; Solis, in quo abluatur, & Sole reddatur purior, ſtolam lacrymis velut lixiuio candidans.

Anima per gratiam dealbata, & lucida apparet.

Lect. Lxx.

Theodoret.

2. Hunc candorem ſupercœleſtem, oſtendit Pſaltes egregio ſuo carmine. Pſ.67.v.15. *Niue dealbabuntur in Selmon.* In quem locum Arnobius de animæ lauacro ſcribit: *Selmon locus eſt, in quo purificabantur Proſelyti, vel hi, qui fatebantur grauioribus ſe pollutionibus inquinatos, locum Selmon voluit dici omnem locum, in quo hi, qui nigrificauerunt peccatorum ſordibus, dealbentur, ſi ſuper Phœnicium fuerint nigri, tanquam lana candida facti, quaſi nix dealbati ſunt in Selmon, in loco purificationis, in quo omnia peccata lauant.* Locum autem purificationis intellige pœnitentiæ lauacrum, albedinem autem gratiæ candorem. In quo ſenſu Pſalmi ſententiam vſurpat ſanctus Auguſtinus, eamque connectit cum præſentibus Iſaiæ verbis iuxta verſionem Septuaginta. *Vt ergo,* (inquit,) *diſcernantur ab impiis, accipiunt remiſſionem peccatorum ab illo, qui ait: ſi fuerint peccata veſtra ſicut Phœnicium, tanquam niuem dealbabo. Ecce quomodo dealbabuntur in Selmon, in gratia Spiritus Chriſti.* Et poſtea ſubdit: *Niue dealbabuntur in Selmon, gratia candificabuntur in protectione corporis Chriſti.* Gratia, protectio, decor, & ſpiritalis animæ ornatus à beneficiorum, & gratiarum ſcaturigine Chriſto prouenit. A gratia autem ineffabilis ſplendor, & pulcritudo.

Arnob.

Selmon locus eſt, in quo purificabantur proſelyti.

D. Auguſt.

Peccator per gratiā dealbatur tāquā nix.

Dealbantur in Selmon, id eſt in protectione corporis Chriſti.

3. Eam ſponſus in anima ſanctificata recognoſcit, quando à vitiorum ſordibus expedita, & abſterſa, ad ſponſum, & candorem æternæ lucis appropinquat: meruit ab ore diuino exaudire modulamina, & ſuæ pulcritudinis encomia. Cant.c.1.v.14. *Ecce tu pulcra es amica mea.* Nec mirandum, inquit, quod ego viſendus, & decorus exiſtam, cum ſim egregiæ formæ exemplar, & ſpeculum ſine macula. Tu verò ante deformis, & peccatorū atrata fuligine, quod eximia forma pulcritudinis reſplendeas, omnem admirationem ſuperat: *Ecce tu pulcra es* Et amicam nuncupat. O pulcram, ac beatam animam, cuius formoſitatem Deus deperit! quam verbis amatoriis, & blandimentis demulcet, & ſuis iungit amplexibus! Septuaginta legunt: *Proxima mea.* S. Nyſſenus ſtatim referendus: *Propinqua.* Totus beatitatis cumulus, & dignitas in anima reſultat, quia ad primariam Verbi pulcritudinem appropinquat. Nyſſenæ mentis acumē eſt. Sic enim ait hom.4. in Cāt. S. Gregorius: *A mali quidem ſocietate recidens, mihi appropinquaſti, appropinquās autem primariæ, & exēplari pulcritudini, ipſa quoque pulcra facta es, veluti quoddam ſpeculum conformata meo characteri.* Et ſubiungit: *Quoniam ergo expulſo à tergo vitio, expurgata à verbo anima, Solis circulum in ſe ſuſcepit, & ſimul reluxit cum luce, quæ in ipſa apparuit, propterea ei dicitur verbum, pulcra facta es, quæ meæ luci appropinquaſti, per appropinquationem attrahens diſpenſationem pulcritudinis.* Quam ſpecioſa apparet anima, quam Solis æterni ſplendores, & circulus ambit, luminari magno amicta, habens pro indumento Ieſum, qui ſedens in cordis thalamo, lumine ſuo omnia complet, & illuſtrat, quanto propinquior cœlo, & Soli, & cœlorum, & ſiderum artifici, tanto maiorem regerit ſplendorem, & pulcritudinem.

Sponſus Chriſtus demiratur animæ pulcritudinē.

Lect. Lxx.

Anima proxima, & propinqua appellatur.

D. Nyſſ.

Anima à peccatis recedens, & appropinquans primariæ pulcritudini fit formoſa.

Anima Solis circulum in ſe ſuſcipit.

4. Sub ſymbolo feminæ ſanguinis profluuio laborantis, migrationem de peccato ad gratiam, & reſtitutionem ſanitatis animæ, S. Greg. Nazianzenus explanans, inquit orat. 40. *Heri ſanguinis profluuio tabeſcebas (rubrum enim, & cruentum peccatum ex te manabat) hodie ſiccato profluuio ad priſtinum florem rediiſti.* Deterſit pœnitentia ſanguineum, & purpureum ſceleris ruborem, & rediit ad pulcritudinis florem, ac gratiam.

D. Gregor. Naz.

Anima amiſſo peccati rubore ad floridum colorem reſtituitur.

5. Præcurſor Verbi, & vox Ioannes, cæleſtis myſterij præco prædicabat ablutionē animæ Luc. c.3. v.3. *Venit in omnē regionē Iordanis prædicās baptiſmū pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Cur iuxta Iordanis fluenta pœnitentiā prædicat, & nō inter eremi ſiluas, in quibus cæleſtem vitā tranſegerat? Vt eſſet in promptu, & expeditum lauacrum, & fluminē ad ablutionem ſcelerū, in quo immerſa anima niteret ſuper niuem candida. Audi Geometram in catena Græcorum Patrum in Lucam ſcribentem: *Quæ autem dicebat Baptiſtam loca peragrare, niſi Iordanis confinia? Vt ſi quis vellet pœnitentiam agere, protinus fluuij copiam haberet: Iordanis autem deſcendens interpretatur. Deſcendit enim verè Dei fluuius: aqua autem vera eſt aqua ſalutis.* Nec riui, nec gurgites Iordanis animam abluunt, ſed fluuius ille de paradiſo Dei deſcendens, flumen pacis ad nos declinans, quod amnis Iordanis innuebat, in eo enim anima diluit ſcelera, ſordes abluit, & niueo candore albeſcit.

Cur Ioannes non in eremo, ſed iuxta Iordanē prædicat pœnitentiam?

Geom.

Cat. Græc.

Vt eſſet in promptu ablutio, & aqua ſalutaris.

6. Cum Pater in prodigi, & perditi filij ruerit amplexus, & oſcula, turpem tollit, & tegit nuditatē, & indumento iuſtitiæ ornat. Luc.c.15.v.22: *Citò proferte ſtolā primam, & induite illum, & date annulū, &c.* Quæ ſit ſtola, quis annulus inſerēdus digito, expēdit Macharius in cat. Græc. Patrū dicens: *Vt animā pœnitentē videt, ſtatim ſuſcipit, traditq; illi ſtolā luminis Chriſti, & annulum ſignaturæ Spiritus ſancti.* Quàm pius Pater erga Filiū, qui totā ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè diſſipauerat, qui animantium immundorum fuerat nutritor, & cuſtos; ipſe vitiorum lutulento, & cœnoſo gurgite volutatus, ad priſtinum recipitur felicitatis ſtatum, ſtola luminis, & ſplendoris Chriſti ornatur; Sol enim, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, luminibus, & fulgoribus gratiæ filios induit, tribuens Spiritus ſancti ſignaculum, quo eos tanquam annuli ſigillo ſignat, vt Dei filios, & heredes Regni.

Machar.

Cat. Græc.

Animæ pœnitenti traditur ſtola luminis Chriſti, & annulus ſignaturæ Spiritus ſancti.

7. Quid plura? In iuſti animo fulget Solis, & ſiderum iubar. Produco Regij Pſaltis inefragabile teſtimonium. Pſalm.146.verſ.3. & 4. *Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Miror cæleſtium ſententiarum nexum: quid con-

In anima iuſti fulget ſiderum iubar.

cœli luminibus vulnera? quid cum cryſtallinis, & æternis orbibus contritio? quid cum ſtellarum monilibus, quibus firmamentum exornatur, alligaturæ? Quid cum infirmitatis lectulo, & puris fœtore, ſiderum nitor, & eorum numerus? Bonus medicus Ieſus, qui corde contritos priſtinæ ſanitati reſtituit, qui purulentam animæ ſaniem abſtergit, qui abolet peccatorum vlcera oleo pietatis, & ſanguinis balſamo; ſic ſanatos in cœleſtes ſplendores immutat, qui vitiorum horrore ante ſordebant; turpes, deformes, ſqualidi, ſicut ſtellæ firmamenti micant, & inter ſidera cœleſtia in paradiſo collocantur. Pulchrè ſanctus Hieronymus in huius Pſalmi commentario ait: *Quæ conſequentia iuxta litteram, & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem ſtellarum? illos, qui ante contriti fuerant, & poſtea ſanati, vertit in ſtellas. Multi enim fuerant, qui peccauerunt: multi ſunt, qui curati ſunt. Qui numerat multitudinem ſtellarum, non numerat vulneratos, ſed eos numerat, qui iam in ſtellas verſi ſunt.* Et poſtea: *Vultis ſcire, quomodo de contritis ſtellæ fiant? Scriptum eſt in Geneſi: quia eduxerit Deus Abraham, & oſtenderit ei ſtellas, & dixerit ei: ſic erit ſemen tuum.* Hæc ille. Habet Deus cœlum, & firmamentum animarum ſideribus diſtinctum, auguſtiùs fulgentibus, quam cœli, & lumina, quæ ſub aſpectum cadunt; vniuſcuiuſque anima cœlum, & aſtrum, radiis virtutum emicans, acutiores perſtringens obtutus, omnem cœlorum ornatum, ſpeciem florum, niuiſque candorem ſpecie, & pulchritudine ſuperans.

D. Hieron.
Quæ pœnitentiam agunt conuertuntur in ſtellarum ſplendorem.

Verſ. 19. Si volueritis, & audieritis me; bona terræ comedetis.

COMMENTARIVS.

Quid ſit bona terræ comedere.
D. Baſil.
D. Cyrill.
D. Chryſoſt.
Rupert.

1. SANCTVS Baſilius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Rupertus: de bonis terræ viuentium cœleſtis Ieruſalem exponunt. Videtur hic ſenſus anagogicus. Sed promiſſio temporaneæ felicitatis tanquam genuinus, & literalis ſenſus in prædictis verbis continetur. Iudaicum populum excitauerat Vates ad ſectandam pietatem rebus ſpiritualibus, & diuinis, pulchritudine ſanctitatis, & gratiæ ſplendore, in numero præcedenti; nunc eos inuitat ad virtutis amorem bonorum temporalium promiſſo. Bona terræ comedere, eſt maximam rerum temporalium felicitatem poſſidere, robur, vitam, ſanitatem gloriam, opulentiam, & rerum omnium ad benè, feliciterque viuendum, copiam. Sic exponit Clemens Alexandrinus lib. 3. pædagogi capite vltimo ſcribens: *Bona terræ comedetis, ait. terræ bona humana nominans, formam, diuitias, ſanitatem, robur, alimenta.* Nec diſſentit ſanctus Hieronymus Zachar. 12. ad ea verba, *& dixi ad eos*, ex cuius ſententia loquitur Deus cum Iſraëlitis dicens: *Quibus, & in eremo loquutus ſum: ſi audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis.* In illis verbis: *Si volueritis*, adſtruit liberum arbitrium, eo quod electio boni, vel mali in ſua ſita eſt poteſtate.

Clem. Alexand.

D. Hieron.

Verſ. 20. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis; gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum eſt.

COMMENTARIVS.

Hebraiſmus, quo magna clades denotatur.

1. HEBRAISMVS eſt ad ſignificandam cladem, gladiis hoſtium illatam, occumbere in ore gladij, & gladium deuorare hominem. Ieremiæ cap. 2. verſic. 30. *Deuorauit gladius veſter Prophetas veſtros.* & cap. 12. verſ. 12. *gladius Domini deuorabit ab extremo terræ, vſque ad extremum eius.* Si de Iudæorum excidio, & internecione, & clade, quam intulit Romanorum exercitus, ſit ſermo; eam deſcribit Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 16. *Romani* (inquit) *in anguſtias viarum ſtrictis gladiis fuſi, & quos cepiſſent, interficiebant nullo diſcrimine: domoſque totas cum omnibus, qui eò confugerant, igni tradebant. Multas verò vaſtantes, quas prædæ cauſa penetraſſent, integras mortuorum familias, & plena mortuis tecta; quos fames confecerat, offendebant. Ipſum deinde horrentes aſpectum, vacuis manibus egrediebantur, nec tamen eo modo peremptos miſerantes, idem etiam circa viuos patiebantur, ſed vnumquemque obuium transfigendo, & anguſta viarum cadaueribus obſtruendo, totam ciuitatem ſanguine diluere, vt pleraque incenſorum cædes extinguerent.* Hæc Ioſephus ex cuius verbis conſtat, quam exactè fuerit adimpleta Dei comminatio, Iſaiæ ore prolata.

Ioſeph.
Quantus fuerit in Ieruſalem occiſorum numerus, in obſidione Romanorum.

Verſ. 21. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.

COMMENTARIVS.

Idololatria fornicatio nuncupatur in Scriptura ſacra.

1. SOLET ſacra Scriptura idololatriam vocare fornicationem, & ciuitatem idolis mancipatam meretricem, aut fornicariam feminam. Ieremiæ cap. 2. verſ. 20. *In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Hac ignominiæ nota inurit Vates Ieroſolymam. Vbi Chaldæus legit: *Sub omni ligno frondoſo tu colebas idola.* Et cap. 3. verſ. 2. *vide vbi non proſtrata ſis.* Et Chaldæus: *Vide vbi non te iunxiſti, vt coleres idola.* Ezechiel cap. 16. verſic. 30. *Cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis, quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ.* Pro: *Lupanar*, legit Chaldæus: *Cum ædificares aras tuas.* Et verſic. 24. *Et ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis.* Et ſanctus Hieronymus in commentario ait: *Sub perſona mulieris poſt multa mariti beneficia fornicantis, deſcribi fornicationem Ieruſalem, quomodo à Deo receſſerit, & iuncta ſit idolis,* Et poſtea ſubiungit: *Fornicatio Ieruſalem cum Ægyptiis, idololatriæ eorum imitatio eſt.* Et Theodoretus in eumdem locum ſcribit: *Vbique enim, & in domibus, & in foris ſtatuerunt idolorum ſtatuas, atque has domos impietate compleuerunt, & in ipſo Dei templo perniticſis Dæmonibus aras conſtruxerunt. Vbi ſimulacra, Dæmonumque imagines poſuerunt, & hoc Dominus hic accuſat, domum fornicationis idolorum nuncupans delubra. Et huiuſce*

Chald.
Chald.
Chald.
D. Hieron.
Theod.

fornicationis exuperantiam redarguens, oſtendit ipſam omnibus, congredi cupientibus omnino proſtitutam per ea idola, quibusvias, plateas, & omne forum compleuit.

Ieruſalem propter idolorum cultum, vocatur meretrix.

4. Iure ergo Ieruſalem ab Iſaia vocatur meretrix, quia ſicut mulier proſtituta, omnium libidini ſeruit; ſic Ieruſalem omnibus idolis Sydoniorum, Babyloniorum, Ægyptiorum, tum etiam voluptati, & cultui ſeruiebat. In Ieruſalem omnes nationes ſuorum idolorum inueniebant fornices, & lupanaria, aut ſtructas aras. Facta erat mater idolorum, quæ erat metropolis ciuitatum. Idololatria dicitur fornicatio, quia ſicut fornicator corporum, qui ſe feminæ iungit complexibus fit cum ea vnum corpus, & vna caro, ita qui colit idola, cum dæmonibus fornicatur, & ſe illorum irretitur amplexibus, & fit vnus cum dæmonibus, dum ſimulacta veneratur.

Iſaias ſtatum Ieroſolymæ lamentatur.

5. Nunc verba illa: *Quomodo facta eſt meretrix*, intelliguntur eſſe Prophetæ admirantis, & lamentantis ſuæ ciuitatis mutationem in deteriorem, & miſerum ſtatum, ciuitatis, inquam olim fidelis: quid denotet verbum *fidelis*, exponit ſanctus Chryſoſtomus tom. 1. in expoſitione huius capitis: *Hoc eſt pietatis cultrix, omnique virtute exuberans, ciuitas, quæ fuerat continens, ac pudica.* Adde: fidelis idem eſt, ac ea, quæ in fide præſtanda, & ſeruanda erga Deum ſponſum, aut maritum fideliſſima, ac conſtantiſſima fuerat, nec adorando, nec diligendo alium Deum extraneum, nunc, ait Vates; fide violata, plures Deos (vero repudiato) colit, & adorat, ideò vocatur meretrix.

D. Chryſoſt. Ieroſolyma cur fidelis vocatur.

D. Hieron. D. Chryſoſt. D. Cyrill D. Baſil. Arias. Mont. Cornel. Sanch. Aluar.

6. Quæ expoſitio veneranda eſt propter auctoritatem ſanctorum Patrum, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, Baſilij, & omnium recentiorum Ariæ Montani, Cornelij, Sanchez, Aluarez, quorum omnium oſculor vmbram, & veſtigia pedum lingo. Sed parcite, ô chara capita, ſi a vobis licet inuitus diſcedo, nam in prædicta commentatione non quieſcit animus; nam hîc non diſſeritur de idolorum cultu, ſed de Iudicum nequitia, dolo, & impoſturis. Et clarè colligitur ex illis, verbis contextus: *Plena iudicij*, & : *iuſtitia habitauit in ea.* Vbi iudiciorum æquitas præteriti temporis; præſenti iniuſtitiæ opponitur, quando per fas, & nefas ius violabatur à iudicibus, aperto ore, & expanſis manibus ad munera inhiantibus. Et ſanctus Reipublicæ ordo inuertebatur.

Prædicta expoſitio in dubium reuocatur.

Verborum nexus.

7. Id etiam manifeſtè inſinuant verba ſubſequentis contextus, quæ ſunt continuatio eiuſdem ſententiæ: *Principes tui infideles* (fidelitati vrbis, quam olim habuit, opponit magnatum infidelitatem) *ſocij furum omnes: Diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Quapropter aliam interpretationem lectori examinãdam proponam, vt eam ſeligat ſi placuerit.

Alia interpretatio proponitur, & ſtabilitur.

8. Mens mea eſt, quod Ieruſalem non dicitur meretrix propter idolorum culturam, ſed propter Iudicum improbitatem, & iniuſtitiam. Declaratur: nam ciuitas, & reſpublica poteſt nuncupari Virgo, aut matrona pudica, quando eſt fide, & iuſtitiâ integra, & muneribus incorrupta; ſic illa, quæ conculcatis legibus, & violata iudiciorum fide, corrumpitur muneribus, æquo iure appellatur meretrix. Iuſtitia Virgo nominatur ab Heſiodo in operibus: *Iuſtitia* (inquit) *Virgo eſt Ioue prognata, caſta, & veneranda Diis cœlicolis.* Et à diuino Platone lib. 12. de legibus hæc verba ſcribuntur: *Iudicium enim Virgo quædam pudica verè dicitur: pudori autem, atque iudicio ſecundum naturam, odio mendacium eſt.* Et Plutarchus de doctrina Principum libello ait: *Eadem Virgo eſt iuxta Heſiodum, nimirum incorrupta, pudoris, modeſtiæ, & vtilitatis amica.*

Ciuitas à violatione iuſtitiæ, & corruptione munerum appellatur meretrix. Iuſtitia dicitur virgo. Heſiod. Plato. Plutarch.

9. Ieroſolymitana ciuitas temporibus Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, & aliorum Regum iuſtorum, iuſtitiam tanquam Virginem caſtam illibatam, verecundam, incorruptam, ac intactam tuebatur, ſeptámque legum cuſtodia ſeruabat, incorruptam inquam, muneribus, ius ſuum vnicuique tribuentem, malos perimentem gladio, aut coërcentem flagello, bonos præmiis cumulantem. At Chriſti temporibus, de quibus potiſſimum Iſaias vaticinatur, aut Regum iniquorum tempeſtate, Virginem iuſtitiam inuitam, & per vim violauit; à iuſtitia corrupta, & conſtuprata, Ieruſalem dicitur meretrix. Nam ſicut meretrix eſt illa, quæ omnium libidini patet, vel quæ palam turpitudinem exercet, & ex illa quæſtum facit, cuiúſque libido publicè venalis eſt, l. Palam. ff. de ritu nuptiarum C. Meretrices, & 32. q. 4. Et in Gloſſa Partitæ quintæ tit. 14. l. 53. litera C. §. *mala muger.* Sic iuſtitia Ieroſolymitanæ vrbis in iudicandis cauſis, litibus dirimendis, & præſtando iure, ab iudicibus, & ciuibus corrupta eſt, proſtrata iacet, omnium voluptati, & libidini expoſita; Ieruſalem ex iuſtitia quæſtum facit, & in tribunalibus, & prætoriis omnia iura, & litigantium ſententiæ turpiſſimo mercatu erant venales. Hieroſolymæ quadrant hæc Petronij carmina in l. Satyricon:

Ieroſolyma tempore regũ iuſtorũ æquitatem tanquam intactam virginẽ cuſtodiebat.

Ieroſolyma tempore improborum regũ meretrix erat propter conſtupratam iuſtitiam.

Quæ dicatur meretrix.

l. Palam. c. Met. Gloſſa, Partit.

Quid faciant leges, vbi ſola pecunia regnat,
Aut vbi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.
Ergo iudicium nihil eſt niſi publica merces,
Atque eques in cauſa, qui ſedet empta probat.

Petron. *Iuſtitia venalis. Iuſtitia mercatur in quo regnat pecunia.*

Quare ſi iuſtitia huc, illúcque velut proſtibula circumfertur, omnium voluptati obſecundans, Magiſtratus, & iudices æquo iure nuncupãtur lenones.

10. Nec iſta expoſitio à modo loquendi ſacræ Scripturæ diſcrepat, in qua iudices iniqui, & iuſtitia dicuntur muneribus corrupti. Micheæ cap. 3. verſ. 9. *Abominamini iudicium.* Chaldæus legit: *Conſuetudinem iudicij corrumpitis.* Oſeæ c. 5. *Calumniam patiens eſt Ephraim fractus iudicio.* Quia quando quis in cauſa calumniam patitur, iuſtitiæ virginitas frangitur. Septuaginta legunt: *Conculcauit iudicium.* Et velut procax mulier ab omnibus conculcatur, vt lutum platearum: & ibidem ſanctus Hieronymus ait: *Qui enim calumniam patitur, & frangitur, iudicium eius iniquè opprimitur.* Sumptâ ſimilitudine à femina, quæ per vim comprimitur. Et Eccleſiaſtici c. 20. verſ. 2. *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per vim, iudicium iniquum.* Eunuchi erant cuſtodes Virginum. Si eunuchus cui incumbebat Virginem intactam, & incorruptam ſeruare Regi, eamdem illata vi conſtuprare audeat, grauiter delinquit; ſic iudex, cui à Deo omnium Regum Domino, Iuſtitiæ velut cuiuſdam adoleſcentulæ, virginiſq; pulcherrimæ illibatæ, & intactæ cuſtodia, & protectio committitur, eam violet, & corrumpat, omniúmque voluptati, & libidini exponat, grauiſſimum admittit ſcelus. Vnde Tullius lib. 1. ad Atticum ait: *Afflicta Reſpublica eſt, empto, conſtuprato que iudicio.*

Iudices muneribus corrupti dicuntur. Chald.

Iudices iniqui Virginis iuſtitiæ conſtupratores. Lect. Lxx. D. Hieron.

Tul.

11. Altera expoſitio aſſignari poteſt, quæ cum præcedenti coincidit. Iuxta ſignificationem verbi Hebraici זונה *zona*, quod non ſolùm ſignificat meretricem, ſed cauponam. Radix *zun* denotat varia eduliorum genera, quæ ſolent vendere cauponæ. Ioſuæ cap. 2. verſ. 1. *Mulieris meretricis.* Hebraicè: *caupona.*

Altera commẽtatio iuxta ſignificationem verbi Hebraici zona, propenitur Meretrix, & caupona.

Caupone. Ioël cap.3.verſ.3. *Puerum cum caupona.* Et connectitur, hæc ſignificatio cum verſione Septuaginta Interpretum in verbis ſequentibus, vbi legunt: *Caupones tui miſcent aquam vino.* Et eſt ſenſus ciuitas Ieruſalem, quæ antea erat domicilium virtutis, & ſanctitatis cóuerſa eſt in diuerſorium cauponæ. In ea fures & malefici, lenones, homicidæ, meretrices, pueri cincinnati, & meritorij, homines perditi, & diſſoluti commorantur. Illuc omnium ſcelerum eluuies confluxit, & conuenit. Hæc interpretatio cum illis verbis: *Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* Caupona apud iuris peritos malè audit, & ferè pro meretrice, aut diuerſorio impudicarum fœminarum vſurpatur. l. Palam. ff. de ritu nuptiarum: *Lenas eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt: ſi qua cauponam exercens quæſtuaria corpora habeat (vt multæ aſſolent ſub prætextu inſtrumenti cauponij, proſtitutas mulieres habere) dicendum eſt, hanc quoque lenæ appellatione contineri.* Ciuitas Ieruſalem, Principes, Magiſtratus, iudices, lenones, lenæ, cauponæ appellari poſſunt, quia iuſtitiam, & æquitatem quaſi proſtitutas omnibus fœminas, in ſuo diuerſorio continebat, ex iiſque quæſtum faciebat. Pulchrè Cicero ad rem noſtram ait, lib.2.officior: *Nullum eſſe vitium tetrius, quam auaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus: habere enim quæſtui Rempublicam non modo turpe eſt, ſed ſceleratum, & nefarium.* Sed iuxta prædictum ſenſum, ſi placet exponamus ſingulas ſententias.

Lect. L x x.

Ieroſolyma erat diuerſorium caupona, in quo omnium ſcelerum colluuies.

l. Pal. ff. de rit. nupt. *Caupona, & lena quæ fœminas quæſtuarias proſtituit.*

Ieroſolyma habebat iuſtitiam proſtitutam, & quæſtuariam. Cicer.

12. Civitas fidelis.] Nunc aptè intelligitur Ieroſolymitanæ Reipublicæ inſignis iſte titulus honoris, & gloriæ: *Ciuitas fidelis.* Id eſt, quæ tam legalis erat, vt nec iota, nec apicem à legibus diuinis, & humanis tranſiret. Vide Tullius lib.5.offic. ait: *Fundamentum iuſtitiæ eſt fides, id eſt dictorum, conuentorúmque conſtantia, & veritas.* Et poſtea: *O fides alma apta pennis, & iuſiurandum Iouis: qui igitur iuſiurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iouis Optimi Maximi, maiores noſtri eſſe voluerunt.* Habebat Deus in Sion vnum fidele iudicum conſilium, vnam in orbe terrarum fideliſſimam ciuitatem, quæ ius dicebat in populos, & ad ſummam veritatem exigebat. Nunc propter amicos, aut propinquos, aut expectatione munerum leges conculcat, & proterit, iuſtitia omnibus proſtituta meretricio more.

Ieroſolyma fidelis dicebatur à fideli legum, & iuſtitiæ obſeruantia. Tul. *Fides eſt fundamentum iuſtitiæ.*

13. Plena iudicii.] Plena erat Ieruſalem legis peritis, & iudicibus integerrimis, præſertim ætate Dauidis, Salomonis, temporibus etiam Regis Ioſaphat, qui fuit auus Regis Oziæ, quo imperante hæc Iſaias verba protulit. De Ioſaphat narrat lib.2.Paralipom.cap.19.a verſ.5. *Conſtituit iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda.* Et verſ.8. *In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem, & cognationem, vbi unque quæſtio eſt de lege, de mandato, & ceremoniis, de iuſtificationibus: oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros.* In quibus verbis diuerſa tribunalia, & domicilia iuſtitiæ in Republica Ieroſolymitana conſtituit. Et Dauid Rex de Regia Ieroſolymorum curia hoc carmen memoriæ prodidit. Pſalm. 121. verſ. 5. *Illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.* Addit ſanctus Chryſoſtomus in commentario Pſalmi: *Illic iudices ad quos, quæ multorum captum ſuperabant, referebantur. Si qua enim lata eſſet ſententia in aliis ciuitatibus, de qua dubitaretur, vt eueniret in appellationibus, ad iudicem, qui erant Ieroſolymis, cognitionem, ſententiam referebant. Illic autem accipiebatur ſolutio.* De eadem ciuitate hoc elogium literis mandauit ſanctus Cyrillus Alexandrinus prædicta Iſaiæ verba commentatus: *Illuſtris, ac ſpectatiſſima, & admiratione digna fuit, ac percelebris, in qua iuſtitiæ fructus, opulenter, & affatim effloruit, eratque Chriſto accepta. Extiterant enim in ea Prophetæ, ac Sacerdotes, & qui iuſtitiæ muneribus fungebantur, multitudinis quoque præfecti iudicij tenaces, & cuſtodes fuerunt. Legémque in lingua habuerunt.*

Ieroſolyma olim plena legis peritis, & iudicibus probis.

Rex Ioſaphat iuſtitiæ tribunalia inſtituit.

Regia Ieroſolymorum curia conſiliis abundans. D. Chryſoſt.

Iſraëlitæ ad Ieroſolymitanos iudices recurrebant in appellationibus.

D. Cyrill. Alexand.

14. Ivstitia habitavit in ea.] Verbum Hebraicum לון *Lun, pernoctare, hoſpitari, commorari* ſignificat. Præterea *vigilare,* & in aliquo negotio, *ſolertem, & aſſiduum eſſe,* Iob cap.41. verſ. 13. *In collo eius morabitur fortitudo.* Hebraicè: *vigilabit.* Prouerb.cap.19. verſic. 23. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur.* Hebraicè: *vigilabit.* Zachariæ cap.5.verſic. 4. De volumine volante, dicitur: *Commorabitur in medio domus eius.* Hebraice: *vigilabit.* Et verbum Græcum κοῖμαι, ſignificat *dormire, cubare ad dormiendum, pernoctare, & reclinare ad capiendum ſomnum.* Vnde Septuaginta transferunt: *In qua dormiuit iuſtitia in ea.* Sanctus Hieronymus: *requieuit.* Cum Aquila, & Theodotione, Chryſoſtomo, Baſilio, Cyrillo, Procopius: *requieuit.* Euſebius Cæſarienſis lib.2. demonſtrat. Euangel.cap.30. *In qua iuſtitia ſomnum cepit.* Illuſtris eſt lectio, & ſcholium Chryſoſtomi: *Demorata eſt, habitauit, & tabernaculum fixit, hoc eſt, plantata eſt, radices egit, cum alacritate ab omnibus incolis ciuitatis, cum laude directa eſt, & perfecta.*

Significationes variæ verbi Hebraici: Lun.

Lect. Hebr. *Iuſtitia, vigilia, & ſomnus.*

D. Hier. Aquila. Theodor. D. Chryſ. D. Baſil. D. Cyrill. Proc. Euſeb. Cæſar. D. Chryſ.

15. Ivstitia habitavit in ea.] In qua ſacras ædes habebat iuſtitia, & proprium domicilium. In Ieruſalem erat commune pauperum, pupillorum, viduarumque perfugium. Hic iuſtitia habebat ſuas aras, & locos, in quibus alebatur, & colebatur. De Ieruſalem prolata exiſtima verba illa Demoſthenis orat. 1. *Inexorabilem, venerandámque iuſtitiam colere decet, quam Orpheus is, qui ſacratiſſimas ceremonias nobis tradidit, iuxta Iouis ſolium aſſidere, & omnium hominum facta cernere dixit.* Iuxta veri Dei templum, & thronum iuſtitia domicilium conſtituerat, in foro Ieroſolymitano, in quo iuſtitiam, & negoria forenſia iuſtè tractabantur. *Iuſtitia requieuit, dormiuit.* Id eſt iuſtitia dolo, fraudibus, & laboribus in aliis vrbibus fatigata, & violenter expulſa, in hoc vno, & opportuno requieſcebat diuerſorio; in Ieruſalem habebat cubile, & lectulum, aureámque ſpondam, & Regia opulentia ornatum thalamum, in quo requieſceret, vt eam blandè demulceret ſomno, ſine ſtrepitu, perturbatione, aut tumultu. Non erant fures, non malefici, non homicidæ, qui eam à ſomno excitarent. Sed tanquam dilecta, & Regia ſponſa inter iudicum ſubſellia, aut inter eorum brachia, tanquam in ſtrato pulcherrimo, aut textili ſtragulo leniter recumberet. Optimè ſanctus Cyrillus lib. 1. Glaphyror. in Geneſ. inquit: *Iuſtitia recubuit in ea, hoc eſt, requieuit, & diuerſata eſt, ideo quod in ea multi extiterint legatis vitæ gloriæ illuſtres.*

Ieroſolyma erat olim iuſtitiæ templum.

Demoſt. Orph. *Iuſtitia aſſidet iuxta Iouis ſolium.*

In Ieroſolyma iuſtitia requieuit.

D. Cyrill. Alexand.

16. Nvnc avtem homicidæ.] Qui Prophetarum ſanguinem fuderunt, & Chriſtum Dominum occiderunt. Conuenit cum Iſaia Chriſti

Ieroſolyma à Chriſti ad ... miciata.

lamentatio

lamentatio apud Matthæum cap.23. verſ.37. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Simile vaticinium reperitur in Michæa cap.3.verſ.10. qui cum Iudicibus Ieruſalē loquitur : *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus.* Et ſanctus Cyrillus ibi : *Verè Sion in ſanguinibus euerterunt : Occiderunt enim Prophetas , & vniuerſorum Dominum, Chriſtum inquam, illis addiderunt.* De miſero ſtatu illius Reipublicæ poſt Chriſti necem, & quantum maleficia, & homicidia redundarint, cum ſanguis ſanguinem tetigit diſertè ſcribit Ioſephus lib. 4. de bello Iudaico cap.7. & lib.2.cap. 12. dicens : *Felix, principem latronum Eleazarum, qui per viginti annos regionem fuerat depredatus, aliósque cum eo multos cepit, vinctóſque Romam miſit : aliorúmque quos in crucem ſuſtulit Latronum , vel in communione ſceleris deprehenſorum popularium fuit penè innumerabilis multitudo. Sic autem regione purgata , aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis oriebatur. Hi autem ſicarij vocabantur die claro, & in media ciuitate paſſim quoſque interficientes. Potiſſimum verò diebus ſolemnitate feſtiuis immiſcebantur vulgo, ſicas ſub veſte geſtantes. His inimicos interficiebant, ac deinceps collapſis hominibus , illi inter reliquos de ſcelere querebantur.* Cùm ergo Iſaiæ vaticinium ad hoc vſque tempus poſſit non incongruè extendi, aptè de eo dicitur : *Nunc autem homicidæ.*

D. Cyrill.

Ieroſolyma poſt Chriſti necem plena latrocinijs,& homicidijs.

Ioſeph.

DISCVRSVS I.

Iuſtitia ſicut fulgentiſſima cæli lampas cœtus , & concilia ſapientum illuminat , & ornat.

1. AD lumen iuſtitiæ accedimus,cuius ſplendoribus illuminari cupimus. Dúmque inſpicimus Ieroſolymam , & Iudaicam gentem iuſtitiæ fulgoribus orbam,cui, velut Sol, iuſtitia affulſerat , Regum iuſtorum induſtria exaltata ; & iam è ſolio decidens occubuit ; Iudæis inuolutis ignorantiæ,& iniuſtitiæ caligine renaſcatur nunc in iudicibus, nouóſque orbi fundat radios, nouis gloriæ ornamentis cultores ſuos ambiens. Parari iuſſit lautum conuiuium Ioſeph ſubdolis fratribus, fraterni amoris proditoribus. Non elegit veſpertinum prandium, nec ad noctis tenebras ſympoſió diſtulit, ſed in meridiana luce parauit epulú, ſic cum diſpenſatore domus fatur , Geneſ.cap.43. verſ.16. *Inſtrue conuiuium , quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.* Iuſtus fugit vmbras , odit caliginem. Animi ſui æquitatem in clariori luce examinandam propoſuit. Non quærit latebras innocentia , quæ fulgentis ſolis gaudet aſpectu. Amauit meridiem, vt è regione vmbræ odij,& liuoris; & ex zeli caligine obtenebrato, venditionis conſilio, Ioſephi æquitas pulchrius eniteat. In Ægypto,quæ tenebris noctis offunditur,iuſtitia Ioſephi fulget. Appoſitè ſanctus Ambroſius in Pſalm. 36. inquit : *Ioſeph in Ægypto erat , & lucebat ei meridies,iuſtitia lumen eſt. Quaſi ſupra habes , & educet ſicut lumen iuſtitiam tuam. Habes ergo quod in te luceat,ſi iuſtitiam ſequaris.* Sicut Sol in cœlis iuſtitia in hominis mente fulget : quid mirum, ſi meridiani fulgoris ambiat incrementum. Pulchior ſideribus , ſpectabilior Sole Ioſephi iuſtitia ſuper ſolium regni enituit. Nec miraberis, Solem, Lunam , ſtellas adorantes Solem Ioſephum , in quo iuſtitia tanquam Sol in cœleſti orbe refulgebat. Denique ſuſpiciebant eum conſiliarij Pharaonis tanquam diuinum quiddam , & oraculo auguſtius humano, quos etiam iuſtitia, & prudentia Ioſephi tanquam Sol illuminabat. De Principibus iuſtitia ornatis Plutarchus inquit lib.de doctrina Principum : *Delectatur Deus his , qui ſuam æmulantes virtutem ſemet in honeſtate , & humanitate reddunt adſimiles , atque hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, iuſtitiam, veritatem , ac manſuetudinem. Quibus rebus nihil eſt diuinius , neque ignis, neque lux, neque Solis curſus , neque exortus, & occaſus aſtrorum,nec ipſa æternitas, aut immortalitas.* Etenim iuſtitia in orbe vberiores, & lucidiores radios diffundit quàm cœli luminaria , ex quibus in Geneſi viſibilis machinæ iuſtitiam Deus oſtentauit.

In meridiana luce iuſſit parari epulum Ioſeph.

Ioſephi iuſtitia tanquam lumen fulget.

D. Ambr.

Plutarch.

Nihil eſt diuinius iuſtitia, & æquitate ex Plutarchi ſententia.

2. Caput 1. Geneſis verſ.3.4. introducit Deum creantem lucem : *Dixitque Deus fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus , quod eſſet bona : & diuiſit lucem a tenebris. Appellauitque lucem diem , & tenebras noctem.* In luce ipſa iuſtitia fulget , & æqualitatis diuiſio, dum ius, & munus obeundú luci,& tenebris diſtribuit. Audi Philonem Hebræum lib.quis rerum diuinarum heres,fantem : *Amator iuſtitiæ Deus odit iniuſtitiam, & abominatur , vt ſeditionis, & malorum principium. Sed vbi æqualitatem laudat legiſlator nutricem iuſtitiæ ? Mox in principio cæli conditi. Et diuiſit, inquit, Deus lucem a tenebris , appellauitque lucem diem , & tenebras noctem : diem enim, & noctem, lucem,& tenebras in rebus ordinauit æqualitas.* Itaque iuſtitia caliginem à Sole , & lumine ſegregauit, vt iucundius refulgeret ; amat Sol Solem , & lux lumen ambit , iuſtitiæ luminare magnum ſui muneris iubar oſtendit in luce , vt dum lux exoritur orbi, eam iuſtitia, æqualitatis,& menſuræ pondere, in rota cœleſti libret, & fulgoribus ſuis irradiet.

Cum creatur prima lux, iuſtitia in ea fulget.

Philo. Iud.

Diem, & noctem, lucē,ac tenebras ordinauit æqualitas.

3. Optimum indidit documentum Donato ſanctus Iſidorus Peluſiota lib.1.epiſt.208.dum ſcribit: *Ne legitimum imperium inconditus, atque inconcinnis moribus barbarum reddas : verum rebus ipſi conſentaneis exornes : mœſtu videlicet lenitatem, minoribúſque cum maioribus æquabilitatem impertiens. Ac tum præclarum æquitatis , & iuſtitiæ ignem accende ,ſi,quidem prælucentis iuſtitia probi imperij , ac præfectura igniculus eſt.* Caminus ignis eſt Principis æquitas, pyraque accenſa in editiori montium vertice , cominus, eminúſque ſpectantes fouens, excitans , & illuminans ; ſed verbum πυρσὸν, quod Peluſiota in Græco poſuit, luminare,& accenſam faculam, aut lampadem denotat,quæ ſuo ſplendore reſplendet. Iuſtitia luminare magnum , & ſuper imperij orbem,& ſuper candelabrum facula ardet , & ſplendeſcit,humanum colluſtrans imperium,

D. Iſidor. Peluſio. *Iudicis munus.*

Iuſtitia tanquam luminare accendenda.

4. Apud Ezechielem Dominus Deus Sabaoth triumphali curru vectus apparuit , vt iuſtitiam, & æquitatem oſtentaret in primogenitorum Ægypriacæ gentis cæde, & vindicando populo Iſraëlitico, de neruo ferreo, & dura Pharaonis ſeruitute; Vt cenſet Pradius in Ezech. cap.1. & expreſſa huius viſionis imagine : ſed facies Cherubim, qui throno ſtellis diſtincto,globóque ſapphirino , aut cryſtallino , triumphantem Regem vehunt, inſtar faculæ, aut lampadis ardentes apparent,Ezechiel. cap.1.verſ.13. *Et ſimilitudo animalium, aſpectus eorum, quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.* Quaſi præclarum æquitatis, & iuſtitiæ ignem, & luminaria accendentes , & ſui Principis iuſtitiam prædicantes. Plutarchus cum Phi-

Deus triumphali Cherubinorum curru vectus iuſtitiam oſtendit.

Prad.

Animalium aſpectus quaſi lampades.

Plutarch.

loſopho

loſophorum placitum reieciſſet aſſerentium diuinum numen latere in hyle, id eſt materia cunctis mutationibus obnoxia admixtum, poſtea iuxta

Plato.

Diuini Platonis mentem de Deo, & iuſtitia hæc verba ſubiungit lib. de doctrina Principum: *Sed ſupra nos in ſublimi, iuxta naturam, quæ ſemper eodem modo ſe habet in ſanctis, vt inquit Plato, fundamentis fixus ſedens recta perficit iuxta naturam obambulans. Quemadmodum autem Solem in cœlo, pulcherrimum ſui ſimulacrum, quod ſe ceu ſpeculo repræſentet, oſtendit his, qui ipſum per illum poſſunt intueri: ita in ciuitatibus iuſtitiæ lucem, huiuſque rationem velut imaginem conſtituit.* Vnum, & ſolum Solem in cœlis fixit Deus, qui cœlitum colluſtret orbes, vnum Solem iuſtitiam in terris collocauit, qui vrbes, populos, ſapientum cœtus, ſuis fulgoribus ornet. Inter cœlitum choros Deitatis exemplar Solem poſuit, inter iudicium ſubſellia, Deitatis ſpeculum, iuſtitiam conſtituit ad componendos mores. Tolle Solem cœlis, tolle Solem iuſtitiæ terris, omnia tenebris inhorreſcunt.

Deus pulcherrimum ſui ſimulacrũ Solem in cœlis, & in terris, iuſtitiam accendit.

5. Paradiſi fons in quatuor partitur riuulos. Sed Euphrates illuſtrior, & celebrior, qui Abrahamidæ ſtirpi terminus, & meta terrenæ benedictionis figitur. Geneſ. cap. 19. verſ. 18. *Semini tuo* (dicit Dominus Abrahæ) *dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Pulchrè, magni prærogatiua decoratur Euphrates, qui iuſtitiæ imaginem gerebat, ad quam iuſti benedictio, & beatitudo deducitur. Magna eſt, quæ virtutes omnes ſuis brachiis amplectitur, omnes dirigit, & æquitatis tribuit moderamen. Secundum altiorem intelligentiam expendit ſanctus Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 10. quid ſit Euphrates: *Quod fons (inquit) ſit iuſtitia cæterarum virtutum, quæ virtutes alias illuminet. Prudentia ſine iuſtitia nocet: fortitudo, niſi eam iuſtitia temperet, intolerabilis inſolentia eſt. Iuſtitia ſola eſt, quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes.* Nectit, & fouet omnes, & temperatas ligat æquitatis lacertis, ſed vincula hæc non tenebrarum ſunt & caliginis, quibus iniuſtitia improbos, velut viliſſima mancipia, claudere conſueuit; ſed lucis, & ſplendoris, quo virtutes illuſtrat: *Quæ virtutes alias illuminet,* inquit Ambroſius, ſicut Sol ſidera. Iuſtè iudicum concilia in vrbibus vocat cœlum ſideribus ornatum Caſſiodorus lib. 6. variar. epiſt. 11. *Conſtat felicem eſſe Rempublicam, quæ multis ciuibus reſplendet ornata. Nam ſicut cœlum ſtellis redditur clarum, ſic relucent vrbes lumine dignitatum.*

Fluuius Euphrates titulo magni decoratur, quia iuſtitiæ imaginem præfert.

D. Ambr. *Iuſtitia cæteras virtutes illuminat.*

Caſſiod. *Sicut cœlum ſideribus, lucet vrbs lumine dignitatum.*

6. Denique iuſtitia poſſeſſores ſuos bonorum cumulat felicitate. Cùm natus eſt Noe, pater eius Lamech hoc edidit lætitiæ oraculum, cum nomen filio impoſuit: *Vocauitque nomen eius Noe, dicens: iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Geneſ. cap. 5. verſ. 29. addit Philo Iudæus iuſti, & iuſtitiæ ornatum ſolito acumine lib. *Quod deterior potiori inſidietur,* ſcribens: *Sic enim natura comparatum eſt, vt iuſtitia primum quietem pro labore inducat, quidquid eſt in confinio virtutis; & vitij, ſirſque déque faciens, diuitias, principatum, gloriam, honores, & quæcumque horum germana ſunt, circa quæ plurimum humanum genus ſatagit. Deinde mœrores tollat quos nobis noſtræ actiones conciliant.* Quaſi cornu copia fundit opulenta iuſtitia, diuitias, & glorias, & quidquid ad humanæ vitæ emolumentum, & beatitudinem attinet. Non eſt ſterilis, & infœcunda quandoquidem poſſeſſorem ſuum beat, vberes, & vtiles partus in animam fundit, eſt enim abolitio mœſtitiæ, & laborum lenimen. Denique vtilitatis, & honoris decus mirabili artificio nectit.

Iuſtitia quietem pro labore inducit, & mœrores tollit.

Philo Iud.

Discursus II.

Qui in altis ſedet, priuatis commodis poſthabitis, publico bono, & emolumento proſpiciat.

1. PRæclara laude, imò, & imperio dignus bonæ indolis, qui propriis emolumentis ſpretis, ad communem omnium vtilitatem aſpirat. Hoc eſt vnum ex potiſſimis muneribus, quibus æquitas fungitur, non ſibi ſoli, ſed reliquis riuulos bonitatis diffundere. Tempore famis deſcendit in Palæſtinam Iſaac, & iuſſu Domini manſit in Geraris: *Qui cum interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit: ſoror mea eſt.* Geneſ. cap. 26. verſ. 7. magna præbet æquitatis documenta Iſaac, & communi omnium ſaluti conſulit dum ſupprimit nomen vxoris, & fatetur Rebeccam ſuam eſſe germanam. Id annotat ſanctus Ambroſius lib. de Iſaac cap. 4. dicens: *Rebecca non immeritò ſoror magis, quàm vxor appellatur, eo quod mitis atque pacifica anima communis magis pietatis, quàm ſpecialis copulæ nomen accipiat, & quia vniuerſis magis, quàm vni ſe exiſtimet alligatam.* Sororem vocauit timens Iſaac ſuæ vitæ diſpendium, ne propter vxoris pulchritudinem priuaretur huius lucis vſura, aut improbi ciuitatis incolæ abuterentur Rebeccâ. Proſpexit itaque vxoris honeſtati, & decori, propriæ conſuluit vitæ, omnium ſaluti ciuium prouidit, ſuæ occurrens nequitiæ, ne in tantum ſcelus prolaberentur. Sed perpende Ambroſij acumen: *Quod mitis, atque pacifica anima, vniuerſis magis, quàm vni ſe exiſtimet alligatam.* Licet Iſaac Rebeccæ vero eſſet copulatus coniugio, publicam vtilitatem tanquam vxorem quoque diligebat, cui ſe vinculis pietatis, & dilectionis alligatum ſentit. Egregiè Philo Iudæus lib. quòd Deus ſit immutabilis, inquit: *Abominandi ſunt omnes, qui proprium tantum vtilitatem captant, contemptis cæteris, tanquam ſibi ſolis nati, non item innumeris aliis, patri, matri, vxori, liberis humano generi: & hoc amplius, ſi dicere fas eſt, cœlo, terræ, vniuerſo mundo, ſcientiis, virtutibus, patri, ac rectori vniuerſorum. Cogitandum cuique, non propter ipſum facta eſſe cætera, ſed ipſum eſſe auctarium rerum omnium.* Deum quodammodo æmulatur, qui commune bonum amplectitur, dum orbi vniuerſo, imò, & Deo ipſi naſcitur: & dum omnibus conſulit, fit totius orbis augmentum.

Iſaac præbet documentum æquitatis cũ omnium ſaluti conſulit.

D. Ambr. *Cur Iſaac appellauit ſororem Rebeccam?*

D. Ambr. *Mitis anima vniuerſis cõſulit.*

Philo Iud. *Vir iuſtus rebus totius orbis natus ad emolumentum.*

2. Exhibet ſapiens iuſtitiæ, & ſapientiæ formam cap. 9. verſic. 12. *Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris.* Septuaginta interpretes extollunt verba: *Fili ſi ſapiens eris, tibi ſapiens eris, & proximis.* Quam verſionem ſequutus ſanctus Ambroſius initio Pſalmi 39. hæc præclara verba ſubiungit: *Aduertimus ergo, quia iuſtitia aliis eſt potius nata, quàm ſibi. Commune commodum non ſuum expectat, & alienum bonum pro ſuo ducit emolumento. Beata, & præclara iuſtitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex vno proficiſcitur, atque ad omnes peruenit.* Quàm felix æquitas, quæ omnium commoditati proſpicit, & priuata vtilitate deſpecta vniuerſos maternis brachiis charitatis amplectitur. Proprium diſpendium, ſuum computat lucrum, ſi communem

D. Ambr. *Iuſtitia non ſibi ſoli, ſed aliis omnibus nata.*

nanciſca

nanciſcatur vtilitatem, non eſt illiberalis propriis commodis, quæ tam fœcunda eſt in alienis. Sub communi emolumento, priuatum comprehenditur.

Caſſiod. *Vtilitas publica ante oculos habenda.*

3. Pulchrè Theodoricus Rex apud Aurelium Caſſiodorum lib. 5. variar. epiſt. 18. fatur: *Vtilitas publica ſicut ad conſeruationem reſpicit omnium, ita debet perfici ſtudio, ac labore cunctorum. Quia magnæ laudis occaſio eſt, ſi in cauſa communi aliquid ſingulariter videatur impleri. Facit enim vnde commendetur & reliquis, qui tamen, & ſibi ſe profuiſſe cognoſcit.* Sed magnarum mentium eſt ad tam magnifica ſuſtolli. Tale erat Ioſephi Proregis Ægyptij ingenium, qui in publicis comitiis, & ſapientum conciliis publicam ſalutem curabat. Cuius verba, & dicendi libertatem à ſimulatione, & adulatione alienam, in lib. de Ioſeph ſcribit Philo Iudæus: *Ego* (inquit) *qui non vnum virum curandum ſuſcepi, ſed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, quid agere debeo? Nunquid prodita vtilitate publica, illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne ſeruo quidem decora? emori præſtat, quam loqui ad gratiam, diſſimulata veritate, & vtilitate neglecta.* Quàm generoſi, & maſculi iudicis adoleſcentis auſus, quos nulla temporis iniuria extinguet, ſed ætates omnes celebrabunt, ſicut Ægypti, ſic publicæ ſalutis patrem, & patriæ ſaluatorem.

Philo. Iud. *Iudex ab adulatione alienus eſſe debet, & communi Reipub. emolumento proſpicere.*

4. Si omni ſapientia inſtructum iuuenem æmulari pudeat, liceat velut in ſpeculo intueri in quatuor paradiſi fluentis, de fontium matrice ſcaturientibus, quatuor virtutum inſignia. De paradiſi fonte ſcribit Moyſes Geneſ. cap. 2. verſ. 10. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* In quatuor amnibus quatuor virtutes cardinales agnouit Ambroſius, de Dei ſapientia profluentes: in flumine Phiſon, prudentiam, in Gione temperantiam, in Tigride, fortitudinem, in Euphrate iuſtitiam, cuius ſignificatum dum acutè rimatur, hæc verba ſubiungit lib. de paradiſo cap. 3. *Quartus eſt fluuius Euphrates, qui Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam inſigne iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam. Nulla enim virtutum latiores videtur habere fructus quam æquitas atque iuſtitia, quæ magis alijs quam ſibi prodeſt, & vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens.* Non eſt ſterilis, nec auara iuſtitia, nec alienum ſudorem ſitit, aut bibit ſanguinem, nec ſibi aliorum facultates vſurpat, ſed ſuas facit, in diuites, & pauperes benedictionis, & fœcunditatis effluere fontes, & alienis commoditatibus, poſthabitis propriis, ambitioſa ſolicitudine ſatagit. Cum æquitas vberes ſeſe fundit in partus, totus exultat orbis, oſtendens vberes prouentus.

Quatuor paradiſi flumina quatuor virtutes Cardinales indicant.
D. Ambr.
Euphrates interpretatur abundantia. Præfert inſigne iuſtitiæ, quæ magis aliis quam ſibi prodeſt.

5. A iuſtitiæ tramite deuiabat Petrus, qua optabat Ieſus pro humani generis crimine ſatisfacere, cum animum Chriſti pia quadam imprudentia ſolicitat, vt mortem fugiat, & in Thabor glorificatus permaneat: ex amore Petri, ſed non benè ordinato, quia necdum in cellam vinariam paſſionis, & mortis Chriſti intrauerat; hæc profunduntur verba Matthæi cap. 17. verſ. 4. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum. Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Munus Dei tibi arrogas Petre, Dei, inquam, & iudicis cenſoria poteſtate, & approbatione, in mundi exordio commendantis omnia. Vidit Deus lucem, quod eſſet bonum: vidit Deus terram cœlum, Solem, & Lunam quod eſſet bonum; vidit Deus quod eſſet bonum, vt ſuperna diſpenſatione, tranſitorio lumine, & beatifica claritate, corpus Chriſti ad breue tempus fulgeat, vt in via Apoſtoli delibent lumina patriæ; ſed bonum non eſt, vt fulgor modò permaneat. Bonum iudicauit Deus, vt iuſtitiæ Sol in Cruce occumbat, & mortis obſcuretur nubilo. Apoſtolorum apex bonum iudicat non mori. Erras Petre, dum ab vbertate gloriæ Domini in Thabor inebriatus, ex torrente voluptatis dulciſſimæ delibatus, propriis commodis inhias, poſthabita orbis ſalute. Æquo iure Albertus Magnus in caput 17. Matthæi, Apoſtolum carpit, dicens: *Errat, hoc enim lumen non eſt abſcondendum, ſed ſuper candelabrum ponendum; non ſoli dandum, ſed vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Cur tibi ſoli vendicas Solem, & ſub tabernaculorum vmbraculo claudere cupis luminare magnum, & fulgentem cœli lampadem Ieſum natum illuminare ſedentes in tenebris, vt fulgoribus ſuis illuſtret omnia? Sed verba Petri à malo ſpiritu proceſſiſſe autumat Origenes homil. 3. in Matthæum, qui eum poſtea ad negationem impulit, & paſſionem Domini, & redemptionem generis humani ex eo tempore conatus eſt impedire. Do tibi verba Adamantij: *Ille inquam ſpiritus, qui voluit quantum ad ſe Chriſtum ſcandalizare, vt recederet à paſſione omnibus hominibus ſalutari, ipſe etiam operans hic ſeductorie, vult auellere Chriſtum ſub colore boni, vt non condeſcendat hominibus, nec veniat ad eos, nec ſuſcipiat mortem pro eis, ſed remaneat in monte excelſo cum Moyſe, & Elia.* Quicumque ille ſit ſpiritus, aduerſus extitit ſpiritui Saluatoris, parato ſanguinem profundere pro hominis vita; hic verò arcanum diuinæ ſapientiæ conſilium, & remedium humanæ naturæ ſalutare niſus eſt impedire. Sed Ieſus ſpreta Simonis ſententia, & commodo, publicæ ſaluti conſuluit.

Amor Petri in Thabor nõ bene ordinatus.
Petrus ſibi Soli conſuluit poſthabita orbis ſalute.
Albert. Magn. *Lumen Ieſu accenſum, vt luceat omnibus.*
Petri verba à malo ſpiritu proceſſiſſe autumat Origenes.
Origen.
Malus ſpiritus voluit impedire orbis ſalutem.

6. Quid plura? Ex mundi exordio incolumitas omnium, vnius ſaluti, à Deo præfertur, vt formam iuſtitiæ, & pietatis Regibus, & Dynaſtis exhibeat. Poſt hominis formationem, hanc ſententiam protulit Dominus: *Dixit quoque Dominus Deus: non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Geneſ. cap. 2. verſ. 18. Miror verba, ſed veneror; non eſt bonum! Imò bonum videtur hominem eſſe ſolum. Dum ſolus erat, viuebat ſecurus, necdum formata erat decipula tentationis, impellens ad lapſum, quæ hominem exueret immortalitate; quomodo ergo bonum fœmina malorum omnium origo, mortis ianua, criminis ſuaſoria, hominis ruina, quæ maritum miſeræ mortalitatis multauit ærumnis? Melius ergo videtur hominem eſſe ſolum, quàm malæ ſociæ habere conſortium. Hanc quæſtionem excitat magno ingenij acumine ſanctus Ambroſius lib. de paradiſo cap. 8. *Si igitur viro culpæ auctor eſt mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta?* Sed ſapienter difficultatem diſſoluit dicens: *Verùm ſi conſideres, quia Deo vniuerſitatis eſt cura, inuenies plus placere Domino debuiſſe id, in quo eſſet cauſa vniuerſitatis, quàm condemnandum fuiſſe illud, in quo eſſet cauſa peccati.* In tantum dilexit Deus commune hominum emolumentum, vt illud comparare contendat etiam cum permiſſione mali, & originalis delicti.

In mundi exordio iuſtitiæ formam & communis vtilitatis Deus exhibet.
Cur fœmina bonum dicitur, cum ſit origo mali.
D. Ambr.
Deus curam habuit vniuerſitatis etiam cum peccati permiſſione.

DISCVRSVS

DISCVRSVS III.

Iuſtitia tanquam regia adoleſcentula, Virgo incorrupta, & intacta cuſtodienda iudicibus concreditur.

1. [illegible] virginem integram [illegible] tam moribus [illegible] incolumem, & ulibata [illegible] cuſtodiret, re [illegible] De [illegible] volatilia, & [illegible] bet in arcam [illegible] 7. v. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena. De volatilibus cæli ſeptena & ſeptena. Adhuc & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram* [illegible] quod [illegible] apud Dominum ſeptenarium [illegible] tia ad ſimi [illegible] usque diuinæ clementiæ [illegible] propagator huius ſacrati numeri [illegible] decoratur. Cur numero ſept. Deus detulit plus honoris? Quia virgo eſt, & ab omni permixtione generationis [illegible] Audi ſanctum Ambroſium lib. de Noe [illegible] loquentem, *Et ego arbitror, [illegible] quandam ait hebdomadam qui enumeratur, & [illegible] nerius. Nulli enim miſcetur, nec ab alio gignitur, Ideoque virgo dicitur, quia nihil ex ſe generat.* Poſtea hoc nomen ad [illegible] conſilia [illegible] & Præſulibus apta. *Ergo prudentis, & propoſitum [illegible] in [illegible] & fixa ſententia eſt, non inanis [illegible] ut ſtultis, & [illegible] qui conſilij mutas incerto: & ut improbus, qui non quod verum, & iuſtum eſt, eligit, ſed quod ſibi commodum velit, [illegible] a vero ſecernit a iuſto. Iuſtitia enim ſingularis eſt bonum per ſeipſam ſuo tantum ſpectatur pretio.* Septenarius [illegible] Ambroſij mentem, primum à Deo [illegible] conſtitutum, & [illegible] hebdomadæ æmulatum, ſeptem diebus conſtantem, ſeptimo [illegible] clauſum, poſt [illegible] ad primum. Vnde numerus ſeptenarius [illegible] habetur, & [illegible] nec numero coniungitur [illegible] ab [illegible] foemin [illegible] virginem dictum, [illegible] incorruptus integer, & virgo [illegible] Et ad [illegible] propoſiti virum, & gubernatorem refertur, qui [illegible] non [illegible] nec [illegible] flectitur, nec [illegible] frangitur, ſed iuſtitiam integram, incorruptam, virginemque cuſtodit.

D. Ambroſ.

2. De delicijs, [illegible] Regis æterni, ore Salomonis [illegible] Cant. c. 2. vers. 16. *Qui paſcitur inter lilia* Sed inter quæ lilia [illegible] Reſpondet S. Bernardus ſerm. 70. in Cant. [illegible] *Quæ ſunt ergo illa lilia, ex quibus [illegible] decoris eius? Procede, inquit, & regna propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Lilia ſunt, lilia in [illegible] terra, [illegible] eminentia in floribus [illegible] ſuper odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia [illegible]* Inter virtutes illas delicias [illegible] Sponſus [illegible] propter virginem [illegible] ſymbolum [illegible] eſt. Reg [illegible] manſuetudine, & iuſtitia, tanquam [illegible] virginibus, & ſororibus, [illegible] quarum capita cingunt lilia, & roſæ, & [illegible] documenta Regibus, ei promittit [illegible] hoſtibus [illegible] plus, ſi eas illibatas [illegible] ſeruauerit. Nec illa virtutum deco [illegible] facimus extranea, [illegible] his polleat à [illegible] exordio, ſed

D. Bernard.

[illegible] ſplendidum [illegible] illas, ut [illegible] prægurat, [illegible] quos [illegible]

3. Ne [illegible] Ieſus iuſtitiam dilexit, reciprocus [illegible] ambit. Cantic. [illegible] *Recti diligunt te.* [illegible] transferunt [illegible] *dilexit te.* Origenes homil. 1. in Cant. [illegible] *quitas dilexit te. At ſi dixerit* [illegible] *iuſtitia dilexit te, & veritas, & [illegible] ſingulæ quæque virtutes. Nec [illegible] virtutes eius quæ ungunt Chriſtum.* Ieſum [illegible] in quo ſecuriam [illegible] ut cuſtodiamur incolumes. [illegible] Ieſu iuſtitia corrupta, eius virginitas [illegible] reintegrator orbis, virtutum [illegible] omnes con [illegible] ut tanquam legiſlator, & [illegible] ſeruet incorruptam iuſtitiæ integritatem. Merito: *Æquitas dilexit te.*

Origenes.

4. Inter [illegible] temporis Meſſiæ promiſſa, hoc annumeratur velut ſtupendum miraculum, Pſalm. 84. vers. 12. *Et iuſtitia de cælo proſpexit.* Vel iuxta Hebræum: *Iuſtitia de cælis proſpecta eſt.* Pro virtute iuſtitiæ Cantici verba accipio. Antequam Ieſus in hæc [illegible] corporis membra deſcenderet, [illegible] lutulentis affectibus aſperſa, [illegible] & [illegible] ſordibus inquinata; at Meſſiæ tempore tota reſplendet iuſtitia cœleſtis [illegible] fulgoribus [illegible] cœlorum Rex iu [illegible] ut eam pectoribus infereret humanis. In hoc [illegible] Caietani purpurati interpretationem [illegible] & verborum eius flores delibo: *Iuſtitia de cælis hoc eſt iuſtitia cæleſtis proſpecta eſt. Ante Meſſiam iuſtitia non eſt viſa, niſi de terris, niſi ab hominibus terrenis dicta, & exercitata. Tempore Meſſiæ iuſtitia viſa eſt a cælis inſtituta.* Si iudices terreni, qui à munerum puluere, & luto non excutiunt manus, talis [illegible] terrena & puluerulenta iuſtitia, in quorum [illegible] non proſpicit de cœlo, ſed de terra, [illegible] de auro, [illegible] qu [illegible] cupiditat. Si iudices cœleſtes [illegible] qui terrenis auaritiæ non ſordidantur affectibus, nec [illegible] humoribus; talis & iuſtitia cœleſtis, tanquam de ſido, & ſereno cœlo, de eius ore, & pectore proſpicit [illegible] profert ſententiam incorruptam; de his cœlis iuſtitia innocentia, incorrupta, immaculata, virginea proſpecta eſt.

Lect. Hebr.

Caiet.

5. De terrenis iudicibus corruptam æquitatem præſeferentibus, hæc verba ſcribit Philo Iudæus lib. de iudice: *Sunt enim quidam prætextati inſtituti ad tuendos oppreſſos ab oppreſſoribus, qui tamen non dignantur gratis ferre ſententiam pro cauſa meliore, venales, mercenariique iudices, Quod ſi quis queratur, negant ſe præuaricatos, [illegible] enim litem, quos oportuit, & victam partem [illegible] Quæ excuſatio nequam eſt Oportet enim duo [illegible] ineſſe in ſententia bene indicis, ut ſit incorrupta, & legitima: [illegible] venalis muneribus, iuſtitiam ſuapte natura pulcherrimam, dehoneſtare [illegible] non intelligit, & [illegible] non ſimpliciter.* Mercenarios iudices, [illegible] iuſtitiam miro acumine vo [illegible] Sed premo [illegible] ſententiam: *Iuſtitiam ſuapte natura pulcherrimam dehoneſtare.* M [illegible] iudex [illegible] natur crimine, [illegible] iuſtitiam [illegible] virginitatis ſpoliat, cum muneribus [illegible] iudex, [illegible] bilem, & [illegible] prat, & [illegible] & [illegible] gantium libidini venalem ex [illegible]

Philo.

Dina rapta. 6. Nec grauabor aliud mortale exemplum eiuſdem Philonis expendere, qui in ſtupro Dinæ iudicij tuam innuit mentem. Rapuit ſubdolè, & violenter oppreſſit pulcherrimam adoleſcentem Sichem, Leui ſororem, Princeps Sichem Geneſ. cap. 34. verſ. 1. *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi, Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa vi opprimens virginem.* Hoc infortunium ad mores aptat Philo, ait enim Dinam ſignificare iudicium, quod a nequitia corrumpitur, transcribo illius verba lib. de migratione Abrahami circa finem: *Nam anima tribunal nominatum Dina (vox hæc iudicium interpretatur) in poteſtatem veniat ærumnoſi laboris, inſidiatoris prudentiæ. Nam Sichem, qui loco huic nomen dedit filius eſt Hemoris brutæ naturæ (Hemor enim aſinus dicitur) qui deditus imprudentiæ, alumnus temeritatis, impudentiæque, iudicium mentis violare ſceleſtus, & corrumpere auſus eſt.* Improbus iudex, qui tribunal ſacrum iudicij polluit operibus iniquitatis, æquitatem virginem non cuſtodit, ſed florem virginitatis eripit, maculiſque afficit, cum Principe Sichem Dinam, virginémque iuſtitiam flagitio, & ſtupro violauit.

Philo Iud. Dina iudi: iū interpretatur quod ab improbo iudice corrumpitur.

Sichem filius Hemoris hoc eſt aſini imprudentem, & temerarium iudicem denotat.

7. Inde mundem periculis, intactam criminis, & corruptionis labe iuſtitiam poſſidere optauit Ieſus, pro quo orauit ad Patrem in titulo Pſalmi 58. *In finem ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem.* Sanctus Auguſtinus legit; *Ne corrumpas.* Et exiſtimat eſſe orationem Filij, qua Patrem exorat, ne titulus Regis, & Saluatoris corrumpatur, Hebraicis, Græcis, & Latinis in Cruce exaratus litteris. Do tibi Auguſtini verba: *Quonam ſit tituli huius inſcriptio, quam corrumpi vetat, Euangelium nobis indicat, nam cum Dominus crucifigeretur titulus inſcriptus eſt a Pilato, & poſitus Rex Iudæorum, &c. Et poſtea: Ergo ne corrumpas optimè, & Prophetice Iudæi ſuggeſſerunt Pilato, noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed ſcribe, quia ipſe dixit Regem Iudæorum. Et Pilatus: quod ſcripſi ſcripſi. Et impletum eſt ne corrumpas.* Nomen Ieſu, & Regis inſigne ſuper caput Chriſti tanquam iuſtitiæ corona, & præmium deuicti peccati, triumphati Dæmonis, & mortis imponitur, quia exinaniuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propterea dedit illi nomen Pater, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Optauit, vt iuſtum illud morientis, & mortui epitaphium non decoloretur iniuria, ne corrumpatur Iudæorum inuidia. Et factum eſt iuxta deſiderium ſuum, nec Phariſæorum, aut ſcribarum malitia vnum de titulo tollere iota poteſt. Apud Ieſum non ſola iuſtitia, ſed titulus iuſti Regis perſeuerat incorruptus. *In finem ne corrumpas.* Sed curioſius inueſtigabis, cur titulum ſuſcitati, & glorificati paſſus eſt apud quoſdam improbos pecunia corrumpi. Depraua ta ſunt Iudaicorum Principum contra Ieſum ſtulta conſilia, turpis nummorum largitio in fraudem impulit milites cuſtodientes ſepulcrum, non ſuſcitatum, ſed a diſcipulis furatum corpus Ieſu, auaritiæ fama vulgauit. Matthæi cap. 28. verſ. 12. de Principibus, & ſenioribus, inquit: *Conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes: dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus, at illi accepta pecunia, fecerunt, ſicut erant edocti, & diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſque in hodiernum diem.* Ecce populum inanium meditantem, falſitas, & mendacium teſtis dormientis in monte ſepulcro, & caligine ſceleris ſopor, apud Iudæos præualuit, & corruptus eſt titulus resurgentis. Cum titulo Crucis inſculptas litteratura notas non potuiſſet corrumpere, ſolum occurret in hac reſurrectio. Non erat in monumento aliqua inſcriptio ſacris litteris conſignata, quæ vocem ederet tuba gloriam, Chriſtum prædicaret Regem, erant tamen ſupercæleſtes ſplendores, veſtium Angelici niuei candor, erat fulgens æternitatis claritas, reſurgentem facile comprobarent, niſi Iudæi eſſent rebelles lumini. At in Crucis patibulo erat præclara nominis Ieſu inſcriptio, erat melius ligno titulus Regis, erat in Cruce Dominus Rex Regum, Iudex viuorum, & mortuorum, Saluator, damnans latronem impium, & alterum abſoluens, et deleus chirographum decreti, & triumphans hoſtes peccatum, dæmonem, & mortem, vbi Iudex, & Saluator eſt, omnia debent eſſe incorrupta. Proſpexit decori Regis, confulit titulo Saluatoris, & in illo omnia integra, in puncta, manet culpata manent. Euolet à Rege, & Iudice quantum incorrupta, aut permiſſa corruptio.

Ieſus Patrem orauit, vt titulus Regis, & iudicis incorruptus ſeruaretur.

Titulus Pſal. 58. expenditur.

D. Auguſt.

8. Cum ingreſſus Ieſu Ieroſolymam, & triumphus deſcribitur a ſacris Scriptoribus, dicit Ioannes Euangeliſta cap. 12. v. 13. pueri Hebræorum ſuſtulerunt *Acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam ei.* Quid ſignificent palmæ, audi D. Ambroſius lib. 9. in Lucam cap. 19. inquiens: *Rami enim & palma florent. Et ideo aduentante Chriſto erigebantur iam ſupra humeros hominum decora iuſtitiæ, & inſignia triumphorum. Quid maius tamen, quod operatur myſterium? Etſi neſciat quid miretur, miratur tamen, quia in illo pullo ſapientia ſedet, virtutis inhabitat, hæret iuſtitia.* Virgines in cælis decorantur palma, vbi iuſtitia eſt, palma floret, & viret, habet te cum virgine decoris inſigni.

D. Ambr. Ram palma iuſtitiæ inſignia...

Verſ. 22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam; vinum tuum mixtum eſt aqua.

COMMENTARIVS.

1. HÆc verba accipiunt Eccleſiæ Patres pro verbo Dei, quod corruptum ter propere haberetur, propter eiuſcemodi, & tollit, vino & hominibus doctrinæ, & falſis interpretationibus vſi ſunt, traditionibus. Vide Del Rio adagio ſacro 686. veteris teſtamenti, & Aluarez hic. Del Rio. Aluar.

Verbum Dei cum argento, & vino comparatur.

2. Sed duplex in præſenti expoſitio occurrit, in priore propriè, in ſecunda metaphoricè vſurpantur argentum, & vinum. In priori adhuc deſcribit Iſaias miſeram illius Reipublicæ ſtatum, in qua auri, & argenti ſitis, in ſummis, in infimis adeò exercebatur, vt in commercijs, & contractibus adulterata moneta vterentur. Hoc inſinuant Septuaginta legentes: *argentum veſtrum non probum.* Complutenſis Biblia legit: *Reprobum.* Quam lectionem ſequuntur Cyrillus, Baſilius, Chryſoſt. adulteratam monetam, ſiue reprobam vocat eam, quæ caret materia, pondere, & charactere, quæ ſolent in probata moneta. Ei, vt eſt veriſimile adulterabant Iudæi, vel radentes, decurtantes; aureum, vel argenteum colorem alieno metallo illinientes, plumbum, vel ſtannum cum argento immiſcentes, & ligantes. Vnde venalitij, & mercatores ſuis nundinis, & commercijs corrupta, & falſa moneta vendentes, & emeretes, quæſtuoſiſſimam mercaturam exercebant, dolo & fraude diuites, & pauperes ſpoliantes. Vinum etiam vendebant in popinis non putum, & meracum, ſed aqua miſcebant vt ſuas opes augerent.

Altera huius loci interpretatio proponitur.

Iudæi adulterata moneta vtebantur.

Lect. L x x. Bib. Compl. D. Cyrill. D. Baſil. D. Chryſoſt.

Quos

Lect. LXX
Qui ſint caupones, & quæ ars cauponaria ex Platone.

3. Quos omnes merito Septuaginta vocarunt caupones, dum transferunt verba ſequentia *Caupones tui miſcent aquam vino.* Sed vt maiorem lucem afferam interpretationi, Diuinum Platonem in medium produco, qui artem cauponariam definit lib.2. de Repub.his verbis: *Illos enim oportet in foro manentes, partim quadam pecunia commutare iis, qui aliquid ſunt diſtracturi; partim vero pro pecunia merces dare iis, qui aliquid ſunt empturi: hoc nimirum neceſſitas cauponum genus in ciuitate nobis facit: nunne eos vocamus caupones, qui emptione & venditione operam ſuam, & miniſterium prebent in foro ſtantes?* Et lib.8. de Repub.inquit: *In peregrinorum foro liceat peregrino, opificibus, eorúmque ſeruis, vinum, cibumque commutare, & vendere, carneſque coctas ſimiliter, quæ res à pleriſque cauponatio appellatur.* De dolo malo, fallaciis, & fraudibus cauponum ſubdit pulchra verba, quæ præſentem locum explicant, & illuſtrant lib. 11. de Repub. *Vulgus hominum immoderata cupit, & cum mediocria lucrari liceat, inexplebili quadam lucrandi cupiditate tenetur. Itaque omnia hominum genera, quæ in cauponatione, mercatura, diuerſoriique verſantur, obnoxij ſunt opprobrio.* Et eodem lib.ſubdit: *cauponandi gratia domos ædificant, oblato diuerſorio tempeſtate pulſos ſuſcipiunt, & caloribus peſſos recreant. Verum deinde non tanquam amicos hoſpitalibus muneribus donatos remittunt, ſed vt inimicos, atque captiuos ſe redimere crudeliter cogunt, rebuſque omnibus ſpoliant.* Quæ omnia ſceleribus, & fraudibus Iſraelitarum, quas in præſenti inſinuat Vates, aptiſſima ſunt. Eamque interpretationem inſinuat Chryſoſtomus in Commentario ſcribens: *In præſenti loco ipſa proponit crimina iuxta cuiuſque ſpeciem. Ante omnia quod malorum eſt, & primum, & medium, nempe Philargyriam, congerendæ pecuniæ inexplebilem auiditatem, & quæ circa commercia, contractúſue verſatur artem cauponariam. Indico indignum non eſſe, vt eximius hic intelligentiáque ſublimi ornatus Eſaias in redargutionem deſcendiſſet aſtutia nummulariorum, & cauponum corruptelæ.* Nec immeritò a diuino Vate redarguuntur hæc flagitia, cum tales falſarij rei ſint læſæ maieſtatis. Vt dicit Vlpianus l. quicumque, lib. 8. *Quicumque nummos aureos partim raſerint; partim tinxerint, vel finxerint, ſi liberi ſunt, ad beſtias dari, ſi ſerui, ſupremo ſupplicio affici debent.* Quapropter Iſaias etiam in ſequentibus gladium, & ignem Iudæis minitatur.

Plato. Plato. Plato.
Cauponum fraudes.
D.Chryſoſt.
Cauponum, & nummulariorum reprehenſio non eſt Iſaia indigna.
Vlpian.
Monetam adulterantes rei ſunt læſæ maieſtatis.

Secunda expoſitio.

4. Secunda expoſitio nectitur cum expoſitione verborum antecedentium: *Quomodo facta eſt meretrix.* Ibi diximus Ieroſolymam appellari meretricem à iuſtitia proſtituta, & muneribus corrupta propter contextus ibi allatos. Id confirmat Thargum Ieroſolymitanum legens: *Quomodo conuerſa eſt ciuitas fidelis, vt eſſent opera eius ſicut opera meretricis? Quæ erat plena operantium iudicium, & veritas fiebat in ea, nunc autem ipſi ſunt homicidæ?* Iuxta cuius expoſitionis nexum argentum, & vinum metaphoricè accipitur pro lege, quam iudices obſeruare debuerunt. Argentum legem Dei denotat, vt teſtatur Regius Pſaltes. Pſalm. 118. verſic.72. *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* In quæ verba ſanctus Ambroſius octonario 9. fine, ſic fatur: *Non quicumque hoc dicit, imò rarus hoc dicit, id eſt, qui legem Dei auro, atque argento præfert, qui poteſt propter legem Dei omnia relinquere. Non auarus hoc dicit, qui defoſſo auro incubat,* &c. Et Chaldæus Paraphraſtes ad ea verba Cantic. cap. 1. verſic. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento;* legit: *Dabo tibi duas tabulas lapideas ſplendidas ſicut aurum optimum, in quibus ſculpta ſunt decem verba, quæ expurgata ſunt magis, quam argentum.*

Lect. Tharg.
Argentum & vinũ nuncupãtur lex.
D.Ambr.
Lect. Chald.

Cur lex argentum dicatur.

5. Lex appellatur argentum propter ſoliditatem, puritatem, & incorruptionem. Et eſt ſenſus: obſeruatio legis apud Iudæos, non eſt ſicut argentum purum, ſed adulteratum, immixtum ſtanno fauoris, plumbo amicitiæ, munerum ſordibus, & ſcoria. Vocatur ſcoria, ſpurcitia, ſiue ſordes, quæ ex metallo inter coquendum veluti ſpuma quædam expurgatur, & reiicitur, vt notat Plinius lib.33. cap. 4. hoc ſtannum, & ſcoriam, & purgamenta a legis, & iudicij argento ablaturum promittit Deus, igne, & conflatorio tribulationis, & captiuitatis verſic. 25. & 26. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius.* Munera pro quibus iudices Ieruſalem iudicabant, vocat argenti ſcoriam; & à iuris prudentibus nuncupantur ſordes, vt refert Vlpianus leg. ſi filiusfamilias lib. 15. de iudicibus: *Iudex tunc litem ſuam facere intelligetur, cum dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit. Dolo autem malo hoc facere videtur, ſi euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes.* Id eſt corruptio per pecuniam, vt notat Petrus Gregorius Toloſanus, ſyntagm.lib.36. cap.28.

Argenti ſcoria, & legis ſordes ſunt munera.
Plin.
Vlpian.
Toloſ.

Quæ ſit argenti rubigo?

6. Eumdem ſenſum continet numerus quartus cap. 25. Prouerb. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum: aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Chaldæus legit: *Colligite ſcoriam de argento, & eiiciatur impius de vultu Regis.* Sicut enim argentum rubigine exeſum vitium contrahit, ſic Rex, & Princeps, qui in legis ſinceritate, & obſeruatione debet eſſe quaſi vas puriſſimum, ex iniquitate, iniuſtitia, vel conſiliario iniquo, rubiginem contrahit, & ſcoriam iniquitatis, quæ regiam gazam erodit, & deuorat. Itaque Principes, Magiſtratus, qui non iudicij recti formula, veritatis, & legis norma, ſed ira, amore, aut cupiditate ſententiam proferunt, retributionum ſcoria, aut ſordibus munerum corrupti, non argentum purum, ſed argenti ſcoria nuncupantur. Amore pecuniæ, & argenti, aurum, & argentum puriſſimæ legis in ſcoriam, & ſordes immutant.

Lect. Chald.

Vinum eſt ſymbolum legis.

7. Vinum, ſymbolum eſt legis. Legem Dei digito ſcriptam vocat Chaldæus vinum.Cant.cap.1. verſ.3. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Vbi legit: *Da nobis legem de theſauro tuo.* Aptè leges vinum dicuntur, quia vt ait Plutarchus lib. de tuenda bona valetudine: *Aqua,vini vis, rigorque lenior redditur.* Et poſtea: *Cum vehemens, & velocis efficacia ſit vinum, aqua mitigatur.* Ita etiam vis, efficacia,& rigor legis, aqua fauoris,amicitiæ, aut doni temperatur,mitigatur. Feruor, zeluſque iudicum in ſtricta, & exacta obſeruatione veritatis,& legis efferueſcens, immiſſa aqua de munerum ſcaturigine, auri, & argenti limpidiſſimis fontibus hauſta, mutuata, ſtatim deferueſcit. Quapropter vinum legis apud Ieroſolymitanos Iudices non erat meracum, acre, viridum,& igneum, ſed prædicta aqua temperatum, & dilutum, robur amiſerat; legeſque diuinæ,& humanæ aquæ, remiſſæ,ſine virtute, ſine obſeruantia languebant. Quia verò Iudices Regiæ Sion vinum legum, cum fauoris, & muneris aqua temperabant, & ex iudicandi mu-

Lect. Chald.
Plutarch.

nere, quo fungebantur, mercaturam,& quæſtum faciebant cauponum inſtar, ideò dixit Vulgatus: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* Et Septuaginta legunt: *Caupones tui miſcent aquam vino.*

Lect. Lxx.

Discvrsvs I.

Sermo ſacer tunc Deo placet, dum caſtitatis ſpeciem præſefert, & diuinorum alloquium nitore puritatis fulget.

1. Patrvm interpretamenta ſuſpicimus, argentum pro ſacro eloquio in hoc Iſaiæ teſtimonio vſurpantium; cum iiſque Euangelicum Eccleſiaſtem, ad populum de ſuggeſtu declamantem inſtruimus, vt ſit pudicus verbo, & in ſuis ſermonibus decor caſtæ eloquentiæ niteat, ne ſint verba diuinorum vano ſordidata faſtu, ſed à paleis, & ſcoria indecoræ ſuperfluitatis ſequeſtrata; argentum verbi cœleſtis ad putum excoquat, & mentis conflatorio expurget, vt tanquam argentarius fidelis Eccleſiam Chriſti, ſermonum murenulis exornet. Sit in ſermone puritas, quam Regius Pſaltes exoptat. Pſal. 11. verſ. 7. *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Quatuor inſignia, Propheta requirit in verbo Domini, quod caſtum, quod examinatum, quod probatum, quod purgatum. Ne ex ore tuo effluat verbum inuerecundum, inexaminatum, reprobum, adulterinum, aut ſcoria garrulitatis permixtum: Dictio *teboroth, purum, mundum, caſtum denotat; examinatum.* Hebraicè eſt: *tſaruph, excolatum, examinatum, purgatum.* Vt notat Eugubinus Epiſcopus Kiſamus, & ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarius. Sed audiendus eſt ſanctus Ambroſius; qui argentum nitidum, & perpolitum exhibet lib. 9. epiſt. 72. Eius verba referuntur in Iſagoge. Sanctis Pagnini lib. 4. cap. 6. *Aliud aurum, aliud argentum à te quæritur, hoc eſt ſenſus bonus, verbum optimum. Hæc ſunt munera Dei eloquia Domini, eloquia caſta. Gratia ſenſus tui nitor caſti ſermonis exigitur; ſplendor fidei, non tinnitus argenti.* Senſum bonum exigit Mediolanenſis Antiſtes, ne ſenſum ridiculum ex Dei alloquio depromas; ne argentum purum, nugarum, aut ineptiarum ſordibus inquines, ſed nitida, & pura fluenta ex ore tuo decurrant, quæ niteant fidei ſplendore cœleſti, in quibus ſint ſpecies caſtitatis, & puritatis forma. Sit talis ſermo, quem approbet Chriſtus. *Probatum terræ,* inquit Vates. Sed quæ terra probationis, niſi Ieſus, quæ ſermonem, aut probat, aut reprobat? Nomine terræ Chriſtum intelligit ſanctus Hieronymus in Pſal. 11. dicens: *Probatum terræ, id eſt Chriſtus Dominus, qui venit in humanitate illa pro parte carnis, quem ex Maria accepit, quaſi terram Dominus ſuſcepit.* Felix ſermo, cui Chriſtus aſſentire videtur, felix concio Domini approbata clamore; ſed tunc hoc poſſidet munus gratiæ, cum aſſimilatur terræ innoxiæ, immaculatæ, ex qua flores caſtimoniæ pullulant. Ad rem noſtram locum Pſalmi illuſtrat Venerabilis Beda dum ſcribit: *Eloquia caſta erunt comparabilia caſtæ mulieri, quæ eadem ſe exhibet præſente, & abſente marito,* Et ſubdit: *Ita erunt certa, quod erunt argentum igne examinatum, id eſt, ita nitida ſicut argentum igne recoctum, quod probatum eſt terræ, id eſt prorſus caret terrena fæce.* Caſtus ſermo ſicut mulier pudica, quæ ſeruat fidem marito, ſicut argentum perpurgatum, quod ſit à terrenæ labis contagio immune.

Diuini eloquy inſignia.

Lect. Hebr. Eugub.

D. Ambr.

Sanct. Pag.

Qualis ſit nitor caſti ſermonis.

Bonus ſermo à Chriſto approbatus. D. Hier.

Beda. *Qualis ſit eloquy caſtitas.*

2. Amat verbum Patris puritatis fons, verbum caſtum, & incontaminatum, verborum cœleſtium odore caſtiſſimo attractus in vterum Virgineum, ſanctitatis, & puritatis aulam deſcendit. Fallor niſi hoc ſponſa nobis annuntiat. Cant. cap. 6. verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* In quæ verba Pſellus apud Theodoretum fatur: *Arcanâ ratione deſcendit ſicut imber ſuper lanam, ſicut ros in vellus; in vterum puræ, atque immaculatæ Virginis, vt in aromatum diuinorum phialam mundam. Vnde in animas hominum puras influxit. Has enim tu Rex phialas aromatum intellige, hortum autem hunc mundum in quem deſcendit Chriſtus, vt fideles ſanctis paſceret eloquiis. Diuina enim eloquia vocantur lilia.* Mirum quod Cherubico throno potius elegerit Virginis tabernaculum, vt exinde auream, & argenteam verbi pluuiam, & rorem ſapientiæ, cœleſtiſque alloquij implueret in cordium, & animarum phialas, vt exinde ſcaturirent ſapientiæ, & ſermonis riuuli. Venit enim in mundum, abbreuiatum Dei Verbum, vt diuinorum eloquiorum conuiuio fideles paſceret. Sed ille, qui tanquam pluuia in vellus, & tanquam ſuper flores venit, puritate eloquij gaudet, caſtiſque ſermonibus, & virginali decore ornatis paſcitur, quorum ſymbolum lilia. *Diuina enim eloquia vocantur lilia.* Quia aureo fulgore ſapientiæ, candidæ, caſtæque eloquentiæ puritate reſplendent hæc lilia; hos flores ſponſus colligit, & velut faſciculus, miri odoris halitum ſpirantem naribus admouet.

Pſel. Theod. *Verbum Dei in vterum Virginis deſcendit, vt virgineis eloquiis nos paſceret.*

Diuina eloquia propter puritatẽ vocantur lilia.

3. Cùm apud Lucam Euangeliſtam dies prædicitur extremus, hanc parabolam Chriſtus profert: *Duæ erunt molentes in vnum.* Lucæ cap. 17. verſ. 35. quæ verba ad mores refert Abrahami, & cuiuſcumque ſapientis ſanctus Ambroſius lib. de Abraham c. 5. *Intribus* (inquit) *cenſus ſapientis: in cenſu, in ſermone, in mente.* Et paucis interiectis: *Et mens igitur maior eſt, quia ipſa eſt, quæ molit ſpiritale frumentum, vt purgationem ſenſuum, ſermonumque proferat.* Præclaræ mentis munus eſt, ſpiritale ſapientiæ terere granum. Purgamentis terrarum, & palearum ſpoliare quiſquiliis, vt granum candidum, & mundum in horreis Domini condat, ex quo conficitur panis cœleſtis verbi. In eôque nihil inueniet purgatorius ignis, quod exurat.

D. Ambr. *Mens molit ſpiritale frumentum, vt verbum purgatum proferatur.*

4. Timeant concionatores declamationem Pauli 1. Cor. cap. 3. verſic. 12. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Purum, & caſtum ſermonem nuncupat aurum, argentum, lapides pretioſos; ligna autem, fœnum, ſermones inutiles, & vanos. Audi ſanctum Anſelmum in hunc locum Apoſtoli: *Ignis probabit opus, id eſt doctrinam vniuſcuiuſque, quia enim per ignem examinatio fiet, ſi in aliquo non inuenerit, quod exurat, manifeſtabit illum, bonum fuiſſe doctorem. Mala verò, & adultera doctrina idcirco per ligna, & fœnum, & ſtipulam ſignificata eſt, vt oſtenderetur fore ignis eſca: quod tamen non de hæretico doctore debet intelligi, ſed de catholico, qui non rectè docuit.* Sit ergo doctrina non adultera ſed caſta, nec pigmentis ambitioſæ loquacitatis compta, ſed pudica, & modeſtiæ ornata fulgoribus, in câque ignis non ardebit, habet enim grauitatis ſuccum, dulcedinis fructum.

Sermo caſtus aurum, & argẽtum, ſermo adulterinus fœnum, & ſtipula pabulum ignis. D. Anſel.

5. Quid plura? Senſus, & verba ſacri ſermonis, imperturbatæ mentis librentur examine; animæ partus, ſigna conceptuum apparent deargentata, cùm à limpidiſſima mentis ſcaturigine; verborum omnium pondera diligenter examinantis, manant. In quo ſenſu accipit verba Iob cap. 28. verſ. 1. *Habet argentum venarum ſuarum principium.* Venerabilis Beda, dum inquit: *Venæ argenti, id eſt initium eloquij ab animæ ſenſibus oritur: ſenſus verò aureus, rationis ac ſapientiæ iudicio fabricatur, & vt ſit optimus, ab igne diuinæ examinationis probatione conſtituitur.* Piè, acutè & purè declamabis, ſi verba oriantur à ſenſibus, & ſenſus ipſi à Deo ſumant exordium, qui ſupercœleſti æternæ legis, & ſui beneplaciti fulgore, mentis, & iudicij humani examine, eos illuſtret.

Beda.

Eloquium aureum, & bene examinatum.

6. Dices cur in ſermocinantibus, virgineo decore ornatum verbum Deus exoptat? quia virginalem pudorem auet in audientibus. Ex caſto verbi ſemine humana terra ſato, Virginum flores pullulant. Zachar. cap. 9. verſ. 17. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Frumentum, & vinum verbum Dei interpretor cum Vatablo, Iſidoro, & Roberto. Nec diſſentit Chaldæus legés: *Nam quod bonum, & quæ pulchritudo? Doctrina legis, & indicium pulchritudinis ſtabilitum in Eccleſiis.* Accuratè, & exquiſitè Rupertus ex hoc loco conceptum eruit. Do tibi illius verba: *Verè bona Domini eſſe ſentit, quiſquis frumentum, & vinum ſpiritualiter intelligit. Nam frumentum Domini eſt verbum Domini, & vinum Domini eſt ſpiritus Domini. Sicut frumento viſibili fames expellitur corporis, & vino non ſolùm extinguitur ſitis, ſed & vegetatur calor naturalis, ita verbo Dei anima viuit, & dulcedine Spiritus ſancti prouocatur mens ad amorem Dei. Hoc à tempore prædicationis Euangelicæ ſic abundanter cœpit fieri, vt ſicut tempore meſſis ſolet apparere plenitudo agri frumentarij. Et ſicut in abundantia roris, vel imbris temporanei, & ſerotini, germen arridet horti beneculti, vernantibus roſis, & candentibus liliis, ita per orbem vniuerſum paſſim expectentur, & electus ſexus virilis, & virgines ſexus fœminei. Quid aliud beatam Trinitatem magis quàm hoc ſpectaculum in hoc mundo delectet?* Hæc Rupertus: Quàm ferax Dei verbum purè ſparſum, caſtè ſeminatum; terra cordis humani his grauidata ſeminibus, caſtitatis roſas, virginitatis lilia germinabit. Non germinant virgines leges Platonis, nec declamationes Demoſthenis, non Frontonis Rhetorica, nec Tullij aureum eloquentiæ flumen; ſed Chriſtiani oratoris ſermo, de diuinæ ſapientiæ fluentis mutuatus, granum frumenti, & vinum de cellariis ſacræ Scripturæ, & Doctorum Eccleſiæ de promptum caſta verborum eloquentia prolatum, & ſparſum. Expende verba Zachariæ: *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Ex frumento, & vino verbi Dei tunc virgines efflorefcunt, cum ſpiritale frumentum ſelectis verbi Dei miniſtris commendatur, quos vitæ probitas, & doctrinæ integritas ab aliorum turba ſecernit.

Caſtum eloquium virginales procreat.

Vatab. Iſid. Robert. Chald.

Rupert.

7. Denique tales decet eſſe ſermones, quales S. Ambroſius format; ante oculos conſtituit verbi vtilitates, & caſtæ orationis imaginem lib. de bono mortis cap. 5. aperiens arcana ſponſi verba, quæ diuinis exundant myſteriis. Cant. cap. 5. verſ. 1. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Vires, & inſignia verbi ſapientiſſimus Doctor enumerat, cùm inquit: *Perfunduntur autem diuini ſermonis vnguentis, & fortiore cibo verbi velut pane, & ſuauiore ſermone velut melle curantur quædam vulnera delictorum. Sermones autem cibos eſſe docet, & alibi Salomon dicens: faui mellis ſermones boni. In illo ergo horto ſermones boni ſunt, alius, qui culpam coërceat, alius, qui iniquitatem corripiat; alius, qui mori faciat inſolentiam, & velut ſepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus ſuis renuntiat. Eſt etiam ſermo fortior, qui confirmat cor hominis validioribus Scripturæ cœleſtis alimentis. Eſt etiam ſermo ſuaſorius dulcis vt mel, & tamen peccatoris conſcientiam in ipſa ſuauitate compungens. Eſt etiam feruentioris ſpiritus ſermo, qui inebriat ſicut vinum, & cor hominis lætificat. Eſt etiam lacteus ſermo purus, & candidus. Hos cibos dulcium vtiliúmque ſermonum epulandos ſponſus proximis ſuis dicit: edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei.* Hæc Ambroſius de Diuini verbi præconibus fatur.

Caſtæ orationis vtilitas, & prouentus.

D. Ambr.

Discvrsvs II.

Sermo nimis fucatus, & occultus, Animarum ſaluti obſtat, & contra naturam mentis militat.

1. QVIS ambigit verborum delectum originem eſſe eloquentiæ: ſed verbum non debet eſſe inſolens, aut inuſitatum, de pharetra abſtruſæ, & reconditæ verboſitatis erutum, aut affectatæ obſcuritatis velamine occultatum; ſit verbum non fallax, non fucatum, non artificio ſimulatæ eruditionis comptum, ſed ſit in eo perſpicuitatis ſplendor, grauitatis nitor, ſine vllo fuco veritatis color. Ideò Deus homini inter reliqua animantia ratione carentia, loquendi facultatem indidit, vt verbum eſſet animi ſignum, & nota, verbáque conceptus intimos mentis exprimerent. Ideo ſermonis diuini hæc eſt proprietas vt ſit breuis, dilucidus, ac diſertus, vt argutè ſcribit S. Baſilius homil. in illud, attende tibi: *Ita enim* (inquit) *Spiritus ſanctus ſuum moderatus eſt, ac diſpenſauit ſermonem, vt contractus ſit, & breuis, quo fit vt verborum compendio multa explicet, ac proinde propter conciſam breuitatem facilè memoria tenetur. Eſt enim eius ſermonis virtus natiua hæc, vt quæ ſignificantur, non occultet obſcuritate, nihilque complectatur, quod ſuperuacaneum ſit, aut vanum, vel certè circumfluat vllis rebus fruſtraneis.* Spiritus ſancti eloquium promptum, & apertum, tu verò ſymbolorum, & ænigmatum tegminibus obſcuras ſermonem, nec Spiritus ſancti, iuxta Baſilij placitum, moderamen ſequeris, cuius ſermonis natiua virtus eſt, *vt quæ ſignificantur non occultet obſcuritate.*

Diuini ſermonis proprietates quales ſint.

D. Baſil.

Quæ ſignificantur non occultet obſcuritate.

2. Sanctus Iob, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites punctus eſt verbis. Iob cap. 19. verſic. 2. *Vſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus?* Hoc poſtremum verborum certamen remanebat, vt vinceret, tentatus eſt per omnia, afflictus eſt vulneribus paſſionum, vexatus fortunarum amiſſione, filiorum interitu, nunc vanis ſermonibus amicorum atteritur. Pulchrè ſanctus Ambroſius lib. 2. de interpellat. Iob cap. 3. inquit: *Debebatur illi certamen tertium, amiſerat omnia ſua, id eſt patrimonium cum filiis. Patiebatur vulnera caro eius, manebat vt tentationes verborum vinceret. Non mediocre certamen. Sermone deceptus eſt Adam; verbo victus Samſon. Nihil enim ſic penetrat ani-*

Iob fucati ſermonis tentationem vicit.

D. Ambr.

nam ſicut ſermo fucatus. Auſcultabatur vir ſanctus amicorum ſermones fucatos, & comptos, iiſque torquebatur, quia per ambages, & circuitus verborum, nitori veritatis tenebras offundebant. Nec ineptè adaptabis poſtremam Ambroſij ſententiam ad Dei viros, qui dum ſacras orationes cernunt, non nitidas naturali colore, ſed pigmentis illatas nuper inuentæ elocutionis, afflicti gemunt, & zelo Domini tabeſcunt. Magna calamitas, & aduerſitas contra verbum Dei orta, vtinam ſacri declamatores tentationes verborum vincant.

Calamitates excitat cõtra Dei verbum, occultus ſermo.

Affectata locutio ſaluti animarum obſiſtit.

3. Quantum obſtet animarum ſaluti nimis affectata loquutio, & verborum pompa, & faſtus, percipies, quia Euangelicæ prædicationi maxima impedimenta intulit ſæcularis vaniloquentia; verbigerantes Philoſophi, verboſitatis phaleris ornati: vnde ad Niniuitarum Regis immutationem, meritò quicumque ſapiens ſtupet. Et quod ad ipſius aures verbum Domini perueniret. Ionæ cap. 3. verſ. 6. *Et peruenit verbum ad Regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe.* Annotat Diuus Hieronymus, cum verbum Ionæ totam vrbem peruaderet, longè latéque peruagatum inter incolarum ſaccos, luctus, & cineres, poſtremò Regiæ aulæ attigiſſe limen, & ſubdit: *Quid valeat apud homines ſæculi eloquentia, & ſapientia ſæcularis, teſtes ſunt Demoſthenes, Tullius, Plato, Xenophon, Theophraſtus, Ariſtoteles, & cæteri oratores, ac Philoſophi, qui velut Reges habentur hominum: & præcepta eorum, non vt præcepta mortalium, ſed quaſi oracula accipiuntur Deorum. Quod autem difficilè iſtiuſmodi homines credant in Deum, ſufficit nobis Apoſtoli teſtimonium, qui ad Corinthios ſcribens ait: videte fratres vocationem veſtram, quia non multi ſapientes,* &c. Et ſubiungit: *Ex quo perſpicuum eſt prædicationem Chriſti Reges mundi audire nouiſſimos, & depoſito fulgore eloquentiæ, & ornamentis, ac decore verborum, totos ſe ſimplicitati, & ruſticitati tradere.* Si Philoſophorum crepidatus ſermo de Sophocleo cothurno prolatus, curſum Euangelij retardauit; quantum officiet agnitioni veritatis, & animorum incolumitati, intricati, aut obſoleti ſermonis turgens faſtus. Abiecit Rex, vt eſſet probus verbi auditor, ornamenta gloriæ, purpuram, monile, diadema; deponat Doctor, vt ſit Euangelicus Concionator fictitium eloquentiæ fulgorem, ſuperuacaneum verborum ornamentum. Pudeat Chriſtianum verbi cœleſtis præceptorem à barbaro alumno vinci.

D. Hieron.

Reges mundi vt conuerterentur, fulgorem eloquentiæ deponunt.

4. O quàm inuiſa vanè culta, & occulta loquela ſacræ ſponſæ. Enixè flagitat ab ſponſo, vbi ſit ſchola dici, & meridiani ſolis magiſterium, vt ſplendore verborum mentem illuminet. Cant. cap. 1. verſ. 16. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Septuaginta Interprete ſic extollunt poſtrema verba: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum.* Quam lectionem ſectatur Origenes, & ſponſæ affectû acute aperit inquiens: *Ob hoc ergo requirit ſponſa Chriſti meridiana cubilia, & plenitudinem ſcientiæ poſcit à Deo, ne videatur eſſe ſicut vna ex Philoſophorum ſcholis, quæ adoperta nominatur pro eo quod plenitudo veritatis, apud eos tecta eſt, & adoperta. Sponſa autem Chriſti dicit, nos autem reuelata facie gloriam Dei ſpeculamur.* Meridianam lucem Solis æterni ſponſa concupiſcit vt exulet verborum caligo, remoueatur opaca ænigmatum vmbra, quibus ſæculi myſtæ arcana ſua velare conſueſcunt; ſit verbum patulum, veritaſque myſteriorum ſuo fulgore perſpicua. Diſplicet enim ſponſo, & ſponſæ flexiloquus, & inuolutus ſermo; & inſtar oraculorum de tripode reſonantium, verbum ambiguum, & tenebricoſæ dictionis velamen. Declamatorem obſcurè verba Chriſti fantem, ab antiquæ Philoſophorum ſcholæ diſcipulo, Origenes non ſecernit: Ideo pudica ſponſa veretur, ne fiat tanquam adoperta inuolucro fucati ſermonis.

Occultus ſermo non placet ſacræ ſponſæ.

Lect. L x x.

Origen.

Schola Philoſophorum adoperta nominatur.

5. Verſio Tigurina apud Vatablum epithaſim habet: *Ne oberrans videar palliolata meretricula.* Optimè, & acutè. Nunquid ſimilem, declamationem meretriculã appellabo, oris elegantiam oſtentantem, dum ſuam illinit faciem candoris, & ruboris fucatis medicamentis, & vultum alioqui deformem, & horridum, colorat, ornatque pectus cylindris, aut torquibus? Hac enim ignominiæ notâ ſugillat S. Hieronymus quoſdam ſui temporis concionatores, quorum alloquia meretriculæ ornatum oſtendebant. Sic enim ſcribit proœmio in lib. 3. epiſtolæ ad Galatas: *Iam enim in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſaque Apoſtolicorum ſimplicitate, & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plauſus circumſtantium excitentur, vt oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæſitura, & in modum pſalterij, & tibiæ dulce canentis, ſenſus demulceat audientium: vt verè illud Prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſit aptari, dicente Domino ad eum, & factus es eis quaſi vox citharæ ſuaue canentis, & bene compoſita, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Ezechiel. cap. 33. verſ. 32. iuxta verſionem Septuaginta ſeniorum. Sed videat lector, an noſtris temporibus ad quorundam conciones conueniat populus, tanquam ad hyſtrionis, aut comœdi ſcenam, & an iiſdem, Ezechielis, & Domini querela Doctoris maximi aculeata ſententia potiori iure congruat? Itaque nec Spiritus ſancti moderamen, nec tutam ſponſæ, & Diuorum ſemitam talis ſermo inſectatur.

Tigurina. Vatab.

Nimis fucatus ſermo cũ ornata meretricula comparatur

D. Hieron.

6. Poſtremò nec ad naturæ ingenium, mentiſque conſilia ſermocinationes reuocat ſimilis Eccleſiaſtes. De verborum forma, & vſu in rationalis animantis ore S. Baſilius fatur homil. in id, attende tibi: *Qui nos (inquit) condidit Deus, in hoc impertiuit ſermonis vſum; vt alius alij ſui cordis arcana reuelet, communiſque naturæ intuitu, ſuo quiſque proximo ex abſtruſiſſimo receſſu pectoris, quaſi ex intimo quopiam conclaui ſua conſilia, cogitationeſque depromat: ſi enim ipſi viueremus, animæ omnium oculis conſpicuæ, & nudæ: inter nos mox conueniret per mutuam cogitationum intelligentiam. Nunc quando anima carnis adoperta velamine multiuarias comminiſcitur ſecum, ac verſat cogitationes: & verbis opus habet, & nominibus, vt quæ in reconditiore mentis receſſu deliteſcunt, in apricum euulget.* Appoſitè huc vſque Baſilius: Sermonis munus eſt mentis arcana, & ſecretiora conſilia ponere in propatulo, & Solis luce, vt omnibus ſint perſpicua. Contra naturam verò eſt, animi cogitatus, quaſi quibuſdam velis obſcuritatis obtegere, eique inepti, & affectati ſermonis tenebras offundere. Vt nec ipſe quod fatur, teneat, & audientium intelligentiam fugiat. Sermo animi debet eſſe germanus, vt mutuò innoteſcant.

D. Baſil.

Sermo homini donatus, vt intimos cordis conceptus manifeſtet.

7. Cùm Pharaonis Eccleſiaſtes Moyſes à Deo inſtituitur, legationis munus aſpernabatur tarditate fandi, balbutienti linguâ, & ſermonis imperitia, ſed animus Moyſi abiectus, & remiſſus excitatur Aaronis contubernio, qui à Deo datus eſt comes laboris, periculi, alloquij, eiuſque perpetuò ad-

hærens

hærens lateri. Exod.c.4.v.13.& 14. *Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſem ait: Aaron frater tuus Leuites ſcio, quod eloquens ſit: ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſque te, lætabitur corde.* Magna ingenij perſpicacitate diſertiſſimus Iudæorum Philo, Moyſem, mentem; & Leuitam fratrem, nuncupat mentis ſermonem.

Philo Iud. *Aaron frater Moyſis ſermonem denotat.*

Sequitur Exodi verſionem Græcam: *Loquens loquetur ipſe tibi. Ecce ipſe egredietur in occurſum tibi. Videnſque te lætabitur in ſeipſo.* Do tibi cogitatum, & ſententiam Philonis in libro quod deterius potiori inſidietur: *Sermo* (inquit) *concinens mẽtis cogitationibus, & quodammodo adhærens, neceſſariò gaudet. Id docebit manifeſtè oraculum Moſi ſapientiſſimo redditum in hanc ſententiam: ecce Aaron frater tuus Leuita, ſcio quod loquetur ipſe tibi. Ecce ipſe egredietur in occurſum tibi: videnſque te lætabitur intra ſeipſum. Opifex ait ſe ſcire, quod ſermo, qui mentis eſt frater, loquetur. Fecit enim eum tanquam inſtrumentum, totius huius, ex quo concreti ſumus, vocem articulatam. Hic ſermo mihi, tibi, omnibus hominibus ſonat, profert, interpretatur cogitata, & prior exit, occurſurus his, quæ mens ratiocinatur.* Sed datur ſermo, qui non ſit mentis frater, nec animus eum vt germanum agnoſcit, quia cogitationi non concinit, dum eam non exponit, ſed occultat. Nec talis ſermo lætitiâ perfunditur, quia caliginosâ nube Solem mentis obũbrans, diſcernere nequit ſuam eſſe germanam.

Sermo qui mentẽ aperit gaudet, qui mentis cogitatus obſcurat, mæret.

Elegãti ſimilitudine eundem cõceptum Philo rurſus illuſtrat: *Quando mens concipit, & parturit cogitationes: quas volens parere non poteſt, donec per linguam, cæteraque inſtrumẽta ſua, vox eas excipiens, obſtetricis more, producat in lucem. Hæc vox cogitationes elucidat. Nã ſicut ea, quæ in tenebris abdita ſunt, celantur, donec lux affulgens ea indicet, ad eundem modum cogitationes mens recondit in loco inuiſibili, donec vox lucis more cunctas retegat, quapropter valde pulcrè dictum eſt, quod egreditur ſermo in occurſum cogitationibus, & accurrit eas complecti, cupiens indicandi deſiderio.* Genitali ſecreto mentis efformatos Fœtus in lucem educere obſtetricis more, munus ſermonis eſt, vt ferat opem animæ ſpiritales natos parturienti, ſed eſt ſermo, qui conceptus, & partus in ore ſuffocat, & tenebris obſcuritatis ſepelit, ne lucem claritatis videant, & à nullo cognoſcantur; dum verò ſermoni deſideriũ ſuppetit illuminandi cogitatus, eóſque indicandi, accurrit ſermo cogitationibus, eáſque ſuauiter amplectitur.

Philo. *Partus animæ in lucem prodit oratio more obſtetricis eam iuuans.*

DISCVRSVS IIII.

Humanè, diuina loqui munus Chriſtiani, & Euangelicæ Eccleſiaſtes eſt.

1. SACRIS declamatoribus cæleſtis verbi, thesauros diuinæ ſapientiæ abſconditos, & arcana ſecretorum Deus concredidit, vt gẽtibus, & populis ea promulgarẽt. Sed diuina humano, & ſuaui alloquio tr[illegible] cœpiũt, vt veritas in abſentãtium auribus verbis proprijs, & vſitatis reſonet. Non egent vocibus [illegible]nantibus, turgidis, aut ampliſſimo faſtu plenis [illegible] myſteria, cũm per ſeipſa ſint ampliſſima [illegible] luce maieſtatis enunciãt. Id perſuadet S. Ambroſ. lib. 2. in c. 2. Lucæ, dum ſcribit: *Nam ſi orator illorum, qui phaleras ſermonum ſequuntur, negat in hoc poſitum eſſe fortunas gratiæ, hoc an illo verbo vſus ſit, ſed rem ſpectandam putat. Si ipſi Philoſophi eorũ, qui totos dies in diſputatione conſumunt, minus Latinis, & receptis vſi ſermonibus ſunt, vt proprijs vterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis vtilitas, quod operum miracula diuinorum nullis venuſtata ſermonibus, veritatis ſuæ lumine refulſerunt.* Sacramentorum cæleſtium ſufficit incomprehenſibilis magnitudo, ea neceſſe eſt Doctor pronuntiet vſitata, & iucũda dictione, vt paruulorum mens ea poſſit amplecti.

D. Ambr. *Euangelicus Eccleſiaſtes negligere debet fucata verba.*

2. Ornatiſſimo Vati Iſaiæ, cui inerat diuinũ quoddam ingenium, dicendi vbertas, & orationis aureũ flumen, myſterium à ſæculis abſconditum, Dei ad homines aduentum iuſſit Deus in grãdi volumine exarari literis, nomenq; pueli memoriæ commẽdari ſempiternæ, ſed ſcriptione pura, & aperta. Iſaiæ c.8.v.1. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis*, quæ autem ſit hominis dictio Procop. exponit: *Ideò ſtylo hominis dixit, quod humana dialecto, vulgòque intelligibili Euangelij verba conſcribantur; alias enim ſcripturæ genus eſt haud humanum.* Vt ſacra dictio nil contineat abſtruſum, & reconditum in eloquio, ſed ſit in aperto.

Iſaias eloquentiſſimus humana dialecto ſcribit Dei myſteriũ. *Procop.*

3. Diſputans de Chriſti myſterio Paulus Apoſtolus ſermonem ſuum vocauit humanum, 1. ad Tim. c.1.v.15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* S. Ambr. & S. Auguſt. legunt: *Humanus ſermo.* Ideo omni acceptione dignus. Vel vt lẽgit Syrus: *Dignus quem omnes ſuſcipiant*, quia humanus. A quo ſuſciperetur, ſi in abſcondito Deitatis permaneret? quia comis, quia facilis, quia benignus obuius vlnis amplectitur. Do tibi S. Auguſt. acumen, ſerm. 8. de verbis Apoſtoli, perſcrutantis cur ſermonem nuncupauit humanum, non diuinum? Hæc ſunt verborum lumina, de Eccleſiæ Sole manãtia: *Quare humanus, & non diuinus? Sic eſt ſermo iſte humanus, & diuinus, quomodo eſt ipſe Chriſtus homo, & Deus. Si ergo rectè intelligimus ſermonem iſtum, non ſolũ humanum eſſe, verùm etiam diuinum; quare Apoſtolus humanum voluit dicere quã diuinum?* Et paucis interiectis eleganter, & acutè reſpõdet: *Quia ergo venit per infirmitatem humanã, ideò prædicans aduentum eius, dixit humanus ſermo eſt. Non liberaretur humanũ genus, niſi ſermo Dei dignaretur eſſe humanus.* Vt homo liberaretur a crimine, vt homo teneret Deum, Deus naturã aſſumpſit humanam, vt in amica, & nota hominis forma appareret; ſic Paulus diuina humano ſermone prædicat. Sermo Doctoris omni liberali doctrina politiſſimus floreat, per cõtemplationem ad diuiniora ſe ſubleuet, licet de Dei verbo loquatur, præconium ſit humanum. Sit diſertiſſimus orator, in quo Tulliana facundia appareat, in cuius labris Suada Dea ſeſſitauiſſe videatur, ſed maiori erit audientibus emolumento, ſi ſermo ſit facilis, benignuſq; vrbanus.

Paulus myſterium Chriſti ſermonem nuncupat humanum, vt ab omnibus ſuſcipiatur. *D. Auguſt.* *Lect. Syr.*

D. Auguſt. *Cur Paulus Humanum non diuinum vocat ſermonem.*

4. Quid plura? Humanitate diſtincta vox, in labijs dicentis animum virtutis compotem indicat. Immutatio nominis Abraham in ſacra literatura refertur. Geneſ. c.17.v.5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham.* Cur viri iuſti nomen tam præclara inſignitur immutatione? Proculdubio vt ab obſcuritate locutionis ad clarũ, & perſpicuũ alloquium immigraret. Diſertè affirmat Phil. Iud. lib. de Cherubim, dicens: *Cum Abrahã ex naturæ ſcrutatore factus ſapiens, & amator Dei, nomine quoq; mutato præ ſe fert patrem electũ ſoni, ſic enim interpretatur. Nã clarè ſonat ſermo, cuius pater eſt intellectus, compos virtutis.* Sit altis defixa radicibus in animo virtus, non abdita, nec inſolens, ſed clara, & aperta perſonabit vox. Ex virtute prædito pectore

Philo. *Clarè ſonat ſermo, cuius pater eſt intellectus.*

dilucidus fluit ſermo. Merito Abrahã cum ex naturæ penetralibus, & abditis ſentētiarum inuolucris de cœlo, de ſideribus trãsfertur ad pacatam, & dilucidam Dei ſermocinationem, pater multarũ gentium de cœlis proclamatur; ſermo etenim propè, & apertè prolatus, aptior eſt ad gignendos in Ieſu filios, eſt enim verbum patens fœcundius. At verbum obſcurũ, & abditum animarum ſpiritalis fructus infœcundum eſſe conſueuit. Sermo, qui vocatur cultus, quem crimine obnoxium peccatorem ad bonam frugē reduxit? quem ab errore reuocauit? Dicendi genus apertum, & planum Apoſtolorũ dictionem ſapit, quorum munus erat veteris teſtamenti abdita ſacramenta reſerare, loquantur Prophetæ arcana Dei, & inuoluãt ſermonibus obſcuris, quia necdũ iuſtitiæ ſol ortu ſuo humanis mētibus illuxerat; at poſtquam innotuit incarnata ſapientia, & velum templi ſciſſum eſt, & ſecreta patuerunt, arcanus ſermo ceſſauit.

Apertus ſermo aptior ad conuerſionem animarum.

5. Ab Apoſtolicis viris ſecreta, & occulta ſapiētiæ Domini perſpicua, & dilucida oratione vulgata ſunt. Hoc innuunt baſes tabularii in tabernaculo Domini. Exod. c. 26. v. 19. *Baſes argēteas fundes.* Earũ allegoriam explanat Rupert. lib. 4. in Exod. c. 12. dicens: *Nec immeritò baſes ex argento fundi iubentur, argenti quippe natura ex vſu ſeruatur, ſine vſu autē in nigredinem vertitur: Prophetarum quoque dicta ante Redemptoris aduentum, quia in vſu ſpiritalis intelligētia non erant, diũ conſpici præ obſcuritate non poterant, quaſi nigra remanebant. At poſtquam mediator veniēs ea ante oculos noſtros incarnationis ſuæ manu terſit, quidquid lucis in eis latebat inclaruit, ſenſuſq; Patrum præcedentiũ in vſum dedit, quia verba rebus expoſuit.* Chriſtus, & eius diſcipuli, Prophetarũ arcana puro, & candido ſermone illuſtrãt, alij verò ambiguo, & ambagioſo ſermone obſcurant. Sed audiendus eſt S. Greg. Mag. citatus à Gloſſa ad ea verba Exod. 35. v. 17. *Cortinas atrij cum columnis, paxillos tabernaculi,* ibi ita fatur: *Columnæ argenteæ, paxilli ænei facti ſunt, quia quod Apoſtoli clarè prædicant, hoc Prophetæ ſub myſtico intellectu obſcurè locuti ſunt. Rectè ergo per æs ſignati ſunt, quia clari in prædicatione nō fuerunt. Apoſtoli verò, quia in myſterio Redemptoris lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expreſſi ſunt. Et notandum quod argentum ſonat, & lucet: æs vero ſonat, & non lucet, quia prædicatores noui teſtamenti apertè locuti ſunt; prædicatores verò veteris, quia per allegoriarũ vmbras de celeſti myſterio obſcura dixerunt, quaſi ſine luce ſonitum dederunt.* Potiori iure oratores occulti ſermonis æs, non argentum nuncupabis, quia de ſuggeſtu ſine claritate reſonant.

Rupert.

Apud prophetas obſcuritas, apud Apoſtolos claritas ſermonis eſt.

Gregor. Magn.

6. Gaudent etiã Angeli perſpicua, & dilucida dictione. Cum ſponſam adhuc pupã, & tenellã ſacris moribus imbuũt, donec tēpus adueniat, quo Euãgelicæ prædicationis fungatur munere, vndiq; ornamenta conquirũt, vt decus amplificent, orationis flore, luminiſq; verborũ. Cant. c. 8. v. 8. & 9. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quãdo alloquenda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eũ propugnacula argentea.* Septuaginta interpretes legũt: *In die, qua loquetur in ea.* Alij: *In die, qua ſermo fiet.* Theodoretus, & tres Patres: *In qua verbum factum fuerit in ea?* Cum Ioãnes in dignitatē vocis, & præconis Dei aſſumitur, eãdem ſententia vtitur Lucas Euang. c. 3. v. 2. *Factum eſt verbũ Domini ſuper Ioannem.* Sic Angeli ſponſam in verbi præconiũ inaugurant dicentes: *In qua verbum factum fuerit in ea.* Ad hoc feſtiuũ dedicationis verbi gaudiũ, quid concinnitatis, & ſplendoris cōgerunt ſodales, & cælites? Calamiſtrum, aurũ, purpurã, regale diadema remouent, gēmaſque, nouũ, & exquiſitum ſplendorē adiiciunt, cum tantummodo argēteа propugnacula conſtruunt. Quæ eſt arx argentea ad tutamen ſponſæ fabrefacta? Reſpondēt tres Patres Nyſſenus, Nilus, Maximus: *Imponemus ſuper eã veluti propugnacula argentea, fulgentes in legali litera myſteriorũ rationes.* Et Theodoretus: *Eloquia ratione ſplendentia.* Pro omni honore, & dignitate, & pro vniuerſis ornamētis ſuſcipit ſpōſa eloquij ſplēdidi claritatem. Vt ad ſermocinandum inſtituant Angeli, nō adferunt verborum lenocinia, ſermonum phaleras, exquiſitarum dictionum bullas, magniloquæ dictionis argentea ſonalia, ſed ſermonem argenteo nitore ſplendidum, inſtar riuuli aurei, aut argentei leni, placidoque fluentem murmure, verborum proprietate, & luce ad audientium captum ſe ſe demittentem.

Dilucidis & apertis eloquijs ſponſa ornatur ad prædicationē.

Lect. Lxx. Theodoret. Tres Patr.

D. Nyſſ. D. Nil. D. Max.

7. Porrò ne verbis adſtringere videamur ingenia, ſit politus ſermo, ſed cultutã, quã permittit ſapiēs miniſtris Domini, c. 27. Prou. v. 25. & 26. *Aperta ſũt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Agni ad veſtimentum tuum,* legunt Septuaginta: *Cole campum vt ſint tibi agni. Filii à me habes verba fortia ad vitam tuã, & ad vitam miniſtrorum tuorum.* Symmachus in ſcholiis Septuaginta: *Puellarum tuarum.* Vulgatus in verſu vltimo: *Ad victum ancillis tuis.* Tranſlationem Septuaginta ſequitur, & illuſtrat S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 3. his verbis: *Cole ergo poſſeſſionem tuam, vt ſint tibi agni.* Et paulò antè: *Poſſeſſio tua mens tua eſt, argentum tuum eloquiũ tuum eſt.* Poſtea ad prima verba, hæc ſubnectit: *Alliga ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciuiat, & multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.* Dictio, quæ non inſolitæ, & immoderatæ locutionis laxat habenas, ſed terminis coërcetur ſuis, cæleſtis præconis eſt diues poſſeſſio, quæ paſcit nō hœdos, qui damnatorum pœnis relegantur æternis, ſed agnos immaculatos, qui litantur Deo hoſtiæ placabiles, quos linguæ fiſtula bonus paſtor informat, & verbi modulamine reducit errãtes, ne luporum patiãtur incurſus. Vt ſint tibi agni, quos in loco paſcuæ collocat Dominus, quos educat aqua refectionis æternæ, habes à Deo verba fortia, quæ conferre ſolet Euangelicis miniſtris, & ancillis ſuis, Apoſtolis, inquam, & paruulorũ Doctoribus, quos ſupra c. 9. Prou. miſit in mundum, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Verba inquam, fortia, nō obſcura; non inſuetæ, aut implexæ vocis calamiſtris cōptа; nec blandiduli, lepidique ſermonis, à probo, & Euangelico viro degeneris blanditiis effeminata. Sed tanquam malleus ſint, conterens duriſſimam petram cordis humani, eliciantque riuulos lacrymarum.

Concinator habeat verba fortia.

Lect. Lxx. Sym.

D. Ambr.

Sermo reſtringatur, ne luxuriet.

Discvrsvs IV.

Sacri ſermonis abuſum, Eccleſiæ Patres grauioribus verbis carpunt.

1. SICVT fideles verbi diſpenſatores æternis extollunt laudibus Eccleſiæ proceres, ſic iis, qui ad captandam popularem auram, vel propter volaticum ambitioſæ vanitatis gaudiũ, Dei verbi exercentes præconium, verborũ idioma obſcurant, æquo iure ſuccenſent; quinimò eos probri, & dedecoris notã inurunt. Omnibus verbi declamatoribus propoſitã cenſeo Philonis Hebræi ſubtilē allegoriam ſermonis, & mentis, quam in Moyſe, & Aarone incluſam autumat. Ad ea verba Exod. c. 4.

v. 14.

v.24. vbi Aaron occurrit fratri ſuo Moyſi: *Ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſq́; te lætabitur corde.* Nunc Philo de gaudio ſermonis, quando mētis conceptus diſertè, & dilucidè annūtiat, de triſtitia, & gemitu vocis affectatæ, quādo animæ partus inuoluit verborum caligine, hæc ſcribit lib. quod deterius potiori inſidiari ſoleat: *Quicumque inter dicēdum, non rectè tenent cogitata, vt verboſos, ac loquaces auerſamur, quia longas, ſed inanes, atque adeo inanimes vt propriè dicam orationes conſarciunt. Horum igitur ſermo vt indecorus meritò gemit, e contra neceſſariò gaudet, qui re bene conſiderata ſufficienter inſtructus ad conceptus animi proloquēdos accedit: quando enim probè cognitum tenemus de quo diſſerimus, lætus gaudénſq́; ſermo abundat dilucidus, & proprijs vocabulis, quibus copioſè; expeditè, inoffenſè, atque etiam diſertè, ac efficaciter repræſentat quidquid docere vult, quando autem diuerſis cogitationibus diſtracti nil certi comprehendimus, ſermo quoque delirat, & impropriè loquitur, deſtitutus aptis verbis, & conuenientibus, quapropter tum ipſe radio laborat errabundus, & ſubinde impingens, tum auditoribus adeo non perſuadet, vt moleſtus etiam ſit auribus.* Si quis daretur Eccleſiaſtes, ſeu declamator, qui abſtruſa, & recondita dialecto orationem obſcuraret, vt nec ipſe quid fatur intelligat, nec alios propter verborum caliginem tenere permittat eorum ſenſum, de tali ſermone iure detrahit Philo vocans eum inanem, & inanimē, improprium, delirum, errabundum, taléḿque oratorem verboſum, ac loquacē, non eloquentem. Cupis ſcire quis ſit orator eloquens, in dicendo copioſus, & ornatus? Audi S. Iſidor. Peluſiot. lib. 5. epiſt. 42. *Eloquentē ego hūc eſſe ſtatuerim, qui id, quod animo concepit, perſpicua oratione demonſtrare poteſt, non qui doctiſſimis, & ſublimibus verbis, ea etiam quæ clara, & dilucida ſunt, obſcurat. Ille ſi quidem quod latet in lucem profert; hic illud etiam, quod omnibus perſpicuum eſt, occultat.* Eos qui obſcurant, & occultant ſermonem, nequaquam eloquentes nuncupat.

Philo. — *Verboſi & loquaces.* — *Inanis orationis ſermo gemit.* — *Sermo apertus gaudet.* — *Sermo improprius & delirus.* — D. Iſid. Peluſ. *Definitio eloquentis, & occulti.*

2. Leges apud Ezech. c. 13. v. 17. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: hæc dicit Dominus Deus: væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Ad declamatores Dei verbo abutentes, hanc rigidam ſententiam adaptat Orig. hom. 3. in Ezechielem, dicens: *Effeminatæ quippe ſunt eorum magiſtrorum & animæ, & voluntates, qui ſemper ſonantia, ſemper canora componunt: & (vt quod verum eſt, dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum eſt in his, qui iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant. Ideo eo omnes filias potius quàm filios dixit aſſuentes ceruicalia.* Turpi effœminatorum nota eos pungit Origenes, & iuxta illius mentem verba Ezechielis: *Quæ conſuunt puluillos*, adaptabis, malè vtentibus Dei verbo. Sicut enim fœminæ puluinulos conſuunt vento tumentes, plumaque delicata; & cubitum perſtruunt lautiſſimis viris, ita quidam Eccleſiaſtici declamatores ex comptis affectatiſque verbis puluinaria cōſarcinant, in quibus auditores velut in molli ſpōda leniter recumbant, & dormiant, melioris vitæ obliuioſi.

Orig. *Qui Magiſtri dicantur effœminati?*

3. Diſſimilis valde eſt veri Eccleſiaſtæ, & ſapiētis ſermo, qui velut aculeus pungit, & ad virtutē concitat. Eccleſ. c. 12. v. 11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* In quæ verba S. Hieron. ſic fatur: *Verba eſſe ſapientum, quæ in ſimilitudinem ſtimulorū corrigant delinquentes, & pigros mortaliū greſſus aculeo pungente cōmoueant.* Et paucis interiectis: *Simul & hoc notandum, quod dicantur verba ſapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laciniā, ſed errantibus, & tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cuius ergo ſermo non pungit, ſed oblectationē facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis.* Sermo fucatus, & obſcurus prorſus ineptus eſt ad compunctionē: quomodo ſepient viam peccatorum ſpinis florum faſciculi: quomodo hi declamatores fulgurabunt ignes, & lumina, menti verborū inuolucris, & caligine circūfuſæ: Per hanc viā nec incedit, nec intrat ſapientia; meritò Hieronymus ſubiunxit: *Iſte non eſt ſermo ſapientis.*

Verba ſapientum non palpāt, ſed quaſi ſtimuli pungunt. D. Hieron.

4. Sed audiendus eſt S. Iſid. Peluſiota, qui perpendens ſententiam Pauli 1. Cor. c. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autē non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniēs;* ita ſcribit Theopōpo Monach. lib. 1. epiſt. 62. *Sermo, qui ad audientiū vtilitatem habetur, potens ſermo eſt; quiq; optimo iure ſermo appelletur, imitationemque ad Deum habeat. At qui voluptate ſola, & plauſu terminatur, æris ſonus eſt, magno ſtrepitu aurem perſonans, quare, aut ſermonem tuum grauitate moderare, ac ſermonis faſtui, ac pompæ mediocritatem antepone: aut te cymbalū theatrorum ſcenæ accommodum eſſe ſcito.* Faxit Deus, vt nullus inueniatur in Eccleſia Dei concionator verbis, & nomine Theopōmpus, ſi quis inuētus, cum cymbalum theatrorum ſine iniuria appellitabo.

D. Iſid. Pel. — *Sermo voluptatē & ... ſum quaſi æris ſonus & theatri cymbalum.*

5. Adhuc verbum Dei obſcurantibus adiicit Paulus maiora conuitia 1. Cor. c. 14. a v. 7. *Quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur, id, quod canitur: aut quod citharizatur? Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes,* & v. 11. *Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Quæ verba licet prolata ſint ab Apoſtolo in eos, qui prophetias fantes obſcurabant, & non dilucidis vocibus exponebant, aptiſſimè iactabis in eos, qui non Propheticè, ſed obſcurè, recōditè, parabolicè, ænigmaticéque loquuntur, de quibus prædicta omnia perpendit Hugo Cardinalis dūm ſcribit, ad id: *Ero barbarus, id eſt non intellectus, quia non intelligit me, cui loquor, id eſt, quem debeo inſtruere. Multi tamen prædicatores, & maximè Doctores, licet natione non ſint, faciunt ſe barbaros, ſubtilia, & difficilia verba exquirendo. Sed attendant quoniam Geneſis vndecimo ædificatio turris Babel impedita fuit quia ſibi non intelligebant, ſic & ædificatio Eccleſiæ per tales impeditur.* Hæc ille.

In obſcurantes Dei ſermonem conuitia ... D. Pauli. — Hugo Card.

Verſ. 23. Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.

COMMENTARIVS.

1. ADHVC verba ſua Vates cōtra Ieroſolymitanos Principes intorquet. Pro verbo *infideles.* Hebraice eſt elegans conſonantia, & in originali Hebraici idiomatis omnes improbi principis proprietates continentur, quaſi diceret reducendo plurale ad ſingulare radicis שר, סר *ſur, ſar,* vel סרר *ſarar.* Sur denotat *Principes, magiſtratus,* vel *dominandi, & regendi poteſtatem.* In plurali סררים *ſorerim.* Infideles. A radice *ſur* fit *ſorer*

Impr. Lite incipit ... — Lect. Hebr.

quod

quod denotat *peruerſum, indomitum, contumacem.* Paulus reddit: *Filios inobedientiæ*, id eſt intractabiles, qui nulla diſciplina regi volunt, immorigeros, & indiſciplinatos; quod paſſim ſanctus Hieronymus vertit *contumaces, proteruos, declinâtes.* Pſalm. 78.v.8. *Generatio peruerſa.* Hieronymus: *Declinans.* Scholion Septuaginta: *Praua, amaricans, declinans.* Id eſt, obliqua, tortuoſa, maligna. In præſenti verbum *ſorerim*, non *ſocbechim*, vt legit Arias Montanus, idem eſt ac *declinantes, peruerſi.* Septuaginta: *Inobedientes.* Aquila: *Recedentes.* Symmachus: *Declinantes.* Thargum legit: מרדין *mardin: rebelles.* Et eſt ſenſus: principes, qui omni Reipublicæ exemplis tenentur prælucere, eam deſtruunt, ſuntque Deo, iuſtitiæ, ac populo infideles, diuinis legibus inobedientes, à Deo vero ad idola recedentes. In ipſa iniquitate contumaces. Itaque Hebraici verbi ſignificatio reperit Principum crimina, quæ in diſcurſu capitis Iſaias arguit. Vide quæ diximus ad ea verba: *Abalienati ſunt retrorſum.*

D. Hieron. Lect. Lxx. Arias Mont. Lect. Lxx. Aquil. Sym. Tharg.

Socij furum qui ſint?

2. Socii fvrvm.] Vtpote qui ſocietatem, & conſortium habebant cum furibus, eorum latrocinia diſſimulantes, propter furantium contributiones. Vel quia Dynaſtæ palam, vel occultè, & ſubdolè gazas Regum corrodebant, in proprium commodum eas conuertentes; vel quia pauperculæ plebis opes, tributis iniquis, & extorſionibus expilabant.

Munerum amatores.

3. Omnes diligvnt mvnera.] Nullus eſt auaritiâ immunis. Propter hoc magiſtratus ambiunt, non vt communi Reipublicæ emolumento proſpiciant, ſed omnia referunt ad ſuum proprium commodum, & quæſtum inſatiabili concupiſcentia, pecuniæ inhiantes. Sanctus Baſilius legit; *Diligentes munera.* Qui immodica cupiditate accipiendi intabeſcunt. Munerum amâtes, & donorum amaſios vocat, quia non ſolum xænia vltro oblata accipiunt, ſed maximo affectu ea venantur, & exquirunt, vultuque, & ſignis, & nutibus amatores munerum ſe oſtendunt, vel quia minis, aut metu ab impotentioribus extorquent. Si coram ipſis appareas, & propenſiorem voluntatem non oſtendas offerendi munera, tacita grauique diſſimulatione inhorreſcit Principis animus, & vultus ſeueritate deprædicat, ad tuum poſtulatum renuere; ſi verò te aliquatenus inſinues non illiberalis, facies illius ſubitò hilareſcit, & velut oleo, & butyro impinguatur. Iure vocantur à Regio Pſalte *viri diuitiarum*, quia in nummum potentiori concupiſcentia, quàm in fœminam exardeſcunt, nec minor eſt pecuniæ amor, quam libidinis. Verbum שחד *ſchocad*, ea munera ſpeciatim innuit, quæ à litigantibus, Iudici, [illegible], notariis; & reliquis, vel iuris ſui redimendi, vel alieni auertendi cauſâ, offeruntur.

D. Baſil.

Lect. Hebr. *Donatiua, à Dynaſtis exacta.*

4. Seqvvntvr retribvtiones.] רדף *radaph. Magno cõſilio, & conatu quærere:* שלמנים *ſchalmonim* verò in præſenti denotat donaria, quæ medus iudicibus Principes exigebant à populo. Eamdem ſignificationem habet Micheæ cap. 7. Retributiones quoque vocantur pecuniarum redemptiones. Nam illa ſcelera, quæ morte, verberibus, exilio, punire tenebantur magiſtratus iuxta legum normam, pecuniarum multâ facilè remittebant, ex iuſtitia quæſtum facientes, & illam pecuniam vocat retributionem. Alium ſenſum eleganter indicat Thargum Ieroſolymitanum legens: *Dicunt vnuſquiſque proximo ſuo, fac pro me in iudicio meo, & retribuam tibi in cauſa tua.* Mutuum officium & operâ impendebant Iudices par pari referêtes, non vt iuſtitiæ partes agerent, ſed vt iniquam ſententiam, quam iudex iſte propter alterius fauorem, & interceſſioné protulerat, ille alia ſimili ſentêtia vices rependeret, quod Hiſpanè dicimus: *Hazerſe eſpaldas, guardarſe la cara. Hazme la barba, y harete el copete. Oy por mi y mañana por ti.*

Tharg. *Mutuum officium impendebant ſibi iudices in litibus.*

Vindicta retributio obſeruata à iudicibus.

5. Aliam ſignificationé admittit Salmonim. Vſurpatur enim pro vindictæ retributione. Ioël c.3.v.4. *Numquid vltionem vos reddetis mihi?* Oſeæ c.9. v.7. *Venerũt dies retributionis*, & Deut.c.32.v.35. *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* Hebraicè eſt: *Mihi vindicta, & ego retribuam eam.* Vnde in præſenti legit Symmachus apud S.Hieronymum: *Sequuntur viciſſitudines, vel vltiones.* S.Baſilius legit: *Perſequentes retributionem.* Et de propenſiori & effuſiori animo vindicandi proprias iniurias, aptè exponit dicens: *Quæ vel maximè intenditur obiectio in Principe, hæc eſt, ſi propenſior ſit ad expetendam vltionem, ſi modis omnibus animum eo intendat, vt vice conſimili retaliet eos, qui ſe quapiam moleſtia affecerunt.*

Lect. Hebr. Sym. D. Hieron. D. Baſil.

Pupilli & orphani diſcrimen. D. Iſidor.

6. Pvpillo non ivdicant.] Notat S. Hieronymus in Pſ.9. pupillum eſſe, qui non habet patrẽ; orphanum, qui nec patrem, nec matrem. Et S.Iſid. lib.11.etymol. c.2. ait: *Pupilli dicti quaſi ſine oculis, hoc eſt à parentibus orbi. Hi autem verè pupilli dicuntur, quorum patres ante diſceſſerunt, quàm ab eis nomen acciperent. Cæteri orbi vocantur orphani, iidem, qui & pupilli: illud enim nomen Græcum eſt, non Latinum.* A Iuriſconſultis pupillus dicitur, qui infra ætatem annorum eſt, quatuordecim ſi mas, duodecim ſi fœmina, qua ætate tutela finitur iure cõmuni, ſiue ſit in poteſtate patris, ſiue extra: quaſi deducatur vox à pupo, id eſt puero, & minore, *l.final.§.pupill.de verb oblig.* Iidem prǽterea pupillum nominant qui intra dictam ætatẽ priuatus eſt cura, & officio patris, aut huius morte, aut emancipatione, l.pupill.de verb. ſignif. Orphanum vocant eum, qui caret non ſolum patre, ſed etiâ præſidio paterno, id eſt, tutore. Sed in ſacra Scriptura ſynonyma ſunt orphani, & pupilli, & vtrumque ſignificat verbum יתום *iathom*, quod Septuaginta transferunt *ὀρφανούς.*

L. Fin. L.pupil.

Deus viduarum protector. Lect. Lxx. Chald.

6. Cavsa vidvæ non ingreditvr ad illos.] Septuag. legũt: *Iudiciũ viduæ non attendentes.* Chald. *Clamor viduæ non ingreditur in conſpectu eorũ.* Vt maximũ ſcelus arguit Iſaias iudicum iniuriá, & obliuioné pupillorum, & viduarũ, quarum Deus habet peculiarem curâ, appellatúrq; Pſal.67.v.6. pater orphanorũ, & iudex viduarũ. *Duo iſta nomina* (ait Tertull, lib.1. ad vxor.c.8.) *in quantum deſpectui humano, in tantũ diuinæ miſericordiæ expoſita ſuſcepit tueri Pater omnium: vide quam ex æquo habetur, qui viduæ benè fecerit! quanti eſt vidua ipſa, cuius adſertor Dominus diſputabit?* De iudicibus conqueritur Deus apud Ierem. c.5. v.28. *Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt.* Et Zach.c.7. v.9. hortatur Deus iudices: *Iudicium verum iudicate. Viduam, & pupillum nolite calumniari.*

Tertull.

Discvrsvs I.

Ille magiſtratus felix, quem non fauoris aura, ſed bellica fortitudo, aut animi integritas, & in adminiſtrandis Reipublicæ negotiis fides, ad culmen dignitatis euexit.

1. Qvam multi ambiunt Regum latera, adulantium verborum blandimentis ſeſe inſinuantes,

ſi[illegible] [illegible] p[illegible]tam [illegible] b. n[illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] mo[illegible] Rec d[illegible] [illegible] m[illegible] [illegible] non [illegible], [illegible] [illegible] parte, b[illegible]es, [illegible], & c[illegible] [illegible] [illegible] ad Rege [illegible] ad [illegible] aſſiſtit, & a p[illegible] [illegible] [illegible]. Animi prob[illegible]tas, vita [illegible] Re[illegible] cuſtodia, Theodorici Regis Gothor[illegible] [illegible] bene meritum [illegible] Caſſiodo-

Caſſiod. Quibus vir-tutibus [illegible] Regi [illegible] ami-liaritate gaudeat.

Imminutio exactionum Reges ditat.

Optatis ó Principes indemne cuſtodire imperium, hoſtibus inacceſſum, coronatum infulis triumphorum, perniciter implicare orbes orbibus, ſpatia terrarum copiis inuictis metiri, claſſicis cohortibus ſtipatos, & denſis nauigantiũ agminibus circumſeptos, vitreos Oceani fatigare, & premere gurgites, vt vniuerſis nationibus ſint terrori. Vt ærarium, gazáq; Regia, auro, & argento exuberet: Vobis ſuperſint diuitiæ, facultates ad exercitus, ad bella, ad præſidia, ad ſumptus, ad delicias? exactiones imminuite, & appetitum immodicum poſtulandi, & exigendi a populo paupere, continete. Abundabunt omnia. Ridebis forſan tanquá ad inſanientis, aut lymphatici cuiuſdam verba. Nec deſipio, nec ineptias loquor, ſed ipſiſſimam veritatẽ, quam in Traiani Imperatoris moderatione demõſtro, de cuius temperantia, & abundantia Plinius ſecundus in eius panegyrico ſcribit:

Plin.
Temperantia exactionum, & abundantia diuitiarũ in Traiano Imperatore certabant.

Ad h. cogitanti eumdem te donationes remiſiſſe, donatiuum reddidiſſe, congiarium obtuliſſe, delatores abegiſſe, vectigalia temperaſſe, interrogandus videris, ſatis ne computaueris imperij redditus, an tantas vires habeat frugalitas Principis vt tot impendijs, tot erogationibus ſola ſufficiat. Nam quid eſt cauſæ, quod alijs quidem quum omnia raperent, & rapta retinerent, vt ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent, defuerint omnia: tibi quum tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia ſuperſint. Chriſtiano Imperatore dignum elogium. Ecce in Regibus non inſolẽs miraculum, quod ſtupeat orbis. Certabant in Nerua, Traiano Auguſto munificentia, & abundantia; in mediocritate exactionum affluẽtia copiarum. Moderationẽ adhibuit vectigalibus, à donatiuis abſtinuit, donationum alleuiauit iugum, collectæ conſiliarios repulit: ſingulari, & admiranda frugalitate, quæ iure nuncupatur omnium virtutum parẽs, dos heroica Regalium animorum, omnium Imperatorum factus eſt ditior, nam reliquis omnia rapientibus, nihil retinentibus, ipſi plurima largiẽti, nihil auferenti, ipſa temperantia, & abſtinentia facta eſt copiarum perennis, & inexhauſtus fons. Alios auaritia, & rapina depauperat, Neruã frugalitas ditat.

Valentinianus Auguſtus nihil indici paſſus eſt.
D. Ambr.

4. Aliud exẽplar proponã Imperatoris, quod Reges ſequantur, Valentiniani iunioris Auguſti in cuius obitu, & funere S. Ambr. ſcribit hoc præconiũ: *Quid de amore prouincialiũ loquar, vel quo eos ipſe cõplectebatur, vel qui ab ijs conſultori ſuo rependebatur, quibus nihil vnquã indici paſſus eſt. Præterita, inquit, nõ queunt ſoluere, noua poterunt ſuſtinere? Ex hoc laudant Prouinciæ Iulianũ. Et ille quidẽ in robuſta ætate, iſte in proceſſu adoleſcẽtiæ. Ille plurima repetit, & exhauſit omnia: iſte nihil inuenit, & omnibus abundauit.*

Iulianus plurima repetens exhauſit omnia; Valentinianus, omnibus abundauit.

Valentiniani verba Chriſtianæ clementiæ ſpeciẽ referunt, in florida iuuẽta cohibuit indictionis nouæ audaciam, & fortunis redundauit. Eſt enim opum affluentia liberalitatis merces: Tenacis, & aliena immoderatè ſitientis, ſupplicium egeſtas, & ærumna.

D. Thom.
Reges benefaciendo ditiores fiunt, tyranni, rapiendo ſunt in egeſtate.

5. Nec poteſt à veritate deflectere ſentẽtia illa ſapientis Prouerb. c. 11. v. 24. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* In his verbis differentiam eſſe propoſitã Regis, & tyranni exiſtimat Angelicus Doctor opuſc. 20. de regimine Principis cuius verba ſunt: *Alij ſcilicet Reges diuidunt propria benefaciendo ſubiectis, & ditiores fiunt, alij ſcilicet tyranni rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Iuſto Dei contingit iudicio, vt*

qui

qui diuitias iniuſte congregat, inutiliter eas diſpergat, aut etiam iuſte auferantur ab eis. Cui concinit idem Salomon Prouerb. cap. 28. verſ. 15. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem.* In catena Græcorum Patrum in Prouerbia ſic ſententia expenditur: *Acris fames, & arida ſitis omnem ſyluam, omnémque locum perſcrutari leonem, & lupum compellunt. Quæ autem ſatiatis reliqua fiunt, ea non recondunt. Pari modo rerum neceſſariarum inopia inopes Principes varias extorquendi pecunias artes excogitare, & exercere cogit.* Sed ex ipſis artibus, & conſiliis extorquendi pecunias penuria manat, & egeſtas, & dum maiori auiditate extorquet, maiori egeſtatis calamitate vexatur.

Caten. Græc.

6. Hos Iſaias cum ſomniantibus comparat, quibus cùm amplæ fortunæ obuerſentur imagines, montéſque aureos vanis cogitationibus fingant, ſomno conſepulti, cum è ſomno emergunt, omnem opulentiam cernunt inanem, & velut araneæ telas, & imaginem, quæ à vento diſpergitur. Iſaiæ cap. 29. verſ. 8. *Sicut ſomniat eſuriens, &c.* In viſa multa, & varia incidunt dormientes, cum ſe nimio cibo, & potu ingurgitarunt. Sic in animos eſurientis, & ſitientis inanes imagines irrumpunt. Quod quidem ad primorum auaritiam acommodat ſanctus Ambroſius lib. 1. de interpellatione Iob cap. 3. dicens: *Nonne tibi videtur ſicut, qui in ſomnis bibebat, bibiſſe, & qui in ſomnis epulabatur, epulatus, aperuiſſe oculos, & cognouiſſe quod anima eius inane ſperauit, & adhuc eſuriat, adhuc ſitiat, quia modum non habet auaritia, nec rapiendo expletur, ſed incitatur, eo egentior quo plura quæſierit.* Hæc Ambroſius.

Somnus diuitiarum.

D. Ambr.

Auaritia egentior quo plura quærit.

Verſ. 24. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

COMMENTARIVS.

1. ADHVC in reprehenſione iudicum, & Magiſtratuum perſeuerat, contra quos minas iactat, & formidines apponit. Et in hoc ſenſu conciliantur Septuaginta legentes pro forti Iſraël: *Væ fortes Iſraël,* Nam Sapient. cap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Lect. Lxx.

2. HEV CONSOLABOR.] Dei vox non lamentantis, & deplorantis alienam calamitatem, ſed potius gaudentis, & exultantis in punitione malorum Principum; nam ſicut Deus quando ſupplicio plectit populum pauperem, commiſerationem, & dolorem videtur oſtendere, ſic cùm caſtigat Principes, potentatus, & iudices, lætatur, & ridet, & conſolationem videtur accipere; *Le queda la mano ſabroſa.* Et licet peccatores omnes hoſtes, & inimici ſint Dei, eos tamen, quos ſupra dixit eſſe Principes infideles, quod pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos, hoſtes ſuos Deus per antonomaſiam vocat.

Deus de ſupplicio iniquorum iudicum gaudet.

3. Vulgati verba, Septuaginta interpretes amplificant in Biblia Sixti legentes: *Non ceſſabit enim furor meus contra aduerſarios.* Vel iuxta lectionem S. Hieronymi: *Contra inimicos meos.* Additur in Biblia Regia: *Et iudicium de inimicis meis faciam.* At S. Chryſoſt. ſingularem affert lectionem ex Græco. *Hæc dicit Dominator Dominus Sabaoth, qui præpotens eſt Iſraël: Væ qui fortes eſtis in Iſraël Non ceſſabit furor meus contra inimicos meos.*

Lect. Lxx.
D. Hieron.
Bib. Reg.
D. Chryſoſt.

Verſ. 25. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.

COMMENTARIVS.

2. MIRA eſt in præſenti verſionum varietas: Septuaginta legunt: *Et induam manum meam ſuper te, & excoquam ad purum, inobedientes autem perdam, & auferam omnes præuaricatores a te.* Biblia Regia, & ſanctus Baſilius: *Igne examinabo te ad purum.* S. Cyrillus: *Vram te ad purum.* S. Chryſoſtomus: *Igne excoquam te ad purum.* Chaldæus verò legit: *Et conuertam percuſſionem fortitudinis meæ, & mundabo quaſi purificans cum herba borith omnes improbos tuos, & auferam omnes peccatores tuos.* Pro *excoquam*, Hebraicè eſt צרף *tſaraph. Purificare, conflare, igni metalla excoquere, & examinare, expurgare ab ſcoriis.* Pſal. 66. 10. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* S. Hieronymus: *Igne nos conflaſti.* Zachariæ cap. 13. verſ. 9. *Vram eos ſicut vritur argentum.* Hebraicè *purificabo. Ad purum* Hebraicè eſt כבר *chabbor: fortiter, multipliciter, copioſè, vehementer.*

Verſionum varietas.
Lect. Lxx.
D. Baſ.
D. Cyrill.
D. Chryſoſt.
Lect.
Chald.
Lect.
Hebr.
D. Hieron.

3. Pro *ſcoria*, Aquila, & Symmachus apud ſanctum Hieronymum, & Procopium, & ſcholia Septuaginta tranſtulerunt: *vinacia.* Theodotion: *acinum vuæ.* Hiſpanè: *Orujo.* Quibus omnibus idem ſenſus denotatur: incendium vrbis, & templi, bella, calamitates, captiuitatem à Chaldæis Romanis, & aliis hoſtibus populo Dei illatas vocat ignem conflatorium, & examinatorium. Eas Deus eo animo immiſit, vt Iſraëlem purum redderet, & incontaminatum ab idololatria, & ab omnibus ſcoriis, & ſordibus vitiorum expurgaret. Etenim tribulatio, & ærumna ignis eſt, animi virtutem examinans, mentemque purificans, & illuſtrem reddens. Prouerbiorum cap. 17. verſ. 3. & Eccleſiaſtici c. 2. verſ. 5. Iuxta verſiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis legentium: *Vinacia, aut acinum vuæ.* Tribulationes vocat torcularia, quibus iuſti in hac vita premuntur, vt reiectis vitiorum vinaciis, tanquam vinū bonum in cœleſtibus apothecis recondantur.

Aquil.
Sym.
D. Hieron.
Procop.
Lxx.
Theodor.
Calamitas belli, & incêdium Ieroſolymæ ignis fuit examinatorius.
Tribulatio mentem examinat, & purificat.
Aquil.
Sym.
Theod.
Tribulationis torcular.

4. Sed verſio illa Septuaginta in Biblia Regia, & Diui Chryſoſtomi, & Baſilij: *Igne excoquam, igne examinabo te ad purum,* Diuo Laurentio Martyri pulchrè quadrat, de quo canit Eccleſia: *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Et ſignificatio illa verbi *Chabbor* ad purum, fortiter, vehementer, vehementiſſimo ignis, & prunarum incendio, Sanctum Martyrem in craticula exurenti, conuenienter aptatur. Ideò de illius flamma amoris, & doloris nonnihil dicendum, & de igne tribulationis, qui iuſtos excoquit, & exurit. Tertulliani verba non incongruè huic inſtituto accommodanda libro aduerſus Gnoſticos cap. 7. *Audio alibi dicentem Deum* (Zachariæ cap. 13.) *vram illos, ſicut vritur argentum, & probabo illos ſicut probatur aurum. Vtique per tormenta ignium, & ſuppliciorum, per Martyria fidei examinatoria.* At ſubſequentia verba, quæ in Septuaginta ſenioribus leguntur: *Inobedientes, & præuaricatores auferam, & perdam,* accommodabis tyrannis, & perſecutoribus Martyrum, in quos ſeuere vindicauit Dei iuſtitia. Dum horrendis ſuppliciis, animi corporiſque vexationibus, eos de medio ſuſtulit, vt æternas luerent pœnas.

Lect. Lxx.
D. Chryſ.
D. Baſil.
Diui Laurētij Martyris fortitudo.
Tertull.
Per tormēta ignis Martyrium fidem examinat Deus.
Lect.
Lxx.
Perſecutores Martyrum ſeuerè puniti.

Pro Diuo Laurentio Martyre. Ad ea verba:

Vram te ad purum.

Discvrsvs I.

Prunas, flammas, rogum pro deliciis habuit Laurentius, crepitante buſtuario, & ſcintillanti craticula, velut in culcitra floribus ornatâ recumbit.

1. Appropinqvemvs buſto Martyris, dum flammarum globuli circumuolitãt, vt nos ignis exurat, quem Chriſtus accendit, vt ignis corporei flatus, animique Martyris nos ſpiritalis aura refoueat; ergo vſtulatur, exuritur corpus, nec potentiori manu eripitur de incendio, dum augentur cumuli flammarum, adiiciuntur in tormentis incrementa gaudiorũ; caro pinguedine lætitiæ delibuta plus Deo ſapit, cor inter ſtruem lignorum ardentium hilaritate exultans, & voluptate perfuſum, holocauſtum placitum Deo eſt. Sponſa Chriſti, amoris confecta languore, cerne quid poſtulet: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. c. 2. v. 5. amor infixerat in corde iaculum, & vulnerata languet. Vnde Lxx. legunt ex S. Ambroſ. in commentario Cant. tom. 5. *Quia vulnerata charitatis ego ſum.* Dum ſpiculo amoris transfixa eſt, vulneratur inter cruciatus paſſionum, & ex charitatis lenimẽto, volupe tormentum videbatur. Vnde S. Ambroſ. in exhortatione ad virgines ait: *Vulnera charitatis eſſe docet Iob, quo nemo amplius Chriſtum dilexit, qui diligebat etiam in ipſis ſui corporis cruciatibus.* Grandis amor Martyrum, qui pro iucundiſſimis deliciis habebant pati, flãmis exuri, aut ferreis vnguibus dilaniari. Sed ſi lectionẽ Hebraicam ſectemur; verba ſunt S. Laurentij pronocantis flammas, prunaſque ſcintillantes laceſſentis: Sic legit Chaldæus, & Hebræus apud Genebrardũ, & Gilſerium; *Fulcite me ignibus, flammis.* Non expetit auratam ſpondam, [illegible] ſtragulum, garyophyllo, lilio, roſâ, violis [illegible] accubet, ſed pyras, & rogos ſtridentes [illegible] pro lectis ſternio; inter vſtulata ligna, velut inter frondes virides, & flores recumbit, vnde Symmachus legit: *Requieſcere me facite in flore.* Prunarum acerui exurrẽtes crudeliter latera, iucundiores candentibus liliis, & purpureis floribus videbantur; Dũ ſuccenſis torrentur ignibus, in craticula velut florido accumbit in lectulo. Pulchre S. Chryſologus ſerm. 13. de S. Laurentio fatur: *Tunc oblata eſt torrenda, & vt verius dicam, aſſanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula, aſtrictus eſt ferro, ſed ille craticulam ſupplicij, lectum quieti putabat.*

Cor inter ſtrues lignorum licatum Deo, placitũ holocauſtum eſt.

Lect. Lxx. D. Ambr.

Charitatis vulnus.

Chald. Hebr. Genebr.

Ignium fulcimentum, & ſtratum ſponſa poſtulat.

Sym.

Prunæ flores videntur.

D. Chryſ.

Craticula Laurentij lectus quietis.

2. Nec non recedamus à floribus paſſionum, quorum ſpiracula longe, latéque diffuſa animum complent. Inter gliſcentes camini Babylonici flãmas, & flãmiuoma incendia terribiliter ardentia proiecti tres pueri nec ardoris cruciantur angore, nec inter ambuſtas malleoli machinas inhorreſcunt, ſed ſuauiſſimo cœleſtis ſpiritus recreantur ſpiratione, humidique roris irrorantur aurâ, Angeli miniſterio; Daniel c. 3. v. 50. *Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Iam enim Angelica, & diuina ſocietas tormenta in oblectamenta mutabat, flammei montes in altum elati, purpurea erãt velamenta, quæ pueros obũbrarent, & ab ignis terrore defenderent; camini æſtuantis pauimentum ſtratum pretioſis lapidibus, paradiſus arboribus cõſitus, aut pratu pulcherrimis floribus diſtinctu, quos premerent pedibus pueri, viſum eſt. Pulchre & floride Theodoretus in c. 3. Danielis ſcribit: *Tanta autem intus pietatis præcones ſerenitate, Deum colentes fruebantur, vt per ignitos carbones, quaſi per quaſdam roſas ingrederent.* Magnum pietatis, & fidei miraculum inter clibani fumum emicuit, dum pueri incedunt per ignes tanquam per flores, & dum calcant pedibus ignitas prunas, videbantur terere margaritas, aut molles roſas, quibus ornarent pedes, caput coronarent.

Tres pueri in caminõ proiecti, ſpiritus aura recreãtur.

Theodoret.

Per ignitos carbones, quaſi per quaſdam roſas incedebant.

3. Laurentius, & Peregrinus non ſanguinis ſolo nexu, ſed martyrij gloria germani deſtinantur prunis, & flamis tyranni Tiburtij edicto, cæterùm foculus, & ara, in qua exurendi, & mactandi erant fidei teſtes, horti ſpeciem regerebant, aureis, luteis, hyacinthinis floribus reſperſi. Id refert S. Petrus Damianus ſerm. 21. de horum martyru triumpho. Do tibi illius verba: *Perſecutor ille Tiburtius in amentis iracundiæ felle permotus, vaporantes, de fornace furioſi pectoris flammas euomuit, & beatos Martyres ſuper ardentes prunas nudis pedibus adſtare præcepit. At protinus, & carbones extincti, & glorioſi Martyrum pedes tanquã ſuper candentia lilia, vel croceos roſarum flores molli ſunt veſtigio delectati.* Itaque cruciatus, prunæ, caminus, incendium in oblectamenta vertuntur mirabili diſpoſitione; & ignitorũ carbonum aceruí in floru faſciculos, qui venerationis gratiã plantas oſcularentur Martyrum: in rogo Laurentij amplius diuinã virtus emicuit. Quid mirum, ſi illic floridum videtur pratum, pauimentum carbonibus ſtratum, ſi ſcintillantis prunæ cœlitus ſopitur incendium: hic viuidos igniculos, & flammiferos flatus eructat focus carnificis excitatus flabris, dum corpus ambulitur, [illegible] mira voluptate ſe verſans tanquam in molli ſtrato, & in floribus requieſcens ſtuporem iniicit orbi, & prodigioſo ſpectaculo mirantur Angeli.

D. Pet. Dam.

Martyres pedibus calcant prunas tanquam molles floſculos.

4. Si comparemus tres pueros de incendio Chaldæorum ereptos cum Laurentio, maiori præconio dignus inuenitur. Contemnere cruciatus in floridã iumenta, puerorum magnum eſt, æſtuantis incendij prunas conculcare diuinæ virtutis eſt opus; ſed quid maius, & auguſtius poſt Chriſti aduentũ Martyri Laurentio reſeruatũ; placide recumbere ſuper prunas, magna æquanimitate hũc illuc totum verſare, & volutare corpus. Audi S. Ambroſium ſerm. 17. ſtantem: *Legimus Ananiam, Azariam, & Miſael beatiſſimos pueros a Rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & ignitos globos pedibus cõculcaſſe. Nunc & beatus Laurentius non minori eſt gloria præferendus, ſiquidem illi in pœnarũ ſuarum flammis ambulãt; hic in ipſo ſupplicij ſui igne diſcumbit, illi veſtigiis pedum conculcant incendia, hic lateruum ſuorum deuotione reſtinguit, illi, inquam, ſtantes in pœnis eleuatis manibus orabant Dominũ: hic autem proſtratus in ſua pœna toto corpore Deum deprecatur.* Beato Laurentio maioris patientiæ, & cruciatus prærogatiua defertur, & magnificentior apparatur triumphus: in fornace velut in ambulacro gradiuntur pueri, longéque contingunt tormẽta veſtigio: at Laurentius, velauro martyris eximij, & maioris gloriæ infulis decoratur, in craticula velut defixus peritat cõſtrictus charitatis vinculis, & in manibus incendij flãmis amburendos, deuorando præbẽt lacertoſos artus, oblectationem, & requiem inueniens in ſupplicio, in ipſis ignibus vſtulatum corpus

Maior gloria Laurentij, quam trium puerorum.

D. Ambr.

Tres pueri inter flammas deambulant. Laurentius in ipſo igne recumbit.

corpus eſquam in lectulo ſtrato conchyliato peri-ſtromate leniter recumbit, vt totum à pedibus ad caput igneæ linguæ lingant,& depaſcant,vt totum ornetur aureolis,& palmis,dũ cremata pellis ſcinditur, hiantque vulnera, turgentium bullarum vſtionibus patula,pietatis ſpiramina, plurimis oribus, & linguis diuinum numen exorant.

Locus Iſaiæ de Diuo Laurentio exponitur.

5. Non grauabor Iſaiæ verba huic menti accommodare ex c.47.v.14. deſumpta: *Nõ ſunt prunæ,quibus calefiant,nec focus, vt ſedeant ad eum.* In quibus vanã Iſraëlitarum fidem reiecit, quã in auguribus cœli,& veneficiis collocauerant,vt eos à vaſtitate, & incendio Chaldæorum eriperent,ſex iuxta Lxx. ſeniores arcanum myſterium claudunt,ſic enim legunt,*Habes carbones ignis,ſedebis ſuper eos,hi erunt tibi in adiutorium*: Quæ lectio aptè,& conuenienter prolata videtur pro D.Laurẽtij ſupplicio,& gloria. Hic non ſolum ſedet ſuper carbones,ſed recumbit placidè.S.Cyrillus Alexan.in hoc loco ſcribit: *Sedebis ſuper eos,hæc ſeſſio denotare poteſt quietẽ.*In ſupplicio, & incendio inuenit quietem,& oblectamẽtum;ipſæque prunæ fuerunt ei in adiutorium,dum tranſiẽs per ignem deductus eſt in refrigeriũ; dum flãmæ robur addunt, virẽſque ſuppeditant animo patientis, & tanquam nouus phœnix de buſto renouatus exſurrexit, & ſublimis ad Deum euolauit.

Lect. Lxx. *Laurentius ſuper carbones requieſcit.* D. Cyrill Alexand.

6. Iam vocat nos Salomonis accubitus mirabili opere cõſtructus,in quo ſancti conquieſcunt;egregio laudatur carmine,Cantic.c. 3. v. 10.Inter alias triumphalis ferculi pompas,hanc refert:*Reclinatorium aureum.*Bonum aurum ad magnificentiam, & oſtẽtationẽ gloriæ,nõ ad accubationẽ, & requiem; potiora videntur puluinaria, aut culcitra plumea, quæ ſubſternantur ſponſo capienti ſomnum.Porrò aurũ probationes,& cruciatus denotat fidelium,in quibus accũbunt Martyres.Mens eſt Philonis Epiſcopi Carpathij dicẽtis:*Aureo reclinatorio Martyres comparantur:cõparantur auro propter fidei probationẽ, & ærumnarum, tentationumque firmiſſimũ argumẽtum: tanquã aurum,inquit,in fornace probauit eos, & veluti hoſtiæ holocauſti accepit eos.*Aurum,inquã,probatum, ignitum, fulgens tormentorũ crudelium examine. Sed cur ſummorũ dolorum cruciatibus, & pœnis, reclinatorium annectit?quia charitatis apicem, & diuini amoris robur Salomon aſpexit; poſtquam enim Ieſus in Crucis accubitu animam efflans, reclinauit caput;ſupplicia cruces, tormẽta,ignes aurea ſunt ſponda amicis ſponſi,in quibus deliciãtur, & requieſcunt,inſinuat hæc idem Philo in his,quæ ſubiungit verbis: *Dum pulchritudo cœleſtium gaudiorum paululum monſtratur,quaſi reclinatorium aureũ fit electũ: in quo ſe vel in hac mortali luce contemplando refocillent, ac requieſcant. Nihil hoc ipſo reclinatorio dulcius, nihil ſuauius,nihil denique diuinius.* Licẽt ad reclinatorium cœleſte, Philonis declinẽt verba,ſui ſermonis cõſequentia exigit,vt martyres qui aureo ſignantur reclinatorio,ex illius ſententia,dulcedinem ſuperni accubitus delibent, dum aurum probatur tormenti conflatorio, in quo fidei teſtis tanquam in iucundiſſimis oblectamentis requieſcat.

Philo Carp. *Martyres reclinatorium aureum,quia igne examinati.*

Philo Carp. *Tormenta reclinatorium aureũ videbãtur propter ſpem cœleſtis mercedis.*

7. Quid miror?Si quædam abbreuiatio gloriæ,& cœlum ipſum patientibus tormẽta videbãtur.Cœleſtis viſio, & horroris plena ſuperna manu obiicitur Ezechielis animo ex c.1.Ad præſens inſtitutũ decerpo verba num. 13. *Et ſimilitudo animalium aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium,& quaſi aſpectus lampadarum:hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium:ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Hos ignes,faces,lampades ænigmatũ velaminibus, & vmbris obſcuros,reuelat ſuorum verborum luminibus Theodoretus; hos in cõmentatio expendens ſapientiæ fulgores: *Terribilis contemplatio, & horroris plena pœnas præſignificans. Etenim carbones ignis,& diſcurrentes lampades, & inde emiſſa coruſcatio,& huc atque illuc animaliũ curſus,& à curſu ſplendor emiſſus, futura mala declarat.* Poſt cruciamẽta, pœnas,& vibramia caſtigationum fulgura, quæ fortiores viros cõſternerent,adiicit ſacer textus,& diuinus Vates: *Apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia, & aſpectus rotarum,& opus earum quaſi viſio maris.*Symmachus apud Theodoretũ,& Aquila apud S.Hieronym.legunt: *Sicut viſio hyacinthi.* Eſt autem hyacinthus ſicut ſapphirus,cœleſtis,ſeu cærulei coloris, vt teſtatur S.Iſidorus l.16.etymolog. c.9.*Hyacinthus cæruleum colorem habens.*Itaque Ezechielis rotæ ſuaue lucentem, & ſerenum cœli colorem regerebant,hyacinthi ſpecie,vnde Theodoretus ait:*Rotã vnam in vnoquoque animalium coniunctam contemplabatur, quæ hyacinthi ſimilitudinem haberet.*Quid eſt ergo laminis ardentibus,ignitis carbonibus,ſtridentibus flammis omne genus pœnarum,& cruciatuum præ ſe ferentibus, rotam hyacinthynam, ſeu cœleſtis coloris orbem adiungi? An,quia in ærũnis conſtituto propinquius eſt,cœleſte domicilium?An,quia humani Cherubini, qui ſtigmata Ieſu in corpore ſuo portant, circumdati ſtrue ardentium lignorum,correpti vorantibus flãmis, ſtrati ſuper ignitos carbones,beatitate quadã, & gloria frui videbantur?Tantum præualet Dei dilectio in dilaniato, & ſemiuſtulato Martyre,vt prunarium immutet in pauimentũ margaritis ſtratum,rogũm in paradiſum,& caminum in cœlum.

Igneus Cherubim aſpectus futuras calamitates populi portẽdebat. Theodor.

Rota erat ſicut viſio hyacinthi. Sym. Theodor. D. Hieron. D. Iſid. Theod.

Beatitudo annexa cruciatibus.

DISCVRSVS II.

Dum ignis ignem in Laurentio ſuperat, totus fit igneus, & ad æthercam regionem euolat.

1. FIDEI ardor,& diuinæ charitatis flãma globos igneos, & cruciatus vicit; duo ignes prouocantur ad pugnam, ſed inuictus ignis amoris in Laurentio retulit palmam,dum lignorum rogo caro,& dilectionis incendio concrematur. Inſuperabile robur,quod Deus dilectioni indidit,exponit Salomon Cant.c.8.v.6. *Lampades eius,lãpades ignis, atque flãmarum.* Verſionem Græcã ex Theodoretõ deſumptam ſequor: *Scintillæ eius,ſcintillæ ignis, alæ eius,alæ ignis:prunæ ignis flammæ eius.*Amoris diuini præſtantiam, & æſtuoſam vim,cui cedunt omnia, perſpicuam facit Theodoretus:*Ita fortis* (inquit)*eſt charitas,quia primum volucris eſt, deinde circum alas ſuas habet flãmam ignis, & ſcintillas eiaculatur. Quid autem,cum tam ignea,flammeãque ſit,eà poſſit eſſe vehementius? Præſertim cum ignis eius ſit ex eo genere ignium,qui non extinguuntur?*Deifici amoris ignis in Laurẽtio flãmas,& ſcintillas eiaculatur, Seraphici ignis miſſilia,quæ pectus exurant humanum;flammea innaſcuntur pennæ, quibus ad ſuperiora ſe ſubrigas. Sed perpende poſtrema Epiſcopi Cyri verba: *Cum ignis eius ſit ex eo genere ignium,qui non extinguuntur.* Eſt enim ignis inextinguibilis; qui reſperſus aquarum fluentis, maiori flammã mardeſcit, & ſolo aceto extinguitur; ſic ignis amoris Dei cõtra omnes ærumnas inuictum exerit robur, ſolo peccati aceto,& fellea vua reſtinguitur

Duorũ ignium pugna. *Amoris ſacri inexpugnabile robur.* Lect. Græc. Theodor. Theodor. *Charitas habet alas, flãmas, ſcintillas.* *Ignis charitatis eſt inextinguibilis.* Theod. *Ignis, qui dicitur inextinguibilis, ſolo aceto extinguitur.*

2. Cur Ieſus tormentorum acerbitates ſuſtinens, poculum aceti inſipidum conſtanter reſpuit Matt. c.27.v.34. Ioann.c.19.v.29. & 30. *Vas ergo poſitum*

Cur Ieſu [illegible]

erat

erat aceto plenum. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum. Guſtauit, non bibit acetum, vt notat Hugo Cardinalis hîc. S. Antoninus 1. par. hiſt. tract. de paſſione; cur ergo non ebibit acetum? ne ignem charitatis extingueret, ſicut acetũ quod vim diſperdit ignis: at hunc conceptum exponunt verba Hugonis Card. Cantic. 8. ſcribentis: *Cùm & quidam ignis materialis ſit, qui Græcus nominatur, qui non poteſt aquis naturalibus extingui, ſed aceto extinguitur. Sic & charitatem propriâ cordis malitiâ poteſt extinguere, quæ acetum eſt, quod noluit Dominus in Cruce bibere.* Erat in Ieſu diuinus amoris ignis, fluentis, & vndis paſſionum plus fulgens, & ardens: non bibam, inquit, myrrhatum vinum, nec acetum potabo, ne aliqua, ſpecies culpæ hanc flammam videatur extinguere, verumtamen præter acetum omnia tentamenta, & ærumnas accumula, iniice immenſi æquoris vndas, plus flagrat: eſt enim charitas Ieſu Martyríſque Laurentij ex Theodoreti placito ex eo genere ignis, qui non extinguitur.

Hugo. Card. D. Anton. Hugo Card. *Acetum malitia eſt, qua ſola ignem charitatis extinguit.*

3. Allicitur ſuauitur animus ad perfruendum cœleſti ſpectaculo, vt ſolerter contempletur duorum ignium ſingulare certamen, in Patriarcha Abraham, qui dum ad litandam religioſam filij victimam ad montem viſionis properat, armatur gladio, & igne, Gen. c. 22. v. 6. *Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium.* In manu ignis ardentis vibrabat flammula, ſed incendium ignis intus ardebat, quo Iſaac commiſerebatur, & natus offerebatur: ante oculos conſtituit Abrahamidi pectoris duplex incendium S. Chryſoſt. hom. 47. in Geneſim, dum fatur: *Quomodo manus ferre potuit ignem & gladium? & manus quidem ferebat ignem, qui ſenſibilis erat, intus autem accendebat ipſius mentem, & rationem abſumebat, & perſuadebat vt vinceret amor in Deum.* Et paucis interiectis: *Cæterum vide, obſecro, præterea, ante ſenſibilem ignem, incendium internum, quod paulatim exardeſcebat, & iuſti mentem concremabat.* Duo in palæſtra cordis Abrahami belligerabant incendia, erga gratum, & floridum pignus; pietas, & paternus amor, velut igniitis iaculis lancinabant pectus, & à nece infantuli auocabant mentem; ſed incendium aliud amoris Dei erigebat animum, inuictúmque reddebat, vt ſequeretur nutum ſacrificium imperantis. Perſuadebat, vt vinceret amor in Deum: hic eſt enim ignis, qui ſemper decoratur infulis triumphorum.

Ignis humanus, & ignis diuinus in Abrahami pectore pugnant. D. Chryſoſt.

4. At Laurentius plurimorum certaminum inſignitur coronamentis. Vicit ignes, ſuperauit tyrãnum, ſuperior Xyſto factus eſt naturæ, denique cũ de certaminis, & martyrij præcedentia conflixit, grata tibi erat Pyladis, & Oreſtis cõparatio, quã S. Ambroſius ad declarandam Laurentij pietatem vſurpat lib. 1. offic. c. 41. ſcribens: *Talis erat contentio, digna ſanè, de qua certarent Sacerdos, & Miniſter, quis prior pateretur pro Chriſti nomine. In fabulis ferunt tragicis, excitatos theatri magnos eſſe plauſus, cum ſe Pylades Oreſtẽ diceret; Oreſtes vt erat, Oreſtem ſe eſſe aſſeueraret: ille vt pro Oreſte necaretur, Oreſtes ne Pyladem pro ſe pateretur necari. Sed illis non licebat viuere, quod vterque eſſet parricidij reus: alter, qui feciſſet, alter, qui adiuuiſſet. Hic Laurentium ſanctum ad hoc nullus vrgebat, niſi amor deuotionis, tamen & ipſe poſt triduum, cum illuſo tyranno impoſitus ſuper craticulam exureretur, Aſſum eſt, inquit, verſa, & manduca, ita animi virtute vincebat ignis naturam.* Erat enim Laurentij charitas belligerator ignis, qui cum Xyſto de profuſione ſanguinis, & vitæ decertabat, qui tyrannum, carnifices, cuſpidatas flammas de craticula laceſſebat: quid? ridebat ſemiambuſtos, & fuligine atratos Miniſtro, vt turgentibus buccis flarent, & incitarent ignes, & in corde dicebat: *Veni Auſter, & perfla hortum meum.* Dum hoſtium acies ſuperiori animi virtute exufflat, fit ſacrificium afflans Deo odorem iucundum: vincebat ergo in palæſtra martyrij charitas, ita enim virtute vincebat ignis naturam.

D. Ambr. *Contentio Pyladis, & Oreſtis pia contentioni Xyſti, & Laurentij accommodatur.* *Laurentius animi virtute vincebat ignis naturã.*

5. Nunquid crudelitatis habet tradere hominem, quem Deus creauit, in combuſtionem, & cibum ignis, & permittere pyræ corpus, quod creator plaſmauit, vt in cinerem, & fauillas abeat? non eſt crudelitas, ſed pietas religionis; ſic Deus dilectos filios tractare cõſueuit. Hoc amoris extremũ male apud gentes audit, & inhumana nuncupatur feritas, dum prædictæ argumentat iunculæ, de inuoluto tenebris cerebro mutuatæ munimine proteguntur, eam tamen Tertullianus mirâ elegantia expugnat, Deique amorem, & prouidentiam erga hominis figmentum ab omni vitio, & ſpecie diritatis purgat. Dum ſua numina belluarum immanitate veſtita, incredibili atrocitate hominẽ ad execrabile, & inhonorum ſacrificium expoſtulant. Tranſcribo Tertulliani verba ex lib. aduerſus Gnoſticos c. 7. *Crudelem Deum, qui non intelligit, credit, ſed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud ſæculum liganit. Nec quiſquam retractat, aut non rationem præſumit aliquam, aut inæſtimabilem Dei ſui voluntatem. Si noſter quoque Deus propria hoſtia nomine martyria ſibi depoſtulaſſet, quis illi exprobraſſet funeſtam religionem; & lugubres ritus, & aram, rogum, & pollinctorem Sacerdotem, & non beatum amplius reputaſſet, quem Deus comediſſet?* Sitit humanum ſanguinem Dæmon, vt perdat, amat homini buſtum, religionis ſimulatione, vt tartari incendio in æternum ardeat, at tradi martyrem diris flammis de amore prouenit, vt iuſti virtus ſplendeat; vt charitas erga Deum accipiat incrementum; vt hoc ignis, & amoris condimento caro fiat diuinæ menſæ ferculum; in quo ſenſit accipe poſtrema Tertulliani verba: *Et non beatum amplius reputaſſet, quem Deus comediſſet?* Poſtquam enim flammarum ardore torrentur carnes, fiunt aptiores diuinis dapibus, hoc enim epulum Deus eſurit; vſtulatis carnibus ſuis Laurentius ad conuiuium inuitabat tyrannum dicens: *Aſſum eſt, verſa, & manduca.* Sed indignus eſt, qui tali paſcatur alimento, erat enim Laurentij caro cibus regius, Deificæ menſæ dicatum pulmentum, quod in craticula tanquam in mappa, & diſco aureo, cœlorum Regi, & eius conuiuio offerebatur; hanc tamen eſcam Deus non tantum comedit, verùm ligurit; quis non beatũ reputaſſet, quem Deus comediſſet.

Pietas Dei eſt, crudelitas non eſt, tradere filios ſuos comburendos flammis. Tertull. *Falſa numina placantur hominum victima.* *Beatum corpus, quod rogus depaſcit, quod Deus comedit.* *Aſſata pro Chriſto caro diuina menſa cibus.* Tertull.

6. Laurentius flagrans charitatis rogo, circumdatus flammis, à Deo, qui ignis eſt, deuoratus, totus fit igneus; & non niſi inter flammas, & ignes viuere optat: de igneis montibus, & animantibus epulantibus ignem, & flammas, hæc mirabilia refert S. Macarius Senior hom. 14. tom. 2. Biblioth. Veter. Patrum: *Quidam ſunt montes ignei, in quibus ignis permanet, & illic ſunt animalia ouibus ſimilia, ad qua capienda venatores rotas ferreas conficiunt, & proiectos hamos mittunt in ignem, propterea quod animalibus illis loco pabuli, potus, requietis, incrementi, vitæ, omnium denique rerum vice eſt ignis, quæ ſi traducas in alium aerem, ſtatim intereunt indumenta eorum, vbi ſordibus maculata fuerint, non aquâ, ſed igne lauantur, & inde puriora fiunt, & candidiora.* Verè ouis, & agnus Laurentius in craticula litandus Deo, quem nec rota, nec vncinus, nec hamus,

Laurentius inter ignes, & flammas viuit. D. Macar. *Animalia quædam quæ habent pro alimento, potu, vita, requie ignem.*

nec

[illegible]

7. [illegible] & [illegible] ſ. v. 14. [illegible] Quæ [illegible] respondens [illegible] dum [illegible] *Quemadmodum, qui [illegible] & elaborant [illegible] velut expurgare, & [illegible] ſplendidius reddere, ſæpius [illegible] in fornaces [illegible] nigredinem contraxerunt, [illegible] Deus.* [illegible] *Illa autem [illegible] vere proficiens, ſic ignea ſedes Regis [illegible].* Semel & iterum [illegible], tanquam aurum in fornace [illegible], [illegible] pulveris, aut ſordi [illegible] contraxerat, expurgaret, redderetque expolitam, & ſplendidam. *Sic facta eſt ignea ſedes Regis [illegible].* Primus exuſtum corpus, anima [illegible] flagrans, igneus factus eſt thronus, in quo ſedeat, [illegible] cumbat Deus.

8. Hoc igneum ſubſellium, non niſi artificioſa, & potentiori Dei manu [illegible]. Ad examen voco verba illa Pſal. [illegible] *igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* [illegible] & expendit dilucide [illegible], ſeu Aiguanus in Pſalmo [illegible] lib. 1. [illegible], in fornace [illegible] ad purgationem, ad fabricationem [illegible]; *Aurum, vel argentum [illegible], [illegible] eſt autem Deus Pater faber, qui [illegible] Salem [illegible] ſabri [illegible] Pater [illegible] virtutes [illegible] in igne [illegible] vapor [illegible] carnes.* Quam [illegible] aureum [illegible] Deus [illegible] [illegible] torqueret, [illegible], & [illegible] Deo [illegible] [illegible] Laurent [illegible] ignes ad [illegible]. Do

[illegible] Beati [illegible] *Iſtas [illegible] Martyrem [illegible] tormenta [illegible] in ſterni [illegible] ſinapis [illegible] terri [illegible] pluri[illegible] Laurentius in craticula flammis [illegible] torretur, ardebat itaque extrinſecus [illegible] ſis. Sed minor illum [illegible] flamma torrebat. Et quamvis [illegible] incendia maior [illegible] Laurentius [illegible] flammas fidei calore [illegible] exanime [illegible] detrimenti [illegible].* Hæc S. [illegible] nihil adiicio, [illegible] obſcurare ſplendorem.

10. Videre mihi videor Angelorum [illegible], Laurentij [illegible] ad martyrij [illegible] celebrem [illegible] verba [illegible] *Quæ eſt iſta quæ [illegible]* Theodoretus [illegible] *habitus perturbatio [illegible] remoto, per [illegible] ſententiam ad Deum ſublata [illegible] fumi, qui ab igne ſ[illegible] depaſcente [illegible].* Non [illegible] ſed [illegible] in igne [illegible] flamma, & velut [illegible] & incrementum [illegible] procedit ad [illegible] magno [illegible] eſt [illegible] Symmachi. *Tanquam [illegible].* Conſtitue tibi Laurentium [illegible] ignis [illegible] Deo [illegible] Hoc thuribulo [illegible] Angeli Apoc. cap. 8. *Et alius [illegible] ante altare habens thuribulum [illegible] de orationibus [illegible] ſuper altare aureum, quod [illegible] Dei.* [illegible] *Deo* [illegible] & [illegible] Rupertus [illegible] *fides [illegible] cet multis tribulationibus [illegible] ſuper terram peregrinam [illegible]. Hanc illorum fidem tanquam thuribulum habebat in manu ſua*

Deus ex pulchritudo ſpõ ſede terminis ignium procedit. Pſal.

Anima ſedes ignea regis æterni.

Aiguan.

Aurum in conflatorio examinatur ad purgationem, explorationem, fabrefactionem.

Deus faber eſt, qui in igne tribulationis [illegible] virtutibus [illegible] eos.

[illegible]

D. Ambr.

Grani ſinapis natura.

Amoris Chriſti [illegible] Laurentij [illegible].

In igne [illegible].

Theodoret.

Anima [illegible].

[illegible] in cælo [illegible].

[illegible] refertur [illegible].

Thuribulum in manu Angeli, in quo [illegible] orationes ſanctorum.

Rupert.

Thuribulum [illegible].

ſi, ad impetranda Dei beneficia [illegible] ſuauiſſima eſt affectio ſanctarum precum, quæ [illegible] per dilectionem operante dulceſcit, [illegible] ſurgit, quomodo [illegible] igne cremante [illegible] ſum, fumum creat [illegible] iſerum, ſuriſum [illegible] ſenſum inſpirans [illegible] ſuauitate [illegible] gradatione huiuſcemodi fumus [illegible] de orationibus Sanctorum ad manum Angeli, de manu Angeli coram Deo aſcendit. Hæc ex Ruperto [illegible] vero [illegible] commoda Laureatio.

Fumus incẽſorum affectio eſt Sanctarum precum.

Discvrsvs III.

Viros iuſtos ſplendidiores, & illuſtriores reddit tribulatio.

1. Adhvc in illis verbis: *Et [illegible] ad purum ſcoriam tuam*, Deum [illegible] conſidero, qui aurum in fornace tribulationis fundit, explorat, vt de conflatorio [illegible] ſplendidius rutilet. Hæc mens antiquorum [illegible] Salomonem inuenio Sapient. c. 3. v. 5. de [illegible] ſententiam: *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* Cur non [illegible] argentum, [illegible] ſubiectum, [illegible] colore fulgorem amplius [illegible]. Verbis ex Plinio [illegible] reſpondeo, quibus [illegible] auro momenta requirit, [illegible] propter [illegible] comparationis oſtendio: l. 33. c. 3. [illegible]: *Præcipuam gratiam huic [illegible] fuiſſe arbitror non colore, qui argento clarior eſt, magiſque Diei ſimilis, & ideo militaribus ſignis familiarior, quoniam is longius fulget, nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum eſt cæteris metallis, cum cedat per vtramque plumbo: Sed quia rerum vni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis, rogiſque durante materia. Quinimo, quo ſæpius arſit, profecit ad bonitatem.* Inter omnia metalla [illegible] aurum non propter irradiantem ſplendorem, aut pondus, ſed quia in [illegible] incendio [illegible] detrimenti patitur, ſed accipit incrementum puritatis, & nitoris tanquam aurum ergo in fornace probati ſunt iuſti, quia de ignium pyris, & tormentorum, & [illegible] incendiis, fides [illegible] ad bonitatem proficit, [illegible] virtus, & fortiter illuſtrior redditur, & maiorem diffundit ſplendorem.

Deus iuſtos tanquam aurum in fornace probat.

Cur non probat eos tanquam argentum?

Plin.

Aurum aliis metallis præſtat, quia nihil igne deperdit.

Aurum, quo ſæpius ardet, proficit ad bonitatem.

Sanctorum fides de incẽdio plus nitet.

2. [illegible] S. Chryſoſtom. homil. 14. ex variis in Matth. locis tom. 2. [illegible]: *Nunquam [illegible] times tentationem ſi animam præparatam habes, non nocebit tribulatio, quia tolerantiam operatur: ſicut enim aurum in camino non læditur, ſi [illegible] ſtabilem animam tribulatio [illegible]. Quid operatur caminus? aurum mundat: quid operatur tribulatio? tolerantiam, ampliorem[que] patientiam.* Et paulò ante de Iob [illegible]: *Iob [illegible] tentationes præcipuus erat, ſed poſtea melior apparuit, nec [illegible] cum illæſum haberet corpus, ſed multò melior oſtenſus eſt, cum ex corpore [illegible] ſanies diffluebat.* Ad bonitatem [illegible] in Iob inuentum eſt, cum [illegible] corpore [illegible], & pecus [illegible] pellis, & [illegible] ſeſe in apertam lucem prodidit. [illegible] Iob ante quam in certamine cum Dæmone [illegible] vlceribus [illegible] ſanie diffluens [illegible] tribulationes [illegible] non [illegible], ſed [illegible] ma-[illegible] Euxi.

D. Chryſoſt.

Caminus in auro efficit munditiam, tribulatio in iuſto operatur ampliorẽ tolerantiam.

Iob ex tentatione melior apparuit.

[illegible] S. Auguſtini [illegible] infornacem [illegible] eſt: ibi eſt aurum, [illegible] operatur: igne [illegible] paleam in cinerem [illegible] autem habitat Deus [illegible] meliores fiunt, tanquam aurum [illegible] & [illegible] virtutis, [illegible] enim [illegible] inſtar [illegible] Salamandræ conſectum, quod igne dealbatur, & [illegible] quo Rupertus Holcot in c. 3. Sapient. [illegible] mirum refert: *Papa Alexander habuit veſtimentum quoddam de pilis Salamandræ: quod quidem veſtimentum quando ablui debuit ad honeſtatem, non lauabatur in aqua, ſed proiiciebatur in ignem, & non comburebatur, ſed fulgentius reddebatur. Sic corpora Sanctorum, non in aquis carnalium delectationum lauari debent, vt fulgeant, ſed magis in igne tribulationis.* Hæc Holcot, penes quẽ ſit huius relationis auctoritas, [illegible] vera, inuictas virtutes [illegible] probat in iis [illegible] quorum mentes & corpora per [illegible] fiunt [illegible] ſplendidiora.

D. Auguſt.

Sacram [illegible] vocat Auguſtinus fornacem, & aurificem.

Ignis paleam conſumit, aurum purius reddit.

Sancti [illegible] fiunt meliores.

Holcot.

Veſtimentum de pilis Salamandræ contextum igne abluitur & purius redditur.

Sancti tribulationibus fulgent.

4. [illegible] murenulas [illegible] appenduntur ad amplitudinẽ, & decorem, Cant. c. 1. v. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* De Chriſtianorum, & martyrum fide, quæ perſecutionibus examinata, & probata eſt, verba accipit S. Ambroſ. in Pſal. 118. octon. 5. & grauiter perpendit, cur auro comparetur ſcribens: *Ex iis enim qui ex lege ſunt, & Prophetis mediocriter ante crediderunt gloriam Domini Ieſu, ſed hæreditas eius diffuſa per populos, quæ frequentius examinata, eo amplius eſt approbata. Crebra enim perſecutiones Eccleſia, iuſtorum [illegible], martyrum [illegible]. Itaque ſicut aurum bonum Eccleſia, [illegible] detrimenta non ſentit, magis [illegible].* Ante Chriſti aduentum [illegible] per Euam lapſæ [illegible], & [illegible] experiretur: Tyrannorum violentia, [illegible] vſque profuſionem ceſſaret. Hoc [illegible] eximium decus martyribus [illegible] Iſtius [illegible] & imperatorum, [illegible] ornant, *Itaque ſicut aurum bonum, Eccleſia [illegible] detrimenta non ſentit, magis [illegible] eius augetur.* Tinctus martyrum ſanguine [illegible] Solis radios [illegible] tormentorum [illegible] reſplendet.

Perſecutiones Martyrũ, & probatio fidei, Eccleſia ſunt murenula.

D. Ambr.

Aurum Eccleſia cũ [illegible], [illegible] ſit.

5. An[illegible] cum [illegible] quæreret ſponſum, offendit Hieroſolymitanæ vrbis cuſtodes, à quibus percuſſa, vulnerata, & ſpõſale velamen ademptũ, & ereptum eſt violentis manibus; dum oculi obortis lacrymis [illegible] gemmis pulchre rorantur, ſuum narrat [illegible] adoleſcentulis Cant. c. 5. v. 7. *Inuenerũt me [illegible], qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Miror fœminam, & pulcherrimã ſpecie [illegible] aliquid detrimenti, & malæ tractationis [illegible] a cuſtodibus, præſertim ſi iuxta patrum [illegible] cuſtodes ſint Angeli, qui ſponſæ [illegible] cuſtodia, ſatellitium[que] eſſe ſolent. Cur ergo Reginam, & Regis [illegible] plagis, & vulneribus [illegible] & ſummam in percuſſura [illegible] obtemperantes, [illegible] afficiunt, vt ſponſæ [illegible].

Cur ſponſam ſacrã cuſtodes vulneribus conficiunt?

[illegible]

exerceatur, quæ [illegible] vt nec ærũnis, nec plagis, nec tormentis a quo [illegible] ſponſo retardatur: ipſa vero [illegible] vibratibus liuida, vulneribus [illegible] plus ſolet de adepto pallio, aut theſtro, vigilo vero plus gaudet, & exultant ablato [illegible] velamine ſacro inuictæ virginis trophæa, quia ablato obſcuritatis velamento, egregia corporis forma & eximius animi decor [illegible] apparuit. Placuit hæc mens S. Greg. Nyſſen. ar. hic ſcribẽti: *Videmus igitur etiã preclarũ hoc vulnus eſſe, per quod ſponſæ peplum adeptum ſit, ita vna animæ pulchritudo ſit reuelata, non amplius offundente illi calignẽ amictu.* Inhonora percuſſio nõ eſt, quæ infligitur in amoris certamine: dum fides tentatur, & inconcuſſa probatur, ad ictus virgæ tanquã ex ſilice reſiliũt amoris flammæ: ante quam tormenta, & ærumnas experiretur, erat occultata virtus ſponſæ, ſed poſtquam percuſſa eſt, ablatum velamen eſt, & animæ ſuæ firmamento virtutum ſidera refulſerunt.

Greg. Nyſſ.
Ablato thereſtro animæ pulchritudo reuelata eſt.

6. Inter calamitatum turbas conſtitutus Dauid querula voce hoc carmen ingeminat: *Sicut vmbra cũ declinat, ablatus ſum.* Pſ. 108. v. 23. vmbra ſine ſole non eſt, Sol enim efficit vmbram. Erat ergo Dauid inter tribulationum ardores exæſtuans, Solque aduerſitatis paſſionum radiis exuſtus, ſacrum Regis pectus exurebat quod ſolis ardor perſecutionũ innuit. Scribit hic Aiguanus dicens: *Notandum quod per ſolẽ ratione ſui ardoris ſignificatur quandoque in ſcriptura perſecutionis ardor, & crudelitas, quod oſtẽdit Gregorius dicens: per ſolẽ in ſcriptura perſecutio deſignatur.* l. 34. mor. c. 6. Sol ergo cum minus calefacit, cum oritur, aut occidit, maiora ſpargit terris vmbracula, longioreſque cadunt altis de montibus vmbræ. Cũ vero in ſũmo cœlo graditur, in meridiano exurit montes, in opacis corporibus paruã, aut ferè nullã vmbrã efformat, vt acutè annotat Aiguanus: *Sol ergo perſecutionis, quanto magis exaltatur, tanto vmbra vitæ præſentis minoratur, & quando eſt in ſummo, [illegible] vmbra vitæ præſentis auferetur.* Et egregio ſimili [illegible] ceptũ confirmat: *In monte Sion eſt vna columna, quæ dicitur eſſe in medio mundi, & cũ in ſolſtitio æſtiuali in meridie Sol reſpicit columnã, quod nullã vmbrã cauſat, ſed ex omni parte illuminatur a ſole.* Cum ſuperiorẽ cœli apicẽ ſcandit Sol, in ſublunaribus ferè nullam efficit vmbrã, ſed omnia ornat lumini amictu. Sic Sol aduerſitatis, & perſecutionis [illegible] de vel latere temperatum calorem fundit, nec multum fouet, nec exurit radius ærũnæ, non illuſtratur vndequaque iuſtus, nec tota animi virtus fit perſpicua, ſed maiori parte inũbratur; at cum tentatio vrget, & de ſuperiori ætheris culmine radius aduerſitatis ferit directè, & per incrementa temporum, & perſecutionum æſtus creſcit, circumquaque fulgores ambit, totumque corpus [illegible] diſpellens vmbra, luminoſum redditur, nulluque animi inſigne ſub inuolucro occultatum remanet, ſed virtutes omnes tanquam in propatulo, & in medio ſole conſtitutæ a lumine manifeſtantur.

Aiguan.
Sol denotat perſecutionis ardorem.

D. Greg.
Sol in ortu, & occaſu maiores, in altitudine eleuatus minores vmbras efficit.

Aiguan.
Columna in medio mundi exiſtens in ſolſtitio æſtiuali nullam vmbram efficit.

Cum ſumma eſt iuſti perſecutio maiori virtutũ ſplendore fulget.

7. Iob vlceribus plenus, & in ſterquilinio ſeſſitans, ſe ipſum iaculis transfixum, & confoſſum, & aduerſitates ſuas, Domini ſagittas nuncupat. c. 6. v. 4. *Quia ſagittæ Domini in me ſunt.* Cur vir ſãctus, & virium tolerantiæ [illegible], ad tela vocat ſagittas: an quia Dei amor arcum [illegible] tetendit, & parauit iacula, vt corpus Iob tanquã ſcopũ attingeret, & amoris telo confixum remanere, diceretq; cum ſponſa: vulneratus, charitatis ego [illegible] quia [illegible] fixus cœleſti, & pennata charitatis ſagitta, ſi [illegible] maiori [illegible] inardeſcit, & ad fontem

Cur Iob aduerſitates nuncupat ſagittas.

P. A. Lur. de Arcones in Iſaiam.

æternæ vitæ velocius currit: ſed vocat tentamenta ſagittas, quia explorant interiora pectoris: in hoc ſectandus S. Amb. ad ea verba Pſalm. 31. *Quoniam ſagittæ tuæ.* Qui ſic fatur: *Dominus ideo dat tentatori poteſtatem, vt hominis in tentationibus probetur affectus; ideo ſit perſecutio, vt fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifeſtetur. Ergo tentatio quaſi ſagitta penetrat interiora hominis, & quaſi gladius Dei, qui ſcrutatur interna.* Quam acuta & penetrabilis tentatio eſt, acuminata cuſpide iter pandit, vt introſpiciat pectoris intima, vt rimetur arcana, vt latitans virtutis decor fiat patulus.

Tentationes aperiunt interiora pectoris, & virtutem explorãt.
D. Ambroſ.
Ideo ſit perſecutio, vt fides luceat.
Tentatio quaſi gladius eſt qui ſcrutatur interna.

8. Non ſolum iuſtus, ſed ipſe Deus quodãmodo fit illuſtris ex ipſis ærumnis: in quo ſenſu accipe verba Deut. c. 33. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis.* Vtriuſque nominis etymologia examinanda: iuxta Complutenſe Lexicon Seir ſignificat *hiſpidũ*, vel *Dæmonem* aut *tẽpeſtatem*. Sinai in hoc loco idẽ eſt, ac *rubus*. Syriace *inimicitia*. Sicut enim Angelus inter rubi ſentes ſpectabilior apparuit, ſpecie fulgẽs, ceu diuinitatis ſimulacrũ; Iudaicuſque populus de camino Ægyptiacæ ſeruitutis, & Pharaonis ſimultate, factus eſt famã, & nominis celebritate conſpicuus; ita Dominus Ieſus de Sinai venit glorioſus, ſupernis ſtipatus agminibus, eiuſq; poteſtas eminuit, cũ Dæmonẽ in deſerto expugnauit, humani generis hoſtẽ exſufflans, eius tentaméta diſturbans. Glorioſior apparuit, cũ demerſus paſſionũ tẽpeſtate, poſt triduum emerſit, & fulgore diuinitatis coruſcus emicuit. Optime LXX. legunt: *de Seir illuxit*, & Vatablus explanat. *In mõte Seir oſtendit claritatẽ ſuam*, vt Sol, quando apparere ſolet mundo; clarior itaque diuina virtus, nouumque accipit ſplendoris incrementũ in acceptione humana, cum vincitur Diaboli ſuperbiã humanitate patientis, & inter aduerſitates triũphat tolerantiæ robur. Appoſitè S. Ioannes Raythun in ſcholiis S. Climaci in gradu quinto, tomo quinto Biblioth. Veter. Patrũ, ſcribit: *Per patientiã tribulationũ, & tentationum probatur ſeruus Dei, & per contemplationẽ & ſuſceptionem altarum Dei illuminationum, perfectus efficitur, Dominus enim ex Sina venit, id eſt, ex tentationibus, & illuminationibus, & illuxit nobis ex Seir, hoc eſt, ex corporalibus laboribus, & doloribus.* Elucet Dominus, cum inter tentationũ procellas, & aduerſitatũ tenebras illuminationibus ſuis animũ cõdecorat, eſt enim tentationũ fructus illuminatio mentis, cũ paſſionibus ſuperiores euadimus, *tunc illucet ex Seir.*

Deus illuſtrior apparet ex ærumnis quas in homines immittit.
Seir, & ſinai quid denotent.
Lect. LXX.
Vatabl.
D. Ioan. Rayt.

Discvrsvs IV.

Tribulatio prædeſtinationis eſt ſignum.

1. BONVS aurifex Deus, qui in fornace laborũ, improbos tanquã ſcoriã, ab auro puro iuſtorũ ſecernit: ideo eũ dilectos camino paupertatis, & tribulationis exurit, ærumnã, & cruciatu tanquam ſtigmate electorum inurit. Huius veritatis teſtem in medium produco ſanctiſſimum vatem Zachariam cap. 13. qui cum in ternas hominum catervas genus humanum partitetur, duæ partes per terrarum orbem diſperguntur, & pereunt, dẽ tertia parte dilectorum ſubiungit: vers. 9. *Tertia pars relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum.* Tertiam partem electorum, qui ad peculium Dei pertinẽt,

Qui exuruntur ſicut ignis, ad populum Dei ſpectant.

T per

per ignem traducit, eorumque vires, tanquam rigidus probator auri, in camino explorat, cruciatuum charactere notatos, vt populum ſuum recognoſcat. Ideo ſubiungit Deus loquens vatis linguâ: *dicam, populus meus es.* Ad præſens inſtitutum verba expendit grauiter S. Cyrillus Alexandrinus dicens: *Ad multas enim vexationes, & perſecutiones experiendas vocati ſunt, & tantum non ignibus vſti, dum per tentationes probarentur, vt cum fiducia poſſent exclamare, quoniam probaſti nos Deus igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. quæ igitur hinc vtilitas? aut quod præmium referent, qui ſic afflicti, & probati ſunt? domeſtici, noti, & dilecti Deo euaſerunt. Quocirca hæreditas peculiaris Dei & Patris, facti ſunt.* Felix tribulatio, quæ omnium bonorum cumulum parturit. Quam frugifera facta eſt tribulatio, eâ enim vexatos & afflictos ad decus imperij, & cæleſtis regni hæreditatem electos manifeſtat hoc enim dulci, & forti lenimento leues, & faciles redduntur ærumnæ, maximumque accipiet incrementum tolerantia, dum ex tormento & vexatione dignoſcuntur milites, qui futuri ſunt noti, & domeſtici Dei adſcribendi cælitum curiæ. Sapienter ergo Gregorius Magnus l. 21. Moral. c. 4. de iuſtorum flagellis ſcribit. *Tranſitorio hic verbere affliguntur electi, vt à prauitate flagelli corrigant, quos paterna pietas ad hæreditatem ſeruat: tunc enim flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur: quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur; in ſuis autem voluptatibus relaxatur iniuſtus, quia tantò ei temporalia bona ſuppetunt; quantò æterna denegantur.* Ad æternæ hæreditatis patrimoniũ aliquem pertinere ſigna ſunt, tribulationum flagella; laborum vſtione, & vibicibus verberum dignoſcitur hæres regni: ex quo enim iuſtus in fornace tribulationis vritur, & probatur ſicut aurum & argentum, Dei ſententia profertur: *populus meus es.* Munus enim aduerſitatis eſt, vt ſupernũ attrahat auxiliũ, & quæ prouenit de clemẽtia, adiũcta ſit gratiæ, vt poſt merita ornetur coronâ iuſtitiæ, ſedeat in cæleſtib. & cõregnet in Christo.

D. Cyrill. Alex.

Qui igne examinantur, facti ſunt peculiaris Dei hæreditas.

Greg. Mag. Cur electi in hoc ſeculo vexantur, reprobi non affliguntur.

2. Continua Chriſtiani pax bello laborum, & periculis inexperta, militibus Chriſti ſuſpecta eſſe conſueuit, quæ ſecum refert reprobationis veſtigium: exploiata eſt enim illa lex, quam Paulus promulgat epiſt. 2. ad Timot. c. 3. v. 12. *Et omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur.* Generalis regula eſt, quæ nullum pie viuentem à tolerantia paſſionum excludit. Do tibi Paulinæ regulæ præclarum interpretem S. Ambroſium in Pſ. 118. ſerm. 11. *Omnes ergo, inquit, ſub perſecutoribus, qui volunt piè viuere quia vbi multi perſecutores, nullum à perſecutionibus vacat tempus, piè viuere geſtienti. Et fortaſſe cum perſecutiones non patimur, tanquam condemnati habemur, quia neque aliquã piè viuere volumus in Chriſto nam vtique cum ſit definita ſententia, quod omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur videtur is, qui perſecutiones non patitur, abdicatus, quod non ſit piè viuit in Chriſto.* Quis formidabilis Medicus ... Doctoris aſſertio ... non ... ad... ſæ fortunæ ... oribus vexari, ... malitia ... potentiũ poteſtatum tormẽtis ... ne in ... exulet cæleſti patria. Accidet ... tribulationum cohors, ne vita viuentis ... mitatur ... experte, videat ſequeſtratus à Chriſto. Qui iucundè fruitur huius lucis vſura, & cũ nec ... flagella tã... Amb. pla... eccedi ... berum ... calamitatum ... reprobatiõis a Chriſto ... deſtinationis inſignia.

Suſpecta pax Chriſtiani, quæ non experitur pericula.

D. Amb.

Qui piè viuunt, ſunt ſub perſecutionibus.

Cum perſecutiones non patimur, tanquam condemnati habemur.

3. Dauid ſanctus verborum cõtumeliis laceſſitus inſipientis Nabal, ad referendam iniuriam inflammatus, gladioque accinctus, a ſapientiſſima fœmina Abigail remoratur, quæ vultus venuſtate, & vrbanitate affluens dulciſſima, oratione in qua verborum flores, & omnes ſententiarum illigati lepores, iratum Regem, & ſpumas ore agentẽ, facile demulcet, deinde paſſus eſt Nabal impunitum remanere; ex fœminæ eloquentiæ campo vnũ decerpe florem: imo vnum faſciculum. l. 1. Reg. c. 25. v. 29. Abigail Dauidi affatur: *Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quaſi impetu, & circulo fundæ.* De ore omni flore prudentiæ, & dictionis vernante, quid niſi faſciculus pullularet: pulchra cõparatio, inſignisque prudentia, qua probos ab improbis diſcernit; Iuſtus namque dũ preſſuris ſtringitur, ſeruatur ad vitã, reprobus dũ voluptatibus diffluit, deſtinatur ad pœnã. Do tibi verba, & acumen Angelomi in ſtromatibus: *Pulcherrima cõparatione ſtatum iuſtorũ ac reproborũ ſorte diſcernit. Horũ quippe animas, id eſt iuſtorũ, appellat viuentes: vt reproborũ è contrario ſpiritali morte præoccupatas, inſinuet. Hos faſciculo, illos lapidi fundæ aſſimilat: faſciculus enim conſtringitur, vt integer maneat, & conſeruetur, lapis in funda expeditus ponitur, vt abiiciatur: ſic in hoc ſæculo electi preſſuris coãguſtãtur: vt his admoniti arctius ad inuicem mutua charitate connectantur, & coadunati ad inuicem, manu ſui redemptoris in perpetuum conſeruẽtur: at vero reprobi quantò latius in hac vita voluptatibus propriis velut liberi dimittuntur: tantò longius, in futuro à diuinæ viſionis gloria proiciuntur: vt de eis meritò dicatur, & quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Hæc Angelomus: preſſura, & labor ſecum afferunt æternæ vitæ inſignia: perpende, quod non vocat eos viuentium calathum, ſed faſciculum, licèt enim in calatho flores ſuccedant floribus odore: & varietate diſtincti, & ſibi omnes cohærtant, nullus flos vinculis illigatur, ſed expeditus vinculis remanet, at in faſciculo dũ in viridario carpis flores, mirabilique arte attexis eos conſtringis funibus, religaſque lacertis: vocantur ergo iuſti faſciculus florum, floresque ... quia dũ eos vinculorũ opprimunt ..., ... laborum & calamitatũ reuinciunt, alligatio ipſa ad æternã vitam pertinere demõſtrat; ... flos, quem Deus colligit, manu premit, vinculis ligat, vt pectori applicitũ, ... ſtrictione lacerto ligat, ſecurius in æternũ ...

Abigail Dauidem ad vindictam incitatum oratione coercuit.

Anima perſecutionem patientis cuſtodita eſt quaſi in faſciculo viuentium.

Angel.

Iuſti ærumnis vexati ad vitam pertinent.

Viri probi vbi aduerſis conſtricti manu ſui redemptoris in æternum conſeruãtur.

Reprobi deliciis diffluunt, & à gloria præiciuntur.

Iuſtus cum faſciculo florum colligato comparatur.

4. Quàm prudens, & cæleſte conſiliũ, exhortatioque ... prorfertur ad eruditionẽ, & diſciplinã ... continetur verbis c. 23. Prou. v. 13. & 14. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinã: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur, tu virga percuties eum: & animã eius de inferno liberabis.* Magna virgæ poteſtas, & maxima percuſſionis felicitas, quæ a morte eripit, & vitã donat: virga, & baculus, quo Deus percutere paruulũ ad ſanitatẽ ... Moyſi pro ... potentior, ... loquidẽ ... rum & ... ad vitã ... labor, & ... nec ... Dini Nyſſeni referre hom. 12. in Cantic. ... inquit: *Quo pacto ſapientia de morte ... animam liberet, quid faciendum conſulat, ... pereat inuentis, ex ipſa monet audi... .Si ... ponit, ... videtur ...*

Percuſſio virgæ animã de inferno liberat.

Tribulatio potentior eſt virga Moyſi.

Percuſſura indicat immortalitatem.

cutiendi,

cutiendi, hoc loco notare immortalitatem Magnum præconium detulit Gregorius laboris ærumnæ,& paſſionum tolerantiæ,dum hæc amiſſam immortalitatem inuenit. Laxamento, & inertia nimia affluens protoplaſtus, laboriſque impatiens in appetitioně pomi fortunatæ vitæ fecit iacturam; ſed iam per laboris,& calamitatis diſciplinam,& tunſionem virgæ, recuperandæ immortalitatis facilem nactus eſt viam:gaudeat tribulatus,ærũnoſus exultet,ſecum poſſidet beatitudinis originem,& immortalitatis pignus.

Via recuperãdi immortalitatem tribulatio.

5. Vidit Ioannes in Apocalypſi milites Chriſti reportantes manubias deuicta, beſtia magna, & citharizantes ſuper mare vitreũ.c.15.v.2.*Et vidi tanquã mare vitreũ mixtũ igne & eos qui vicerunt beſtiã,& imaginẽ eius.* Cęleſtis Ieroſolymæ ciues ſtabili veſtigio gradiũtur ſuper mare vitreũ;ſed cur inter vitreas lymphas ignis permiſcetur incẽdiũ? *Vidi tãquam mare vitreum mixtum igne*:vt caminus exæſtuans tanquam nota, & character ſaluandorum in pellucido mari perſeueret:ex verbis Apoſtoli hunc diſcurſum colligit S. Andreas Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ cap.44.in Apoc, tom.1.Biblioth.veterũ patrum.*Mare vitreum*,inquit,*eorum multitudinem, qui ſalui fiunt, futuræque quietis puritatem,tum ipſorum quoque ſanctorum ſignificare arbitramur:hic enim virtutum radiis ornati inſtar ſolis lucebant:quod autem mare illud ignẽ admixtum perhibetur habere, id Apoſtolicum illud referri poteſt,vniuscuiuſque opus,quale ſit,ignis probabit.* Splendor beatorum,& futuræ quietis puritas de igne oritur;inter vitreos maris vortices flãmæ igneæ rutilant, quia niſi per ignem non perueniũt ad palmã.Eorum, qui expectant ad aulam cæli regiam, ignis tribulationis examinator, & approbator eſt.

Cur mare vitreũ mixtum igne Ioanni Euãgeliſta oſtenditur.

D.Andr. Cæſ.

Mare vitreũ ſaluandorum multitudinẽ præſefert.

Ignis denotat probationem electorum.

6. Tribulationis quoque perſeuerantia cũ iuſti ex ærumnis poſtulant effugium, & non exaudiuntur,ſignum etiam electionis eſt:præclara eſt S.Auguſtini ſententia ad verba Pſ. 21. *Clamabo per diem, & non exaudies,& nocte,& non ad inſipiẽtiam mihi,tu autem in ſancto habitas.* De clamoribus ſanctorum,quos Deus non exaudiit,vt daretur intelligi, in illis Deum in æternum commorari;Audi Auguſtinum: *In illis habitas, quos ſanctificaſti: & quos facis intelligere,quin ad vtilitatem quoſdam non exaudis, & ad damnationem quoſdam exaudis. Ad vtilitatem non eſt exauditus Paulus, ad damnationem eſt exauditus diabolus: petiit Iob ad tentandum, & conceſſum eſt. Dæmones exaudiuntur, Apoſtolus non exauditur. Sed illi exaudiuntur ad damnationem, Apoſtolus non exauditur ad ſalutem: quia non ad inſipientiam mihi*:Exauditur malus vt damnetur;iuſtus dum clamores profundit,in tribulatione poſitus,vt liberetur, non exauditur, vt ſaluetur,ſed melius eſt,vt non exaudiat Deus ad liberationem, vt operetur prædeſtinationem.

Perſeuerãtia tribulationis ſignum electionis.

D.Aug.

Deus ad vtilitatem alios non exaudit, ad dãnationem alios exaudit.

DISCVRSVS V.

Ad ea verba *Extendã manum meam ſuper te.*

1 TAm vehemens eſt interdum impetus tribulationis,vt videatur iuſto ſe eſſe proximum ruinæ,& a Deo abſtractũ, at dum maiori calamitate pr[illegible]itur, proximior Deo eſt. *Et inter brachia Domini [illegible]iter recumbit.* Extendit Dominus manus ſuas ſuper affl[illegible]tos,& quos laboris,& ærumnæ flagello per[illegible]tit, ne deficiant in periculoſo certamine,blãdã miſerationis manu tangit. Extẽdit manũ,vt præſentiæ ſuæ admoneat,& quàm proximus ad[illegible]t,quando eum tribulationis rigor abſentat,ex ſententia tribulati.Hunc actum ſeu cõceptum in tragœdia ſua Iob ad viuum exprimit.Nunquã enim in ſterquilinij periſtromate,& ſtrato ſeſſitanti,aut recumbenti, abfuit queruli doloris cauſa:audi queritantem, implẽtemque cœlum ſuauiſſimis queſtibus c.19. v.13.*Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me.* Recreatur interdum ærumnoſus ſuauiſſimã eloquij reſpiratione, quæ de amicorum labiis funditur,quæ habet conſolationis gratiam:(familiarium vel neceſſariorũ aſpectus afflicto ſolet eſſe iucundus) compaſſio inter illos diuidit ærumnas, & dum alterius grauantur doloris pondere,in altero leuante, tribuuntque ſolatium,& erumpentes pietatis lacrymæ vexato luctum,& dolorẽ abſtergunt:graui calamitatis iaculo ſauciatus eſt Iob propter amicorum fugam & receſſum.Vnde Vatablus legit:*Deſierunt me viſitare,& conſolari.* Hoc pœnarum leuamento carui, mirabili diuinæ ſapientiæ diſpoſitione,vt noti,quaſi alieni recederent,qui meum latus ſtipabant ſuggerentes verba mollia, & iucunda, quorũ blandimento velut vnguento, & oleo lenirent vulnera, cruciatusque cordis temperatẽ. Sed hæc verba ad animum tribulationibus vexatum,& ab ſpiritualibus amicis ſcilicet Angelis elongatum S.Amb.transfert in Pſ. 37. tranſcribo illius verba: *Pro Angelis dixit, qui prætendunt timentibus Dominũ, vt eripiant eos de tentationibus, quas ferre non poſſunt.* Hi amici,& domeſtici Dei, virtutes ſunt angelicæ,quæ caſtrametãtur in circuitu timentium Dominum, vt eos à tentationibus eripiant,quas propter acerbitatem, qua aduerſæ Dæmonum cohortes iuſtum expugnant, tolerare nequeunt,niſi ſuperni auxilij protegãtur munimento. Sed nouo conceptus incremento perſcrutatur Ambroſius: quomodo elongantur, qui iuſtum circundant? quomodo recedunt,qui in iuſtorum ambitu tutelaria caſtra figunt?In reſponſione nitent ſancti Doctoris acumina. *Quomodo ergo lõgè ſtant,qui ad adiumentũ ſunt attributi? Sed non illi ſe ſeparant, ſed qui vrgetur tentationibus putat,eos lõgè abeſſe,quo propius ſibi adeſſe deſiderat.* Quo propior adeſt,quo magis inſtat,& vrget vexatio tentationis,& tribulationis acerbitas videntur auxiliares copiæ,ſed nõ ſeiunguntur hominũ patroni,qui ſuper patuulũ trepidantẽ, ad diabolicæ machinationis impulſus,alas protectionis expandunt;ſed iuſti dum immanis tentationis hærent ſalebris,dum diabolus prætendit tricas, & laqueos,quos venatores eius extendunt,vt colũbam irretiant, contritionem laqueorum cupiunt; quo auidius exoptant effugium,videntur ſibi remotiores à Domino, cum præſentiſſimum auxilium adſit, cælitumque cateruæ ad tutamentum, ad ſolatium pietatis ſinum expandunt.

Notos ſuos à ſe receſſiſſe conqueritur Iob.

Afflicto ſolet eſſe iucundus aſpectus neceſſariorum.

Vatabl.

Spirituales amici angeli, qui nos eripiunt de tentationibus.

D.Amb.

D.Amb.

Qui vrgetur tẽtationibus, exiſtimat longè abeſſe Angelos cum ſint ad auxiliandum præſentiſſimi.

2. Suarum calamitatum amplitudinẽ amplificat Dauid, dum canit Pſ.141.v.5. latitans in ſpelũca: *Conſiderabã ad dexterã,& videbam, & non erat qui cognoſceret me.* Tenebatur vndique clauſus,& cinctus Saulis hoſtis agminibus, nullum ſupereſſe videbatur effugiũ,niſi incidere in hoſtiles manus, aut offerre traiiciendũ pectus haſtę cuſpidi;ignotus erat amicis,inuiſus contubernalibus,exiguæ manus vallatus præſidio;quique velut timidi, & fugaces lepores inſectati à venatoribus, petræ rimulas,aut prærupti ſilicis quærunt latebras. Adauget tribulationes Dauidis os aureum in Pſalmos: *Hic oſtendit ingentem calamitatem,& hoſtium inſidias, & quod eſt omniũ difficillimũ,nulli erant ſocij, aut adiutores,hoc eſt maxima ſolitudo,sũma alienatio,* intus in ſpelũca pauor,extra milites,qui S.Regis

Dauidis calamitates,& preſſura.

Summa deſolatio, in ærũnis non habere adiutorem.

vitam ferro & inſidiis appeteret. Denique humano deſtitutus auxilio, ſuperna virtus manum contraxiſſe videbatur. Sed nullum detrimẽtum gloriæ perpeſſus eſt Dauid, nec ei defuit diuina protectio, quapropter idem Chryſoſtomus ſubiungit: *hoc non mõdo eum non læſit, ſed etiã valde iuuit, vtpote quod eum Deo familiarem fecerit.* Huius calamitatis merces, & corona extitit intima Dei amicitia, & familiaritas. Rex amicos poſſidet plures, qui eius beneuolentiã aucupantur; ſed vnus ſolet eſſe Regi gratioſus, cui ſua reuelat conſilia, & intima cordis arcana. Apud Deũ ille familiariſſimus, & aliis domeſticis antefertur, qui laboribus premitur, & vexatur ærumnis. quid felicius quam hominem Dei adhærere lateri, & eſſe æterni Regis Achatem, & diuini cordis amicum. Hunc amicitiæ verticem ſcandit tribulatus?

D. Chryſoſt.

Tribulatio Dauidẽ Deo familiarem fecit.

3. Huius diſcurſus incrementum apud Zachariã inuenies expreſſum diuino vaticinio, c. 9. v. 13. vbi de tribubus Iuda, & Ephraim ſic fatur: *quoniã extendi mihi Iudam quaſi arcum, impleui Ephraim.* Ac ſi Deus eſſet ſagittarius, eos incuruauit, inflexit, vt funderet iacula ad propellendos hoſtes: ſed verſio LXX. ſeniorum elegans eſt: *quoniam tetendi te mihi Iuda, vt arcum* in cuius verſionis, & ſententiæ litera S. Cyrillus Alexandrinus Euãgelicos Duces & Apoſtolicos diuini Verbi præcones à barbaris gentibus diuexatos, & excruciatos intuetur. Et dũ comparationem, & ſimilitudinem arcus acute expendit, hunc illuſtrẽ, addit conceptum: *Cum enim ſagittarij ferratum arcum curuantes, neruum ad pectus adducunt, tunc arcum implere dicuntur, & ſagittã volantem, ſiue telum iaciunt.* Sagittarius dum celerem promit è pharetra ſagittam, vt neruo impulſa infigat hoſtem, dum magis intendit arcum, maiori conatu eum ad pectus attrahit, & adſtrigit. Sic viros iuſtos, & apoſtolicæ tolerantiæ æmulatores, anguſtiatos, & afflictos tribulationibus, dũ eos Deus tanquam iaculorũ arcus manu premit, & cogit ad curuaturã, tãto proximius appropinquãt Deo; & tanto intenſiùs eos attrahit, & applicat ſuo pectori: neque enim ferreus arcus quantũuis intentus frangitur Domini manu, nec ab eius protectione ſequeſtratur, ſed dum maiorem intentionem adhibet, maiorem arcus nititur acceſſionem facere ad pectus, *quoniam tetendi te mihi*, & *neruos ad pectus adducit.* ô verè beatæ ærumnæ, & felices pœnæ, quæ tales parturiunt glorias, quantas, & quales? quæ maior, quàm teneri hominem vtriſq; Dei manibus, illius pectori adiungi à ſuper quæ ipſum reclinare leniter caput, ad tutamen & immenſæ clementiæ portum, afflictum adhæreſcere.

Iuſti quaſi arcus applicitus diuino pectori in aduerſis.

Lect. LXX.

D. Cyr. Alex.

D. Cyril.

4. Inter igneos crepitãtis incendij globulos Angelici pueri proiiciuntur, ſed illico adfuit Domini poteſtas, & adiutorium, dum inter paradiſiaci roris auras ambulãtibus ſe præbuit ſociũ. Dauid c. 3. v. 92. ait Rex Nabuchodonoſor: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulãtes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Deifici contubernalis, teſtis adhibetur Rex: cum quo Diuus Chryſoſtomus elegãter fatur tom. 2. hom. de tribus pueris: *Exclude, ſi potes adhuc demẽs enim, qui creſcit ad numerũ, non poteris iam tuos finire damnatos, qui ſoli eſſe non poſſunt: mala tibi ratione creuit quæſtio; fortior eſt, quem claudis: ô quibus te, incorrupta fides, triumphis extendis, adeſt tibi amica maieſtas, vt innocentia liberetur.* Emolliebant ad pietatem ferreum Regis pectus, adoleſcentulorum elegantia, & candida innocentia, & camini exæſtuantis horrens incendium, dum ſolitarios indicat, & à Domino derelictos, vt flamma deuoraret. Sed iuſtus inter incendia, & ærumnas, nec ſolus viuit, nec ſolitarius moritur, habet ſui certaminis commilitonem Deum, in laboribus, & periculis nullũ deſeruit; eſt enim tribulatio, Dei ſodalitiũ; dum adhæret periclitantibus, vultu & habitu exultationem demõſtrat, lucidior ſole apparet, pulchriorque ſideribus, & dum ignem ſopit, ſplẽdidiores in camino ſpargit igne fulgores. Itaque iuſti in anguſtiis ſoli eſſe non poſſunt, qui habent Deum comitem, & adiutorem.

Fueris in camino ignis adſtitit Deus.

D. Chryſoſt.

Tres pueri à Rege Nabuchodonoſore damnati, ſoli eſſe non poſſunt.

5. Sacra ſponſa deliciarum blandimentis interdũ diffluens, interdum circumdata, & agitata tentationum, & afflictionũ nimbis, videre ſibi viſa eſt ab ſponſo derelicta; ſed illico ab eiuſmodi cogitatione excidit, nam ſponſus excitatus querulis ſingultibus, pẽnatis pedibus, ocyſſimè currebat, ſaliens in mõtibus, tranſiliẽs colles: eſt enim tardi pedis ad ſuppliciũ; vt ſuppetias ferat afflictis, ventorum pennas velocitate trãſcendit; & dum propius accedit ad ſponſæ palæſtram, licèt præſentiam vultus ſui, & hilaritatem in tegumento quodam taciturnitatis celaret, attamen ſponſa, cuius animo ſpecies, & forma dilecti dies, noctẽſque verſabatur, adeſſe præſenſit, ipſaque exultans, & ſibi gratulabunda, beatitatẽ ſuam ad adoleſcentulas detulit, cum ipſiſque colloquitur. Cant. c. 2. v. 9. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* LXX. legunt: *per retia.* Ambroſiana verſio *Laqueos.* Itaque ſponſus per retia, & laqueos introſpicit: Dũ in hac illecebroſa conualle (inquit ſponſa) me ipſam intueor ſeptam laqueis, & tentationum nexibus, quos callidi inſidiatores ſubſternunt ad animarũ decipulam, optabam terere laqueos, & tricis exolui; ſed non me dereliquit meus ſponſus cum afflictatione luctantẽ, per tranſennas, & zelotypias ſtrictim aſpexit, ex laqueis afflictionum, & tentationum retibus, delicioſos conſtituit cancellos, per quos grati oculi, & miſericordiæ affluentes tuerentur, & cœli deliciis implerent. Grauiter Theodoretus in hoc loco fatur. *Neq; enim ſponſam ſuam dæmonũ inſidiis decipi permittit, & retibus comprehendi, ſed liberat eam de laqueo venantium, & in ipſis tentationibus proſpicit per retia, ac ſponſam recreat oppugnatam.* Magnum afflictorum ſolamen diuinus aſpectus, quando diuinitatis ratio mentis caliginem fugat, & tentationum vincula diſrumpit, ex ipſis afflictationibus, & ærumnis feneſtras efformat, vt eos proſpectet. Cum excruciatur iuſtus, totum feneſtratur cœlũ, vt Deus tormenta proſpiciat, nec moratur auxilium, inclinauit enim cœlos, & deſcendit; inter laqueos, & retia tentationum inambulat, vt in ſe ſperantes extricet?

Appropinquat Deus animæ in afflictionibus poſitæ.

Anima inter ærumnas Spõſum præſentiſcit.

Lect. LXX.

D. Ambroſ.

Theodoret. Sponſam oppugnatam à dæmone reſpicit Deus per tentationum retia.

6. Cum oculis mentis luſtro Sarai ancillulam de amica Abrahæ domo expulſam, per ſolitudinem errantem, magnas demiror vires ærumnæ, quæ ſupernum commeruit ſolatium, & Angeli alloquium. Fugax, & anhelans in ſolitudinem, ſed non ſola, quæ cœleſtis exercitus ſtipatur ſatellitio; & merito iuxta fontem, eam inuenit Angelus, quæ in tribulatione bonorum omnium fontem reperit. Denique diuinus Clementiæ oculus eam proſpectat, & ſub integumento manus protegit: vocauit autem nomen Domini, qui loquebatur ad eam: *tu Deus, qui vidiſti me.* Gen. cap. 16. v. 13. ei bonorum mater extitit labor, & afflictio. ibidem v. 11. *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam.* Quàm dulcia modulamina fundit afflictio, quæ diuini numinis aures demulcet? Canoras enim voces exaltat, quæ reboant in ſupernis. Sed audiendus eſt Chryſoſtomus homil. 38.

Sarai ancillulam nõ dereliquit Deus.

D.Chryſoſt. mil. 58. in Geneſim fantem: *Afflictionis autem fructus in ancilla videre licet, quia poſtquam ab hera afflicta fugit, & multum ærumnoſa fuit, dolenteque anima, Dominum inuocauit, ſtatim ſupernam viſitationem aſſequuta eſt. Vt enim diſcas quod per humiliationem, & afflictionem tantam beneuolentiam inuenerit, dicit ei Angelus: quoniam audiuit Dominus afflictionem tuam: itaque, dilecti, cum ſciamus, quod ſi ſobrij, & prudẽtes fuerimus, tribulationes nos magis Domino appropiare facient, & tunc poterimus eius gratiam nobis conciliare*, &c. De propriis latibus ſegregata Sarai, non ſequeſtratur à Domini tutela, infimæ ſortis fœmina extorris, errabunda habuit Deum ſuæ peregrinationis ſocium, qui ante ambulonis, aut Ducis munus, exercet, vt bonus paſtor ouem ducit errantem: in tribulatione conſtitutam Dominus non derelinquit, ſed ei magis appropiat, dum viſitatione, & alloquio ſolariũ præbet, dolorem minuit.

Sarai viſitationem diuinã afflictione promeruit.

Hugo Card. 7. Denique Hugonis Cardinalis ad textum Pſal. 33. v. 19. *iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde*: verba tranſcribo: *Eſt eis Dominus iuxta vt medicus ægro, vt conſolator afflictis, vt adiutor laborantibus. Securus debet eſſe, iuxta quem eſt Dominus, & quid mirum ſi Dominus eſt iuxta ſuum ſacrificium, quia ſacrificium eſt Deo Spiritus contribulatus.* Hæc ille

Quibus modis, & muneribus adſit Deus tribulatis.

Verſ. 26. Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus: poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.

COMMENTARIVS.

Ad quod tempus Iudaicum, Chriſtianumve referenda Vatis verba?

Eſdras poſt reditũ de Babylone conſtituit iudices, & præſides in Ieroſolyma.

1. QVIDAM interpretãtur de libertate, & reditu filiorum Iſrael poſt captiuitatem Babylonicã, in dilectam Ieroſolymæ vrbem tempore Cyri. 1. Eſdræ c. 1. & tempore Artaxerxis Regis Perſarum. 1. Eſdræ. c. 7. nam ibidẽ ſcribitur numero 25. *Tu autem Eſdra ſecundũ ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, cõſtitue iudices, & præſides, vt iudicent omni populo, qui eſt trans flumen.* & ad hanc actionẽ annuere videntur lectiones variæ loci Iſaiæ. Nam LXX. legũt: *& imponam iudices.* S. Chryſoſtomus: *præficiam.* S. Baſilius: *inſtituam.* Eſdræ verò c. 10. v. 14. hæc adduciũtur: *Cõſtituantur principes in vniuerſa multitudine, veniant temporibus ſtatutis, & cum his ſeniores per ciuitatem, & ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei noſtri à nobis.* Et cõfirmari poteſt prædicta expoſitio ex Thargũ Ieroſolymitano. Cant. c. 7. v. 2. nam vbi Vulgarus habet: *vmbilicus tuus crater tornatilis nunquã indigẽs poculis.* Legit Tharſum: *Princeps ſchola tuæ ſplendidus eſt in lege, quando venit ad mundandum, & contaminandum, & ad iuſtificandum, & ad condemnandum. Et ſeptuaginta ſapientes circumdant eum ſicut aream rotundam, vt conſtituerunt eis Eſdras Sacerdos, & Zorobabel, & Ioſue, & Nehemias, qui comparantur roti, vt ſit in eis virtus, vt laborent in lege die ac nocte.* Quæ expoſitio non exiguam ſpeciem probabilitatis ſecum videtur afferre.

LXX. D Chryſ. D.Baſil. Tharg.

Apoſtoli principes, & iudices vniuerſi orbis.

2. Secunda expoſitio Sanctorum Patrũ Hieronymi, Baſilij, Cyrilli eſt de factis Apoſtolis, quos conſtituit Dominus iudices ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael. Fecit eos conſiliarios arcana Patris ipſis patefaciens, & myſterium regni Dei cum eis communicans. Fuerunt portentis Moyſes, Ioſue bellica gloria, Sampſon robore, Dauid fortitudine, Abraham fœcunditate proſapiæ, Salomon ſapientia. Itaque verbum illud: *ſicut prius, ſicut antiquitus*, non eſt omnimodæ ſimilitudinis, ſed cuiuſdam analogiæ, & comparationis, nam Apoſtoli, & diſcipuli Domini, filij, inquam, qui nati ſunt pro patribus, ſuper vniuerſam terrã principes conſtituri, fortitudine, ſapientia, dono linguarum, gratia miraculorum, aliiſque Spiritus ſancti chariſmatibus, gratia, & gloria, omnes antiquos Patres, & Prophetas longe antecellunt. Vnde Apoſtolus Paulus ordine dignitatis primò conſtituit Apoſtolos, deinde Prophetas. Hanc expoſitionem illuſtrat S. Cyrillus Alexandrinus dicens: *nihilo enim inferiores fuerunt priſcis illis Sanctis diuini diſcipuli, quos & iudices appellat, conſiliarios nominat. Vtrumque enim præſtiterunt, dum tanquam iudices redarguerent peccatores, infirmos autem cohortarentur.*

D.Hier. D.Baſil. D.Cyril.

D.Cyrill.

3. *Poſthæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.*] Septuaginta legunt *vocaberis ciuitas iuſtitiæ, Metropolis fidelis Sion.* Sic legunt Cyrillus, Baſilius, Hieronymus in commentario. Mirus eſt in noſtro Vate verborum, & ſententiarum nexus, nam cum ſupra retuliſſet Ieroſolymitanã rempublicã funditus euerſam, exulantem iuſtitiã, quæ prius in ea habitaculum fixerat, factamque homicidarum, latronum, cauponum, & perditorum hominum perfugium, & latibulum, qui omni ex parte illuc confluxerant; nunc meliorem ſtatum ipſumque feliciſſimum Chriſti temporibus repromittit: nam pro principibus, & iudicibus infidelibus, ſociis furum, inhiantibus ad munera, reſtituit iudices, & magiſtratus ſanctiſſimos, & integerrimos, diſcipulos nempe Domini: quãto meliorem, & ſpecioſiorẽ Aſtreæ faciẽ repromittit Vates Chriſti tẽporibus, quã aureo Saturni ſæculo Seneca, de quo canit in Octauia, act. 2.

Ieroſolyma ciuitas iuſtitiæ, Chriſti tempore vocata.

LXX. D.Baſil. D.Cyrill. D.Hier.

—*Rurſus vt ſtirpem nouam*
Generet, renaſcens melior: vt quondam tulit
Iuuenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni Dea,
Iuſtitia cœlo miſſa cum ſancta Fide
Terras regebat mitis.

Hoc ſæculum iuſtitiæ aureum temporibus Chriſti floruit aduentu ſuo innouantis omnia. Tunc enim pro iniuſtitia, & improbitate, quæ Ieroſolymis morabatur, commoraturã vaticinatur Iſaias iuſtitiam, ſeu iuſtum ipſum, nẽpe Dominũ Ieſum, qui totius iuſtitiæ, & æquitatis eſt norma, omnis ſanctitatis fons. Optimè Sanctus Baſilius inquit: *pro eo enim quod tum eſſet ea ciuitas domicilium homicidarum, futura erat ciuitas iuſtitiæ. Pro eo quod meretrix erat ciuitas, futura erat metropolis: rurſus fidelis innuit prius fuiſſe opere meretricio contaminatam.*

Sæculum iuſtitiæ aureum Chriſti tempore.

D.Baſil.

4. *Metropolis fidelis Sion.*] Vocatur Ieruſalem metropolis, quia mater extitit ciuitatum fideliũ. Metropolis Græcè idem eſt, teſte Budæo ac *matrix ciuitas.* nam quemadmodum in pecore ex matricibus noui ſemper fœtus: ita ex metropoli nouę ciuitates propagãtur, ſic enim ſe habet Metropolis ad Coloniam, vt mater ad filiam. Vnde Epiſcopus Metropolitanus vocatur teſte Rabbano de inſtit. cler. c. 5. eo quod præſideat illi ciuitati,

Ieroſolyma cur dicta Metropolis.

Bud.

tati, quæ cæteris vrbibus in eadem prouincia conſtitutis, quodammodo mater eſt. Metropolis enim Græcè mater ciuitatum interpretatur. Ciuitas ergo Ieruſalem Metropolis nuncupatur, quia mater extitit Euangelicæ prædicationis, & Chriſtianæ fidei Catholicæ. E *Sion* enim *egreſſa eſt Lex, & verbum Domini de Ieruſalem*. Iſaiæ c. 2. pepetitque colonias fidei, & Eccleſias, quæ per totum terrarum orbem Chriſtum venerantur. Vnde S. Baſilius ait in commentario: *quæ in Chriſto eſt Eccleſia appellata eſt Metropolis, ac ſi ex ſe ipſa quaqua verſus emittat colonias quaſdam vitæ ſecundum Deum inſtituendæ.*

D. Baſil.

Verſ. 27. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.

COMMENTARIVS.

A trina captiuitate Deus populum ſuũ eripuit.

1. Hieronymus, & interpretum Senatus hæc verba vſurpant de humani generis redemptione per aſſertorem noſtrum Ieſum operata. Nam populi Dei captiuitate oppreſſi ſalutem trina redemptione reſtituit Dominus. Primò liberatus eſt à tyrannide Pharaonis, & Ægyptiaca ſeruitute, hæcque redemptio facta eſt in potentia in manu forti, & brachio extento. Secunda liberatio de captiuitate Babylonica tẽpore Cyri facta eſt in miſericordia. Tertia redemptio à ſeruitute Dæmonis, & peccati iugo operata à Chriſto Domino in miſericordia, & iuſtitia. Cur ſolâ potẽtiâ noluerit Deus hominem eruere de poteſtate tenebrarum, ſed iuſtitia, & æquitate cum hoſte decertarit, plurimis aliis in locis ex profeſſo diſputat Vates: In iiſque commodiorem opportunitatem commentationis litteralis náciſcemur.

Cyri redemptio.

2 Alij verò aliter hoc comma expendunt de ſaluatione facta per Cyrum, quando Ieroſolyma poſt ſeptuaginta annorum captiuitatem ad ſtatum iuſtitiæ priſtinum redacta eſt moderantibus Rempublicam Zorobabele, & Ieſu filio Ioſedech. Hanc mẽtem inſinuant Septuaginta Interpretes, cùm legunt: *Nam cum iudicio ſaluabitur captiuitas ipſius, & cum miſericordia.* Chryſoſtomus poſtremum verbum legit; *& cum eleemoſyna.* Hęc reductio populi ornata eſt iuſtitia, & miſericordia, nam Cyrus clementia motus, & pietate facultatem dedit populo Dei redeundi ad proprios lares, vocatur quoque redemptio ex iuſtitia, quia populus alleuiatus eſt a ſeruitutis iugo ferreo poſt iuſtam ſatisfactionem, ſcilicet ſupplicium captiuitatis ſeptuaginta annorum toleratum, & nuncupatur hæc pœna iudicium, quia iuſto Dei iudicio inflicta.

LXX.

3 Cæterum congruenter ad textum præcedẽtem ſententiam hanc expendes, ſi dicas Vatem promittere vrbi Ieroſolymitanæ lætum placidumque iuſtitiæ vultum, & felicem Reipublicæ ſtatum; ſicut enim regnante in ciuitate nequitia, dolo, fraude, opprimitur violenta ſeruitute, & miſeram ſubit improbitatis captiuitatem, ſic redeunte æquitate, & præualente virtute, vèlut redempta gloriatur ab antiqua ſeruitute, ideò Vates inquit, reſtitutis iudicibus, & conſiliariis antiquis Sionem & Ieruſalem in iuſtitia redimendam. Quod vaticinium ad vtramque libertatem, & Iudaicam, & Chriſtianam poteſt non incongruè extendi.

Hilaris Reipublicæ vultus cum in ea viget iuſtitia.

Verſ. 28. Et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum conſumentur.

1. HVIVS textus commentatio conſtat ex dictis, præſertim verſu 24. qui eandem ferè ſententiam continet.

Verſ. 29. Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt: & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis.

In captiuitate Babylonica vrbs Ieruſalem auxilio deſtituta idolorum.

1 ITERVM redit ad ſtragem Ieroſolymorum per Babylonios inferendam; cum hæc calamitas venerit, & viderint ſe omni prorſus auxilio humano deſtitutos, ipſaque numina, in quibus habebant fiduciam, ad auxilium mortua, nec poſſe ferre opem, nec in neceſſitate protegere; confundentur ab idolis Ieroſolymitani ciues. Confuſio eadem prædicitur Ieremiæ cap. 2. v. 27. *In tempore afflictionis ſuæ dicent: ſurge & libera nos: vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* At Iſaias ſingillatim recenſet idolum Beelphegor, vel Priapum, in iis verbis: *erubeſcetis ſuper hortis.* quia in hortis colebatur ab effœminatis, de quo fusè dicemus ad cap. 3. v. 5.

In verſiculis 30. & 31. recenſet Iſaias vaſtitatem Ieroſolymæ, incendiumque à Babylonico exercitu illatum.

FINIS CAPITIS PRIMI.

ISAIÆ

ISAIÆ PROPHETÆ CAPVT SECVNDVM.

1. VERBVM, quod vidit Iſaias, filius Amos, ſuper Iudã,
& Ieruſalem. 2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus
mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur
ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt
populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad
montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit
nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de
Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 4. Et iudicabit gentes, & ar-
guet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in fal-
ces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad præ-
lium. 5. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. 6. Proieciſti
enim populum tuum, domum Iacob: quia repleti ſunt vt olim, & augures habue-
runt vt Philiſthiim, & pueris alienis adhæſerunt. 7. Repleta eſt terra argento
& auro: & non eſt finis theſaurorum eius: 8. & repleta eſt terra eius equis: & in-
numerabiles quadrigæ eius. Et repleta eſt terra eius idolis: opus manuum ſuarum ado-
rauerunt, quod fecerunt digiti eorum. 9. Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt
vir: ne ergo dimittas eis. 10. Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo
à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius. 11. Oculi ſublimes hominis hu-
miliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus ſolus
in die illa. 12. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum,
& ſuper omnem arrogantem: & humiliabitur. 13. Et ſuper omnes cedros Libani
ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan. 14. Et ſuper omnes montes ex-
celſos, & ſuper omnes colles eleuatos. 15. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper
omnem murum munitum, 16. & ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne quod vi-
ſu pulchrum eſt. 17. Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitu-
do virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa: 18. & idola penitus conterentur.
19. Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Do-
mini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram. 20. In die illa proii-
ciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi vt adoraret, talpas &
veſpertiliones. 21. Et ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorũ, à facie for-
midinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terrã. 22. Quie-
ſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.

Capitis Secvndi

Argumentum, & nexus cum capite præcedenti.

Secundi vaticinij argumentum.

1. IN Capite ſecundo Eccleſiæ Chriſtianæ felicitas continetur: Iudaico Regno, & Sacerdotio in capite præcedenti abiecto, nouum Regnum, & Sacerdotium Chriſtus conſtituit, nouam vrbem condit, & regiam, à qua nouum diuinæ legis, & ſapientiæ lumen exoritur, illuminans principes domus regiæ Apoſtolos: ipſique tanquam myſtagogi, & Eccleſiæ magiſtri, & lumina, in pectoribus gentium in tenebris ambulantium, idem lumen accendunt, ex iiſque colligunt ciues, & incolas vrbis regiæ, foras remanentibus Iudæis, & repudiatis, tanto lumine cæcutientibus. Hoc eſſe verum ſecundi vaticinij argumentum, verba ſancti Cyrilli Alexandrini inſinuant, qui in caput 4. Michææ, in quo eadem Iſaiæ verba reperiuntur, ita ſcribit: *Iam nunc Eccleſiæ ex gentibus congregandæ prædictio perſpicuè apparet. Iſraele enim ſecundum carnem velut ſublato è medio, ſacrificiiſque in lege præſcriptis ceſſantibus, deſerto item Sacerdotio familiæ Leuiticæ, & ipſo demum templo illo fama nobili, exuſto, Chriſtus Eccleſiam ex gentibus inſtituit.*

D.Cyrill. Alex.

In ſecũdo vaticinio tituli dignitatis Chriſti continentur.

2. Sed adeò profundum, & arcanum eſt hoc vaticinium, vt in eo ſecunda pars argumenti generalis Iſaiæ, & omnes tituli dignitatis Chriſti, iuxta quos ſupra partitio, & diuiſio capitum facta eſt, apertè contineantur. Noui regni, & Sacerdotij erectio, & fundatio, nouæ ſponſæ decus, & ornamentum, reginæ maieſtas, & ſplendor in illis verbis clauditur: *Erit mons domus Domini in vertice montium, & exaltabitur ſuper omnes colles.* Tituli quoque dignitatis Chriſti Regis, inter illud cæleſte lumen, in quo gentes ambulant, & illuminatæ feſtinant aſcendere in montem, ſuum diffundunt ſplendorem. Titulus Doctoris continetur in illis verbis: *Docebit nos vias ſuas.* Titulus Legiſlatoris in illis: *de Sion exibit lex.* Titulus Iudicis: *iudicabit gẽtes, & arguet populos.* Ducis, & Imperatoris bellum inferentis vſque ad extrema terræ, & pacificantis omnia, in illis verbis: *& conflabunt gladios ſuos in vomeres.* Denique vocatio gentium in illis: *Fluent ad eum omnes gentes.*

Doctoris Legiſlatoris, Iudicis. Ducis.

Nexus ſecũdi vaticinij cũ primo.

D.Cyrill.

3. Accedit, quod inter primum, & ſecundum caput aptiſſima reperitur connexio, vt notat Sãctus Cyrillus proximè citatus, cum enim capite 1. victimas, & ſacerdotium Iudaici populi Deus reieciſſet verſu 10. *Quo mihi multitudinẽ victimarum veſtrarum dicit Dominus. Plenus ſum.* Et verſu 31. vaſtatum regnum, & templum exuſtum propoſuiſſet, dicẽs: *Erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur vtrumque ſimul.* Nunc, iuxta morem Propheticum læta ſuccedunt triſtibus, nouumque Chriſti regnum, & Sacerdotium erigitur: quæ omnia nomine montis, & domus Domini, Vates innuit.

Similis acoluthia inuenitur, cap. 4. Michææ.

Similis acoluthia reperitur inter finem capitis 3. & initium capitis 4. Michææ Prophetæ, in quo eadem verba Iſaiæ leguntur, vt notat ſanctus Hieronymus, ibi: *Cum mons templi Dei eſſet deſolatus, & derelicta domo Dei, atque deſerta, quãdo filius Dei egrediẽs de templo, ait: ſurgite eamus hinc; Angeli quoque Ioſepho referente, dixerunt: tranſeamus ex his ſedibus; pro mõte Siõ, mons Domini eleuatus eſt, & oſtẽſus eſt, quando apropinquauit regnum cælorum.* Idem annotat Rupertus in caput 4. Michææ. Et hæc ex commentario fient perſpicua.

D.Hier.

Prima expoſitio de Rege Ezechia proponitur, & examinatur.

An præſens vaticinium de Ezechia vſurpari poſſit.

Theodor.

4. TEntare animus eſt, an iſthęc verba Iſaię, de Ezechia Rege interpretari liceat. Tametſi Theodoretus cenſoriis verbis carpat hanc interpretationem in caput 4. Michææ dicens: *Quod autem quidam pij Doctores eamdem interpretationem in ſua ſcripta inſeruerint, non ferendũ mihi, neque venia dignum videtur.* Cum ipſo tamen cõſentio, nec de felicitate populi Iudaici, poſt Babylonicam captiuitatem, & reditu ad patriam interpretor, ſed de felicitate Regis Ezechię poſt victoriam Sennacherib, quẽ ſenſum non reſpuit Theodoretus, licèt primum iure reprehendat. Si quis enim exaltationi, & gloriæ Regis Ezechiæ hęc verba adaptet forsã aliquid conſonum veritati affirmaret. Elogia enim, & honoris inſignia, piiſſimi Regis, quæ poſteritati commendauit liber Regum 4. & Paralipomenon 2. cum verbis Iſaiæ mirificè congruunt.

Nomine montium Reges intelligũtur.

5. In primis nomine montium ſacra litteratura ſæpiſſimè intelligit Reges, & ſæculi poteſtates. Habacuc capite 3. verſu 6. *contriti ſunt montes ſæculi:* verſu 10. *viderunt te, & doluerunt mõtes:* vbi de metu Regum Palæſtinorum in tranſitu Iſraẽlis per mare rubrum, ſermo eſt. Et Zachariæ capite 6. verſu 1. *& montes, montes ærei.* vbi de Imperiis loquitur. Quid mirum ſi nomine montis in præſenti vaticinio Ezechias intelligatur, mons eleuatus ſuper omnes montes, & colles Regum Iuda? quia omnes ſuorum temporum facilè ſuperauit. Vnde 4. Regum capite 18. verſu 5. dicitur de Ezechia: *Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis Regibus Iuda, ſed neque in his, qui ante eum fuerunt.* Et libro 2. Paralipomenon cap. 32. dicitur ſepulcrum Ezechiæ fuiſſe magnificentius aliorum Regum ſepulcris: *Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulcra filiorum David.* Et Sanctus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ait: *& hoc notandum quod excelſius ſepulcrum cæteris filiis David habuit meriti prærogatiua:* aliquid enim eximium habet præ cæteris Regibus. Nulli Regum ſol retroactus eſt, nemini ad tempus reuocata inſtantis mortis ſententia: nulli miſſus Angelus, vt innumerum Aſſyriorum exercitum proſterneret. Quapropter mons in vertice montium ſublimis, & eleuatus ſuper colles aptè dici poſſet.

Ezechiæ onomia, & prærogatiua.

Illius ſepulcrum cæteris auguſtius.

D.Hieron.

Ezechias poſt victoriam Sennacherib, exaltatur.

6. Si verò legamus: *exaltabitur ſuper omnes colles.* de gloria, & exaltatione Regis Ezechiæ poſt victoriam Sennacherib non violenter interpretor, nam libro 2. Paralipomenon capite 32. verſu 23. dicitur: *Saluauit Dominus Ezechiam, & habitatores Ieruſalem de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum, & de manu omnium. Multi enim deferebant hoſtias, & ſacrificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ Regi Iuda. qui exaltatus eſt poſt hæc coram cunctis gentibus.*

Ezechiæ conſeſſio facta coram Leuitis.

7. Quid ſi verba ſequẽtia: *quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, ad Ezechiam

adaptemus

adaptemus, & ad egregiam illam concionem, quam habuit ad Sacerdotes, & Leuitas, vt domum Domini, & ſacrificia inſtaurarent 2. Paralipomenon, cap.29.verſu 4. *adduxit Sacerdotes, atque Leuitas, & congregauit eos in plateam Orientalem, Dixitque ad eos: audite me Leuitæ, & ſanctificamini,* &c. Tunc enim lex ſacrificiorum, & victimarum, manu, & poteſtate Ezechiæ renouata, de Sion manauit, & verbum Domini de Ieruſalem. Secundò: quia ſicut in ſenſu Prophetico fons Euangelicæ legis Sion iugi ſcatebra emanaturus, & riui per Apoſtolos deriuandi ad populos nationum per illa verba promittuntur: ferè eadem promiſſio facta eſt Ezechiæ ante inclytam de Sennacherib reportatam victoriam, & in ſignum liberationis ab Iſaia Propheta conclamatur libro 4.Regum capite 19.verſu 30. & 31. *Et quodcumque reliquum fuerit de Iuda mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. De Ieruſalem quippe egredientur reliquiæ, & quod ſaluetur de monte Sion.*

Pax Regi Ezechiæ promiſſa.

8. Vltima vaticinij pars, quæ expoſitionem difficilius admittere videbatur, etiam habet congruum ſenſum: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres*; vbi pax promittitur, & ceſſatio bellici tumultus: id ipſum poſt illam Ezechiæ victoriam euenit, nam libro 4. Regum capite 20. verſu 19.dixit Ezechias ad Iſaiam: *bonus ſermo Domini, quem locutus es: ſit pax, & veritas in diebus meis.* Et capite 19. eiuſdem libri verſ. 29. pax promittitur ab Iſaia, dum inquit: *Comede hoc anno, quæ repereris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur: porrò in tertio anno ſeminate, & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum.* Quæ verba Abulenſis eleganter explicat de pace temporibus Ezechiæ facta, quæſtione 18.dum ſcribit: *Pertranſita iſta tribulatione, quæ infligitur per Sennacherib, proſperabuntur omnes Iudæi, & ſic factum eſt, quia mortuo Sennacherib in breui deletus eſt principatus Aſſyriorum, & ſubuerſa eſt Niniue, & tunc habuerunt pacem Hebræi. Sic patet Naum 1. Et ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem: Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltra, vt pertranſeat in te Belial: vniuerſus enim interiit.* eodem ſenſu hoc vaticinium Nahum expendit ſanctus Hieronymus. Præterea & Michæas c.4.cum eadem Iſaiæ verba retuliſſet: *& concident gladios,* &c. addit verſ. 4. *Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit, qui deterreat.* In quibus verbis alluſiſſe videtur ad librum quartum Regum cap.19.verſu 29. ſupra relatum, nam ipſiſſima ſunt verba.

Abulen.

Auctoris mens circa prædictam interpretationem.

9. Prædicta omnia in inclyto Rege Ezechia tanquam in typo Chriſti, & Euangelicæ felicitatis vmbra delineare licuit, vt analogia inter vtrumq; conſtaret. In multis namque vaticiniũ Iſaiæ in Ezechia deficit. Nã ſi de Ezechia exponas, inter primũ, & ſecundum caput Iſaiæ nullus reperitur contextus, nulla cohærentia. Nec editum eſt vaticinium tempore Regis Ezechiæ, ſed tempore Regis Oziæ, vt conſtat ex cap. 6. Nec Ezechias mons eſt domus Domini nouiſſimis temporibus præparatus. Illius lumen valde exiguum, & in eo omnes gentes ex vniuerſo orbe ad Sion confluant: hoc enim luminari magno ſeruabatur. Nec ipſe nouæ legis promulgator: Nec eo regnante idola penitus conteruntur. Illius gloria licèt magna, valde humilis, & abiecta, vt promiſſorum ab Iſaia magnitudinem compleat; excellentius quiddam, & ſenſu auguſtius humano relucet in verbis, quod in ſolo Emmanuele, & generis humani aſſertore adæquatè complebitur. Quapropter in vaticiniis, quæ Chriſti myſteria ferantur, interpretamentum, quod illius obſcurat, aut adimit gloriam, & ad felicitatem Iraëlitici populi detorquetur, tanquam Iudaizantium ineptias, & deliramenta libenter reſpuimus, & exufflamus.

Secunda vaticinij interpretatio de Chriſto Domino proponitur, & illuſtratur.

Verſ. 1. Verbum, quod vidit Iſaias, filius Amos, ſuper Iuda, & Ieruſalem.

COMMENTARIVS.

1 VErbum, *quod vidit Iſaias.* Sanctorum Prohctarũ vaticinia diuerſis nominibus nuncupantur, ſcilicet, viſio, verbum, onus, ſermo, auditus. Quia ab ſpiritu ſancto intus docente, & illuminante, Prophetæ tanquam diſcipuli verba auſcultabant, ſpiritali auditu, & mentis oculo futura cernebant, diuina veritate firmati. Hinc eſt, quod Iſaias primam prophetiam vocat viſionem, ſecundam verò Verbũ. Quia in hac ſecũda prophetia de Verbo incarnato ſpecialis ſermo eſt. Sic ſanctus Thomas, & Hugo Cardinalis.

Vaticinij prophetici nuncupationes variæ.

2. Secundam, & altiorem rationem proponit Procopius: vt Euangelicus vates Iſaias, & Euangeliſta Ioannes in exordio præfationis Euangelicæ aſſimilarentur. Dum ſupremus ille antiquæ Eccleſiæ Theologus Iſaias à verbo Dei, quod eſt omnium principium, & ſuorum ſermonum ſcopus, librum vaticiniorum ordiretur, dicens: *verbum, quod vidit Iſaias.* Et Euangelicæ Eccleſiæ Theologus, & Theologorum apex Ioannes Euangeliſta ſumeret Euangelij exordium à verbo Dei, ſic de ſublimi tonans: *In principio erat verbum*: audi Procopium: *A verbo Dei ſumit exordium, ſicut Ioannes Euangeliſta: bono igitur ordine poſt gentium vocationem, verbum Dei prophetiæ præmiſit, vt cum Ioannis Euangelio conueniret, qui eius à Verbo, quod erat in principio, ſumpſit exordium: ipſum etiã nunc Propheta enuntiat.* In qua ſententia quando Vates ait: *verbum, quod vidit Iſaias*: non de verbo mentali, aut vocali creato agitur, ſed de Verbo Dei increato, & Patri conſubſtantiali. Hæc verò ſubtilis eſt, & myſtica contemplatio, altera verò interpretatio de verbo creato, & vaticiniis, quæ in hoc opere continentur, & nuncupantur, verbum, ad literam ſpectat.

Iſaias prophetiæ initio lib. & Ioannes Euangeliſta Euangelij exordio aſſimilantur.

Procop.

Verſ. 2.

*Verſ.*2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gẽtes.

Prima Patrum interpretatio de Chriſto Domino.

D.Hier. D.Cyrill. D.Baſil. D. Iuſtin. D.Amb. Procop. Lyran. Rup.

4. DE Chriſto hæc verba accipiunt Hieronymus, Cyrillus in cap. 4. Michææ, Baſilius hîc, & Procopius, ſanctus Thom. Lyra, Rupertus, ſanctus Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, ſanctus Cyprianus lib. 2. teſtimoniorum aduerſus Iudæos capite 18. Ambroſius in caput 20. Apocalypſis.

Qui dies nouiſsimi dicantur.

D.Cyril.

4. Communis conſenſus Patrum, & interpretum eſt, tempus Incarnationis, & aduentus Chriſti vocari nouiſſimos dies, & poſtrema tempora. Vnde ſanctus Cyrillus optimè ait: *In extremis diebus, id eſt, vltimis huius ſæculi temporibus, quibus vnigena Dei ſermo factus caro, genitus ex muliere apparuit.* Vocantur autem vltimi dies, vel *nouiſſimi dierum*, iuxta Septuaginta, non quia fuerint tẽporis finis, cũ multa ſecula poſt Chriſti natiuitatem fluxerint; ſed vocantur vltimi comparatiuè ad prima tempora, in quibus Patriarchæ, & Prophetæ tanquam ſtellæ in firmamento fulſerunt. Hinc eſt quod Paulus inquit ad Hebræos cap. 1. *Multifariam, multiſque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Ideſt, in diebus iſtis nouiſſimis. Et vocat nouiſſima tempora per comparationem ad dies antiquorum patrum. In eodem ſenſu accipe verba illa Apoſtoli 1. Corinth. cap. 10. verſ. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* In quibus verbis alia nomenclaturæ nouiſſimorum temporum ratio inſinuatur à Paulo, ratione Chriſti, qui eſt terminus antiquæ legis, & finis vltimus, in quem vaticinia, & tempora intendebant; & per denominationem ab illo, in quem tanquam ad finem in vmbra Moſaicæ legis, diuina, & Angelica diſpoſitione, præordinata ſunt tempora, dies vocantur extremi.

Dierum nuncupationes variæ.

5. Accedit quod apud antiquos ab effectu, vel à cauſa nuncupantur dies, læti, triſtes, faſti, Cereales, Apollinei, Auguſti. Et in ſacra litteratura *dies boni*, Pſalm. 33. verſ. 13. *dies immaculatorum*, Pſalm. 36. verſ. 18. *dies pleni*, Pſalm. 72. verſ. 10. *dies antiqui*. Pſalm. 77. verſ. 6. *dies cæli*, Pſalm. 88. verſ. 30. Ita dies Chriſti vocantur nouiſſimi, à Chriſto Imperatore, qui cum eſſet primus, factus eſt nouiſſimus. Iſaiæ cap. 41. verſ. 4. *primus, & nouiſſimus ego ſum.* Et 1. Corinth. cap. 15. verſ. 49. *Nouiſſimus Adam.* A celebri hac Chriſti nuncupatione nomenclaturam nouiſſimorum acceperunt dies Chriſti.

A Chriſto, qui appellatur nouiſsimus, dies dicuntur nouiſsimi.

D. Auguſt. *Sex mundi ætates.*

6. Præterea ſex ſunt mundi ætates teſte ſancto Auguſt. tomo 5. lib. 22. de ciuitate cap. 30. Ætas prima, ab Adam vſque ad Noe. Secunda à Noe vſque ad Abraham. Tertia, ab Abraham vſque ad Dauid. Quarta, à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta, à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum. Sexta, & vltima, à Chriſto vſque ad finem mundi; quia ergo Chriſtus natus eſt vltima mundi ætate, ideò illius tempora vocantur extrema, illius dies nouiſſimi.

Præparatus.

Verbi Hebraici ſignificatio.

7. VErbum כון *chun* valde fœcundum eſt. Significat enim *Præparare, diſponere, firmare, ſtabilire, certificare, vel certum reddere, quid deſtinatum, certum, & firmum.* Idem verbum de præparatione, confirmatione, & ſtabilitate regni dicitur lib. 3. Regum c. 2. v. 45. *& thronus Dauid erit ſtabilis.* Hebraïcè naquon. Et lib. 2. Regũ c. 7. verſ. 26. *Et domus ſerui tui Dauid erit ſtabilita.* Et de firmitate columnæ cui domus innititur, Iudicũ c. 16. v. 26. *Vt tanquam columnæ, quibus tota imminet domus.* Hebraïcè: *cui nititur*, vel *firmatur.* Ex eodem verbo, Geneſis cap. 42. verſ. 32. *Firmitatis indicium eſt, eo quòd fiet ſermo Dei*, Hebraïcè: *decretum eſt à Deo*, vel: *erit firma veritas.* Et de Chriſto Domino Oſeæ cap. 6. verſ. 3. *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.* In quibus omnibus locis eſt idem met verbum in ſecunda coniugatione Niphal.

Vis verbi Græci.

8. Septuaginta interpretes in Biblia correcta legunt: *Erit in nouiſſimis diebus manifeſtus.* Et in cap. 4. Michææ vtramque lectionem nectunt: *Erit manifeſtus mons domus Domini præparatus.* Et ſanctus Hieronymus ſubſcribit. Verbum Græcum ἐμφανὴς ſignificat *Apertum, certum, manifeſtum, perſpicuum, eum, qui palàm eſt in omnium oculis, ac conſpectu, ortum manifeſtum, cum quis apertè in lucem editur.* Vnde ſanctus Cyrillus legit: *erit ſpectabilis.* Procopius: *erit illuſtris.* Chryſoſtomus: *erit conſpicuus, & ſplendens.* Sanctus Iuſtinus in dialogo: *erit præclarus, & paratus.*

D.Cyrill. Procop. D.Iuſtin.

Vis Verbi vulgati præparatus, aperitur.

9. Verbum Vulgati *præparatus*, alacritatem, & promptitudinem animi innuit, qua quis ſeſe accingit, & parat ad opus arduum, vt exantlatis difficultatibus, & laboribus, opus ad finem vſque deducat. Vnde præparatio iſta ex parte totius Trinitatis conſideranda eſt, iuxta illam ſignificationem verbi Hebraici, ſcilicet, *ſtabilire, firmare.* Mons iſte Chriſtus ſtabilitus, & firmatus eſt à Patre, & humanitas ipſa quæ dicitur mons, à diuinitate Verbi fulcita media vnione hypoſtatica, vt Eccleſiam ſupra Ieſum fundatam ſtabiliret, & ipſe mons omnia opera perficeret, ad quæ Deus præparauit illum, & miſit. Præterea dicitur à Patre præparatus, hoc eſt, diſpoſitus, & aptatus; Et tanquam primarius lapis politus, & cælatus ab artifice, vt domus Dei ſupra ipſum conſtruatur, ipſique lapides viui coaptentur, iuxta illud Zachariæ cap. 3. verſ. 9. *Ecce lapis, quẽ dedi coram Ieſu. Ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Præparatus etiam eſt ab Spiritu ſancto, qui corpus Chriſti temperauit, præparauit in vtero Virginis, vt aſſumeretur à Verbo. Vnde ſanctus Thomas 3. par. q. 32. art. 1. ad 1. expendens illud Lucæ c. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: quaſi ad præparandam* (inquit) *& formandam materiam corporis Chriſti.* Et quatenus per Spiritum ſanctum eſt in ſanctitate conceptus, dicitur ab eodem ſpiritus præparatus.

Chriſtus præparatus à Patre.

Ieſus præparatus ab ſpiritu ſancto.

D. Thom.

Ieſus qua ratione dicatur decretus, & prædeſtinatus.

10. Si verò legamus iuxta Hebræum erit *decretus, ratus, deſtinatus.* Vel ſicut legit Hugo Cardinalis: *prædeſtinatus*: firmitatem, & veritatem diuini decreti, & præſcientiam Dei notat, qua Chriſtum prædeſtinauit: nam ab æterno præordinatum, vt Deus fieret homo, & mons Eccleſiæ. Vndè ad Romanos c. 1. de Chriſto dicitur: *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.* Et vt exponit ſanctus Thomas 3. p. q. 24. art. 1. corpore: *prædeſtinatus eſt, filius Dei in virtute, ideſt, prædeſtinatus eſt, vt hu-*

Hugo. Card. D. Thom.

mana

mana natura vniretur Filio Dei in perſona. Prædeſtinatio attribuitur perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundum quod ſubſiſtit in diuina natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura. Et erit ſenſus: præparatus, & prælectus eſt mons à Deo, vt temporibus nouiſſimis Eccleſiam inſtitueret, & fundaret.

Præparatio ex parte Chriſti. 11. Si verò non præparationem ex parte Dei præſefinientis Chriſtum futurum fundamentum, & caput Eccleſiæ, ſed ex parte ipſius Chriſti propenſionem, & præparationem ad Eccleſiam fundandam conſideremus, Chriſtus dicitur mons præparatus ad tolerantiam paſſionis, & mortis, vt perfectiſſima obedientia opus redemptionis conſummaret. Cerne iſtius montis præparationem Pſalm. 37. verſ. 18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* Oſeæ cap. 6. verſ. 3. *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.* Septuaginta ibi: *Quaſi manè paratum inueniemus eum.* Itaque Verbum, Deus, qui ſe quaſi in æternitate præparauerat, ad ſuſcipiendam humanitatem, factus homo ſe præparauit ad perficienda Patris opera. Tota vita huius montis Chriſti fuit quædam præparatio ad mortem.

Lect. LXX.

Græcorum Patrum verſio illuſtratur. 12. Verſio Septuaginta, & Græcorum Patrum: *Erit manifeſtus, conſpicuus, illuſtris, ſplendens, & præclarus,* conuenit Chriſto Domino, quia Verbum Dei manifeſtatum eſt, in carne, quod apud Patrem latebat in æternitate, Myſteriumque illud à ſæculis abſconditum, & reparandi generis humani cœleſte conſilium, quod apud Deum celabatur, cum Verbum caro factum eſt, innotuit Angelis, & manifeſtatum eſt hominibus, iuxta illud ad Timotheum epiſtola 1. capite 3. verſu 16. *Manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatū eſt in carne,* vbi de myſterio Incarnationis loquitur. Græci Patres legunt: *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Et ſanctus Thomas expendit: *Sicut verbum, quod latet in corde, manifeſtatur verbo ſenſibili, ita Verbum Dei in corde Dei latebat; ſed in carne eſt manifeſtatum.* Et ſanctus Leo Pontifex ſermone 6. de natiuitate: *Hodie Verbum Dei carne apparuit veſtitum, & quod nunquam fuit humanis oculis viſibile, cœpit etiam manibus eſſe tractabile.* Itaque mons ille, qui ſupra omnes Angelorum montes, & colles eminet, & ſolis Angelorum choris manifeſtus apparebat, nouiſſimis diebus mons manifeſtus hominibus factus eſt. Manifeſtus: quia manifeſtauit oracula Prophetarum. Nam veritatem illam, quam Sanctorum Dei hominum vaticinia, & ænigmata occultabant, apparens, & illuceſcens in carne Sol iuſtitiæ ſuo lumine retexit.

Hor.

Verbi Hebraici ſenſus. 13. הר *har* mons. Si à radice הרר *harar* deducas, ſic dicitur à feſtinatione, quia ſuo pondere feſtinans [illegible], vel quia flumina, fontes deorſum præcipitat. Idem verbum ſignificat ciuitatem [illegible], Hieremiæ capite 51. verſu 25. de Babylone [illegible] mons. Hebraice [illegible]. Et [illegible] tranſtulit [illegible] Babylon non [illegible], & Euphrate ab [illegible] à radice הרה *hara* concepit [illegible] vterum [illegible] libro [illegible] capite 24. [illegible] conſerta, aſſerit [illegible] ſimilis. Montes dicuntur quaſi magnæ matris terræ vteri, nam inſtar veri grauidantis fœminæ tument, in ſeque imbribus irrigati cœleſtibus, flores, fructus, aurum, argentum, pretioſos lapides, gelidas, tepidas fontium, aut fluminum partus parturiunt.

Cur Chriſtus appellatur mons? 14. Sed quare Chriſtus Dominus dicitur mons? Primò, quia ſicut mons eſt terræ altior tumor, quaſi ab eminendo dictus, ſic Chriſto humanitas propter ſummam eminentiam, qua inter omnes cælicolas aſſurgit, dicitur mons ſanctus. Baſilius, cuius verba tranſtulit Procopius: *Monti porro comparatus eſt Chriſti in terram deſcenſus, quia mons eſt, quòd in terra multum eminet, ipſaque Domini caro terra alioqui naturæ communione exiſtens, per eam, quam habet cum Deo affinitatem ſurſum aſſumpta, eleuataque eſt.* *Prima ratio.* *D. Baſil. Procop.*

Secunda ratio. 15. Secundò, quia mons licet habeat radices in terra, illius cacumen, quod in ſublime porrigitur, proximus cœlo eſt, ſic Chriſtus originem habet de terra terrenam, & progeniem de cœlo cæleſtem; terrenam de matre, cæleſtem de Patre, & inter omnes Adæ terrenos filios proximior Deo eſt, & ad cælum nos leuare facit, & eſſe cæleſtibus propinquiores.

Tertia ratio 16. Tertiò: mons ſolet eſſe lapidicina, & latomia, vnde lapides exſcinduntur, & ædificio coaptantur. Et Chriſtus tanquam mons habet ſibi vnitos per fidem, & charitatem lapides idoneos ſtructuræ cæleſtis Hieroſolymæ. Laboribus, cruciatibus, martyrio exſcinduntur, poliuntur, ferroque cælantur lapides viui, & ſuis coaptantur locis per manus artificis.

Quarta ratio. 17. Quartò: non vocatur mons ſterilis, habens ſaxeos ſcopulos, aut præruptos ſilices; ſed mons fœcundioris, & amœnioris ſoli, vbi nemora, aut florum, & fructuum ſolent eſſe ſupercilia, vbi auro locus eſt, in quo conflatur argentum, & lapides pretioſi habent venam ſuarum principium, vbi etiam fontium manant ſcaturigines. In hoc monte aurum diuinitatis, argentum reperies humanitatis, lapidibus pretioſis virtutum [illegible], hinc Sacramentorum, & doctrinæ Euangelicæ fluenta manarunt. Hic mons candidis Virginum liliis, purpureis Martyrum floribus veſtitur, & ornatur.

Quinta ratio. 18. Quintò: de monte ſpatiatur animus, non ſtrictè, non anguſtè, quaſi per foramina cœlum intuetur, aperto campo æthera licet cernere; oculorum lumina ſine obſtaculis fruuntur cæleſtium ſpectaculo. Sic in Chriſto, & per Chriſtum diuina omnia reſerata ſunt, parata ſunt myſteria patuerunt.

Sexta ratio. 19. Sextò: ſicut Deus, liberalis in prouidentia montes, & colles in ſtatera, & in terra efficaciter tanquam muros diſpoſuit, vt imbribus, & tempeſtatibus obſiſterent, ne terra ventorum conquaſſata flatibus, aut madefacta nimbarum procellis, ſterileſceret. Sic Chriſtus Dominus ſe ipſum tanquam montem, & murum oppoſuit tentationibus hominum in domo Domini, ne eam obruerent, ſed fœcundam remaneret illius ſolum, & fructum benedictionis afferret.

Septima ratio. 20. Septimò, in præſenti tamen Chriſtus Ieſus aptiſſimè nuncupatur mons, quia nouus eſt legiſlator. Vnde ſubijcitur: *De Sion exibit lex.*

Et

Et docebit nos vias ſuas. Legis autem promulgandæ, & accipiendæ, idonea eſt [illegible], aptiſſimus eſt mons. Hinc eſt, quòd Moyſes legis tabulas digito Dei conſcriptas accepturus a Domino, montem aſcendit, vt doceret omnia illa legum documeta eſſe ſublimia. Illius quoque in montem octo beatitudines prædicaturus aſcendit. Legem itaque nouam laturus mons dicitur, quia verba illius dirigunt ad ſuperna, & quia lex Dei meliùs auditur, aptiùs exit de monte.

Octaua ratio. 21. Octauò: immenſa camporum planicies, à montibus ſcaturigines, & aquarum riuulos accipiunt: mons habet in ſe ipſo fontem aquarum, ipſaſque eiaculando per montis latera fundit, hominum, & animantium deſeruit ad potum, vel terræ culturam: & hæc ratio cógruit primariæ ſignificationi radicis Hebrææ *harar*, à præcipitatione, quia fontes, & flumina deórſum diſpergit. Sic Chriſtus continet in ſe gratiarum fontem, ſitum in medio Paradiſi. Eſt enim Incarnata Sapientia quaſi fluuius Dorix, & quaſi trames aquæ [illegible] flumina, [illegible] Eccleſiæ plantationem [illegible], & cæleſtem. [illegible] Angeli, hominelque, [illegible] fluenta [illegible].

Nona ratio. 22. Nonò denique dicitur mons, quia domus Dei ſuper ipſum conſtructa eſt, ideò nuncupatur mons domus Domini. Situs autem fabricandæ vrbi aptior, & ſalubrior in monte quam in planicie, cum ibi benignior cæli influentia, ventorum aura ſinatior, nec terrenis exhalationibus inquinatur. De quo fuſius in expoſitione de Eccleſia, in qua ea verba *domus Domini* expendenda ſunt.

In vertice montium.

Verbum Hebraicū ros quid denotet. D. Iuſt. Mar. 23. Hebraice eſt: *In capite montium.* Nam verbum ראש ros idem eſt ac *caput, dux, principium, cacumen, & vertex.* Et in Syro Chaldæo Ros *principem* ſignificat *familiæ, & caput domus, & generis.* Hinc eſt quòd aliqui legunt *In ſummitatibus montium.* Sanctus Iuſtinus Martyr: *In ſummo montium.* Et eſt ſenſus: Mons ille, in quo Eccleſiæ, & domus Dei fabrica conſtruenda, adeò ſublimis eſt, & eximius, vt ſit apex, & corona montium. Cum quo alij celeberrimi montes Sina, Moria, Thabor, Sion [illegible] metaphoricè accipias montes [illegible] tate conſpicuis, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Elias, & omnes Prophetæ, nequeunt æquari, neque comparari poſſunt. Cum ipſe ſit [illegible] & Eccleſiæ caput inter Angelos, & homines [illegible] principatum. Hinc [illegible] Chriſtus [illegible] ad Epheſios capite 1. verſu 21. [illegible] *omnem Principatum, & [illegible] & dominationem [illegible] quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Et ipſum dedit [illegible].*

Teſtes montiū apex.

Chriſtus Caput Eccleſiæ. Et ad Coloſſenſes capite 2. [illegible] *caput omnis Principatus, & Poteſtatis.* Eſt etiam dux bellorum, & Dominus exercituum. Neque [illegible] nouam domum Dei [illegible]. Ipſe eſt principium, & [illegible]. Principium, in quo Deus [illegible] omnia. [illegible], & finis Alpha, & Omega: Ipſo teſtante Iudæis: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Ipſe Princeps, & caput Euangelicæ domus, & Chriſtianæ familiæ. Cerne, lector, aperta ſaluatoris inſignia in argumento huius capitis ſupra propoſita, Principis, Regis, Sponſi, Ducis, Bellatoris, & compara hunc locum cum Zachariæ Prophetæ ſententia capite 4. vbi Chriſtum vocat lapidem *primarium.* Hebraice eſt idem verbum ראש *ros.* Et denotat: *Lapidem principalem, lapidem capitis, lapidem principij.* Nam qui eſt in ædificatione primus, & fundamentum domus, caput eſt, & coronis totius fabricæ, excellentia, & gloria primarius; dignitate capitis, & faſtigij Eccleſiæ eximius.

Eleuabitur ſuper colles.

24. Verbum נשא *naſa*, *extollere, & exaltare, eleuare* ſignificat Sanctus Hieronymus in caput 4. Michææ legit: *Exaltabitur ſuper colles.* Verſionem ſequuntur Sanctus Chryſoſtomus, Sanctus Cyprianus ſupra relati. Hieronymus in caput 4. Michææ legit: *Sublimis ſuper colles.* Sanctus Iuſtinus Martyr: *Sublimatus ipſe ſuper colles.* Sed verbum Hebraicum proprie dicitur de exaltatione Regis, & regni, libro 2. Regum capite 5. verſu 12. *Et cognouit Dauid, quod Dominus exaltaſſet regnum eius.* Hebraicè eſt, *naſa.* Promittit ergo Iſaias Chriſtum Regem ſuper omnes colles, hoc eſt ſuper omnes Reges eleuandum, exaltandum, & ſupra omnes Angelorum, & hominum choros exaltationem, & gloriam. *Verſionum diuerſitas. D. Chryſoſt. D. Cyrill. D. Hier. D. Iuſt. Mar.*

25. Sed forſan in his verbis alludit Iſaias ad ritus celeberrimos creandi Reges, eos in altum eleuando. Refert Aymonius libro 3. de geſtis Francorum capite 61. quod antiquus creandi nouum Regem mos erat, eleuari eū in clypeo a militibus. Refert etiam Alex. ab Alexandro libro 1. capite 28. quod ſolebant Batauí, & Germani Regem, quem delegiſſent, attollere humeris, & ſcuto exceptum ſuccollare per vices pro regio faſtigio. Forſitan hunc ritum Iſaias reſpexit. *Mos creandi reges, eos exaltando. Aymon.*

26. Aliter verba licet expendere de Chriſti Domini exaltatione, [illegible] Chriſtus Dominus [illegible] eſt [illegible], & mons exaltatus, [illegible] abiectus in paſſione, [illegible] cum gloria eſt magnificentia Domini ſuper cælos. Quia præparatum [illegible] Domini, & Eccleſia Dei ſuper ipſum [illegible], data eſt illi merces, vt ſuper omnes cælos, & ſuper omnia humana, & Angelica ſanctitatis faſtigia extolleretur. [illegible] Paulus dum prædicat, quia humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem crucis, a [illegible] gloria & honore coronatum. Sic Sanctus Hieronymus in caput 4. Michææ. *Humilitatio & exaltatio Chriſti.*

Et fluent ad eum omnes gentes.

27. נהר *nahar* currere, & [illegible] aquarum curſu propriè [illegible] legunt: *feſtinabunt.* [illegible] tur Hieronymus, & Cyrillus. At [illegible] Martyr duplicem lectionem [illegible] *conuenient ad ipſum,* *[illegible]*

ipſum, vel, fluuium ponent in ipſo populi. Quibus innuit Vates velociſſimum curſum, & alacritatem gentium fluuiorum inſtar, currentium, feſtinantium ad Chriſtum. Hoc, enim, fluere, confluere in ſacra Scriptura denotat, Hieremiæ c.31.v.12. loquens de vocatione gentium: *Audite verbum Domini gentes. Et venient, & laudabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini.* Vbi eſt idem verbum *nahar.* Præterea quando vehemens concurſus hominum ſeſe prementium, & magna populi multitudo ad quoddam mirum ſpectaculum alacriter, & certatim cõcurrit; hoc verbo *fluo*, vel *confluo* aptè ſignificatur. Hieremiæ c.36.v.9. *Prædicauerunt ieiunium vniuerſæ multitudini quæ confluxerat*, Et lib.2. Machab. cap.8. v.18. *Alij etiam gregatim de domibus confluebant.* Et Cicero ait: *Quid dicam effuſiones hominum ex oppidis.* Hiſpani etiam gentium multitudinem, *mare*, hominum accurſus vocamus *Fluctus; mar de gente, olas de gente,*

Chald.

Nec diſſentit Chaldæus legens: *Et confluent, vt ſeruiant ſuper eum omnia regna.* Denotans concurſus Regum; & obedientiam omnium regnorum nouo Regi Chriſto præſtandam. Non tantummodo inferioris fortunæ homines, ſed Dynaſtæ, & Imperatores ad nouam vrbẽ, & domum regiã feſtinarũt, vt illius Domino humillimum obſequiũ præſtarẽt.

Vis verbi Hebraici goi, manifeſtatur.

28. Sed verbum גוי *goi*, gentes, & nationes exprimit, quæ cultum idolorũ profitebantur, & diuerſos omnino ritus, & ſacra, a cultu & religione Iſraëlitarũ ſectabantur. Vnde Iudæi, eos qui Iſraëlitæ non erant, vocabãt *goi*, quaſi à lege Dei, & ſuis moribus alienos. Ac ſi iuxta Græcorum mores appellares *barbaros*: quod, vt vides, illuſtriſſimũ eſt teſtimoniũ de vocatione, & conuerſione gentium, quod quotidie adimpletur ab Eccleſiæ exordio. Cùm nationes moribus feræ, immanitatis barbaræ, idolorum cultui mancipatæ ad Chriſtum properant, & Chriſtianis ritibus imbutæ, piè, & honeſtè viuunt.

Gentiũ conuerſio prædicitur.

A quo gentes vocatæ, & attractæ?

29. Sed æquo iure poſtulas, à quo Reges properantes, populi confluẽtes ad Regem, & regiam, vocati, allecti, attracti? Reſpondeo, quod licèt Iſaias non exprimat, id tamen innuit; nam verbũ Hebraicum נהר *nahar*, non ſolùm denotat *fluere, confluere*; ſed *illuminare, illuſtrare*, aut *illuſtrari lumine.* Iob c.3. v.4. *& non illuſtretur lumine.* Et Iſaiæ c.60. *videbis, & efflues.* Hebraicè, *illuminaberis.* Sed illuſtre eſt teſtimoniũ Pſal.33.v.6. *Accedite ad eum, & illuminamini* S. Hieron. in Pſalterio tranſtulit: *Reſpicite ad eum, & confluite.* Quocirca: illuſtrati cœleſti ſplẽdore properãt populi, illuminatæ à Deo nationes confluũt. Gratia Dei intus corda illuminans, homines vocauit, excitauit, ſuauiter allexit, ſpõtaneè attraxit. Eãdem quæſtionem in hæc verba Iſaiæ S. Cyrill. Alex. proponit, & diſſoluit dicens: *Quis ergo illis erat myſtagogus; quis dux, & præco initiationis? Quis induxit agnitionẽ veritatis? Quis perſuaſit, vt prima exiſtimarẽt ridicula, & ad poſteriora accurrerent, an nõ videlicet Deus, qui illorũ mentẽ, & cor illuſtrauit?* Hæc Cyrillus.

D. Cyrill.

Apoſtolorum prædicatio.

30. Veruntamen illuminatio iſta prædicationem Apoſtolorũ ſupponit, licèt id Vates non exprimat his verbis; nã vt gentes omnes in Chriſtũ confluerent, & crederent, priùs in omnẽ terram exiuit Apoſtolorum ſonus. Id teſtatur Paulus ad Rom. c.10. v.14. *Quomodo inuocabunt, in quem nõ crediderunt? Aut quomodo credent ei, quẽ non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Splendor quoque, & magnificentia regiæ domus, Chriſti decor, cũ manifeſtus, & illuſtris apparuit, eos allectauit: mirabilium operũ, & prodigiorũ gloria, & fama vbique celebrata eos excitauit, vt citato properarent accurſu. Intuere gentes, & populos fluentes ad Chriſtũ properantes ad montem. Lucæ c.5. v.1. *Turbæ irruunt in Ieſum, vt*

Populi ad Ieſum cõfluũt.

audiant verbum Dei. Et c.1. v.4. *Turba plurima conueniunt, & properãt ad eum.* Sæpè etiam apud Euangeliſtas ſequutæ ſunt eum turbæ multæ. Feſtinarunt populi ad montem, quando in eum crediderunt, Parthi, & Medi, Ælamitæ, &c. Actorum c.2. feſtinarunt, & accurrerunt Apoſtoli, quibus dixit: *Venite poſt me: & ſtatim relictis retibus, & patre ſequuti ſunt Dominum.* Sic S. Hieronym. in c.4. Michææ.

D. Hieron.

In illo verbo fluent,

Ad naturalem originem fontium alludit Iſaias.

Fluuiorum curſus admirabiliter montes tendit.

31. RVrſus Vulgatũ illuſtro, nam in verbo *fluent ad eum*, altior, & diuinus ſenſus deliteſcit. Nam curſus iſte nationum citatiſſimus inſtar rapidorum fluminum, quantò altior eſt mons, in quem aſſurgunt, & attolluntur, tantò eſt difficilior, tantò eſt mirabilior. Non enim aſcendunt, & impelluntur fluenta ad quemcumque montem, ſed ad altiorem omnibus montibus, & collibus eminentiorẽ, vtpote qui in cacumine montium præparatus, eleuatus, exaltatus eſt. In quibus verbis exiſtimo Iſaiam ad naturalẽ ſcaturiginẽ fontium reſpexiſſe, & ſpiritualiũ fluminum, & gratiarum originem, cũ materiali natiuitate fluentorũ comparaſſe, & vtrorumque fluxum, & refluxum, naturalemque amicitiam, & nexũ cõpulaſſe. In quibus cernere eſt miram cohærentiam verborum, & ſententiarum Iſaiæ. Nam ſuprà Chriſtum Dominũ vocauit fontem ſpiritualiũ principium, & fluuiorum caput. Hoc enim includitur nomine montis ſuprà. Nec diſſentit verbũ Hebraicum הרר a quo mons, eo quod fontes, & riuulos ad planicies: & conualles effundat. Modò flumina iſta ad ſuũ principiũ refluunt, & ad ſuum fontẽ aſcendunt.

32. Huic interpretationi maximum lumen affert Eccleſiaſtæ c.1. v.7. *Ad locum, vnde exeunt,* (S. Hieronym. & Symmach. legunt cum vulgato) *flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Sed ad maiorẽ euidentiam perpendamus, quomodo ad ſuũ principium, & originẽ in altis montibus, & ſaxis conſtitutam refluant, & reuertantur. Primò: S. Thomas ad motum cœlorum, & virtutẽ Lunæ attractiuam reducit 2. ſentẽt. diſt.14. q. vnica, art.5. ad 4. *Ita eſt in elementis, quod ex motu corporũ cœleſtium aliquid conſequuntur de motu circulari, præter motus proprios naturales, quod euidentiſſimè apparet in reſluxu maris, qui ſequitur motum Lunæ. Non tamen hoc fit per motũ violentum, cùm ſit ſecundum ordinẽ naturalem corporum, quod inferiora impreſſionem ſuperiorũ ſequantur. Et per hunc modum ex impreſſione cœli mouentis elementa ad mixtionem, aqua ſubingreditur terram, vt ſit apta ad generationem mineralium, & plantarum, & exinde in locum proprium naturali motu reuertitur.*

D. Hier.
Sym.

A qua cauſa, mouetur aqua, vt ad ſuum principium reſluat?

D. Thom.

Primũ principium, motus cœli.

33. Secundò: Theodoretus lib.2. de prouidentia, ad Dei prouidentiam, & voluntatem, motum aquarum ſurſum, & fontium ſcaturigines in ſummis montibus reducit; *Quis (inquit) fluuiorũ fluenta vrget? Quis fontium venas impellit? Ecce etenim, vt illi quidem in ſummis ſcateant montium verticibus, aqua Dei verbo obediens ſummos montium vertices faciat occupet.* At S. Baſil. cauſam aſſignat ventorum vim, & impulſum hom.4. in exameron dicẽs: *Mare fluitans ac permeans per cuniculos fiſtulares, & anguſtos, mox vbi obliquis, aut certè rectis in ſublime ſurrectis excurſibus ſe occupatũ deprehenderit ab agitante compulſum ſpiritu, ſuperficie terræ vi dirupta erumpit, atque foras emicat.*

Secũdũ principium, Dei prouidentia, & voluntas tanquã cauſa prima.

Theodor.
D. Baſil.

Tertiũ principium aëris impulſus.

34. In quibus verbis ad tria capita reducunt Patres, quod aquarum fluenta ad ſuum principium reuertantur, vel ad vim illam cœli, & Lunæ mirabilem, quæ aquis imperitat, quæque aquarum torrentes ſurſum eleuat: vel ad diuinam voluntatem, cui omnia elementa famulantur. Denique ad impulſum

pulſum ſpiritus, quo aqua mouieurut in ſublima, & de montium verticibus emergit. Ad rem ergo cùm Iſaias Chriſtum appellauerit montem, & chariſmatum fontem, à quo gratia, fides, charitas iugi ſcatebra promanant, cùm hæc fluenta perueniunt ad gentes, iiſque inundantur, vel tingũtur, ad ſuum principium refluunt, & fluunt ad Chriſtum. Si cœlum, & Luna, Dei prouidentia, & motus aëris tantam vim habent attrahendi ad montium apices venas aquarum, quantò maiorem virtutem continebit, & diffundet Sol Deitatis, cœlum, & Luna humanitatis in Chriſto, Spiritus ſancti motus, & voluntas Patris, vt alliciat, & attrahat gentes ad ſe ipſum, & ad montem Sion. Suprà Chriſtum nuncupauit Vates Eccleſiæ caput, gratiarum principium: Quid aptius quàm quod caput influat in corpus, & cœleſtes riuos ad ipſum detinet. Sed ad fontem rurſus refluunt, & ad caput, vnde exierunt flumina, reuertuntur.

Qua ratione gentes ad Chriſtum refluant.

35. Præterea fluere dicuntur ad montem vt nexum innuat inter Chriſtum, & gentes iam credentes, ſicut mare, & flumina mira vnione copulantur. Aptè Magiſter Sẽtentiarũ 2. diſtinctione 14. inquit: *Cuncta flumina & maria magno mari iunguntur. Sic omnes credẽtes Chriſto, qui magnũ mare eſt, ratione fidei, vel charitatis nectuntur, & ad ſuum principiũ vadunt.*

Nexus maris, & fluminorũ. Magiſt. Sent.

36. Sed qua virtute ſurſum feruntur hæc flumina? Hoc enim nomine vocat gentes, ad quas Saluatoris notitia peruenit. A Dei voluntate, quæ efficaci ſuauitate attrahit. A cœli, & Lunæ pulcritudine, & motu. Humanitatem Ieſu cœlum, & Lunam voco, cuius decor cum hominibus apparuit, hominum ſolicitauit affectum: ſplendor operum mirabilium, quæ quotidie patrabat, magna virtus extitit, quæ hominibus ſuaſit, vt ipſum ſequerentur. Denique ad impetum Spiritus ſancti corda mouentis, aquæ iſtæ ad montem Domini fluunt. Cum dicit *fluent*, viuas aquas vocat. Gentes antequam crederent, aquæ erant, ſed mortuæ, quia ſpiritus, & motus vitæ non erat in eis, necdum enim Spiritus ſanctus ferebatur ſuper aquas, nec eas fouebat calore diuino, ideò nõ fluebant. Venit ad eas ſpiritus vitæ, impulſus, & motus cœli, & Lunæ, vis attractiua cœleſtis, tanquam viuę currunt, fluunt, properant ad montem.

Ieſus gentes attraxit.

Discvrsvs I.

Ad ea verba:

Erit in nouiſſimis diebus.

Chriſtus humilitatis affectu vltimum, & nouiſſimum ſic dilexit, vt etiam elegerit loci, & temporis extremum.

1. Qvantvm in Chriſto præluxit humilitatis magiſterium, quando ſuo in terras aduentui non elegit tempus primum, ſed poſtremum; poſtremum, & nouiſſimum naturali quadam propenſione exoptat Ieſus. Poſtulata, & preces antiquorum Patrum, quibus enixè expoſtulabant Dei in terras aduentum, ſapienter promouet Zacharias cap. 10. v. 1. *Petite pluuiam à Domino in tempore ſerotino.* Iuxta procerum Eccleſiæ placitum, Chriſtum Ieſum nuncupat pluuiam, qui inſtar pluuiæ, & roris in vterum Virgineum tanquam in vellus intemeratum placido deſcendit illapſu; pluuia, quæ Eccleſiæ arua fœcundat, tepidoque cœleſtis virtutis humore; aut ſopit libidinis faculas, aut prurientis carnis extinguit incendium. Sed hoc pluuiæ ſtillicidium non implorandum, vt ad terras defluat primitiuo annorum luſtro, amat enim tempus ſerotinum, & extremum. Appoſitè S. Hieronym. inquit: *Quia iam extremum tempus eſt Prophetarum, & mundus declinat ad finem, & omnia, quæ prædicta ſunt, ſui terminum præſtolantur, petite à Domino, vt det vobis pluuiam ſerotinam, vt Chriſtus, qui promiſſus eſt veniat.* Cùm iam ſæcula ad ſui curſus metas, & occaſum peruenirent, mundo factor temporum illuxit: placuit poſt Prophetarum ætates tempus, quia extremum, & nouiſſimum eſt.

Chriſtus ſerotina pluuia pronũtiatur. D. Hieron.

2. Cùm beatæ vitæ metas attingeret Iacob, & natis impenderet benedictionis gratiam, cum deueniret ad Ioſeph, amorem, inquam, & delicium patris, ore Prophetico hoc protulit oraculum Gen. c. 49. v. 22. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* Sed hîc Vulgati verba efferunt Septuaginta interpretes, & in Iacob amoris principium erga Ioſeph indicant: *Filius meus adoleſcentior ad me reuertere.* Quæ verba dum de Ioſeph expendit, ad Chriſtum transfert S. Ambroſius lib. de benedict. cap 11. dicens: *Amabat enim Iacob, quia filius ſenectutis erat illi. Quod etiam ad Chriſtum refertur, ſeneſcenti enim mundo, & iam occidenti, illuceſcens Dei Filius per Mariæ Virginis partum ſerus aduenit, quaſi filius ſenectutis ſecũdum ſacramentum ſuſcepti corporis, qui erat ante ſæcula ſemper apud Patrem.* Ambroſio annecto S. Cyrillum Alexandrinum lib. 1. Glaphyrorum, qui legit: *Filius meus iunior;* & eum conceptum exprimit argutè: *Cæterum* (inquit) *ipſe cùm ſit factor ſæculorũ, intelligi poteſt conuenienter factus etiam minimus natu. Apparuit enim in nouiſſimis ſæculi temporibus, poſt glorioſum illum, atque admirandum Sanctorum Prophetarum chorum, atque adeò poſt omnes, qui ante ipſius aduentum, in numero filiorum ſunt cenſi propter virtutem.* Non amat infantiam Ieſus, aut ſæculi pubertatem, non adoleſcentiam mũdi, aut virilem ætatem, ſed annorum ſenectam, quæ declinabat ad finem. Poſt Patriarcharum cohortem, & candidatorum Vatum ſacrum ordinem, atque adeò poſt omnes, quaſi poſtremus, & vltimus natu orbi illuxit, tanquam nouitius miles cedens non virtute, ſed loco, & tempore veteranis. Iunior, & minimus natu vult vocari, & nouiſſimorum amat inſignia.

Ioſeph filius Iacob vocatur à Patre. Lect. LXX. D. Ambr. *Ieſus quaſi filius ſenectutis ſerus aduenit.* D. Cyrill. Alexand. *Ieſus nouiſſimis temporibus illuxit mundo.*

3. Inquirit S. Petrus Damianus, cur Ieſus natiuitatem Præcurſoris ſui non præoccupauit, cur poſt præconis, & militis fauſta natalitia Rex naſcitur? Reſpondet lib. 4. epiſt. 16. dicens: *Quod inter materna viſcera Dominus diutius manſit, Ioannes celerius prodijt, non caſus eſt accidentiũ, ſed diſpenſatio perſonarum. Ille nimirum tanquam metator hoſpitij domo maturius exiit, vt ſubſequenti mox Imperatori viam ſterneret, aduentum eius regnis, prouinciis, & vrbibus nuntiaret. Imperator autem noſter in virginalis palatij thalamo reſidens aliquantulum ſubſiſtit, & qui metatorem, œconomúmque præmiſerat, procedere moroſius indicauit.* Moras nectit Ieſus, vt egrediatur è Virginali thalamo, vt præmitteret ſui metatorem hoſpitij. Sed necdum ſolutus nexus quæſtionis: ſint Ioannes, & Ieſus ortu ſuppares, Oeconomico fungetur munere Præcurſor, viã ſternet, & apparabit Iſraëlitarum animos, Dei verbi præconio, vt aduẽtanti Domino ſortem occurrant. Cur ergo, ſponſi paranymphus præuenit natiuitate ſponſum? O quantum ad abiectionem perpendit Ieſus! Loci, & temporis ambit extremitates, Qui primarius eſt dignitate, primas temporis detulit Ioanni; vt humilitatem amplificet, natiuitatem ſuam collocat in poſtremis: *Procedere moroſius indicauit.*

Cur poſt Ioannis natiuitatem oritur Ieſus? Petr. Dam. *Ieſus ambit temporis extrema.*

Abſtruſam

Quo pacto Ieſus primus, & ſecundus adoleſcens prædicetur

Abſtruſam diuini myſterij ſententiam doctis ſermonibus inuoluit Eccleſiaſtes, cum de adoleſcente ſermonem inſtituit cap. 4. verſ. 15. *Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub ſole, cum adoleſcente ſecundo.* De eodem prædixerat verſ. 8. *Vnus eſt, & ſecundum non habet.* Si non habet ſecundum, ergo ipſe primus: ſi primus, quomodo ſecundus? Si ſecundus, quomodo primus? Sed de obiectionis tricis facilè te ipſum expedies, ſi de Saluatore locum expendas. Ipſe primus æternitate, ſecundus in tempore, ſed grauiter, & acutè enodat argumentum

D. Ambr.

ſanctus Ambroſius lib. de inſtitut. Virginis cap. 11. cuius verba ſunt: *Hic ergo non eſt ſecundus. Lego*

1. Cor. c. 15.

quia primus eſt, lego quia non eſt ſecundus. Sed docet aliquis, quia ſcriptum eſt, primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Secundus homo, quaſi hominem ſecundum dixit. Et ego dico quia primus eſt ſecundum diuinitatem, ante quem nullus, ſecundus autem ſecundum carnem, quia poſt Adam. Ego plus dico non ſolum ſecundum lego hominem, ſed etiam nouiſſimum. Denique ſic habes: factus eſt primus homo Adam in ſpiritum viuificantem. Vide clementiam Chriſti, ipſe eſt primus, & nouiſſimus: qui primus erat, propter nos ſe nouiſſimum fecit. Primus quia per ipſum omnia: nouiſſimus, quia per ipſum reſurrectio, deſcendit enim, & proiecit ſe, vt caderet, infra omnes ſe faciens, vt omnes iacentes leuaret. Pulchra, & mirabilis in Ieſu de abiectione contentio, cælitum digna conſpectu, minus ſibi videbatur, ſi nuncuparetur ſecundus, qui totius primatus gaudet infulis: ſe ipſum quoque appellat nouiſſimum, infra omnes, & poſt omnes ſe faciens, ſibi vindicans loci, & temporis extremum. Verò ab Iſaia nominatus nouiſſimus virorum, Luciferum pudore ſuffundit, qui primatus apicem aucupatur. Voluit eſſe primus tempore, dum ſe æſtimat increatum, primus dignitate, dum deſpicit Ieſum ſuperbiæ faſtu, & nimia gloriæ auiditate collocat dominationis dignitate ſecundo in loco Saluatorem. Veruntamen qui inſana cupiditate experiit cæli culmina, tenuit inferorum barathra; qui auebat eſſe primus, factus eſt omnium poſtremus. Infelix abiectio Zabuli ad ſuum exitium. Sed quia Ieſus de primo factus eſt loco, & tempore nouiſſimus; felix Ieſu abiectio, ex qua prodiit reſurrectio: *Infra omnes ſe fecit, vt omnes iacentes leuaret.*

Ieſus non ſolum ſecūdus, ſed etiam nouiſſimus nuncupatur.

1. Cor. c. 15. verſ. 45.

Ieſus nouiſſimum elegit locum, & tēpus.

Luciferi ambitio taxatur.

Dies aduentus Ieſu, dies parui appellantur.

5. Dies Ieſu apud Zachariam aſpirant humilitatis gratiam. Dum eos denominatione ornat paruulorum, ab omni nota dedecoris reddit immunes, multùmque decoris, & dignitatis ſuis verbis Vates adiungit, cap. 4. verſ. 10. *Quis enim deſpexit dies paruos,* Mentiar, niſi dies parui ſint dies aduentus Ieſu. Approbo Ruperti conſilium, & ad hunc locum eius verba adſtituo: *Non plures, quam nouem generationes tranſitura ſunt, inter Zorobabel, cuius tempore prophetauit iſte, & Ioſeph virum Mariæ. Zorobabel quippe genuit Abiud, Abiud genuit Eliacim, Eliacim genuit Azor, Azor genuit Sadoch, Sadoch Achiam, Achias Eliud, Eliud Eleazar, Eleazar Mathan, Mathan Iacob, & poſt hunc illa non manu facta domus Domini fundata eſt in vtero, & ex vtero Virginis habentis, ſed non cognoſcentis virum Ioſeph. Quis deſpexit, aut deſpicere debuit dies tam paruos.* Dum dies obſeruo paruos, iam mihi adumbrabant, immò exprimebant dies Ieſu. Terreni Imperatores dies natalis ſui magnos, maximos, auguſtos appellitant. Solus cælorum Rex nuncupat paruulos. Cum poſt tot generationes in cella Virginea humanæ fabricæ domus architectatur verbo, Spiritus ſancti opera, vocatur dies paruu-

Rupert.

A Zachariæ vaticinio vſque ad Chriſti aduentum nouem generationes numerantur.

lus. Sed paruitas iſtas dierum non deſpicienda ex diuini Vatis oraculo. Quantum in me eſt, eam veneror, & exoſculor. Nec diſſentit ſancti Gregorij Nazianzeni ſermo in elogiis ſeptenarij numeri. Nam oratione 44. ſic de Chriſti generatione fatur: *Auſit autem fortaſſe quiſpiam, iuuenilis animi impetu feruens, ad nouum quoque Adamum venire, Deum, inquam, meum, & Dominum Ieſum Chriſtum, qui iuxta retrogradam Lucæ deſcriptionem, à veteri, & ſub peccato conſtituto Adamo ſeptuageſimus ſeptimus numeratur.* Poſt tot reuoluta tempora, Patriarcharum, & Regum gentilitia à veteri Adamo, in lucem editur poſtremus.

D. Greg. Nazian.

Ieſus in libro generationis S. Lucæ ſeptuageſimus ſeptimus numeratur.

6. Inter primitiuos orbis dies, quibus ſempiternum numen bonitatem, & potentiam ſuam reddidit conſpicuam in huius viſibilis machinæ ſtructura, diem Sabbathi vacantem reliquit, in quo poſt tanta rerum molimina, in otio, & tranquillitate degeret. Geneſis cap. 2. verſ. 2. & 3. *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat: & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Theodoretus q. 21. in Geneſim legit aliter: *Poſuit (inquit) ſanctificauit eam pro ſegregauit.* Sed cur diuinæ requieti dies ille ſecluditur? Cur non deſtinat oblectamento, & ſolatio diem ſextum in quo hominem creauit, in quo Deus requieſcit? Aut diem Dominum ſubſequentem tanquam monumentum æternum creationis cæli, in quo Deus beatitudinem, & gloriam ſanctis oſtendit? Quia amator eſt vltimi, & poſtremi, elegit Sabbathum, quia dies nouiſſimus creationis extitit. Id inſinuat Theodoretus proximè relatus; *Septimum diem ſanctificauit, pro eo quod eſt ſegregauit, vt illius diei ceſſatione creationem adeptam eſſe finem demonſtraret.* Diem ſibi Sabbathi reſeruat, quia in ea creationis opus terminos figit; creauit Deus cælum, non lego, quod requieuerit: creauit die ſecundo firmamentum, cælum, inquam, ſideribus diſtinctum, non requieſcit: hinc luminaria die quarto, fulgetque geminata Solis, & Lunæ lampas, ſed non requieſcit, non enim erat dies extremus, Peruenitur ad Sabbathum, qui finis eſt, & requiem inuenit, requieſcit enim Deus in poſtremis.

Deus Sabbathi diem elegit requieti, quia poſtremus eſt.

Theodoret.

Theodor.

7. In præpeti Angeli volatu, qui de ſupernis deſcendebat ad aquas probaticas ſanitatis, & vitæ, perpendenda eſt temporis circumſtantia, in Ioannis Euangelio ſignata cap. 5. verſ. 4. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua.* Indicat Beatus Ambroſius, tempus, quo ſeſe demittebat Angelus ad languidorum medicamen, fuiſſe tempus veſpertinum. Etenim lib. 2. de Sacramentis cap. 2. edisserens Chriſti myſterium in Angelo adumbratum, ſequentem adiungit ſententiam: *Secundum tempus, quod ad horam nouiſſimam ſeruabatur, vt in occaſu ipſum diem deprehenderet, & differret occaſum.* Magnus enim conſilij Angelus ad deſcenſionem ſuam obſeruabat tempus nouiſſimum, vt humano generi medicamentum ſalutis afferret. Cum enim ſit fugax tempus, & inſtar præcipitis torrentis dilabantur anni, tempus extremum deprehendit, vt ortu, & occaſu ſuo, acerbum vitæ finem temperaret, & æternæ mortis reatum hominibus auferret. Forſan illud acumen indicant Ambroſiana verba; *Vt in occaſu ipſum diem deprehenderet;* Si Angelus, vel homo velit Ieſum capere, Solémque iuſtitiæ, non diluculum obſeruet, ſed occaſum, in eo enim inuenitur, & comprehenditur Ieſus a languentibus; *In occaſu ipſum diem deprehenderet.*

In tempore veſpertino deſcendit Ieſus ad languentes.

D. Ambr.

DISCVRSVS II.

Eam verſionem ornat:

Erit decretus, deſtinatus.

Immenſas gratiarum actiones tenetur humana natura rependere Domino, qui ab orbe condito, & à diebus æternitatis ad opus redemptionis, & hominis ſalutem ſeſe accinxit.

1. CVM illius verbi: *erit præparatus*, formauemus commentationem, vim verbi Hebraici diſcutientes: *Erit decretus, erit prædefinitus.* Ex parte Dei paraturá innui annotauimus, ad hominis ſalutem. Lege commentarium. Quam chara Deo hominis incolumitas. Vir palatium homini regi orbis conſtruxerat, ſuſpendens cœlum, roſeis luminibus interſtinctum pro faſtigio; expādens terram frugibus, & floribus depictam pro ſtrato, cum præuidens protoplaſti lapſum, & miſertus ruinæ, emittit manum de alto, vt proſtratū ſubleuet. Pro paradiſi foribus conſilium Trinitas veneranda inſtituit, vt ferat opem erranti, & medelam adhibeat homini vulneribus ſaucio: nec inſanabilis cauſa reperta eſt, dum in ipſa hominis fabrica, ſpes ſalutis affulget. Gratum nobis proponit Moyſes ſpectaculum, perſonas ſingulas velut ſeſe ad hoc opificium comparantes, & accingentes. Gen. c. 1. v. 26. *Et ait: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Cum hæc audis, dubitas quis quócum loquitur? Sed occurrit S. Athanaſ. in reſpōſione q. 53. dubitationem ſoluens: *Præuidens* (Deus) *Vnigeniti Filij incarnationem, & humanæ naturæ aſſumptionem, quam ex Virgine naturam aſſumpturus eſſet: ad ipſum Vnigenitum Filium hunc dixit ſermonem.* Quam dulce alloquium, hominique proficuum, iam enim antidotū carnis, veneno criminis parabatur, vt per conſenſum, & concordiam diuinæ, humanæque naturæ, extincto bello fieret pax in vtero Virginis, iuſtitiæ, & pacis promulgaretur amplexus, & oſculum.

Deus à mundi exordio parabat homini ſalutē.

D. Athanaſ.

In hominis fabrica prædicitur à Deo incarnatio verbi.

2. Sed cum auſcultaris: *faciamus*, cernis Patrem expeditum, Filium annuentem, & in procinctu ad fingendum, & refingendū humanum plaſma. Quàm elegans, & floridus Tertullianus in præſenti eſt, cum lib. de reſurrectione carnis cap. 6. fatur: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & ſermo, caro, quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudidem noſtram. Et fecit hominem Deus, id vtique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illud, ſcilicet Chriſti. Et ſermo enim Deus, qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimauit pariari Deo, iſa limus ille iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed, & pignus.* Perpendenda verba illa: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur,* &: *non tantum Dei opus erat, ſed & pignus.* Quàm prouida munificentia! necdum homo formatus, & in propoſito Dei iam redemptus; cum delineabat hominis formā, velut in vmbra imaginem Chriſti intendebat. Cùm muſculoſos artus, viriléſque lacertos velut tornatili poteſtate circinat, dum tāgit; defigit Deus apud extraneū manum ſuā, in ipſoque opificio dedit humanæ naturæ obſidē Incarnationis. Et ne promiſſis deſit fides, ne infidelitatis, aut reſipiſcentiæ coarguatur, Verbum ſuum in homine oppignoratur,

In hominis formatione Verbi incarnatio figuratur, & promittitur.

Tertull.

3. Proculdubio huic loco, & conceptui deficeret complementum, ſi à referendis Ruperti Abbatis verbis animus abſtineret. Sunt enim valde præclara, ea ex libro 2. c. 1. in Geneſim decerpo: *Magnum planè conſilium in illo ſapientiæ concilio, in illo talium perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non tam ſenatu, quam ſoliloquio venerādo, de nobis peccatoribus habitum eſt. An putas eorum quidquam, quæ circa nos acta, vel agēda ſunt, illic defuiſſe? Planè ibi omnis noſtra in medio cauſa poſita eſt, mors, vel perditio noſtra, quæ futura erat, illic perſpecta eſt, & inde totū cōſilium habitum, vt vnaquæque perſona ſuam operis partem ſuſciperet, vt ſcilicet, tunc quidem Pater conderet; poſtea in plenitudine tēporis Filius perditū redimeret, Spiritus ſanctus remiſſionem peccatorū, & carnis reſurrectionem perficeret. Atque ita communi Trinitatis conſilio reædificarentur in homine deſerta ſæculorum, & fundamenta generationis, & generationis ſuſcitarētur. Laus ſapientiæ Creatoris, honor gratiæ liberatoris, gratiarum actio pietati illuminatoris, adoratio vni indiuiſæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici omnium Trinitati. Repleatur os noſtrum laude, vt tantam eius gloriam, tantam eius magnitudinē tota die cantemus.* Hæc Rupertus egregie, & opportunè. Ea lector ſecum ipſe perpendet. Ego intacta relinquo, ne inſipiēti eloquio obſcurē.

Trium perſonarum de homine formādo, & reformando conſilium, & alloquium.

Rupert.

4. Veruntamen Verbum Dei, pietatis ſacramenti in ſeipſo perſonam agebat, cum ſeſe viſibile obijceretur conſpectibus humanis. Antiqui enim Patres non Deitatis ſpeciem, & gloriam, ſed veſtitam corporeo, & humano tegumēto aſpexerunt. Vt adnotat S. Gregorius Nazianz. orat. 49. dicens: *Filium Dei ita viſum à Patribus approbamus, vt non totum in illo, quod eſt Deus, videretur: ſed vt diſpoſitiones rerum futurarum, quæ ſuis quibuſque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Iacob ideò ſe in Angelo demonſtrauit, vt nuntium ſe magni conſilij indicaret.* Erāt etenim illæ imagines cœleſtes, & diuina ſimulacra, oculis mentis, aut corporis Sanctorum obiecta, ſacramenti Chriſti præambula, quibus Verbum præludebat; amore hominis flagrans, & deſiderio géſtiens aſſumendæ carnis, vmbratilem, & apparentē humani corporis formam induit, humano habitu hominibus apparet, & affatur; ſæpe etiam armatus gladio viſus eſt, quaſi in ludicra pugna ſeſe exercens, vt poſtea in vera, & paſſibili carne laceſſitus Deus, hoſtem moriendo expugnet.

Deus ab antiquis patribus viſus in humana forma.

D. Greg. Naz.

5. Nec prætereunda ſilentio Iacob lucta, in qua Angelum, aut in Angelo Deum, & magni conſilij nuntium prouocat. Poſtquam ab intempeſta nocte ad diluculum vſque prorogatū eſt certamen, poſtquam multum, diuque concertatum eſt brachiorum lacertis, precibus, lacrymis, deuicto perduelli Deo, & ſubiugato Iacob inſtat, vt nomen ſuū, quod apud ſe latitat, ſibi depromat; hoc enim perfectæ victoriæ palmam obtinere ſibi viſus eſt, Gen. c. 32. v. 29. *Interrogauit eum Iacob: dic mihi quo appellaris nomine? Reſpondit: cur quæris nomen meum?* Iacob plorantem Deus demulcet, nec notitiā nominis diuini deſtituit, & nominis ſui magnalia reuelat. Ita cēnſet S. Iſidorus Peluſiota epiſt. 453. eius verba ſunt: *Quid quæris nomen meum, quod nec legis eſt, nec eorum, quorum ætas legem anteceſſit, cognoſcere: verum ſero tempore, cum temporum plenitudo venerit, atque hominum ſcelera magnopere aucta fuerint, Ieſus incarnatus nuncupabor, quod quidem ſeruatorem ſonat, ſiquidem eorum, qui peccauerunt, ſalutis cauſa huiuſmodi adminiſtratione perfungar.* Hilaritate, & gaudio videtur perfundi athleta, cum Ieſu incarnati

Iacob lucta.

D. Iſid. Peluſ.

Nomen Ieſu incarnati reuelatur Patriarchæ.

nomen

nomen replicat, & munus Saluatoris repetit, quo perfungetur temporibus ſuis. Labores ſuſtinendos exantlandos in adminiſtranda hominis ſalute, tanquam quid volupe, & deliciis plenum, mente, & ſermone verſat, cum Iacob Patriarchæ affatur; & dum complexu ſuo ligatum tenet Deum, cernit ipſum ad hanc functionem alacrem, & promptum, ipſeque Iſraël ſingularis beneficij vſurpauit eum maxima claritate memoriam.

Ad diſpenſationem ſalutis humanæ Pater, & Filius apparuerunt Patribus.

6. Cùm Deus Moyſem Iſraëliticæ gentis Imperatorem, & magiſtrum inſtituit, & format, vt præſtet legis, & portentorum patratoris munus, his verbis excitat Exodi c. 6. v. 2. & 3. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens: ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente.* Sed quis apparuit Patribus percontatur Euſebius Cæſarienſis? Et reſpōdet apparuiſſe Filium, per ipſumque manifeſtatum eſſe Patrem. Septuaginta apud eundem legunt: *Et viſus ſum ab Abraham.* Et Aquila vertit: *Viſus ſum ab Abraham, & ab Iſaac, & ab Iacob in Deo ſatis multo.* Et addit Euſebius ſequentia lib. 5. demonſt. Euangelicæ c. 13. *Quibus verbis planiſſimè indicat non ipſum illū, qui Pater eſt, per ſe ipſum apparuiſſe, ſed in Deo ſatis multo oracula præbuiſſe. Quare etiam Patribus per Filium viſus eſt Pater. Sed cum hominibus Salutaris appareret, tunc per Filij humanam formam videbatur a Dei amicis, atque inter homines futuram ipſius ſalutem, omnibus præſentem ex illo quaſi arrham, & pignus exhibebat.* Cum Pater per varia illa ſpectra, & veritatis vmbras humanā ſalutem diſponeret per Filium operandam, in viſionibus Filij innoteſcebat Pater. Nec immerito Filium nuncupat Euſebius arrham, & pignus ſalutis, quod Pater exhibebat. Nam huius felicis ſacramenti, nec temporis iniuria obliuiſcendi, nec perfidia violandi ſponſor, & ſtipulator Pater, Filiū ipſum velut pignus, & arrham in verbi ſui veritate, & fida cuſtodia, & in Patriarcharum promi[...] repoſuit. Arrha eſt, vt bonæ fidei contractus [...]noteſcat, dum promiſſum completur. Pign[...] quod non aufertur ab creditore, ſed poſſeſſo[...] donatur, cum completur fides promiſſi, non [...]m eſt Verbum, cum caro factum, ab homini[...] ablatum, ſed datum. Nec diſplicet quod Euſe[...]us iuxta verſionem Aquilæ, Filium nuncupet: [...] *eum ſatis multum.* Nā ille, qui indiuiſus, & ſimpl[...]ſſimus eſt naturá, quando Patribus apparet de [...]edemptione hominis ſermonem inſtituit; [...] cernes totum Deum homini occupatum, ac de [...]tum conſilio, ſapientia, opere, ſermone, vt fig[...]tum reformet.

Per Filij humanam formā videbatur Pater.

Filius arrha, & pignus ſalutis.

Cur dicatur Deus ſatis multus.

Ab æterno decreta hominis prædeſtinatio.

7. Nec prouidenti[...] & [...]aritas Dei erga nos cur[...] mundo [...]ort[...] antiquior eſt cœlo, & chao. C[...] veritatis [...]em Paulum produco 2. ad Timo[...] 1. v. 9. [...] *nos liberauit, & vocauit, vocatione ſancta [...] ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum [...] ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis [...]* pro[...] *ante tempora ſæcularia.* In cōſilio conferre per[...] poſuit, ante quam formaretur [...] ſed audiendus Filium diuinæ naturæ conſo[...] Arrianos mentem S. Athanaſius, qui lib. 3. c. 5: *Quomodo igitur ele[...]* Pauli præclar[...] [...] *vt ipſe dixit, in eius ani[...] git nos, antequam [...] delineatique fuiſſemus? Aut [...] mo iam antea præ[...] homines crearentur, nos deſi[...] quomodo omnino filios, niſi ipſe Filius ante annū fun[...] gnaſſet in [...] cepta noſtri procuratione?* Quam pul[...] [...] *datus ſu[...]* alij verba: *In eius animo iam antea præſi[...]* chra *delineatique.* Sed quam formam, & figuram [...] erit Deo peccator, niſi obſcuram, & defor[...] [...], deturpatamque ſcelerum maculis: Gratias ti[...]

Ante euum procurationē noſtrā ſuſcepit Filius.

P. [...] Luc. de Arcones in Iſaiam.

bi Domine Ieſu, qui dilexiſti fœdos, vt faceres pulchros; quod venuſtus apparuerit peccator in conſpectu Patris, cuiuſque ſit captus decore, Ieſu bene fictum eſt: qui ſqualore vitiorum antè ſordebat, eius gratia candidatus eſt ab æternitate. Melliflua eſt poſtrema magni Doctoris ſententia: *Ante annum fundationis ſuſcepta noſtri procuratione.* Ad locum Iſaiæ præſentem videtur alludere verbum *fundatus*; nam Hebræa vox, quæ reſpōdet illi, *erit præparatus*, idem denotat, ac eſſe *ſtabilitus, fundatus, firmatus*, vt immutabilis ſententiæ propoſitum innuat; quo ab æternitate Filius curam noſtri ſuſcepit. Etenim præpoſitus eſt à Patre Filius noſtri negotij ſolicitus procurator, vt nos abſentes, necdum natos, & in diſceptatione iudicij cauſam noſtrā tueretur, ſeueríſſimque remoueret diuinæ iuſtitiæ ſuppliciū; quo Filij diuinitas adſtruitur, & à Deorū turba ſecernitur, quos Epicurus omni procuratione, atque actione priuat; noſter autē Dominus, iuxta ea, quæ in æternitate inſcrutabilis conſilij altitudo diſpoſuit, publici muneris procurationem ſuſcepit; felicem exitum peccator tali procuratore expectet, qui etiam in diuinis factus eſt aduocatus.

8. Non diſſentit à prædicta mente Theodoretus, qui in eūdem locum Pauli hæc ſubiicit verba: *Hæc ab initio quidem, & ante ſæcula præfinijt vniuerſorum Deus, nunc autem ijs, quæ præfinita ac decreta fuerunt, finem impoſuit: hæc autem, & cum vellet, conſentientem, ac ſuffragantem habuit Chriſtum Dominum; & cum efficeret adiutorem, ac cooperatorem, per eius enim ad[...] uentum opus effe[...] reddidit.* Cum legis Ieſum [...] ſentientem, ſuffragantem, adiutorē, ac coo[...]ratorem [...] diuini decreti, & prædefinitio[...] dipoſitio ad [...]ctum exitum perduceretur, v[...] bis Ieſum ab æ[...]no ſeſe ad opus redemptio[...]s præparantem.

Theodoret.

Ab æterno filius ad operandam hominis ſalutē dedit conſenſum, & ſuffragium.

[9.] Hæc diuinæ ſapientiæ [...]æparatio clarius explicat Prou. cap. 8. v. 25. vbi [...]e Sapientia loquitur, & arcana patefacit conſil[...] *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequā te[...]a fieret.* Septuaginta legunt: *Ante ſæculum fund[...]it me.* Theodotion vero legit: *Ante opificium ei[...]a tunc, & ex tunc ante ſæculum præparata ſum.* [...]amque verſionem ſequitur Magnus Athan[...]s, & præclaris ſententiis illuſtrat lib. 3. cont[...] [A]rrianos ſcribens: *Illud porro quod ſcriptum eſt [...] eum, neminē perturbat. Id enim diſpenſation[...] [i]ncarnationis eius attingit: gratia ſiquidem Salu[...]s, erga nos nuper apparuit (vt Apoſtolus in[...] [...]ut ad nos ipſe deueniſſet. Sed tamen illa ante præ[...]ta, deſtinataque fuit; quàm nos efficeremur, quin potius ante conſtitutionem mundi: cauſáque eius rei quodammodo, & bona, & admirabilis. Creās igitur nos per ſuum Verbum omnium rerum Deus, cognita habens noſtra melius quàm nos ipſi, proſpiciénſque nos bonos quidem creatos, ſed poſtea tamen præuaricatores futuros, præcepti ſui, eijciendoſque ex paradiſo ob contumaciam; ipſe vt humanus, & bonus iam ante inſtituit in Verbo ſuo noſtræ ſalutis procurationem, vt quamuis decepti à ſerpente excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, ſed habentes in Verbo iam ante præparatam nobis redemptionem, & ſalutem, iterum reſurgentes immortales perſeueraremus.* Hoc Athanaſius: In quibus verbis mirabili diſpoſitione deſcribit ſcientiam Dei, & ſeriē prædefinitionis, & diuini decreti Theologicis diſputationibus. Noſtræ verò contēplationi idonea viſa ſunt verba illa Angelico, & humano digna plauſu, quod gratia Chriſti *Ante præparata, quàm nos efficeremur.* Et: *habemus in Verbo iam ante præparatā nobis redemptionem, & ſalutem.* Iam enim ante mundi conſtitutionem, & à diebus æternitatis ad opus noſtræ ſalutis ſeſe accinxit.

Opus incarnationis ab æterno deſtinatum, & præparatum.

Theodor.

D. Athan.

Series diuinæ præſcientiæ, & prædefinitionis.

Verbum Dei ab æterno præparatū [...] mundi [...]

Discvrsvs III.

Hoc maximè curandum iuſto, quod ad nouiſſimum ſit præparatus.

1. NOn ex principio vitæ, ſed ex poſtremo iuſtorum vita præfertur; quando extrema primis reſpondent. In virtutis palæſtra rudimenta ponere, eiuſque cohoneſtare viam bonorum operum primordiis, multorum eſt; ſed ad ſummum faſtigium perducere, paucorum, enitendũ iuſto, quod finis à principio non diſcrepet, & quod dies nouiſſimus ſit præparatus. Regius Pſaltes pro fine vitæ, diebúſque extremis inſtituit deprecationis formã, ne currens in virtutis ſtadio, labaſcant pedes vitiorum lubrico, aut præpeditiſs decipulis voluptatum, attingere nequeat victoriæ palmam, quæ non datur currentibus, ſed in curriculo perſeuerantibus, Pſal. 74. hanc inſcriptionem affixit. *In finem, ne corrumpas.* De tituli mente quæſtionem proponit, & ſoluit S. Athanaſius q. 89. ex parabolis: *Quid dicit Propheta, cum inquit: in finem ne perdas Dauid:* (ſic in lectione variat) *Reſponſio: finẽ vitæ ſuæ dicit Propheta, & orat, ne finis vitæ ſuæ veniat, incidátque in aliquod damnum. Nam tota hominis vita, ſi malè tranſacta, finis autem eius bonus fuerit, beneficium eſt, & gratia: ſi vero finis diuerſus fuerit, hoc demum eſt miſerum. Orat ergo Propheta, vt ſua vitæ finis bon[illegible] ſit. Nam ideò conſcribit[illegible] hunc Pſalmum.* Non iuxta pr[illegible]mordia vitæ: ſed iuxta ex[illegible], & finis tenorem, aut [illegible]plicium, aut corona con[illegible]tatur, ideò ex intimis [illegible] cordiis proferenda mil[illegible]ntibus in hac illecebro[illegible] ualle, Dauidis oratio: *[illegible] finem ne corrumpas. in finẽ ne perdas.* Cùm videris [illegible]uempiam viam virtutis nouam ardore animi initi[illegible]tem, & ad ſublimia contemplationis euectum, fi[illegible]n vitæ expecta, nec in diuorum numerõ adhuc rep[illegible]as, ne fortè aſceticis exercitamentis languens, & deficiens, turpem flagitiorum exitum in vitæ [illegible]ine cernas.

Forma Dauidicæ deprecationis pro bene vitæ exitu.

D. Athanaſ.

2. Pulchrè Chryſoſtomus human[illegible] vitæ mutationes, & diſcrimina ante oculos con[illegible]uit, cum eundem Pſalmi titulum illuſtrat, homili[illegible] de verbis Iſaiæ ſcribens: *Et tamen hæc via tum [illegible]ſior eſt, tum magis ardua, ac prærupta, multóque ex[illegible]or, quàm illa per funem, vt quæ ſurſum ad ipſum vſque [illegible]lum protenſa eſt: ac tum nobis maiori cum periculo p[illegible] nutant veſtigia, cum ad ſummum, & ad ipſum vſque faſtigium acceſſerimus, eo quod in ſublimi ſtantes multus occupat tremor. Hanc quidem ob cauſam Propheta nobis aſſiduè inclamat dicens: in finem ne corrumpas, in initio quidem non egemus multa exhortatione. Cur ita tandem? Eo quod quilibet homo etiam ſi fuerit omnium pigerrimus, aggreſſurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumque, & animi viget alacritas, & vires integræ ſunt, ac recentes, facilè ad id, quod propoſitum eſt, pertingit: cæterum vbi maior viæ pars nobis peracta eſt, idmque alacritatis vigor emarcuit, vireſque noſtræ defecerunt, nec aliud ſupereſt, quam vt decidamus, tunc nobis in tempore adeſt Propheta, veluti pro baculo quopiam, alloquium ſuum nobis porrigens, ac dicens: in finem ne corrumpas.* Quæ illuſtria ſunt, & piaculum ducerem, ſi non omnia ad præſens inſtitutum conferrem: vbi præſentem vitam cum funambulis comparat, qui dum ſuperius faſtigium ſcandunt, & ad metam præcipitatæ inambulationis deueniunt, in maiori verſantur diſcrimine: & horrendum præcipitium imminet, quibus ſcipionẽ, & fulcimen porrigit nouiſſimi diei paratura.

D. Chryſoſt.

In virtutis via gradientes cum funambulis cõparantur.

In virtutis exordio facilis eſt alacritas.

3. Mirot Dauidis ſententiam cum de Reginæ gloria fatur, Pſal. 44. verſ. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis abintus, in fimbriis aureis.* Si laus, & decus ab intus, quorſum in fimbriis? Quid magis patulum, & oculis conſpicuum, quam ora cycladæ, anteæque frangiæ, aut limbi, exteriorem chlamydis ambitum cingẽtes? Si in intimis gloria, quomodo in extimis, & externis? Licet Regina, & ſponſa mundum muliebrem, cidarim, & comptum capillamentum, cingulúmque aureum margaritis ornatum curet, maiorem ſolicitudinem adhibet circa veſtimentorum ambitum: extremáque indumenti, quæ pedes, hoc eſt vitæ finem, & extremitatem attingunt, aureis ornamentis virtutum fulgere optat, in iiſque Regiam maieſtatem, & decus conſtituit. Acutè Hugo Cardinalis inquit: *Per fimbriam, quæ eſt finis veſtis, ſignificatur finis vitæ hominis, non ex capite aureo, id eſt, non ex initio bona vita gloriandum eſt, ſed potius ſemper timendum eſt. Et debet homo ſe accuſare, & iudicare, vſqueque perueniat ad fimbriam, & cum inuenerit eam eſſe auream, tunc gloriabitur in æternum. Quod benè notatur in ſerie huius verſus, cum dicitur, omnis gloria filiæ Regis in fimbriis aureis. Quaſi diceret, licet amicta ſit varietatibus virtutum, & donorum, non tamen in his glorietur, ſed in fimbriis aureis, id eſt, in operibus finaliter bonis.* Maximè gloriandum iuſto de fine bonorum operum, cum ad extremum vſque halitum ſtabilis in charitate permanſerit, tunc enim fimbriæ, hoc eſt, vitæ extrema aureo fulgore virtutum nitent.

De operibus finaliter bonis gloriandum.

Hugo Card.

4 Priſtinos illos Parentes Abraham, Iſaac, & Iacob, Deus nominis ſui ineffabilis decorauit infulis. Exodi cap. 3. verſ. 13. cum Moyſe fatur: & præſertim verſu 6. *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Cur trium [illegible]atrum tantummodo nuncupatur Deus, & non al[illegible]rum, quorum virtutum decora inter illius populi [illegible]iginem ſicut ſidera refulſerunt? Quia formam [illegible]per æquabilem in virtutis curſu, & Domini fam[illegible]tu ſemper obſeruarunt, & per pietatis increme[illegible] in vitæ poſtliminio adepti ſunt probitatis faſt[illegible]ſum. Id notat ſanctus Baſilius lib. 1. contra Euno[illegible]ium, cuius verba ſunt: *Sanctis quidem ſuis Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, quorum propter conſummatã virtutem, Deus nominari; quaſi quid præcipuum, ac [illegible]ens, maieſtatem ſuam, voluit.* Pro regalibus delicii[illegible] glorioſiſque ornamentis habet diuinum numen vocari Deus eorum, qui [illegible] tantum inchoant v[illegible]tis opus, ſed conſum[illegible] & cum migrant ad [illegible]omin[illegible], dum agno[illegible] metas, tenent vit[illegible]tis ap[illegible]m.

Cur Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, & non aliorum nũcupetur.

D. Baſil.

Triũ patrum conſummata virtus.

5. [illegible] qui in exitu vitæ ſe ipſum in[illegible]t paratum, lumbos, & accingit caſtitatis baltheo [illegible], & cor in occurſúque charitate ardentibus o[illegible] conuiuiũ nuptiaonſi de nuptiis venienti, & [illegible] tulo, & nuncupatioditanti. Talis, ſerui Domini tima mea iuſtorum nignus. Similī moriatur anima. Pſalm. 115. verſu 15. De quo Pſalmographus *mors Sanctorum eius.* Sed *in conſpectu Domini* probationem, & argumentũ affert pretioſitatis vitæ, Dei ſeruus eſt; vnde ſubiũgit in extremo *quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, O Domine,* tua. Tenuit mentem Dauidis Africanus *ancillæ* qui in commentario Pſalmorum ſcribit: *huius, eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, ſi ſuâ in ipſa morte doceat ſe ſeruum Dei, & filium ancillæ, ancilla Dei eſt diſciplina ſancta, qui enim in fine eius,* corporis,

Pretioſus eorum tranſitus, qui in ipſa morte ſunt ſerui Domini. [illegible]

corporis dixerit Domino veraciter, ô Domine ego ſeruus tuus, diſciplinæ tuæ velut filius obtemperaui. Diſrumpet Dominus vincula eius, quibus à Diabolo implicatur. Non eſt precioſa mors, neque honorabilis, nec iucunda indiſciplinatorum, qui renuerunt inſtituta ſeruare maiorum, ad ſtrictioris ſtudij ligamina recalcitrantes, priſcorum Patrum leges peſſundant: qui in mortis diſcrimine veraciter dicit, filius ſum, & ſeruus diſciplinæ, bene paratus eſt in nouiſſimo.

Illuſtrium virorum lapſus in fine vitæ.

6. Quis non exhorteſcat ad præclariſſimorum virorum infelicem exitum, qui cum domum Dei, virtutum robore, fideiq; conſtantia velut columnæ fulcirent, & tanquam cœli luminaria Eccleſiam colluſtrarent, in extremitate vitæ, a faſtigio virtutis collabentes, domus tota contremuit, lapſus, & ruina fortiores viros concuſſit. Magni Oſij exemplum in medium produco. De quo ſanctus Athanaſius in Apologia ad Imperatorem Conſtantium ſequentia retulit: *De magno, & grauiſſimæ ætatis viro, eodemque Confeſſore Oſio, qui verè Oſius eſt, id eſt Sanctus. In qua enim ſynodo ille non dux, & anteſignanus fuit? Quem non ille rectè tuendo, in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Quis illum mœſtus adijt, vt non lætus abierit? Quis indigus ab illo poſtulauit, quin poſtulatum obtinuerit?* Sed verba, quæ ſubiungit de illius vitæ clauſula pium pectus pungunt, & vulnerant: *Ipſorum* (Hæreticorum) *inſidijs ſubſcribere voluit, quamuis enim tandem ob illatas illi multas plagas immodicas, & ſtructas in cognatos eius inſidias ceſſerit ipſis ad horam, vtpote ſenex, & corpore imbecillis.* Sed imbecillior animo, qui virtutum gazas, quas tot laboribus, & ærumnis cumulauerat, cum appelleret ad portum, amiſit. Rectè ordiri vitam, & peſſimè finire, omnium infelicitatum eſt maior ærumna. Quis in proceribus, & magnatibus Eccleſiæ iudicia Dei non pertimeſcat! Curandum eſt viro iuſto, vt dies nouiſſimus nec laſſatum, nec remiſſum, nec imparatum eum inueniat.

D. Athan.

Oſij virtutes.

Vltima vitæ illius clauſula.

7. Quæ de virorum iuſtorum in fine vitæ lapſu enarrat os Chryſoſtomus aureum, horrore ſunt plena. Expendit verba illa Pſalm. 90. verſ. 7. *Cadent à latere tuo mille.* Et ſubiungit de cadentibus à latere Domini: *Quid eſt, cadent à latere tuo mille? Hoc Propheta Chriſto dicit. Multoties videmus Eremitas, vel bonos Chriſtianos iam ſic perfectos eſſe, vt pro ſancta vita ſua, qua perſeuerauerunt in ſolitudine, & in ſancta religione, lateri Chriſti ſint applicati: ſed ſub elatione aliqua decepti, vel illuſione Diaboli perturbari, faciunt lapſum, & quaſi à latere Chriſti cadunt. Ergo iſti, qui iam prope ſunt, vt perueniant ad Chriſtum, ſubito in exitu vitæ ſuæ tranſeunt ad aliqua nefaria, & impudica, & cadunt à latere eius mille.* Quot, & quantos vidit orbis viros, renuntiãtes ſeculi voluptatibus, vero Deo conſecratos, in medio itinere laſſatos, obtorpuiſſe, aut cum iam manus apprehenderent palmam, aut caput inflecterent ad coronam, ſubito corruiſſe. Quis non pertimeſcet caſum? Et pulcre dixit Chryſoſtomus in fine vitæ à latere Chriſti cadere; quia viros, qui ſe diuino obſequio mancipārunt, tanquam dilectos filios Chriſtus ſuo claudit pectore; lateris apertura, & vulnus conſtrictos tenet amoris vinculis. Quid beatius, quàm adhæreſcere percuſſo lateri, & diſſuauiari vulnus; quid miſerabilius? quid æternis magis lamentandum lacrymis, quàm in vitæ extremo, à gloria tanta, & deliciarum paradiſo ruere in vitiorum barathrum?

D. Chryſ.

Viri virtute conſpicui qui in exitu vitæ faciunt lapſũ quaſi à latere Chriſti cadũt.

Viri diuino obſequio mãcipati, Chriſti lateri adhærent.

8. Omnem paraturam ad extremum diem ſanctus Lucas Euangeliſta deſcribit, caſtitatis baltheum, ſeruitutis cingulum, volucrem expeditionem ad Domini imperium, ardentes lucernas lumine fidei, charitatis flammis; ſed perſeuerantiæ in virtutis via, æternæ beatitudinis gaudia ſingulariter repromittit, cap. 12. verſ. 37. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Quid proderunt in ſecunda, & tertia vigilia ſolertes excubiæ, ſi in aduentu Domini dormitauit anima præ virtutis exercendæ tædio. Acuta eſt annotatio ſancti Petri Chryſolog. ſerm. 24. dicentis: *Et quia expectationis ſuæ Dominus ſatis triſtes, ſatis anxios nouerat mores: ne quis ſuperaretur tædio, ne quis laceſſeret tarditate, ne quis longæ expectationis fatigatione ſuccumberet, perſeuerantibus beatitudinem cæleſtem, cæleſte promittit obſequium.* Ei, qui in extremis vitæ paratus eſt ad ſuſcipiendum Dominum, diuina merces promittitur.

Beatitudinis præmium perſeuerantibus promiſſum.

D. Chryſol.

DISCVRSVS IV.

Solicitè præmuniendus eſt animus in vitæ confinio, quia in eo Diabolus acrius inſurgit, & ad tentationum inſidias vehementius inardeſcit.

1. FVRIT in nos horrendâ ſæuitiâ quotidie Dæmon, inſidiáſque prætendit in hominis lapſum, & ruinam, ſed in mortis limine, dum tentandi facultas euolat è manibus, inſtátque terminus æternæ, aut felicitatis, aut infelicitatis, extrema calliditatis, & malitiæ machinamenta exerit ad hominis exitium; hunc Deus adhuc corporalis mortis inexpertum, inimicæ fraudis admonuit; vt in vitæ diſcrimine, & experientia mortis hoſtiles impetus paratus exciperet. De ſimultate inter fœminam, & ſerpentem fatus, de ſerpente inquit: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius.* Geneſ. cap. 3. verſ. 15. Quid ſit fœminæ calcaneum, expendit Albinus Flaccus. Alcuinus tom. 3. Biblioth. quæſt. in Geneſim interrogat. 76. *Quid eſt* (inquit) *calcaneum mulieris? Eſt extremum noſtræ vitæ tempus, quo Diabolus nos acrius impugnare ſatagit: cui ſi viriliter reſiſtimus, victoriam perſeuerantiæ, cum ſalute noſtra accipiemus.* Calcaneum finis vitæ eſt; & ſicut cum homo graditur, calcaneum non videtur, ita extremum vitæ tempus, quale futurum ſit, prorſus ignoratur; huic calcaneo Diabolus inſidias machinatur, vt dum morientem ſupplantat, æternæ ruinæ lapſu proſtratus perſtet.

Diaboli furor & ſæuitia erga hominem, in extrema migratione.

Serpens inſidiatur noſtro calcaneo, ſeu extremo tempori.

Albin. Alcuin.

2. Eadem mens apud ſanctum Iſidorum inuenitur, lib. 3. ſent. cap. 5. ſcribentem: *Dum in tota vita Diabolus hominem præuaricari cupiat, amplius tamen in fine molitur decipere. Hinc eſt quod in principio contra protoplaſtum ſerpenti eſt dictum: & tu inſidiaberis calcaneo eius: quia nimirum hominem, quem Diabolus in curſu præteritæ vitæ non decepit, in nouiſſimis ſupplantare diſponit.* O quanta ſolicitudine angitur Satan circa dies nouiſſimos, vt hominem de tentamentorum tricis, ſuperno auxilio, ſæpiſſimè elapſum, in portis mortis improuiſum, & imparatum intercipiat. Liuoris flammâ correptus, in ipſo tranſitu vnguibus rapere, & figere nititur animum in æthera euolantem, ne æternis perfruatur

D. Iſid.

Dæmon in nouiſſimis, hominem ſupplantare nititur.

gaudiis,

gaudiis, quæ ipſe lubens amiſit.

Vita hominis piraterium dicitur.

3. Huius vitæ calamitates Iob deplorat cap. 7. verſ. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. S. Ambroſius de interpellat. Iob legit: *Piraterium eſt vita hominis.* Sed curioſius perſcrutaberis cur vita hæc piraterium, & Diabolus dicatur pirata. Reſpondet S. Chryſoſtom. homil. 5. de verbis Iſaiæ eleganti Hypotypoſi, conſtituens ante oculos, humani è vita diſceſſus, diſcrimina: *Tunc enim Diabolus ſpirat vehementius, & quemadmodum piratæ, qui mare nauigijs infeſtant, non tum, vbi conſpexerint naues è portu exeuntes, inuadunt: quid enim hinc fructus caperent, ſi ſcaphum inanem demergerent? Sed vbi redierint onuſtæ, plenæque ſarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita ſceleratus ille Dæmon, ſimul atque vidit aliquos multa collegiſſe, Videlicet ieiunia, preces, eleemoſynam, caſtitatem, reliquaſque virtutes omnes, vbi videt nauigium noſtrum eſſe plenum pretioſis pietatis lapidibus, tunc irrumpit vndique theſaurum perfodiens, vt in ipſis portus oſtijs ſcapham demergat; iámque nudos nos ad eum portum eiiciat.* Non tam expauescenda diſcrimina, & inſidiæ piratarum, cum nauigium ex oſtiis maris ſoluit, ſed cum appellit portum, cæleſtibus gazis onuſtum, vt fidam perpetuæ ſtationis tranquillitatem teneat; tunc omnia formidanda, cum vehementiores tentationum nimbos excitat, & violentis ſpiraminibus ventorum pirata Dæmon allidere ad cautes diffidentiæ, nauigium ſatagit; vt hominem naufragum ſine tabula, ſine fune ſalutis immergat deſperationis vorticibus, & ſpiritalibus theſauris ſpoliet.

D. Chryſ.

Diabolus pirata theſaurum animi ſpoliare contendit, cum is appellit ad cœli portum.

Dæmonis ira magna in fine temporis.

4. Quantam iram, & furorem in poſtremis temporibus oſtendat Dæmon, ſcribit Ioannes Euangeliſta Apocal. cap. 12. verſ. 12. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Quanto enim mundi extremæ durationi velocius appropinquat Dæmon, tanto maiora exerit ſæuitiæ machinamenta. Vnde ſanctus Gregorius Magnus aptè ſubiungit, lib. 34. Moral. cap. 1. *Vnde, & extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: qui tanto fit feruentior ad ſæuitiam, quanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam. Conſiderat quippe, quod iuxta ſit, vt licentiam nequiſſima libertatis amittat; & quanto breuitate temporis anguſtatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur.* Sic in vitæ extremitate ſciens quia modicum tempus habet, vt peruerſitatis ſuæ virus effundat, in hominis excidium omnes vires, & induſtrias exerit.

D. Greg. Mag.

Extrema mundi Satan atrocius tentabit.

Omni armatura inſtruēdus miles Chriſti ad mortis certamen.

5. Quapropter aduerſus huiuſmodi inſidias nos Paulus inſtruit, ad Epheſ. cap. 6. verſ. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo.* Oecumenius legit in catena: *Omnem armaturam.* Ad hoc certamen, armorum omnium ſtructuram poſtulat. Græcus nuncupat *panopliam*, quaſi vellet Paulus militem Chriſti: *Omnibus telis, armiſque ſuccinctum*, inquit Hieronymus: diem malum idem Doctor maximus diem mortis intelligit: *Quando Diabolus inimicus, & vindex in ſua nos cupiet parte retinere.* Additque: *Non omne aduerſus Diabolum prælium morte finiri: ſed cum de iſto ſæculo exierimus, tum nobis fortius, & apertius, præſentibus contra præſentes futurum eſſe certamen.* Tempore, quo angore mortis, & horrore iudicij animus cruciatur, momento illo, quo animi, & corporis amicus nexus diſſoluitur, & reus coram tremendo iudice ad reddendam villicationis rationem expoſtulatur, & violentus rapitur; vindictæ, & crudelitatis flammas Dæmon vehementius ſpirat; tunc acerrimum certamen, & diſcrimen æternæ felicitatis imminet. Ad quod neceſſe eſt, vt omnem armorum fortium paraturam ſecum deportet iuſtus.

Lect. Græc.

D. Hier.

Cum animus à corpore migrat, grauius prælium impetit.

6. Quàm acriter nos in mortis articulo criminum recordatio pungat: Quam truces, & minaces vultus, fulminanteſque oculos in nos iniiciant Dæmones, ſcribit ſanctus Chryſoſtom. homil. 54. in Matthæum: *An ignoratis* (inquit) *quemadmodum in die nouiſſimo acerba ipſi animæ recordatio eſt delictorum? Quomodo funditus cor euertit, quomodo ſummis doloribus cruciat?* Et ſubiungit: *Idcirco terribiles viſiones narrare ſolent morituri, quarum ſpeciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipſos magno iacentes impetu, concutiunt; & toruis eos, qui adſunt, aſpiciunt oculis: vel quia vi à corpore reſcinditur reluctans anima, vel quia ſpirituum ſpeciem ferre non poſſunt. Si enim terribiles intuiti homines, metu concutimur, quid faciemus, cum minaces Angeli, & reſcindentes animam à corpore virtutes, nos inuadunt?* Vultu, geſtu, comminatione pœnarum, ſophiſticis argumentatiunculis claudentes diuinæ clementiæ ianuam, pauentem moribundi animum adſtringere nituntur.

Quantum in die nouiſſimo cruciet recordatio delictorum.

D. Chryſ.

Improborum ſpirituum viſiones quantū terrorem incutiant animam agentibus.

7. Quid mirum ſi nos importunè, opportunè aggrediantur morientes; ſi Saluatorem mundi Cruci ſuffixum, & mortis extremo certamine, maioribus adoriuntur tentationum machinamentis? Tentauit Ieſum in deſerto Archidæmon, ſed extremo mortis tempore omnes tentandi artes, & verſutiæ arma cumulauit. Id inſinuat Euangeliſta Lucas cap. 4. verſ. 13. *Et conſummata omni tentatione Diabolus receſſit ab illo, vſque ad tempus:* id eſt, *vſque ad tempus Crucis:* Vt notat ſanctus Theophilus in catena ſancti Thomæ; in quo ferociam omnem oſtendit; ipſe Ieſus Dauidis calamo deſcribit hoſtium calumnias, & irriſiones, qui inſtar ferarum hianti ore, rictúque aperto deuorare minabantur morientem. Pſalm. 21. verſ. 13. & 14. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me: aperuerunt ſuper me os ſuum, quaſi leo rapiens, & rugiens.* De Dæmonum caterua, Chriſto in patibulo animam agenti, inſultantium, hæc verba Euſebius Cæſarienſis vſurpat, lib. 10. demonſtrat. Euangelic. cap. vltimo ſic fatur: *Diuinis oraculis cernens, cum adhuc illi corpus in ligno eſſet ſuſpenſum, extrinſecus circum hunc aerem verſantes incorporeas, & hominibus inuiſibiles poteſtates, quæ circum ipſum, quaſi crudiuoræ aues, & feræ aduoluebantur, & ad mortuum cito futurum ipſius corpus, vndique confluentes principatus, & poteſtates aeris huius. Credibile autem eſt vidiſſe infernas quoque, ac tartareas belluas agreſtes, atque formidabiles.* Subditque inſultationis, & ludibrij verba Dæmones ex Iſaia mutuaſſe cap. 14. *Tu vulneratus es ſicut nos, noſtri ſimilis effectus es.* Quaſi diceret, ait Lorinus in Pſalm. 21. iſta Dæmones: *Quando propior erat morti Chriſtus inſultando, & exprobrando, vt priora riderent miracula, doctrinam, celebritatem nominis, &c.* Nec horum tentamentorum aſſertor ſolus eſt Euſebius, conſentit quoque Euthymius in ſententiam ſuam afferens Origenem, ad ea namque verba Pſalmi 87. verſ. 17. *In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* ſic ſcribit: *Origenes per iras, & terrores Dei Dæmones ipſos intelligit, iras quidem; quia hominibus ſemper irati ſunt, Dei verò iras; quia promiſſione diuina id faciunt: terrores item, quia terrorem incutiunt: ait igitur Chriſtus quod paſſionis tempore inuaſerunt eum Dæmones, & quod, vt hominem eum conturbauerunt.* Quæ verba vel de turbatione Chriſti voluntaria accipe; vel ita, vt Dæmones conari

Chriſtum in Cruce ſuſpenſum Dæmones aggrediūtur.

Euſeb. Cæſ.

Lorin.

Euthym. Orig.

ſint

ſint omni niſu conturbare Ieſu mentem, ſed irrito conatu, turbatus eſt quando voluit, nam Ioannis cap.11.verſ.33. *Turbauit ſemetipſum.* Quibus omnibus cernis in cœli terræque dominatorem vehementius mortis tempore tentatorem irruiſſe.

In Cruce pẽdenti Ieſu inſultat Diabolus.

8. In alias impoſturas hoſtis, & fraudes intende. Inſultabant Iudæi, & improperiis impetebant in Cruce pendentem, vt ſi fieri poſſet, contumeliis pulſaretur. Verumtamen alia mens Diaboli erat, & magnis curarum diſcruciabatur angoribus, ne opus conſũmaret vniuerſalis ſalutis; ſed cedens Ieſus contumeliis, & cruciatibus, de Cruce deſcenderet, ne moriens, tartareas regiones penetraret ſpoliiãs principatus, & poteſtates: *Si Filius Dei es deſcende de Cruce.* Matthæi cap.27.verſ.40. inſultabant Iudæi acti à Dæmone. O verbum ſubdolum, & fallaciis plenum. Tu deſcendiſti, quia natura, prouidentia, poteſtate Filius Dei eſſe voluiſti. Sed natura Filio non competit deſcendere, ſed aſcendere. Deſcendet quidem non iuxta arbitrium, & malitiam tentantis viuus, ſed iuxta iudicium in Cruce imperantis mortuus; vt homo à te occiſus viuat, & mors moriatur, audiendus eſt ſanctus Athanaſius lib.de Paſſione. *Magna cura* (inquit) *fuit Diabolo, vt Dominus iſtiuſmodi vituperijs pulſaretur, optabátque eum de Cruce deſcendere, ne inter mortuos verſaretur, vt ille ſic illæſus abiret, & ipſe mortuorum dominium retineret.* Sed adhuc tibi demonſtro artificioſas technas, & argumentandi argutias, & labyrinthæas moles, quibus irretire conatur Dei ſapientiam: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Matthæi cap.27.verſ.42. O in omnem fallaciam, & malitiam extentum arcum, vt ſagittet immaculatum. Quid amabilius Chriſto, quàm animarum ſalus, & Iudæorum conuerſio? Hanc tanquam pignus Diabolus repromittit, ſi Ieſus de Cruce deſcendat. Optimè ſubiungit Athanaſius: *Rurſus concitat Phariſæos veterator ille, eóſque fruſtra inducit, vt ſe credituros polliceantur, ſi de Cruce deſcenderet.* Quid tibi, & ſaluti animarum o inimice? Ecce Satanam procuratorem factum humanæ ſalutis. Conſentit Phariſæos credentes, dummodo Ieſus à redemptione deſiſtat, de Cruce deſcendens; maiores in hoc fraudes aduerſarius indicat, dum vnius, aut alterius Phariſæi cupit, aut promittit fictam ſalutem omnium hominum de ruina. Vult, vt Phariſæus credat, vt nullus homo ſaluus fiat; ſua comprehenditur aſtutia Diabolus, ſuóque gladio, veteratoris amputatur caput: verbum iſtud eſt linoris antiqui, neque Phariſæorum procurat fidem, ſed exitium; ſi de Cruce deſcendit, non redimit, vbi generis humani redemptio non eſt; neque Phariſæus ſaluus fiet. Si de morte Chriſti in Cruce ſalus, & fides pullulat; dum Ieſus non moritur, Phariſæus moritur; dum ille non occumbit, iſte non credit. Ne ergo dicas: *Deſcendat, & credimus*; ſed non deſcendat, vt credamus. Vidiſti magnitudinem tentationum, & inimici maiorem aſtutiam in tempus mortis eſſe ſeruatam.

Quare exoptat Chriſti deſcenſum à Cruce?

D.Athan.

Impedire conatur Diabolus generis humani ſalutem.

D.Athan.

Fidē promittit, vt nulla ſit in hominibus fides.

Nouiſſimi diei præcurãda præparatio.

D.Greg. Mag.

9. Quis non contremiſcet ad Diaboli malitiam, & poteſtatem impellentis hominem in nouiſſimo die, in præcipitium ſempiternum? Iure ergo ſanctus Gregorius Magnus homilia 39. in Euangelia perpendens verba Ioannis cap.14.verſ.30. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Ad curam, & ſolicitudinem diei nouiſſimi omnes excitat, inquiens: *Curandum nobis eſt, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis, ſua in nobis opera requirens in die exitus, princeps huius mundi veniat, ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo ſuum inuenire nihil potuit.*

D.Laur. Iuſt.

Dies nouiſſimus meditandus ſit aſſiduè.

10. Sed do tibi præparationis formam, vt ſis præparatus in nouiſſimis diebus ex ſancto Laurentio Iuſtiniano libro de ligno vitæ, cap.4. ſcribente: *Congruè vnuſquiſque diem nouiſſimum formidare debet, & ſuum vltimum diem aſſiduè meditari, (quia nullus ſcit, qua hora veniat) ne cum veniat forte imparatum reperiat. Nam ad hoc conditor noſter, latere nos voluit finem noſtrum, diémque noſtræ mortis eſſe incognitum: vt dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur: & tanto quiſque ſit feruentior in operatione, quanto incertior eſt vocatione. Propterea omnis dies velut vltimus ordinandus eſt; quia qualem inuenerit vnumquemque ſuus nouiſſimus dies, cum de hoc ſæculo egreditur; talis in die nouiſſimo iudicatur.* Hæc ille. Conſidera omnem diem eſſe nouiſſimum, & vitæ poſtremum, haud dubio, quin ſis præparatus in nouiſſimis diebus.

Cur dies nouiſſimus ignoratur?

Singuli dies tanquam nouiſſimi ordinandi.

TERTIA EXPOSITIO.

Ea verba:

Erit in nouiſſimis diebus præparatus, *de præparatione Ieſu ad cœnam, per amorem, & dilectionem, in poſtremis vitæ ſuæ diebus expenduntur.*

1. CVM omnem paraturam Ieſu, pietate, & amore plenam apud Ioannem Euangeliſtam legam cap.12.& 13. non erit præter rem verba illa: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus* vſurpare de præparatione humilitatis, & amoris Ieſu, quando in vltima cœna lauit pedes Diſcipulorum, & in finem dilexit eos. Quapropter *mons præparatus*, vel accipiendus propriè mons, aut tranſlatè. Si de monte Sion intelligas, aut de monte Ieſu, vterque præparatus eſt: Ieſus humilitate, & amore, imò omnium virtutum choro, dum eorum ſigna, & exempla diſcipulis demonſtrauit. Aula quoque, ſeu cœnaculum in monte Sion præparatum eſt, & magnificus ferculorum apparatus. Præparationem indicant Euangeliſtæ, cum diſcipuli à Ieſu exquirunt: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Matthæi cap. 26. & ibidem verſ.18. *At Ieſus dixit: ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt Paſcha.* Et ſanctus Thomas ibi: *Apud te facio Paſcha, id eſt, celebrabo Paſchale conuiuium. Cum diſcipulis meis, quia volebat, quod præpararentur cibaria ſufficientia, & ſibi, & diſcipulis.* Et Lucæ cap.22. verſ.12. *Ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.* Græcè eſt: *Stratum paratum.* Et ibidem notat Euthymius: *Apparet, quod fidelis hic Paterfamilias, ſiue diuina reuelatione, ſiue corporali Saluatoris collocutione, nouerat, quod apud ſe facturus eſſet ille Paſcha, & ideo ad ſuſceptionem præparatum habebat cœnaculum.* Et ſubdit: *Cum diſcipulis meis addidit, Vt pro his quoque ſufficiens præpararetur conuiuium.* Quod verò cœnaculum pulcherrimis ſtramentis ornatum, & præparatum, ſitum fuerit in monte Sion, teſtantur Chriſtianus

Ieſu præparatio ad cœnã, & lauacrum diſcipulorũ, omni virtute fulget.

Præparatio Cœnaculi, & ferculorum ad celebrationem Paſcha deſcribitur

D. Thom.

Euthym.

Adricomius

Niceph.

Adricomius in deſcriptione Ieroſolymitanæ vrbis, numero 6. & Nicephorus lib. 8. cap. 30. *In Sion ſacra cœna peracta, ſacráque pedum lotio, necnon Spiritus ſancti in cœnaculo aduentus.* Ibi enim erat aula, & triclinium, in quo conuiuium celebratum eſt. Et in hoc ſenſu apud Iſaiam mons Sion erit in nouiſſimis diebus præparatus.

Ieſus in nouiſſimis diebus ad feſtum Paſcha ſe præparat.

2. Ieſus quoque in nouiſſimis diebus ad Paſcha paratus eſt, & diſcipulos præparauit. Vnde Ioannis cap. 12. verſ. 1. dicitur: *Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus, fecerunt autem ei cœnam ibi.* Qui ſemper erat in procinctu ad mortem ſubeundam; vt poſtremis temporibus noua ederet virtutum documenta, ſex nouiſſimos dies ad præparationem Paſchatis deſtinauit. Sed audiendus eſt Albertus Magnus, qui ad præcedentia Ioannis verba fatur: *Ex conuenientia huius temporis monebat ad præparationem ſanctificationis, quando etiam in veteri Teſtamento agnus ſanctificatus ad ſanctificandos afferebatur. Geneſ. 2. die autem ſeptima compleuit Deus opus ſuum, quod fecerat, & requieuit ab omni opere quod patrarat; & ideo etiam ſex dies in opere recreationis ſumpſit Deus ad præparationem, vt ſeptima ſanctificaret; hoc eſt die Veneris ſequenti poſt Sabbatum palmarum. Ideo etiam poſt iter ſuum perfectum ſexta hora ſedit ſuper fontem, Ioãnis cap. 4. quia ſex diebus præparauit noſtram ablutionem, & tunc fonte nos lauit ſanguinis ſui.* Et ad ea verba Ioannis cap. 13. *Ante diem feſtum Paſchæ*, idem Albertus ſcribit: *Hinc incipit pars de præparatione ad ſanctificationem paſſionis, & ſanguinis Domini, ex inſtitutione Sacramentorum, & quia Sacramenta hæc committuntur diſcipulis, ideo hic inſtruit diſcipulos ad huiuſmodi præparationem.* Præparatio autem ex parte Chriſti fuit humilitatis, dum eorum pedes lauat, & amoris, dum in finem dilexit eos.

Albert. Mag.

Sex dies deſtinantur ad creationem, & totidem dies ſumit Ieſus ad præparationem ſanctificationis mundi.

Albert. Mag.

Platonis conuiuium, Cœnam Chriſti adumbrauit.

3. PRÆPARATIONIS huius ſacræ Cœnæ vmbram, & prælудium apud Platonem inuenio in libro de Sympoſio ſeu amore, vbi Deorum conuiuium, & cœna paratur, verba ſunt Platonis: *Parato conuiuio cæteri Dij ad conuiuium venerunt, & Porus quoque, id eſt copiæ Deus, Metidis, id eſt, conſilij filius. Poſtquam cœnati eſſent, Penia, id eſt paupertas mendicatura, cum videlicet ob feſtas dapes, ciborum reliquiæ futuræ eſſent, eò venit, & pro foribus erat. Porus autem nectare ebrius, (nondum enim extabat vinum) in Iouis hortum ingreſſus eſt, & ſomno grauatus dormiebat.* Cúmque Amor extiterit huius conuiuij Sympoſiaſtes, proponit Plato amoris proprietates, & inſignia: *Amor igitur primum pauper eſt ſemper, durus, & ſqualidus, & nudis pedibus, ſine domicilio, ſine ſtratis, & tegmine vllo, pro foribus, & in vijs ſub dio dormiens, cum penuria aſſiduo habitans, virilis, audax, magna contentione animi vehemens, ſagax venator, facundus, incantator peritus.* Hæc Plato. Sed prius locum Platonis illuſtremus, vt poſtea Deorum conuiuium, & cœnam, cum conuiuio, & cœna Ieſu, & Apoſtolorum; & amoris decoramenta, cum charitate Ieſu comparemus, ſententias Platonis cum Ioannis verbis connectentes.

Plato.

Deorum Sympoſium quale fuerit.

Conuiuij Sympoſiaſtes amor.

Plato.

Amoris inſignia.

Deorum conuiuium à Vatibus prophanis celebratum

Anaxandr.

4. Prophani Vates ſuis celebrant carminibus Deorum conuiuium, Ambroſias dapes, & nectareum poculum. Sed potiſſimum Anaxandrinus, & Sapphos apud Athæneum lib. 2. primus canit:

Sapph. Athæn.

Nectar ego quidem dentibus attritum comedo,
Bibo Ambroſiam: miniſtro Ioui,
Ob id glorior, quod cum Iunone loquar ſæpius,
Et quod Veneri proximus aſſideam.

Et ſecundus occinit:

Mixti cum fuerant Ambroſiæ ſcyphi,
Surgit Mercurius, ſedulus vt ſua
Cunctis cœlitibus pocula porrigat.

Pulcrè etiam Homer. lib. 5. Odyſſeæ cantat:

Homer.

Mercurium interrogabat Calypſo Diua Dearum
In throno collocata ſplendido admirando.
Cur ad me Mercuri aurea virga veniſti?
Loquere quodcumque cupis, perficere autem animus iuſſit;
Si poſſum perficere, & ſi perficiendum eſt,
Sed ſequere vlterius, vt tibi hoſpitalia apponam,
Sic certè loquuta Dea, appoſuit menſam
Ambroſia replendo, miſcuit autem nectar rubrum,
Cæterum bibebat, & comedebat inter nuntius Mercurius.

Sed hæc omnia ethnici ſcriptores ex ſacra literatura mutuarunt, vel potius ſuffurati ſunt, præſertim Plato: ſic cenſent de præſenti Platonis loco Origenes lib. 4. contra Celſum, qui ſententias omnes ad verbum refert; & ſanctus Ambroſ. lib. de bono mortis, cap. 5. qui cenſet ex hominis creatione Geneſ. capite 2. verba, & mentem ſuppilaſſe, præſertim verſu 8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat: produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Et ex Canticorum capite 5. verſ. 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Ego dormio,* &c. conuiuium ſuum Platonem compoſuiſſe. Vbi hortum Iouis paradiſum nuncupat, lignum vitæ reddens immortalitatem, Ambroſiam, & nectar, Adamum ſoporatum, dum Eua formatur, Porum dulcedine, & diuina ebrietate lymphatum, Peniam, animam, ſeu Euam ingreſſam in Dei paradiſum. Sed audiendus eſt ſanctus Ambroſius libro de bono mortis, capite 5. *Hinc* (inquit,) *hortum illum ſibi Plato compoſuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim, & Deum, & mentem totius dixit. In hunc introiſſe animam, quam Peniam nuncupat, vt ſe abundantia, & diuitijs horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum compoſuit, eo quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingreſſa ſit, in quo eſſet abundantia diuerſarum virtutum, floréſque ſermonum. Quis autem ignorat quod ex paradiſo illo, quem legimus in Geneſi habentem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni, & mali, & ligna cætera, abundantiam virtutum putauerit transferendam, & in hortum mentis eſſe plantandam.* Simili argutia Platonizat Philo Iudæus paradiſum terreſtrem transferens ad hortum animæ, lib. de plant. Noë, ibi fatur: *Rationalis animæ plantæ ſunt exiſtimandæ: cuius iter ad virtutem habet finem vitam, immortalitatémque. Credendum eſt igitur benigniſſimum Deum in anima tanquam paradiſum virtutum, & actionum, quæ ex harum præſcripto fiunt, plantare, qui ad eius perfectam felicitatem conducat.*

Ex ſacra Scriptura mutuarunt Ethnici Deorum conuiuium, & illius apparatum.

D. Ambr.

D. Ambr.

Hortus Iouis, ſeu mentis ex Cantico Canticorum, & ex paradiſo Geneſis à Platone tranſlatus.

Philo Iud.

6. Verumtamen dum in ſolari luce ſapientiæ cæleſtis, Platonis animus caligat (non enim ei prælucebat fidei fax, quæ inter ignorantiæ fluctus ad portum dirigeret veritatis) gazas, & theſauros diuinæ Scripturæ ex iniquis poſſeſſoribus extorquentes, ad verum Dominum Ieſum, eiúſque Euãgelium

Humanæ eruditionis diuitiæ ſuo Domino reſtituuntur.

gelium transferamus; & dum Plato diuina humanis obſcurat, nos diuina illuſtremus humanis. In illa Deorum cœna, Cœna Ieſu adumbrata eſt. Vmbram illam, & imaginem informem, viuis Euangelij coloribus diſtinctam, & illuſtrem reddam. *Parato conuiuio.* Cernis cœnaculi, & cœnæ præparationem? *Cæteri Dij ad conuiuium venerunt.* Apoſtoli Dij, & filij excelſi omnes, & conuiuæ Ieſu. Matth. c. 26. verſ. 10. *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.* Rurſus Plato: *Poſtquam cœnati eſſent.* Et rurſus Ioannes cap. 13. verſ. 2. *Et cœna facta.* Penia, id eſt paupertas, eſt humana natura pauper, & miſera, quæ pro foribus erat, vt ex feſtis dapibus micas colligeret, quæ afferrent ſaturitatem. Ex Homero Calypſo Dea, Dearúmque hoſpiti mēſam apponit cum Ambroſia, & nectare, eáq; Mercurio libens porrigit; Charitas eſt; Dearum, hoc eſt virtutum omnium regina, cui incumbit paratura omnis conuiuij; quæ fundit Ieſu magni conſilij Angelo, & nuntio, nectar, & ambroſias dapes Euchariſticas; ipſe vero magni conſilij paterni nuntius propinat diuis, hoc eſt Apoſtolis corporis Chriſti ambroſiam, & ipſius ſanguinis nectar, *Miſcuit autem nectar rubrum; miſcuit in cratere vinum ſuum.* Aptè Sapphus ſupra inquit: *Mercurius cunctis cœlitibus pocula porrigit.*

Conuiuium Iouis, Deorūque, cœnam Ieſu, & Apoſtolorum adumbrabat.

Plato.

Porus nectare ebrius Ioannē Euangeliſtā denotat ſuper pectus Ieſu recumbentē.

7. Illam verò Platonis ſententiam: *Porus nectare ebrius in hortum Iouis ingreſſus eſt, & ſomno grauatus dormiebat.* Ioanni Euangeliſtæ adapto, ſupra pectus Ieſu recumbenti, qui ebrius amore, & contemplationum nectare ſoporatus ſuper Ieſu pectus accubat: Ioannis cap. 13. verſ. 23. *Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus.*

Platonici amoris decora Ieſu quadrant.

Primum decus, Pauper.

D. Chryſoſt.

Secundum decus, virilis.

Tertium decus, audax.

Quartum decus, ſagax venator.

Quintum decus, facundus.

Sextum decus, incantator peritus.

8. Demum cernere eſt amoris proprietates quanto melius in Ieſu emineant, quam in amore illo, quem Plato confinxit; primò enim *Amor pauper eſt ſine domicilio.* Paupertas Ieſu in hac cœna effulget. Vnde ſanctus Chryſoſtomus homilia 82. in cap. 26. Matthæi ad ea verba: *Vbi vis paremus tibi;* ait: *Hinc etiam patet nullam ſibi domum, nullum diuerſorium fuiſſe.* Eſt etiam amor Chriſti *virilis*, cum tantis paſſionibus non ſuccumbit. *Audax:* cum in hoſtes impauidus irruit. *Vehemens:* cum tradidit ſe morti, & in finem dilexit eos. *Sagax venator:* cum Iudam per ignem charitatis, & lauacrum emollire procurat. *Facundus:* cum eximios ſermones charitate, & ineffabili dulcedine plenos ad diſcipulos habuit. Eos refert Ioannes à capite 13. verſu 31. vſque ad caput 17. *Incantator peritus:* dum tormenta omnia leuia ducit amor. Lege ſequentes diſcurſus, quibus conuiuium charitatis, & amoris inſignia illuſtrantur.

Discvrsvs I.

De charitatis ſympoſio: quid in eo præparet Deus animæ, quid anima Deo; vt ſeſe mutuò ad cœleſte conuiuium inuitent.

1. Invitat nos amor ad conuiuium opulentum, & cœleſtes dapes, omnibus delicijs refertas, quas charitas ipſa ornauit, inſtruxit; accede epulari, & erit in comparatione illius inhonora mēſa Solis ab antiquis celebrata, erit inſipida Sybaritica menſa. Conuiuium, fercula, pocula diuinæ charitatis apud Oſeam inuenio c. 11. verſ. 3. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & declinaui ad eum vt veſceretur.* Cernis charitatem Dei, hominem quaſi infantulum nutrientem, ad cibum, & potum omni charitate plenum inuitantem? Sanctus Hieronymus charitatis, & conuiuij delicias pulcherrimis verbis deſcribit dicens: *Nam in quo Iſraël amore dilexerit. Ego inquit, qui pater eram nutricius factus ſum, & paruulum meum in vlnis meis ipſe portabam, ne læderetur in ſolitudine, & ne vel æſtu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis colūna: vt quos protexerā, meo illuſtrarem, & ſanarem lumine. Curaui eos propter funiculos, & vincula charitatis: quibus mihi Abraham, Iſaac, & Iacob adſtrinxeram. Dedi eis eſcam manna in deſerto, quo veſcerentur. Pro quo interpretatus eſt Symmachus, & declinaui ad eum cibos.* Et ſubiungit: *In tantum dilexi eos, & tam clemens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis ipſe portarem. Et declinaui ad eos deferens regna cœlorum, vt cum eis veſcerer aſſumpta forma hominis: ſiue dedi eis eſum corporis mei: ipſe, & cibus, & conuiua.* Poſuit charitas Dei menſam in deſerto, vt filium dilectiſſimum Angelico cibaret pane, vt delicioſo mannæ epulo velut amoris nexibus irretiret. Sed non hæc menſa cœnam Ieſu, & cæleſte conuiuium præludebat, quando paratus ouem erraticam humeris ſuis imponere, & ad cœlum reuehere, ſui ſanguinis myrrha ſcabiem ſanaret, ad ſanctum epulum diſcipulos inuitat, in qua cœna ipſe cibus, & conuiua fuit.

Charitatis epulum in deſerto præparatum populo Iſraëlitico

D. Hier.

Nectar, & Ambroſiam nuncuparunt antiqui cæli panem.

2. Fortaſſis propter hanc menſam, & epulorum magnificentiam, quam Deus Iſraëli in deſerto appoſuit, vocarunt eam Ethnici Deorum conuiuium, & manna Ambroſiam, & nectar; quia in eo inueniebant omnis ſaporis ſuauitatem. Nec leui argumento nititur ſuſpicio, nam Sapiens capite 19. verſ. 20. manna vocat: *Bonam eſcam.* Græcè eſt κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς: *Cryſtallinum*, id eſt, *glaciale genus Ambroſianæ eſcæ.* Inde cæli panem, ad Deorum cibum, & potum gētilitas tranſtulit. Dicitur Ambroſia quod mortales non comedant, ſed ſi eam comederent, fierent immortales. Inde ἀμβρόσιος immortalis, diuinus, eo quod immortales, & diuinos redderet. Nectar quoq; dicitur, eo quod immortaliū Deorum ſit potus. Quæ omnia figmenta ſunt, in ſolo cibo Euchariſtico vera; nam qui comedit Ambroſiam corporis Chriſti, & bibit nectar ſanguinis, non morietur in æternum; hic ſolus cibus, & potus diuinos, & immortales homines reddit. Quapropter deificationis, & immortalitatis conuiuium meritò nuncupabis Euchariſticum.

Lect. Græc.

Euchariſtia nectar, & Ambroſia diuinos, & immortales homines reddit

3. Nunc tenes Dauidicæ ſententiæ ſenſum Pſ. 81. verſ. 6. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini.* Si Dij, quomodo moriuntur, cùm Diis competat immortalitas? Sed verba perpende. *Sicut homines moriemini.* Quia Dij eſtis, non moriemini. Quia homines eſtis moriemini. Hebraïcè eſt: *Vos autem ſicut Adam moriemini.* Sedebas ad menſam magni Dei in conuiuio principis, vt comederes de ligno vitæ, & fieres Deus, & immortalis; ſed quia Adam cibum vetitum comedere præſumpſit, amiſiſti, quam participabas, Deitatem, addictus es morti. Ex Adam morieris, ex Chriſto viues: ex ligno ſcientiæ mortuus es, ex ligno vitæ reſuſcitatus es. Vos autem ſicut homines moriemini. Sicut Dij, & filij excelſi non moriemini, ex eo cibo, ex quo habes deificationem, participas immortalitatem.

Homines vt homines moriuntur, vt dij ſunt, non moriuntur.

Lect. Hebr.

Redeamus

Menſam, quã in hac vita amor ornat, cœleſte conuiuium æmulatur. Clem. Alex.

4. Redeamus ad opiparam conuiuantium menſam, & præfectricem Sympoſij charitatem; in vtraque, cõuiuij cœlitum quædam æmulatio eſt. Optimè Clemens Alexand. lib. 2. pædagogi cap. 1. inquit: *Charitas autem reuera eſt cæleſte nutrimentum, rationale epulum: beatus, qui comedit prandium in regno Dei.* Et poſtea: *Qui de hoc prandio comederit, is eorum, quæ ſunt, optimum poſſidebit; nempe regnum Dei, ſanctum charitatis conuentum, hic meditatus, nempe cæleſtem Eccleſiam.* Hic menſam apparat charitas, & apponit ſuauiſſima nutrimenta, vt ad exemplar ſupernorum incolarum paſcatur animus. Qui cum dilectione ipſa epulatur felix eſt, Deique regnum poſſidet. Quid? Si Clemens *optimum* nuncupet. Cibum Euchariſticum, rerum omnium optimarum a Deo creatarum optimum, ad hoc optimum in menſa apponendum charitas excitauit, eligendi optimi magiſtra.

Euchariſtia nuncupatur optimum.

Seraphinorũ conuiuium in cœlis quale ſit? D. Bonau.

5. Quid plura? Menſa iſta amoris, cæleſtium ſpirituum non quorumcumque, ſed Seraphinorum præfert ſpeciem. De Seraphico conuiuio Seraphicus Doctor ſanctus Bonauent. in ſoliloquio c. 4. ita fatur: *Cogita, ô anima, quale tibi ferculum propinant illi ſummi ſpiritus Seraphici ordinis. Quale putas hi propinantur gaudium de naturæ nobilitate? Quale de contemplationis charitate? Quale de dilectionis ſinceritate? Hi ergo, hoc eſt, illi, qui Seraphim nominantur, iſtud conuiuium ornant ardore diuinæ charitatis.* Vidiſti mirabilem ſtructuram, & apparatum Seraphici conuiuij? In eo omnis ornatus, & decor amor eſt; charitati demandata cura, & ſolicitudo inſtruendæ epularis Seraphinorum accubationis; eiuſdem conuiuij formam, quam oſtentat cœlum, oſtendit cœnaculum, vbi Apoſtoli Seraphinorum epulantium perſonam regerunt, charitas Sympoſion inſtruit. Idem Ieſus Seraphinorum, & Apoſtolorum Sympoſiaſtes; præter panem, & vinum nullum aliud obſonium nutriendæ ad vitam, & æternitatem animæ; amor parat. Hic locum appoſitum inueniet eiuſdem Seraphici Doctoris cum anima ſoliloquium. Præcedentibus verbis hæc annectit: *O anima ieiuna, & famelica, ſi vel vnam micam, quæ cadit de menſa dominorum, in hoc conuiuio aperto mentis ore ſumpſiſſes; puto quod hanc peregrinationem ex tunc impatienter tolerares. Puto ſi vnam guttam de vino potus eius deguſtaſſes; omnem huius ſæculi dulcedinem faſtidires.* Interdum cum viuit in ſpe, & de beatificæ menſæ epulis non alitur, nec de Seraphinorum potu, & torrente voluptatis non inebriatur; cibo, & potu deifico ſpecierum velato tegminibus delicatur. Sed in verbis Bonauenturæ licet cernere Peniam Platonis, hoc eſt animam, in ſua egeſtate pro foribus triclinij ſtantem; cibi, & potus reliquias emendicantem.

Conuiuium humanorum Seraphim in Cœnaculo Ieſus inſtituit.

D. Bonau.

Conuiuij Seraphici dulcitudo.

Ieſus animã præuenit, & ad ſuũ epulũ inuitat.

6. Ornauit ſplendidè, magnificéque conuiuium Ieſus, priórque præuenit animam, & ad cæleſte epulum inuitat. Quapropter ea verba Canticorum 1. verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui:* verba eſſe Domini Ieſu, Ambroſius cenſet, quibus exprimit affectum, quo ſponſam, ſeu animam ſuauiari cupit. Hæc ſcribit Ambroſius lib. 5. de Sacramentis, c. 2.

D. Ambr.

Veniſti ad altare, vocat te Dominus Ieſus, vel animã tuam, vel Eccleſiam, & ait: oſculetur me ab oſculis oris ſui. Vis ad Chriſtum aptare? Nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil iucundius. Oſculetur me. Videt te mundum eſſe ab omni peccato, ideo te ſacramentis cæleſtibus dignum iudicat, & ideò inuitat ad cæleſte conuiuium. Et in fine eiuſdem capitis expendens verba verſus quinti: *Introduxit me Rex in cellaria ſua* In quibus anima gaudet; in charitatis conclaue, & triclinium eſſe introductam; Hæc Ambroſius ſubiũgit: *Induxit me Rex in cubiculum ſuum: Græcus: in promptuarium ſuum, & in cellarium ſuum habet, vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella ſuauia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vt plurimis epulis tuum prãdium condiatur.* Nullum conuiuium magnificentius, & ſplendidius, quod Regio, & deifico apparatu Chriſtus comparat. Vbi charitas opiparam menſam, & diuina fercula inſtituit.

D. Ambr. *Conuiuij ſacri apparatus.*

Ieſus magnificam mẽſam inſtruxit in horto.

7. Rurſus Chriſtus animam inuitat ad cœnæ accubitũ. Cant. c. 5. v. 1. vbi inter paradiſiaca nemora, & topiaria, menſa, & conuiuium inſtruitur: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cũ melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Dum hunc ſacratum hortũ viuis coloribus delineat Philo Carpathius, proponit charitatis mẽſam, fercula, delicias, ſic inquit: *Admirabilis ſponſi charitas erga ſponſam Ait enim, ingredere in hortum meum. O qualis eſt hortus ille ſponſi deliciarũ, quàm omnium odoratiſſimorum florum, & ſuauiſſimorũ fructuum varietate copiaq; refertus. Hic hortus, & pomarium, ſalutaris illius nex, ſiue paſſio pro ſalute humani generis poteſt intelligi, & cæleſtis illa mãna Euchariſtia ſcilicet, quæ ſi ſanctè meditetur, tantum dulcedinis cæleſtis alimonia affert, & ſuauitatis fructum, vt rectè cum Dauid dicere queat: guſtate, & videte, quam ſuauis eſt Dominus. In quo quidem horto poſtquã infinitas cæleſtes plantas ſaluberrimas, atq; feraciſſimas diuinorum fructuum pomis onuſtas conſeuit, quãdiu vixit in terris; voluit & ſemetipſum tãdem arborem æternæ vitæ plãtare, vt quicumq; ex ea fructum fideliſſimè guſtaret, viueret in æternum.* Hæc Philo Epiſcopus, Iam habes præ oculis non fictum, ſed verum hortũ Platonis, in quo ingreditur anima, vt deliciis cæleſtibus ſaginetur, omnium diuinarum gratiarum, & virtutum pinguedine adipetur.

Phil. Carp. *Pomarium omni flore, & fructu refertum paſſio Chriſti, & ſanctiſſima Euchariſtia eſt.*

Vigilia & ſomnus animæ.

Ambr. Plato. *Ex hoc loco Cant. epulũ, & ſomnus ad conuiuium Platonicum translatum.*

8. Ingreſſa eſt anima, comedit, & bibit, vigilat, & dormit, eodẽ Cant. c. 5. v. 2. Occurrit hic locus Ambroſio, & rurſus ad Platonis conuiuium, & Ambroſiũ recurrit lib. de bono mortis, c. 5. ſic ſcribit: *Quo cibo, & potu repleta anima, atq; inebriata, ſæcula dormiebat, vigilabat Deo. Et ideo ſicut poſteriora docent aperiri ſibi Deus Verbum, eius ianuã poſtulabat, vt eam ſuo repleret ingreſſu. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino, & melle Prophetico; hinc ſõnus ille trãſlatus eſt, hinc vita illa perpetua, quã Dios ſuos dixit epulari: quia Chriſtus vita eſt.* Quantò digniores epulatores Ieſu, qui dum cibum corporis omni lacte, & melle, & ſuauitate conditum mandunt, perẽnaturæ vitæ recipiunt pignus: Hic potiſſimum Euãgeliſta dilectus nectare ebrius dormit, dum pectore diligentis Ieſu accumbit; dormiebat ſeculo, vigilabat Deo, cum è pectore Ieſu, & mamilla Patris tanquam de aurea, & cæleſti fiſtula, dulcedinis nectar ſugebat, & Deitatis fluenta potabat.

Vita perpetua, quã Dij epulantur, Ieſus eſt.

Ioãnes nectare ebrius dormit ſuper pectus Ieſu.

Iubet Ieſus animã, vt epulum lautum ornet, cœnaturus cum ea.

9. Quàm benignus, quàm gratus ſponſus Ieſus, ipſe excitat animam, vt eam inuitet, parétque conuiuij fercula, quæ palatum eius voluptate demulceant. Vidit virtutes ex charitatis præſcripto, & imperio opiparum, & lautum parare epulum; ipſe ſtatim ſe introducit in palatium animæ, vt manſionem faciat, & cœnet cum ea. Inter reliquos ſacræ cœnæ ſermones, hanc coram Diſcipulis Ieſus auream ſententiam protulit Ioannis capite 14. verſ. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus,* Addit Origenes homil. 2. in Cantica: *Et cœnabimus cum eo.* Et de ſpiritali prandio animæ ſubiungit:

iungit: *Vbi ergo cœnat Chriſtus cum Patre, & ubi manſionem facit, quidni recumbit: Beata illius latitudo animæ, beata ſtrata illius mentis, ubi Pater, & Filius, vt non dubito, vnà cum Spiritu Sancto, recumbit, cœnat, & manſionem facit. Quibus putas opibus, quibus copiis tales conuiuæ paſcuntur? Pax vbi primus cibus eſt, humilitas ſimul apponitur, ac patientia, manſuetudo quoque, & lenitas, & quod ſumma ei ſuauitatis eſt, puritas cordis. Charitas autem in hoc conuiuio principalem obtinet locum.* Perpende Adamantij ſingula verba. Quæ quia ſublimia ſunt, & ſucco ſpiritus plena, intacta relinquo; ne illa aliqua labe obſcuritatis, aut inſcitiæ aſpergam.

Tota Trinitas cœnat, & accumbit cum anima iuſti.

Strata, & apparatus huius tricliny ſunt virtutes, in iis præcipuè charitas.

10. Ad hanc Chriſti ſententiam Ioannes ipſe videtur annuere Apocal. cap. 3. verſ. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quàm felix anima, quæ ſecum habet Deum commenſalem, & contubernalem. Quando ſermones permiſcẽt iucundos, & inuitabiles; & inuitamentis ferculorum ludunt. Hanc cœnam, charitatis conuiuium vocat Rupertus lib. 2. in Apocalypſim dicens: *Si admiſſus fuerit, celebratur conuiuium charitatis, quia minus quam inter duos charitas haberi non poteſt.* Intimam Dei, & animæ communicationem, & pluſquam Angelicas prandij huius delicias, Angelicus deſcribet calamus. Sancti Thomæ in Apocalypſim verba ſunt: *Bonus talis hoſpes, & honorandus. Vnde Beatus Bernardus in meditationibus: cœnaculum grande ſtratum exhibe Chriſto. Et cœnabo cum illo. Eius fide, & operibus delectabor. Iuſtus benè operans comedit, quia in operando lætatur, & Dominus conuiuatur cum eo, quando delectatur in eius meritis. Bernardus ſuper Cantica: cibus eius pœnitentia mea, cibus eius ſalus mea, cibus eius ego ipſe. Et ipſe mecum. Quia dum eius ſtratum acceptabo, conſolatione interna paſcam eum. Sapientiæ 8. propoſui hãc mihi adducere ad conuiuandũ ſciens quia mecum communicabit de bonis. Admirandæ ſunt deliciæ huius conuiuij, quæ dantur eis qui alias non quærunt, & diuinis inſiſtunt. Ambroſius in quadam homilia: qui domicilio Chriſtum excepit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum.* Hæc ſanctus Thomas. Et hæc de charitatis epulo, & conuiuio ſupereſt, vt ſequentes diſcurſus inſignia amoris illuſtrent.

Cœna Chriſti, & animæ charitatis conuiuiũ eſt.

Rup.

D. Thom.

Quales ſint dapes, & deliciæ huius conuiuij.

D. Bern.

Amoris nuditas, & paupertas.

DISCVRSVS II.

Verus amor rebus omnibus amantem ſpoliat.

1. DA amantem, & cernes ſpoliatum, eſt enim amor violentus deprædator. Amat Ieſus in conuiuio hominẽ, & charitatis eximia erigit trophæa, ſacra veſtimẽta facta ſunt amoris præda. Ioannis 13. v. 4. *Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua.* Poſtea in Crucis lectulo charitate ebrium cernes nudum Ieſum. Temulenti Noe nuditas hoc tibi velut in typo demonſtrat. Gen. c. 9. v. 21. *Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.* Vinolentia iuſti in myſterio perpetrata, vt Ieſu muſto amoris obruti præferret imaginem. In ſenſu myſtico verba præclarè expendit Hugo Card. de Chriſto Domino: *In hoc quod dicitur inebriatus, notatur affluentia, & obliuio ſui: plures enim poſt actiones faciunt ebrium, & oblitum ſui. Certe multiplex fuit potus iſte contumeliarum, detractionũ, verberum, alaparum, ſputorum, aceti, mortis. Itẽ eſt aliud vinum, quo Chriſtus inebriatus eſt, ſcilicet vinũ charitatis, qua in tantum dilexit nos, vt mori propter nos voluerit. Et nudatur in tabernaculo, id eſt, in medio ſuorum ad maiorem confuſionem. Ad literam propriis veſtibus.* Saturatur Ieſus opprobriis, & paſſionũ poculo ingurgitatur, madiduſque vino diuini amoris, nudatur; hæc ſunt nimium amantis inſignia, etenim amor violenta manu amantem veſtibus exuit.

Amor deprædator eſt.

Nuditas Noe ex ebrietate orta eſt.

Hug. Card.

Ieſus amore ebrius & nudus.

2. Magnus amoris alumnus Iob: neque enim ante Domini in carne aduentum, Ieſum alius plus dilexit. Vndique calamitatibus cinctus, de excidio domus, & filiorum, plus indoluit de ruina. *Tunc* (inquit Sacer textus Iob c. 1. v. 20. 21.) *Scidit veſtimenta ſua. Et dixit: nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quò illuc reuerteris ô iuſte! In matris vuluam iterũ renaſciturus? In terræ vterũ matris, quæ te vitã defunctum ſuo claudat gremio? In faſciculum iuſtorum colligendus cum Abraham, Iſaac, & Iacob? ad vitæ metam non peruenit nudus, ſed gloria, & diuitiis affluens, ornatus copiarum decore; quò ergo reuertitur nudus? Ieſu amore flagrabat, quem videre cupiebat, vt in ſe ipſo cerneret patientis Redemptoris formam; nudum Ieſum ſequitur nudus cogitatu, dolore, voluntate patiendi: Veſtimentorumque laceratio maximi ſignum eſt amoris, & patientiæ, teſte Diuo Chryſoſtomo; qui homilia 4. de Iob fatur: *Paſſus fuit vt homo, ſuſtinuit velut amator Dei.* At eximiũ amatorem non ſe ipſum exiſtimauit, niſi omnibus fortunis, & opibus ſpoliatum; niſi ſtola illa, quam turbo tentationum reliquerat, vt nuditatẽ tegeret, ſe exueret. Rationem aſſignat Origenes homilia 1. in Iob, cur veſtem ſcidit. *Ecce ô maligni inimici peculium conſumpſiſtis, filios perdidiſtis, ſubſtantiam diripuiſtis, nequidquam aliud niſi ſolum corpus, atque hanc veſtem mihi reliquiſtis. Tollite, inquit, & hanc veſtem, proiicio etiam hanc vobis.* Magna amoris æquanimitas in Iob, non ſolum ex ſe ipſo veſtem exuit, ſed in aduerſariorum faciem proiicit, vt omnibus ſeculi operimentis nudatus magna alacritate ſectetur Ieſum. Proiicit ſtolam, eam nunquam reſumpturus. Veteris hominis tunicam abiicit, ne iterum induat, vt amatoris Dei infulis decoretur, *ſuſtinuit velut amator Dei.*

Præclarus Ieſu amator Iob.

Iob nudus, nudum Ieſũ ſequitur.

D. Chryſoſt.

Vt oſtendat, quod Deum amat, & mũdum ſpernit, ſe ipſum veſtibus exuit.

Orig.

3. Premit ſponſa amantium veſtigia, & ferè eadem dilecto exhibet amoris pignora. Cũ ipſe ſacræ ſponſæ, intempeſta nocte tereret lumina, ianuamque ictibus quateret, vt ad mutuam charitatem prouocaret, criſpantes cincinnulos oſtẽtat totumque capillitium coronatum velut quibuſdam margaritis, ſtillicidiis noctis pulchrè rorantibus; ipſa tamen ſuo proſpiciens decori, indubitatæ fidei, & amoris adhibet ſponſionem, dum clamat, omni corruptelæ tunica ſpoliatam, & paſſionum exuiſſe veſtimenta. Canticorum cap. 5. verſ. 3. *ſpoliaui me tunica mea.* Vtique ſpoliauit ſe ipſam charitatis manibus, quæ audaciores ſunt, vt detrahant ſacra ſpolia, vt omnibus terrenorum affectuum inuolucris nuda ſequatur dilectum. Aptè Gilbertus Abbas ſermon. 43. in Cantica ſcribit: *Nuda ab omni materia mundi, & ſine impedimento velaminis, libera, & quaſi reuelata facie*

Anima operimentis affectionum ſpoliata ſectatur dilectum.

Gilber.

gloriam contemplatura dilecti, ſurgam, vt aperiam ei. Breuis via: nam dilectus ſtat ad oſtium vociferans, & pulſans, quaſi moræ impatiens. Pulſat ad oſtium, explorat aditus, & ardentius diligens properantem præuenit me. Dum feſtinat ſponſus, & fit propinquior; dum flammulas, & miſſilia amoris vehementius iaculatur, Sponſæ, vt omni affectus ſolicitudine nudatæ, ſponſo accurrat, tota ſolicitudo eſt. Felix ſpōſa, quæ fide circumdata, charitate ornata, inuolucris nudata terrenis, exit obuiam ſponſo. Has ſacras exuuias, & opima trophæa ante aras ſuas appendit amor.

Cum Ieſus comprehenditur, adoleſcens nudus aufugit.

4. Cum nocentium manibus apprehenditur Ieſus, & vincitur funium nexibus, adoleſcens quidam nudus aufugit. Marci 14. verſ. 51. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum: at ille reiecta ſindone, nudus profugit ab eis.* Arripuit fugam nudus, deſerens malorum conſortium, receſſit ab eis, ſed ad Ieſum conuolauit, cuius amorem in animo ſemper infixum retinebat. Id adnotat Beda in catena Sancti Thomæ dicens: *Profugit ab eis, quorum præſentiam deteſtabatur, & facta: non à Domino, cuius affectum, & abſens corpore, fixum ſeruauit in mente.* Exiſtimant Sanctus Gregorius, Mag. & S. Thomas hîc, & in Commentario Ioannis c. 21. hunc adoleſcentem fuiſſe Ioannem Euangeliſtam. Et hoc factum cæleſti conſilio, vt diſcipulus dilectus, qui prærogatiua amoris, collegij Apoſtolici vertex extitit, amoris deifici formam præſcriberet, & ſequendi Ieſum documentum præferret. Vnde Sanctus Hieronymus citatus in catena inquit: *Qui vult effugere manus iniquorum, relinquens mente quæ mundi ſunt, fugiat poſt Ieſum.* At Hugo Cardinalis in Marci c. 14. de fugam ineunte Ioanne ſic fatur: *quia plus cæteris Dominum amauerit, res ipſa indicauit.* Et poſtea: *Ioannes plus amaſſe Dominum dicitur, quia familiarior omnibus ei fuit, & Dominus eum plus dilexiſſe dicitur, quia maiora ſigna familiarioris amoris oſtendit.* Dilectus Domini ſingulariter nudus fugit, nā qui plus diligitur, plus nudatur, vt in eo, in quo Ieſus maiora argumēta dilectionis cōgerit, maiora ſigna oſtēdit nuditatis. Vix decoramēti inſigni ſtur amoris, & omni ferè velamēto ſpoliatus ab Euangeliſta proponitur, ſtrenuus charitatis miles, maluit ſub ſigno amoris nudus quam omni amictu honoris, & gloriæ diploide veſtitus, & ornatus, ſub vexillo ſæculi adſcribi.

Beda.

Nō fugit à Domino, quē amabat, ſed à Iudæorum turba, quam reſpuebat.

D. Greg. Mag.

D. Thom.

Hic adoleſcens ex quorundā placito Ioannes Euangeliſta fuit.

Ioannes dilectus amoris, & nuditatis præfert inſignia.

D. Hier.

Hugo. Card.

Qui plus diligit, & diligitur, plus nudatur.

5. Pulcherrimos flores, & fructus, & virtutum germina proferunt iuſti Meſſiæ temporibus iuxta Pſalmographi canticum Pſalm. 71. verſ. 16. *Super extolletur ſuper libanum fructus eius.* Fructus eius charitas eſt ex Auguſtini placito, quæ tunc caput attollit, quando mundi faſtum, & ſæculi pompam ſub pedibus ſternit; Libanus *candidatio* interpretatur; quidquid præclari candoris, & glorioſi ſplendoris in ſeculo fulget, diuinus amor contemnit. Accipe ſancti Auguſtini mentem ſuis expreſſam verbis: *Libanum ſolemus accipere veluti huius ſæculi dignitatem. Quid ergo mirum ſi ſuper huius ſæculi [illegible] faſtigii fructus ſuperextolletur Chriſti, cum [illegible] dilectores omnia ſæcularia culmina contemnſerint. Fructus autem ſpiritus eſt charitas.* Omnia dignitatum, & honorum faſtigia ſpernit charitas, tunc extollitur, eleuatur, vt quoddam Regium vexillum ſuper ſectatores, quando eos opibus, & gloriæ inſignibus exuit. Attollitur in verticem, & velut quemdam triumphum reportat.

Charitatis fructus mundi opibus ſe exuere hominem.

D. Aug.

6. Detriumphauit amor peccatricem fœminam, ab eaque eximia ſpolia detraxit, & ad pedes Chriſti detulit. In eaque Salomonis verba adimpleta videntur Cant. c. 8. verſ. 6. *Fortis eſt eſt vt mors dilectio.* De Mariæ Magdalenæ amore verba Cantici vſurpat Seraphicus Doctor ſer. 2. de eius feſtiuitate: *Sicut mors (inquit) ſeparat animam à corpore ſuo, ſic qui verè diligit, recedit ab omni eo, quod poſſit diſplicere dilecto. Maria Magdalena ergo, quæ multum Dominum amauit, cum fuiſſet filia Regis, ſicut hiſtoria Marthæ dicit, (nam Maria Magdalena caſtrum habuit ex parte matris) & omnes carnis delicias dereliquit, & quidquid ſcire potuit eſſe contrarium Chriſto.* Magnum violenti amoris imperium, & immenſa poteſtas, cum ſanctam peccatricem in eius redigit poteſtatem, omnibus cupidinis ornamentis ſpoliat. In hoc ergo mors, & amor mirabilis nexus ſimilitudine conſentiunt. Mors etenim omnium rerum humanarum ſpolium eſt. Floridum colorem, perpetuum nitorem, oculorum pulchritudinem, aureum capillitium, ſtolas è Laconica purpura, bracteolis auri, & argenti intextas adimit; vix ſordidos funiculos manibus e pallentibus, pullata linteola operiendo corpori derelinquit. Amor ſicut mors fortis eſt, cum amantem dignitate mundi, ſplendore, & delicijs nudat. Vix Magdalena dulciſſimæ tyranidis eius experta manum, cùm iaculi ſauciata cuſpide; cùm omnis gloriæ, & decoris ornamenta eripit, cum vitrea vaſcula candoris, & ruboris, ſplendentes cyclades, reſticulum aureum, cylindros, torques, fulgens diadema bracteas, tremulas, gemmas, luxuriæ irritamenta reſpuit, vt ſtercora calcat; capillamenta auri ſplendore nitidiora, fibraſque aureas capillorum calamiſtro notatas, ad pedes Chriſti abiicit, Regnum, & copiarum affluentiam. O magnus deprædator amor detrahens fœminæ ornamentorum, & mundi muliebris idola; vt nuda, & extricata paſſionum tricis ad Ieſum conuolet. Has ſacras exuuias diuinus amor, in aris ſuis, in ſignum triumphi perennaturi pro anathemate ſuſpendit.

Magdalenæ amor detriūphauit.

D. Bonau.

Magdalenæ dilectio ſicut mors, & quare.

Filia Regis fuit iuxta Bonauenturam.

Violenta amoris deprædatio in Magdalena facta eſt.

Mortis & amoris collatio.

7. Ad opus ſtrenuum ſeſe accinxit ſacra ſponſa, extra ſeſe rapta diuini amoris poculo, vt per plateas, & compita querula voce eiulans quæritaret ſponſum, ſed in cuſtodes murorum offendit, à quibus perpeſſa percuſſiones, & vulnera: ſed quod magis dolet eſſe ablatum theriſtrum, ſeu ſignum pudoris. Cantic. 5. verſ. 7. *Tulerunt palliū meum mihi cuſtodes murorum.* Ne facti, & cæleſtes cuſtodes ſponſæ, & Reginæ dignitatem violetis. Relinquite pallium, vt diſſimulet percuſſuras, vt cruenta vibicia; ne vibices, aut purpurei latices, qui per corpus exundant, obuiis ſpectatoribus veſtram crudelitatem prodant. Non eſt crudelitas, ſed pietas denudatio. Etenim magiſterij charitatis alumna non debet inueſtigare dilectum pallij velamine operta, ſed nuda. Poſt Angelicæ diſciplinæ eruditionē, & ablatum regimen, mentem amoris, & amoris attigit. Pulchrè Hugo Card. *Tulerunt pallium meum, vt nuda nudum ſequerer, me omnia relinquere fecerunt.* Spolium illud non eſt opprobrium, ſed beneficiū. Gratias tibi (inquit) ô Domine Ieſu, qui raptores, & deprædatores tuos ad me miſiſti, qui propter amoris ſpoliarent regiminibus, & exornarent muneribus charitatis. Eſt enim proprium amoris nuditas; ideò Ieſus, vt ſe eximium dilectum oſtenderet, in cœna, veſtimenta depoſuit.

Cuſtodes pallium tollunt ſponſæ, vt à terrenis exuta nuda ſequatur dilectum.

Hugo. Card.

Amoris

Amoris nuditas.

DISCVRSVS III.

Multum roboris, & adiumenti adiicit pugili nuditas, ne in palæſtra ſuccumbat hoſti, ſed vt de eo triumphum reportet, & cælorum teneat apicem.

1. SVRGIT à cœna Ieſus, & more luctantium veſtimenta deponit, hoſtem prouocat, certamen ſignat. Etenim pugiles in agone ſeſe veſtimentis exuunt, vt alacres, & expediti reddantur ad pugnam: veſtimentorum ſinuoſus ambitus, & laciniæ, impedimento ſunt athletis; nec ſinit pugnaci dextra ſtringere hoſtis membra; impediunt curſum, impellunt ad lapſum; eripiunt ſæpe palmam victoriæ; fauet itaque nuditas, & data eſt in adiutorium præliantibus. Pugilum membra in certamine nudari ex ludis Gymnicis originem traxit, vt teſtatur ſanctus Iſidorus lib. 17. Etymologiarum cap. 17. ſcribens: *Gymnicus ludus, eſt velocitatis, ac virium gloria, cuius locus gymnaſium dicitur, vbi exercentur athletæ, & curſorum velocitas comprobatur. Antea enim in locis certantes cincti erant, ne nudarentur; poſt relaxato cingulo, repente proſtratus, & exanimatus eſt quidam curſor. Quare ex conſilij decreto tunc Archon Hippomenes, vt nudi deinceps omnes exercitarentur, permiſit. Ex illo gymnaſium dictum, quod iuuenes nudi exercitarentur in campo, vbi ſola tantum verenda operiuntur.*

Fauet decertantibus nuditas, aduerſatur veſtimentum.

D. Iſidor.

2. Do tibi pugilem veſtimenta abiicientem, vt cum dæmone decertaret. Placet iterum oculos paſcere cæleſti Iob ſpectaculo, in ſterquilinij palæſtra adamantino robore præditi, & patientiæ iaculis hoſtes ſauciantis, poſt auditas ſtrages omnis, clades filiorum, rerum familiarium vaſtitates; dilaceratione veſtium, ſenſum, & dolorem animi exprimit Iob. cap. 1. verſ. 20. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua.* Quod flagitium, ô ſtrenuum virtutis athletam, veſtimenta perpetrarunt, quæ tanta animoſitate diſſindis? Qua ſordeſcunt criminis macula, quæ hoc dilacerationis piaculo expurgares? Vndique cinctus (inquit) hoſtium irruentium agminibus, qui tolerantiam pectoris conantur eripere, vt aduerſariorum arma validiora repuli, ne me veſtium ornamentis prenſarent. In hoc loco Origenes ſe ipſum ſuperauit. Scribo illius verba ex lib. 1 in Iob quæ omnibus multa: *Cur conſcidit? Ob hoc conſcidit. Ob hoc conſcidit, vt expeditior, atque conſtantior extitiſſet in prælio, vt illa, quæ retardant, reponeret, vt illa quæ impediunt a ſe proiiceret, vt tanquam audaciſſimus prœliator, & tanquam ſingularis monomachus aduerſus innumeros inimicos, & aduerſus inæſtimabiles aduerſarios ſingulariter immobiles perſtitiſſet. Ob hoc ergo cõſcidit veſtimenta ſua.*

Iob nuditas,

Orig.

Iob ſcidit veſtimenta, vt cum Dæmone decertaret.

Nam & vere talis mos eſt in aliquibus gentibus, vt ad durum prælium venerint tunc nimirum ſcindentes veſtimenta ſua cum furore, atque indignatione currãt contra aduerſarios intemperanter, nudo pectore cum fiducia ſe offerentes, vt eſt Maurorum gens. Item verò aliæ barbaræ gentes expoliantes ſe, atque in ipſis tunicis ſe præcingentes, nudo pectore atque ſcapulari viriliter eunt in prælium. Sic itaque admirabilis Iob conſcindens veſtimenta ſua, atque omnia deponens impedimenta, nudus atque audax ſtetit in ſpiritale prælium. Subiungit ſtatim Adamantius alterum conceptum non minus illuſtrem: *Aut adhuc conſcidit veſtimenta ſua ſine mora, ſemet ipſum ad ipſas præparans plagas. Ecce, inquiẽs, dorſum nudũ, ecce corpus detectum. Vos flagellate, ego autem ſufferam.* Hęc Origenes. Quæ omnia diuiniora sũt, ſi Ieſu accommodes, ſe præparanti Crucis certamini, & paſſionũ luctæ, ideò veſtimenta deponit, vt cum maiori *furore, & indignatione* exultãter currat ſicut gigas contra aduerſarios, & in die iræ ſuæ hoſtes proſternat: ipſa tunica præcinctus, & ſacro pallio nudatus exit in prælium. Quid plura? Ponit veſtimenta Ieſus, ac ſi diceret: Iudas ampliauit ſuper me ſupplantationem, & ſubdolo pectore ferus machinatur mihi flagella, Crucem, mortem; eius deſideria anteuerto, veſtimenta depono, iam me ipſum operimentis exuo, ad ipſas præparans plagas, dorſa nuda do flagellis, humerum ad portandum Crucis pondus ſuppono. Cruenti carnifices eripient veſtes violenta manu, vt corpus meum cædant flagris, iam ante operimentã detraho: *Ecce inquiens dorſum nudum, ecce corpus detectum, vos flagellate, ego autem ſufferam.* Iam enim nuditate præparabatur mons Ieſu in nouiſſimis diebus.

Mos gentium irruentiũ in pugnam, veſtimenta ſcindere.

Orig.

Iob nudus præparat ſe ad plagas.

Ieſus veſtimenta deponens, præparat ſe ad Crucis certamen, & ad flagella.

3. Leges, & ſtatuta in palæſtra, & ſtadio decertantium, proponit ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 2. c. 161. ad Aphraſium inquiens: *Ab his, qui aduerſus carnem, & ſanguinem luctantur, palæſtræ leges edocendæ ſunt. Quemadmodum igitur illi non modo exutis veſtibus, (certandi enim principium eſt veſtes deponere) verum etiam detonſa coma, corporeque oleo delibuto (vt nec crinibus prehendantur, ac per oleum lubricas aduerſarij manus reddant) ita demum in certamen progrediuntur. Ad eundem nos quoque modum, ſi coronam referre cupimus exuto veteri homine vnà cum ipſius actionibus, præſtigiiſque, atque in eleemoſynas conſumptis rebus externis, omni cura nudi, ac veſtitu carentes, ad virtutis ſtadium aſcendamus, vt Olympium certamen de anima obeamus.* Preme verba illa Peluſiotæ: *Certandi principium eſt veſtes deponere.* Laniſtæ in ludis Olympicis, vt acciperent brauium, & referrent palmam exuti veſtimentis decertabant, erat enim nuditas auxiliatrix ad coronæ, & triumphi decus. Nec Iſidori documentum diſplicet, nam Ieſus in hoc theatro orbis terrarum magnus decertator, veſtium depoſitione nos admonet, vt detrahamus veteres tunicas Adami peccatoris pelliceas; vt omni cura nudi, & veſtimentorum obſtaculis carentes ad virtutis ſtadium aſcendamus.

D. Iſidor. Peluſ.

Prima palæſtra lex, nuditas eſt.

Ad virtutis ſtadium homo ingrediatur nudus.

4. Præbuit Ieſus, dum Crucem aſcendit, manus cum hoſte conſerendi, formam; cum in ſtadio montis Golgotha omnibus veſtium operimentis ſpoliatus, vires ſuas oſtentat. Inueſtigat Sanctus Athanaſius cur denudatus veſtium integumentis ſcandit Ieſus Crucis patibulum, vt inde laceſſeret hoſtes? Et rationem aſſignat valde præclaram, dubium his verbis ſoluens libro de paſſione: *Cum feſtinatione ad locum vadit, vbi eum ad Crucem aſcendere oportebat, vt chirographum noſtrum, quod inimicus abſtulerat, affigeret Cruci, & ſpolians veſtibus principes, & poteſtates cum fiducia eas traduceret, & oſtentui haberet, in ligno triumphans de illis, exhiberetque euulſum ex dracone hominem*

Ieſus, vt aduerſarias poteſtates detriumpharet, veſtimenta exuit.

D. Athan.

Id cum facturus eſſet, exuebat veſtimenta ſua. Ad maxima orbis opera ſeſe nuditate accinxit Ieſus, vt poteſtates tenebrarum in ſe ipſo detriumpharet, diræque tyrannidis iugum à noſtris ceruicibus repelleret, vt Syngrapham mortis, quam protoplaſtus ſuo nomine ſubſcripſerat, expungeret; vt draconis Sycophantæ contereret caput, eiuſque ſpiris implicatum hominum euelleret; præclara iſthæc facinora veſtium tegminibus denudatus aggreditur. *Id cum facturus eſſet* (inquit Athanaſius) *exuebat veſtimenta ſua.* Vim ſententiæ perpende: non ei milites veſtimenta adimunt inuito, ſed ſe denudat voluntarius Ieſus, ſed ſe ipſum ad pugnam integumentis exuit, ſciebat enim quantum faueret luctantibus nuditas, vt aduerſarios proſternerent.

5. Sponſam hoſtes oppugnantem, hortatur Ieſus, vt propinquior fiat Petræ, à qua accipiat roboris incrementum. Cantic. cap. 2. verſ. 13. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ.* Legunt Septuaginta: *in tegimento petræ.* Origenes homilia 2. in Cantica: *In velaminibus petræ.* Philo Carpathius: *In protectione petræ.* Et addit: *Protectio hic ipſe ſponſus eſt: quoniam ipſam protegens ab omni tentatione defendit, ac liberat*: Dum belligerat ſponſa cum hoſtibus, ei ſupernum adiutorium promittitur. Sed elegantior, & acutior eſt Niſſenus homil. 5. qui verba ſic legit, & expendit: *Venies ad petram tegminis iuxta propugnaculum.* Itaque Ieſus *petra eſt tegminis, petra integumenti,* & *petra velaminum.* An quia in hoc ſæculo decertantes virtus obumbrat Altiſſimi, & alarum ſuarum protegit velamento, & tentationum incurſu æſtuantes, cæleſtis auræ ſpiramine recreat, & a vitiorum terrore defendit? Non dubito iuxta ſponſi mentem hæc eſſe prolata. Sed alia mens occurrit. Dicitur *integumenti*, & *velaminis petra*, quia debellantes prælia Domini & ſacra virtutis ineuntes certamina, ad radices huius petræ deponunt tegmina, & mundialia velamenta, vt nudi cum hoſtium phalangibus conſerant manus; his ſtragulis petra gaudet ornari, itaque Ieſus fidus cuſtos eſt tegminum, vt in meliora reformet; quot habet operimenta, tot poſſidet pignora triumphantium, obſideſque vberioris auxilij; *Venies ad petram tegminis iuxta propugnaculum.* In eo, in quo veſtes deponis, propugnatorem inuenis. Quanto melius apud Ieſum bellatores veſtimenta deponunt, quàm apud Saulum lapidatores Stephani; Saulus veſtes ſeruabat, vt omnium manibus Stephanum lapidaret; Ieſus veſtes ſeruat, vt omnium manibus vincat. Actorum cap. 2. verſ. 57. *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* At pro regno cælorum decertantes deponunt veſtimenta ſecus pedes adoleſcentis, qui dicitur Ieſus, iuxta lapidem *propugnaculi*, & *adiutorij*. Denique veſtium Dei tutamen ſibi aſſciſcunt, & victoriam ſibi repromittunt.

Tegimentum petra quale ſit.
Lect. LXX.
Origen.
Philo Carp.
D. Greg. Nyſ.
Cur Ieſus petra tegminis, & velaminis dicatur.
Decertantes in petra Ieſu deponunt mundialia velamina.

6. Vt belligeraret cum vitijs ſæculi, & ad cœlum pennatus conſcenderet, hanc exhorruit quidam adoleſcens nuditatem, apud Matthæum capite 19. diuinæ legis obſeruatione conſtrictus vitam tranſegerat Iſraëlita dignam, ipſo teſte, ſed maiora oſtendit Magiſter æmulanda diſcipulo. Ibi verſ. 21. *Ait illi Ieſus: ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.* Præpeditus diuitiarum inuolucris, noluit annumerari Chriſti Heroibus, regnum cœlorum violenter diripientibus; quanto maiora emolumenta illi conferret nuditas, & cœlorum teneret culmina. Appoſitè Sanctus Ambroſius ſerm. 20. in feſto Sancti Michaëlis ſcribit. *Ideo nudi in ſæculo naſcimur, nudi etiam accedamus ad lauacrum: vt nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus.* Et de adoleſcente diuite ſubiungit: *Vſque adeò enim nuda virtus apta cælo eſt, vt quamuis iuſtus, quamuis ſanctus, aurum, vel diuitias poſſidens, non poſſit eſſe perfectus, talem enim voluit adoleſcentem illum Dominus ad paradiſum redire, qualis Adam fuerat de paradiſi ſublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradiſi fuit.* Athletis ſuis Deus adiutricem dedit nuditatem. Nudus conſtituitur in deliciarum horto Adam, vt in palæſtra, & luctâ Dæmonem de cibo vetito tentantem facilius vinceret. Nudi ad militiam vitæ mortalis naſcimur. Nudi quoque accedimus ad regenerationis, & lauacri lymphas, vt abrenunciemus Satanæ, & pompis eius: *Vſque adeo enim nuda virtus apta cœlo eſt.* Pulchra Ambroſianæ linguæ ſententia. Si nuditas conſentanea cœlo, nuditas idonea eſt pro cœlo depugnanti.

Adoleſcens diues valde renuit ſequi Chriſtum.
D. Amb.
Exhorruit euangelicam nuditatem.
Voluit Ieſus nudum ad paradiſum redire.

Amoris audacia.

Discvrsvs IV.

In vitæ diſcrimina, gladios, cruces, ignes, amor impauidus irruit.

1. Qvis deprædicabit amoris auſus, qui nulla cruciamenta exhorreſcit ſufferre pro dilecto. Audax fuit amor Ieſu, qui vſque ad finem ſuos dilexit, mortem, inquam, probris, & ſannis plenam, innumeriſque cruciatibus. At non eſt ſeruili formidine percuſſus, ſed in ſentium ſpicula, clauorum iacula, lanceæ cuſpidem audacter irrumpit, & mortis acerbiſſimæ poculo intrepide exhauſto, docuit amoris audaciam ab omni mentis trepidatione immunem. Hoc innuit præclarum Iſaiæ oraculum cap. 31. verſ. 4. & 5. *Sic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius. Sicut aues volantes ſic proteget Dominus exercituum Ieruſalem, protegens, & liberans, tranſiens, & ſaluans.* De conflictu Ieſu cum hoſtibus dæmone, & morte, quando eos in Ieroſolymitæ monte detriumphauit, hæc verba accipiunt Sanctus Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Gloſſa. Sed ad demonſtrandam præparationem animæ Ieſu in cœnaculo, colludit Vates cum Euangeliſta, vocans eius mortem *tranſitum*. Expendit Hieronymus verbum illud: *tranſiens*: Addítque *Phaſah non paſſionem ſignificare ſed tranſitum.* Iſaias mortem Chriſti vocat tranſitum, ſicut etiam Ioannes Euangeliſta capite 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Similitudinem auium ad

Certamen Ieſu à Dæmone & morte.
D Hier.
D Cyril.
Procop.
Gloſ.
D. Hier.
Mors Ieſu tranſitus dicitur.

Forer.

ad præſens inſtitutum vſurpo, in qua Vates vires diuini amoris exprimit. Optime Forerius: *Amorem, ac diligentiam exprimit Dei liberantis.* Adde patefactam Iſaiæ verbis, diuini amoris audaciam. Sicut enim aues, vt pullos à periculis eripiant, nihil exhorreſcunt: ſic Ieſus contegens ſicut gallina pullos ſuos alis, vt à morte redderet incolumes; mortem conſtanter paſſus eſt. Auis ſimilitudinem expendit Sanctus Hieronymus: *Aues (inquit) vt defendant pullos ſuos, nidos ſupervolant: & ſiue ſerpentem, ſiue hominem viderint, auesque alias ad pullos ſuos accedere, obliti imbecillitatis roſtro pugnant, & vnguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant.* Addit Lyranus: *Sicut aues volantes non habent timere arcus ſagittatoris.* Quanta in auibus erga natos ſuos amoris audacia; rapacis volucris morſus, colubrum aperto rictu in pullos adhuc implumes inhiantem, alarum diuerberatione, & roſtri punctionibus e nidulo, & domuncula arcent; alarum thorace, & pelta ictus, & repercuſſus ſuſcipiunt libenter ad pignoris, & prolis tutamen; nec tormentarium puluerem, igneos globulos, nec ſagittantium iacula expaueſcunt, ſed exponunt pectus telis, & ſagittis pro natorum incolumitate. Si tantus amor in volucre, quantus in Creatore? Cerne audaciam amatoris tui. Hoſtiles aues telis malitiæ, liuoris, & dedecore inſtructas, inuadit, inter militũ gladios, fuſtes, haſtas, verbera, ſentes, catenarum nexus, crucifixuras, & cruciatus, licet tanquam verus homo timuit; cœpit enim pauere; vt hominem dilectum de draconis tyrannide eriperet, & in filiorum Dei libertatem aſſereret, deitatis virtute confortatus, & charitatis animoſitate inſtructus; ea, qua decebat Deum, & hominem, conſtantia, in tormentorum carnificinam audacter ingreſſus eſt.

Diuini amoris audacia, auis ſimilitudine exprimitur.

D. Hieron.

2. Magnam Iacob Patriarchæ dedit amor audaciam. Dum egreſſus e domo Laban, Eſau præſtolatur decurſum, magno corripitur timore cap. 31. verſ. 7. *Timuit Iacob valde, & perterritus,* &c. Et verſ. 11. Deum precatur: *Erue me de manu Fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.* Poſtea cap. ſequentis, charitas foras miſit timorem, & diſcuſſa formidine, ante faciem vxorum præcucurrit, tanquam propugnaculum ſe opponens inimici fratris inſidiis; vt morte, & profuſione ſanguinis redderet incolumes. Rachel, & Liam, natorumque turbas ordine diſpoſuit Gen. cap. 33. verſ. 3. *Et ipſe progrediens.* Dilucidè legunt Septuaginta: *Ipſe autem præceſſit ante eos.* Vt certamen, & propugnationem pro vita matrum, & filiorum incolumitate, ſuſciperet. Quam floridè, & diſertus Chryſoſtomus hic, dum homil. 53. in Geneſ. cap. 33. Iacob timorem, & amorem diſcutit: *Quod meticuloſus fuerit (inquit) ex eo liquet, quod dum Eſau fratrem præſtolaretur, timore pene exanimabatur: ſed vide qui rurſus timidus ille charitate ſuſtinente, leone quouis animoſior euaſit: veluti propugnaculum enim quoddam ſe ipſum ante cæteros omnes locans, paratus erat ferum illum, & minas quemadmodum ſuſpicabatur, irruentem, excipere primus, & ſuo ipſius corpore parare vxoribus ſalutem: & quem domi timebat, quem horrebat, intueri primus in acie ſtudet. Erat terrore maior, ſtupet ei, ille in vxores amor. Vides quo pacto, qui timidus erat, audax euaſit confertim, non equidem natura habitum immutans, ſed charitatis vi coactus.* Quàm diuerſos affectus amor, & timor in Iacob gignunt! ſed in diſcrimine, & certamine vitæ rerumque familiarium, ſuperat quouis leone vehementior charitas, quæ animoſum, & audacem reddidit ad perferenda mala, pro dilectorum pignorum tutamine. In vmbra quoque iſta licet intueri delineatum Chriſti Ieſu myſterium. Timuit Ieſus mortem, Iudæorum cohortem, Iudam proditorem; ſed triſtitia, & mœrore correptum, leone quouis animo fiorem reddidit amor, in hoſtiles acies impauidus irruit dicens: *quem quæritis?* Velut propugnaculum ante ſponſam ſuam Eccleſiam, Apoſtolorum congregationem ſeipſum conſtituens, dum vinculorũ nexibus tradit manus, iubet incolumes diſcipulos abire. Vt ſuo ipſius Corpore in hoſtiles manus tradito, pararet vxori, & ſponſæ ſalutem. Erat enim in Ieſu terrore maior amor. Aptè guttam illam de aureo Chriſtianæ eloquentiæ flumine mutuatam Domino Ieſu aptabis: *Vides quo pacto, qui timidus erat, audax euaſit?* In cruce tollenda, & morte obeunda.

Iacob impauidum fecit amor.

Lect. LXX.

D. Chryſoſt.

Affectus diuerſi timoris, & amoris in Iacob.

Timor & amor Ieſu in mortis hora.

3. Virilis fœminæ quondam peccatricis animoſitatem laudibus extollit Euangeliſta Ioannes capite 20. cùm enim diuini amoris furore percita anxiè quæritaret inter monumenti tenebras cadauer illius, qui inter mortuos liber iam fuerat vitæ immortalitate donatus; quærenti mortuum, ipſe viuus occurrit, & notam in fœmina diſſimulauit erroris, vt inueſtigandi cadaueris Ieſu ſolicitudo, eximij proderet incrementa amoris. Cerne in fragiliori ſexu, in quantam audaciam creuit amor. Ibidem verſ. 15. *Dicit ei Ieſus. Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam.* De viribus amoris præſumens fœmina portare audet corpus defuncti. Pulchrè Hugo Cardinalis Magdalenæ notauit audaciam dicens: *Ego eum tollam, vel leuabo. Id eſt, ſi propter timorem Iudæorum leuaſti eum hinc, dic mihi, & ego eum accipiam audacter. In quo oſtenditur multa deuotio, & conſeruantia dilectionis.* Miror fœminam non timentem cernere, tangere corpus hominis vita defuncti; mulier timidum animal, cadaueris conſpectum fugit, ad vmbras exhorreſcit ſepulchri, ad mortis nomen turbatur; nunc inter tenebroſæ ſpeluncæ horrores, imperturbata graditur: corpus deforme, & exangue, vibicibus, & diræ mortis imagine inhorreſcens, inſtitis, & cruentatis linteaminibus ligatum cernere, tangere præſumit; & quod plus eſt ſuper humeros tollere. O quantas vires amor ſuggerit. Charitas debilem fœminam immenſis pene ornauit viribus, & incredibili protexit audacia. Quam pulchrum ſpectaculum, ſi iuxta Magdalenæ optata, fœmina corpus Ieſu ſuper humeros tolleret! Quid plura? Miratur Ieſus robuſtæ fœminæ audaciam, & quàm mulierem prius vocauit; poſt magnanimos auſus Mariam nuncupat. Vnde poſt illa verba: *Ego eum tollam.* Statim ſequitur: *Dicit ei Ieſus: Maria:* Quæ pondus deificum Angelicis humeris formidandum portare audet, merito vocetur Maria, cum cupit eſſe Ieſu baiula, ſic Mariæ matris Ieſu, nomine, & munere æmulã: illa Ieſum portauit in vtero, iſta exoptat portare humero. In Magdalena Dominus feruentioris amoris

Magdalenæ animoſitas in Ieſu cadauere inueſtigando, mira.

Hugo Card.

Magdalena poſt magnanimos auſus Maria nuncupatur à Ieſu.

amoris auſus, Mariæ nomine, & inſignibus decorauit.

Rebecca animoſitas ad lucrandam benedictionē filio Iacob.

4. Miror quantas voto, & deſiderio mulier illa Apoſtolica Rebecca deuorauerit contumelias, & probra, vt delicio ſuo Iacob præriperet benedictionis gratiam; obruit enim filium tergiuerſantem, ſententiarum pődere, & dulci ſuadaque facundia, vt hœdos afferret epulaturo Iſaac. Cum enim Iacob perſonati colli, & manus figmentum, & ſimulationem ad decipiendum patrem pertimeſceret ne ſibi aſſciſceret maledictionem pro benedictione, Rebecca in ſe ipſam, culpam tranſtulit, maledictionis pœnam, & iniuriam deriuauit, Geneſ. cap. 27. verſ. 12. & 13. *Si attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo, ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione. Ad quam mater in me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi: Tantum audi vocem meam, & pergens affer, quæ dixi.* Nulla imminentia diſcrimina exhorreſcit ingens Rebeccæ erga filium charitas, ſed contumelias, & maledictiones audacter inuadit, vt annotauit Sanctus Chryſoſt. homil. 33. in 1. Corinth. cap. 13. ſcribens: *Rebecca quondam è filio pendens, & furtum commiſit, & non eſt verita ne deprehenderetur, neque timuit; quanquam periculum erat non paruum: ſed & filio dum rem impenſius penſiculatur, hæſitāti, me maledictio hæc inuadat, inquit: vides etiam in fœmina Apoſtolicam mentem quemadmodum enim Paulus pro Iudæis fieri anathema optabat: ita hæc, vt benedictione filius potiretur, maledictionem ferebat iſ ſit: & bonis filio cedens (neque enim ipſa benedictionem affectabat) mala ſubire ſola parat.* Æquabilis propoſiti magnitudo, roburque ſubeundi periculi, ex amore manabat; inde ciborum condimenta, quæ internuntia forent vſurpandæ hæreditatis, ex artifici charitate manarunt. Geneſ. c. 27. v. 14. *Parauit illa cibos ſicut velle nouerat patrem illius.* Et verſ. 9. *vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur.* Hebraicè eſt: *quemadmodum diligit.* Conſentiunt Septuaginta legentes: *Sicut amat.* Et verba numeri 14. leguntur: *Et fecit mater eius eſcas, ſicut amabat pater eius.* In hoc amoris ſympoſio quod Rebecca, & Iacob præpararant Iſaac, fercula, & condimenta ſunt diſpoſita artifici amoris manu, vt pro dicto Iacob lucrarentur benedictionis palmam; fortis iuſtitia Eſau, quæ pro ipſo apud patrem militabat, vt primogenito hæreditatis prærogatiuam deferret; ſed vicit Rebeccę amor, qui in dedecora, & execrationes pro filio audacter irruit.

D. Chryſoſt.

Rebecca ad habenda probra, & maledictiones parata pro filio.

Charitas parauit cibos Iſaac.

Lect. Heb.
Lect. LXX.

Charitas iuſtitiam naturæ Eſau vicit.

Ioſephi Abarimathia fidei, & amoris auſus.

5. Magnus honor exhibitus Redemptoris ſepulturæ, dum nō pollinctorum, aut ſeruulorum induſtria terræ mandatur, ſed nobiliſſimorum virorum manibus deportatur. Sed in primis Ioſephi decurionis enituit fidei, & amoris audacia, Marci Euangeliſtæ teſtimonio comprobata cap. 15. verſ. 43. ſcribentis; *Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectās regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Quæ maior audacia, quàm adhuc calente odio, & crudelitate Iudæorum, adhuc Phariſæis ſubſannantibus Chriſtum, & Cruci inſultantibus; populi quem vocabant ſeductorem, & læſæ maieſtatis reum, poſtulare ad tumulum, de patibulo publicę deponere, non furtim ſepelire, ſed nobilium Principum more mandare ſepulchro: Ad omnia virtus audet amor, & pellit timorem charitas. De hac Ioſephi animoſitate pulchrę ſcribit Victor Antiochenus in Marcum: *Hic Ioſeph erat germanus Chriſti diſcipulus, antè occultus erat, nunc poſt Domini mortem, præclarum propter Ieſum facinus auſus eſt, neque is enim ignotus, aut obſcurus quiſpiam erat, ſed tanquam vnus ex ordine ſenatorio, apud Iudæos admodum illuſtris, & celebris habebatur. Ex hoc autē Ioſephi facto, & ſummam animi illius conſtantiam, & fortitudinem ſpectare licet, (parum enim aberat, quin vitam ipſam, Chriſti cauſa, impenderet: quippe qui Iudæorum omnium inimicitiam propter illum in ſe ſuſciperet) & ſummum rurſus erga Dominum noſtrum ſtudium, & beneuolentiam.* In idem recidit Theophylactus Bulgariæ Epiſcopus: *Laudatum, (inquit) audet facinus. Neque cogitabat, diues ſum, & diuitias amittere poſſum, ſi poſtulauero corpus eius, qui propter tyrannidem affectatam, condemnatus eſt, accuſabor à Iudæis.* Præclarum opus operatus eſt animoſus Ioſeph, diuino celebrari dignum præconio; dum honoris, & nobilitatis decus, amplas opes, vitæ diſcrimina pro Ieſu amore temnit. Quanta charitate viuum proſequebatur, qui eius cadauer tam celebri pompa parentarat? Aduerbium autem illud *audacter introiuit*, totam vim conceptus exprimit; non veritus eſt vultum potentis, nec præſidis indignationem, non puduit fœnerarium munus, nec ſenſit contaminatas, aut pollutas manus ex tactu mortui, quē Iudæi ſceleratum reputabant; compatientis animi magnanimitate corpus de Cruce refixit, Deique gazam pendentem de patibulo brachiis ſuis repoſuit, laſſum, & exangue caput ad pectus ſuum reclinauit; lætus ſi priſtina ornamenta, & copias omnes Iudaica ſæuitia eriperet, gaudens ſi cum Ieſu obiret, dummodo cadaueris ſacri funeri iuſta ſolueret.

Vict. Ant.

Ioſephi Abarimathia virtutes eximia.

Theophyl.

Quales ſint timoris nocturni, qui fugantur à lectulo Salomonis.

6. Neſcio quid huius conceptus redolet, apparatus genialis lectuli Salomonis, quem cap. 3. Canticorum deſcribit. Quid diuinius, & horrore plenum in accubitu eminet. Non minor heroum ſatellitium, nec diſtrictos enſes, aut ſplendentes romphæas, ſed poſtrema verba numeri octaui: *Propter timores nocturnos.* Nunquid vmbrarum terriculamenta, aut laruas timet, quæ auream Salomonis ſpondam circundent interturbantes ſomnum? Quod ergo ſpectrum ex cuius intuitu exhorreſcat ſponſus, aut pauida reddatur ſponſa, charitatis æmulatione lectulum ambiens? Placet in primis acumen Sancti Nyſſeni homil. 6. in Cant. fantis: *Quid vero qui circa eas eſt ſtupor nocturnus? Terribilem etiam ſtuporem fieri ex quibuſdam nocturnis terroribus, per ſtuporis vocabulum oſtendit oratio, quem hic dicit euenire armatis.* Et ſtatim reſpondet: *Eſt conſentaneum oſtendere diuinam pulchritudinem in terrore habere aliquid amabile.* Bonitate namque allicit, ſtupore magnitudinis terret; ne ſine labore, & diſcrimine promereatur. Difficilia enim quæ pulchra. Si diuina pulchritudo amari cupit, cur formidabilis exhibetur? Si decor, & ſpecies illa deifica ambitiosè ſolicitat amantium corda, cur terrore, & formidine percellit? Amat pugnaces, & audaces amatores, non humanum ſeruorum timorem, ſed filiorum diuinum præ ſe ferentes, vt ſpretis periculis, per gladios, & cruces ad Dei pulcritudinem tendant. Eſto, non abſint diſcrimina, nec cruciatus ſubeundi: Ipſa Dei pulchritudo terrori eſt amanti, vt dum de pulchritudinis magnitudine repletur formidine, in fortiorem fiduciam, & animoſitatē cogitur, audacterque irruat in amplexus diuinæ Sapientiæ.

D. Greg. Nyſſ.

Diuina pulchritudo terret, vt ab audacibus amatoribus expugnetur.

7. In

In Moyſe diuerſos affectus cerno: cum occiſum Ægyptium abſcondiſſet in ſabulo, fugit mortem, Exod. cap. 2. cum vellet Dominus plectere improbum populum, cuius erat ductor, & doctor, mortem expetit Exod. cap. 32. quia ibi timebat, hic amabat. Id perpendit Diuus Chryſoſt. homil. 33. in 1. Corinth. cap. 13. dicens: *Quid Moyſes igitur, vnicum Ægyptium territus fugit? Et finibus exceſſit ipſe fugitiuus, & viuus viri minas ſuſtinere non valens, melle charitatis ſemel rectè guſtatio nemine cogente, mori pro ſuis feſtinabat. Si enim dimittis, inquit, peccatum his dimitte: ſin minus, me quoque, de libro, quem ſcripſiſti, expungas.* Si enim mel charitatis guſtaueris ad nulla cruciamenta expaueſces, ſed in gladios, ignes, cruces impauidus irrues.

Moyſes mortem fugit, cū timet; mortē expetit, cum amat.

D. Chry.

Amor *Sagax venator.*

DISCVRSVS V.

Ad Iudæ venationem aquam præparat, quæ in eius pectore liuoris flammas extingueret; quandoquidem hoc præ cæteris elementum maiora homini exhibet commiſerationis, & clementiæ blandimenta.

1. SAGAX venator Ieſu amor, dum Iudam tanquam feram ſectatur, & dum eius lauat pedes, ſacrarum manuum vinculis, & alligaturis ſalutis, irretire cupit lupum a caula, & grege Domini fugientem; agnum Dei prodere, & dilaniare cupientem, ipſoque blandimento aquarum circumuenire, & demulcere proditorē, vt teterrimū vitus immanitatis deponat, ſimulque lupinam feritatem, & in agnum conuerſus accurrat ad amplexus, & humeros paſtoris. Celebris templi viſio obiecta diuinitus Ezechieli: Nunc reliquis prætermiſſis, ad fontium ſcatebras, & aquarum fluenta animum applico. De his ſcribit Vates cap. 47. verſ. 1. *Et ecce aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad orientem. Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris.* Quæ omnia plena ſunt Sacramentis cæleſtibus, & Chriſti myſteria ænigmatum velamentis claudunt. Sicut Ezechiel per medios aquarum gurgites cæleſtem habuit ductorem; nobis inter difficultatum nimbos, & tenebras, lux, & dux erit Doctor Maximus, qui maiori quodam ſpiritus lumine, amoris Sympoſium in altari, & menſa, cuius pedes lymphæ lambunt, intuitus eſt. Sic enim ſcribit Hieronymus in commentario: *Deſcendunt in latus templi dextrum ad altaris meridiem, vbi ſponſus conuiuas ſuos paſcit, & accubat.* Erat enim ibi epulum Chriſti, & conuiuium amoris. Nec defuit hic corporis lauacrum, & pedum lotio: ſic enim ſubiungit idem caput, de Angelo, qui per riuulos aquarum Ezechielem ductabat: *Traduxit me per aquas vſque ad talos,* ait Vates. Aliter Septuaginta legunt: *Et tranſiuit in aqua, aqua remiſſionis.* Sed cur plantas & calcaneos abluunt, & expiant vndæ? Reſpondet idem Hieronymus: *Ad talos vſque pertingunt, qui plantæ calcaneoque, vicini ſunt, qui patet morſibus colubri dicente Domino: tu eius obſeruabis caput, & ipſe obſeruabit tuum calcaneum. Et in Pſalterio de Iuda proditore dicitur: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem, ſiue calcaneum.* Limpidiſſimi latices calcaneum abſtergunt, partem, inquam, corporis, cui imminent maiora diſcrimina, quam diabolus obſeruat, vt mordeat. Abluebant aquarum torrentes Ezechielis talos, ſed vſque ad Iudæ calcaneum, (vt inſinuat Hieronymus) vehementiori motu, & curſu exundant, vt lutulentas auaritiæ ſordes emundent; & non immeritò *aquas remiſſionis* Septuaginta nuncupant, cupiebat enim conuiuator Ieſus, de quo aquæ viuæ manabant, vt placidum fluentum, quod pedes lambebat, eſſet Iudæ indulgentiæ lauacrum. Erumpunt omnes de limine domus Domini, citatoque curſu properant ad Iudam, & intumeſcentes clementiæ gurgites pedes tingunt, remiſſionis, & pietatis alluuies calcaneo allabitur; remiſſionem immurmurantes, & ſuſcepta legatione clementiæ ad veniam inuitant. Si Iudas pœnitens, & emollitus poſt traditionem, & necem Domini crudelem, annueret, & lacrymarum ſcaturigines adderet lymphis; procul dubio flumina plauderent manu, & remiſſionis Iudæ inſigni gloriarentur.

Viſio Ezechieli obiecta diuinitus fluminum, & altaris.

D. Hier.

In altari, ſponſus conuiuas paſcit.

Lect. LXX. *Aquæ remiſſionis.*

D. Hier.

Sacra templi fluenta abluunt hominis calcaneum.

Iudas leuauit calcaneum contra Ieſum.

Aquarum pietas erga traditorem.

2. Nec mireris hæc amoris, & diuinæ pietatis machinamenta, eadem apud ſanctum Cyrillum Alexand. inuenies lib. 9. in Ioannem cap. 7. ad ea verba Ioannis cap. 13. verſ. 10. & 11. *Vos mundi eſtis, ſed non omnes, ſciebat enim, quiſnam eſſet, qui traderet eum: propterea dixit: non eſtis mundi omnes.* Prodit nunc in medium Alexandrinus: itaque fatur: *Proditorem occultè arguit, ad pœnitentiam, & meliores eum reuocans cogitationes. Quum igitur Chriſtus dicit, vos mundi eſtis, ſed non omnes, quamuis occultius id dici videatur, conſcientiæ tamen ſtimulus verborum vim ad eum apertiſſimè reuocabat, qui prodendi conſilium ceperat. Tu autem vide, quam clementiſſimè ita res primò, cauſa verborum ex lotione commodè capta, profertur, vt proditoris conſcientia magnitudine criminis vehementer exagitetur. Sed huius clementiæ magnitudinem quis non admirabitur? Videbat animum eius, cognouerat eum venenoſa agitare conſilia: honorauit tamen, vt alios, & eius quoque pedes lauit, charitatem vſque in finem conſeruans.* Hæc Cyrillus. Vidiſti amoris tricas, & laqueos, & charitatis molimina, vt Iudam venetur, & ad rectam frugem reducat? Eſt enim amor ſagax venator. Honorauit tactu manuum, ſeruili obſequio, lauacro Lymphæ, participationis Euchariſtiæ conſortio, vt gloriæ, & dignitatis pondere flecteretur.

D. Cyril. Alex.

Immenſa Ieſu pietas, & clementia in Iudā oſtenditur.

3. Dubitant Theoſophiæ Principes, an veræ aquæ cæleſtem circumfluant orbem? Et partem ſequuntur affirmantē teſtimonio ducti Pſalmographi carmine 148. v. 4. *Et aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini:* Idque diuina prouidentia ordinatum autumat Ambroſius, vt temperarentur incendia, & flammæ ſiderum. Do tibi illius verba ex libro 2. examet. cap. 3. *Volui orbem cæli ſtellis ardentibus refulgentem, diuina prouidentia neceſſariò proſpexit, vt intra orbem cæli, & ſupra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret.* Iuxta Mediolanenſis Antiſtitis Philoſophiam, aquarum riuulos huc illuc fluitātes ſuper cæleſtes orbes, cœlorum artifex mirabili artificio diſpoſuit, vt ſi-

Aquæ ſupra cælos ſunt collocata, vt temperent ignis ardorē.

D. Amb.

Iudæ ardorē aqua extinguere conatur Ieſus.

derum ardoribus, aut igneis globulis eſſent moderamen, & lenimentum; cœli erant ſacri Apoſtoli, ſed vnus Iudas ardens inuidia, proditionis inſlammatus incendio, in hunc orbem redundat atque, vt blando lenocinio, dulcique lenimento ſceleratas illas faces in Iudæ pectore ardentes temperaret, vel ſopiret. Ignem nuncupo auaritiæ cupiditatem, iuxta eiuſdem Ambroſij placitum, qui in cap. 10. Leuitici agens de alieno, & prophano igne, quem Nadab, & Abiu intulerunt, hæc adiungit: *Ignis alienus eſt omnis ardor auaritiæ.* & de Iuda attexit ſequentia: *Alienum ignem voluebat in pectore, qui eum inflammauit ad laqueum.* Ideo Ieſus pedes Iudæ abluit, vt aquarum blandimento auaritiæ ardorem temperet, & extinguat.

D. Amb.

In proditore flamma auaritiæ ardebat.

4. In vnum locum coagmentantur aquæ, Domini imperio, Geneſ. cap. 1. verſ. 9. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum.* Mundanas aquas, quæ ſuper terram ſunt, congregari Dei cogit imperium; ad ſupercæleſtes aquas non peruenit mandatum, ſed eas diffuſas, & expanſas ſuper cœlos relinquit. Acuta eſt annotatio Hugonis de Sancto Victore apud Tilmanum in allegoriis, vbi fatur: *Hoc mirum videtur, quod aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, congregentur in loco vno, & illæ quæ ſunt ſuper cœlum, non congregantur ſed relinquuntur diffuſæ, atque expanſæ, quaſi quæ coarctari nolint, vel colligi.* Rationē diſcriminis acute aſſignat idem Hugo Vict. ex illo loco Pauli ad Rom. c. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, & iſtæ ſūt ſupercæleſtes aquæ. Quare aquæ iſtæ non debuerunt colligi, vel in vnum coarctari? Quoniam charitas amplificanda eſt ſemper, & dilatanda, & quanto latius panditur, tanto celſius ſublimatur.* Creata charitas, quam exprimunt aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, coanguſtatur ad iuſtos, at amor ſupermundanus, & cæleſtis non coanguſtatur ſolum ad probos, dilatatur ad improbos, vt eos beneficiis repleat, & fluentis miſericordiæ perfundat. Charitas Ieſu nullis criminum conſtringitur vinculis, omnes illuminat, vniuerſos gratiæ ſuæ guttulis irrorat, ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Omnium aqua lauit pedes, & immenſum clementiæ pelagus ſinus ſuos vniuerſis expandit; dilatata eſt aquarum ablutio ad Petrum negantem Ieſum, & ad Iudam proditorem: ideo aquæ *quæ ſunt ſuper cœlum non congregantur, ſed relinquuntur diffuſæ.* Et ad Iudam lauandum, & leniendum extendantur.

Cur aquas terreſtres, nō verò cæleſtes congregat Deus.

Hugo. Tilman.

Hug. Vict.

Supercæleſtis charitatis aquæ ad iuſtos & iniuſtos extenduntur.

5. Miror Euangeliſtæ Ioannis verba de Iudæ crimine, & procacitate diſſerentis, Ioann. c. 13. verſ. 27. *Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Quomodo tunc ingreſſus eſt, qui multo ante in corde Iudæ fecerat manſionem? ex quo enim Domino tetendit inſidias, parauit diabolo habitaculum. Et ipſe Ioannes Euangeliſta ſui non oblitus verbi, dum cap. 6. verſ. 70. 71. ſcribit: *Reſpondit eis Ieſus: nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus Diabolus eſt: Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum.* Non ſolum parauerat peſſimo hoſti hoſpitium, & ad illud intrauerat, ſed etiam diabolus erat, quomodo ergo poſt buccellam intrauit, qui iam intus fuit: In corde Iudæ Satanas antea fuit, ſed poſt buccellā introiſſe dicitur, quia poſt charitatis conuiuium, poſt tot ac tanta amoris, & clementiæ ſigna inſanabilis permanſit, & quod mente machinauerat, opere complere paratus eſt. Hoc inſinuat Hieronymus in ea verba Pauli ad Epheſ. cap. 4. *Nolite locum dare diabolo:* dicens: *Hoc diligenter attendite quod non inuenerit diabolus locum introeundi in Iudam: cuius pectus iam ante percuſſerat, niſi in conuiuio ſaluatoris. Quia tunc vel maxime in poteſtatem ei damur, quando nec humanitate, nec clementia, nec manſuetudine eius vincimur, quem odimus indignè.* Tunc maximè in Iudam introiuit, Satanas, poſt pedum ablutionem, corporis Chriſti dapes, quia accepta omnimoda poteſtate introiit nunquam regreſſurus; æquum enim eſt, vt expertus traditor omnia amoris blandimenta, clementiæ conſilia, & charitatis artes, quibus duriorem emollire, pertinaciorem capere conſueuit, à Domino derelictus tradatur in manus hoſtis crudeles.

Iudas ſi ante buccellā erat diabolus, quomodo poſt buccellā introiuit in eū Satanas.

Poſt charitatis conuiuium Iudas inſanabilis permanſit.

D. Hier.

Qui clemētia nō vincitur, in poteſtatē Diaboli datur.

6. Quem non demulceat grata ſpecies elementi aquarum, quæ blandiis ſuis cadentes reuocant à lapſu, & erga Domini ſeruos, magna exhibent argumenta clementiæ. Deſcribit eleganter Sanctus Ambroſ. hæc aquarum elogia lib. 5. exameron cap. 11. dicens: *Quid de Iona dignum loquar, quem excepit ad vitam, reddidit ad Prophetandi gratiam? Emendauit aqua, quem terrena deflexerant. Et vt vtriuſque redemptio non prætereatur elementi, terrarum ſalus in mari ante præceſſit, quia ſignum filij hominis ſignum Ionæ. Sicut iſte in vtero ceti, ſic Ieſus in corde terræ. In vtroque remedium, maius tamen in mari pietatis exemplum.* Indulgentior homini aqua ab initio extitit, blandumque elementum hominis ſalutem maiori cura ſolicitat, dum clauſo Iona in vtero ceti præfulſit in aqua ſignum redemptionis humanæ. Iactatum in mare quantis blandimentis ſuſcipiunt lymphæ, vndis, velut culcitris ſeruū fugientem? In pectore ceti præparant vehiculum, & ſeruant incolumem. Iure ergo Ambroſius ſcripſit: *Maius tamen in mari pietatis exemplum.* Maiora quoque Apoſtolorum apex expertus in aqua argumenta Clementiæ. Apte Diuus Ambroſius de Petro Apoſtolo ſubiungit: *Petrus quoque in mari titubat, ſed non labitur; & confeſſus in fluctibus, negauit in terris: itaque ille quaſi deuotus manu apprehenditur, hic quaſi oblitus aſpectu conſortio conuenitur.* Itaque aqua tenet Petrum gratitudinis conſtrictum vinculis, quando tot beneficiorum habet debitorem. Aquæ peruenerunt ad Iudam, vt ferreum, & adamantinum emollirent pectus; & pedes, ad Domini ſupplantationem, & venditionem properantes retardarent. Sed proh dolor! Aquæ dum Iudæ blandiuntur, non reuocant à lapſu; non emendat aqua, quē terrena auaritia deflexerat; dum abluitur, & Domini manu apprehenditur, vel ſola diuinæ, & omnipotentis manus dignatione beatus reputandus, poſt ipſius Domini tactum redditur indeuotus, & infelicior. Peſſimè fortunato Iudæ ex aquis ſignum non redemptionis, ſed reprobationis oſtenditur.

Aquæ maximam clemētiā oſtendant erga ſeruos Dei.

D. Amb.

Ionā emendauit aqua.

Signū redēptionis in mari.

In mari pietatis exemplum.

D. Amb.

In aqua clementiā expertus Petrus.

Aquarum clementia Iudam non emollit, ſed indurat.

7. Dictum illud Sancti Auguſtini de ingreſſu filiorum Iſrael in mare, & erga ipſos clementia, & contra Ægyptios ſæuitia, Iudæ libenter apto. Sic ſcribit lib. 1. de mirabilibus ſacræ Scripturæ c. 20. *Pharaonis exercitus mare poſt Iſrael intrauit; ſed vni refugium, alteri laqueus fuit.* Petro aqua abluens pedes, aliis diſcipulis refugium, & humilitatis exemplum, Iudæ laqueus fuit, cum abiens laqueo ſe ſuſpendit.

D. Auguſt.

Mare Iſraeli refugium, Pharaoni laqueus extitit.

Amot

Amor *Incantator peritus.*

DISCVRSVS VI.

Sapiens incantator Amor, qui ſic animum amantis temperat, vt probra, & dedecora, & abiectiſſima quæque munia, vt delicias, & gloriæ ornamenta vſurpet.

1. QVANTA amoris vis, & quam ſapienter incantator amor. Ad arbitrium ſupra naturam molitur. Inhonora, & deſpicatiſſima quæque, cum accedit amor, in ampla decora immutat. Si hæc in prophano, in amore diuino virtus maior. In amoris atrio non vileſcit ſeruile miniſterium. Præcingit ſe Ieſus, mittit aquam in peluim, cœpit lauare pedes diſcipulorum, non vileſcunt in Ieſu humilitatis, & abiectionis obſequia, ea ptæ nimio hominis amore iucunda viſa ſunt, ſummæque dignitatis, & gloriæ. Vt paſcant oculos grato ſpectaculo, vt cernant Ieſum ſentium diademate coronatum, & punctum, Pulchra tempora, & ſacratum capillamentum rore perfuſum ſanguineo, hortantur cæleſtes ſpiritus ſodales ſponſi filias Ieruſalem Cant. cap. 3. verſ. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* De cidari ex ſpinis compacta, quam capiti Ieſu Synagoga mater, imò nouerca crudelis impoſuit, accipiunt Eccleſiæ Patres cum Theodoreto: cuius verba ſunt: *Matrem appellat Iudæam. Spinis enim illum contemptus cauſa coronauit. Ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atque vltro ad mortis cruciatus acceſſit. Quam ob rem deſponſationis diem illam vocauit, & diem lætitiæ cordis eius.* Perpende verba illa: *Ipſe vero per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis.* Plexum illud ſenticoſum, in pœnam, & ludibrium Chriſti capiti impoſitum, exiſtimat Theodoretus artifici, & induſtrioſa amoris manu implexum, & Ieſu vertici innexum. Domini Ieſu caput non tam Iudæa, quam charitas coronauit, ex ſpinis charitas effloreſcit. Vulnera, quibus caput ſtellatum fulget, tanquam cœlum ſideribus, roſæ ſunt amoris. Felices ſpinæ amoris adiutrices, vt plecteret glorioſum charitatis coronamentum. Diadema charitatis eſt, quod Chriſtus ſuſcipit. Contemptus, ludibrium, ſentes, ſæuiſſima arundinum verbera, quibus plexus inciditur, infigitur, deſponſatio eſt, ſponſale gaudium eſt, lætitia cordis, honoris amplitudo.

Salomonem diademate coronauit mater.

Mel. Max. Nyſ. Theodoret.

Corona Ieſu ſpinea.

Charitatis coronamentum dicitur.

Corona ludibrij fuit in Ieſu corona gaudij.

2. Inuitatus Dauid ad ſolemne Calendarum conuiuium timens Saulis Regis inſidias, ne ſibi eſſet ferale epulum, atque funeſtum, conſilio Ionathæ, qui ex anima Dauid pendebat, fuga ſe ſubripuit; cumque in cœna eſſet vacuum Dauidis ſubſellium, Saul indignatus cauſam inquirit abſentiæ. Ionathas Dauidis patronus, ex celebri ſacrificio, cui interefſet Dauid in populo Bethleemitico, tamen amicum ſuſcipit, & excuſationem prætendit. Iratus Saul liuoris venenum in faciem Ionathæ, lingua expuit, dicens lib. 1. cap. 20. verſ. 30. *Iratus autem Saul aduerſus Ionatham, dixit ei: fili mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro, quod diligis filium Iſai, in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ.* Conuitia, quibus oneratur Ionathas, Chryſoſtomus amplificat legens: *Scorti in viros inſanientis, & quibuſlibet coeuntis filius.* Et paulo ante ſic exponit homil. 33. in 1. ad Corinth. cap. 13. *Salacis, & intemperantis meretricis filius.* Quæ omnia regio ore prolata exultans Dauidis amicitia Ionathas, nec dedecus, nec ignominiam reputauit. Do tibi Chryſoſtomi verba ex eadem homilia amorem Ionathæ amplificantis: *Quid igitur indoluit ille, nunquid latuit, nunquid ob hoc deſtituit amicum: Immò contra facit belleque ſibi petenſe amoris vi placet: quanquam quem negligebat, Rex erat, & Regis filius ipſe: is verò, cui adhærebat fugitiuus erro: verum nihil illum huius amicitiæ pudebat: non eſt enim faſtidioſa charitas. Atque hæc quidem vis huius eſt admiranda, quod probris, & indigne tractatum, non modo non lugere, mortuumque ſentire ſinit, ſed ea re gaudentem etiam facit. Hinc ipſe ille quoque tot tamque grauibus conuitiis velut corona quadam inſignitus abit, ſuauiſſimeque complectitur amicum. Probrum, dedecuſque quid ſit, ignorat charitas, idcirco his de rebus gloriatur, quas propter conſpectum alij hominum fugiendum putant.* Itaque probra, & dedecora, & abiectiſſima quæque munia, vt honoris infulas exiſtimat amor.

Ionathas patrocinium Dauidis ſuſcipit coram Saule.

Ionathas conuitiis oneratur à patre Saule.

D. Chry.

Opprobriis gaudet Ionathas propter Dauidis amicitiam.

D. Chryſoſt.

Probrum ignorat charitas, conuitiis coronatur.

3. Ad geminum opus ſe præcinxit Deus, & ad creationem orbis, & ad redemptionem; cum tenderet ſuper globum terræ lineas, eamque in medio aëris ſtabilitam inconcuſſam ſolidaret, præcinctus eſt: rurſus rigaturus orbem ſanguinis fluentis, & pedes diſcipulorum abſterſurus, vt ſuper eos Eccleſiam fundaret; linteo præcinxit ſe. Ibi præcingitur fortitudine, hîc humilitate. Vtrumque conſtrictorium celebrat Dauid Pſalm. 92. cuius titulus eſt: *Laus cantici ipſi Dauid, quando fundata eſt terra.* Et in verſ. 1. carminis ſcribit: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe; etenim firmauit orbem terræ.* Ad quæ verba Sanctus Auguſt. ſubtilem quæſtionem excitat, & diſſoluit acute: *Quare dixit, præcinctus eſt? Cinctio opera ſignificat. Tunc enim ſe quiſque cingit, cum operaturus eſt, ſed quare non dixit cinctus eſt, ſed præcinctus eſt? Qui ſe præcingit, ante ſe ponit aliquid, quo præcingitur, vnde dictum eſt, præcinctus eſt linteo, & lauit pedes diſcipulorum ſuorum. Cum de fortitudine diceret, addidit præcinctus, vt recolas Deum præcinctum humilem, quia tunc humilis fuit, quando linteo præcinctus eſt.* Cum Deus fortitudine, & decore ſe cingebat ad molitionem orbis terrarum, iam ſe ad redemptionem præparabat; cùm aquam globo terræ circumfuſam creabat, iam linteo ornatus ad abluendos pedes diſcipulorum ſeſe accingebat. Iuxta Vulgatum: *præcinxit ſe.* Iuxta lectionem Sancti Aug. *Præcinctus eſt.* Præcinxit ſe, quia ſpontaneè ſeſe abiecit ad humilitatis obſequium. Præcinctus eſt ab humilitate, præcinctus eſt ab amore, non tam ad mamillas Zona aurea, quam corpus linteo. Charitas Dei Ieſum conſtringit, & vrget, vt eximium opus perpetraret, & quo modo coarctatur donec illud perficiat. Ad rem ergo; cum ſe præcingit Zona charitatis, humilitatis linteo, vt pedes abluat, tunc *Dominus regnauit, decorem indutus eſt.* Vel iuxta Tigurinam verſionem ex Hebræo: *Dominus Rex eſt, induit celſitudinem.*

Ad orbis creationem, & ad pedum lotionem præcinxit ſe Deus.

Titulus Pſ. 92. laus cãtici Dauid, quando fundata eſt terra.

D. Aug.

Ad operationem vtriuſque præcingitur.

Cur non cinctus, ſed præcinctus dicitur.

Ieſus linteo præcinctus humilis oſtenditur.

Ieſus præcinctus humilitate, & amore.

Ieſus cùm humilitate præcingitur, gloria & honore induitur.

Tigur.

Vatabl.
D.Hier.

celſitudinem. Vel iuxta Vatabli ſcholium: *Induit ſplendorem, decorem, id eſt, veſtibus regiis ornatur.* Sanctus Hieron. *indutus eſt gloria.* Alij legunt: *ſplendore, magnificentia.* Abiectiſſimum lauandi pedes munus, quod homines ponunt in poſtremis, pro decoris, & gloriæ ornamento Deus vſurpat; tunc ſe Regem nuncupat, cum pedes lauat; tunc ornatum ſpecioſa, & aurea cyclade veſtimentiſque regalibus, cũ linteo præcinxit ſe.

Ros in vellere ſignum liberationis.

4. Hoc honoratium munus tanti apud Deum eſt, vt aliquam illius circumſtantiam non niſi valde dilectis tanquam pignus amoris conceſſerit. Dedit Angelus Domini ſignum Gedeoni, vt vinceret, & Madianitas detriumpharet, ſi ros eſſet in vellere, & in omni terra ſiccitas. Gedeon ergo, vt portentum inſpiceret, & liberationis ſignum, ante lucanus ſurrexit. Iudicum cap. 6. verſ. 38. *Et de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore impleuit.* Addit Sanctus Amb. lib. 1. de Spiritu Sancto in proœmio ſingulare documentum, Ierobaal cæleſti colluſtratum lumine agnouiſſe Chriſti myſterium, mittentis aquam in peluim, & diſcipulorum pedes abluentis, & excitatum humilitatis exemplo intendiſſe lauare cæleſti rore pedes Angeli: *Volebat* (inquit) *& Gedeon lauare pedes Angelo Domini, qui apparuit ſibi.* Et paulo ante ſcribit: *Rorem miſit in peluim, vt repleretur aqua, non tamen ipſe eo rore pedes lauit, aliud debebatur tanti prærogatiua myſterij.* Mittere aquam in peluim, & inuitare Angelum ad lauacrum, vt contubernali, & amico, Gedeoni conceditur, ſed abluere pedes aqua, & linteo ſordes abſtergere, ſoli Domino reſeruatur; fit famulus conſors gloriæ, dum eſt particeps miniſterij, ſed prærogatiua abluendi velut amplum decus Domino defertur.

D.Amb.

Gedeon rore veluit lauare pedes Angeli.

Pedum lotio ſaluatori, ſeruatur vt magnum decus.

Abrahã Angelorum pedes lauit.

5. Adhuc Abrahamo, vel tanquam Patri fidelium, vel tanquam regiæ ſtirpis principio, lauandi Angelorum pedes permiſit Dominus poteſtatem: ſed in hoc actu omnia ſpirant amorem. Quod: *Cucurrit in occurſum eorum.* Gen. cap. 18. verſ. 2. in verbis ſequentibus verſ. 3. & dixit: *Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; ſed afferam paucillum aquæ, & lauate pedes veſtros.* In quibus omnibus, inquit Sanctus Chryſoſt. homil. 41. *Abraham magis ferventem declarat amorem. Quare nulli famulorum hoc præcepit.* Et antea facit textus in circumſtantia temporis, quo factus eſt Angelorum occurſus, Abrahamidæ charitatis vim exprimit, cum Sol in meridiano exurebat montes, & incendij radios exufflabat. Ibi verſ. 1. *Apparuit autem Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei.* Quam temporis circunſtantiam dum ad examen vocat Angelicus Doctor in Geneſim, hæc verba ſcribit: *Fit igitur in meridiano feruore diei, vt ſimul deſignaret charitatem, & feruorem amoris Abrahæ ad Deum.* Denique in epulantium Angelorum famulitio, dum ipſe manibus ſuis menſæ intulit pietatis fercula, communiſque ſeruulus Abraham ſtabat, ibi verſ. 8. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis, ipſe vero ſtabat iuxta eos ſub arbore.* Neque hunc cultus, & honoris obſeruantiam erga cæleſtes hoſpites intactam relinquit Chryſoſtomus, eam ſolita eloquentia ponderat homil. 41. in Geneſim: *Adſtabat Centenarius comedentibus illis. Adſtitit igitur Patriarcha quaſi famulus, ſummum honorem exiſtimans ſi præſentibus miniſtraret.* Etenim verus amor pro deliciis habet, & ſummum decus exiſtimat abiectiſſima quæque munia.

D Chryſoſt.
Abraham charitas fulget in obſequiis angelis exhibito.

D.Thom.
Angelorum occurſus in meridiano factus, feruorem charitatis Abraham indicat.

D Chryſ.
Abrahã ſummum honorẽ exiſtimauit, miniſtrare Angelis.

In cælis Dominus miniſtrat ſeruis.

6. Nec mireris Abraham ſtantem, miraberis potius Deum, & Dominum, dum ſerui, & famuli in menſa recumbunt. Hanc mercedem ſeruo fideli, & vigili etiam in cæleſtibus repromittit. Lucæ cap. 12. verſ. 37. Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes: *Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* In apice honoris, & gloriæ ad dexteram Patris conſtitutus, miniſtrat. Homini creator ſeruit, Dominus ſeruis; tantum placuit humilitatis obſequium, vt illud inter glorioſas æterni imperij inſulas non deponat. Pulchrè Sanctus Chryſologus ſerm. 24. ſcribit: *En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pauenda conuerſio ſeruitutis.* Et ſtatim adiungit: *Diſcumbenti homini Deus aſtat, & aſtat in cæleſtibus: epulanti ſeruo ſeruit Dominus, & ſeruit accinctus: pueris ſuis, miniſtrus ſuũ miniſterium facit Chriſtus: & facit in Patris iam gloria conſtitutus: homo calumniaris: eſt adhuc quod detulerit Patri qui tibi in terra lauando pedes, extremum repræſentauit obſequium, & repromittit in cæleſtibus nouiſſimam ſeruitutem?* Non effluit à memoria Ieſu in felicitatis vertice collocati, adminiſtrandi munus, quo in hac vita fungebatur in regia Ieſu terrena, & cæleſti magnus honor, eximium decus eſt humilitatis obſequium.

D. Chryſol.

In cæli regia honorabile eſt obſequiũ quod præſtat Deus ſeruis.

Amoris vires.

DISCVRSVS VII.

Amor omnia imperia, & tempora moderatur, vt iuxta arbitrium amantis obſecundent.

Hora mortis ſuæ à Ieſu eligitur.

1. IMPERIA, horæ, momenta, temporum labentium curſus, amori quoque obſecundant; in quo eum pollet maiores exercere vires, quam in fugacis temporis obſequio. Diſce hoc in tuo amatore. Cum enim amoris trophæa, & non plus vltra amoris in eo charitas fixit: *Tunc ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Non hora aliena, ſed ſua moritur, tempus elegit, annum notauit, horam deſignauit morti, vt vtraque ſuo obediret imperio. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Ioann. cap. 13. in carmine, quod pro ignorantiis dedit Abacuc plenus diuinâ ſapiẽtiâ annũciat Chriſti triumphalia diademata, Crucis trophæũ, amoris robur, & inuictam poteſtatem cap. 3. verſ. 4. & 5. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Septuaginta legunt: *Et poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis.* Quam verſionem ſequitur Sanctus Hieronymus, & ea verba: *Cornua in manibus, ſic exponit: id eſt, vexilla, ac trophæa Crucis in manibus eius.* Sed iuxta Septuaginta [illegible] aliud vexillum charitatis, & amoris [illegible] erexit, ſub quo milites amoris, & [illegible] militarent. Sub hoc ſigno adſcripta eſt ſponſa, & ſtipendium meruit, ſicut ipſa teſtatur Cantic. cap. 2.

In carmine [illegible] fortitudo [illegible] deſcribitur.

Lect. LXX.

Crucis vexilla.

Amoris ſignum.

Lect. Heb. Tigur. Vatabl.

cap. 2. verſ. 3. *Ordinauit in me charitatem.* Tigurina ex Hebræo legit: *Cuius vexillum erga me eſt dilectio.* Et verſionem Vatablus expendit: *Solent duces vexillo poſt ſe trahere milites: ita ſponſus ſponſam amore tanquam vexillo attraxit.* Felix militia, in qua amor vexillum, & vexillifer eſt. Tenuit ergo Ieſus iuxta Habacuc vexillum Crucis, & leuauit ſignum amoris, vt non ſola regna terræ, ſed etiam regnum dilectionis in ſua eſſet poteſtate; in hoc regno Rex eſt, qui tenet amatorum imperium, qui præ cælicolis, & terrigenis tenet dilectionis apicem, Rex eſt, Imperator eſt amoris. Quod ergo munus ſub tanto, & tali ſigno militantium? Reſpondet Sanctus Hieronymus verſionem Septuaginta, apud Habacuc illuſtrans: *Regnum poſuerit (Pater) in manu filij ſui, vt faceret dilectum ſuum ab hominibus diligi, & diligi non leniter, ſed vehementer, & fortiter, vt qui eum fortiter dilexiſſent, & hærerent in dilectione eius, nemo tolleret eos de manu illius.* Quid retribuit Imperatori amoris, ille qui ſub ditione ſua poſitus eſt, niſi amorem vehementem, & fortem? Sic amantem non videbis de manu Domini cadentem, de manu inquam, quæ ſub ſua poteſtate omnia continet.

Amoris regnũ in poteſtate Ieſu.

D. Hier.

Qui adhærẽt dilectioni Ieſu, nemo tollet eos de manu ſua.

2. Sed ſubtilior eſt Ruperti conceptus, nam in Habacuc modus loquendi videtur immutatus, nam ſi apud ipſum cornua ſunt Crucis extima, extrema Crucis non ſunt in manibus, ſed manus in Crucis extremis; nodum difficultatis proponit, & ſoluit acutè his verbis: *Cornibus ſiue brachiis patibuli confixæ fuerunt manus eius, alioquin magis proprie dixiſſet, manus eius in cornibus: ſicut non ſic dicere ſolemus, Crux in Chriſto, ſed Chriſtus in Cruce fixus. Quaſi diceret propter confixionem, qua Cruci confixus omnis poteſtas, ſiue omne regnum, quod per cornu ſignificari ſolet, datum eſt in manu eius.* Cum manus tradidit Cruci ſuffigendas ſaluator, omnia diademata, & regna in eis Pater cõſtituit: tunc omnia dedit ei Pater in manus. Poſuit etiam in manibus dilectionem robuſtam, vt amor in acquirenda hæreditate vires oſtenderet, in ſubiiciendis imperiis terrarum, in colligendis amatoribus, qui charitatis ornarentur, & gauderent inſignibus. Hæc ad declarandas amoris vires, & ornanda verba illa: *Omnia dedit ei pater in manus*, dicta ſint. Nunc de ea, quam in tempora exercet poteſtate diſcurſus attexitur.

Cur Habacuc cornua in manibus, & non manus in cornibus eſſe, canat.

Rupert.

Manibus Cruci affixis omnis poteſtas, & regnũ donatum.

3. In veſtimenti Sacerdotalis ornatu eminebat ſuperhumerale, & longè lateque pretioſi eius lapilli refulgebant, de quibus Exod. capite 28. verſ. 9. dicitur: *Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum.* Septuaginta legunt: *Et ſumes duos lapides ſmaragdi.* Et ſmaragdos nuncupat Philo Hebræus lib. [illegible]. de vita Moyſi: *In ſummis humeris inſerti erant duo ſmaragdi pretioſiſſimi.* Exponitque ſuperhumeralis, ſmaragdique ænigma, his verbis: *Duobus ſmaragdis rotundis humeralibus, quos quidam exiſtimant typos ſolis, lunæque, alterius diurni, alterius nocturni ſyderis. Sed propius ad veritatẽ accedit per hos deſignari duo hemiſphæria. Atteſtatur & color: ſmaragdo enim aſpectus totius cæli eſt ſimilis. Vnde factum eſt, vt gemma vtraque ſculperetur ſex nominibus: quia vtrumque hemiſphærium diuiſo ſignifero circulo, ſex ſigna complectitur.* Nec diſſentit Clemens Alexand. ſed dum mutuat verba ex Philone, diuinorum ænigmatum ſenſum aperit lib. 5. ſtromatum dicens: *Iam vero pectorale quidem conſtat, & ex ſuperhumerali, quod eſt ſymbolum operis, & ex rationali: hoc autem ſignificat rationem, & eſt imago cæli, quod verbo, ſeu ratione factum eſt, & ſubiicitur omnium capiti Chriſto, vt quod ſimiliter, & eodem modo mouetur. Lucidè vero ſmaragdi gemmæ quæ ſunt ſuperhumerale ſignificant ſolem, & lunam, quæ ſunt adiutores naturæ.* Duo hemiſphæria Ieſu obtemperant, curſus ſolis, lunæ, aſtrorum errantium, cœlorum velociſſimi motus, ex quibus temporum varietas oritur, ipſi ſubiiciũtur, in humeris ea tenet, ſuaque ſtatuit poteſtate, ad ipſius arbitrium, & imperium immutantur.

In humeris ſummi ſacerdotis nitebãt duo ſmaragdi.

Lect. LXX.

Philo Iud.

Duo ſmaragdi Solem, & Lunam, aut duo hemiſphæria denotant.

Clem. Alex.

Rationale cœlum inſinuat verbo, & ratione factum, & Chriſto ſubiectum.

Cæleſtia omnia Ieſu obtemperant.

4. Cum Sol diuinus in lectulo Crucis occumberet, geminata cœli lampas obſcurata eſt. Matth. capite 27. verſ. 45. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Duo illi cœlorum oculi velantur, ne Dominum patientem, & horrendum Iudæorum ſcelus videant. Duæ luminis ſcaturigines tenebris inuoluũtur mœrentes Creatoris ſui interitum. Pullâ, & funebri veſte induuntur, vt morti, & funeri ſaluatoris iuſta ſoluant. Per retractationem luminis, & per eclipſim obtenebratio iſta facta eſt, in eaque prodigiorum concurſus factus, quibus Sol, & Luna Creatori præſtiterunt obſequium. Ea enumerat eximius tum Theologus, tum Philoſophus Angelici Doctoris Præceptor Albertus Magnus ad prædicta Matthæi verba ſcribens, & referens Sanctum Dionyſium: *A ſexta autem hora, quod eſt per tres horas, quandiu eclipſis naturalis non durat. Et dicit quod facta fuit, cum Luna iam deeſſet, hoc eſt cum eſſet quintadecima, quando nulla poteſt eſſe naturalis eclipſis, quia illa non fit niſi in coniunctione luminariũ. Quod Luna tantum in tribus horis mouebatur, quantum in triginta diebus moueri debuit. Quod per eandem portionem circuli ad Solem acceſſit, & receſſit. Quod obſcuritas Solis à parte Orientis incepit: & ex parte Occidentis incepit reilluminari. Quorum quodlibet magis fuit impoſſibile ſecundum aſtrorum curſum, quàm ipſa eclipſis.* In hac aeris obtenebratione tria euenerunt miracula; primum: quod Luna plena ſe Soli ſuppoſuit, eclipſis autem perficitur, cum Luna eſt in diminutione, & in curſu cum Sole coit, non in plenitudine, dum maiori diſtantia à Sole ſeiungitur. Secundum; quod Luna maximè diſtans à Sole magna celeritate retroacta, ſolique obiecta trium horarum ſpatio, triginta dierum curſum expleuit accedens & recedens. Tertium: Luna in eclipſi ab Occidenti occurrit Soli, hic verò Solem obſcurauit ab Orientali ſitu. Quibus omnibus perſpicuè oſtenditur, quanta Sol, Luna, cœlorum motus, & tempus, patienti, & morienti in ligno præſtiterint obſequia.

Cum Ieſus occumbit, Sol, & Luna obtenebantur.

Prodigiorum concurſus factus in eclipſi mortis ſaluatoris.

Albert. Mag.

Primum prodigium duratio trium horarum.

Secundum prodigium: eclipſis facta in Luna plenitudine.

Tertiũ prodigium quod Luna tribus horis curſum peregit triginta dierum.

Quartũ prodigium quod Luna per eandem lineam acceſſit, & receſſit.

Quintũ prodigium quod Sol obſcuratur ex parte [illegible] orientis & illuminatur ab occidente.

5. Tempus moriendi, mortémque ipſam ſuo ſubegit imperio. Mortuus eſt, quando voluit, & quomodo voluit. Quod quidem illuſtri typo adumbratum eſt Deuteronomij capite 21. in quo lex ſancitur de inquirendo occiſore, & perſcrutando homicidio; cum fuerit

Lex homicidij perſcrutandi.

humanum

humanum cadauer in agro repertum, hic tenor eſt legis: *Quando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, hominis cadauer occiſi, & ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, & Iudices tui, & metientur à loco cadaueris, ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum: & quam viciniorem cæteris eſſe perſpexerint, &c.* Et verſ. 5. *Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabúntque manus ſuas ſuper vitulam, quæ in valle percuſſa eſt, & dicent: manus noſtra non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt.* Hunc locum Chriſto occiſo, & Iudæis occiſoribus egregiè adaptat ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Glaphyrorum ſcribens: *Vulneratus propter nos eſt Emmanuel, viſus eſt pati in terra Iudæorum, & extra portas Ieruſalem. Atqui ignorarunt, quem percuſſerint.*

D. Cyrill.
Iudæi immunes ſe eſſe dicunt occiſionis Chriſti.

Quare ergo Iudæi huius occiſionis expertes, ſceleris immunes ſe iactant, & humanæ ſalutis vindicem ignoraſſe confingunt illis verbis: *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt?* Cum circundantes pendentem in patibulo blaſphemarent, & cernerent de vulneribus fluere purpurei laticis vndas, corpúſque vibicibus liuidum ſuo cruore ſuffuſum? Vbi eſt ergo verbum illud: *Nec oculi viderunt?* Quæſtionem eleganter diſſoluit idem Alexand. Antiſtes ſuprà: *Quare ergo aſſerit lex, quod ignorarint, quem percuſſerint? Putabant Iudæorum Principes, quique eorum impijs concilijs communicabant quod viciſſent Chriſtum etiam inuitum, & ſibi ipſis hanc rem adſcribentes, gaudebant quidem tanquam victores, cæterum ignorabant quod volens paſſus eſſet, & Patris in hoc obediens voluntati, ſemetipſum tradiderit pro nobis.* Inuictum ſuperare exiſtimarunt Phariſæi cum populum, & vulgus ad clamitandam Chriſti necem cogunt, ſuáque vrentes tyrannide, virum iuſtum flagellis, & patibulo tradiderũt; ſed nihil in eo ſæuitum foret, niſi data à Domino poteſtate, ipſa deſuper eis data iudicandi, & damnandi potentia, vulnerari permiſit. Facta ſunt omnia non iuxta cupiditatem occiſoris, ſed iuxta arbitrium occiſi. Ipſe ſolus temporis, & mortis tenebat imperium.

D. Cyrill. Alexand.
Iudæorum principes exiſtimarunt Ieſum pati inuitum, & non voluntariè.

6. Quod non obſcure indicat Euangeliſta Matthæus cap. 27. verſ. 50. *Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.* His verbis ſatis oſtendit non violenter, ſed voluntariè vitam terminaſſe. Hocque annotauit ſanctus Auguſtinus libro 4. de Trinitate, capite 13. dicens: *Ea eſt pœna in morte corporis, vt ſpiritus, quia volens deſeruit Deum, deſerat corpus inuitus. Demonſtrauit ſpiritus mediatoris, quàm nulla pœna peccati vſque ad mortem carnis acceſſerit, quia non eam deſeruit inuitus, ſed quia, quando voluit, quomodo voluit.* Quapropter tam feſtina mors poſt magnam vociferationem miraculoſa fuit; etenim in extremo certamine mortis conſtituti, prius amittunt vocem, & ſenſum, & poſt longam diſceptationem & vexati temporis luctam, anima è corpore diſſoluitur. Vnde Auguſt. ſubiungit: *Longa enim morte cruciabantur ligno ſuſpenſi: ille autem, quia mortuus inuentus eſt, miraculo fuit.* Cum non eſſet hæc mors ſtipendium proprij peccati, ſed pignus amoris, non iuxta vſuariam morientium exactionem animam ſoluit, vitam profundit, auertit mortis imperium, & ipſi imperitat morti è vita diſcedens: *Quando voluit, quomodo voluit.* Vt cernas quomodo amanti Ieſu in ligno ſuffixo mors, tempora etiam *miraculoſe obſecundent.*

D. Auguſt.
Mors Chriſti voluntaria.

Breui tẽpore vitam finit Ieſus in Cruce ſuſpenſus.

EXPOSITIO IV.

Verbum illud Mons *exornatur.*

PERPENDIMVS verba illa: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus.* Nunc de monte nonnihil dicendum. Et iuxta aliquas ex multis rationibus propter quas notauimus in Commentario literæ, Chriſtum Dominum nuncupari *montem*, ſtatuenda montis Ieſu inſignia, & diſcurſus inſtituendi. Eſt enim Ieſus mons *pulcritudinis*, mons *Tutaminis*, mons *Sapientiæ*, mons *Illuminationis*, mons *Speculationis*. Hæc omnia decora ſequentes diſcurſus manifeſtant.

Montis Ieſu inſignia.

Ieſus: *Mons pulcritudinis.*

DISCVRSVS I.

Ex pulcherrimo Ieſu quid niſi indulgentia, & vita permanet? Cuius decor barbaras gentes ineſcauit, & duriora pectora illexit.

1. APVD Ieremiam Ieſus mons pulcritudinis nuncupatur cap. 31. verſ. 23. vbi poſt ea verba: *Femina circumdabit virum*, ſubiungit: *Benedicat tibi Dominus pulcritudo iuſtitiæ mons ſanctus.* Quid enim ex ſancto, & amœno monte niſi benedictionis gratia germinaret? Subtilis eſt Regius Pſaltes cum à Domino criminis ſui miſerationem expoſtulat Pſalm. 50. verſ. 11. *Auerte faciem tuam à peccatis meis:* Non dixit: *Auerte faciem tuam à me.* Ne clemens Domini vultus aliò diuertens oculos, pietatis lumine, & miſerationis gratia orbatum relinquat, ſed auertat à ſceleribus faciem, vt in ipſo obtutum clementiæ defigat, quid enim ex decora Domini facie, niſi bonum opus abſolutionis expectet? Pulcre ſanctus Ambroſius tenens mentem pœnitentis Regis, inquit: *Ideo bene agit, vt faciem ſuam auertat, non ab ipſo, ne deficiat deſtitutus: ſed à peccatis, vt vires non poſſint habere peccata ipſius. Quos enim aſpicit Dominus, illuminat, & in vultu Domini pietas atque indulgentia eſt. Ideoque hic ipſe ait: de vultu tuo iudicium meum prodeat. De vultu enim Domini venia, non pœna procedit.* Geminata illa Ambroſiaci oris ſententia intimis recondenda præcordijs, & in cordis tabula literis aureis exaranda: *In vultu Domini pietas, atque indulgentia eſt. De vultu Domini venia non pœna procedit.* Si iuxta tritum prologuium facies liberalis magnis facinoribus præſtat ſuffragium: Et, ex inſigni forma prodeunt egregia facta: quid præſtolandum ex venuſto Ieſu ore, quo nihil præſtabilius, nihil pulcrius, niſi criminum relaxatio, & æternæ hereditatis pignus? Ne reſpicias peccata mea, ô Domine Ieſu, nec delicta iuuentutis memineris, ſed reſpice in me, & miſerere mei. Si intueris, illuminor, ſi reſpicis, lapſus ſtabo, ſi in peccatorem obtutum figis, contineri non potes, quin per oculos viſcera pietatis effluant.

Ieſus pulcritudo iuſtitiæ, mons ſanctus.

De vultu Domini omnia bona promanant.
D. Ambr.

De vultu Domini procedit venia, & pietas.

Adde

Ieſus roſa, & lilium cur dicatur?

2. Adde tibi maiora. Ex ſpecie Ieſu vitæ radius niter, & effulget reſurrectionis gratia. Ipſe ſponſus aſſimilat ſe flori, & candenti lilio, in quibus vernat decoris forma. Cantic. cap. 2. verſ. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Arridet valde Hebraïca verſio: *Ego ſum roſa Saron, & lilium gaudens vallibus.* Sed cur ſe gaudeat vocitari roſa ſponſus, paucis dabo: eſt enim amatorius flos propter formoſitatem. Vnde Philoſtratus in epiſtolis amatoriis eas nuncupat *Telluris oculos. Etenim ſunt aſpectu pulcra: igneus eſt illis vigor.* Ideò Ieſus cœli, terræque roſa vocitari gaudet. Propter delicias, & venuſtatem, & igneum amoris diuini ſpiramen, ſed ſolus Ieſus roſa eſt *Saron, id eſt ſaturitatis* (inquit Vatablus) *quemadmodum Deus dicitur Sadai, copia omnium bonorum.* Terrenæ roſæ licet ad tempus impinguẽt affectum, & iucunda venuſtate exhilarent viſum; faſtidium ingenerant, animúmque vacuum relinquunt; folia ſpeciei, aut copiis vernantia cum tempore diffluunt, ſpinæque aculeus nimis tenaci morſu corda pungit. Solus Ieſus ſine ſpinis roſa vbertatem, & ſatietatem veram infert animo. Eſt enim in pulcherrimo flore Ieſu diuitiarum vbertas, & bonorum omnium copia. Sed *cur lilium conuallium, ſeu gaudens vallibus?* Quia cum eſſet in montis, & paradiſi Dei cæleſti faſtigio, ad hæc terrena deſcendit, humanitate velut lilij candore vernans, in inferiores partes terræ ſeſe demiſit, dans corpus ſepulcro, animum lymbo, vt illud corporibus immortalitatem, iſte animabus vitæ æternæ odorem infunderet, hæc beatitas de Ieſu decore venit. Mens Theodoreti hæc eſt in Cantica ſcribentis: *Humanam pulcritudinem meam (nam Deum nemo vidit vnquam) aſpexiſti. Ego enim flos campi factus ſum, hoc eſt, terrenum corpus aſſumpſi. Et cum aeternus, & excelſus, imo vero immenſus eſſem, lilium factus ſum non montium, neque collium, neque camporum ſimpliciter, ſed conuallium. Non enim viuentibus modo ſalutem, ſed mortuis reſurrectionem nuntiauit, deſcendens in inferiores partes terræ, vt impleret omnia. Idcirco ſe campi florem appellat, & lilium conuallium, id eſt mortuorum, quibus à morte in vitam reditum, & promiſit, & præſtitit.* Itaque hic flos ſpeciei ſua ſalutem intulit mundo, dum non modo viuentibus, ſed vita defunctis felicitatem, & gloriam detulit.

Lect. Hebr. — Philoſtr. — *Roſa amatorius flos.* — Vatabl. — *Ieſus roſa ſaturitatis.* — *Ieſus lilium appellatur conuallium quia mortuis vitam & immortalitatem præſtat.* — Theodor.

3. Quàm incredibili voluptate ſenſus demulceat, & animum pelliciat venuſtas, teſtis eſt ſanctus Auguſtin. libro 4. confeſſ. cap. 13. dicens: *Non amamus aliquid niſi pulcrum. Quid eſt ergo pulcrum? Et quid eſt pulcritudo? Quid eſt quod nos allicit, & conciliat rebus, quas amamus? Niſi enim eſſet in eis decus, & ſpecies, nullo modo nos ad ſe mouerent.* Iure ergo nos allectat, & attrahit mirabilis Ieſu decor: eique affectuum, & voluntatum arma ſubmittimus. At quàm eximia fuerit Ieſu ſpecies, ſcribit Rupertus Abbas ad ea verba Canticorum capite 1. verſ. 5. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,* dicens: eſſe verba Deiparæ vnigenitum alloquentis: *Dicis mihi, ecce tu pulcra es. Et egó dico tibi, ecce tu pulcher es: ex quo ego pulcra facta ſum, ex eo tu, qui ſemper pulcher fuiſti, pulcrior factus es. Nam verè in eo pulcritudinem tuam adauxiſti, quod cum Deus eſſes, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher, & decorus, ita pulcher, vt ſis ipſa ſubſtantia pulcritudinis: ita decorus, vt ſis ipſum decus humani generis.* Ad decoris augmentum humanitatem induit, pulcherrimus apparuit inter filios hominum, vt ſuauius voluntates alliceret.

D. Auguſt. — *Pulcritudo hominem ad ſe allicit.* — Rupert. — *Ieſu venuſtas eximia, ex Deitate, & humanitate compacta.* — *Maria, Ieſu ſpeciem prædicat.*

P. A. Luc. de Arzones in Iſaiam.

4. De primo Chriſti aduentu vaticinatur Regius Pſaltes Pſalm. 49. verſ. 3. *Ex Sion ſpecies decoris eius. Deus manifeſtè veniet.* Hebraicè eſt: *De Sion conſummata pulcritudinis, Deus illuſtris emicabit.* Quid inde? Ex conſummata pulcritudine, & pulcherrima Ieſu forma. Prædixit Vates verſ. 1. *Et vocauit terram.* Gentium vocatio, illuminatio, attractio. Pulcrè Carthuſiæ decus ſanctus Bruno in præfata verba Pſalmi inquit: *Species decoris eius filij procedet ex Sion, id eſt, ipſe ſpecioſus in innocentia, & decorus in omnibus virtutibus naſcetur ex plebe Iudaica, quæ deſignatur per Sion, quæ turris eſt in Iudæa. Dico quod vocabit omnem terram: & ſpecies decoris eius Dei, id eſt, prædicatores eius ſpecioſi in innocentia, & decori in virtutibus procedent ex populo Iudaico.* Cernis quanta bonorum germina ex Ieſu ſpecie pullulent? Salus gentium, conuerſio Apoſtolorum, ſpolia, & triumphus ſunt pulcritudinis Chriſti. Species, & decor eius magnes extitit, qui mirabili virtute corda ferrea attraxit. Subiungit Vates vim, & robur pulcritudinis, vt excitet amoris flammas verſ. 3. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet.* Etenim formoſitas eructat incendia, & iaculatur flammas, iaculiſque charitatis acutis oculos ferit. Quis ambigit, quod ad conſpectum Ieſu ignis exardeſcit. Adhuc acutus, & elegans eſt ſanctus Bruno: *Ignis in conſpectu eius exardeſcet* (inquit) *id eſt, feruor dilectionis augmentabitur ad modum ignis exardeſcentis in conſpicientibus eum ſpeciali aſpectu.* Siue reſpiciat Ieſus, ſiue reſpiciatur ex tali aſpectu ignis amoris reſultat.

Conſũmata pulcritudo Ieſu gentes vocat. — Lect. Hebr. — D. Bruno. — *Ex aſpectu Ieſu flamma amoris excitatur.* — D. Bruno.

5. Do tibi Apoſtolos laqueis amoris irretitos, telis ſauciatos ex aſpectu Ieſu pulcherrimo. Deſcribam quantos Ieſu oculorum lumina, de Apoſtolis erexerint triumphos. Marci capite 1. verſ. 16. *Præteriens Ieſus mare Galilææ vidit Simonem, & Andream fratrem eius mittentes retia in mare (erant enim piſcatores) & dixit eis Ieſus: venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Et protinus relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et progreſſus inde puſillum vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipſos componentes retia in naui: & ſtatim vocauit illos: & relicto Patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſecuti ſunt eum.* Quæ omnia facinora Euãgeliſta attribuit Ieſu pulcro aſpectui. Nec immerito diceret quiſpiam, numquid inſanitis? Vbi mens? vbi acumen ingenij? Vt ad hominis pauperis conſpectum, & imperium, aue dicatis parenti dilecto; rete, nauigium, piſcatoriæ artis delicias, & quæſtus ſtatim linquitis? Sed occurrit Diuus Chryſoſtomus homilia 4. in Marcum dicens: *Dicat aliquis: temeraria fides eſt, etenim quid ſigni viderant, quid maieſtatis aſpexerant, vt vocarentur, & ſtatim ſequerentur eum: Sanè his oſtenditur nobis, quod oculi quoque ipſius Ieſu, & vultus diuinum quoddam ſpirabant, & ad ſe contuentium oculos facile conuertebant, alioquin nunquam dicente Ieſu: ſequimini me, ſequuti fuiſſent eum: nam ſi ſequuti fuiſſent ſine cauſa, non tam fides erat, quam temeritas.* Felices oculi, qui ſolo intuitu vincunt, beati peccatorum, & Apoſtolorum animi vel ſolo oculorum ictu percuſſi, deuicti. Si ad conſpectum eius montes ſic fluunt, non fluent, & diffluent corda? *Oculi ipſius Ieſu, & vultus diuinum quiddam ſpirabant, & ad ſe contuentium oculos facilè conuertebant.* Potentiſſima armatorum manus oculorum lumina, dum ſpicula amoris, & fulgetra iaculantur; inſuperabile bellum, vbi oculus pugnat, vbi pulcritudo debellat.

Triumphi oculorũ Ieſu deſcribũtur. — D. Chryſ. — *Oculi & vultus Ieſu diuinũ quiddam ſpirabant.*

6. Cum Spiritu ſancto afflatus Regius Pſaltes

Y literis

literis exaraſſet diuinam Ieſu ſpeciem, & formam; felicitatem regni, gentiúmque obedientiam ſtatim his carminibus, & fauſtis acclamationibus celebrat Pſalm.44. *Specie tua, & pulcritudine tua intende proſperè, procede, & regna.* Sententiam extulit Tertullianus libro 3. contra Marcionem legens, capite 7. *Potens tempeſtiuitate tua, & pulcritudine tua.* Quaſi omne robur debellandi populos ex pulcritudine manet. Feſtiuitas, & ſpecies Ieſu omnis armatura extitit, gladius, iaculum, ſagitta vt hoſtes expugnet. At Chryſoſtomus in Pſalm. hanc ſententiam cum antecedenti nectit: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime ſpecie tua, & pulcritudine tua.* Ita vt ſit potentiſſimus à pulcritudine, & gladius, quo accingitur, ſit ipſa ſpecies. Talis decor non eget armatura, ferociorem aduerſarium mitificat. Sed audiendus eſt Chryſoſtomus dilucidè vim conceptus exponens: *Quanam eſt hæc mutatio? & quæ verborum tranſlatio? Accingere gladio, deinde huic armaturæ admiſcet pulcritudinem, nunc grauis armaturæ militem ſignificans, nunc vero venuſtum hominem, ac ſpecioſum. Quid ergo commune inter ſe habent arcus, & pulcritudo?* Et pulcherrimè reſpondet poſt plura: *Cùm dixiſſet: cinge te gladio, ſubiunxit, ſpecie tua, & pulcritudine tua: hoc eſt gladius ſpecies eius, pulcritudo, authoritas, gloria, maieſtas, & magnificentia.* Pulcritudine, & decore tanquam militum validiori manu, & inuicto iaculo terrarum orbem ſubegit, & aduerſantes legi Dei, in ditionem ſuam redegit.

Ieſu potentia & felicitas à pulcritudine manat. Tertull. — D. Chryſoſt. — *Ieſu armatura, qua gẽtes ſubegit, pulcritudo, & decor.*

7. Eximiis laudibus effert ſapiens diuinæ Sapientiæ decorem. Sapient. cap. 7. verſ. 29. *Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior.* Inueſtigat ſanctus Gregorius Nyſſenus, cur tam accuratè deſcribatur Salomonis calamo ſapientiæ pulcritudo? Et aptam reſponſionem exhibet, vt exacueret paruulorum animos, & ad ſapientiæ cupidines prouocaret. Do tibi illius verba ex homilia 1. in Cantica: *Incipit variam, ac multiplicem deſcribere ſapientiam, & ineffabilis pulcritudinis interpretari ſpeciem, ac decorem: vt non aliqua neceſſitate, & metu, ſed cupiditate, & deſiderio excitetur ad bonorum participationem. Nam deſcriptio pulcritudinis attrahit omnem iuuenum cupiditatem ad id, quod oſtenditur, accendens deſiderium, vt ſit particeps venuſtatis, & elegantiæ.* Spontaneos quærit Sapientia dilectores, ideò pulcritudinem propoſuit, vt homines ineſcaret. Sciebat enim, quàm potens illicium eſſet animorum, perfectæ, & diuinæ pulcritudinis imago. Cæleſtes enim cupidines cordibus ingerit decoris ſimulacrum, eáque excitat, vt inquirant pulcrum, in quo honeſtæ voluptatis, & beatitatis continetur fons.

Cur deſcribitur Sapientiæ pulcritudo à Salomone? D Greg. Nyſſ. — *Elegantia ſua, & venuſtate ſapientia allicit iuuenum cupiditatem.*

8. Adhuc iteratis laudibus ſponſa ſacra celebrat ſponſi venuſtatem. Cantic. cap. 1. verſ. 15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus.* Quaſi ex ſpecie ſponſi, lectuli, & thalami Societas, & floridularum virtutum paradiſus reſultet. Septuaginta legunt: *Cubile, lectus vmbroſus.* Quam verſionem ſequuti tres Patres, Nyſſenus, Nilus, Maximus in Commentario Canticorum apud Theodoretum, ſic fantur: *Tu ſolus iure pulcher dici potes dilecte mi, cuius participatione pulcra ſunt pulcra. Pulcher, inquam, inacceſſa natura pulcritudine. Sic igitur pulcher ad lectum noſtrum vmbroſus, in natura noſtra nimirum, in qua tanquam in lecto quieſcens tu, & Dei Patris lucidiſſimus, & ſine vmbra radius per vmbram aſpiceris, tanquam in imagine exemplar: quoniam & domus noſtra nos, Eccleſia ni-*

Sponſus pulcher, & decorus nuncupatur. Lect. Lxx. Nyſſen. Nil. Max. — *Sponſus pulcher per naturam.* — *In vmbra naturæ noſtræ ſponſus tanquam luciſſimus Dei patris radius pulcherrimus apparuit.*

mirum, quæ in te credit, ſumus. Quaſi credulitas gentium, animarum conuerſio, Eccleſiarum conſtructio, ex pulcritudine, & decore ſponſi exoriantur. Ex quo enim radius, & ſplendor è lumine paterno prognatus, humanitatis pulcherrimæ vmbra temperatus ad nos permeauit, vt eius frueremur intuitu, ſic ſenſum, & animum voluptate permulſit, vt ad tantam ſpeciem venerandam Iudæi, & gentes certatim confluerent.

Ieſus: *Mons tutaminis.*

DISCVRSVS II.

Hominis ſubſidium, vtpote fragile, & caducum temne: ſolus namque Ieſus in omni aduerſitate tutum præſidium, & perfugium.

1. INVESTIGA inter homines terrenos mortalitate indutos, & tandem vexatus inuenies in ſolo Ieſu eſſe tutum refugium. Regius Paſtor innumeris iactatus periculis ſpreuit auxiliares hominum copias, & ſpem ſuam in tuto collocauit: dum Dominantis orbem manu protectus gloriatur: cum protectoris ſui vigiles excubias canit. Pſalm. 120. verſ. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua.* Tali vigili ſomni, & dormitationis inexperto, tali propugnaculo Iſraël ſecurus dormiet periculi, nec furis inſidias, nec hoſtiles incurſus formidabit. Spem, & tutamen tuum in homine collocaſti? licet ſit Pontificiis paludamentis ornatus, aut Regiis clarus infulis, ſi non dormit, dormitabit aliquando, ſui oblitus clientis: infelicitate, & ærumna proſtratum facile deſpiciet. Quis protector, qui nunquam eſt dormitator? Argutè reſpondet ſanctus Auguſtinus in Pſalm. *Forte quæris, quis eſt, qui non dormitabit, neque obdormiet? Et cum quæris inter homines, falleris, nunquam inuenturus es. Noli ergo præſumere de quoquam homine. Omnis homo dormit, & dormitat. Quando dormitat? Cum portat carnem infirmitatis. Quando dormiet? Cum fuerit mortuus. Noli ergo præſumere de homine. Et quis, inquis, cuſtodit me, qui non dormitat, neque dormit? Audi quid ſequitur, Dominus cuſtodit te. Non ergo homo dormitans, & dormiens, ſed Dominus cuſtodit te. Quomodo te cuſtodit? Dominus tegumentum tuum.* Aut iuxta Vulgatum: *Dominus protectio tua.* In ſolo Ieſu inuenies fidum cuſtodem, qui nec dormit, quia non moritur; neque dormitat, cum ſit immortalis, hoc Domini tutamentum dilige, in quem non cadit interitus quem non comprehendit ſceleris vmbra, nec tangit ſomnus, qui eſt mortis imago. Dic fidenter: de homine non præſumam. Spontaneum præſtabo obſequium Domino nunquam morituro.

Deus vigil hominis cuſtos. — D. Auguſt. *Non homo, ſed ſolus Deus eſt, qui nõ dormitat, neq; dormit.* — *Sit protector tuus Dominus nunquã moriturus.*

2. Miror Dauidem prouocatum ad pugnam, & ineuntem cum Goliath ſingulare certamen, prorſus omni armatura exutum decertaſſe. Cur Saulis arma deſpicit? Cur non indutus galea, protectus thorace aheneis horrente ſquamis, aut ocreatus non egreditur ad prælium? Nunquid imminueret triumphi gloriam, aut ancipiti marte dimicaret, ſi parma protectus, gladio accinctus, haſta armatus in campum proſiliret? Volebat Dauid quod

Cur Dauid armis exutus egreditur ad prælium cum Goliath?

Fiducia in victoria non in armis, ſed in Deo ſolo Dauid conſtituit.

quòd in Deum omnipotentem fiducia Philiſthæum detriumpharet. Hinc eſt quod arma militaria depoſuit, ea enim ſi indueret, tantum de confidentia tolleret, quantum de armorum inſtrumentis adderet. Nec diſſentit diuinum affatum, quod ore Dauidico perſonuit. Hoſti appropinquat, cum eòque fatur: *Tu venis ad me cum gladio, haſtâ, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* 1.Reg. cap. 17. verſ. 45. Pulcrè

Abulenſ.

Abulenſis quæſt. 32. ſcribit: *Tu venis ad me cum gladio, haſtâ, & clypeo, id eſt confidens in iſtis armis: ego autem non confido in aliquo genere armaturæ, ideò inermis venio. Abundans enim mihi armatura eſt protectio Dei Iſraël.* Vileſcit apud Dauidem omne armorum genus, quod tam glorioſæ pugnæ poſſit eſſe ſubſidio, cum certam ſibi Dei protectionē repromittit: protectio diuina ei eſt pro haſta, & clypeo, & pro validiori, & inuicta manu.

Arma Dauidis Dei protectio.

Singulare Dei tutamen experitur Dauid cōtra inſidias Saul.

3. Extollit diuinis elogiis Dei tutamen, & ſingularem curam erga Dauid, Pſalm. 17. dum tam egregium expertus eſt ſubſidium in ærumnis, quas excitarunt inſidiæ, & inſectationes Saul; velut amoris Deifici deliciis affluens, & Spiritus ſancti vnguento delibutus; hæc ex ore Regis fluunt verba verſ. 2. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum.* Hebraïca verſio habet ſuum leporem: *Ex intimis viſceribus diligam te ô Domine. Dominus petra mea, propugnaculum meum.* Saluſtis, & effugij fiduciam in nullo collocaui niſi in te. Idcirco vbi auxilium defuit humanum, adfuit diuinum. Nec diſplicet Vatabli ſcholium, quod rem totam comprehendit: *Dominus, (inquit) eſt rupes mea, & arx mea. Rupem Deum appellat metaphora ſumpta à refugio, nam propter hoſtes ſolemus rupes petere. Deum arcem, ſiue propugnaculum appellat, quod fortius rupe eſſe ſolet.* Omne tutamentum, ſingulare refugium, inexpugnabile propugnaculum in ſolo Deo tuo inuenies.

Lect. Hebr.

Deus petra, & propugnaculum Dauidis.

Vatab.

Verſio Hebr. Dominus petra mea, illuſtratur.

4. Verſio illa: *Petra mea,* quam ſequitur ſanctus Hieronymus exacuit mentem ad maius lumen conceptui inferendum. Numquid alludit ad petram deſerti, præbentem dulce poculum populo ſitienti? Non renuo. De ea Paulus 1. Corinth. capite 10. verſ. 4. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Sed cur ſpiritalis petra Ieſus populum ſequebatur? Placet reſponſum acutum, & elegans ſancti Anſelmi ſcribentis: *Sequebatur eos per deſertum petra ſpiritalis, quia vbi deficiebat eis humanum ſuffragium, aderat Chriſtus, qui ideò ſequebatur, vt vbi homo defeciſſet, ille ſubueniret.* In ſiti, in frigore, & nuditate, in calamitatum procellis inueniebant in Ieſu amicum littus, & tutum portum. Vidiſti ſequelam hominum amantis Ieſu, non eos velut obliuioſus derelinquit; periculis hoſtium obiicit, ſed ab eorum latere non recedit, dum premuntur ærumnis, eorum premit veſtigia, & dum ope deſtituuntur humana, in eremo, & ſolitudine hærentes ſalebris, Ieſus auxilium præſtat, manum porrigit. Iure Dauid exclamat: *Dominus petra mea.* Quæ non tantum præbet tutamen, ſed ſolamen, quæ deliciarum riuulos, ſuffragiorum ſcaturigines ſubminiſtrat.

Alludit ad petram deſerti.

D. Anſel.

Petra populū ſequebatur, vt illum protegeret, & à periculis eriperet.

Qui tenet Domini protectionem, nullum habet timorem.

5. Qui manu Domini tegitur nullum hoſtem pertimeſcit, ipſe fit aduerſariis formidandus. De hoc tutamento gloriatur humanum genus, apud Iſaiam cap. 49. verſ. 2. *In pharetra ſua abſcondit me.* Sanctus Ambroſius legit, libro 5. examerom c. 23. *Pharetrâ meâ protexi eum.* Et alludere cenſet Ambroſius ad Thecam in qua phœnix ſe claudit dum reſolutionis, & incinerationis dies inſtat. Do tibi illius verba, quæ ſunt plena conceptibus: *Quis igitur huic annuntiat diem mortis, vt faciat ſibi thecam, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic, vbi odoribus gratis fœtor funeris poſſit aboleri? Fac, & tu homo tibi thecam: expolians veterem hominem cum actibus ſuis, nouum indue theca ſua, vagina hæc Chriſtus eſt, qui te protegat, & abſcondat in die malo. Vis ſcire quia theca, quia protectio eſt? Pharetra, inquit, mea protexi eum.* Chriſtum Ieſum velut ſagittam electam in pharetra, ſeu potentia Patris poſitam prædixit, vt ad homines directa, eorum corda traiiceret, & excitaret ad amorem. Sed in hac theca, quæ Chriſtus eſt iuxta Ambroſij placitum, valida manu iuſtus protegitur. Felix, qui tanto munimine cingitur. Et rectè tutamentum Ieſu pharetram vocat, in qua homo velut ſagitta electa reponitur: *Poſuit me quaſi ſagittam electam.* Talis clauſura diuinæ electionis ſignum præfert, vt dum à Ieſu protegitur, & in ipſo abſconditur iuſtus ad faſciculum electorum ſe attinere gaudeat. Quid plura? De quadam amoris teneritudine venit iſta protectio. Sagitta namque cuſpide pharetram intus tangit, & pennam extra oſtendit, vnde iuſtus dum intra Ieſum tutatus retinetur, amoris cuſpide Ieſus pulſatur, vt ipſum tueatur: tale munimen rependit amor.

D. Ambr.

Deus quaſi theca, & pharetra abſcondit iuſtū.

Iuſtus in theca Chriſti abſconditus quaſi phœnix renouatur.

Cur tutamen quod præſtat Ieſus nuncupatur pharetra.

Signum eſt electæ à Domino ſagittæ. Signum eſt diuini amoris.

6. Rurſus ad examen voca Mediolanenſis Antiſtitis mentem: *Theca tua, vagina tua Chriſtus eſt, qui te protegat, & abſcondat in die malo.* Si Chriſtus theca eſt iuſti, & vagina: ergo iuſtus iaculum, & gladius, quo Ieſus hoſtes debellat, & ſcindit, & aduerſarias poteſtates figit. Magna gratia, & erga hominem eximia beneuolentia: qui ſagitta eſt electa Patris, fit theca, vt abſcondatur; qui eſt gladius ſpiritalis, fit vagina, vt protegatur homo. Omnia propter te Chriſtus reconditorium factus eſt, vt dum ad ipſum fugis, nullus te hoſtis inueniat. Denique, vt phœnicis thecam plenam odoribus ex prima Ambroſij mente illuſtremus, corpora quoque iuſtorum poſt tranſitum de vita mortali Ieſus ſic cuſtodit, vt à cineris iniuria, & corruptionis tabe, multa cuſtodiat corpora Sanctorum, quæ in congerie mortuorum tumulata, nec fœtorem exhalant, ſed ſuauiſſimi, & inſoliti odoris, longè latéque fundunt ſpiramina. De horum quolibet rectè dicitur: *Pharetra mea protexi eum.*

D. Ambr.

Iuſtus in Chriſto velut pharetra abſconditus, iaculum eſt, quo Diabolus ſauciatur.

Sanctorum quorundam corpora, velut in theca plena odoribus incorrupta ſeruātur.

7. De hominis tutamento ſe iactat Ieſus, & gaudet ornari egregiis protectionis inſignibus. Cant. cap. 4. Salomon turrim, & arcem nuncupat inexpugnabilem. Ea namque verba verſus quarti: *Sicut turris Dauid collum tuum:* quæ in commendationem liberalis formæ ſponſæ prædicuntur; Philo Carpathius ſponſo adaptat, dum ſcribit: *Turris Dauid ſponſus poteſt accipi, eo quod ex Dauid ſecundum carnem natus ad genus humanum protegendum huc venerit. Cunctos enim Deus ad ſe confugientes, & ſuam opem implorantes, turris inſtar ab omni malo defendit, & tuetur à Diaboli ſcilicet laqueis, ac dolis, aſſiduóque prælio conſeruat illæſos.* Ad hoc natus eſt, vt hominem tueretur, eſſétque fortiſſima turris hoſtibus inacceſſa, & ſecurum perfugium.

Ieſus turris protectionis.

Philo Carp.

8. Eſt Ieſus clypeus protegens. Inter electos Domini milites ſolus Ioſue iubetur extollere ſcutum, vt Iſraël vrbem Hai expugnet. Ioſue cap. 8. verſ. 18. *Dixit Dominus ad Ioſue: leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai.* Septuaginta legunt: *Dixit Dominus ad Ieſum, extende manum tuam, & extendit Ieſus manum ſuam.* Solus Ieſus manum extendit, & clypeum leuat, ſolus Ieſus ma-

Ieſus clypeus protegens.

num porrigit in aduerſis, confirmat ſtantem, & erigit cadentem. In potentiſſima Ieſu manu inuenies protectionis ſcutum, & hoſtis triumphum; ideò iubetur extollere in altum parmam, aut in conto ſuſpendere, vt amicas acies in ſpem Ieſu erigeret, omnium excitaret animos, & ad intuitum Ieſu protectoris, ſibi certam victoriam repromitterent. Denique dum clypeum leuat, protectionem oſtendit, dum manum protendit, promiſſi tutaminis commendat fidem. Forte ad iſtam impenetrabilem peltam alludit Pſalmographus Pſalm. 17. verſ. 3. dum inquit: *Deus meus protector meus.*

D. Hier. Euthym.

Sanctus Hieronymus legit: *Scutum meum.* Vim comparationis expendens Euthymius ſcribit: *Qui in bello protectionem ſuam ad defenſionem meam poſuit. Solent enim, qui in bello alicui periclitanti opem ferre volunt, clypeum attollere ante eum, quem defendunt; quò ictus, & iacula ab eo vndique auertant: & hoc pacto protegere quis alium dicitur.*

Protector in bello clypeum extollit vt à iaculis amicum protegat.

Nec ſcribere verba grauabor, quibus illuſtrat priorem Dauidis affectum: *Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum.* Sunt enim præclara: *Deus meus* (inquit) *ſolus eſt, qui ſemper mihi opem ferat: atque ideò in eo ſolo ſpem ponam, non formidans, quæ mihi contingere poſſunt: neque etiam de ſalute deſperans.*

Qui ſpem in Deo collocat, nihil formidat.

Euthym.

Hæc Euthymius: ingruentis belli diſcrimina ne formida, Ieſus extendit manum, & ſcutum, vt vexatum circundet, & hoſtiles ictus retundat. Felix, & ſecurum munimen! in eo ſolum fiduciæ anchoram figo, qui ſemper mihi opitulatur, qui confirmat noſtram imbecilitatem, ne quid per aduerſarium noceatur.

Ieſus colũna, & nubes protectionis.

9. Apud Iſraëlitas in ſolitudine vexatos ærumnis, & timore perculſos ſuauiſſimi alloquij præbebat columna oraculum, & mœroris lenimentum. Pſalm. 98. verſ. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Sed quis loquebatur? Et quæ columna nubis extitit? Nonne nubes ab æſtu refrigerat, & à ſolis ardore defendit? Vbi nubem, & columnam protegentem auſcultas, Ieſum intellige. Non diſſentit Carthuſianorum decus, & Patriarcha ſanctus Bruno, dum in præſenti carmine ſcribit: *Per columnam nubis Chriſti humanitas præſignabatur, quæ nobis ab incentiuis vitiorum refrigerium contulit, per quam nobis diuinitas locuta eſſe creditur, Apoſtolo dicente: multifariè, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè locutus eſt nobis in Filio. Conuenienter etiam humanitas columna dicitur, eo quod ad modum columnæ firmiſſimum ſit fidei noſtræ ſuſtentaculum.*

D. Bonau.

Ieſus fidei noſtræ ſuſtentaculum.

Vitæ, incolumitatis, morum, fideique noſtræ firmiſſimum eſt præſidium. Ipſe Ieſus fidei eſt Catholicæ columna, quæ aduerſus inferi portas, & lucifugos tricones eam fulcit, & protegit; ne formides ruinam in fide, quæ Chriſti Ieſu columnæ, & ſtabilimento nititur, aduerſus hæreticorum motus, & tumultus immobilis, & inconcuſſa permanet.

Aula Pharaonis vitijs plena.

10. Subiit Abraham honoris, & vitæ præſentiſſimum diſcrimen, cum imperio Domini obſecundans Ægyptum ingreditur. Peregrinus Saræ decor, & liberalis gratia formæ omnium oculos allectauit, eiúſque fama pulcritudinis per aulicos tumultus ad Pharaonis aures peruaſit, (ad omne namque murmur mollitiei, & luxus erant aulicorum, & Regis aures patulæ.) Sara re vxor, nomine Soror ſuffuratur marito, & Pharaonis imperio in regiam defertur. Geneſ. cap. 12. verſ. 14. *Cùm itaque ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quod eſſet pulcra nimis. Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.* Aſſentatores fiunt criminum magiſtri, dum Regis luxui ſuffragium præſtant, ſcelerum internuntij. Sed dum Abraham anxiè commendat vxorem protegenti ſe in omni diſcrimine diuini numinis dextræ; Deus Saræ proſpexit pudori: inter aquilinos vngues, & molas leonum, & lupi rabiem intacta columba, indemnis ouicula cuſtoditur: nec decus Abrahæ patitur diſpendium, maiori cum honorificentia marito redditur, tanto gratior, & ſpecioſior, quanto inter pericula honeſtas, & pudor amplius nitent.

Abraha, & Sara decus à Deo protegitur.

Sed quantum expertus eſt in hoc euentu diuinum tutamen? ſanctus Ambroſius annotat libro 1. de Abraham, capite 2. *Pulcherrimus* (inquit) *eſt hic locus ad incitandum ſtudium deuotionis, quod is, qui Deum ſequitur; tutus ſemper eſt.* Hæc ille. Honos Abrahæ, Saræ pudicitia, in Deo tutum præſidium inueniunt.

D. Ambr.

Ieſus: *Mons Sapientiæ.*

Discvrsvs III.

Qui ad Ieſu montem, & ſocio Ieſu aſcendit, limpidiſſimum fontanæ Sapientiæ poculum haurit.

1. Scando libenter ad montem, in quo ſapientiæ ſcaturigo eſt; vt ebibam, & lauer ſacris lymphis; & licet non merear ingurgitari torrente; ſaltem guttulis, & ſtillicidiis irrorer. Sterilem, infœcundum Deum Patrem vocare auſus eſt Arrianus, & non puduit auferre Deo fontis ſapientiæ inſignia. Redarguit Hæreticum, clarum Eccleſiæ iubar Athanaſius libro 2. contra Arrianos, eiúſque explodit abſurda, Patris, & Filij proſpiciens decori, aduerſarium euertit, & tranſfodit iaculo, quod ex Baruc Prophetæ armamentario depromit, cap. 3. verſ. 12. Cum Iſraële fatur: *Dereliquiſti fontem ſapientiæ.* Fontem ſapientiæ eſſe Patrem, & Filium, inquit Athanaſius, & his verbis Arrianos refellit: *Qui igitur non nefaria loquatur is, qui dicit, fuit, quando non erat Filius? Siquidem hoc idem eſt dictum, fuit, quando ipſe fons aridus erat ſine ſapientia, ac vita: quod autem tale eſt fons eſſe non poterit. Quod etenim ex ſe ſcatebras non gignit, fons appellari minimè debet.*

Deum nuncupat infœcundum Arrianus.

Baruc Prophet.

Pater fons ſapientiæ æternus.

D. Athan.

Et paucis interiectis: *Illi Deum ſapientiæ fontem & re, & nomine ſterilem, aut deſtitutum fuiſſe aliquando ſua ſapientia, calumnijs non reuerentur diffamare. Sed vanum hoc, falſumque, quod dicunt, quum ipſa veritas atteſtetur, Deum æternum, perennémque fontem eſſe ſuæ ſapientiæ. Æternus autem cum fons ſit, neceſſum eſt & ſapientiam æternam eſſe, in ea enim omnia ſunt facta.* Affirmabat Arrianus Filium creatum, & tempore genitum; creatorem, & æternum negabat. Non ergo erit Pater ſapientiæ fons, ſiquidem ab æterno ſcaturigines ſapientiæ Filio non communicat, ſed erit fons ſterilis, aridus ſine fluentis. Non ſolus Pater, ſed Filius quoque æternus eſt fons ſapientiæ, fons, qui procedit à fonte, fons ſapientiæ ab eo, qui eſt principium, & ſcaturigo Filij, cum ipſe ſit fons, qui à nemine ſcaturiat. Sed ſi fons Filij à Patre non flueret, fons Patris ſterileſceret: Pater ipſe fons ſapientiæ genitæ, ex Filio nuncupatur.

2. Poſtquam vorax ignis filios Aaron Nadab, & Abiud conſumpſit, & ſacrilegium expiauit; Moyſes alteros

alteros Aaron filios Eleazar,& Thamar ſacrificiorum ceremonialibus inſtruit. Leuit. cap.10. v.12. *Loquutúſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar,& Thamar filios eius,qui erant reſidui: tollite ſacrificium, quod remanſit de oblatione Domini ,& comedite illud abſque fermento iuxta altare.* Iſychius Ieroſolymorum Epiſcopus dum hunc locum ſublimi quadam contemplatione perſcrutatur , ad ſenſum diuiniorem de Deo,& Theologia transfert, aſſerit tortam panis , ſeu vt Aquila tranſtulit: *Donum quod reliquum eſt,de frumento,* eſſe Theologiam ſacram,quæ quidem comeditur , ſeu addiſcitur iuxta Ieſum, quem altare ipſum præ ſe ferebat. Hæc ſunt verba Iſychij plena acumine: *Vbique doctrinam Theologiæ hanc ,ſignificat ſacrificium ſimile ſine fermento eſſe, quantum ad exteriorem doctrinam volens : ſimiliter etiam oſtendens , quia participalis quadam apud nos eſt Theologia: in cœlis quippe eius eſt plenitudo. Propter quod hoc,quod remanſit,id eſt,hoc quod ſupereſt, comedi præcepit, vt oſtendat ſummam apud eum eſſe,atq; ſeruari.Oportet comedi iuxta altare, id eſt, Chriſti corpus, ex eo enim nobis Theologia omnis miniſtratur.* Et ſubiungit : *Theologiam quippe ſtudere , non omnium eſt, ſed ſublimium,& appropinquantium Domino,atq; eorum,qui ſequuntur Chriſtum.* Eſt in cœleſti aula,& manſione , ſacræ Theologiæ diſciplina,quæ à Deo ipſo præceptore confertur; ſed eſt in terris illius diuinæ ſapientiæ participatio ; ibi gloria Domini reuelata facie videtur, hic fidei velamine , & caligine agnoſcitur.Ibi Dei ſcientia intuitiua,profunda Domini Creatoris , & Redemptoris arcana rimatur ; hic ſcientia Dei lucernæ lucentis in caliginoſo loco directa fulgoribus, myſteria diuinitatis imperfectè diſcernit.Sed vtriuſque Theologiæ, inchoatæ, & conſummatæ magiſterium penes Ieſum præceptorem eſt;ipſe enim eſt vtriuſque Lycæi beatorum, & viatorum rector, & doctor. Optimè aiebat Iſychius : *Ex eo enim nobis Theologia omnis miniſtratur.* Nec humanarum artium inſtitutio , nec Theologiæ documenta , & eruditio vlla ſine Ieſu:*Sed Theologiam ſtudere, non omnium eſt,ſed ſublimium , & appropinquantium Domino , atque eorum,qui ſequuntur Chriſtum.* Subiungit idem Ieroſolymæ Antiſtes: montem ſcande , ſectare Chriſtum , illiúſque vitæ , & paſſionis preme veſtigia; ad ipſum vita,& moribus appropinqua, dum propius acceſſeris affatim effundet tibi ſapientiæ latices,nec inuoluenda ſilentio illa ſententia. *Oportet comedi iuxta altare,id eſt,Chriſti corpus:ex eo enim nobis Theologia omnis miniſtratur.* Nam diuiniſſimum Euchariſtiæ ſacramentum , eſt fons ſapientiæ,& omnis Theologiæ.

Lect.Græc. Aquil.

Torta panis Theologia ſacra.

Iſych.

Participalis Theologia apud homines eſt,in cœlis plenitudo.

Theologia ſumma apud Deum ſeruatur.

Iuxta Chriſti corpus Theologia miniſtratur.

Theologia vacare non omnium eſt, ſed eorum, qui ſequũtur Chriſtum.

3. Vt feſtiuis gaudiis perfrueretur Moyſes, & illuminaretur fulgoribus diuinæ ſapientiæ in mõtem Sinaï aſcendit, in Solis Deifici præſentia , & inſtitutione cõmoratus,ſplendidæ nubis velamento protectus; ieiunus,non famelicus , at ſapientiæ ferculis ſaginatus, quadragenarium dierum explet numerum. Sed nec aſcenſio in montis verticem, nec commoratio ſine ſocio peracta eſt.Aſſignatur Moyſi itineris comes , & collega in domo doctrinæ,Ioſue, & in nubis tentorio cõtubernalis.Exod. c.24.v.12. *Dixit autem Dominus ad Moyſem:aſcende ad me in montem, & eſto ibi,daboque tibi tabulas lapideas, & legem,ac mandata, quæ ſcripſi: vt doceas eos. Surrexerunt Moyſes,& Ioſue miniſter eius:aſcendénſq; Moyſes in montem Dei.* Septuaginta interpretes apertè loquuntur : *Et ſurgens Moyſes, & Ieſus,qui aſtabat ei aſcenderunt in montem Dei.* Si non adſtat, & adeſt Ieſus,nec Moyſes aſcẽdit,nec ſapit. Pulcrè S.Ambr.in Pſ.47.ad ea verba : *Circumdate Sion*,loquitur : *Moyſes ille peritus in omni ſapientia Ægyptiorum,in montem aſcendit, atq; in nubem intrauit , vt operta,& occulta cognoſceret, adhærense ſibi ſocio Ieſu: quia nemo ſine vero Ieſu poteſt incerta ſapientia, & occulta comprehendere. Et ideò in ſpecie Ieſu Naue,veri Saluatoris ſignificabatur affutura præſentia , per quem fierent omnes docibiles Dei,qui legem aperiret,Euangelium reuelaret.*Non teneret Moyſes ſapientiæ apicẽ, nec ſacræ eruditionis magiſterium,& lauream,niſi lateri aſcendentis adhæreret Ieſus,qui eũ doctrinæ cæleſtis ſacris inſtitutionibus imbueret,& legis ænigmata luculẽter aperiret:*Quia nemo ſine vero Ieſu poteſt ſapientia occulta comprehendere.* At ſi Ieſum literaturæ, & ſtudiorum adhibueris ſocium , ducem, conſiliariũ,ille ſuggeret tibi omnia. Ante Ieſu aduentum ſtagnabatur ſapientia ad Abraham , ad Iacob, ad Moyſem, & Prophetas diuinæ legis interpretes; at poſtquam eſt cum hominibus conuerſatus,fiũt omnes docibiles Dei, velut fluuius Dorix, & quaſi trames aquæ immenſæ effudit ſcientiæ flumina, & rigauit Eccleſiæ plantationem.

Moyſes ſimul cum Ieſu in montem doctrina aſcendit.

LXX.

D.Ambr.

Nullus ſine ſocio Ieſu poteſt incerta, & occulta ſapientia cognoſcere.

4. Sapientiæ ſcaturigines Ieſu, in paradiſi fonte cerno adumbratas. De his Geneſ. loquitur c.2.v.6. *Sed fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiẽ terræ.* Et v,10.*Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Origo, & diuiſio fluentorum apud Ieſum.Nec diſſentit S.Bruno tom.3.lib.de laudibus Eccleſ.c.1.dicẽs:*Quid autem quatuor flumina de vno fonte manantia,niſi quatuor Euãgeliſtas de vno Chriſti pectore fidei doctrinam ſuſcipientes intelligamus? His autem fluminibus totus mundus irrigatur,horũ doctrinæ abundantia tota Eccleſia fœcundatur,& ſanatur. Vnde Pſalmiſta ait,fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et ſubiungit:*Fertur autem, quod illa flumina ſuperius nominata tantam ſaporis dulcedinem habebant, vt omnium potionum ſuperent ſuauitatem. Et hanc quidem ſuauitatem non prius amittant , quàm in ea irruentibus fluuÿs vitietur.* Ex primario paradiſi Eccleſiaſtici fonte plures fontes,& flumina ſcaturiunt; ebibũtque ſapientiæ riuulos , Prophetæ,Euangeliſtæ, & Eccleſiæ Doctores, aureos, & argenteos ſapientiæ riuos hauriunt. Iſthæc fluenta tãto maiori perſpicuitate,& limpitudine potabis,quanto perpius acceſſeris ad fontes , in iis enim defæcatiſſima , nec erroris,aut ignorantiæ limo turbãtur. Adaqua animum his fluminibus,& ineffabilem experieris dulcedinem, & omnium potionum ſuauitatem, tanto certius, & felicius,quantò origo horum fluminum beatior, ſcilicet Chriſtus,quàm fons fluentorum è paradiſo manantium.

D Bruno.

Fons paradiſi Chriſtus , de quo quatuor Euangeliſtarũ flumina manant , quibus Eccleſia irrigatur.

D.Bruno.

Fluuiorum paradiſi aquæ magnã habebant ſaporis dulcedinem.

5. Nec mentem Philonis fugit præſens cogitatio. Cum enim de amatoribus ſapiẽtiæ locum Deuteronomij expenderet c.32.v.13.*Vt ſugeret mel de petra,oleũmq; de ſaxo duriſſimo.* Velut anguſtiore quodã ſpiritu afflatus Philoſophus,nobis aperit diuinæ ſapientiæ fontes, & ſcaturigines, earúmque mellitam,& nectaream dulcedinem. Sunt enim argutæ eius ſententiæ , & verba acumine plena ex libro, *quod deterius potiori inſidietur:Petram* (inquit)*ſolidã, & infrangibilem indicans ſapientiam Dei nutricem,baiulam, educatricémque deſiderantium vitam incorruptibilem. Hæc enim tanquam mater eorum, quæ mundo continentur,ex ſe ipſa cibos prabet ſuis fœtibus. Labitur autem diuina ſapientiæ fons nunc leniore fluxu,placidioréque , nunc vehementiore curſu , maioréque impetu.Quando igitur ſenſim deſcendit dulceſcit mellis in morem : quando verò confertim , celeritérque labitur, fit tanquam oleum illuſtrandæ animæ.* Hanc petram

Philo. Iud.

Petra ſolida Dei eſt ſapientia.

Dei ſapientia mel,& oleum

Propheta vocat alibi manna per ſynonymiam antiquiſſimum illud Dei Verbum Vnde fiunt duæ placentulæ cõdita melle altera, altera oleo; id eſt, educationes duæ valde ſimiles, & ſtudio digna, initio dulcedinem inſtillitantes contemplationum, quæ inſunt ſcientijs, mox, & lucem fulgidiſſimam accendentes, in his, qui non faſtidioſe degultant, ſed firmiter conſtanterque retinent ea, quorum tenentur deſiderio Hi ſunt, qui vt dixi aſcendunt ſuper vim terræ. Hucvſque Philo, cuius acutias, quia pulcherrimæ, temperare non potui calamum, quin omnes tranſcriberem. Pulcherrimis inſignibus ornat diuinam ſapientiam, Dei verbum, eam nuncupat matrem, nutricem, baiulam, inconcuſſam petram, menſam opiparis dapibus referiam, denique fontem dulcedinis, & illuſtrationis; fundit enim riuos olei, dum illuminat mentem, & ignorantiæ repellit caliginem; fundit riuos mellis, dum præ ambroſia, & nectare ſapit acquiſitio ſapientiæ. Eſt inſtar mannæ ſapientia Patris, æternúmque ſuum Verbum, quod menſam apparat famelicis in huius deſerti via laborantibus, duabus placentulis ornatam, illius contemplationis ſuauitate, & fulgentiſſimæ lampadis in animo accenſione, vt omnes ſenſus illuſtret. Sed his omnibus perfruuntur, & impinguantur: *Qui aſcendunt ſuper vim terræ.* Neceſſe eſt enim, vt aſcenſiones diſponant ad mõtem, & petram Ieſum, in quo fons eſt, oleum, & mel iugi ſcatebra fundens.

Duæ ſapientiæ placentulæ dulcedo, & illuminatio.

Multa nomẽclatura ſapientiæ.

Aſcendentes ſuper vim terræ.

6. Ad hunc fontem in Domus Eccleſiæ faſtigio conſtitutum, & manantem, inuitat nos Apoſtolorum, & Prophetarum chorus apud Salomonem Prouerb. c. 9. verſ. 3. vbi diuina ſapientia apparata menſa, & inſtructo conuiuio: *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Septuaginta ſeniores aliter hunc locum diſpungunt, & eleuant legentes: *Miſit ſeruos ſuos, conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem*, pro *excelſa prædicatione*, legunt Symmachus, & Theodotio: *Super excelſa ciuitatis.* Et Hebræus habet: *Super alas excelſorum ciuitatis.* In ciuitatis vertice, quæ ſuper montem conſtituta eſt, craterem Chriſtus collocauit, hoc eſt, ſeipſum, vel ſapientiæ diuitias velut fontem, & fluenta, quæ ad homines deriuaret. Sic myſtici crateris ænigma explanat ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 3. ad Timotheum Lectorem, inquiens: *Sermonem craterem, hoc eſt, diuinas Scripturas Dei ſapientia miſcuit, craterem, inquam, non melle, aut lacte, aut vino, ſed doctrina, & philoſophia refertum, diuiniſque gratijs redimitum, qui eos à quibus adhibetur, ad virtutem, ac pietatem hortatur, id nimirum efficiens, vt res terrenas negligant, atque in cæleſtes ſeſe inſinuẽt.* Non ſolas ſcientias, & literaturam ſacram, quæ à Deo promanat, ſed fontem ipſum ſapientiæ, nomine crateris intellige. Eſt enim crater in fontibus peluis, aut labrum, aut ſalientis aquæ receptaculum. Vnde Plinius Iunior, lib. 5. epiſt. ad Apollinarem ait de deliciis Tuſculani turis: *Hic iuxta fonticulus, in hoc crater, circa ſiphunculi plures, qui miſceant iucundiſſimum murmur.* Dum ergo inuitat ſapiens ad craterem, prouocat ad ipſum ſapientiæ fontem, vt per aures Prophetarum, & ſapientum fiſtulas fluentes ſcientiarum aquas ſugant, & potent. Perpende ornatum crateris de Peluſiotæ eloquio adhibitum: *Diuinis gratijs redimitum.* Craterem conuiuæ plenum temperato poculo cingebant ſerto florum.

Crater ſapiẽtiæ in excelſis collocatus.

D. Iſid. Peluſ.

Crater doctrina, & philoſophia refertus.

Plin.

Crater ſapiẽtiæ diuinis gratijs redimitur.

Virgil. 7. Æneid.

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronas.

At diuinæ ſapientiæ crateri non temporaneo, & marceſcenti floſculorum coronamento donatur;

ſed diuinis gratiis redimitur. Fons, qui dum potum præbet vtilem, & iucundum, honoris, & gratiæ applicat tuo vertici coronam.

7. Egreſſa eſt Rebecca virgo pulcherrima ad puteum aquatum ſecum deferens amphoram, vt repleret aquâ, potúmque præberet ſeruo Iſaac, ſitimque reſtingueret totius familiæ. Geneſ. capite 24. verſ. 16. *Deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam.* Iam in virguncula, vt placet Ambroſio, ſignabatur Eccleſia, & in puteo, ſcaturigo fontis æterni, de cuius vbertate ſitim expleret. Do tibi Diui Ambroſij verba, libro de Iſaac capite 1. *Bonus igitur Iſaac verus, vtpote plenus gratiæ, & fons lætitiæ, ad quem fontem veniebat Rebecca, vt impleret hydriam Dicit enim Scriptura, quod deſcendens ad fontem impleuit hydriam, & aſcendit. Deſcendit itaque ad ſapientiæ fontem vel Eccleſia, vel anima, vt totum vas impleret ſuum, & hauriret puræ ſapientiæ diſciplinas. Ad hunc fontem currebat ſitiens anima Prophetarum, ſicut & Dauid dicit: ſitiuit anima mea ad Deum viuum. Vt ſitim ſuam vbertate diuinæ cognitionis expleret.* Sed dum ipſi currunt ad verum Iſaac Ieſum ſapientiæ, & lætitiæ fontem, & de vbertate ſcientiarum animum implent; nos recurramus ad fontes Apoſtolos, Prophetas, Doctores, & ad animarum noſtrarum areolas irrigandas, eorum deducamus riuulos. Vnde Pſalm. 106. verſ. 33. Apoſtoli vocantur non flumina, & tramites aquarum, ſed fontes: *Exitus aquarum in ſitim.* Argutia eſt S. Brunonis hîc dum inquit: *Exitum aquarum, id eſt, Apoſtolos, vt per eorum doctrinam ad fidem adducantur. Dicuntur quidem Apoſtoli exitus aquarum, id eſt, fontes, eo quod ab eorum doctrina cunctorum prædicatorum doctrina deriuetur. Sicut à fontibus riui egrediuntur.* Hæc ille. Dum extollimus ſapientiæ Patres, & ſcientiarum fontes, non ſpernimus filios, in quibus imago Patrum, & imitatio reſplendet; nec contemnimus riuulos de nobili, & non degeneri vena prodeuntes; ſi non turbida, ſed pellucida fluit aqua, ſorbe animo, & poculum exhauri.

D. Ambr.

Verus Iſaac Ieſus fons ſapientiæ, ex quo hauriũtur puræ cognitionis diſciplinæ.

Ad ſapientiæ fontes Apoſtolos, prophetas, Doctores accurrere debet ſapiens.

D. Bruno.

Pellucidi riuuli de fontibus deriuati non contemnendi.

Ieſus: *Mons luminis.*

DISCVRSVS IV.

Ieſu lux, & illuminatio, fortiter attractiuus cordium errantium nexus, & blanda animorum conciliatrix.

1. LVMINIS montem non immeritò Ieſum nuncupo, cum ab eius pyra, & incendio, & magno luminari, Angelici, & humani ſpiritus accendunt faculas amoris, & diuini ſplendoris; ipſáque lux, & pulcherrima claritas, quæ è Ieſu refunditur, pellicit affectus cœlitum, & mortalium, ſibique quodam amicitiæ nexu ſuauiſſimo conciliat, & aſſociat. Luminis vim, & inſuperabilé robur ad conuertendos ad ſe, & deuincendos ánimos, egregiè proponit ſanctus Dionyſius Areopagita libro de diuinis Nominibus, capite 4. cuius verba ſunt: *Lux ſpiritalis dicitur bonum, quod lucem omnem ſuperat, quod quaſi radius fontis, luciſque manans effuſio, mentem omnem, quæ mundum ſuperat, quæ circum mundum eſt, quæ in mundo verſatur; ex ſuo, vt ita dicam, plenitudine*

Ieſus mons luminis.

D. Dionyſ. Areop.

Diuina lux ...

tudine illuſtret, omnéſque mentis earum facultates renouet, omnes complexu ſuo contineat: eáque omnia, quæ mentem, rationémque habent congreget, atque colligat. Vt enim eos, qui decepti ſunt, diuidere ſolet ignoratio: ſic ſpiritalis lucis præſentia, vim habet colligēdi, diquè eos, qui illuſtrantur, & perficiendi, conuertenconiungendiq; ad id, quod verè eſt. Loquitur S. Dionyſius de luce Deitatis, quæ eſt in Ieſu, & de eius mira efficientia. Omnia, quæ intra, & extra, & ſupra ambitum cœlorum continentur, ſuperos, & ſublunares viuentes, ſuis illuminationibus ornat. Spiritales hominis facultates renouat, & immutat in melius. Sed vim conceptus exprimunt illæ ſententiæ: *Spiritalis lucis præſentia vim habet colligendi, coniungendique eos, qui illuſtrantur.* In quibus mirabiles diuinæ lucis effectus eminent, viréſque robuſtiſſimæ: Hæc lux, immigrare facit corda à terrenis, ad id, quod verè eſt per eſſentiam, eſt enim nexus, & vinculum voluntatum, quo eos inter ſe, & cum Deo coniungit.

Spiritalis lux vim habet colligendi, & conuertendi.

2. Hæc Ieſu illuminatio iam præfigurabatur in mundi naſcentis exordio, & primo cæleſtis lucis exortu, cum Geneſ. cap. 1. verſ. 3. *Dixitque Deus: fiat lux, & facta eſt lux.* Præceſſerant tenebræ expanſæ ſuper faciē abyſſi, erat terra, & pelagus inuiſibile, inornatū, caligine obrutū; donec clariſſima lux oborta, ad cuius præſentiā expulſæ tenebræ, & mundus faciē oſtēdit. In lucis creatione myſteriū agnoſcit ſanctus Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus. Anagogicarum contemplat. in Hexamer. lib. 1. myſterium, inquam, Ieſu, qui venit ad orbis illuminationem, & exulationem criminum: *Quod enim* (inquit) *terra erat in initio in inferis obruta; id prius deſcripſit terra genitam noſtram naturam* (loquitur de natura corrupta, non verò in ſtatu innocentiæ) *ſedentem in tenebris, & vmbra mortis: cuius in extremis temporibus per Chriſtum illuminationem, prius deſcribens: dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux. Quæ præcurrebat, & præfigurabat veram lucem, nempe Ieſum.* Dum primæuam lucem creat Deus, & ſuper faciem conditi orbis ſpargit radios, iam Ieſus ſe ſe ad illuminationem hominis accingebat, vt habitantes in regione vmbræ mortis ad ſe reuocaret.

Prima lux mundi, Chriſti illuminationem prænotabat.

Anaſt. Sin.

3. Hanc illuminationem in rubo ardente, & incombuſto viuis expreſſam luminibus cerno. Meruit fieri huius prodigij ſpectator Moyſes paſtor, ornari, & ambiri fulgidis Dei ſplendoribus, Exodi c. 3. v. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis; & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* In hoc euentu plus diuina virtus, quàm ſplendor, & flamma ignis emicuit, dum potenti dextra vires ignis amicitiæ, & neceſſitatis vinculo colligatas, ſcilicet vim combuſtiuam, & illuminatiuā diſſoluit. Facultatem vſtulandi in igne Deus ſuſpendit, vt virtus illuminandi maiori vbertate vires ſuas exeraret, longè, latéque expandat; dum vna coërcetur, altera augetur; quod miraculum eo fine præſtitū, vt Moyſes animum luce, & ſplendoribus caperet. Dilucidus, & diſertus eſt in hac mente Procopius in Geneſ. cap. 1. citatus in Gloſſa magna Martinēgi fol. 865. vbi inquit: *Ei verò, qui vtraque coniunxit, & copulauit facile diuiſibilia ſunt. Cuius rei exemplum luculentum dedit in rubo ardenti, vbi igni vim vrendi abſtulit, & ſolam illuminationis, & ſplendoris virtutem reliquit, vt eo miraculo Moſen conuerteret.* Iam nouū conuerſionis modum in Moyſe Deus præludebat, non ignis comburentis terrore, ſed luminis grato, & ſuaui ſplendore. Illuminationis, & ſplendoris virtute animos ambit, & demulcet; ideò exuſtiuam virtutem a voraci igne ſuſtulit, vt horrorem ignei, elementi, & gliſcentis flammæ ſubduceret, & lucis clariſſimæ lenimento Moyſem ineſcaret. Mirū dictu, Deus pacis, & vnitatis amans, virtutes ignis diuidit, & ſecernit, vt cor Moyſis Deus ſibi vniat, & aſſociet; in tantum diligit hominis cum Deo charitatis nexum, vt etiam cum facultatum elementarium diſſenſione eum exquirat.

In viſione rubi ignis combuſtio, & illuminatio ſeparantur.

Procop.

Incendi vim in igne reliquit Deus, vt Moyſem illuminatione conuerteret.

Inter virtutem combuſtiuam, & illuminatiuā ignis diuiſionem facit Deus, vt Moyſem ſibi vniat.

4. Præclarum exemplar conuerſionis gentium proponit Salomon, dum Chriſtus vocat Eccleſiam ad coronam. Cant. c. 4. v. 8. *Veni de Libano ſpōſa mea; veni, coronaberis, de vertice Sanir.* Verticem Sanir ad præſens inſtitutum ſeligo. Vt coronetur in vertice capitis vocat ad verticem montis, in quo eſt ornatus triumphorum, eminent corona, & palma. Sed cur de monte Sanir prouocatur ad ſertum exultationis? Aut quid ſacramenti continet Sanir nuncupatio? Id explanat Theodoretus inquiens: *De Libano vocat eam, & de Sanir: per Libanum quidem ſignificans cultum idolorum: per Sanir autem, quod eſt lucernarum via, legis inſtituta. Lucerna enim eſt lex, quæ in nocte fulget. Sol autem Chriſtus, vt qui ſplendet in die. Quapropter & Deus per Prophetam timentibus* (inquit) *me, orietur Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pēnis eius.* Venit de via lucernæ, & exiguo legis lumine, ad ſplendorem legis gratiæ. Veniet proculdubio cum Sol Chriſtus affulget, cuius lux, & ſplendor conciliator eſt animorum. Venit anima de via lucernæ, cum mulier Euangelica accendit lucernam, vt inueniat drachmam. Rurſus anima, quæ Chriſti ſplēdoribus illuminata conuertitur, de via lucernarum venit, cum lætitiæ faces, & luminaria accenduntur per vias propter reditum peccatoris, dum gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agēte. Nec immeritò Malachias, quem citat Theodoretus cap. 4. v. 2. medelam animarum, & conuerſionis ſalutem in Sole conſtituit. Sed quid Soli, & animarum ſalubri medicamento? Nunquid Sol allector cordium? Allicit proculdubio, & per lucis blāditias ad ſe attrahit. Vim conceptus exprimit text. Græcus, vbi pro Sole legitur ἥλιος, ſed vlterius inueſtigas, cur Sol vocitetur elios? Reſpondet acutè diuinus Dionyſ. Areopag. lib. de Dei nominibus, c. 4. dicens: *Lux colligit, conuertitque ad ſe omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illuſtrantur, quæ caleſcunt. Itaque ἥλιος, id eſt Sol dicitur quod omnia ἀολλίζει, id eſt congreget, colligátq; diſperſa.* Itaque Ieſus Sol elios dicitur, quia animos lucis ſuauitate demulcet, diſperſos populos in vnum colligit, & peccatores ad ſe attrahit, vt tanquam ſapiens medicus ægrotis infundat medicamen lucis, & gratiæ.

Quis ſit vertex Sanir, de quo ſponſa coronatur.

Theodoret. *Sanir, id eſt lucernarum via.*

Lucerna lex, Sol Chriſtus.

Lucernarum via lætitia eſt in peccatoris pœnitentia.

Malachias ſanitatem in Sole conſtituit quia Sol conciliator eſt voluntatum.

D. Dion. Areop. *Sol elios dicitur quia omnia congregat.*

5. Magnam exercendis ingeniis materiam præbet Dauidici carminis à Primoribus Eccleſiæ celebrata ſententia ex Pſalm. 29. verſ. 4. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Difficultatis nexus variè diſſoluitur: ſed vnuſquiſque ſuo ſenſu abundet. Arridet in præſenti ſancti Brunonis cogitatio, qui Adam veſperum, & Chriſtum auroram nuncupat: qui Adam reſpicit, obtenebratur, & mœſtitiæ faciem animo obducit. Qui Ieſum intuetur, illuminatur oleo exultationis delibutus. Do tibi illius verba: *Qui ad Adam reſpiciendo ipſi conformantur, flebunt. Qui verò ad me Chriſtum reſpiciendo pſallunt, & mihi conformantur, lætabuntur. Veſper bene dicitur Adam, quia peccando obſcurus factus eſt, & ex eo mors noſtra ſecuta eſt, ſicut veſperum ſequitur nox, quod mane obſcurius eſt. Matutinum autem Chriſtus eſt, quod in eo ſidei noſtræ lux principium habuit.* Nefaſta fuit Adami veſpera homini, ad quam ſubſequutum æternæ, & temporaneæ

Adam veſperum, Chriſtum auroram nuncupat Dauid.

S. Bruno.

Qui Adamū cernit, flet, qui Chriſtū proſpicit, lætatur.

Adam obſcurus per peccatum, Chriſtus fulgens fidei luminaribus.

mortis iudicium. Solus Ieſus matutina lux vberes riuos gratiæ fundens. Vbi illuxit, fidei, & conuerſionis noſtræ initiata eſt lux, eſt enim allectiua tenebroſi cordis.

S.And.Cæſ. Chriſtus lumen perpetuo virens, & vitam largiens.

6. Pulcra montis illuminatio deſcribitur Apocal.cap.21. verſ.10. & Ioanni Euangeliſtæ demonſtratur ab Angelo: *Suſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de Cœlo à Deo, habentem claritatem Dei; & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum.* In hoc loco claritatem, & lumen Chriſtum nuncupat S. Andreas Archiepiſcopus Cæſarienſis in Apocal. capite 66. dicens: *Lumen Eccleſiæ eſt Chriſtus. Hic autem per iaſpidem inſtar cryſtalli lucentem delineatur, tanquam perpetuo virens, cunctiſque viuentibus vitam largiens, & incredibili munditia præſtans.* Eſt enim lumen diffuſiuum ſui, cunctiſque mortalibus ſanitatis, & vitæ illuminationes ſubminiſtrat. Sed vim conceptus dilucidè exprimit Angelicus Doctor referens verba Victorini Hugonis: *Quemadmodum ferrum* (inquit) *dum in igne mittitur, ab igne coloratur, & ipſius ſpeciem ſumit, & à ſe non habet quod accipit, ita ſancta Mater Eccleſia claritatem habebit in patria, æterna diuinitatis luminoſis radijs illuſtrata. Tobiæ 13. luce ſplendida fulgebis. Hugo de ſancto Victore. Æſtimet, qui poteſt, quanta, quamque iucunda concors, ac indiſſolubilis erit, creaturæ humanæ, Creatoriſque vnita coniunctio: vbi claritas, quam Creator habet per plenitudinem, creaturæ dabitur per plenitudinis participationem.* Illuminat Ieſus mons montes illos æternos in patria, diuinæque claritatis fulgoribus ornat; ſed ex iſto ſplendore diuino quid prouenit niſi animorum conciliatio, eſt enim illa ſuperna illuminatio inter Deum illuminantem, & cœlites illuminatos indiſſolubilis, & ſuauiſſimus nexus, artifex huius vnionis intimæ eſt claritas Dei.

D. Thom. Hug. Vict.

Claritas Dei in patria vnionẽ animorum efficit.

Cur Deitatis fulgores comparantur iaſpidi?

7. Cur lapidi iaſpidi renidenti ſicut cryſtallum fulgor ille Deitatis, & humanitatis Chriſti comparatur? Propter vim illam mirabilem, quam habet iaſpis oculorum lumina recreandi, & titillandi ſenſum demulcente candido ſplendore. De quo teſtatur Plinius libro 37. naturalis hiſtoriæ, cap.9. ſcribens de ſpecie iaſpidis: *Proxima candicantium eſt Aſteria, principatum habens proprietate naturæ, quod incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio, atque alio loco reddens.* Sed hæc iaſpidis natura mirabilius in Chriſto fulget: *Chriſtus* (inquit Angelicus Doctor in hunc locum Apocal.) *& cryſtallus dicitur, quoniam ex mortuis reſurgens gloria immortalitatis clarus effulſit.* Modo verò iaſpidis præclara inſignia à Plinio relata Chriſto aptiſſimè quadrant, dum enim pulcherrimus lapis rapit ſiderum fulgores, & Solis regerit candidantes radios: *Incluſam lucem pupillæ modo continet*, vt prouidentiæ, & amoris oculum innuat, quo nos proſpectat pellucidus Ieſus, ſed proſpectus iſte illuminationis homines allectat, & capit, nam lumen: *Transfundit cum inclinatione*, nam ex illuminatione cor ad bonum inflectitur, ad Deum amandum inclinatur, & velociter curſitat, ad amplectendam charitatis brachiis, luminoſam pulcritudinem. Quis recenſeat facinora, & trophæa montis illuminantis. Claritas Dei circumfulgens paſtores Bethleemiticos, attrahit ad infantis Ieſu cunabula. Lux de cœlo fulgens, Paulum vincit, & proſtrat, orbus corporis luminibus ad tempus trahitur, ſed animus illuſtratur paradiſi fulgoribus. Apoſtoli radioſo Ieſu vultu attrahentur.

Plin.

Iaſpidis inſignia Chriſto aptantur.

D. Thom.

Prouidentia oculo intuetur nos Ieſus.

Illuminatio Ieſu homines allicit.

D.Baſil. Theodot. Lorin.

Peccatoris præda Deus illuſtris redditur.

8. Dum illuminans Deus corda immutat, ipſe illuminat; ſed immutatione, & conuerſione peccatoris illuſtratur, & radiorum diademate cingitur. Pſalm.75. verſ.5. *illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Sanctus Baſilius, & Theodoretus legunt: *Illuſtris es a montibus venationis, ſeu prædæ.* Verſionémque expendens Lorinus inquit: *Ex tranſlatione, quæ prædam ponit, colligi poteſt tropologia, Deum illuſtrari, velutique gloriari, præda, & venatione peccatoris, ita vt gaudium coram Angelis ſit, vt fera capta ſolet eſſe.* Vtinam Ieſus deprædetur peccantes, & luminis nexibus, catenarum fulgoribus vinciat, vt mons luminis ſplendidior, & illuſtrior reddatur. Nec nouum in Deo caſtrorum, & armorum vice, claritatis manu, & ſplendorum aggeribus animũ, vrbem hominis regiam, expugnare. De Angelica militia nuntiante natiuitatis Ieſu gaudium ſcribit S.Lucas cap.2.verſ.9. *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Acutè verba expendit Albertus Magnus: *Hæc ergo claritas circumfulſit eos, vndique ambiens eos: Sicut quoddam lucis tentorium.* Et poſtea: *Circumfuſa vndique lux, & quaſi claudens eos.* Vndique Angeli paſtores fulgoribus cingunt, & corda claritate cœleſti obſident, vt fulgurantibus radiis debellent, & ſubiugent eos, Dei temporaliter naſcentis imperio.

Claritatis obſidiene Deus homines capit.

Albert. Mag.

Ieſus: *Mons ſpeculationis.*

Discvrsvs V.

Apud Ieſu montem illa vera ſpeculatio, & contemplatio, quæ non in ſolo otio ſancto, & cordis laxamento conquieſcit, ſed ad operum, & virtutum ardua animum ſtimulat.

Apud Ieſum ſolida contẽplationis forma.

1. NON immeritò Iſaias in illo verbo *Mons in vertice montium* alludit ad montem Sion, vt prænotatum eſt ſuperius, quia in Ieſu, & in Eccleſia viget veræ ſpeculationis forma, & alũnos ſuos imbuit ſolidæ contemplationis magiſterio. Rectè canit Pſalmographus Pſal.9. v.12. & excitat nos ad puræ commentationis Canticũ: *Pſallite Domino, qui habitat in Sion.* Canticum, & etymologiam Sion explanat S.Auguſtinus: *Ipſe habitat in Sion, quod interpretatur ſpeculatio. Præcedit autem ſpeculatio viſionem. Agimus autem ſpeculationem, vt preueniamus ad viſionem.* Hæc ſuccinctè ex Auguſtino collecta ſunt.

D.Auguſt. Deus habitat in ſpeculatione, & viſione.

Aſcenſus Moyſi in mõtem contemplationis.

2. Sed inueſtigemus conceptus acumen. Cumque Moyſe præeunte, & ductante contemplantium Deum cohortem feſtinantes aſcendamus conterentes mundi repagula in montis apicem, in quo Ieſus tabernaculum figit, cuius diuinitas, fulguránſque vultus, nubis obumbratur velamento. Exodi cap.24.verſ.17. *Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſraël Ingreſſú'que Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem.* Hic eſt contemplationis mons, in quo lumen relucet Deitatis, quod illuſtrat animum; & ignis Dei candefaciens montem, qui hominis inflammat affectum. Sed magna Moyſi virtus, & prudentia, qui ne in via contemplatiua ceſpitet; nec declinat ad dextram, nec ſiniſtram,

Media via tenenda in montis aſcenſione.

at mediam tenet viam: *Ingreſſus Moyſes medium nebulæ*, ſed quæ ſocietas iſta luminis, & nebulæ, lucis, & tenebrarum? Quomodo gloria illa Domini ſupra ſolarem totam pulcriùs ſplendentis, nebulam non diſpulit, caliginem non diſſipauit? Mirum caliginis, & lucis conſortium, quod incremento illuminationis, & fulgoris, de vultu ſplendido Domini prodeuntis perſeuerat, & ſtrictiori nexu amicitiæ colligatur. Ibi verſ. 16. *Cúmq; aſcendiſſet Moyſes operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocauit eum de medio caliginis.* Cum aër obtenebratur nebula, Oriẽte Sole diſcutitur, & euaneſcit, Hîc verò dũ augentur fulgentes luces ex ore Dei coruſco; maius nebula accipit incrementum, & quod mirum eſt, vires colligens nebula in caliginem immutatur. Quid portenti eſt hoc? Antequã aſcendat Moyſes, montem Sinaï Dominus caminat, ſplendidúmque reddit gloriæ lumine; exulante omni velamento tenebroſo; ſcandit Moyſes, & ſtatim cingitur nebula, obuallatur caliginoſo ſepto, vt diſcat in contemplationis faſtigio euectus, mentis oculos reuocare ad cognitionem ſui, acri intuitu perſpiciens, & perpendens humanæ miſeriæ nebulam, animo attento luſtrans peccatorum caliginem, vt his veluti vallo, & tutamento firmiſſimo protectus perſtare poſſit in contemplationis culmine. Mentiar, niſi hunc conceptum acutè exprimat Sanctus Chryſologus in allegoriis Tilmani. Ibi ſanctus Petrus Rauẽnas, ſic fatur: *Mons iſte eſt faſtigium contemplationis, cuius aſcenſio eſt vera ſui cognitio. In hunc montem Dominus deſcendit, Moyſes aſcendit. In hoc monte de tabernaculi conſtructione Dominus docuit, Moyſes didicit. Quid per tabernaculum fœderis, niſi ſtatus intelligitur perfectionis? Qui ergo montem quaſi per nebulam aſcendit, id eſt, qui diligenter attendit, qualis ſit, reſtat vt ex diuina reuelatione cognoſcat, qualis eſſe debeat: quale mentis ædificium Deo conſtruere, quibus obſequijs oporteat hunc placare.* Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, iuxta Dei lumen appropinquans homo, apertius innoteſcit defectuum caligo, & ærumnarum nebula, quæ cum humano plaſte iure hereditario annexæ ſunt. Arridet valde Moſaïca contemplatio, in qua excitatur legiſlator, myſtarum, & myſtagogorum doctor, ad operationum fructus, & rectè factorum obſequia præſtanda cæleſti numini. *Quale mentis ædificium Deo conſtruere, quibus obſequijs oporteat hunc placare.* Iſta enim diuinarum rerum commentatio, quæ nebula cognitionis ſui non obſepitur, nec intuitu vilitatis ſuæ velut caligine circumfunditur, nec artificioſa Dei manu eruditur, vt diuinum virtutum ſimulacrum effingat, tabernaculúmque conſtruat, ſtratum deſpicientiâ ſui, rerum præclarè geſtarum lacunaribus velut concameratum; apud Deum vileſcit, apud homines ſuſpicionis notam, & labeculam incurrit.

Qua ratione compatiātur lux, & caligo?

Aſcendente Moyſe, cingitur caligine mons, vt in contemplatione diſcat imperfectum ſuum agnoſcere.

D.Chryſol. Tilm.

Ad contemplationis mõtem aſcenditur per ſui cognitionem.

In hoc monte contemplans inſtruitur de operãda perfectione.

Qualis contemplatio ſit ſuſpecta.

3. Repagulis quibuſdam præpedita ſponſa, non aperuit ſponſo pulſanti ianuam, qui ſe ſe ſubduxit, & aufugit velociter ab eius conſpectu; ipſa verò diſcutiens ſomnolentiam, & ignauiam, veſtigiis ſponſum odoratur, multa loca perluſtrans, nullas latebras omittit, huc illuc curſitanti occurrunt cuſtodes; de ſponſo percunctantur; ipſa verò eius pulcritudinem deſcribens cum peruenit ad pretioſum capillamentum hæc verba innectit Cantic. capite 5. verſ. 11. *Coma eius ſicut elatæ palmarum, nigra quaſi coruus.* Per capillitium in ſublime elatum, nigricantéſque verticis ſacri exuuias, ſublimes cogitationes, in paradiſi verticem ſe ſe attollentes contemplationes accipiunt tres Patres apud Theodoretum, eorũ verba ſunt: *Elatæ ſunt arbores celſiſſimæ ad cælum vſque tendentes, quoniam eos, qui hæc animo amplectuntur, dum proſpiciunt ea, quæ per charitatem poſſidentur, operibus autem imitatione perducunt ad diuinæ beatitudinis ſublimitatem. Nigra autem quaſi coruus, quia imperueſtigabili diuinorum iudiciorum ratione mentis oculos in contemplatione corroborant. Nam vt color albus viſum diſgregat, ita niger confirmat.* Sublimes cogitationes ad cœlum vſque eleuatæ ſplendore beatitudinis, & gloriæ decoratæ, quomodo nigrore offuſcantur? Potius deberent eſſe nitidæ, & pellucidæ. An quia in ſublimitate contemplationis dum Deitas, & cæleſtia conſilia glorioſius fulgent, cum agnoſcuntur incomprehenſibilia, & humanum captum fugientia, velut nigricant. Vel quia iuxta cæleſtis beatitudinis lucernam nigritudo animi detegitur. Cogitationes ſunt elatæ, quia nos erigunt ad ſuperna, ſed ſunt nigræ, quia culparum nubeculas, & erratorum caliginem in lucem produnt, aptáque eſt ſimilitudo; *Vt color albus viſum diſgregat, ita niger confirmat.* Albeſcat contemplatio de gloria Deitatis, quæ animum à ſenſibilibus ſeiungat, ſed nigreſcat de defectuum cognitione, quæ ad centrum cordis mentem recolligat, ipſique præbeat firmitatem. Nec tres iſti Patres, ſuos commentatores rerum diuinarum patiuntur eſſe operibus vacuos: *Operibus autem imitatione perducunt ad diuinæ beatitudinis ſublimitatem.* Contemplatio vt peruolet ad beatitudinis opes, opera ſecum deferat. Nec ineptè illa mentis eleuatio, ſicut palma ſublimis refertur; nam vt ſponſo placeat, palmam, hoc eſt paſſionum victoriam, ſecum deferat.

Elatæ ſponſi comæ ſublimes ſunt contemplationes.

Nyſſen. Nil. Max. Theodor.

Contemplationem comitatur operatio.

Cur cogitationes beatitudine ſplendentes nigrore offuſcantur?

Iuxta beatitudinis lumẽ nigredo animi detegitur.

4. Nachor fratris Abraham genealogia recenſetur Geneſ. capite 11. verſ. 27. *Hæ ſunt autem generationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor, & Aran.* Non fruſtra tempus terit in texendis genealogiis Scriptura ſacra, nec ſine myſterio deſignat nomina fratrum Abrahæ. Vox illa Nachor myſteriis grauida, dabit tibi partus ſuos, ingenij, & acuminis Philonis Iudæi geminam prolem, in libro de *congreſſu quærendæ eruditionis gratia.* Ibi inquit: *Nachor idem eſt quod luminis requies. Ergo lucem habere in mente bonum eſt. Quod autem quieſcit, & ceſſat immotum, imperfectum bonum eſt, nam mala quieſcere expedit, bona vero moueri. Quid enim prodeſt ceſſare bonum tibicinem, aut citharistam, aut in vniuerſum quemque artificem ſuam artem non exercere? Nam ſine actione ſola contemplatio ſcientibus ad nihilum eſt vtilis.* Prudentis temperaturæ ſale condienda verba Philonis, ne inſit in eis acerbitas: contemplationis veræ quies bonum optimum, quis ambigat? Túncque contemplatio ſublimior, cum animus feriatus ſenſibus, perturbatione, & tumultu phantaſmatum extricatus, Dei amplexu conquieſcit, torrente voluptatis liqueſcens; ſed contemplationem exterminat, ab honeſtæ actionis motu omnino immunem. *Nam ſine actione ſola contemplatio ſcientibus ad nihil eſt vtilis.* Eſt enim virtutum exercitatio contemplationis anima, & vita; ſi ab ea fructus actionis virtuoſæ non effluat, emortuum figmentum, inane ſimulacrum, aut cithara pulcra, & deaurata ſine citharœdo eſt.

Nachor genealogia.

Phil. Iud.

Nachor interpretatur luminis requies.

Contẽplatio vacua exercitio virtutis inutilis.

5. Vt vaſtet vrbem Iericho, & euertat muros, præceptum accipit Ioſue ſeptenariæ circuitionis,

Vrbis Iericho vaſtitas die ſeptimo perficitur.

validique

validique clangoris; ſed in die ſeptimo vox vehe- mentior, tubæque clangor profuſior præcipitur, Ioſue cap.6.verſ.4. *Septimo autem die Sacerdotes tol- lant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in Iubilæo, & præcedant arcam fœderis.* Et verſ.5. *Cúmque inſonue- rit vox tubæ longior, atque conciſior & in auribus ve- ſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vocifera- tione maxima, & muri funditus corruent Ciuitatis.* Et vbi quies; & requies ſeptimi diei Regio Do- mini edicto imperata? Obualletur vrbs vſque ad diem ſextum, ſeptimo autem die, qui eſt re- quieti deſtinatus à Deo, curas remittant corpo- rum & animorum milites; diéſque ſanctificatus ad Dei cultum deſtinatus, bellici tumultus ſtrido- res, tubarúmque ſtrepitus ſuſpendat, nec reſo- net clamoribus æther. Cur die ſeptimo maior vociferatio bellatoribus iniungitur? Vt contem- platio in requie ſabbati adumbrata per affe- ctuum intenſionem, & operationum vehemen- tiam fieret illuſtris. Acumen eſt ſancti Athanaſij ſerm. de ſabbatis, & circumciſione aientis: *Non igitur ſabbathum otium deſignat, aut innuit, ſed co- gnitionem Conditoris, eo quod ceſſatum ſit à forma creandi:* Et ſubdit: *Ideóque circa Iericho tuba ca- nere imperantur, qui legem ſabbathi ſuſcipiebant, in ſeptem diebus, in quos ſabbathum incidebat: ſi igitur otij gratia datum eſt ſabbathum, cur operatio tubici- nandi imperatur? Quinimo creditum fuit eos in ca- nendo ſabbathizari. Non enim otio, ſed cognitione Deum ſibi opitulatorem comparabant.* Non arridet Alexandrino Antiſtiti ſabbati otium, aut ſpecula- tione ſiſtens Dei cognitio, niſi fuerit actiua, & practica virtutum exercitamento; ſit in ſabbato requies, ſed tuba operationum reſonet, quibus ſpi- ritualium hoſtium acies proſternantur. *Cur opera- tio tubicinandi imperatur? Creditum fuit eos in ca- nendo ſabbathizari.* Sanctitas Deo ſabbati non pla- ceret, ſi operarum non fulgeret ornamento; ſab- bati non eſſet iucunda quies, niſi ſonitus actuoſæ buccinæ ſtreperet. In ipſo operationis concentu ſabbatizabant. Sabbatinæ requietis complemen- tum, & corona virtutum exercitatio, & diuini ver- bi præconis, contemplationis oleo delibuta ſuauis ac plena vox, ſonora redditur virtutum exem- plis.

Contēplatio diei ſeptimo deſtinata nō ſit ſine operatione.

D.Athan.

Milites in canendo ſabbatizabant.

Vox concionatoris oleo delibuta cōtemplationis, ſonora redditur exemplo virtutu.

6. Dauid Rex præditus contemplationis gratia, hanc excitat quæſtionem: qui veri, & puri con- templatiui nuncupandi? Pſalm.14. verſ.1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Quis recenſebitur in catalogo virorum fortium, qui appetitum ſubiugando ſe- ipſos ſuperarunt, vt ſcanderent ardua montis? Quis aſſociabitur Collegio profitentium cæleſtem con- templationis philoſophiam? Statim vitæ innocen- tiam, animi puritatem, operum exercitamenta ſub- iungit: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iu- ſtitiam.* Mens eſt Clementis Alexandrini, qui pro- poſitæ quæſtioni ſolutionem adhibens veros ſpe- culatores, & contemplatiuos aptiſſime definit li- bro 6. Stromatum dicens: *Qui ſunt tales, vt ait Beatus Dauid, requieſcent in monte ſancto Dei, ſupre- ma Eccleſia; in qua congregantur Dei Philoſophi, qui verè ſunt Iſraelitæ, mundi corde, in quibus nullus eſt do- lus, qui non permanſerunt in ſeptenario quietis, ſed bo- norum operum affectione diuinæ aſſimilationis, ad octo- narij beneficentiæ hæreditatem ſublati ſunt inſatiabilis contemplationis puræ, ac ſinceræ ſpeculationi attenden- tes.* Puram ac ſinceram ſpeculationem, ac contem- plationem nuncupat Clemens, quando diuini Ec- cleſiæ Philoſophi, quieti adiungunt opera. Perpen- de verba: *Qui non permanſerunt in ſeptenario quietis, ſed bonorum operum affectione diuinæ aſſimilationis.* Requieſcunt poſt aſcenſionem laborioſam in mō- ris vertice cum Ieſu, ſed dulcedine Deitatis præli- bata excitantur, vt requiei, & ſilentio operoſā exer- citationem adiungant, vt Deo perfectiùs aſſimilē- tur, qui dū ineffabili ſpeculatione, & fruitione ſui ipſius gaudet ad intra, non ceſſat in hac viſibili or- bis machina operari ad extra. Et acutè annotat Clemens, quod ex ſeptenario numero ſabbati, in quo eſt requies, ad octonarium peruenitur, ſcilicet ad beneficentiam, vt contemplatiuus id, quod ſpe- culatur, aliis diffundat, & in tabernaculo contem- plationis diſcat benefacere. Quare diffuſio opera- tionum in homines maior, ſublimiorem & perfe- ctiorem aſſimilationem cum Deo arguet.

Dauid quæſtionem excitat, qui ſint veri contemplatiui nuncupandi?

Qui puritate fulgent, & operatione iuſtitia.

Clem.Alex.

Veri contemplatiui definitio ex Clemente Alex.

Contēplatio per operationem bonorum operum aſſimilatur Deo.

Deus, qui ſpeculatione ſui ipſius gaudet ad intra, continuo operatur ad extra.

Poſt requiē, ad octonariū peruenitur, in quo eſt beneficentia.

7. Diſquirit Ambroſius, cur facies Ieſu Naue ſi- cut facies Moyſi non reluxit? Præſertim cum ful- gores illi cæleſtes in vultu ex conſortio ſermonis Domini promanarint; Ioſue eodem conſortio fa- miliaritatis perfruitur, & ſicut cum Moyſe, cum Ioſue tanquam cum amico alloquebatur. Vnde propter ſplendoris radios in facie Moyſi appen- ditur velamentum; ſtatim ac vitâ fungitur aufer- tur velamen, quia in vultu Ieſu Naue non emicāt radiorum cornua. Reſpondet, apud Moyſem præ- ualent ſplendores, & lumina, apud Ieſum magnifi- cantur opera. Do tibi illius verba ex Pſal.118. oct. 17. ad id: *Vultum tuum illumina.* ibi ſcribit: *Mortuo Moyſe, Ieſu Naue iam non per velamen, ſed facie re- uelata, & presbyteros alloquebatur, & populum, & nemo trepidabat: cum vtique & illi dixerit Deus, quod cum ipſo ita eſſet futurus, vt fuit cum Moyſe, & eum simili- ter illuminaret, geſtorū vtique nō vultus gloria.* Æqua- lis agnitio Deitatis, pariliſque contemplatio diui- norum, & mentis illuminatio in Moyſe, & Ioſue nitet; facies Ioſue non fulgurat, vultus Moyſis ra- diorum diademate cingitur; Moyſis contemplatio ambitum, & oſtentationem luminis exigit; apud Ieſum contemplatio, geſtorum lumina, operatio- num ſplendores requirit. *Similiter illuminaret geſto- rum vtique, non vultus gloria.* Ego vt verum fatear, plus exopto cum Ieſu geſta, quàm cum Moyſe lu- mina; præclarè facere, quàm ſplendeſcere; plus ſuſ- picio contemplatiuum ornatum operibus, quam decoratum fulgoribus.

Cur facies Ieſu Naue, ſicut vultus Moyſi non habuit ſplendores?

Apud Moyſē præualent lumina, apud Ieſum præualent opera.

D.Ambr.

Potiùs exoptāda cū Ieſu operationes, quam cum Moyſe ſplendores.

8. Hos contemplatiuos operatorios, mortuos mundo, felices Deo, & Angelis nuncupat Euange- liſta Ioannes, Apocal.cap.14 verſ.13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſe- quuntur illos.* In hoc ſenſu verba expendit Gillebe- rtus apud Tilmanum dicens: *Spiritus hoc dicit collata vtique quietis exhibitione ex effectu gratia. Spiritus hoc dicit, quia ſpiritus hoc efficit. A modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. A laboribus, inquit, non ab operibus.* Et ſubiungit operationes: *Quæ ſunt ope- ra quieſcentium? Opera mortuorum in Chriſto, conſe- pultorum cum Chriſto, opera ſabbatizantium. Feſtiua ſunt, feriata ſunt. Otium valent opera iſta. Feſtina in- gredi in hanc requiem, in hunc ſabbatiſmum. Sed vide, quod non relinquitur ſabbatiſmus, niſi conſepultis cum Chriſto. Non relinquitur, niſi poſt ſextam diem, in qua aut vetus homo crucifigitur, aut nouus perficitur.* Hæc ille.

Gilbert.

Requieſcendum à laboribus, non ab operibus.

Opera requieſcentiū, & morientiū cum Chriſto.

EXPOSITIO

EXPOSITIO V.

De Eccleſia Euangelica, & de illius fundamento Apoſtolo Petro.

Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini.

D Chryſ. D.Baſil. D. Cyrill. Procop. D.Cypr. Theodoret. D. Auguſt.

1. NOMINE montis in præſenti Vaticinio intelligunt Eccleſiam Chryſoſtomus, Baſilius, Cyrillus, Procopius in Iſaiam, & Cyrillus in caput 4. Michææ, Cyprianus epiſt.75. Theodoretus tom. 2. de curatione Græcarum affectionum, lib.10. Sanct.Aug.tom. 6. orat.contra Iudæos,c.7. & ſequentibus.

Eccleſia Chriſti dicitur mons.

2. Eccleſia Chriſti in ſacris literis ſæpiſſimè vocatur mons.Pſalm.23. verſ.3. *Quis aſcendet in montem Domini?* Et Pſalm.67. verſ.17. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Et in Propheta Abdia verſ.17. dicitur: *In monte Sion erit Saluatio.* Ad Hebr.cap.12. verſ.22. *Acceſſiſtis ad Sion montem, Eccleſiam primitiuorum.* Et Iſaias Eccleſiam nuncupat montem cap.4. verſ.5. *Creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion.* Et cap. 8. verſ.18. cap.10.verſ.12. cap.11. verſ.9. cap.25. verſ.6. Sed illuſtris eſt locus Zachariæ capite octauo. *Et vocabitur Ieruſalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons ſanctificatus.* Vbi Septuaginta legunt: *Et vocabitur Ieruſalem ciuitas vera & mons Domini Omnipotentis mons ſanctus.* Quod de Chriſti temporibus in Eccleſia Euangelica adimpletum eſſe ſanctus Hieronymus affirmat dicens: *Mons Domini exercituum vocabitur mons Sanctus, de quo Iſaias, Michæáſque clamitant: in nouiſſimo dierum erit mons Domini præparatus. De hoc monte, & de hac ciuitate & Apoſtolus Paulus ſacrata Oratione diſputans ait: acceſſiſtis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, & Eccleſiam primitiuorum.* Hunc Zachariæ locum eodem modo declarauit S. Cyrillus Alex. affirmans alluſionē fieri ad caput ſecundum Iſaiæ, additque: *Conſpicua eſt enim Eccleſia Chriſti, & volut in monte poſita paret omnibus. Vocata eſt deinde etiam vera, neutiquam typis, & vmbris ſeruiens, ſed veritatem complexa potiùs, quæ eſt Chriſtus, & adorationem in ſpiritu, ac veritate vſurpans.*

Eccleſia ciuitas veritatis.

D. Hieron. *Eccleſia mōs Domini exercituum, & mons ſanctus.*

D. Cyrill. Alexand. *Eccleſia ſequitur non vmbram, ſed veritatem.*

Nomine mōtis Petrus Apoſtolus accipitur.

D.Hier.

3. Alij verò Patres nomine montis Domus Domini intelligunt ſanctum Petrum Apoſtolum, qui eſt mons, & petra firmiſſima, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia à Chriſto Domino. Sanctus Hieronymus hîc: *Super vnum montium Chriſtus fundat Eccleſiam, & loquitur ad eum: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſanctus Baſilius ad eadem Iſaiæ, verba ait: *Domus Dei in ſublimi Vertice montium collocata Eccleſia eſt. Eſt enim ædificata in Apoſtolis, & Prophetis, qui eius fundamenta iecerunt, quorum vnus erat Petrus, ſuper quam petram pollicitus fuerat ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam. Anima autem Beati Petri nominata eſt merito petra ſublimis, quod in fide radices ſolidè defixerit, & aduerſus plagas per tentationes illatas, ſtabiliter, nec perfunctoriè ſe geſſerit.* Eandem expoſitionem tenet Procopius, & ferè eadem verba ex Baſilio tranſcripſit. Adde S. Auguſtinum, tom. 6. orat. contra Iudæos, capite 7.

D.Baſil.

Petri Apoſtoli inſignia.

Procop.

D. Auguſt.

Eccleſia Romana.

4. Iuxta hæc dupliciter explanare licet Iſaiæ verba, primò: de Eccleſia primitiua Apoſtolorum Ieroſolymis fundata; ſecundò, de Romana Eccleſia, & in hoc ſenſu, mons præparatus, ſtabilitus, & firmatus eſt ſanctus Petrus. Eleuatus eſt hîc mons in vertice montium, quia eſt Apoſtolorum caput, & vertex, tenétque inter eos dignitatis, & ſanctitatis apicem, éſtque Apoſtolicæ fidei, & fortitudinis coryphæus. Eleuatur iſte mons ſuper colles, cū Petri piſcatoris gloria ſuper omnem Regiam, & Pontificiam dignitatem exaltata eſt. Fluunt ad eū omnes gentes, cum vas linteum plenum ſerpentibus, & quadrupedibus è cœlo dilapſum pranſuro Petro oſtenditur. Vel mons domus Domini, & domus Iacob dicitur Eccleſia Romana in vertice montium eleuata, hoc eſt, ſuper omnes alias Eccleſias exaltata. *Docebit nos vias ſuas.* Quia Petrus, & Eccleſia Romana Eccleſiarum eſt oraculum, & totius Chriſtiani orbis magiſtra.

Mons præparatus, & ſtabilitus Apoſtolus Petrus

5. Sed obiicies: Poſtea ſubdit Vates: *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Ergo de Eccleſia Ieroſolymitana, non Romana ſermo eſt. Reſpondeo dupliciter: Eccleſiam Romanam nuncupari Sion, & Ieruſalem. Quia Sion interpretatur ſpecula, & Ieruſalem viſio pacis. Et Eccleſia Romana ſpecula eſt, ex qua totius orbis incolumitati, & fidei proſpicit Deus, pacémque omnibus annuntiat. Secundò iuxta expoſitionem ſuo loco referendam, lex, & verbum Dei exibit de Sion, & de Ieruſalem eam derelinquens, & tranſlatum eſt ad Romanam Eccleſiam, in ea enim eſt doctrinæ Euangelicæ fons, ex quo fluenta ad fines orbis terræ manarunt.

Obiectioni ſit ſatis.

Quo ſenſu Eccleſia Romana nuncupatur Sion & Ieruſalē?

6. In vtroque ſenſu verba ſingula expendenda ſunt. Dicitur Eccleſia Chriſti: *Mons præparatus* iuxta ſignificationem verbi Hebraici נכון *nachon* firmate, ſtabilite: hoc eſt, mons firmatus, mons ſtabilitus, quia ſuper inconcuſſum, & firmiſſimum fundamentum, quod eſt Chriſtus Ieſus, conſtructa eſt. Hæc eſt enim domus Domini firmiter ædificata, benè fundata eſt ſupra firmam petram. De hac firmitate loquitur Chriſtus Matth. cap.7. verſ.27. *Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuā ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim ſuper petram.* Et Paulus ad Coloſſenſ. c.2. v.7. *Radicati, & ſuperædificati in ipſo.* Cætera omnia quæ de Chriſto diximus Eccleſiæ poſſunt aduptari, Vide primam expoſitionem.

Eccleſia mons firmus, & ſtabilis.

Cur Eccleſia dicitur mons.

7. PRIMÒ, quia ſicut mons propter eminentiam eſt magis expoſitus procellis, & ventorum tempeſtatibus, ſic mons Eccleſiæ perſecutionum imbribus; in eam hæreticorum flatus, & Paganorum nimbi vehementer irruunt. Hîc verum habet illud Lyrici lib.2. Carm. Ode 10.

Prima ratio: quia expoſita aduerſis.

—— *Feriūntque ſummos*
Fulmina montes.

8. Secundò, quia omnibus ſe ſe oſtentat, & manifeſtat, à cunctis cernitur, nullique abſconditur, tanquam quid conſpicuum, illuſtre, ſublime, famáque, & notitia celeberrimum. Eſt enim Eccleſia Chriſti contra hæreticos, & nouatores noſtri temporis viſibilis, quod ex dictis, & dicendis manifeſtè demonſtratur. Quare huic monti optimè quadrant verſiones Septuaginta interpretum, & Græcorum Patrum ſupra relatæ: *Erit in omnium oculis, ac conſpectu, ſpectabilis, illuſtris, conſpicuus, ſplendens, & præclarus.* Vnde ſanctus Cyrillus Alexandr. in c.4. Michææ ait: *Montem Domini ſuper montes, & colles, eſſeque præparatum, quaſi in loco vndequáque cō-*

Secunda ratio quia omnibus conſpicua.

Eccleſia eſt viſibilis, & manifeſta.

D. Cyrill. Alex.

ſpicuo

ſpicuè conſitam, & poſitam eſſe ſignificat, nam quod in monte poſitum eſt, ex omni parte cernitur, oculiſque obijcitur, & nulli fortaſſe, quamquam procul abſenti, ignotum eſt. Et ad ea verba Zachariæ, c. 8. *Mons Domini exercituum.* ſcribit: *Conſpicua eſt enim Eccleſia Chriſti, & velut in monte poſita patet omnibus.* Et S. Aug. ad illam Pſal. 18. ſententiam: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, ſubſcribit: *In manifeſtatione Eccleſiam ſuam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta: ne fortè fiat, ſicut operta ſuper greges hæreticorum.* S. Chryſoſt. in cap. 5. Matthæi: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra mõtem poſita.* citatus in Catena S. Thomæ: *Non poteſt ciuitas abſcondi poſita ſupra montem, etiam ſi ipſa voluerit. Mons enim, qui eam portat, facit eam omnibus manifeſtam. Sic & Apoſtoli, & Sacerdotes, qui fundati ſunt in Chriſto, non poſſunt eſſe abſconditi, etiamſi voluerint, quia Chriſtus eos manifeſtat.*

D. Cyrill. Alex. D. Aug. *Non in occulto, ſed in manifeſtatione Eccleſia conſtituta eſt.* D. Chryſoſt. D. Thom. *Doctores non poſſunt abſcondi, quia eos Chriſtus manifeſtat.*

9. Tertiò, Eccleſia dicitur mons ptopter ſuam ſpeciem, & dignitatem, ſummámque amplitudinem majeſtatis, & imperij, facinorum, & rerum geſtarum gloriam, & ſplendorem vbique diffuſum. Sic S. Chryſoſt. in cap. 2. Iſaiæ: *Nomine montis exhibet omnibus ſpectandum decus, & ſplendorem Eccleſiæ. Non enim iſte Sol tanto ſplendore ſplendeſcit, non item lux ex ipſo eminus illuſtre adeò iubar effundit, vt res geſta ab Eccleſia.*

Tertia ratio, propter illius decus, & amplitudinem. D. Chryſ.

10. Quartò mons dicitur ptopter inuictum illius robur, & inexpugnabilem fortitudinem, & quia nihil detrimenti accepit ab expugnantibus perſecutoribus: ſicut mons, qui licet obuallettur, & omnibus bellorum machinamentis impetatur, nihil noxæ, aut detrimẽti accipit. Pulcrè S. Chryſoſt. habet: *Vocat autem nomine montis Eccleſiam ſimul, & inexpugnabilem dogmatum eius traditionem. Quemadmodum enim licèt quis obuallet, & obijciat militũ millia decem: & hi quidem intorqueant arcus, illi euibrent haſtas, & eiaculentur, illi genus omne molitionis admoueant, & bellica machinamenta, ita vt adſint omnia, nihil noxæ, aut detrimenti inuehent ſoliditati montium. Illinc potius ſecedere cogentur, conſumpta inaniter ſua fortitudine. Sanè id ipſum contigit ad vnum omnibus, qui oppugnarunt Eccleſiam: hæc quidem inconcuſſa perſtitit; illi è diuerſo, deperdita propria virtute, indecoris infamiæ notam incurrerunt.*

Quarta ratio, propter illius inexpugnabilem fortitudinẽ. D. Chryſoſt. *Eccleſia victrix, perſecuteres deuicti.*

11. Quintò mons dicitur Eccleſia propter doctrinæ excellentiam, dogmatúmque ſublimitatem; nam ſacra, & arcana Theologia de Deo, & Angelis, & Chriſti myſteriis alumnos ſuos imbuit: nihil terrenum ſapit, nec cum Philoſophorum primoribus, ſapientiæ nomine claris, humi repit, rebus inanimis, aut viſibilibus creaturis diuinitatem impertiens; ſed vnum diuinum numen veneratur, vnicum humani generis redemptorem prædicat: Et ad contemplanda ſpiritualia, & cæleſtia diſcipulorum animos euehit. Præclarè S. Cyrill. Alex. in c. 2. Iſaiæ ſcribit: *Mons Domini, & domus Dei Eccleſia excelſa eſt, quoniam terreni nihil ſapit, & ſupra res terrenas eſt, & gloriam Dei quatenus licet, animi oculis intuetur, & ſublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur. Græcorum enim cohortes lectiſſimæ, etiamſi ſapientiæ nomine ſupercilium valdè tollerent; creaturas tamen quaſi Deificant, mundiq; elementis venerationem attribuunt. At Eccleſia ſupra omnes creaturas aſpectabiles, & inaſpectabiles euolat.* Ferè eadem repetit in cap. 4. Michææ.

Quinta ratio, propter doctrinæ excellentiam, & dogmatũ ſublimitatẽ. D. Cyr. Alex. *Græcorum ſapientes creaturas deificant, Eccleſia verum Deum colit.*

12. Sextò deniq; mons aptus eſt rebus indicandis ſigno, vel voce: dat quoq; ad ſe confugientibus ſecuritatem, & præſidium. Sic Eccleſia mons eminẽs, & eleuatus eſt, vt facilius valeat docere homines, & vocare gentes ad fidei lumen; in ea Ethnici, publicani, peccatores, miſericordiæ arcem, præſidium pietatis inueniunt: fideles in aduerſitatibus refugium: hæretici naufragantes, ſi ſe ſe reducere velint, & vetæ fidei tabulam arripere, tutum in omni tempeſtate portum.

Sexta ratio, quia fideles inſtruit, & peccatores protegit.

Cur Eccleſia nuncupetur: Mons domus Domini? *Et an fiat alluſio ad montem Moria?*

13. IN his verbis videtur alluſiſſe Vatem ad mõtem celeberrimum Moria, in quo Salomonis templum, & domus Dei conſtructa. Nam idem denominationis decus montis domus Domini, quod Iſaias Eccleſiæ detulit, mons Moria retinet. Ierem. c. 26. v. 18. vocatur: *Mons domus.* Et lib. 2. Paral. c. 33. v. 15. de Manaſſe poſtquam reuerſus eſt de Babylonis captiuitate: *Abſtulit Deos alienos, & aras, quas fecerat, in monte Domus Domini.* Mons autem domus Domini, ſeu in quo fundata eſt domus Domini, eſt terra viſionis, ſeu mons Moria, vt conſtat ex lib. 2. Paral. c. 3. v. 1. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moria.*

Mons Moria in quo conſtructum eſt templum, vocatur mõs domus Domini.

14. Quod autem hunc montem Iſaias reſpexerit, cum de Eccleſiæ ſtructura præſentem ſermonẽ inſtituit, teſtatur Hug. Cardinal. in c. 22. Geneſis deſcribens locum immolationis Iſaac ad ea verba v. 2. *Vade in terram viſionis, & ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Ibi ait: *In Iudæa erat quidam monticulus cæteris eminentior, quem monſtrauit Dominus Abraham ad immolandum filium ibi: dicitur mõs Moria: in quo tradunt Hebræi tẽplum poſtea factũ: altare factũ ibi, vbi Abrahã fecerat ſuum altare: & ibi vidit Dauid Angelũ reponẽtem gladium in area ſcilicet Ornan Iebuſæi. Vnde Iſaiæ ſecundo dicitur: erit mõs domus Domini in vertice Montiũ, & fluent ad eum omnes gẽtes.* Subſcribit Oleaſter ibid. agens de radice *Iarach* à qua poteſt deduci *Moria*, de quo poſtea: *A jarach quod eſt docere, deſcendere, quod ex eo monte deſcẽſura, & proditura eſſet doctrina, & lex iuxta illud Iſaiæ ſecundo: de Sion exibit lex.* Sed quod caput eſt, idem aſſerit Venerabilis Beda, lib. de templo Salomonis c. 5. *Ædificatur in monte domus Domini.* Et paucis interiectis: *Ædificatur in monte, videlicet in ipſo Domino Saluatore, de quo Eſaias ait: erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice mõtiũ.*

Ad montem Moria alludit Iſaias. Hug. Card. *Mons Moria ſacrificio Abrahæ deſtinatus. Altare templi factum, vbi Abrahã ſuum cõſtruxit altare, opinio eſt Hebræorum.* Oleaſt. *De monte Moria doctrina Euãgelica prodijt.* Beda.

15. Significationẽ verbi *Moria*, expendamus. Iuxta varias radices, è quibus deriuari poteſt, varias interpretationes ſortitur, huius capitis ſecundi Iſaiæ ſẽſui, & expoſitioni aptiſſimas. Si deducatur à מר, & יה idẽ eſt *morjah*, ac *amaritudo vel myrrha Domini. Oſtendens vel iudicans Dominus, ſeu: dominatio Domini: vel timor Domini.* Vnde Cant. c. 4. dicitur: *Vadã ad montẽ myrrhæ.* Chald. legit: *ad terrã latriæ.* Addunt Lyra, & Burg. ad c. 22. Geneſ. *Moreh propriè ſignificat timorem, vnde in eo loco reddebatur Deo cultus latriæ, quæ præcipuè fundatur in timore Dei Sancto.* Si verò deducas à radice ירה *iara* idem eſt ac: *Doctor meus, aut docens me Dominus.* Vnde mons Moria eſt: *Mons doctrinæ, ſeu Doctoris.* Sic interpretantur hoc nomen Moria Arias Montan. in interpret. nominũ Hebr. Burgenſ. in addit. ad c. 22. Geneſ. Et Oleaſter ibidem, & Santes Pagninus in Lexico.

Moriah, interpretationes variæ. Mons latriæ, mons timoris. Chald. Lyran. Burg. *Moriah mõs Doctoris, vel doctrinæ.* Ar. Mont. Oleaſt. Burg. Santes. P.

16. Alias interpretationes aſſignat S. Hier. lib. qq. Hebr. in Geneſim ad ea verba: *In terrã viſionis. In Hebræo (inquit) eſt Moria, quod Aquila vertit τὴν καταφανῆ, hoc eſt lucidã. Symmachus: τῆς ὀπτασίας, hoc eſt viſionis. Aiunt ergo Hebræi hunc montem eſſe, in quo poſtea tẽplũ cõditũ eſt in area Ornæ Iebuſæi. Sic enim 2. Paral. c. 3. ſcriptũ eſt: cœperunt ædificare tẽplũ in monte Moria: qui propterea interpretatur lucẽs, & illuminãs, quia ibi eſt Dabir, hoc eſt oraculũ Dei, & lex, & Spiritus S. docens homines veritatẽ, & inſpirãs prophetias.* Hæc Hieron.

D. Hier. *Mons Moriah terra lucida.* Aug. Sym. *Lucens & illuminans in hoc monte eſt oraculũ Dei, & Spiritus ſanctus.*

Præterea

Myrrha, & ſtilla Domini.

17. Præterea verbũ Moria poteſt deduci à verbo מר *mar* ſine ו *vau* in medio dictionis, & ſignificat myrrham, & ſtillam: & eſt nomen proprium Beatiſſimæ Virginis, nam Maria ſecundum rigorem Hebraicum non ſignificat *ſtellam, ſed ſtillam Domini.* Hinc eſt quod Lyra ſuprà ait: *Moria in hoc loco ſcribitur taliter, quod poteſt legi Maria: vnde non inconuenienter diceretur, quod ille mons intitularetur à Beatiſſima Virgine, quæ ibidem ſcilicet in templo filium ſuum obtulit Deo, & deinde iuxta illum locum propriis oculis aſpexit filium ſuum immolari ſtans iuxta aram Crucis.*

Maria non ſtella, ſed ſtilla Domini.
Lyra.
Moria à Maria nuncupatur.
Maria in hoc monte ſiliũ obtulit.

Montis Moria, & montis Eccleſiæ cõparatio.
In Eccleſia eſt Spiritus ſancti directio.

18. His prælibatis: mons domus Domini Moria, & mons domus Domini Eccleſia, ſeſe mutuò reſpiciunt, eandemque habent magnitudinis inſignia. In monte Moria erat Spiritus ſanctus docens homines veritatem: potiori iure reperitur in Eccleſia eam dirigens, & illuſtrans, ideo mons præparatus, hoc eſt ſtabilitus, & firmus Spiritus ſancti directione: ſuprà Eccleſia vocatur ciuitas veritatis, in qua eſt Dabir, & lex, & oraculum ſcilicet Chriſtus, & Apoſtoli, & Pontifices Apoſtolorum ſucceſſores. Vnde ait: *De Sion egreditur lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*

Mons Moria Dominus vidit, Dominus videbit, appellatur. Dominus apparuit, dicitur.

19. Monti Moria hoc indidit nomen Abraham: *Appellauit nomen loci illius Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur, in monte Dominus videbit.* Geneſ. capite 22. verſ. 14. Septuaginta legunt: *In monte Dominus viſus eſt.* Et in Biblia Sixti: *In monte Dominus apparuit*: Sic legit Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8. quia Chriſtus Dominus in hoc monte viſus eſt hominibus iuxta illud Baruch cap. 3. verſ. 36. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Optimè ad rem noſtram Catena in Geneſ. ait: *Appellatur terra viſionis, quia propter montium altitudinem è longinquo eſt aſpectabilis, & conſpicua. Maximè autem, quia in ea filius Dei verus homo factus, & viſibilis omnibus, habitaturus erat ibi*: Similiter apud Iſaiam Chriſtus Dominus dicitur *mons manifeſtus*, iuxta Septuaginta: quia viſibilis apparuit, & ab hominibus viſus eſt: monſque Eccleſiæ conſpicuus, ſplendens, & illuſtris propter ſuam ſpeciem, & ſplendorem è longinquo aſpicientibus eſt aſpectabilis.

Cat. Geneſ.
In terra viſionis Deus viſibilis apparuit.

Eccleſia dicitur mons viſionis, quia in eo viſiones prophetarum adimpletæ ſunt.

20. Dicitur Eccleſia: *mons viſionis*, quia viſiones Prophetarum, quas Dominus in dies multiplicabat, in hoc monte adimpletæ ſunt. Et nuncupatur: *Dominus videt*, & *Dominus videbitur.* Quia ex quo Deus factus eſt homo, & ſicut Iſaac baiulauit lignum, & iuxta montem Moriæ velut ouis oblatus, & in planta Sabec hoc eſt Crucis patibulo, ſuſpenſus, occiſus; Oculi Dei, quos habebat clauſos propter iniquitates noſtras; meritis, & precibus Saluatoris aperti ſunt, vt miſereantur noſtri. Rectè ergo Venerabilis Beda de nomenclatura montis Moria ediſſerẽs, fatur libro de templo c. 4. *Qui rectè mons Moria, id eſt viſionis vocatur, quia electos ſuos, quos ad æternæ claritatis viſionem conſeruat, in hac interim vita laborantes, videre, & adiuuare dignatur.* Multo clementius in Domum Eccleſiæ Chriſti, quam in Salomonis templum oculi Dei erunt aperti. Quare Dauidis imprecatio 3. Reg. c. 8. v. 29. *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte, ac die.* in Eccleſia Chriſti adimpleta eſt.

Beda.
Homines afflictione vexatos Dominus videre dignatur.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Mons Moria vocatur: Dominus videbitur, quia poſt paſſionem Chriſti promittitur viſio Dei.

21. Sed cur vocatur *Dominus videbitur*? Quia ante oblationem veri Iſaac clauſus erat paradiſus, viſione Dei frui non valebat homo; poſt paſſionem Chriſti, & immolationem agni, qui tollit peccatum mundi, viſio, & fruitio Dei, Abrahæ, & eius poſteritati promittitur, cum dicitur: *Dominus videbitur.* Quare cũ nepos Abrahæ Iacob Deum vidiſſet facie ad faciem, appellauit locum viſionis: *viſionem Dei, ſeu: ſpeciem Dei*, quia Deus ab homine viſus eſt. Demum in illis verbis: *Dominus videbitur*, nobis promittitur in patria viſio Dei viuentis, & videntis.

Locus luctaminis Iacob, vocatur: viſio, ſeu ſpecies Dei.

Eccleſia dicitur mons Myrrhæ, id eſt pœnitentiæ, & mortificationis.

22. Mons *Moria*, & mons Eccleſia dicitur mons myrrhæ, & amaritudinis, hoc eſt mortificationis, & mortis. In Eccleſia namque tali documento inſtituitur, & tali virtute roboratur homo, vt vitam, & ſanguinem pro Chriſto fundat, quod mortificet membra, quæ ſunt ſuper terram, effrenes cohibeat motus, paſſiones vincat, præcingat lumbos baltheo caſtitatis; ad oppoſitionem Synagogæ Hæreticorm & gentium, quorum Deus venter eſt, qui indulgentes voluptatibus, aſperitati, & pœnitentiæ irrident.

Hæretici aſperitatibus irrident.

Dicitur mons luminis, & doctrinæ, quia in eo vates illuminati ſunt, & docti.

23. *Moria* idem eſt, ac *doctrix, mons Doctoris,* vel *doctrina*, quia in eo potiſſimum Vates illuminati ſunt ab Spiritu ſancto, vt viderent viſiones Dei, in eiſque exponendis, aperiendis, magnum impendebant laborem, & ſolicitudinem, vt diſcipulos edocerent. Quare ſæpiſſimè pro templi foribus viſiones annuntiabant, & aperiebant ænigmata. Dicitur *mons Doctoris*, illius inquam, qui ab Iſaia promiſſus eſt: *Et docebit nos vias ſuas.* In hoc monte Chriſtus domum doctrinæ, & cæleſtis ſapientiæ inſtituit, & Apoſtolos docuit: Spiritus etiam Sanctus in die Pentecoſtes adueniens in lumine, & igne, docuit eos omnem iuſtitiam, iuxta Saluatoris promiſſum; & ſacramenta diuinitatis, & humanitatis aperuit. Duos itaque habuerunt Doctores, Spiritum ſanctum intus, & extrà illuminantem, & inflammantem, & inſtituentem ſignis; & Chriſtum eos erudientem verbis, ſermonibus, miraculis.

Mons Doctoris nimirum Ieſu, qui in hoc monte diſcipulos inſtituit.
Apoſtoli ab Ieſu, & Spiritu ſancto eruditi.

Mons Moria dicitur lucens propter ſplendores, & lumina, in eo viſa.

24. Meritò mons Moria nominatur: *Lucens, & illuminans*, non tantum propter rationes aſſignatas à S. Hieronymo, ſed propter alias, quas ſtatim enumero. Propter ſplendores, & lumina, quæ diuerſis temporibus in hoc monte apparuerunt. Primò quando Deus eum oſtendit Abrahæ vt filium immolaret. Quare ad ea verba Geneſ. cap. 22. verſ. 2. *Super vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Inquirit Abulenſis *Quomodo monſtrauit?* Et adiungit ſolutionem dubij: *Reſpondetur ſecundum quoſdam Hebræos, quod ſuper montem illum, in quo futura erat immolatio, vidit quandam columnam ignis Abraham in loco propriiſſimo, vbi ſtrues lignorum componenda erat.* Quod licèt ſit dubiæ fidei, id tamen Abulenſis non improbat: id tamen eſt indubitatæ fidei, quod ad electionem montis Dauidico conſilio, vt in eo templum, & oraculum conſtrueretur, cæleſtia lumina præfulſerunt. Poſt oblatum ſacrificium in area Ornan Iebuſæi, quæ erat in monte Moria, deſcẽdit ignis de cœlo lib. 1. Paralip. c. 21. v. 26. *Obtulit holocauſta, & pacifica, & inuocauit Dominũ, & exaudiuit eũ in igne de cœlo, ſuper altare holocauſti.* Ab his ignibus, & luminibus mõs Moria nũcupatur

Abulen.
Per columnã ignis, Deus Abrahæ demonſtrauit montem viſionis ex Hebræorum ſententia.
Super hunc montẽ, ignis deſcendit de cœlo.

lucens, & illuminans. Fortè ad hoc reſpexit Iſaias, quando de Eccleſia loquitur: *Venite ambulemus in lumine Domini.* In hunc montem Iſaias aſcenderat, vt illuminaretur à Chriſto, & erudiretur ab Spiritu ſancto, eique inſpiraretur prophetia. Ideò hoc vaticinium capitis ſecundi vocat דבר *Dauar verbum*, vt alluderet ad *Dabir* montis Moriæ, de quo ſupra Hieronymus. Cum primum nuncupaſſet חזון *hazon*, ſcilicet *viſionem*: quia *Dabir*, hoc eſt, Spiritus ſancti oraculum, & verbum Patris, Chriſtúmque propitiatorium audiuit, & vidit.

Cur Iſaias ſecundũ vaticinium vocauit Dabar?

25. Vocatur Eccleſia mons *lucens*, quia terra noſtra, quæ tenebrarum antea ſqualore ſordebat, nunc diuini luminis claritate illuſtrata fulget. Et *illuminans*, non gaudet ſolum Eccleſia lucere ſibi, ſed alios etiam illuminat, & docet, Iudæos primò, gentes ſecundò, diuinæ gratiæ, & fidei fulgoribus illuſtrat. In ea lucerna eſt agnus, & Sol iuſtitiæ Ieſus, qui in cœlo illuminat Angelos, in terris illuſtrat Vates, & Apoſtolos. Eſt enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Denique vt à Sole Luna, Eccleſia illuminatur à Chriſto. Iure ergo in area Ornæ Iebuſæi templum Eccleſiæ figuratiuum conſtruitur, vt nomine ſuo lumen iſtud demonſtraret. Vnde Venerabilis Beda lib. de templo cap. 5. inquit: *Ornan, qui interpretatur illuminans, erat natione Iebuſæus, natione gentiles quidem ſignificat; nomine autem eoſdem illuminandos à Domino, atque in filios Eccleſiæ commutandos, oſtendit, quibus merito dicat Apoſtolus: fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hæc ille.

Eccleſia lucet ſibi, & alios illuminat.

Beda. *Ornan interpretatur illuminans, & gentes denotat illuminatas Fidei lumine.*

Petri Apoſtolorum apicis magnalia prædicantur.

DE Petro Apoſtolo firmiſſimo Eccleſiaſticæ ſtructuræ fundamine, præſens vaticinium litera ſuperior expoſuit, ex Patrum calculo, præſertim Magni Baſilij, cuius verba ſunt Petri laudes, & virtutum ornamenta. Expende ſingula, & tibi ſuggerent varios conceptus. Ad quatuor capita redducuntur verborum præconia. Primum: *Anima Beati Petri nominata eſt petra ſublimis.* Secundum: *quod in fide radices ſolidè defixerit.* Tertium: *aduerſus plagas per tentationis illatas, ſtabiliter, nec perfunctoriè ſe geſſerit.* Quartum: *ſuper quam petram pollicitus fuerat ſe ædificaturum Eccleſiam.* Illuſtremus *ſingula.*

D. Baſil. *Quatuor Diui Petri magnalia proponuntur, & illuſtrantur.*

Discvrsvs I.

Quòd inconcuſſa Eccleſiæ ſtabilitas de Petri munere veniat, cum plauſu gratulatur orbis: cuius petræ firmitas tanta eſt, vt Dei incommutabilitatem æmuletur.

1. EXIMIA Petri dignitas non obſcurari debuit taciturnitatis, aut obliuionis velamine, ſed celebrari totius orbis gratulatione, & plauſu, decantari hymnis, illuſtrari vaticiniis. Primi Eccleſiæ Paſtoris, Eccleſiam poſt Chriſtum fundantis, decus occinit Prophetica Lyra paſtoris. Pſalm. 47. verſic. 3. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion.* Quod de ſtructura Eccleſiæ ſit ſermo, titulus Pſalmi manifeſtat: *Pſalmus cantici filijs Core in ſecunda Sabbathi.* Quæ autem ſit ſecunda Sabbathi, ex primo capite Geneſis conſtat. Prima die creauit Deus lucem; ſecunda die firmamentum conſtruxit. Itaque pro firmitate Eccleſiæ eiuſque fabrica, quæ in fundatione firmamenti figurabatur, carmen decantatur. Id exprimit ſanctus Hieronymus expendens Pſalmi inſcriptionem: *Prima Sabbathi* (inquit) *fecit lucem. Secunda Sabbathi fecit firmamentum. Prima Sabbathi reſurrexit lux Chriſtus. Secunda Sabbathi firmata eſt Eccleſia in fide, quando dixit Dominus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cum Deus tantam condere firmamenti molem mente cogitabat, iam Eccleſiæ ſuæ fundamentum Petrum præordinabat, qui firmamentum æquo iure nuncupatur, quia ſupra inconcuſſam, & firmiſſimam petram fundata permanet. Cùm verò ad præordinatam ab exordio mundi, & ante mundi exordium, operationem exequendam perueniret, dicens: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Omnes gentes plaudunt manibus, iubilantque Deo creaturæ in voce exultationis. Ideò ſequitur: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ, mons Sion.* Chryſoſtomus legit: *Bene firmans eam.* Et verbum εὐρίζει denotat, *firmum, ſtabile, immobile.* De immobilitate, & firmâ ſtabilitate ſupra petram Petri gaudet orbis. Rem totam comprehendit Theodôretus his verbis: *Hanc autem in lætitia vniuerſæ terræ bene, & optimè, & ſolide ædificauit. Ædificauit namque ipſam ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, cum ſit petra angularis eius Chriſtus Ieſus. Et ipſe Dominus Beato Petro dixit: Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Hæc igitur benè fundata pro ſolidis fundamentis poſuit, vt ipſa intrepida, & inconcuſſa permaneat.* Cum cerneret vniuerſus orbis res omnes mutabilitate nutantes, ſolamque Eccleſiam ſupra ſemper ſtabilem petram condi, nullis vnquam labefactandam, aut concutiendam aduerſitatum motibus; magnos excitauit plauſus. Quod bene firmaret & eam ſupra Petrum, & ſuper hanc petram firma, ſtabilis, & immobilis perſiſteret. Quod Eccleſiam ſupra Petri ſoliditatem ſtabiliret, tanquam ſuper firmamentum exornatum, & diſtinctum virtutum ſideribus, grata lætitiæ admurmuratione, & plauſu ab vniuerſo orbe, gratulatio eſt ſignificata: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ.*

Petri laudes regius Pſaltes celebrat.

Titulus pſalmi 47.

D. Hieron. *Secunda Sabbathi fecit Ieſus firmamentũ, quando Eccleſiam in Petro firmauit.*

Bene firmata eſt Eccleſia ſupra Petrũ. Chryſoſt. *De tanta firmitate gaudet orbis.* Theodor.

2. Iſraëlitæ de Babylonico exitio reduces in Ieroſolymitanam patriam, auſcultant iucundè Zachariæ vaticinium, de reædificando templo, à barbaris demolito, & exuſto, cap. 4. verſic. 3. ex Angeli oraculo hæc ſuſcipit Vates: *Quis tu mons magne coram Zorobabel? In planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Literæ ſenſus Zorobabelem exprimit ducem; qui populum alleuauit extorrem, & iugo ſolutum ſeruitu

Tẽpli reædificatio prædicitur à Zacharia.

Theodor.

Mos magnus in planum reducitur, cum montes laborum & difficultatum complanantur.

ſeruitutis, & carceris ærumna, in Ieroſolymam ductam, reduxit. Veſtigiis Theodoreti inſiſto, qui per montem magnum, laborum, & diſcriminum montes, & cumulos, in extruendo templo complanandos, & ſternendos promittit eo verbo: *in planum.* Lapidem primarium Zorobabelem nuncupat, gratia, & robore firmatum, vt tantos hoſtium incurſus toleraret in templi ſtructura. Sed quis ambigat in illa fabrica ædificium Eccleſiæ delineatum, & in Zorobabele, & primario lapide, Petrum adumbratum, fidei, & Eccleſiæ fundamentum primarium, poſt Ieſum? Æquiori iure verba Theodoreti de Zorobabele prolata, ad Apoſtolum Petrum libentiùs transfero: *Educam lapidem primarium. Et ſi millies cum ſumma rabie Zorobabel impedire conemini, veſtras ſpes vanas oſtendam. Eum enim omni gratia compleui, & redundantibus bonis cumulaui, & firmum tanquam lapidem conſtitui.* Quis non cernat præfata eloquia quadrare melius Petro, aduerſus quem nec tyrannorum rabies, nec hoſtium incurſus, nec portæ inferi, nec inferorum ianitores aduerſus ianitorem, & clauicularium regni cæleſtis præualere potuerunt. Sed rem vrgeo, & conceptum exprimo. Arias Montanus per lapidem primarium Apoſtolum Petrum intelligit. Montem magnum Chriſtum Ieſum eſſe iudicat, ex quo virtus, & fortitudo in lapidem pimarium Petrum redundat, hocque innui per id, quod aſſerit vates: *in planum;* ſic enim ſcribit: *Planum hoc in loco miſſor monti adiacens notatur. In planum Monti adiacens indicandus, habenduſque ſit cui perexigua virtus ex ſe eſſet, ex vicino autem monte, multa, & eximia communicaretur.* Quis autem ſit iſte lapis ſubiungit: *Ex diuino beneficio mirabile templi huius artificium cognoſcere, & referre concedatur, & huius lapidis virtutem indagare, cuius cauſa Diuus Petrus à Chriſto audierit: Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis, &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Confirmat mentem ſuam Montanus, nam lapis primarius denotat *principium, fundamentalemque.* Vt Petrum ſignificet Apoſtolorum principem; Eccleſiæ, fideique fundamentum. Ad rem ergo, ex tali fabrica, & Eccleſiæ ſtructura ſuper hanc Apoſtolicam petram, quanta lætitia, & exultatio orbis fuerit ſubſequuta illa verba manifeſtant. *Et exæquabit gratiam gratiæ eius.* Ex Hebræo habetur: *Erantque plauſus ac gratulationes ei.* Et Vatablus addit: *Proferet lapidem capitis eius, cum acclamationibus dicentium: gratia, gratia ſit illi, ſubintellige à Deo, id eſt multus fauor.* Arias Montanus legit: *clamores; gratia, gratia illi. Hoc eſt feliciter, feliciter.* Quaſi diceret: Angeli, homines, vniuerſus orbis proclamat: Macte immortali gloria, eximiaque beatitate Apoſtolorum vertex Diue Petre ſemper auguſte: cum Eccleſia ſuper firmitatem tuam fundatur: immenſamque machinam tuis humeris tanquam diuinus Atlas ſuſtollis, totus gratulatur orbis. Rumor in aula terrena, & cæleſti perſtrepit, gratia, gratia illi, feliciter, feliciter, proſperè ſtructura procedat.

Lapis primarius Petrus omni gratia ornatus. Theodor.

Arias Mont.

Ex mõte Ieſu virtus menti Petro confertur.

Lapis primarius Petrus.

Petrus lapis, principium, lapis fundamentalis.

Plauſus, & gratulatio totius orbis, cũ Ieſus Eccleſiam ſupra Petram conſtruit.

Lect. Hebr. Vatabl.

3. Sed quid gratulatur orbis? Quod Eccleſia à Petri ſoliditate firmatur, Eccleſiæ cumſque moles ruit, ſine Petri ſoliditate fundata. Terra in exordio natiuitatis ſuæ, Dei manibus compacta, vocatur inanis. Geneſ. cap. 1. verſic. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Septuaginta legunt: *erat inuiſibilis, & incompoſita.* Sanctus Auguſt. in lib. de Geneſi ad litteram imperf. legit: *Incompoſita, inordinata, imparata:* Humanam naturam innui nomine terræ collapſam, ex ſtatu innocentiæ felici, in miſerum naturæ corruptæ. Anaſtaſij Sinaitæ cogitatio eſt. Sic enim fatur lib. 1. in Geneſ. *Eam quoque dicit incompoſitam, nam cum in eam mali irrupiſſent fluuij, iniqui ſpiraſſent venti, cecidit, fuit incompoſita, & non conſtructa, & fuit magna eius ruina, vt quæ non eſſet ædificata ſupra vxorem, & ſponſam Chriſti, nempe ſuper petram fidei Petri.* Subtilis eſt Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni contemplatio, ſed prudenti indiget moderatione. Humana natura in ſtatu innocentiæ non fuit propriè Eccleſia, ſed principium materiale, & formale Eccleſiæ, ne faueamus Nouatoribus, qui ex lapſu Adami, & Euæ probant Eccleſiam poſſe deficere. Et licet Protoplaſtus ambigens de diuina ſententia, de Deo ſenſerit, ideoque à Patribus appelletur infidelis, veriſimile eſt, quod fidem Theologicam non amiſit. Vide Bellarminum tom. 1. lib. 3. de Eccleſia cap. 16. Modò verò arguta eſt Anaſtaſij mens, & ad rem noſtram valde præclara: tantum detulit Deus Petro, vt omnem humanæ naturæ conſtantiam eius fidei committeret, in eiuſque firmitate collocaret. Cur fabricatio illa pulcherrima ſtatus innocentiæ ruit? Quia firmamentum ſtabilitatis non acceperat à Petro: *Non erat ædificata ſuper petram fidei Petri.* Et vt verſionibus Auguſtini vtar: non erat *compoſita, ordinata, parata, ſupra Petri firmitudinem,* nondum Chriſtus dixerat: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & licet fides Adami, & Petri eadem fuerit ſpecie, illa tamen non habebat firmitudinis promiſſionem, quæ facta eſt Petro.

Terra inanis natura humana poſt peccatum.

Lect. Lxx. D. Auguſt.

Anaſt. Sin.

Cecidit Adã, quia non erat fundatus ſupra firmitatẽ Petri ex Sinaita placito.

Humana natura in ſtatu innocẽtiæ non ſunt propriè Eccleſia, ſed principium materiale, & formale Eccleſiæ.

Adã Fidem Theologicam non amiſit.

4. Ideò ſponſus vocat Eccleſiam humanam naturam ad Petram firmamentum vt ſecura conquieſcat, ne iterum labatur. Cantic. cap. 2. verſic. 14. *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Vel iuxta Septuaginta: *In tegimento petræ.* Philo Carpathius legit: *In protectione petræ.* Quæ autem ſit petra vel ſaxum ſub cuius tegmine protegenda, & confirmanda inuitatur ſponſa, expendit Theodoretus eſſe Apoſtolum Petrum, illius verba ſunt: *Vocat autem ipſam ſub petra tegumentum, ne iterum nigra fiat. Petram appellat Fidei pietatem, veritatis profeſſionem. Domino enim ex diſcipulis quærenti, quem ſe filium hominis eſſe homines dicerent: Tu es, inquit beatus Petrus, Chriſtus filius Dei viui. Cui Dominus reſpondit: amen, amen, inquiens, dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ex hac petra tanquam ex fonte tota animæ felicitas ſcaturit. Inuenit in ea rupem excelſam, ſaxum firmiſſimum, inuictum propugnaculum. Inuitat columbam ſponſus, vt in hac Apoſtolica petra nidificet, accipitrum ſpiritalium ſecura raptu, vngue: in qua eſt ſecuræ protectionis velamentum. Sed verba illa ad examen

Sponſa Eccleſia inuitatur, vt ſe protegat in petra Petri.

Lect. Lxx. Philo Carp.

Theodor.

Petra, Fidei pietas, veritatis profeſſio.

Vox dulcis ſponſæ Fidei confeſſio à Petro facta.

voca: *Petram appellat fidei pietatem, veritatis profeſſionem.* Nam cum verbis ſponſi mirabili nexu colligantur: *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Nunquid aliquod citharæ modulamen, aut ſponſam fundentem cantus è gutture ſuauiſſimos auſcultare cupit ſponſus? Eſt enim ſponſa non ignara ſpiritales cantus, cœleſteſque numeros moderari. Qualis ſit iſte concentus explanat Vatablus: *Mihi ede vocem tuam.* Scilicet laudis, & confeſſionis. Petram nuncupat Petrum propter fidei pietatem, veritatis profeſſionem, coram Angelis, & hominibus factam, quam amore feruens audacter coram Apoſtolis in medium protulit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cupit ergo ſponſus, vt ab Eccleſia, & anima fidelium, dum hac petra firmatur, & protegitur, ſimilis vox fidei profeſſionis reſultet: Sicut enim vox Petri Deitatem Chriſti profitentis, Angelorum hymnis, & canticis fuit iucundior, ita in Eccleſia, vox confeſſionis, & fidei erit Chriſto ſuauis. Expoſtulat hanc vocem, quia dum fidei veritatem profitetur, Eccleſia firmatur, fides ſtabilitur.

A Petro Angelus ſtabilitur, quo ſenſu?

5. Quid mirum ſi Eccleſiæ firmitas de Petro veniat, quandoquidem Angelus ex hac petra roboratur. Quid temerè lingua effutis? Apage hanc mentem. Nunquid homo det Angelo firmitatem? Non futilis cogitatio, nec leui argumento nititur. Cùm piæ fœminæ properarent videre ſepulcrum, Angelum reſurrectionis præconem inueniunt ſedentem ſupra petram. Matth. cap. 28. verſic. 2. *Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Alibi Angelum ſtantem, hîc ſedentem inuenio, quæ cauſa ſeſſionis ei, cuius munus eſt adſtare Domino? Reſpondet ſanctus Chryſologus ſermon. 74. *Et Angelo quæ cauſa ſedendi erat, cui nulla inerat laſſitudo? Sed ſedebat, vt fidei doctor, vt reſurrectionis magiſter: ſedebat ſuper petram, vt ſoliditas ſedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus ſuper petram fundamenta fidei, ſuper quam Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus, qui dixit: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Reſurrectionis, & fidei magiſterium ſupra Petrum collocat Angelus, & in hac petra cathedram cœleſtis diſciplinæ, & gymnaſium figit, vt ſtabili firmitate ſolidetur. Vt ore docens ſacramenta cœleſtia, ſupra petram requieſcit, & ſupra Petrum incumbit, ipſeque Petrus docentem Angelum ſuſtinet, & dum Petri fidem docet, velut in Petro firmatur; & dum Angelus de Petri ſoliditate communicat credentibus firmitatem, de Petri ſtabilitate ipſam ſuam firmitatis communicationem corroborat. Denique tanta eſt huius petræ fortitudo, vt non ſolam Eccleſiam, ſed ipſum Angelum ſuſtentet.

Cur Angelus ſedet ſupra petram ſepulcri.

D. Chryſol.

Fidei fundamentum in petra, ſuper quā Chriſtus Eccleſiā fundat.

Collocat Angelus Fidei magiſterium ſupra Petrū, & in Petro firmatur.

Petrus docentem Angelū ſuſtinet.

6. Nec miror Petri firmiſſimum robur, quod Dei incommutabilitatem æmulatur. Inquirit ſanctus Athanaſius, quis ſit ille vir ſapiens, de quo Matthæi cap. 7. verſic. 24. dicitur. *Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram?* Et reſpondet quæſtione 8. ex parabolis: *Quis ille homo? Sanctus Petrus. Petra Chriſtus, domus fides, ventus diabolus eſt.* Quid mirum ſi inconcuſſa permaneat, & Dei immutationem præferat. Sed rem illuſtro ex verbis Exodi cap. 34. verſic. 2. quibus Deus cum Moyſe fatur: *Stabiſque mecum ſupra verticem montis.* Philo Hebræus legit: *Tu vero hic ſta mecum.* Quaſi Deo appropinquans, eiuſque fortitudini innitens, conſiſtat ſecurus periculi, & mutationis expers. Acumen continent verba Philonis lib. de gigantibus: *Vir ſapiens nunquam à virtute ſeparari poteſt, ſiue quia virtus eſt immobilis, & vir probus immutabilis, quod ambo in recta ratione ſtabiliantur. Tu vero hic ſta mecum. Oraculum enim hoc Prophetæ redditum eſt, de ſtatione, quieteque immota, apud Deum nunquam mobilem.* Si Moyſes iuxta Deum immobilis, & immutabilis conſiſtit, virque probus ſecura ſtatione quieſcit; quanto firmius ille ſtabit, qui petra conſtituitur, vt proximior Ieſu in hac fidelium compage Eccleſiam condat. Moyſi dicitur, & cuique iuſto: *Tu hic ſta mecum.* Ieſus autem dicit Petro: *Ego ſtabo tecum, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Rectè de Petro vſurpabis verba Philonis, quod eius virtus, & firmitas eſt immobilis, & vir probus Petrus immutabilis.

Petra ſuper quam domus ædificatur Petrus eſt.

D. Athan.

Philo Iud.

Vir probus Deo innitēs, & adhærens, immobilis, & immutabilis redditur.

Moyſi dicit Deus: ſta mecum; Petro dicit Ieſus: ſtabo tecum.

7. Cum Apoſtolorum cymba quateretur flatibus, iactaretur fluctibus, inter ſpumantes nimbos, & aquarum vortices, apparuit Ieſus quarta noctis vigilia: illis exiſtimantibus eſſe ſpectrum, aut terriculamentum incutiens timorem, clamauerunt: phantaſma eſt. Sed Ieſus mœrorem abſtergit, timorem diſcutit, afflictoſque, & turbatos, amica voce permulcet. Cùm Ieſu verba velociter ad aures Petri peruolant, voxque grata perſonat, ſeſe præceps proiicit in æquor, confugiens ad Ieſum. Pulchra ſunt diui Matthæi verba cap. 14. verſic. 27. *Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: habete fiduciam. Ego ſum; nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit. Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: veni. Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Neſcit tarda molimina fides, & amor Petri. Dum reliqui condiſcipuli terrore adhuc expalleſcunt; Petrus de præſentia Domini ſecurus, magna animoſitate pergit ambulare maria, vt ſeſe ad pedes Ieſu abiiciat, & exoſculetur manum. Cur Petrus tam citato gradu lympharum volumina calcat, vt perueniat ad Ieſum? Sed quid a Ieſu expoſtulat, quid ex Deitatis fonte haurire concupiſcit? Immutabilitatem. Teſtor ſanctum Anſelmum huius poſtulationis auctorem in cap. 14. Matthæi ſcribentem. *Si, inquit, tu es, ſi tu incommutabilis permanes, iube, quia iuſſio tua eſt virtus efficiens, iube me ſuper aquas, id eſt ſuper fluctus mundanarum tribulationum, & ſuper populos venire ad te. Vt & ego tibi incommutabili adhærens, fiam incommutabilis participatione firmitatis tuæ.* Rurſus ad ea verba, *Vt veniret ad Ieſum*, eundem conceptum idem Cantuarienſis Archipræſul repetit: *Hæc omnia egit, vt veniret ad Ieſum, qui eſt Saluator, & veritas incommutabilis, quatenus eum apprehendens, & ei inhærens, veram teneret in eo ſtabilitatem.*

Sedata maris tempeſtate, Ieſum loquentem agnouit Petrus.

Petrus citato curſu ſuper aquam graditur.

D. Anſelm.

Petrus ad Ieſum properat, vt ab eo hauriat incommutabilitatem.

D. Anſel.

D ij

& incommutabilitatem. Hæc ſanctus Anſelmus. Adhætens Ieſu,& Deo, qui non mutatur, exoptat fieri participatione diuinæ firmitatis, immutabilis. Dum cupit tenere Ieſum, appetit apprehendere immutabilitatem.

Discvrsvs II.

Petri errorem, & lapſum Ieſus permiſit, vt ex infirmitate fortior, & fidentior ſurgeret; & erga labentes, & errantes peccatores maiora ſigna pietatis, & dilectionis demonſtraret.

1. CVm in hoc diſcurſu Baſilij verbis: *Aduerſus plagas perte̅tationes illatas ſtabiliter,nec perfunctoriè ſe geſſeris*: Noua adiicio ornamenta, & lumina; à me accuratè exquiris.Si Petri firmitas Dei immutabilitatem æmulata eſt, quomodo mutauit ſententiam pro Magiſtro occumbendi, & lapſus in errorem, vt Ieſum negaret? Cui titulus abunde reſpondet, dum eum exotuo. Caſus Petri permiſſus eſt, vt ex eius ruina ad ſublimiorem ſanctitatis verticem extolleretur, & ex eius infirmitate, fletu, & lacrymis conſolidata, maiori ſtabilitate fundaretur.

Si Petri firmitas Dei immutabilitatem æmulatur, quare trina negatione labitur.

D.Max.

Rectè ſanctus Maximus homil. 4. de Sancto Petro, inquit: *Poſtea quàm negauit Dominum, fuiſſe meliorem. Fidelior enim factus eſt poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit; atque ideò maiorem gratiam reperit quàm amiſit. Tanquam bonus enim paſtor tuendum gregem accepit: vt qui ſibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipſe rogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret.* Maius datum eſt firmitatis robur poſt lapſum, eximios accepit virtutis profectus, maiora virtutis & dignitatis incrementa. *Maiorem gratiam reperit, quam amiſit.* Apoſtolorum culmen, Dominici gregis rector, & paſtor à Domino formatur.

Melior, & fidelior ſurgit Petrus de ruina.

2 De S. Petri prolapſione decantatum à Dauide carmen exiſtimo Pſal. 36. verſ. 24. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Fragilem, & luteam hominis hydriam cadere, & non collidi prodigium eſt; nec mireris infractam, ſi ad diuinæ pietatis blandimentum peruenit. Rurſus ſtupeo, quod petra ſupra petram cadat, & colliſus non reſultet. Cecidit petra Petrus, irruit in petram Ieſum; & non colliduntur? Non colliditur, quia poſt caſum, hanc Apoſtolicam petram lacrymarum imbribus madefactam, pelagus, & fluctus miſericordiæ Diuinæ ſuſcipiunt. Dum petra in aquam cadit non excitatur colliſio. Eſto, non frangatur, non conteratur. Do tibi colliſionem vtriuſque lapidis, dum ex ea ignis, & ſcintilla diuini amoris excutitur. Sed cur Dominus manum ſupponit? Vt denotet maius virtutis incrementum ex ruina. Venerabilis Beda inquit: *Nullus caſus*

Petrus caſu ſuo non eſt colliſus, quia pietatis diuinæ pelagus, eum ſuſcepit.

Beda.

erit ei ad deiectionem, imò ad exaltationem. Et ſubiungit de viro iuſto: *Tribulatio non eſt ei ad depreſſionem, ſed ad erectionem.* Tentationis onere non deiicitur, non deprimitur Petrus, ſed erigitur ad cœli culmina, exaltatur ſuper Apoſtolorum vertices. Sanctus Hieronymus locum expendit de Petro: *Agenti pœnitentiam ſtatim miſeretur. Sic, & Dauid, & Petrus cognitum, lacrymis purgauerunt delictum, & à Domino confirmati ſunt.* Rurſus Hieronymus legit: *Dominus firmat manum ſuam.* Scilicet cadentis. Et Septuaginta in Biblia Sixti Quinti: *Dominus confirmat manum eius.* Poſt caſum non tantum firmat Petrum, ſed confirmat. Felix culpa, quæ mutatur in melius, poſt crimen commiſſum, & remiſſum, ne iterum Petrus prolabatur, in gratia confirmatur. Poſt errorem, poſt tentationem, confirmat Dominus beneficium dignitatis. Quanta Domini clementia, vt offenſus à Petro, inhonorum non relinquat ingratum, ſed poſt negationem euehat ad apicem Apoſtolicæ dignitatis. Pœnituit Deum fuiſſe hominem, quem plaſmauerat, quia perdiderat innocentiam, non piguit feciſſe Petrum, cui tradiderat remiſſionem criminum, vt dum proprio incumbit medicando vulneri alienius vlceribus medeatur: *Dominus confirmat manum eius.* Quæ futura erat cœli, Eccleſiæque firmamentum. Secura, & inconcuſſa ſtat compago,quæ omnipotenti ſuffulcitur manu. Meritò manum confirmat; in qua ſunt clauis, quibus cœlum aperitur, aut clauditur. Confirmat vtique manum, quæ peccatores pœnitentes abſoluit. Quod in terris ſoluit, aut ligat, Deus de cœlis confirmat.

Caſus iuſti non ad deiectione eſt, ſed ad exaltationem.

D. Hieron.
Ieſus Petrum confirmat poſt ruinam.

D. Hieron.
Lect. Lxx.
Dominus manum Petri firmat, & confirmat.

Manus quæ cœlū aperit, aut claudit, & omnes abſoluit, à Domino confirmatur.

3. In catalogo virorum fortium primus recenſetur lib. 1. Paralipomen. cap. 11. verſic. 11. *Ieſbaam filius Hachamoni, princeps inter triginta: iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.* At lib. 2. Regum cap. 23. verſic. 8. diuerſus interfectorum numerus refertur. *Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi teneriſſimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Plures enim auctores exiſtimant eundem eſſe principem Dauid, & Ieſbaam, præcipuè Gloſſa ordinaria. Quæ ergo diuerſitatis occaſio in recenſendo interfectorum numero? quod Paralipomenon liber trecentos referat, Regum liber octingentos interfectos? Reſpondent Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntiæ, & Gloſſa ordinaria: *Alij hunc Dauid intelligunt, quia Ieſbaam interpretatur ſedens in populo, Hachamoni ſapientiſſimus. Sed ibi vermiculo ligni comparatur, quia minuebatur illi ſapientia, propter peccatum, quod in Vriam commiſerat. Vnde ibi octingentos vno impetu interfeciſſe, hic autem trecentos, pro peccato enim minorata eſt fama.* In Dauid poſt crimen virtus, & honor decreſcit. Quanto fortior, & felicior Dauide Petrus, cui nec fortitudo, nec dignitas imminuta poſt occaſum. Potius dum numeratur in deſcriptione robuſtiſſimorum Dei, qui eius regnum violenter diripiunt, & inter duodecim diuinorum facinorum Duces, ſolus Petrus obtinet principatum.

Cur numerus beſtiā à Dauide interfectorum variatur lib. Paralip. & lib. Reg.

Liber Regum octingentos, liber Paralip. trecentos refert.

Raba.
Gloſſa.

Poſt Dauidis peccatū minoratus eſt numerus, & imminuta eſt fama.

Petri gloria non eſt imminuta poſt caſum.

Maiori poſt negationem fortitudinis firmitate inſtructus erigitur. Ad primum prædicationis Petri impetum, non trecentos, non octingentos, ſed obtulit Domino animarum tria millia. Actorum c. 2. v. 41. Petri poſt caſum non minuitur numerus facinorum, ſed augetur.

Petrus cū petra deſerti comparatur.

4. Cum Petra deſerti comparat Sanctus Maximus Petrum, fundente flumina, ſubminiſtrante poculum. Numer. cap. 20. verſ. 11. *Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, itaut biberet populus, & iumenta.* Nec inter petram Oreb & Petrum ſimilitudo ingloria. Do tibi hîc maxima Maximi verba homilia in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: *Sicut in deſerto Dominico ſitiente populo aqua fluxit e petra, ita vniuerſo mundo perfidiæ ariditate laſſato, de ore Petri fons ſalutiferæ confeſſionis emerſit.* Sed in hoc conceptu acumen, & fructum verborum audiùs hauriam: adſtamus enim iuxta fontem. Saxum, aquarum fluēta non eructat niſi percuſſum. Quod clarius exprimit Exodi caput 17. verſ. 6. *Percutieſque petram, & exibit ex ea aqua.* De radice aridiſſimi ſilicis lympha non exilit, niſi iterato ictu virgæ concutiatur. Non poterat Moyſes ſolo imperio Domini, & vicaria poteſtate conuertere deſertum, & ſalebras in ſtagna aquarum? Poterat vtique. Sed percuſſura virgæ in primis præcipitur Moyſi, vt ex ipſa deriuetur ſcaturigo fluentorum, *percuties petram, & exibit aqua.* Erat Petrus ſolida petra, rupes excelſa, ſaxum duriſſimum, ſed obturati erant aquarum fontes, & venarum ſcatebræ, donec virgâ tentationis percutitur, rigidoſque ictus negationis patitur. Permiſit Ieſus percuti ſilicem Petri virgâ non bis, ſed ter, trinæ tentationis incurſu; & dum in pœnitentiam erigitur, copioſos imbres lacrymarum fundit, & velut paradiſi fons, confeſſionis, & fidei fluminibus Eccleſiam irrigat. Locus, in quo petra deſerti pocula ſubminiſtrat, vocatur tentatio, Exodi cap. 17. verſ. 7. *Vocauit nomen loci illius tentatio.* Addunt Septuaginta: *tentatio, & maledicentia.* Vt innuat tentationem Petri non ſolum negantis, ſed etiam execrantis, aut anathematizantis. Marci cap. 14. verſ. 71. ex hac petra tentationibus, & negationibus icta, fluunt ſapientiæ aquæ.

D. Max. *Aqua confeſſionis Fidei fluxit de Petro.*

Petra antequam fundat flumina, percutitur virga. Exod.

Petra deſerti bis percutitur, Petrus ter virga tentationis feritur.

Locus in quo petra deſerti aquas fundit, tentatio vocatur. Lect. LXX.

Cur Petrus & non Ioannes eligitur ad Apoſtolica dignitatis apicem.

5. Sed amicus lector curioſius perſcrutatur, cur in Apoſtolici culminis apicem non eligitur Ioannes, qui ſpecioſæ cuiuſdam innocentiæ, aut immaculati pudoris præferret exemplum; ſed Petrus peccator, qui Apoſtolicam gloriam dedecoris maculâ aſperſit, trinaque negatione grauiter offendit Ieſu dignitatem? Eandem quæſtionem excitat Ambroſianum ingenium circa Dauidis Regis flagitium, & Chriſti proſapiam, cur caput nobiliſſimæ ſtirpis Dauid peccator eligitur? Difficultatis nodum ſtringit, & diſſoluit Sanctus Amb. in Apologia Dauid ſecunda c. 6. dicens: *Dicit aliquis, qua ratione, & adulterium, & parricidium commiſit Dominici generis auctor electus a Deo? At ego aliud dico: ideo electus ſuit Dominici corporis origo. Quid eſt enim incorporatio, niſi remiſſio peccatorum? Et ideo exors peccati eſſe non potuit, vt diuinam gratiam, & exemplo præferret, & nuntio.* Eandem ego de Apoſtolo Petro ſententiam pronuntio. Tale caput Eccleſiæ fuit eligendum, quod tentatione nutauerit; Chriſtus Eccleſiæ conditor, qui pro peccatoribus venerat, Eccleſiæ verticem voluit habere peccatorem; ideò Petrus *Exors peccati eſſe non potuit.* Vt remiſſionis, & abſolutionis *gratiam, & exemplo præferret, & nuntio.* Illacrymans Petrus tacebat, ſed lacrymæ, & ſingultus clamabant; ſi mihi neganti dimiſit, quorum crimina non remittet? Expertus in ſe miſericordiæ viſcera, eximia pietate ſuſcepit errantes, Vt ipſe a tam graui ſcelere abſolutus à Domino, iucundiori vultus ſpecie delinquentes abſolueret.

Eadem quæſtio excitatur, cur Dauid peccator eligitur, vt caput proſapiæ Chriſti. D. Amb.

Eligit Deus Dauidem peccatorem, quia ad excitandos peccatores veniebat.

Petrus peccator eligitur, vt ad ſpem veniæ errantes excitet.

Cur inter principes & duces Abſalō, ſolum Amaſam vocauit Dauid.

6. Poſt quam Abſalom in quercus patibulo ſuſpenſus, & tribus lanceis traiectus occubuit, diſperſum populum rebelleſque milites allicere cupiens Dauid, Amaſæ principi militiæ Abſalon, per Sacerdotes Sadoc, & Abiathar hæc verba tranſmiſit: *Et Amaſæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Lib. 2. Regum cap. 19. verſ. 13. Cur inter reliquos Principes, & duces exercitus Abſalon, ſolum Amaſam deſignauit Dauid? Reſpondent Lyra & Gloſſa: *Iſte inter omnes plus peccauerat contra Dauid, quia fuit princeps exercitus Abſalon; cum tamen eſſet nepos Dauid; & ideo ipſum ſpecialiter nominauit. Sicut & Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam per Angelum expreſſit ſpecialiter Petrum, dicens, dicite diſcipulis meis, & Petro. Quia propter Chriſti negationem non fuiſſet auſus inter diſcipulos comparere, niſi fuiſſet ſpecialiter nominatus.* Dauid Amaſam, Ieſus Petrum nominat, qui plus peccauerat inter Apoſtolos, vt conſcientia non opprimatur pondere delicti, ſed ſubleuetur diuina pietate. Tantum abfuit, vt Petrus poſt lapſum remaneret inglorius; vt meruerit ſpecialiter nominari ore diuino, Angelumque delegari reſurrectionis nuntium, qui eum ad ſpem erigeret.

Lyr. Gloſ. *Ideo ſpecialiter nominatur quia plus peccauerat contra Dauid.*

Sic Petrus ſpecialiter à Domino nominatur.

D. Greg. Mag.

7. Nec ſupprimenda cenſui verba Sancti Gregorij Magni, qui expendens Euangelij textum Marci cap. 16. *Dicite diſcipulis meis, & Petro:* Homilia 21. præclaras ſententias ſubiūgit: *Quærendum nobis eſt cur nominatim diſcipulus, Petrus deſignatur ex nomine? Sed ſi hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui magiſtrum negauerat, venire inter diſcipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne deſperaret ex negatione. Qua in re conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus, eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſe ipſum negare permiſit? Quod nimirum magnæ actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus, vt is, qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa addiſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit ſibi, & tunc præpoſuit cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret, quam miſericorditer aliena infirma toleraret.* Hæc Gregorius. Itaque Petrus tentatur per omnia, & in ſe ipſo expertus vſtionem, & aſperiora pœnitentiæ medicamina, applicaret fomenta leuitatis curandis tumentibus plagis, & vibicibus peccatorum.

Petrus vocatur ex nomine, ne deſperet ex negatione.

8. Cerne, quàm totus formatus eſt ad pietatem, & clementiam Petrus, enixè pro ſceleratis ſupplicat, vt pœnis, & ſupplicio proteletur, exorat. Ficus parabolam in vinea ſatæ, cæleſtibus irrigatæ fluentis, ſtercoribus fœcundatæ, tibi in promptu eſt, & apud Lucam Euangeliſtam refertur cap. 13. ſingulis annis Paterfamilias ſterilem cernens, ſuauitate orbatam fructuum, veſtitam ad ornatum, viridantium germinibus foliorum, minatur excidium, & flammam. Sed ſingulis annis interuenit agricola, exciſionem,

Ficus parabola enucleata preſentatur.

&

& vaſtitatem impediens ibi verſ. 8. *Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam.* Quis agricola extitit, qui ſecurim iam ad radicem ficulneæ poſitam repulit? Quis niſi Petrus Apoſtolorum decus, delinquentium patronus? Do tibi Sanctum Ambroſium lib. 7. in Lucam cap. 13. cuius verba ſunt: *Bonus cultor, & fortaſſe ille, in quo Eccleſiæ fundamentum eſt, præſagiens alterum ad gentes, ſe autem ad eos, qui ex circumciſione ſunt, eſſe mittendum, religioſè, ne excidatur, interuenit: fretus vocatione ſua etiam populum Iudæorum in Eccleſia poſſe ſaluari.* Quàm deuotum exhibet Petrus pietatis obſequium erga peccatores, eorum factus eſt aduocatus, Iudaicæ gentis ſalutem iteratis precibus expoſtulat. Erga omnes peccantes maxima ſigna dilectionis oſtentat.

[illegible]
D. Amb.

Discvrsvs III.

Summi honoris dignitatem, & ſummam animi deſpicientiam, ſeruare concordiam, & concentum; portenti, ac prodigij ſimile numerandum eſt.

1. Apvd Iſaiam Petrus eſt vertex montium, & eleuatur ſuper Apoſtolorum colles. Et apud Sanctum Baſilium: *Anima Beati Petri nominata eſt Petra ſublimis.* Eſt petra ſublimis, & profunda, ſublimis, ratione virtutis, & dignitatis, & profunda, ratione humilitatis. In Petro conueniunt ſumma ſublimitas, & ſumma humilitas.

D. Baſil. Petrus petra ſublimis & profunda.

2. Dificit prompte Petrus humilitatis obſequium, ſapientis liber tradit documentum. Eccleſiaſtici cap. 3. verſ. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* In hanc ſententiam pulchre ſubſcribit Balduinus Archiepiſcopus Bre[illegible]enſis, apud Tilmannum: *Secundum magnitudinem dignitatis, æqua ſit menſura humilitatis. Humilitas in honore, honor eſt ipſius honoris, & dignitas dignitatis.* Suprema Petri dignitas cidari humilitatis condecorata eſt. Iuxta amplitudinem ſublimis ornamenti, coæquata eſt menſura humiliationis. Quanta [illegible] eſt dignitas? Quæ cælos tranſuolat, quamque mirantur, & venerantur Angeli. Sanctus Petrus Damianus de Petro Apoſtolo fatur [illegible]: *Quem conuentus Angelicus non mediocriter [illegible]. Vnus eſt enim quem prænobilitant [illegible] primatus inſignia, clauicularius regni cælorum, lingua, fidei fundamentum. Conſummatur h[illegible] & dignatio glorioſa, hominem in terris poſitum, cælis imperitare, & inter Angelorum choros iudiciariæ poteſtatis exercere [illegible].* Summum dignitatis [illegible] inter Angelorum acies [illegible] iudicis imperium. Sed ſecundum magnitudinem dignitatis, æqua eſt menſura humilitatis. Inter amplissima [illegible] humillimum obſequium Deo, & hominibus præſtat.

Bald.

Honor innorum, & dignitatis, humilitas.

Petri dignitas quanta.

[illegible]

[illegible]

3. [illegible] iterum videre Petrum [illegible] nientem inter aquarum vortices, quibus propetato curſu accurrit Domino; dum cumulos peſſundat, vorticeſque vndarum temnit, flatibus impellitur, timore concutitur. Matthæi c. 14. verſ. 30. *Videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpiſſet mergi clamauit dicens: Domine ſaluum me fac.* Audi Petrum de mediis vorticibus clamitātem: o Domine ſuccurre, immergor, porrige dextram labenti. Et vbi ô Petre, impauidum pectus, quod mortis diſcrimina tumentiſque æquoris impetus facilè repulit? Vbi fidei fulcimentum, quod inter ſpumantes fluctus ſolida præbebat itinera; cur ſubſident maria Apoſtoluſque deprimitur? Vt inter egregia honoris inſignia humilietur. Labeculam Deus permiſit incurrere timoris, roburque fidei aliquantulum infirmum apparere, ne quidquam dignitatis, & deitatis Chriſti detraheretur. Si enim ſuper blandum, & fluidum elementum cernerent vſque ad Chriſtum ſolidata Petri veſtigia, forte ſupparem Magiſtro diſcipuli indicarent, voluit Deus vt Petrus ſic humiliatus timore, proſpiceret Ieſu Deitati. Sed audiendus eſt Sanctus Maximus ſermone in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: *Ob hoc ſolum trepidare viſus eſt, vt fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominum, ſeruumque diſtantia, dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculati neſcit planta deſidere. Similiter, & illud ne dum ſuper aquas ambulans Petrus pede intrepido perueniſſet ad Chriſtum, Domini forte ſui, virtutibus æquaretur.* Adhibuit in ſuis greſſibus Petrus titubantiam, ne diſcipulus parilis eſſet Magiſtro, creatura Deo; ſuæ poteſtati innitens non ſubſidet planta Creatoris; Petrus verò baculo timiditatis ſubnixus mergitur, vt pondere ſuo, dum Ieſum veneratur immaculatum, ſe fateatur peccatorem. Cerne humiliatum Petrum in ipſo honoris culmine. Dum cæteris anteſertur, dum ſuper lymphas inaudito greſſu inambulat, dum inter Ieſum, & Petrum ſuper vortices vndarum liberè incedentes, & occurrentes, iudicium parilitatis vtrinſque pene à diſcipulis defertur; dum circumſpectat Petrus decus, & dignitatem Chriſti, & ſuam velut in æquilibrio poſitam, aducunt pondus timoris, vt dum ipſe mergitur, Chriſtus eleuetur: *Ob hoc ſolum trepidare viſus eſt, vt fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominū ſeruumqu diſtantia:* Petro liberè curſitanti ſuper æquora, & ad Ieſum iā iam appropinquāti timor, & pauor occurrunt, qui ipſum à Magiſtro diſcernunt; abſit, inter Petrum, & Dominum æqualitas, exurgat procella ventorum, quæ illum propellat, eius animum formido percellat, ſui greſſus his velut repagulis remoteantur, vt dum timore gradiendi Petrus concutitur, excutiatur ab Apoſtolis metus æqualitatis cum Deo: *Dum pede intrepido perueniſſet ad Chriſtum, Domini fortè ſui virtutibus æquaretur.*

Petrus ambulat ſuper aquas.

4. Mirum quàm grati, & familiares Deo Eccleſiæ proceres, qui in ipſo honoris faſtigio, vilitatis humanæ vmbra, ſplendores dignitatis temperarunt. Mirum valde eſt humilitatis opacitate ſolem dignitatis obumbrari. Admittitur Iſaias in cæleſtis gloriæ conſortium, Seraphinorum collegio aſſociatur vt hymnis celebret Regem, ſeſſitantem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Cum poſſet extolli tam magnifica gloria & redundantibus Deitatis deliciis gloriari,

Iſaias viſione Domini, & Seraphim non extollitur, ſed humiliatur.

 ad

ad cor ſuum redit, in deſpectionis centro conquieſcit, miſeriæ ſuæ profunda rimatur. c. 6. verſ. 5. *Et dixi: væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ergo habito, & Regem Dominum exercituũ vidi oculis meis.* Verba efferunt Septuaginta: *O miſer ego, quia compunctus ſum, quia homo cùm ſim, & immunda labia habens, in medio populi immunda labia habentis ego habito: & Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis.* Emphaſim habet Vatabli ſcholium: *Me miſerum! ac ſi dicat: ſi templum ſanctum, & conſecratum Domino, ita concutitur ad vocem Angeli, & afficitur; quas pœnas luam ego, qui ſanctus non ſum, ſed mendax, & ſceleratus?* Cùm ſedenti Regi eſt valde charus, & gratioſus, eique Principes Seraphinorum ſuffragantur; vndique deſpectum ſuum ambit ſanctiſſimus Vates; ex humana conditione naturæ, ex immunditia labiorum, & tarditate loquelæ; in ipſa felicitate, & gloria, ſeſe reputat infelicem, & miſerum. Ad Seraphicam, & Apoſtolicam euehitur dignitatem, & mendacem, & ſceleratum ſe nuncupat humilitatis affectu. O humilitatis prodigium! Ad quod merito ſtupet S. Gregorius Nazianzenus orat. 7. dicens: *Ipſe quoque Iſaias priuſquam Domini gloriam, thronumque illum ſublimem, & excelſum, & Seraphinos ipſum cingentes conſpexiſſet, nihil huiuſmodi loquitur, nec animo languet, nec metu concutitur: verum in Iſraelitas quidem magno clamore inuehitur, ſibi autem parcit, atque à ſe tanquam ab inſonte abſtinet. Poſtea verò quam hæc vidit, ac vocem ſanctam illam, & arcanam auribus vſurpauit, tunc demum velut ſe ipſum magis agnoſcens, me miſerum, inquit, quia compunctus ſum.* Quod ſe miſerum non recognoſcat in aliis operibus ſublimibus non miror, dum precibus, & lacrymis acies Aſſyriorum fudit hoſtiles, cum ad eius verbi poteſtatem, Sol retrogrado greſſu regreditur: verumtamen quod in gloriæ ſublimitate conſtitutus, & Apoſtolicæ functionis decoratus infulis, miſerum, infelicem, immunda labia habentem ſe ipſum appellitaret; apex, & corona humilitatis eſt.

Lect. LXX.

Vatab.

Iſaias miſerias, & arcanas ſuas fatetur.

D. Greg. Naz.

Cum Deum videt, ſeipſũ miſerum agnoſcit.

5. Curioſius perſcrutaris cur ſpeciatim, & magno verborum apparatu Abrahamo, & Dauidi communis ſaluris repromiſſio facta eſt? De Vate Regio conſtat Pſalm. 131. verſ. 11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Actorum cap. 2. verſ. 30. *Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius.* Et de Abraham conſtat. Geneſ. cap. 22. verſ. 16. & 17. & Lucæ cap. 1. verſ. 13. *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum.* Cur ergo iureiurando verbum ſuum obſtrinxit Deus in his duobus legis antiquæ primoribus? Quia iſti duo inter magnos illos, & glorioſos virtutis ſectatores in honoris faſtigio tenuêre humilitatis, & temperantiæ moderamen, nec ille Patriarchatus inſignibus turgidus; nec alter Iudaicæ gentis imperio elatus; ſed in ipſa celſitudine docilem, & ad humillima obſequia ſeſe demittentem animum oſtenderunt. Hoc perpendit Rupertus ad ea verba Canticorum cap. 1. *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Qui cenſet à Dei Genitrice hæc verba eſſe prolata, & Deiparam introducit fantem: *Prius in virili, quam in isto ſexu fidam humilitatem inuenit, & inter cæteros in iſta gratia duo viri valde nominati ſunt, ſcilicet Abraham, & Dauid, qui & ex verbis ſuis cognoſci poſſunt, quam humiles fuerint in oculis ſuis. Abrahã quippe cum tantus eſſet, vt cum eo Deus loqueretur, & amicus illi haberetur, non tamen oblitus ſui. Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis. Dauid quoque cum eſſet vnctus Rex, & Saul perſequeretur eum: quem perſequeris (ait) Rex Iſrael, quem perſequeris? Canem mortuum, & pulicem vnum; propterea non ſolum non confunditur Deus, verum etiam iſtis duobus iurare Deum altiſſimum non piguit, facturum ſe hoc myſterium, ô amici, quod in me cernitis.* His iuſtis ſeſe obligat Deus ſacramento præſtandæ orbi totius ſalutis, qui in ipſa excellentia dignitatis, & intima Dei familiaritate tenuerant humilitatis curſum, ſemper æquabilem.

Cur Abraham & Dauidi promiſſio ſalutis humanæ ſpeciatim facta.

In honoris faſtigio tenuerant humilitatis moderamen.

Rupert.

Abraham cũ eſſet Dei charus cinerẽ ſe vocat.

Dauid cum eſſet Rex canem mortuũ, & pulicem ſe nominat.

6. Horum extremorum nexu Petri verticem velut corona aurea margaritis fulgens circumdat. Venio ad illud extremum pietatis, & amoris alloquium, quo Ieſus ſcrutator cordium iterata ſciſcitatione Petri dilectionem explorat. Ioannes Euangeliſta huius collocutionis teſtis eſt fidelis cap. 21. verſ. 11. *Cùm ergo prandiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce agnos meos.* Sicut enim parens cinctus corona paruulorum, amat balbutire, & deliciari cum pupo, & verborum lenociniis blandè ſciſcitari, quis eum plus diligat: Sic Ieſus cum filiolis ſuis, quos in hoc capite paruulos nuncupat, & pueros, oblectatur; ſed cum Petro tanquam cum ſuo delicio velut luſitat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Sed in his verbis, ni fallor, argutæ Ieſu percunctationi, Petri reſponſio non conſonat. Periculum faciens Ieſus de Petri dilectione, in hoc examine amoris, diſcipulus magiſtro directè, & categoricè non reſpondet. Non dicit abſolute: *diligis me*, ſed comparatiuè: *plus his?* Ipſe verò reſpondet: *tu ſcis, quia amo te.* Ad comparatiuum: *plus his*, obmutuit. Acumen eſt ſancti Auguſtini in ſermone de ſanctis 24. ita ſcribentis: *Reuocabat ergo oculos ſuos ad cor ſuum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens reſpondebat, quod ſibi videbatur. Tu ſcis, quia amo te. Nõ auſus eſt tamen dicere, quod Dominus interrogabat. Non enim ſimpliciter Dominus dixerat, diligis me, ſed addiderat, plus his diligis me? Ideſt plus me diligis, quam iſti? Non auſus eſt dicere plus his. Noluit iterum eſſe mendax.* Alieno periculo ſapit Petrus, imò & ſuo. Prærogatiuam Petrus timuit amoris, etiam à Domino incitatus; nam cum ſe cæteris animoſitate præpoſuit in paſſione: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor, iactantiâ ſupplantatus cecidit; quia enim prælatura roboris, ipſum in negatione ſubſtrauit, ad præpoſituram dilectionis exhorruit, ſat eſt Domine, fateri, quia amo te, Aliis comparari non patiar, ne me efferam prælaturâ charitatis. Cernis in ipſa Petri exaltatione humillimum, & timoratum pectus?

Ieſus, Petri dilectionem explorat.

Sicut cum pupo parens, Ieſus deliciatur cum Petro.

Petrus Ieſu percontationi non reſpõdet directè.

D. Auguſt.

Petrus non admittit amoris prælationem, ne iterum labatur.

7. Pulchram commentationem humilitatis Petri apud Euſebium Cæſarienſem inueni lib. 3. demonſt. Euangelicæ cap. 7. Eandem contemplationem poſtea legi in Sancto Petro Damiano ſermon. 14. ſed quia hic ornatus eſt pur[illegible] ſanctitate, & meritis conſpicuus, [illegible] gr[illegible]ulor, eloquio affluentior, & Petrus de Petro maiori ſtudio, & amore ſermonem [illegible], ideo Damiani Petri verba vſurpo. Accu[illegible]æ me[illegible]

Euſeb. Cæſ.

Humilitas Petri commendatur.

tionis ſumma eſt, Marcum Petri alumnum, qui ex Petri narratione Euangelium compoſuit, quæ ad Magiſtri gloriam, & dignitatem attinét diligenter ſuppreſſiſſe, egregiiſque Apoſtoli operibus tenebras offudiſſe. Peccata, criminationis, aut defectuum labeculas æternæ memoriæ commendat, & earum enarrationem verbis amplificat. Apicis regij humilitatis Petri emblemata exploremus ex Damiano ſcribente: *Cùm cæteri Euangeliſtæ ſublimia Beati Petri merita, & principalem celſitudinis gloriam frequenter enumerent; ſolus iſte, ſi totus Euangelij tenor inquiritur, vix aliquid ſuper magiſtro ſuo retuliſſe, quod ad laudem pertineat, inuenitur. Imo ſi diligenter inſpicitur, auget, ac verbis accumulat, ſi quid in eo reprehenſibile eſt: ſupprimit autem & velut ex induſtria leuigat, vel etiam plerumque ſilentio præterit, quod laudabile eſt.* Exempla congerit Damianus, in quibus hoc Marci ſilentium ſpeciatim recenſet; nec erit lectori iniucundum ſi ea ſuccinctè coagmentem. Quod pedibus calcauerit fluctuum cumulos, & per liquidum aquarum elementum curſitarit, magnifico verborum apparatu in ſacra commentaria, Euangeliſta Matthæus congerit; Marcus hoc prodigium referens ſupprimit nomen Petri: *Petri* (inquit purpuratus pater) *nullam penitus mentionem facit.* Quid glorioſius in Petro, & Eccleſiarum plauſu magis celebratum, quam fidei profeſſio, cùm Chriſto annuntiauit Deitatem, cum conſtituitur Eccleſiæ fundamentum: *Hunc hiſtoriæ locum Marcus ita velut negligendo tranſcurrit. Reſpondens Petrus ait: tu es Chriſtus. Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo. Et non modo non refert Petrum à Domino ſingularis inter cæteros priuilegij gloria ſublimatum, ſed potius auſtera animaduerſione correptum. Vade retro me Satana.* Marci cap. 8. Cum Ieſus in horto funibus innectitur. Petruſque (Ioanne referente) inuictam animoſitatem oſtentauit, abſcindens pugione Malci auriculam: *Vbi Ioannes ſcripſit Simon Petrus, ibi Marcus poſuit, vnus autem quidam de circumſtantibus: quatenus ſic veritatis hiſtoriam texeret, vt tamen Magiſtri gloriam ſilentio præteriret.* Venio ad negationem Petri, reliqui ſcriptores velut robore ſuffuſi mitioribus verbis leuigant caſum, ne decorem dignitatis Petri deturparent: *Solus iſte durius loquitur, & tanquam crimen exaggeret, incautiora magiſtri ſui verba præcipitanter effudiſſe teſtatur. Cœpit, inquit, anathematizare, & iurare, quia neſcio hominem quem dicis.* Cur ergo ſilentio præterit magiſtri præconia, & quæ infirmitatis, & reprehenſionis ſunt, æternæ memoriæ commendat? Et reſpondet ibidem pulchre idem Damianus: *Ad magnum quippe factum eſt noſtræ ædificationis exemplum, vt & ſue de ſe non efferenda, ſed reprehendenda proferret: & iſte ſic per veritatis lineam rectus incederet, vt ne ad magiſtri quidem fauorem aliquatenus declinaret.* In quibus omnibus cernere eſt humilitatem miraculis, & prodigiis plenam. Cum Marcum Petrus fide, & Euangelicæ hiſtoriæ veritate imbueret, tantum retulit ea, quæ deuenuſtare poſſent decus, & ornamentum ſuæ dignitatis, calamumque ſcribentis direxit, vt in egregiis actionibus referendis, obſcurioribus verbis vteretur. Cernis Petrum in apice dignitatis, & reconditum in centro humiliationis.

B. Petr. Dam. *Marcus Euangeliſta à Petro inſtructus illius magnalia ſuppreſſit, defectus aperuit.*

Miraculum Petri deambulantis ſuper aquam, Marcus ſilentio inuoluit. B. Petr. Dam.

Illuſtrē profeſſionē Deitatis Christi, à Petro factā, Marcus obiter refert.

B. Petr. Dam. *In fortitudine abſcindendæ auriculæ militis ſiluit Marcus nomen Petri.* Dam.

Trinam negationem Petri alij Euangeliſtæ referunt, ſolus Marcus, verbis amplificat. Damian.

Maximum humilitatis exemplum in Petro emicuit.

8. Fuit in Petro vltima vitæ clauſula contemptus, & gloriæ coronis. In patibulo ligandus velut in orbis amphitheatro indicat animi ſui demiſſionem. Scribo Sancti Auguſtini verba ex ſerm. 29. de ſanctis, quibus hæc Petri decora illuſtrat: *In illa itaque Cruce imitari metuens ſacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenita: honorari etiam ſupplicij genere pertimeſcit, & qui non recuſat Dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.* Perpende verba illa: *capite in terra demergi elegit.* Nunquid deorſum caput ligari ligno poſtulat, vt humilitatis affectu terram amplectatur moriens? Optimum illud Eccleſiæ caput ſupra vertices Imperatorum collocatum ad pedes ſeſe omnium abiicit. Quid plura? Dum litatur, & ſupra Cherubicos thronos collocatur glorioſa victima, in terram demergi cupit, vt dum corpus tumulatur, ipſius gloria recondatur, & maneat conſepulta. *Capite in terra demergi elegit.*

In Cruce occumbens demiſſionem animi indicat Petrus. D. Aug.

Caput ſuper omnes imperatorum vertices exaltatum, in terra demergi elegit.

DISCVRSVS IV.

Sanum conſilium primoribus, dum ad dignitatis faſtigium extolluntur, ad gentilitatis obſcuræ primordia reuocare mentem.

1. ADHVC in Petro, qui nominatur à Magno Baſilio: *petra ſublimis*, conquieſcit animus, & rimatur magnum myſterium, quando fit ſublimis, & in verticibus Angelorum, & hominum collocatur, domum Dei fundans, vocatur parentis nomine: *Beatus es Simon Bar-jona*: Vt in ipſa beatitate humilis proſapiæ parentum recordetur. Eſt enim valde commodum Magnatibus cum ſedent in puppi, & proſpera aura aſpirat, humillimæ ſortis genere, ex quo eleuati ſunt, animum refrigerare; obſcurioris namque ſtirpis recordatione felicitas effloreſcit, obliuione exareſcit. Quàm pulchra, & amœna arbor Lucifer in paradiſo Dei, virtutum decore tanquam frondibus vernans, ornatus pulchritudine, ſapientia, poteſtate. Sic eum deſcribit Ezechiel cap. 31. verſ. 3. *Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus, nemoroſus, excelſuſque altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius.* De dignitate, & ſublimitate primi Angeli inter reliquos ſpirituum choros, qui non tenuit ſuum principatum, exponunt Patres. Sed tota hæc condenſa frondoſitas ſubiecta eſt ſecuri damnationis æternæ, in rogum proiecta abiit in cineres: ibi verſ. 10. *Pro eo quod ſublimatus eſt in altitudine, &c.* Et verſ. 12. *Succident eum alieni. Corruent rami eius.* Quæ teredo exedit robur eius cedri ſublimis, & erectæ, quæ lenta inter viburna paradiſi caput extulit? Procul dubio mentis elatio, & arrogantia. Superbiam exprimo: quia inſolenti tumidus elatione, ſuum principium non agnouit, quid ex ſe, quid ex Deo Angelica natura hauſerat: nihil illud, ex quo fuerat creatus non reduxit in mentem. Rupertus de Lucifero hunc expendens locum

D. Baſil. *Petrus quādo Eccleſia fundamentum inſtituitur, filius Barjona nuncupatur.*

Lucifer quaſi cedrus in Libano pulcher deſcribitur.

Arrogantia cedrum ſuccidit, & deiecit.

Rupert.

Lucifer voluit perſuadere omnibus Angelis, vt ipſum adorarent tanquam Deum.

locum ita ſcribit lib. 1. de victoria verbi Dei c. 11. *Cœpit prædicare ſemetipſum omnibus Angelis, confidens, vt erat plenus ſapientia, quod efficaciam haberet ad perſuadendum, vt crederetur ſibi dicenti: ego feci memet ipſum: Deus ego ſum.* Et initio cap. 12. inquit ex perſona primi Angeli: *Ego creatura Dei non ſum. Ego a nullo factus ſum. Sed ego feci memetipſum.* Verba illa: *Deus ego ſum*, deſumpſit Rupertus ex capite vigeſimooctauo Ezechielis verſ. 2. ea verò: *Ego feci memet ipſum.* ex cap. 29. verſ. 3. ſed quare non dixit primus Angelus: *Ego creaui*, ſed: *ego feci me met ipſum?* Ne manifeſti argueretur mendacij; ne reliqui Angeli ſuum exordium agnoſcerent. Quod enim creatur, ex nihilo producitur: ſi ergo ſe ipſum creauiſſet, ſe ipſum ex nihilo produxiſſet, ergo ante creationem nihil erat. Suum nihil, ſuum non eſſe, velamine loquacitatis mentalis obtexit, ne obſcuritas originis, quam habebat ex propriis, cæleſtibus ſpiritibus panderetur. Ideò loquax ille nugator non dixit: *Ego creaui me*, ſed *ego feci.* Vide in quantam amentiam, & furorem, mentis lumine obcæcatus iſte proſiliat *ego* (inquit) *feci memet ipſum.* Non mens ſola, ſed etiam ſapientia, & philoſophia teipſum deſtituit. Nulla cauſa poteſt ſe ipſam producere. Si non eras, quomodo agere poteras: ſi eras, quomodo de non eſſe tranſibas. Contrariis verbis, & ſententiis Diabolus irretitur. Agnoſce nihil ex quo creatus es. Si in principatu conſtitutus, Deum creatorem, & nihilum tui principij, & non eſſe quod ante habebas agnouiſſes, de gloriæ culmine non caderes. Cernis, quàm arduum, in vertice amplitudinis, primordia abiecta cognoſcere?

Cur nō dixit ego creaui, ſed ego feci memetipſum.

Superbus Lucifer ſapiētia deſtitutus & philoſophia.

2. Quanto cordatior, & ſapientior Lucifero Salomon, qui in ipſo gloriæ apice recordatus eſt humilitatis ſuæ. De picturis variis, quibus ornauit parietes templi hæc ſcribit liber tertius Regum cap. 6. verſ. 29. *Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas.* Pro quo Santes Pagninus in Lexico in radice קלע *calahh* legit ex Hebræo: *Sculpſit ſculpturis fundarum, Cherubim, & palmarum.* Pulcherrimæ inciſionis, & picturarum temperaturæ eminebant in lateribus templi, & arcana Hieroglyphica, & ænigmata, quibus ſapiens Rex potentiam ſuam, ſapientiæ, & imperij decus demonſtraret. Sed in delineatis in pariete fundis mirabilis cognitio, & deſpicientia ſui eminebat in Rege, dum totam illam magnificam gloriam, & ornamentum ſapientiæ ſtabilit in funda, nō vt tanquā lapis, mobili mundanæ inſtabilitatis agitatione, rotaretur, ſed vt totū illud gloriæ pondus in funda fulciret. Quid eſt adumbrare coloribus fundas, per circuitum templi, niſi aperte demonſtrare ſapientiæ ornamenta, bellicam gloriam, & ſummam Salomonis exaltationem in funda patris ſui Dauidis habuiſſe exordium? *Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda, & lapide.* 1. Regum c. 17. verſ. 50. Et Eccleſiaſtici cap. 47. verſ. 5 *In tollendo manum, ſaxo funda, deiecit exultationem Goliæ.* In aulæ illius picturatis periſtromatibus ſtatuatur Cherubim, hoc eſt plenitudo ſapientiæ; appareat ſculptura palmarum, hoc eſt, de hoſtibus victoriæ, & reportata trophæa; ſed Cherubim, & Palmas funda conſtringat, vt perenne illud memoriale in templi pariete affixum, pecuariæ artis vilitatem, & fundam paſtoris patris ſui in memoriam reuocaret. Sicque Salomonis gloria non nutaret, ſed perennaret, quam tanta fulcit humilitas.

Salomō per templi circuitū ſculpi imperat ſculpturas fundarū.

Lect. Heb. Sant. Pag.

Totum gloriæ ſuæ pondus ſtabiliuit Salomon in funda patris ſui.

3. Sed venio ad maiora, ad Salomonis filiam Deiparam, quæ parentis gloriam obſcurat, & Luciferum pudore ſuffundit. Quæ robuſta humilitatis manu ſuſtinuit immenſum Deitatis pondus, dumque ad decus dignitatis, Angelico, & humano captu maius extollitur, in abyſſum ſui nihili ſe ipſam deprimit: *Ecce ancilla Domini.* Sed in hoc humilitatis fundamine radicata eſt in primo nunc conceptionis ſuæ, dum in vtero materno communem ſpiritum haurire inchoat. Cuius rei teſtem Sanctum Bernardinum Senenſem aduoco; qui acutè inueſtigat, quæ eſſet panoplia, & armamentū, quo ſacra puella induceretur, vt ab omni vel leuioris criminis labe ſe ipſam protegeret? Et inuenit eſſe perfectiſſimam cognitionem ſui nihili. Do tibi verba S. Bernardini tom. 2. ſermon. 51. cap. 3. *Gratia ſanctificationis prædicta, quæ eam omni virtute repleuit, ſic a principio mentem eius in abyſſo humilitatis fundauit, quod ſicut nulla poſt filium Dei creatura, tantum aſcendit in gratiæ dignitatem, ſic nec tantum deſcendit in abyſſum humilitatis profundæ. Nec inſuper alicui pura creatura in hoc ſæculo eſt datum, tantum guſtare nihilum creaturæ: nec tantum ſe humiliare, & annihilari ſub volito maieſtatis; virginem ab omni actuali protegebat culpa.* Abyſſus abyſſum in Maria inuocat, abyſſus ſublimioris dignitatis, abyſſum humilitatis inuocabat. In Deipara pulchrè nectitur apex dignitatis, & profundum humiliationis; ſicut nulla creatura maior, nulla humilior. Cognitio ſui nihili in Deipara validiſſimum munimen, quod ipſam ab omni telo hoſtili tuebatur. Vide concurrum Angelicam curiam ſtupore replentem. Cum Angelus tonat; *Ecce concipies in vtero.* Maria intonat: *Ecce ancilla Domini.* Ad Matris Dei inſignia eleuata, in eius mente non eſt intermortua ancillaris muneris memoria.

Maria cum mater Dei prædicatur, ancillam ſe nominat.

D. Bernard.

Maria cum ad ſummam dignitatem aſcendit, ad ſummā annihilationem deſcendit.

Maria deſcenſus ad abyſſum annihilationem ab omni actuali protegebat culpa.

4. In eo architectonicæ artis miraculo pro foribus templi erexit duas columnas Salomon, trophæa gloriæ, ſapientiæ triumphos lib. 3. Reg. cap. 7. verſ. 21. *& ſtatuit duas columnas in porticu templi:* In eis adumbratos Apoſtolos Domini, & Eccleſiæ fulcimenta, cenſet Venerabilis Beda lib. de templo Salomonis cap. 18. ſcribens: *Apoſtolos namque, & Doctores ſignificant, fortes nimirum fide, & opere, & contemplatione ad ſuperna erectos.* Nec erit à veritate diſſonum, ſi dicamus duas columnas Petrum, & Paulum innuiſſe, maximas templi Dei columnas, & fidei fulcimenta. Sed pulcherrimis ornamentis decorantur columnarum capita. Ibidem verſ. 17. & 18. ſcilicet ducentis ordinibus malo granatorum, quæ quidem retibus inuoluuntur: *Quaſi in modum retis. Septena retiacula in capitello vno, & ſeptena retiacula in capitello altero.* Mira profectò artificis ſapientia. Quid denotant malogranata, & eorum coronæ: niſi regna, vrbes, quas diuini diſcipuli ſubiugarunt Chriſti imperio; dum ergo eorum capita illuſtrantur gloriæ triumphis, & regnorum diadematibus; retibus inuoluuntur, vt ars piſcatoria, & retia de memoria non excidat. Retia ſunt retinacula coronarum, & in capitellis, non in baſibus collocantur, vt Apoſtolorum ſtabiliant gloriam; vt cymbam, retia, & humile genus, quod ex parentum hereditate trahunt, in capite, & oculis con-

Duæ columnæ pro templi foribus erectæ.

Beda.

Apoſtolos Petrum, & Paulum innuebant.

Retibus inuoluuntur capitella, & coronæ, vt in gloria triumphorum, retis, & piſcatoriæ artis Apoſtoli recordētur.

ſtituant.

ſtituant, non enim labaſcit caput, aut nutat gloria, quæ talis deſpicientiæ fundamento radicatur.

5. Moyſes in familiaritatem, & contubernium admiſſus diuinæ maieſtatis, comitate Dei excitatus audet maiora poſtulare. Exodi c. 33. v.13. *Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.* Sed quid Deus ſerui ſui poſtulationi reſpondit? Ibi verſ. 17. *Inueniſti enim gratiam coram me, & te ipſum noui ex nomine.* Quibus verbis oſtenditur fuiſſe Deo gratioſum, quantumque apud Deum cœli valeret. Omninò aliter legit, & acutè Philo Iudæus lib. 1. de monarchia: *Oſtende mihi te ipſum. Ad hæc Deus: noſce te ipſum, nec ſinas te cupidine rerum, quibus impar es, abripi, & ſublimiora te noli plus æquo appetere.* Meam exoptas intueri faciem, cerne tuam. *Noſce te ipſum.* Vt inter hos duos cardines, noueris me, & noueris te, virtutum tuarum orbis placidè, & ſecurè voluatur. Agnoſce vilitatem tuam, & non eſſe, quod habes ex te, vt hoc pondere deſpicientiæ ſtabilitus, non abripiaris fluctibus vanitatis, & exundanti inſtar gurgitum maris gloria. Sanum conſilium vt dum ad intimam familiaritatem, & gratiam extollitur, ſe ipſum recognoſcat.

[illegible] in fa[illegible] [illegible] Dei admiſſ[illegible], [illegible] ſe [illegible] [illegible] [illegible]. Phil. Iud.

6. Mira Dauidis ſubmiſſio, in ipſo gloriæ apice. Summi decoris infulis affectus à populo; & Regiæ affinitatis ornamentis honeſtatus a Rege, ad ſui deſpicientiam, & agnitionem ſui generis, ſe ipſum deprimit. Rex Saul deliberat ſecum Dauidem cognatione coniugare, illiuſque nuptiis filiam ſuam collocare lib. 1. Regum cap. 18. verſ. 17. *Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipſā dabo tibi vxorē.* Et ibidē v. 18. cernes Dauidem omne abiectum, & humile de ſe ipſo cogitantem. *Ait autem Dauid ad Saul. Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, vt ſiam gener Regis.* Ex officio, genere, vita, moribus, ſe indignum reputat regalibus tedis. Sed inter filios Iſraël nullus Dauide ſanctior, nam vt ait Abulenſis quæſt. 28. *Nondum peccauerat mortaliter in tota vita præterita: nam Dauid nunquam peccauerat niſi in adulterio cum Berſabee lib. 3. Regum cap. 15. fecit Dauid rectum in oculis Domini, & non declinauit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi.* Erat omnibus fortior nam in valle Gigantum, Philiſthæos proſtrauit, & in tollendo manū in ſaxo fundæ deiecit exultationē Goliæ. Erat nobilior, ex tribu Iuda illuſtriori, genus ducens. Cur ergo ad tam humilia verba ſeſe demiſit? Reſpondet Abulenſis quæſt. 29. *In hoc Dauid virtuoſè agebat, quia conditio humilitatis eſt, propriam excellentiam non agnoſcere; Sic Dauid quamuis eſſet dignus, ſe indignum reddebat.* Sed maiorem habent leporem verba Diui Chryſoſtomi tom. 1. homilia de Dauid: *Nouerat ſe paſtorem eſſe ouium & non genere nobilem. Sed quando factus eſt nobilis, agnouit ſe ex nihilo fuiſſe ſublenatum: & quia non eſt oblitus, quis natus erat, perſeuerauit in culmine regali.* Quàm altè infixus generoſo Dauidis animo humilitatis clauus, qui glorioſum dignitatis Regiæ tabernaculum redderet incolume, & contra volubilis fortunæ impulſus ſtabile. Genitoris obſcuram ſtirpem, & ignobilem generis imaginem, quæ ſolet eſſe proceribus ingrata, placido proſpectabat intuitu, vt ex hoc ſpeculo comitas, & ingenuitas reſultaret, quæ regalibus infulis redderent ſplendorem, & in culmine poteſtatis retinerent. *Quia non eſt oblitus, quis natus erat, perſeuerauit in culmine regali.*

Dauid cum exaltatur, humiliatur.

Abulen. *Dauid non peccauit mortaliter, niſi in vxore Vriæ, & homicidio.*

Abul. *Humilitatis proprium, excellentiā non agnoſcere.*

D. Chryſ.

Dauid agno[illegible] [illegible] [illegible] in ele[illegible] [illegible] ad [illegible], ideo [illegible] ſtabile.

7. Nec poſtquam ornatus eſt adorea laude, regio coronamento, & ſceptro, imperiumque ſuum exaltatum eximiis titulis triumphotum, obliuione ſepeliit auitæ gentilitatis abiecta primordia; ea æternitati mandauit lib. 2. Regum cap. 21. verſ. 19. *Percuſſit Adeodatus filius ſaltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum.* In quibus verbis Dauid auitæ gentilitatis humile exordium exprimit, vt notat Guillelmus, Exodi cap. 30. clauſula prima ex Gloſſa ordinaria hæc verba referens: *A Beſeleel fertur Dauid duxiſſe originem, & hoc ex parte matris, qui videlicet Beſeleel, polymitarij nomen habebat, eo quod ipſe opere polymitario conſtruxit tabernaculum. Vnde ſecundo Regum 21. ipſe Dauid dicitur filius ſaltus polymitarius. Percuſſit à Deo datus, ideſt, Dauid, qui fuit à Deo datus, ideſt electus, vt eſſet Rex ſuper populum Iſrael. Dicitur filius ſaltus, qui diu habitauit in nemoribus. Polymitarius ideſt filius dicti Beſeleel ex parte matris.* Genus duxit Dauid à Beſeleel, qui opere polymito, & phrygionicæ texturæ variegandæ, operam dabat. Genus humile Genitricis in poſterum literiſ prodidit, vt eſſet reliquis monitor, & Dauidi in ſua exaltatione monumentum.

Humilitatē generis ex parte matris poſteritati cōmendat Dauid.

Guillelm. Gloſſa.

DISCVRSVS V.

Inter omnes Ieſu amaſios, Petro dilectionis primas diuinus amor detulit.

1. EXCELLIT mons Petrus omnes Sanctorum colles, non ſolo fidei robore, ſed amoris præſtantia, eſt enim iuxta Sāctum Baſilium *petra ſublimis* charitate. Non exigua amoris demonſtratio, dum eligitur in Eccleſiæ ſtabilimentum, nominis immutatio ex Simone in Petrum; ſed tunc aliud eximium beneuolentiæ pignus enituit, adoptans Ieſus Petrum in filium primogenitum diuini amoris ineffabili amicitiæ nexu illum complectitur. Merces magna nimis à Ieſu, Petro repromittitur, & præmium auguſtum, quod ex confeſſione Deitatis Chriſti promeruit. Cum Apoſtolus, dum Iudæi ad auditionem Deitatis vultum infideli aſperitate caperaſſent, libera, & porrecta fronte fidei ſuæ profeſſionem nuntiaret: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cæleſtis magiſter, qui tali affectu alumnū imbuerat, ſtatim ſubiungit, Matth. cap. 16. verſ. 17. *Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona. Bar* denotat filium, *jona* columbam. Petrus ergo filius columbæ, hoc eſt Spiritus ſancti, & amoris filius primogenitus, reuelatione diuina, & confeſſione Deitatis. Pulchrè S. Anſelmus conceptum exprimit ſcribens in hunc Matthæi locum: *Quandoquidem tam perfectæ fidei confeſſione polles, Ego, cuius dicere, facere eſt, dico tibi: O Simon beatus es, Simon dico Bar-jone, id eſt, qui tali confeſſione, ac pia ſimplicitate, vocari debes filius columbæ, vel filius diuinæ gratiæ, qui in ſpecie columbæ dicitur ſuper ipſum deſcendiſſe.* Et poſt pauca: *filius quidem*

Prærogatiua amoris in Petro.

Anſelm.

Filius eſt columbæ, hoc eſt, Spiritus ſancti.

quidem Spiritus Sancti fuit, ab eo tempore, quo ab ipſo illuminatus, gratiam diuinæ cognitionis accepit Reliqui fideles ex aqua, & igne renati, Spiritus ſancti vocantur nati, non diffiteor; ſed vnus Petrus inter omnes refulget præeminentia filiationis; dum primus ebibit limpida flucnta Deitatis, illuſtrationes Deificas, & flammas amoris prælibat. Dum auſus eſt reliquis Apoſtolis anteire, primas tenens firmiſſimæ confeſſionis, primarius per excellentiam filius Spiritus ſancti, & diuinæ columbæ, quæ ipſum velamento alarum protexit, & abundantiori rore gratiæ, & amoris perfudit, à Chriſto prædicatur. Lance contemplationis libra verba illa Anſelmi: *Qui in ſpecie columbæ dicitur ſuper ipſum deſcendiſſe.* Videtur enim ex tenore ſententiarum ſacri Antiſtitis, ad Petrum eſſe referenda, quod ſi ita eſt verum, quod Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſupra Petrum deſcenderit, & ideò filius Ionæ ſeu columbæ nuncupatur, hic deſcenſus columbæ, & Spiritus ſancti dilapſus, ſupra Eccleſiæ caput, manifeſtum foret indicium gratiæ, & prærogatiua amoris, qua Deus ipſe inter reliquos Apoſtolos Petrum ſignat. Dumque Petrus in ſummi antiſtitis dignitatem à Chriſto deſtinatur, Deificæ auis ſupra caput volitantis inauguratione: quam aſſiduè aſſiſtat Petro, eiuſque ſucceſſoribus Spiritus ſanctus, & dilectam Eccleſiam protegat, hic deſcenſus manifeſtat.

Spiritũ ſanctum in ſpecie columbæ ſupra Petrũ deſcendiſſe. Anſelmus inſinuat.

2. Scrutator amoris, & cordis, Ieſus voluit trino ſcrutinio detegere dilectionem Petri Ioánis cap. 21. verſ. 15. *Dicit Simoni Petro Ieſus; Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? ait illi: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te; dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò amas me.* In hac repetita perſcrutatione inueſtigare licet, cur Petrus mœrore contrahitur, & vultus eius triſtitiam prætendit? Deberet potius de amore triũphare, & de Ieſu familiaritate lætitiã vultus, & tripudiũ præferre præſertim de gratioſis, & mellifluis verbis Saluatoris, quę vel omne nubilum mœſtitiæ poſſent depellere. Sed *contriſtatus eſt Petrus*, Ex poſtrema interrogatione Petrus magnum dolorem hauſit, quia minus fidebat Ieſus eius amori. In poſtremis, quod minus eſt in amo te Ieſus protulit, ideò Apoſtolus mœret. Iuxta leges amantium & ſanctiones, minus eſt amare, quam diligere. Acuta eſt commentatio Polychronij in c. 8. Prouerbiorum, in catena Patrum v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Et iuxta Græcam verſionem: *Ego eos diligo, qui me amant.* Diuerſitatem aſſignat Polychronius inter ἀγαπῶ *diligo*, *&* φιλῶ, *amo*, Eius verba ſunt: *quando* φιλῶ *&* ἀγαπῶ *non ſimul ſynonomiὼς ponuntur, ſed quaſi diſtincta inter ſe apponuntur, magis quiddam eſt* ἀγαπῶ, *quàm* φιλῶ, *quamobrem Chriſtus Dominus cùm ex Petro ſciſcitaretur: Petre* ἀγαπᾷς με, *diligis me? Petrus, quocum ſermo ipſi erat, nõ ignorans, quod minus erat vſurpauit, nempe illud* φιλῶ σε *amo te. Cùm verò tertiò audiuiſſet: Petre* φιλεῖς με; *contriſtatus eſt Petrus; animaduertit enim, ſibi à Chriſto tributum, quod minus erat.* Amabat Petrus, & diligebat Petrus Ieſum vehementiſſimo amore, ad interrogata non reſpondit *diligo*, ſed *amo te.* Sat erat verbis demonſtrare ſe amantem, cum inſpector cordium cerneret ex affectu diligentem. Sed cum aduertit Ieſum verbum

Ieſus trina interrogatione amorem Petri explorat.

Cur ex poſtrema interrogatione contriſtatur Petrus.

Exiſtimauit Petrus poſtrema ſcrutatione Chriſtum amorem imminuiſſe.

Lect. Græc. Polychron.

Minus quiddam dicit verbum diligo, quàm amo.

immutaſſe, & amorem imminuiſſe, & amorem ſuum de inferiori gradu expendiſſe; triſtitiæ acerbitate conturbatus eſt; ipſe namque non tantum amabat, ſed diligebat impenſius Ieſum, & diuino, ſeraphicoque amore inflammatus, ardebat?

3. Vt Apoſtolici cordis intimo altius defigeretur charitatis ſpiculum, ſecum memoriale continuum afferebat, vt in eius animo dilecti magiſtri dulcis perennaret memoria. Monimentum erat gladius, quo amputans Malci auriculam, tutamen dedit Magiſtro; ſacrâ illâ romphæâ præcinctus paradiſi cæleſtis expugnauit vrbem, bellum intulit inferis. Iudæos, & gentes ab infidelitate reuocauit, eodem gladio munitus, Crucis aram litandus aſcendit. Mira refert S. Chryſoſtomus apud Surium 1. Auguſti dum fatur: *Gladium Petrus poſſidens ſecum, & in prædicatione afferebat, ipſum videns ad magiſtri memoriam tenendam reuocabatur, ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Denique ad Crucis martyrium ſubeundum firmior, ac promptior effectus eſt.* Hæc Chryſoſtomus, additque in templo, Apoſtolo Petro Conſtantinopoli dicato, ſingulis annis in propatulo conſtitutum, ab Imperatoribus venerari, famaque miraculorum celebrem factum. Erat enim paruus gladius, & breuis velut pugio. Expende aurei oris verba: *Ipſum videns ad magiſtri memoriam tenendam reuocabatur.* Quæ ipſum diuini amoris ignibus exureret.

Gladius, quo Petrus militẽ percuſſit, ſecũ ſẽper detulit.

D. Chryſoſt.

Gladij intuitu Petrus ad Magiſtri memoriam excitabatur.

Ad martyriũ ſubeundum promptior videtur.

4. Nemo, vt Petrus, amittere Saluatorem extimuit, nec à ſanctiſſimæ ſodalitatis contubernio excludi, ſicut Petrus expauit. Vnde cum ſacræ Ieſu manus pedibus Petri apparant lauacrum, & Apoſtolus celſiſſimæ maieſtatis præſentiam, ad pedes peccatoris abiectæ perpendit; abnuit, & obſiſtit ablutionis muneri. At dum audit Ieſu alloquium: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Ioann. cap. 13. verſ. 8. metu perculſus, verbique iaculo ictus, feruentiſſimum amoris affectum oſtendit, dum pedes, manus, & caput exponit lauacro. Quanto enim vehementius Deum amat, tanto plus amittere eum timet. Pulchrè ſanctus Thomas hic, inquit lectione ſecundâ: *In verbis eius inſinuatur feruentiſſimus amor eius ad Chriſtum.* Et ſtatim: *In hac reſponſione territus, totum ſe offert ad abluendum amore turbatus, & timore. Vt enim legitur in itinerario Clementis, Petrus adeò afficiebatur ad Chriſti corporalem præſentiam, quam feruentiſſimè dilexerat, quod poſt Chriſti aſcenſionem, cum dulciſſima præſentia, & ſanctiſſimæ conuerſationis memor erat, totus reſoluebatur in lacrymas, itavt genæ eius viderentur aduſtæ.* Hæc Angelicus Doctor. Apoſtolorum apicis Petri pectus erat caminus flagrans, & incenſus ignibus amoris, dum Ieſum in memoriam reuocat, exuritur volitantque vſque ad cælum flammæ, & diuinum illud cor in lacrymarum flucnta, oculorum fontibus effuſa, reſoluitur; quot ſacræ margaritæ, tot amoris manifeſta ſigna.

Quantum timuerit Petrus, excludi à Ieſu ſodalitio.

Lauari pedes ſuos à Ieſu, renuit.

D. Thom.

In verbis Petri feruentiſſimus amor indicatur.

Clem.

Petrus quotieſcunque recordabatur Ieſu, totus reſoluebatur in lacrymas.

5. Placebit grata contentio, ſi Petrum, & Ioannem conferamus amantes. Diſcipulus, inquies, dilectus Domini Ioannes antecellit amore Petrum, & familiaritatis gratia; dum moriens Ieſus teſtamento amoris Ioannem, maternæ cuſtodiæ relinquit heredem, Ioannis cap. 19. verſ. 17. *Deinde dicit diſcipulo ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Quo mu-

Duo amatores Petrus, & Ioannes inter ſe conferuntur.

Ioannes Mariæ filius.

nere

nere Angelicæ cuſtodiæ, Cherub ille Ioannes dum paradiſum cæleſtem tuetur, non gladio ignis, ſed reuerentia, & affectu dilectionis, cuectus eſt ad dignitatis, & eximij amoris culmen. Rectè Guarricus Abbas inquit, ſerm. 4. de Aſſumptione Mariæ: *Inter vltima verba teſtamenti, curam matris, cuius debitorem ſe cognoſcebat, chariſſimo tranſcribit heredi.* Cœli, & terræ gazam, Deiparam, opulentum amoris pignus, ſoli Ioanni delegauit. Sed aliud pignus opulentiſſimum, certiſſimumque amoris ſignum Petro, Ieſus teſtamenro ſuo reliquit, ſcilicet totam Eccleſiam: ſubiungit ibidem Guarricus: *Sic quippe inter Petrum, qui plus diligebat, & Ioannem, qui plus diligebatur, hereditatem ſuam Chriſtus diuiſit, vt Petrus ſortiretur Eccleſiam, Ioannes Mariam.* Perpende extremam ſententiam: *Vt Petrus ſortiretur Eccleſiam, Ioannes Mariam.* Videtur Abbas ſortes iacientem, & talos ſuper Eccleſiam, & Deiparam introducere Ieſum; & ſorte æternæ diſpoſitionis obtigiſſe Eccleſiam Petro, Mariam Ioanni. At quæ felicior ſors? Beatitudo magna quod diſcipulus dilectus Dei genitricem recipiat in ſua. Sed non tam tutor Mariæ, & cuſtos Ioannes, quàm cliens, & ſeruus, qui officioſa charitate filij, matri, & Dominæ præſtet obſequium. Neque enim indigebat humana cuſtodia turris illa Dauidica ab Spiritu ſancto protecta, in cuius circuitu caſtametabantur Angelorum cohortes. Datus eſt Ioannes, vt eſſet in hac peregrinatione magnæ matri ſolatium. At Petro dilectæ ſponſæ Eccleſiæ, pro qua Chriſtus vitam in patibulo profudit, & ſanguinẽ, traditur cuſtos, vt eam fulciat, & erudiat, ab omnique hoſtium incurſu reddat incolumẽ. Quid plura? Cum tota Eccleſia Petro committitur, & Maria ſit Eccleſiæ pars præcipua, ipſa quoque Deipara Petro concreditur. Enimvero vnicuique quod ſuum eſt tribuamus, Ioannes viſu corporis, & mentis acumine aliquoties ſolertior, ſed Petrus ſemper virtute robuſtior, amore feruẽtior. Cum Ieſus à mortuis redimiuus ſe ſe obtutibus Apoſtolorum piſcantium obiecit, primus Ioãnes agnouit, at primus Petrus amoris ſigna oſtendit. Ioan. cap. 21. verſ. 7. *Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Quid mirum ſi Chryſoſtomus in Catena Græcorum Patrum in Ioannem, primas deferat amoris Petro, ſicut Ioãni primas cognitionis. ſic enim fatur: *Petrus, & Ioãnes; ille quidem feruentior, hic perſpicacior erat, ideò Ioãnes prior agnouit Ieſum, Petrus autem prior ad eum properauit* Et poſtea: *Vt ergo cognouit eum omnibus reiectis, & piſcibus, & reti, ſuccinxit ſe Petrus. Vides, & reuerentiam, & deſiderium?* Cernis eximium affectum Petri amantis? Dilectione abſtractus, ſui oblitus, humana omnia peſſundans, ſpernit rete, piſces, mare, cymbam, ac ſi ad primam Chriſti vocantis vocẽ non eſſent dimiſſa, iterum relinquit. Solus Petrus geminatæ abrenuntiationis mundi inſignibus illuſtris. Si nota eſt dilectionis, ſtudium tolerandi ſupplicia pro dilecto; ſolus Petrus ad intuitum Ieſu, ad patibuli cruciatus iam ſe accingit: *Tunica ſuccinxit ſe.* Addit acutè Chryſologus ſerm. 78. *Tunica ſe præcinxit, qui præcingendus erat martyrij paſſione.*

6. Maiorem Petri dilectionem atteſtatur ipſe veritatis Magiſter, eámque coram diſcipulis oſtentat, cum Petrum interrogat: Ioan. c. 21. v. 15. *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te.* Vbi S. Auguſt. tract. 124. in Ioannẽ

Guarric.

Guarr. *Chriſtus duobus dilectis potiora donauit, Petro Eccleſiam, & Ioanni Mariam.*

Maria quoq; Petro donatur. Ioannes viſu ſolertior. Petrus amore feruentior.

D. Chryſol.

Maiorem Petri dilectionẽ Magiſter teſtatur.

D. Aug.

addit: *Superioribus verbis dicendo: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te, ſatis & ipſe declarauit, ſcientẽ Dominum interrogaſſe, quod interrogauit. Sciebat igitur Dominus non ſolum quod diligeret, verum etiam quod plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen ſi proponamus quærentes, quis duorum ſit melior, vtrum qui plus, an qui minus diligit Chriſtum, quis dubitabit reſpondere, eum qui plus diligit eſſe meliorem.* Rurſus excitat quæſtionem: quis melior, qui plus diligit Chriſtum, & minus diligitur à Chriſto, vel qui plus diligitur à Chriſto, & minus diligit Chriſtum? *Quantum autem ipſe ſapio, meliorem, qui plus diligit Chriſtum, feliciorem verò quem plus diligit Chriſtus.* Sed ſtatim inſinuat eum qui plus diligit, plus amari à Chriſto, licet circa alium maiora ſigna familiaritatis, & beneuolentiæ oſtenderit, & in hoc eſſe felicem.

7. Poſtremo, pro Petri magnificentia Ambroſiana verba annecto, quibus eximius amor Petri velut diademate ex floribus contexto, & margaritis ornato, coronetur; Eiuſdem loci Ioan. 21. quæſtionem cum Auguſtino diſcutit, & grauiter explanat, lib. 10. in Lucam, cap. 24. dicens: *Non eſt igitur dubium credidiſſe Petrum, & credidiſſe, quia dilexit, dilexiſſe quia credidit. Vnde & contriſtatur, quia tertio interrogatur, amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur. Sed Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in cœlum, amoris ſui nobis velut vicarium relinquebat. Tu ſcis Domine quia amo te. Benè conſcius ſui, non ad tempus aſſumptum, ſed iamdudum Deo cognitum Petrus teſtificatur affectum. Quis enim alius, qui de ſe hoc facilè profiteri poſſet? Et ideò quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus anteferetur. Maior enim omnibus charitas.* Et ſtatim: *Non iam agnos vt primò, ſed oues paſcere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Hæc ſanctus Ambroſius. Præclara Petri inſignia, quæ ipſum ab aliis Apoſtolis diſcernunt. Quid illuſtrius quàm Ieſu *amoris vicarium* eſſe, & nuncupari. Vicarius eſt in fulcienda, & condenda Eccleſiæ domo, Vicarius ligandi, & ſoluendi poteſtate; eximiæ dilectionis erga ſponſam Eccleſiam vices Petro relinquit Dominus, vt vices amantis Dei ſuppleat. Amicus amico omnia præter ſpõſam, & vxoris affectum fidit. Solus Ieſus Reginam ſponſam credit Petro, & amorem eius committit. Ieſus dum in æthera fertur ſublimis, duo nobis reliquit, corpus ſuum, & ſanguinem in ſacramẽto Euchariſtiæ, & amorem ſuum in pectore Petri velut in theca repoſitũ. Nec inexaminatam relinquas Mediolanenſis Antiſtitis ſententiam: *Perfectiores, vt perfectior gubernaret. Quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus anteferetur.* Cernis Ieſum Petro primas deferentem perfectionis, fidei, charitatis?

Sciebat Ieſus quod plus omnibus diligebat eum Petrus.

D. Aug. *Qui plus diligit, melior, qui plus diligitur felicior eſt.*

D. Ambroſ. *Ieſus de Petri amore nõ dubitabat.*

Ieſus poſt aſcenſionem in cœlum, Vicarium ſui amoris Petrũ reliquit.

Propter Fidei confeſſionem omnibus anteferetur.

Vt perfectior perfectiores gubernat.

Discvrsvs VI.

Montis Ieſu, & montis Petri parallelia.

Ex ſtrictiori inter Ieſum, & Petrum charitatis nexu, oritur ſimilitudo virtutum maxima, & cuiuſdam inſtar parilitatis in Petro æmulatio, & contentio.

1. Immensa inter Creatorem, & creaturam diſparitas, ſimilitudinis ſpeciẽ non excludit; ſed eſt in Petro ſimilitudo maior. Fidei, & mul-

tarum gentium genitori, Deus arcano conſilio ex Abram, in Abraham, nomẽ inmutat. Gen. c. 17. v. 5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; ſed appellaberis Abraham.* Sed latet in vtroque nomine ſacramẽtum, quod Clem. Alexãdrinus grauiter, & acutè detegit, lib. 5. Strom. ſcribens: *Is cum ſublimem eorum, quæ in aere eueniunt, & excelſam eorũ, quæ in cælo mouentur, perſequeretur philoſophiam, Abram vocabatur, quod exponitur pater ſublimis. Poſtea autem cum in cælum reſpexiſſet, ſiue viſo in ſpiritu filio, vt quidã exponũt, ſiue glorioſo Angelo, ſiue alias cognito Deo, creatura præſtantiore, aſſumit Alpha nempe cognitionem vnius, & ſolius Dei, & dicitur Abrahã, vt qui pro natura indagatore, ſapiens, piuſque in Deum, & eius amicus factus eſt. Exponitur enim pater electus ſonitus. Verbum enim audibili voce editum. Huius autem pater eſt mens: eius autem, qui eſt virtute preditus, eſt mens electa* Hæc Clem. Alexandrinus ex Philone Iudæo mutuauit, in cuius libro de Abraham, & de Gigãtibus leguntur eadem verba, quod non annotauit Gentianus Heruetus nobilis Alexandrini Scholiaſtes. Sed hæc potiori iure prolata de Apoſtolo Petro, quam de Abrahamo libens vſurpo. Petrus enim inſignior, titulo pari, ſublimis nuncupatur, quia Eccleſiaſticæ Hierarchiæ apex, patronus, inſtitutor; Apoſtolorum, quos conſtituit Ieſus Principes ſuper vniuerſam terram vertex, & rector; pater ſublimis, quia iuxta relata ſuperius Baſilij verba *petra ſublimis* eſt, & eximius ſanctitate. Diem Ieſu vidit, & exultauit Abraham: *Viſo in ſpiritu filio.* Petrus verò vidit clariori lumine Chriſti Deitatẽ, quæ ei à Patre luminum reuelatur, nec tantum intuitus, ſed profeſſus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Eapropter Patriarcham vno ſui nominis charactere Deus ornauit; Iuxta Clementem *Alpha*, iuxta S. Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis litera *H* nominis Dei ineffabilis Iehouah. *Ex nomine ſuo Deus He literam Abrahæ addiderit*, inquit Hieronymus. Petro tamen nomen ſuum integrum Chriſtus contulit, & Simonem de petræ nomenclatura coronauit, petra & Ieſus, & Petrus dicitur. Ad examen voca ſententiam Clementis: *Pater electus ſonitus. Verbum enim audibili voce editum. Huius autem pater eſt mens.* Et dilucidiora ſunt verba Philonis ex libro de gigant: *Interpretatur Abraham pater electus ſoni, id eſt intellectus probi viri. Eſt enim electus purgatus, & pater vocis, qua conſonamus.* Et ex libro de Abraham: *Abraham pater electus vocis.* Et ſtatim: *Nam per vocem ſermo, qui profertur, ſubindicatur: per patrem mens, cuius principatus eſt: nam ſermo, qui concipitur intus naturaliter pater eſt, vt antiquior, ferens quæ dicẽda videtur.* Ex Philonis, & Clemẽtis placito mens vel intellectus eſt pater, qui verbum ſeu conceptum gignit, & parit, vocéque fit viſibile, & in lucem editur. Itaque Petrus ad conceptum diuini Verbi eligitur, vt voce illa ſublimi, quam demirãtur Angeli: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, ipſum hominibus manifeſtet. Intellectus Petri intellectui aſſimilatur æterni Patris, dum reuelatione paterna, & altiſſima cognitione Deitatis, fœcundatur, vt gignat, & parturiat verbum certa agnitione non identicæ naturæ communicatione; vt quod erat occultum & à ſæculis abſconditum, eximius ille, & primus pater in tempore verbi per quandam analogiam generator, & prolator, mente, & voce, Eccleſiæ faceret perſpicuum.

Clem. Alex. — *Abrã interpretatur Pater ſublimis.* — *Abrahã Pater electus ſonitus.* — *Petrus pater ſublimis.* — *Abrahæ Deus vnam ſui nominis literã; Petro totum ſuum nomen contulit.* — D Hier. — *Petrus cum profitetur Chriſti Deitatem, Pater electus ſoni eſt, vel vocis.* — Phil. Iud. — *Mens verbũ generans, pater eius eſt.* — *Petrus in Deitatis confeſſione amulatur Patrẽ in Verbi ſui generatione.*

Vndas maris animoſus Petrus calcat.

2. Dum calcare vndas maris iubet Ieſus Petro, & cunctabundo porrigit manum, ne immergatur, in Petro affectus patiendi pro Ieſu, exprimitur, quadam animoſitate premente cruciatuum turbines. Matth. cap. 14. verſ. 28. *Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Mens eſt ſancti Hilarij canone 14. in Matthæum ſantis: *Quod verò ex omnium conſiſtentium in mari, numero, reſpondere Petrus ſolus audet, & iuberi ſibi, vt ſuper aquas ad Dominum veniat, precatur: paſſionis tempore voluntatis ſuæ deſignat affectum, tum cum ſolus retrò veniens, & veſtigijs Domini inhærens, contemptis ſæculi, vt maris motibus pari ad contemnendam mortem virtute comitatus eſt.* Solus Petrus expers timoris, ad intuitum imaginis mortis, vel cruce, flagellis, probris, horridæ non expaueſcit. O quantos iuuenilis Petri animus, ſpiritus patiendi exhalat, cerneus Ieſum ſacris pedibus prementem paſſionum pelagus, tormentorum vortices, neſcio quo ſpiritu perpetiendi elatus, maximo excitatur impetu, vt Ieſu & ſemitas tormentorum, & Ieſu veſtigia in aquis multis paſſionum, ſectetur. *Pari* (inquit Hilarius) *ad contemnendam mortem virtute comitatus eſt.* Animoſum ſe præbet comitem Petrus in Ieſu paſſionibus. O eximium tolerantiæ ſodalitium. Si magnum, eſſe Ieſu in paſſionibus ſocium; maximum eſt, pari virtute in omni diſcrimine ei adhærere. Nec dignatus eſt Hilarius inter Ieſum, & Petrum, parilitatem virtutis, & audaciæ conſtituere: *Pari virtute comitatus eſt.*

D. Hilar. — *Affectus patiendi in Petro exprimitur.* — *Petrus ſocius Ieſu in patiendo.*

3. Inter alia Dei magnalia prædicantur à Prophetis, quod Deus à creatura non dependeat, nec in arcana ſua conſilia conſiliarium admittat humanum, nam omniſciens, & omnipotens nec alterius potentiæ, aut conſilij eſt indigus. Vnde Dauid cum Deo fatur: *Deus meus es, tu quoniam bonorum meorum non eges.* Et Iſaias: *aut quis conſiliarius eius fuit?* Do tibi hominem vnum, ex quo Deus dependeat, cuius conſilium ineat, & ſequatur. Hic eſt Petrus. Ad cuius dignitatem ſtupet ſanctus Petrus Damianus, dum in illum ſummas laudes congerit, ſermone 26. dicens: *O quam potens dignitas, quam digna potentia! Iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat omnipotens, & eſt in manu Petri, manus altiſſimi: ſoluſque ille efficitur familiaris Chriſto, qui Petri familiaritatem habuerit. Quid eſt, quod Angelorum, & hominum agminibus excluſis, ſolus Petrus in conſortium diuinæ Maieſtatis, & cum Domino reſidet præſidente? Dulce colloquium, ſancta conuerſatio, conſilium ſpeciale Petri, & Dei, vbi ſecretorum indifferentia, mortalem hominem Deo copulat, & counit.* Ille, qui agminibus Angelorum, & hominum præſidet, ſummo imperio in Regia, & cæleſti curia; ſolum Petrum admittit in arcana conſilia, eiúſque ſententiam exquirit; nullúſque ad præſidis, & Regis admittitur familiaritatem, & gratiam, niſi interuentu, & induſtria Petri: *Et eſt in manu Petri, manus altiſſimi.* Vidiſti manus Dei à Petri poteſtate aliqualem indigentiam; manus Petri, dum annexam, & ligatam in ſe continet Dei omnipotentis manum, præ ſe fert omnipotentiæ æmulationem.

Deus à creaturarum cõſilio, & diſpoſitione, independens. — D. P. Dam. — *Solus Petrus admittitur in conſortiũ diuini cõſilij.* — *Secretorum indifferentia mortalem hominem Deo copulat.* — *Manus altiſſimi aliqualiter indiget Petri manu.*

4. Cum lectitarem verba illa Matthæi cap. 26. verſ. 45. *Dormite iam, & requieſcite*, in difficilem nodum incidi. Nam paulo ante grauioribus verbis exagitat Ieſus Apoſtolorũ ſoporem, & ſingillatim Petrum carpit, ibi, verſ. 40. *Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: ſic, non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum. Vigilate, &c.* ibi ſomno oppreſſos obiurgat, ad vigiliam, & excubias excitat; hîc verò ſuadet ſomnum, quietem hortatur; qui excubitores diſcipulos in tanto diſcrimine exigit, & torpentes vituperat, cur appropinquante hoſte, & inſtante iam iam comprehenſionis periculo, ſomnum admonet, quietem præcipit? Hærerem quaſi in ſalebra niſi ſancti Hilarij acumen

Cur Chriſtus Apoſtolos dormientes obiurgat, & ſimul ad ſõnũ hortatur.

neumen me extricaret. Exiſtimat enim Pictauorum Præſul Ieſum in horto pro ſe, & pro Petro ſpeciatim Patrem exoraſſe, ne fides eius deficeret, & poſt lapſum ſuccurreret naufrago pœnitentiæ tabulâ, & in portum diuinæ clementiæ protelaret.

Ieſu pro ſe, & pro Petri fide, & conuerſione Patrem exorat.
D. Hilar.

Angelus apparens, & Ieſum confortans, liquido confirmat exauditum eſſe pro ſua reuerentia, ab hac ſolicitudine, quæ animum Ieſu excruciabat, ad tempus reſpirans, permiſit Apoſtolorum ſomnum dicens: *Dormite iam, & requieſcite.* Do tibi Hilarij verba lib. 10. de Trinitate: *Etiam pro Petro Pater rogatur, ne deficiat fides eius, vt negantis infirmitati vel dolor ſaltem pœnitentiæ non abeſſet.* Et paulo inferius: *Dominum pro fide Petri ne deficeret oratum fuiſſe, ſubiecit: poſt multam Domini precem Angelum ſtetiſſe confortantem eum: miſſo enim ad tuitionem Apoſtolorum Angelo, & per eum confortato Domino ne pro his triſtis eſſet, iam ſine triſtitia metu exiſtens ait: Dormite iam, & requieſcite.*

Ieſus de Petri pœnitentia certior factus ab Angelo, confortatur, & diſcipulos ad quietem hortatur.

Dum vexant Ieſum generis humani, & orbis redimendi curæ, dum tenerrimum cor peccatorum ſpicula ſtimulant, & pungunt, & tormentorum acerbitas animo excogitata eum diſcruciat, cura, & ſolicitudine Petri angitur; precum, & anxietatum in animo ſuo adhibet conſortem; pro ſe, & pro Petro preces ad Patrem fundit.

Ieſus precū, & anxietatū adhibet conſortem petrū.

Ex Petri, poſt prolapſionem, erectione Ieſu mœrorem Angelus minuit, ſolatium præbet. Necdum prolapſus eſt, & eius erectio, exomologeſis, & criminis expiatio impetrata eſt. Petri pœnitentia angorem Ieſu lenit: lacrymæ Petri præuiſæ conſolatione Ieſum permulcent, eiúſque fletum, & ſudorem ſanguineum, è corpore ſacro erumpentem aliqualiter abſtergunt; magna Ieſu, & Petri parilitatis ſpecies, dum in prece, in fletu, in ſudore ſanguinis, in anxietate, eum adhibet ſocium, & conſolatoris munus præſtantem. *Etiam pro Petro Pater rogatur*, &c.

Petri lacryma futura, præſentē Ieſu angorem leniunt.

Ieſus Petrū in tributi ſolutione ſibi velut exæquauit.

5. Ieſus Petrum in tributi ſolutione exæquauit. Cum iubetur à Domino inuentum in ore piſcis ſtaterem pro ſe, & pro Ieſu pendere Matth. c. 17. verſ. 26. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem: eum ſumens, da eis pro me, & te.* Huius loci myſterium grauiter expendit ſanctus Athanaſius quæſt. 10. dum inquit: *Quod mare illud eſt? Mundus. Hamus verbum Dei. Piſcis Chriſtus. Stater Crux Domini, in qua & ipſe crucifigendus erat, & Petrus.* Nec quieſcit animus, dum eos facit Athanaſius ſuppares, in Crucis ſupplicio.

D. Athan.
Stater Crux eſt, in qua Ieſus & Petrus crucifixi.
D. Chryſ.

Addo Chryſoſtomum homil. 59. Cuius verba ex catena ſancti Thomæ refero. *Sicut autem obſtupeſcis de Chriſti virtute, ita admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficiliori obediuit. Ideóq; de fide eum remunerans, copulauit eum ſibi in tributi datione, quod fuit abundantis honoris.* In tantum extulit Ieſus fidem Petri, vt pro vtroque iubeat pendi idem tributum; vt identitas ſolutionis, poſſibilem parilitatem creaturæ, & creatoris oſtenderet, dum eum ſibi in penſitatione vectigalis exæquat; nec prætereundum Maximi Hieronymi acumē: *Stater dicitur, qui duo habet didrachma: vt oſtenderetur ſimilitudo carnis, dū eodē & ſeruus, & Dominus liberātur.* Stater genus numiſmatis eſt, in quo duo didrachma æquali lance appenduntur.

Ieſus fidem Petri remunerans, copulat ſibi in tributi ſolutione.
D. Hier.

Vt maxima Petri, & Ieſu ſimilitudo demonſtraretur; ſi creaturam, & Creatorē velut in trutina examines, ſolum Petrum, & Ieſum inuenies velut in æquilibrio poſitos, ideò idē didrachma pro vtroq; penditur. Idem Crucis ſtater virtutem vtriuſq; librat. Petrū, & Ieſum in bilance ſtateræ mentis, ſeu æſtimationis tuæ ſtatuæ: Ieſus vt Deus immenſum ponderat, ſed nullus præter Petrum eſt, qui ſic Deo præponderet.

Ieſus & Petrus velut in æquilibrio poſiti.

6. Poſt tentamenta, poſt eſuriem, opiparam menſam apparant Ieſu adminiſtratorij Angeli. Matth. c. 4. Petro quoque famelico, Cœlitum induſtria, paratur conuiuium in mappa è cœlo dilapſa, pro ambroſiis dapibus offeruntur quadrupedium, & reptilium fercula. Actor. c. 10. v. 10. *Et cùm eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus: & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram.*

Petro conuiuium paratur à cœlicolis.
Petri extaſis & viſio mirabilis.

Omitto nunc libens epulas, quia cerno Petrum ſtomachantem, & nauſeantem, ſolum intendo in cœlicolarum miniſteria, & cœleſte famulitium cum Ambroſio ſerm. 10. de ſāctis faute: *Pranſuro igitur Petro deſunt coquorum apparatus, deſunt obſequia famulorum, ſed quod eſt melius miniſteria diuina non deſunt. Vt reficiatur Petrus non cellarium ſollicitè reſeratur; ſed cœlum ipſum protinus aperitur. Legimus in Scripturis ſanctum Eliam coruis miniſtrantibus paſtum. Quantò melius Petrus, cui non paruam eſcam, tetra auis porrigit, ſed integrum conuiuium multitudo Angelica ſubminiſtrat.*

D. Ambr.
Ad refectionē Petri cœlum aperitur.

Petrus Eliâ maior, cui non obſcura, & immunda auis famulatur, & panem porrigit, ſed Angelorum cohors, qui velut apparitores in procinctu poſiti, & ornati obſequio famulorum, deferunt obſonia, vt Magiſtri ſui magnalia æmuletur, Petrus menſam in deſerto parantis. Matth. c. 4. v. 11. *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.*

Eliæ coruus, Petro multitudo Angelica ſubminiſtrat.
Ieſu, & Petro menſa paratur, & obſequium Angelorum.

7. Si dignitas Petri Pontificia, & poteſtas clauium reducatur ad calculum, cæcutiat mentis obtutus ad conſpectum eximiæ dignitatis, quæ Angelicam, & humanam creaturam trāſuolat, & ad immenſam Dei poteſtatem, & imperium propiùs accedit. Matth. c. 16. v. 19. *Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis: & quodcumq; ſolueris ſuper terrā, erit ſolutū & in cœlis.* Ampla iſthæc Petri decora verbis ornatiſſimis amplificat, & illuſtrat S. Petr. Damian. ſerm. 26. *Conſummatur honor* (inquit) *& dignatio glorioſa, hominē in terris poſitum cœlis imperitare, & inter Angelorū choros iudiciariæ poteſtatis exercere virtutem. Sedet dominator Dominus inter agmina lucidiore luce fulgentia, & de thronis ad Cherubim tranſuolans: vices ſeſſionarias intermutat. Et licet aſſiſtant Angeli præſidentis imperium expectātes, & adminiſtratorij ſpiritus aſſignata ſibi miniſteria ſortiantur: nullus tamen eorū ligandi, atq; ſoluēdi poſſidet poteſtatē. Adeſt Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuerſitas ſoluitur, & ligatur, & præcedit Petri ſententia, ſententiam Redēptoris; quia non quod Chriſtus, hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus, hoc ligat Chriſtus. Ipſo idipſum atteſtante: quodcumque* (inquit) *ligaueris ſuper terrā, erit ligatum, & in cœlis.* Hæc Damianus Cardinalis. Omnia Dei gubernantis ſpeciem tenet Petri poteſtas. Quanta Petri præſtantia, cuius iudiciaria virtus cum Ieſu de præcedentia contendit; prior Petrus vel obſtringere, vel abſoluere reum iudicio decernit; ſententiam, quam Petrus profert, Chriſtus confirmat.

Poteſtas clauium in Petro eximia.
D. P. Dam.
Petrus homo eſt cœlis imperitans, & inter Angelorum choros iudiciariam exercens poteſtatem.
Nullus Angelorū ligandi, atque ſoluēdi exercet poteſtatem.
Petri ſententia præcedit ſententiam redemptoris.

Ea verba: Mons præparatus in vertice montium, *de Deipara expenduntur, & illuſtrantur.*

1. HVIVS expoſitionis fundamentum prætactum eſt in primo commentario literali

Mons Moria eſt Mons Maria.

horum verborum. Et potiſſimum in commentatione de Eccleſia; ibi prædictum fieri alluſionem ad montem Moriah, in cuius etymologia ſanctiſſimæ Deiparæ nomen erat incluſum. Plures Eccleſiæ Patres de Dei genitrice hunc locum accipiunt.

Primus, S. Gregor. *Mons in vertice montiũ eſt Deipara. Huius mõtis decora.*

Primus Sanctus Gregorius Magnus, tom.2.lib.1.in c.1.Regum: *Poteſt autem huius montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei genitrix deſignari. Mons quippe fuit, qui omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentiſſimam dignitatem Eſaias vaticinans ait: erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit. Nam ſicut mons altitudinem, ita domus deſignat habitationem. Mons quippe, & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, ſacrum præparauit vterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem, hanc diuina fœcunditas non leuaret. Et domus Domini non fieret, ſi in eius ventre, per aſſumptam humanitatem Verbi diuinitas non iaceret.* Hæc Magnus Gregorius.

Secundus, S. Bernardin. *Maria eleuata eſt ad culmen firmiſſimæ dignitatis.*

2. Secundus, ſanctus Bernardinus tomo 3. ſermone 11.art.1.cap.2. *Eleuata eſt ad culmen dignitatis firmiſſima. Proinde Iſaiæ ſecundo capite ſcriptum eſt: Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: mons iſte in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, & de quo abſciſſus lapis ſine manibus, eſt glorioſa Virgo; hic mons eleuatus eſt ſuper colles, quia Virginis altitudo ſublimiſſima eſt ſuper ſummos, & latiſſima ſuper cunctos.*

D.Andr. Ieroſ. *Mariani mõtis varia epitheta.*

Cui concinit ſanctus Andreas Archiepiſcopus Ieroſolymitanus ſermone de Deipara: *Sola tu verè benedicta es, quam montem magnum vir ille deſiderabilis Daniel vidit: ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis: montem præterea Dei, & montem pinguem: montem quoque iucundum, montem inquam, quem Deo inhabitare placuit.*

Tertius, Albertus Magn. *Cur Maria dicatur mõs.*

3. Tertius, Albertus Magnus in caput 10.Lucæ: *Eleuabitur ſuper colles dignitatum Angelicarum: & pro gratia impetranda fluent ad eum omnes gentes. Eſt enim hic mons eminentia ſuæ ſanctitatis. Mons Dei, mons pinguedine conſolationis diuinæ: pinguis mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare. In eo etenim Dominus per gratiam, & gloriam habitabit, in ea vſque in finem, qui non habet finem.*

Hug. Card. *Sex gradibus in montem Mariæ aſcenditur. Primus, verecundia. Secundus: prudentia. Tertius: modeſtia. Quartus: propoſitum virginitatis. Quintus: obedientia. Sextus: magnitudo.*

4. Quartus, Hugo Cardinalis in Pſalm.23. *Præparauit eum, orbem, ſcilicet Beatam Mariam quaſi exemplar. Eſaiæ ſecundo: mons præparatus. Quis aſcendet in montem Domini, id eſt ad Beatam Virginem adorandam, & ſalutandam. Sex gradibus aſcenditur ad hunc montem. Quæ ſunt ſex virtutes. Prima eſt verecundia: turbata eſt in ſermone eius. Secunda prudentia: cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Tertia modeſtia ſermonis: Quomodo fiet iſtud? Quarta propoſitum virginitatis: Quoniam virum non cognoſco. Quinta obedientia promittendo: ecce ancilla Domini. Sexta magnitudo: fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Didacus Granados locũ expendit de immaculata conceptione Deiparæ.

5. His annecte Didacum Granados, cuius ſanctitatem, & Angelicæ puritatis ſpeciem, cum mirabili ſapientia coniunctam veneror, & exoſculor; ſub eiuſque religioſiſſimo imperio militaſſe me, glorior. Is tractatu de Conceptione diſp.3.c.10.ſect.4, hunc locum expendit de immaculata Deiparæ generatione, primæui criminis labe prorſus experti, rémque grauiter, & piè vrget ex verbis ſupra poſitis ſancti Gregorij Magni, in quibus ſupra humanum, & Angelicum meritorum verticem exaltata prædicatur.

Interpretationis huius ſuffragium.

Cui commentationi manifeſtè ſuffragantur ſuperiora literæ commentaria, in quibus vim Hebraici verbi Nachon expreſſimus, eiuſque myſteria ex radice ſacræ linguæ hauſimus. Cum enim Deipara ſit mons, & domus Domini, cum de illius fundatione Iſaias ſermonem inſtituit, erit, inquit, mons *præparatus, firmus, ſtabilis* gratiæ firmitate; erit *decretus*, ſeu ab æterno *electus*, & præordinatus, vt lapidem Ieſu ſine manibus virilis conſortij parturiat.

Heſych. *Maria latomia, vnde prodijt lapis Chriſtus.*

Pulcrè Heſychius presbiter Ieroſolymitanus homil.2. de Deipara, eam nuncupat *fodinam vnde prodit lapis totam terram tegens, a nullo inciſus.* Ex qua diuina dignitate vſque ad fundamina huius montis illuſtris, manifeſti, & conſpicui, & radices, & fundamenta ciuitatis, aurei gratiarum riuuli emanarunt: ſed fundamenta ſaxorum, quæ in tantam ſublimitatem aſſurgunt, exploremus; vt theſaurorum Dei genitricis latebras, gratiarum principia tamquam auri, & argenti venas effodientes eruamus; ſunt etenim altè defixa, & immobiliter ſtabilita fulcimento gratiæ; vtque ex inexhauſta diuitiarum ſapientiæ ſcaturigine, aut bracteolam, aut ramentum auri cæleſtis eloquij, in conſpectum calamus depromat, magna mater imploranda eſt cum S. Bernardino, qui ex S. Bernardo verba mutuatus fatur, tom.1.ſerm.11.

D.Bernard. D.Bern. *Deipara auxilium cum S. Bernardino imploratur.*

Hic totum decurrat ingenium, vt aureus ſermo totus reluceat maieſtate. Voluntaria oris mei beneplacita faciat ſibi Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli; ipſa ſenſum acuat, dirigat ſtylum, & linguam pauperis, venuſtiori reſpergat eloquio. Quod & ipſa mihi hodie impartiri dignetur, vt de magnificentijs eius aliquid balbutiendo, depromam. Iterum cum S. Damaſceno ſalutanda, diuinique numinis, natique ſui ſubſidium efflagitandum.

D. Damaſc. *Vt verba ſua faueat, interpres cum Damaſceno Mariam deprecatur.*

Sic enim exorat S.Ioan.Damaſc. orat.1.de dormitione Mariæ: *Aperio Dei verbum tardum iſtud os noſtrũ, da in apertione labiorum noſtrorũ ſuauiſſimã, & lepidiſſimam orationem. Spiritus gratiam nobis affla, per quam piſcatores facundia pollent, & literarum expertes ſapientiam, hominis conditione præſtantiorem loquuntur. Vt nos etiam, qui linguæ hæſitantia laboramus, chariſſima tua Matris amplitudinem exiguè ſaltem, & obſcurè prædicare poſſimus.*

Celebratiſſimi montes feſtum agũt Deiparæ.

6. Sed quia Dei Genitrix ab Iſaia celebratur metaphora mõtis pulcherrimi vſq; ad paradiſum Dei ſe ſe attollentis; celebratiſſimi quiq; ſacræ Scripturæ montes, quibus omnibus ſacratior, & ſublimior mons Maria aſſeritur, *exaltabitur ſuper colles*, diem feſtum Deiparæ agitent; choros exultabundi laudantes, & ouantes inſtituant, mons paradiſi, Sion, Pharan, Olìueti, Libani, Thabor, & Sanir; ſacrati, & nobiles terrarum cumuli, ornamenta pulcritudinis, & diuitias gloriæ accumulent, ſacratum diem præſeruationis Mariani montis colant; inter ſua magnalia, & decora, Mariæ ab originali labe immunitatem, & ſingularis gratiæ priuilegium oſtentent, nunc aliis omiſſis cum vno vel altero monte Deiparam comparemus.

D.Damaſc.

Montes hos præclaros cum D.Damaſc.orat.1. de natiuit.Mariæ affari liceat: *Exultate montes. Siquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons inquam ille, qui collem omnem, ac montem, id eſt, Angelorum, & hominum ſublimitatem exuperat.* Hæc Damaſcenus præſentem Iſaiæ locum de Deipara expendens.

DISCVRSVS I.

Mons Paradiſi.

Mariæ inſignia deprædicat, & Mariani montis immunitatem demonſtrat.

1. PARADISVS ille antiquior in Edē fundatus, & plantatus pulcherrimis arboribus conſitus, omnigena voluptate refertus Mariā Deiparam adumbrabat, vt concors eſt Patrū ſententia; vnde verba illa Cant. c.4.v.12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus,* ad literā de Dei genitrice exponunt. In iis etenim Chriſtus cum Virgine Matre fatur, eámque paradiſum nuncupat, quia præclara paradiſi terreni inſignia, ornamenta gratiæ huius paradiſi cæleſtis adumbrabant. Quapropter Rupertus legit: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa es Dei genitrix.* Pro horto Hebraicè eſt גן *gan, paradiſus.* Et Geneſ.2. verſ.8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum à principio.* Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis legit *hortum.* Chryſoſtomus, Thomas, & Catena in Geneſim, hortus, delicioſum pomarium, paradiſus nuncupatur. Addit Rupertus in Cantica: *Primus ille paradiſi hortus hominem cuſtodire non potuit, nec illum homo cuſtodire voluit; horum malorum remedium plātauit Dominus alium paradiſum, quem ingredientes, lignum vitæ illud æternæ adeuntes de fructu eius comedamus, & non moriamur.* Hæc Rupertus ſcribit de Deipara. Maximis honoris dignitatibus illuſtrauit Deus paradiſum, quæ reducuntur ad ſitum, mōtis ſublimitatem, terræ puritatem, electionem horti, & præſeruationem: vt in iis tota Trinitas delinearet à mundi naſcentis exordio, in Mariano paradiſo gratiæ ſingularis decora, & ſemper indeficientis ſtabilitatis priuilegium. Solum illud paradiſi præelectum, & ſacrum, ceſpes numquam maledicta, plantæ execrationi numquam obnoxiæ, ſepis ambitus, & ſecurum munimentum, montis, in quo plantatur celſiſſima ſublimitas, ab omni terrena impuritate aliena, tenebris intacta, inter ſe certant, quænam earum primum gratiæ in Maria decus, maiori perſpicuitate manifeſtet.

Maria Paradiſus eſt. — Rupert. — Rupert. — *Primus Paradiſus hominem non cuſtodiuit.* — *Maria Paradiſus habens lignum vitæ.*

2. Sanctus Ioannes Damaſcenus deſcribens ſpeciem, & iocundam amœnitatem horti Eden, hæc verba habet: lib.2. fidei, c.11, *Hic ille eſt diuinus paradiſus Dei manibus in Eden conſtitutus, voluptatis omnis, ac iucunditatis animi promptuarium (Eden enim ſi interpreteris, delicias ſonat) in oriente ſupra vniuerſam terram ſitus, probéque temperatus, atque ſubtiliſſimo, & puriſſimo aëre vndique colluſtratus, plantis numquam non floridis vernans, ſuauiſſimo odore, ac lumine plenus, diuina planè regio, dignúmque eo, qui ad Dei imaginem conditus erat, domicilium; in quo nullum rationis expers animal verſabatur, verum ſolus homo diuinis manibus effectus.* Diuinam hanc imaginem, & cæleſte paradiſi ſimulacrum viuis verborum coloribus effinxit Damaſcenus; in iiſque alium diuiniorem paradiſum matris Dei pinxit. Deus illum in puriſſimo aëre, & luminis cæleſtis temperie à prima plantatione condidit; hoc quoque Deiparæ viridarium, ſemper claro aëre, puro, & ſudo cœlo perfruitur, fundatum, conſitum, *ſuauiſſimo* virtutum *odore, ac lumine* gratiæ *plenum.* Nullum ibi animal rationis expers, nec in iſto amœniſſimo Dei horto inuenta ſunt animantia, quæ plantas depaſcerent, non ſerpens, qui virulento halitu flores inficeret: *Nullum rationis expers animal verſabatur.* Inſignium omnium paradiſi quaſi ſummam colligens Damaſcenus, pulcherrimum illud pronuntiauit effatum: *Dignum eo, qui ad Dei imaginem conditus erat, domicilium.* Siquando domus regia Adamo Dei imaginem, & ſimilitudinem portanti conditur; reptilibus, & quadrupedibus aditus præcluditur, vt rationis particeps homo cum cœlicolis commoretur, nullúmque habeat cum beſtiis conſortium; potiori iure cum puella Virginea, & totius Trinitatis viridarium fundabatur, fundamentáque ponebantur in Annæ vtero, Virgineæ, cæleſtiſque aulæ; in qua non imago, non ſimulacrum diuinitatis; ſed ipſe Deus Verbum inhabitaret; arceretur nociuus ſerpentis flatus; lupi, leonis, & Belialis contubernium, imò colluſtrabatur luminoſis radiis, aſpectuque cœlorum dulciſſimo; auræque vitalis gratiæ, puriſſima temperie.

D.Ioā.Dam. — *Paradiſi plātatio, illius ſitus & aëris temperies.* — *Dignum Dei imagine domicilium.* — *Maria paradiſus lumine gratiæ plenus carens omni ferā.* — *In Maria Paradiſo, non imago Dei, ſed ipſe Deus inhabitauit.*

3. Nec minori verborum, & ſententiarum lepore deſcribit ſitum paradiſi, & montem excelſum, & ſublimem, in quo conſtructus, & conſitus eſt à Deo; Baſilius homilia de paradiſo dicens eſſe *Locum omnem exuperantem creaturam, qui ob ſitus celſitudinem, nulla ſui parte vllas admittit tenebras, nulla tenebreſcit caligine, quippe quem exorientium ſyderum ſplendor irradiat, & vndique ſuo lumine circumfundit; illic plantauit Deus paradiſum, vbi nulla eſſet vis ventorum, nulla tempeſtatū intemperies, nulla grando, nulla fulmina, nullæ procellæ ac turbines.* Prorſus veriſſima Magni Baſilij verba, ſi de Mariæ Virginis paradiſo vſurpes: etenim propter ſuam meritorum, & gratiæ celſitudinem ſupra omnem creaturam extollitur, nullas vmquā admittit peccatorum tenebras, *nulla tenebreſcit caligine* originalis, aut actualis culpæ; eā potius virtutum, & gratiarum fulgores ſemper illuſtrant: plantauit enim Dominus diuinum iſtum hortum in tam ſublimi gratiarum vertice, & charitatis faſtigio, vt nullæ vmquam permutationes humanæ infelicitatis, aut perturbationes vitiorum excelſum illud viridarium attingerent. Primi peccati nimbus, & tempeſtas omnes obruat, originale delictum velut grandine, & fulmine, omnes filios Adæ iaculetur, eóſq; feriat, & exurat: tentationum venti, & procellæ perfectiores Sanctos apprehendant; at Mariæ paradiſus, qui ſublimitatem ſuam vſq; ad Dei ſolium erexit, ab his ærumnis, & periculis immunis: non procella, non turbo, non fulmē primi peccati iſtū excelſum, & paradiſiacum mōtem tetigit: ſed in eo veris gratiæ æterna iucunditas, virtutum floribus viridaria ſtrata, in perpetuū nitent, aura Spiritus ſancti flat leniſſima ſemper; nec fulgur peccati in eo cecidit, nec vitiorū timuit incurſus.

Paradiſi deſcriptio ex S. Baſilio. — D.Baſil. — *Nullas admittit tenebras.* — *In paradiſo nulla tempeſtas, nulla procella.* — *Maria paradiſus nulla tenebreſcit caligine culpæ.* — *Nulla peccati procella obrutus eſt.*

4. Adhuc maior, & anguſtior in paradiſiaco mōte præſeruationis, & immunitatis titulus. Cum totus orbis aquis diluuij immergitur, paradiſus non obruitur, nec illū irruentes, & præcipites aquarū moles inundant. Teſtor doctiſſimū Abulenſem, qui q.15. in c.7. Geneſ. inquirit, an aquarū diluuio omnis terra fuerit demerſa? Et reſpondet: *De ſolo monte paradiſi terreſtris eſt ratio dubitandi: tum quia ibi erat iā Enoch, ne extingueretur.* Et ſtatim addit: *Locus paradiſi non debuit lædi, quia eſſet habitatio Sanctorū: ideò non debuit illuc intrare diluuiū, licet aſcenderet ad maiorem altitudinem; maneret tamen aqua circumfuſa in modū muri.* Idem affirmat q.9. in c.2. Geneſ. loquēs de paradiſo, & diluuio: *Non illapſa eſt in eū, quia ſtetit circumfuſa, vt murus vtrinque, ſicut fuit aqua maris rubri tranſeuntibus Iudæis.* Fluidiſſimi elementi flu-

Aquarum diluuio paradiſus non immergitur. — Abul. — *Quia ibi erat Enoch, & ſanctorum habitatio.* — Abul.

In Maria paradiſum, aquæ diluuij peccati originalis non intrarunt.

xus ſuperioris manus retinaculo coërcentur, ſingulari prodigio, ne in paradiſum effluant, quia locus Sanctorum erat, & habitaculum; non certè propter hoc ſolummodo, ſed quia vmbram, & imaginem Mariani paradiſi veneratæ ſunt aquæ, fluxus ſe cohibent, nec in eum irruunt: Etenim dum omnes filij Adæ diluuio originalis culpæ obuoluti pereunt, ſolus paradiſus Maria, Sancti Sanctorum habitaculũ, à ſceleris colluuione manet immunis.

Paradiſus illiuſque plãta non ſubeunt primaua maledictionis iniuriam.

Moyſ. Barc. Philoxen.

5. Solus paradiſus legibus primæ maledictionis ſolutus, neque eius mons, nec arbuſta, aut frondes ſunt addictæ communi orbis terræ execrationi. Id adnotat Moyſes-Barcepha, Syri Epiſcopus, libro 1. de paradiſo c. 17. in quo ex Philoxeno Marbugæ Epiſcopo, ſermone *De contemplatione arboris vitæ*, hæc verba refert de paradiſo, eiúſque plantis: *Nequaquam ſubiecta ſunt execrationi, atque damnationi: hæ enim in eam modo terram pronuntiata ſunt, quæ extra paradiſum eſt, poſt violatam ab Adamo legem, ita vt paradiſus ab ipſis maneret immunis, ſicut in hanc vſque diem quoque immunis, libérque eſt.* Et Mariæ, & ſpiritus, & terra virginea ſemper benedicta, ei numquam Deus malè precatus, nec diris eam originalis culpæ deuouit; diræ enim, & execrationes huiuſmodi, quod maneat odio criminis terra ſubiecta, & ſupplicio maledictionis obnoxia: *In eam modo terram pronuntiatæ ſunt, quæ extra paradiſum eſt.* At terra, quæ paradiſus Dei eſt, & in qua hortus, & æterni Regis topiarium conſtruitur, non ſubiit communis maledictionis ærumnam: *Ita vt paradiſus* Mariæ *ab ipſis maneret immunis.*

Maria terra numquã, maledicta.

D.Thom. Paradiſus ad Orientem fundatus.

6. Cogitationi noſtræ, & paradiſi glorioſo decori calculum adiicit, & quidem album Angelicus Doctor, dum de illius ſtructura, initio atque fundamento diſſerit, 1.p.q.102.art. ... corpore, ſcribit: *Eſt autem paradiſus, locus in orientis partibus conſtitutus: cuius vocabulum à Græco in Latinum vertitur hortus: Conuenienter autem in parte Orientali dicitur ſitus: quia credendum eſt, quod in nobiliſſimo loco totius terræ ſit conſtitutus: cum autem Oriens ſit dextera cæli, vt patet per Philoſophum in 2. de cælo: dextera autem eſt nobilior, quam ſiniſtra: conueniens fuit vt in orientali parte paradiſus terrenus inſtitueretur à Deo.* Loquitur S.Thomas iuxta verſionem Septuaginta, & ſanctorũ Patrum ſententiam; nam Geneſ. c.2. v.8. dicitur: *Plantauerat autẽ Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio.* Legũt Septuaginta Seniores: κατ' ἀνατολὰς: *Plantauit Deus paradiſum in Eden, ad Orientem.* Sanctus Hieronymus ſequutus eſt Aquilam legentem: *ab exordio*: Symmachus vero legit: *à prima.* Scilicet conſtitutione: Theodotio: *in primis*, ſcilicet fundamentis. Quæ omnia ſtructuram, & fundamina Mariani paradiſi præludebant. Cum enim diuinus ille hortus deliciarum Dei conſtruebatur, ſi eum conſideres *ab exordio* temporis, *à prima*, temporis particula, in Oriente apparet, cæleſti lumine gratiæ ornatus, circumfuſus: alij diui quacumque polleant dignitate, horâ primâ non ſunt in Oriente; ſed in Occidente originalis peccati, hora tertia excitantur, cum peccato purgantur, & accipiunt ſanctificationis gratiam. At Mariæ paradiſus: *In exordio, in primis, a prima* particula temporis, in Orientali ſplendore filij ſui extitit, de quo Zacharias vaticinatur: *Oriẽs nomen eius.* Et rectè iuxta Doctorem Angelicum, paradiſus fundatur ad Orientem, ſcilicet cœlorum dextram: quia paradiſus Mariæ, ſemper fuit in dextra, numquam in ſiniſtra, non enim pertinet ad manum, in qua ſtatuuntur hœdi, & annumerantur peccatores; in Maria omnia fauſta, felicia, hic paradiſus cũ fundatur, habuit nil ſiniſtrum. Ex quibus omnibus collige lector fundamenta cur Deipara in generatione, & prima animæ creatione paradiſus nuncupetur; eas enim tamquam ex liliis, roſis, garyophyllis, contextas corollas, mons paradiſiacus offert, vt immaculatam prædicans conceptionem; ſacratum Mariæ verticem cingas, & ornes.

Oriẽs dextra eſt cœli.

Lect. Lxx.

D.Hier. Sym. Theodot.

Mariani paradiſi fundatio, ab exordio & prima temporis particula, in Oriente, & dextra Dei fuit.

Cur Maria paradiſus ſemel, & iterũ clauſus dicitur?

7. Sed cur in Salomonis cantico clauſuræ hortẽſis repetitio perſonat? Cur hortus, & paradiſus ſemel, & iterũ clauſus prænũciatur? *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Cant. c.4. reſponſionem cuique obuiã de Eccleſiæ patribus mutuatam non ſpernimus, ſed de induſtria omittimus: quod Maria Virgo ante partum; illibata, poſt partum, ideo clauſura iteratur. In præſenti clauſus paradiſus canitur, quia ſerpenti impenetrabilis, & virulentæ aſpergini primæuæ maculæ imperuius extitit. Hortus ille in Eden conditus paradiſus fuit, ſed patẽs, ſed apertus Dæmoni, peccato; dum Eua ſerpẽtino demulcetur alloquio, ad conſenſum & præuaricationem ipſa cũ marito trahitur. At Maria paradiſus leoni, & malæ beſtiæ inacceſſus, peccato inuius, vndiq; cinctus Angelorũ excubantium præſidio, obuallatus gratiæ munimento. Vnde גן *gan* paradiſus, hortus, à radice גנן *ganan*, *protegere* denotat; paradiſus, quem vallo amoris circũdedit, & priuilegio gratiæ protexit Deus. Pulcrè S.Damaſc. orat. 1. de B. Mariæ dormitione ſcribit: *Tu ſpiritalis Eden extitiſti antiqua illa ſãctior, ac diuinior.* Et orat. 2. inquit: *Etenim adhunc paradiſum ſerpens aditũ non habuit.* Et Alan. ſerm. 1. de laudib. Virginis: *Cœlo ſus vndique nullis Diabolicis patens acceſſibus.* Concinit Hailgrin. Cardinal. in Cantica: *Hunc hortũ ita clauſit Deus, vt nulli maligno pateat ingreſſus. Concluſit eũ tota Trinitas: potentia Patris muniuit Virginem cõtra Diaboli violentiã: ſapientia Filij contra hoſtis fraudulẽtiã: bonitas Spiritus ſancti contra eiuſdẽ malitiam.* Accipe inſuper verba S.Brunon. lib. de laudib. Eccleſ. c.1. de paradiſo, qui expẽdens verba Cant. c.4. *Hortus concluſus*, inquit: *Recedant igitur latrones: recedat & Diabolus Princeps latronum, qui ſemper circuit quærens, quem deuoret, concluſus eſt hortus, ſignatus eſt fons, nec poma, nec aquam ſubripere poteſt.*

Maria hortus Dæmoni, & peccato imperuius.

Quid denotet verbum Cant.

D.Damaſc. Maria paradiſus, Diabolo nunquam patuit.

Alan.

Hailgr. Cardin.

Tota Trinitas eum protexit contra peccati incurſum.

D. Bruno.

8. Sed valde eleganter eandem mentem exprimit Rupertus in Cantica ſcribens de geminato Mariæ, corporis, & animæ tutamine: fantur cum Dei Genitrice Angeli: *Hoc eſt geminum noſtræ cuſtodiæ munimentum, geminum noſtrorum amicorum gaudiũ: quia & vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio acceſſibilis: & mens tua nulli vitio, nulli ſpiritali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* In quibus verbis prædicti Patres perſpicuè aſſerunt amœniſſimũ Mariæ hortum ratione virginei, & illibati pudoris intactum; ſed imperuium inacceſſum ſpiritali nequitiæ, Dæmonis malitiæ, ſerpẽtino afflatui originalis culpæ.

Rupert.

Maria paradiſus viro inacceſſus, & ſpiritali nequitia impenetrabilis.

9. Quid mirũ ſi paradiſus gratia circundatus in prima plantatione egrediatur, ſiquidẽ Mariæ paradiſus, de altero paradiſo emanauit, ſcilicet Dei filio. Eccleſ. c.24. *Sicut aquaductus exiui de paradiſo.* Verba ſunt intemeratæ Virginis iuxta Hug. Cardinal. placitũ, quibus priuilegium immunitatis in creatione ſua vniuerſo orbi oſtentat: *Exiui de paradiſo* (inquit purpuratus Pater in perſona Virginis) *id eſt à Chriſto per creationẽ, & recreationẽ, aquas Deitatis humano generi afferens.* Primus exitus Mariani fontis, & paradiſiaci montis à Chriſto eſt, qui ſimul creauit Mariã condens naturã, & recreauit cõferẽs gratiã. Exiuit in primo ortu quaſi fluuius, & fons Deitatis, & gratiæ, & exibit ſine gratia? Fluuius Mariæ exundat aliis, & ſibi ipſi ariditate ſiccabitur?

Hug. Card. Maria paradiſus exiuit de filio paradiſo in ſua creatione.

ſiccabitur? Exit aquæductus Mariæ de paradiſi monte, & gratiarum fonte Chriſto; humano generi afferens Deitatem, & in exitu ſuo trahet ſecum primæ labis iniquitatem? Aquæductus Deitatis puriſſimus eſt, immaculatus ſemper eſt; numquam ei inhæſit lutulentum, aut cœnoſum humanæ naturæ contagium.

Cur fons ſignatus Maria prædicatur?

10. Nec vacat myſterio, quod fons ſignatus eadem virgo nuncupatur. Credo, quod filius dum naſcitur, nec cæleſtis virginitatis clauſtra violauit, nec peſſulum pudoris infregit, flos dum fructum benedictum parturit, integer permanet, & illibatus. Et hoc indicat verbum Hebraicum חתם *chatam*: *ſignare, ratificare, obfirmare*, vel: *ſignare annulo*. Rex dum temporaneo egreſſu ex ipſa egreditur, paradiſum, & fontem ſignauit annulo poteſtatis, & virginitatem dilectæ matris obfirmauit, ratificauit. Sed aliud ſignaculum indicat ſponſus, quando paradiſiacum, & deliciarum fontem annulo ſignatorio obſignat: quid eſt ſignare niſi tanquam quid eximium, & rarum, continénſque ſingularis gratiæ priuilegiũ, à reliquis hominibus ſecernere? Vnum ex altero locum expendo Ioann. c. 6. ait de filio Euãgeliſta Ioannes: *Hunc enim Pater ſignauit.* Sententiã illuſtrat Alcuinus in catena S. Thomæ, & ipſe Angelicus Doctor in Ioannis commẽtario: *Sequeſtratus eſt enim quadam gratia, & exceptus à numero omnium.* Filium ſignat Pater, & Filius ſignat matrem; ſignatus eſt Filius ſigillo Deitatis, & à reliqua turba, & grege peccantiũ iure diſcernitur; ſignata eſt Mater dum ſigillatur in eius ventre filius, & immaculata carne, mirabili nexu imprimitur diuinitas, & character Patris. Sed ad quid Maria inſignitur ſignaculo Verbi, terrarũ, cœlorúmq; imperatoris ſigillum in ea apponitur? Quia à vulgo feminarũ, & ſanctorũ omnium claſſibus, gratiæ ſingularitate diſtinguitur, ſecernitur. Non eſt enim ſãctificatio Mariæ cõmunis, vulgaris, trita ſicut Ioãnis, aut Ieremiæ in vtero Matris; inſigni nota, ſingularique ſigno præſeruationis ornatur. Sola Deipara inter filios Adæ ſignata eſt. Eſt enim ſegregata à peccatoribus, & excelſior cœlis facta: ſignaturæ munera ad rem noſtrã præclarè expendit Hug. Cardinal. ad ea verba Cant. c. 8. *Pone me vt ſignaculũ.* Hebraicè: *Vt annulũ ſignatorium. Signaculum* (inquit Hugo) *id eſt memoriale, vel ſignum, quo ſecreta clauduntur: in quo Regis imago reſultat, ſeu character diſtinctionis, vel vexillũ quod triumphale ſignũ eſt. Vel ſignũ ponitur ad notitiam, ad cuſtodiã, ad confirmationẽ, ad gratiã, & decorem: quod ſcilicet certificet proximos, arceat aduerſarios, roboret infirmos, lætificet ſponſum, & eius amicos. Monile pectoris, ſignaculum cordis, quod firmari debet, ne intentio naturalia egrediatur, ne affectio indigna ſurrepat, ne manus aliena tangat.* Nullibi maiore concinnitate, aut lepore Hugo fatur. Apponitur Ieſus ſigillum Patris, in Virgine, tamquã ſignaculum, quo arcana Dei conſilia tegũtur, tanquam vexillum in quo triumphum agit decor, & gratia; ad ſponſi delicias, & Angelorum gaudium. Signum cuſtodiæ & immunitatis appenditur, vt arceat hoſtes, peccatum, & Dæmonem, certificet prope inruentes Marianum decus: examina acutè dictum Hugonis: *In quo Regis imago reſultat, ſeu character diſtinctionis.* Vt virginem matrem ſingulariter prælectam, & à contagio carnis, & communi peccati proluuione diſcretam ſuſpiciens. Argutè ſanctus Nyſſenus homil. 8. in Cantic. ſcribens de fontis ſignaculo inquit: *Domino ſuo obſignat hunc fontem puritas.* Immaculata puritas, & gratia ſigillauit fontem, vt ſolus eius Dominus eſſet in eius poſſeſſione, ſolus biberet de eius ſcaturigine, & eius deliciis perfrueretur.

Verbũ Chatam quid innuat?

Maria ſignatur tanquam quid eximiũ, quod à reliquis creaturis ſecernitur gratiæ priuilegio.

Alcuin.
D. Thom.

Hug. Card.
Annuli ſignatorij præclara munera.

Hæc omnia Mariæ ſignaculo aptantur.

D. Gregor. Nyſſ.
Puritas obſignauit hunc fontem Domino ſuo.

11. Denique inſcriptiones, bullas, & priuilegia, ſigillo, & inſcriptione rubra ſignabant Imperatores. Nicetas inquit: *Illas ſubſignare Imperatoris inſcriptione, & colore.* Et Gregoras lib. 4. de Manuele Comneno: *Edicta literis rubris ſignat.* Et de Imperatore Theodoſio ait Manaſſes: *Rubris literis chartam ſignabat.* Qui autem fuerit annulus ſignatorius, quo fons, & hortus notatur? Ex Cantic. c. 8. colliges: vbi Virginem Chriſtus hortatur: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Vbi ſanctus Ambroſius in Comment. Cant. tom. 5. *Signaculum imago Chriſti* Et *Crucis ſignatus es forma.* Fons ergo Deiparæ ſignatus, quia eius gratia habet immunitatis reſcriptum, & præſeruationis tabulas ſigillatas imagine Imperatoris Chriſti, & Cruce ſignatas, quæ redemptionem Virginis nobiliorem renunciant.

Edicta literis rubris ſignata.
Nicet.
Greg.
Manaſſ.
D. Ambr.
Chriſtus, & Crux Mariæ ſignaculum.

Discvrsvs II.

Mons Libanus.

Deiparæ laudes celebrat: & Marianum montem à communi labe excipiat.

1. MONS Libani celebratiſſimus, & pulcherrimus ſimul cum vernantibus floribus, incorruptis arboribus, ſuaueolentibus frondibus, in honorẽ Deiparæ, & immaculatũ decus gratiæ, dies feſtos agitat. Qui prophetãdi munere primus fungitur, Oſeas; Libani montis magnalia ſcribit, c. 14. v. 6. & 7. *Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut liliũ, & erumpet radix eius vt libani; ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* De Iſraëlis felicitate quando conuerſus ad Dominum, bona opera, vt lilium germinauit, fœcundus Chriſti gratia, fidei, & amoris Chriſti odorẽ, longè latéque diffudit. Hunc locũ Patres exponunt Hieronymus, Cyrillus, & alij neoterici. Sed ſpeciatim vaticinatur Oſeas germinationem Iſraëliticæ terræ, ſcilicet vteri virginalis, ex quo odoratiſſimum lilium, & flos campi Ieſus pullulauit. Ita Rupertus dicens: *Tunc germinauit Iſrael quaſi lilium, quando in vterum virginis deſcendit.* Et Gloſſa Lyræ: *ſicut enim ros inuiſibiliter deſcendit, & fœcundat terram, ſic Dei filius inuiſibiliter deſcendens fœcundauit virginem.* Iſaiæ 45. *Rorate cœli deſuper.* Idem aſſerit Dionyſius Carthuſianus, iuxta quorum ſententiam, cum Ieſus tanquam ros deſcendit in Virginem, quando Iſraëlitica terra vt lilium, & Libanus germinauit, mons ipſe Libanus erit Deipara. Nec nouum eſt Dei genitricem Libanum nuncupari. Cum monte Libano comparat vir ille Sanctus Idiota, lib. contemplat. de Virgine Maria, cap. 3. *Species* (inquit) *& candor eius ſignificatur per multiplicem ſpeciem in ſacra Scriptura. Eſt ſpecies Libani, de qua dicitur ſpecies eius vt Libani.* Et ſtatim: *Species Libani conſiſtit, in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore: & ſignificat ò glorioſiſſima virgo Maria candorem tuæ fœcundæ virginitatis.* Et Rupertus ad ea verba Canticor. capite 4. *Veni de Libano*, libro tertio in Cantica ſubſcribit: *Hoc prædicabitur gentibus quod à Deo macula non*

Locus Oſeæ illuſtratur.
D. Hier.
D. Cyrill.
Rupert.
Deus quaſi ros germinauit, & quaſi lilium in vtero virginis.
Idiota.
Maria Deipara mons Libanus.
Species Libani in Maria, candor fœcundæ virginitatis dicitur.
Rupert.

Libanus eſt corpus virginis. *Buſtos.* *Maria mons Libanus.*

ſit in te. Veni de Libano quod interpretatur candidatio, id eſt migrabis de corpore iſto, corpore candido, corpore virgineo. Bernardinus de Buſtos in Mariali, parte 1. ſerm.1 aſſimilat. 3. *Beatiſſima Virgo ſeruauit illud Eccleſiaſtici 39. quaſi Libanus odorem ſuauitatis habete. Et ideò de ipſa dici poteſt illud Canticorum 1. ſpecies eius vt Libani. Et illud Iſaiæ 35. gloria Libani data eſt ei. De illa quoque exponi poteſt illud quod prædictum fuerat Oſeæ 14. erumpet radix eius vt Libani. Aperi igitur ô Libane portas tuas Zachariæ 11. capite; vt in me diſcurrat fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, Canticorum quarto Et tu Domine Ieſu, qui in hoc monte candido natus es, dic mihi illud Ieremiæ 22. aſcende Libanum, id eſt deuotionem matris meæ.*

Mōs Libanus Maria in gratia radicatus.

2. Cum ergo Maria ſit mons Libanus, eius gratiæ indeficientis inconcuſſa firmitas in illis verbis oſtenditur, in quibus de fundamento, & ſtabilimento montis huius Libani ſermo eſt: *Et erumpet radix eius vt Libani.* Expreſſius Septuaginta legunt: *Mittet radices ſuas quaſi Libanus.* Eſt enim firmiter radicatus. De radicatione, & ſtabili fundamento cedrorum accipiunt Hieronymus, & Cyrillus, in eaque exprimi aſſerunt fulcimentum diuinæ gratiæ. Et Vatablus expendens verbum: *Ero quaſi ros*, ait: *Ros gratia Dei*, quæ autem firmitudo ex Dei gratia proueniat declarant ſequentia Hieronymi verba: *Cúmque creuerimus in Domino, mittemus radices noſtras ſicut arbores Libani quæ quanto in auram conſurgunt verticе, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant.* Idem expendit eleganter Cyrillus: *Mentem credentium vix à ſuo ſtatu dimoueri, neque vinci facile poſſe à malignis ſpiritibus, his verbis indicat, adeo ſiquidem tuta eſt, firma eſt, vt arbor nimirum in monte Libano, quæ mittit quidem in profundum radicem, ſupernè autem ramis amplè dilatatur* Quæ verba pulchre inſinuant firmitudinem montis Libani, aut cedri Mariæ, quæ nunquam dimoueri, aut labefactari potuit peccati incurſu.

D. Hier. *Radicatio cedrorum in Libano maxima.* *D. Cyrill.*

Tria Libani ornamenta.

3. Sed tria potiſſimum ornamenta eminent in Libano, primum; quod eius vertex abietum ſylua, nemoribuſque cedrorum velut quibuſdam ſertis coronatur. Secundum, quod ſereno cœlo, cæleſti, & nectareo rore perfunditur, tertium, quod perpetuo niuis candore reſplendet. Quæ omnia in vaticinij verbis, Oſeas exprimit. Horum inſignium vnumquodque ſingulatim oſtendit Mariæ immunitatem. At, deſcribat tibi Libanum montem Chriſtianus Adricomius in Neptalim numero 63. *Ita vt Libanus aromaticarum, medicarumque herbarum generibus, quarum optimè redolenti odore, virulenti ſerpentes, aliáque venenoſa animalia procul inde fugantur.* Vt iam in exordio ſermonis cernas quam procul amandauerit à Mariano Libani monte criminoſi ſerpentis virulentam auram, odor gratiæ. Sed de rore Libani in antecedentibus ſubiungit: refert ex problematibus Alexandri Aphrodiſæi Dominicus Marius Niger: *In hoc monte ex cæleſti rore coagulum quoddam dulciſſimum fieri, quod ſacchar accolæ vocitant, proximum ſa.is glebulis, candidum, & fragile.* Præuenientis gratiæ indicat ſtillicidia, & Deificæ voluptatis ſuauiſſimum nectar, quo mons iſte Libanus in exordio vitæ irroratur.

Chriſt. Andric. *Odor Libani ſerpentes fugat.* *Domin. Mar.* *Ex cœli influxu dulciſſimum coagulum conſicitur in Libano.*

4. De canis niuibus quibus ſemper albeſcit Libanus Abulenſis, libro 1. Paralip. capite 12. quæſt. 11. ſcribit: *Mons Libanus eſt magnus mons, & altiſſimus in tota terra Chanaan, & ideo ſemper ſunt niues in illo, & iſta eſt cauſa quare vocatur Libanus, quia in Hebræo Libanus. ſiue lebanis, interpretatur candidum, ſcilicet quia ille mons ſemper eſt candidus propter colorem niuium ibi exiſtentium. Ad radices autem Libani naſcitur Iordanis, quia ſunt ibi duo fontes, quorum vnus vocatur Ior, & alius Dan, & poſt aliquantulum terræ tractum in vnum confluunt, & efficiunt flumen Iordanis.* Et §. ſequenti ait: *dicendum ergo, quod in Libano ſemper ſunt niues, vt patet Ieremiæ 18. Numquid deficiet de petra agri nix Libani: aut auelli poſſunt erumpentes aquæ frigidæ, & defluentes?* Vt indeficientem, & niueum candorem gratiæ in Deipara repræſentet. Expendamus ſingula Libani decora.

Abul. *Libanus niue candidus appellatur.*

5. Virgo Deipara eodem ſpiritu, quo ſacri cecinère Vates, ſua præconia promulgat, Eccleſiaſtici, capite 24. verſ. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano.* In quo loco iuxta Virginis mentem eximij Encomiaſtes munere perfungitur Hugo Cardinalis: *Cedro (inquit) ſe comparat primo Virgo Maria: quia cedrus Libani materia fuit templi, & beata Virgo corporis Chriſti, quod eſt ſecundum templum. Item cedrus ſine vermibus eſt, quia imputribilis eſt, & beata Virgo ſine verme fomitis, vel conſcientiæ fuit poſt conceptum Domini.* (Adde ab inſtanti conceptionis ſuæ.) *Item, cedrus ſemper viret: ita beata Virgo ſemper viruit per virginitatis viriditatem. Item cedrus odore ſuo fugat ſerpentes: & Beata Virgo Dæmones. Item, cedrus magnas, & altas habet radices: & Beata Virgo ſimiliter altas. & magnas radices habuit, ex quibus orta eſt, Abraham, Ieſſe, Dauid. Cedrus ſeruat libros à tineis: & Beata Virgo ſacram Scripturam ſeruat, ne corrumpatur ab Hæreticis. Item, cedrus odorifera eſt: & odor humilitatis Beatæ Virginis totam reſperſit Eccleſiam, imò vſque ad cœlum veniens, deduxit in terrenis Filium Dei. Item, cedrus alta ſuper omnes arbores eſt, & Beata Virgo ſuper omnes mulieres. Item, cedrus in Libano oritur, & creſcit, ita Beata Virgo in triplici candore virginitatis, duplicis innocentiæ.* Hæc Hugo. Ad ea verba: *Magnas radices habet.* Iure addendum: de Dauidica ſtirpe progenita magnas radices habuit à natura, ſed maiores ex gratia, quia in ſtabilimentum, & decus humanæ naturæ, ſacra puella fundabatur. In iis verbis poſtremis *duplicis innocentiæ.* Immunitatem virginis à labe originalis culpæ agnoſcit, dum præter Virgineum candorem Mariani Libani, duplicis innocentiæ venuſtatem prædicat, gemino ſerto candidæ, & niueæ puritatis ab originali, & actuali crimine præſeruata, Libanus, & cedrus Mariana cingitur. Sed verba illa purpurati Patris ſicut purpureæ roſæ nitent, & vernant in Mariæ Libano: *Cedrus odore ſuo fugat ſerpentes, & Beata Virgo Dæmones.* Quibus annecto Rupertum in ſuperiorem Oſeæ locum, in quo ſcribit: *Ipſum Libanum ſerpentes fugere dicuntur, maximè propter odorem cedri, quem non poſſunt ferre.* A Libano propulſat odorifera cedrus ſerpentes, & virulentum omne animal, nec ſuſtinere poſſunt ſuaueolentis arboris halitus. Maria Libanus eſt, & pulcherrima cedrus dum gignitur, dum exoritur, odore ſuauiſſimo fugat procul primum ſerpentem, qui appropinquauit ad lignum ſcientiæ in paradiſo, vt perſuaſionum caſſiculis irretiret Adamum, & vitalis ligni eſum eriperet; erat arbor illa malum punicum, aut ficus; non cedrus quæ ſerpentem fugaret; ad Libanum, ad cedrum Mariæ non acceſſit, quæ ſuauiſſimo gratiæ odore fragrabat,

Hug. Card. *Multiplex ratio proponitur, cur Maria ſe comparet cedro Libani.* *In Maria duplex innocentia.* *Maria odore gratiæ fugauit ſerpentem peccati.* *Lignum vetitum paradiſi non erat cedrus.*

gratiſſima

gratiſſima virtutum ſpiramina redolebat.

6. Sponſa diſputatura de mirabili ſtructura aulæ Regiæ, in qua ipſa cum ſponſo morabatur, architectonicam diuinæ ſapientiæ artem commendat, dum intuetur laqueatia, & tecti ſuperiora faſtigia, ex dolatis cedris contignata. Cant. cap. 1. verſ. 17. *Tigna domorum noſtrarum cedrina.*

Corpora Ieſu & Mariæ tigna cedrina cur dicãtur?

De duabus domibus, ſcilicet Ieſu, & Mariæ immaculatis corporibus, digito Spiritus ſancti fabrefactis, ab omni contagio criminis expertibus; cum doctis Patribus libens vſurpo. Quibus mirifice congruit

Targ. Ieroſ.

Targum Ieroſoſolymitani verſio: *Dixit Salomon Propheta: quam pulcra eſt domus Sanctuarij, quæ ædificanda eſt in diebus Regis Meſſiæ, cuius trabes erunt ex cedris, quæ ſunt in paradiſo voluptatis.* Pulcrè dictum ſi ad vterum referas virginalem, in quo habitauit tamquam in templo, & domo diuina majeſtas, cuius caro, & Spiritus ſicut cedrus paradiſi, redolens gratiam, infectus non eſt venenoſis ſerpentis afflatibus.

Iacob. Chriſtopol.

Sed audiendus eſt Iacobus Chriſtopolitanus Epiſcopus in Cantica: *Cedrus eſt* (inquit) *arbor altiſſima, quæ maximè creſcit in Libano, & eſt arbor valde odorifera, & omnis veneni fugatiua. Et ideo in monte Libano, & vbicumque creſcit illa arbor, nullus*

Anima beata virginis creata eſt gratioſa.

poteſt viuere ſerpens, nec vipera, nec animal venenoſum; per quod lignum figurabatur anima cedrina Virginis Mariæ; hanc enim animam Filius Dei creauit, & in creando, & gratificando; in illam, carnem iam

Serpens non potuit Mariã mordere.

primo ſanctificatam, & mundatam a fomite Adæ, infudit, & ideò antiquus ſerpens non potuit ipſam mordere, nec ſuo originali veneno inficere. In eamdem

Picus.

mentem incidit Picus Carthuſianus, lib. 1. in Cantica, c. 15. cuius verba placuit ſubſcribere: *Eſt autem cedrus arbor altiſſima, odorifera multum, venenoſorum propulſatrix efficaciſſima. Quid itaque per ligna cedrina niſi animas vtriuſque* (Chriſti, & Deiparæ) *natura immortales inſinuat, quæ longe ſuauius ob concreatam gratiam odorantes, venenoſum omne, nedum originale maturius excluſerunt.* In quibus ſapienter prædicat cedrus Libani Mariæ immunitatem.

Stilla peccati non effluxit in Mariam.

7. Adhuc in Marianæ, & cedrinæ domus tecto, & culmine idem myſterium licet cernere; in quo cæleſtis tignarius tigillos cedrinos bene compactos ſic adaptauit; vt nulla ſtilla colluuionis peccati poſſet effluere.

D. Ambr.

Hoc inſinuat ſanctus Ambroſius in Pſalm. 118. oct. 4. dum expendit verba huius Cãtici, ex illis: *Dormitauit anima mea præ tædio.* Legens ipſe Diuus cum Origene: *Stillauit anima mea* Et ſubiungit: *Eo quod perfecti anima, quaſi bene compoſita, & confirmata non ſtillat, vt faſtigia cul-*

Marianæ domus faſtigiũ benedictum.

minum, quæ benè tecta, atque munita ſunt: cæterùm incompoſita citò ſtillant. Inde vſurpatum eſt: ſtillicidia eijciunt hominẽ in die hyemali de domo ſua. Prouerb. capite 27. quis homo iſte niſi Adam; quem peccati ſtillicidium, ad auram poſt meridiem, cum amoris calor refrixit, de domo voluptatis expulit? Domorum Adam, & Euæ putrefacta ſunt tigna, & tentamenti imbribus adaperta ſuperiora faſtigia, dum ſuperbiâ elati, ad Dei æqualitatem aſpirant, faſtigia culminum Marianæ domus bene tecta, atque munita ſunt gratia; ſtillis peccati præcluſus eſt aditus. Nec fiſſuram architectus reliquit, quæ acciperet inimicum imbrem; nec rimulam, per quam caput ſerpentis, aut Dæmonis poſſet intrare.

Libani abies.

8. Eminet in Libano præter Cedrum Abies, de quo ligno apud Oſeam præallegato cap. 14. fit mentio, dum de Tribu Ephraim ſubiungitur, imo de Natione Iſraëlis, verſ. 9. *Dirigam eum ego vt*

Lect. Lxx.

abietem virentem. Septuaginta legunt: *Iuniperum.*

D. Hieron.

Ianua templi de iunipero compacta.

Additque ſanctus Hieronymus: *De iuniperis iuxta Septuaginta interpretes Salomon ianuas templi feciſſe memoratur.* Nam vbi Vulgatus, lib. 3. Regum, cap. 6. verſ. 34. legit: *Duo oſtia de abiegnis altrinſecus: & vtrumque oſtium duplex erat, & ſe inuicem tenens aperiebatur. Et ſculpſit Cherubim, & palmas.* ibi Septuaginta legũt: *Ianuas ex lignis iuniperinis.*

Lect. Lxx.

In Hebræo apud Oſeam, & librum 3. Regum legitur pro *abiete, fraxinus.*

Ex ... verſi ... fra... Brix...

Vnde Brixianus in Arca Noë vertit: *Portæ lignorum fraxinorum.* Nec erit abs re, ſi Deipara cum abiete Libani, ſicut cum cedro ſe comparet. Illud tamen firmioris interpretationis tenet ſpeciem, ſi duo oſtia templi Ieſum, & Deiparam adumbrarent, fulgidas cœli portas, per quas ad atria cœlitum, patet aditus:

Ieſus & Maria, ... ta.

ſicut enim Adam, & Eua, regni æterni, & paradiſi ianuas peccatorum ſeris obſtruxerant, Ieſus, & Maria ſuis meritis reſerarunt;

Iuniperi inſignia Deiparæ aptantur.

ſed vtriuſque caro, & Spiritus abietes, & iuniperi, & fraxini dicuntur Libani, quia in iis arboribus immaculatæ puritatis forma reſplendet: de abiete refert Hiſtoria Plantarum ex Plinio,

Plin.

Iuniperi ſurculi in cœlũ eriguntur, Crucis figura.

lib. 16. c. 39. *Rami non vt in picea terram verſus flectuntur, ſed in cœlum erecti ſtant, atque ex lateribus vtrinque prodeuntes ſurculos emittunt Crucis figura.* Vt Virginem denotent nũquam inflexam in terrena peccati contagia, ſẽper erecta ſtetit perfruens aſpectu cœli iucundo: Sed omnis virtus, ſtatura, & gratia promanat à Cruce redemptoris: per iuniperum quoque denotatur in Virgine, extitiſſe ſerpenti inacceſſam.

Plin.

Iuniperus ſerpentes fugat.

De iunipero Plinius lib. 24. c. 8. *Iuniperus altera maior, altera minor. Vtraque accenſa ſerpentes fugat.* Sed maius adhuc myſterium latet in fraxino, de qua idem naturalis hiſtoriæ Princeps, lib. 16. cap. 13. ſcribit: *Contra ſerpentes tanta eſt vis, vt ne matutinas quidem, occidentéſve vmbras, quam*

Serpentis, & fraxini oppoſitio mira.

ſunt longiſſimæ ſerpens arboris eius attingat, adeò ipſam procul fugiat, experti prodimus: ſi fronde ea, claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quam in fraxinum fugere ſerpentes. Vtrumque oſtium de fraxino compactum eſt, vt eſſet indicio quantum ſe

Deipara cæleſtis fraxinus.

ſe alienarent, & inimicarentur Dei Genitrix, & ſerpens; quæ ex oriente, aut occiduo ſole præbet fraxinus vmbracula, vt interitum fugit. Et à Deipara tamquam à diuina fraxino ſic declinat, ſiue cum exoritur, ſiue cum naſcitur, ſiue cum moritur, tanquam exitium deuitat. Tantam Maria, vel à primo vitalis auræ halitu ſerpenti formidinem impoſuit, vt iuxta tritum proloquium, vel ſolam Dei Genitricis timuerit vmbram. Detur electio ſerpenti, aut Deiparæ fraxinum, aut ignem tangere, mallet intacta relicta diuiniſſima fraxino igni eſſe combuſtus. Hæc de lignis Libani. Perueniamus ad nectareum rorem.

DISCVRSVS III.

Libani montis cæleſte coagulum, Marianæ priuilegia gratiæ prædicat.

Ros gratiæ in Mariam decidit.

1. CVM de Libano loqueretur Oſeas, ait: *Ero quaſi ros. Iſrael germinabit ſicut lilium.*

Buſtus.

Hanc ſententiam de Deipara accipit Bernardus de Buſtis, 3. parte ſerm. 5. loquens de Dei genitrice: *Iſta ergo terra rore illo diuino madefacta genuit lilium paradiſi. Vnde Oſeæ 14. inquit Deus: ero quaſi ros, Iſrael germinabit quaſi lilium.* Et Hugo de ſancto Victore expendens Cantic. 4. *Fauus diſtillans*

Cur Ieſus dicatur fauus.

diſtillans, &c. ait: *Mel erat diuinitas mera, cera verò humanitas tua. Inde meipſum feci fauum mellis. Quod enim impreſſum eſt in te aſſumptum eſt de te.* Hæc refert Buſtis parte 9. ſerm. 1. aſſimil. 2. rorulentus mons Libani Mariæ, dum auſtrinis gratiæ flatibus, & Spiritus ſancti aura rorifera, plenáque donorum aſpergine confouetur, vt mellitum, & dulcem Ieſum parturiat, melle, & ambroſia ſuauiorem. In quo ſenſu mel, & rorem Ieſum accipimus, qui velut fauus mellis in cera virgine formatus eſt. Quod ipſe demonſtrat, cum poſt turbines paſſionum, & reſurrectionis ſerenitatem, tanquam ſodalis, & commenſalis deguſtaturus fauum cum diſcipulis accumbit. Lucæ cap. 24. verſ. 42. *Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis, & cum mãducaſſet coram eis.* De hoc fauo ſcribit Albertus Magnus: *Fauus eſt cera virginea, ex qua mel diſtillat. Et ſignificat dulcedinem Deitatis in puritate carnis. Hoc eſt quod dicitur* 1. *Regum* 4. *quod apparuit ſuper faciem agri fluens mel, quia in agro humanæ naturæ apparuit dulcedo diuinæ naturæ. Canticorum quinto: comedi fauum cum melle meo. Mel enim naturaliter de ſublimi venit, quia ros eſt, linguis apum collectus. Ioannis tertio Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt.* In quo etiam ſenſu aptiſſimè loquitur Alanus ſerm. 2. de Mariæ laudibus in ea verba Cantic. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis numquam indigens poculis.* Eius verba deſcribo: *Nec eget poculis tamen, & talis crater, diuino plenus nectare, & cæleſti rore, & ambroſia. Et qui diuinus vterus, plenius omnem præſtaret ſufficientiam, ſi alterius non egeret poculo inferioris: totum illum nempe vterum adumbrauerat, ſed immenſo lumine, & ſempiternis fulgoribus, & ſacratiore nectare Spiritus ſanctus.* Rotifer, & mellifluus Libani mons Maria meritò nuncupatur, quia tota Verbi diuinitas ſe ſe effudit in virgineam cellam, velut mel ſuaue, & pretioſus liquor, vt ex ipſa velut ex fauo emanaret melleum nectar, eiúſque immenſa ſuauitas in homines redundaret. Sed perpende, quod vterus plenus nectare numquam indiguit poculo inferioris gratiæ Angelici chori; ſi Deipara progenita eſſet cum exigentia gratiæ, ab Angelo inferioris ordinis, in ſuo exordio, poculo indigeret, & ſtillam gratiæ, ſtipem charitatis cogere potuiſſet: abſit, vt Marianus fons, de cuius aſpergine repleti ſunt Angeli, ab Angelo emendicet ſtillicidium gratiæ, horret animus, quod miſericordiæ mater, ſuam aliena miſericordia paupertatem ſubleuet. Ambroſiam, nectar, mellitúmque rorem, & poculum gratiæ diſperſit Angelorum, & hominum naturæ ſitienti. *Plenius omnem præſtaret ſufficientiam, ſi alterius non egeret poculo inferioris.*

Albert. Mag. — *Chriſtus fauus, in quo mel diuinitas, cera humanitas eſt.*

Alan. — *Maria vterus crater plenus diuino nectare, & cæleſti rore.*

2. Adhuc ex Libano ſtillas roris colligo, & velut margaritas fulgentes annecto, & inſero, vt ſacrum monile appendam virgineo pectori. Supra ex Adricomio, & aliis retulimus: *In hoc monte, ex cæleſti rore, coagulum quoddam dulciſſimum fieri.* Ros, ambroſia, mellitus liquor, cœlique defluxus, & dulce coagulum Deipara eſt, dum immaculato conceptu in vtero Annæ ſumpſit exordium vita, & gratia. Eccleſiaſtici 11. capite dicitur: *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Quæ verba declarat Ambroſius, & Bernardinus parte 3. ſerm. 4. in ſecunda prærogatiua, de Beata Virgine: vtrinſque nexa ſunt verba: *Apis rore naſcitur, concubitus neſcit, mella componit. Sic Beata Virgo rore cæleſti, id eſt, gratiâ Spiritus ſancti paſta fuit, Virgo permanſit, & paradiſi dulcedinem generauit.* Loquens ſanctus Ioannes Damaſcenus de immaculato Ioachim ſemine, dum in vtero Annæ effingitur, & efformatur in corpus Virgineum, & Dei templum, hæc ſcribit verba oratione 1. de Natiuitate Mariæ: *Ioachim, & Anna tamquam ſpirituales montes dulcedinem ſtillauerunt.* Scilicet Mariam; cuius nomen, ſtillam maris ſonat, quæ eſt vita, & dulcedo noſtra, verba deſumpſit ſanctus Damaſcenus ex Ioële, capite 3. verſ. 18. *Et erit in die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Hebraicè eſt: *Stillabunt montes ſuccum expreſſum.* Innuit prædictum coagulum dulciſſimum ex cæleſti rore concretum. Santes Pagninus, & Vatablus legunt: *Muſtum.* Et addit Vatablus: *Hac re ſignificatur omnis ſuauitas.* Sicut enim Maria eſt omnium gratiarum congregatio, & Oceanus; ita, gaudiorum, ſuauitatum, ſaporum, dulcedinúmque eſt abyſſus. Hoc de ſe ipſa prædicat Eccleſiaſtici 24. verſ. 27. *Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel, & fauum.* Subſcribit Carthuſianus Dionyſius loquens in perſona Virginis Mariæ: *Spiritus enim meus, rationalis, ſcilicet anima, ſeu mens mea eſt ſuper mel dulcis, immò omni creatura corporali, ac ſpirituali ſuauior, vtpote melior, amabilior, amoroſior, benignior, iucundior.* Nec deſeramus muſtum Ioëlis de montibus fluens, quod inebriat Angelos, & hominum corda replet ſuauitate, ſuccúmque nectaris Mariani expreſſum, de Annæ vtero decurrentem. Nec mirum ſi nectareum poculum e ſuauiſſimo nectare Mariæ defluat; & Ambroſia Virgo, Ambroſium, & dulciſſimum Ieſum parturiat. Iure inquit ſanctus Damaſcenus orat. 1. de Natiuitate Mariæ: *Vinea vberrima ex Anna pullulauit, atque vuam ſuauiſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Si ergo Maria tota eſt dulcedo, ſuauitas, nectarea, mellea, procul ab ea extitit peccati amaritudo, & inſuauitas, pomique acerbitas, quo deguſtato, Euæ, & filiorum dentes obſtupuerunt.

Adric. — *Deipara melle ſuauior.*

D. Bern. — *Maria apis generans paradiſi dulcedinem.*

D. Dam. — *Ioachim, & Anna ſpirituales montes mel Marianũ ſtillantes.*

Santes. Vatabl.

Maria ſpiritus ſuper mel dulcis. — *D. Carth.*

D. Dam. — *Maria vinea vberrima, ex Anna pullulans.*

3. Exprimamus ſuccum, & rorem Libani, in quo nitet priuilegium gratiæ. Dei genitrix ros eſt, & inſtar roris matutino, & cæleſti lumine progenita, tota cæleſtis, & velut è ſacro Dei domicilio emiſſa, & virgo è cœlo dilapſa prorſus immaculata, hereditarij immunis delicti. Vermiculo ſuper terram repenti ſe comparat diuina majeſtas, vt abiectionem humanitatis aſſumptæ in diebus carnis, & paſſionis exprometet. Pſalm. 21. verſ. 7. *Ego autem ſum vermis.* Cur Ieſus dicatur vermiculus eleganter exponit ſanctus Ambroſius in hoc Pſalmo, dicens: *Vermis nulla extrinſecus admixtione alieni corporis, ſed de ſola, & pura terra procreatur, ideo illum comparatum Domino, quoniam, & ipſe Saluator de ſola, & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyſi de manna vermiculos procreatos. Digna planè, & iuſta comparatio, ſiquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Chriſtus de Virgine procreatur. Quin potius ipſam Mariam Manna dixerim: quia eſt ſubtilis, & ſplendida, ſuauis, & Virgo, quæ velut cœlitus veniens, cunctis Eccleſiarum populis, cibum dulciorem melle defluxit.* Hæc ſanctus Ambroſius, in quibus Mariæ immunitatem apertè celebrat, dum terram puram nuncupat, & ſplendidam, & manna, ſuccúmque è cœlo venientem, immaculatam pronuntiat: quidquid de cœlo venit totum eſt cæleſte, & alienum ab omni labe peccati.

Maria, velut ſuccus è cœlo dilapſus immaculata.

D. Ambr.

Cur Maria nuncupatur cæleſte manna?

4. Nec prætereunda nomenclatura Mannæ, quæ à Mediolanenſi

à Mediolanenſi Antiſtite Virgini imponitur; quæ apte congruit cæleſti coagulo ſupra montem Libanum deciduo; de quo Galenus 3. de aliment. facultate, cap.39. de melle, vbi refert: *In monte Libano ſæpius decidere droſomele, ſeu aeromele, hoc eſt mel roſcidum, & aereum.* Idem affirmat Ioſephus, libro 3. antiquit. capite 3. diſſerens de manna: *Qui ſuauitate* (inquit) *ad mellis dulcedinem accedebat.* Et ſubiungit de monte Libano: *Quin & noſtris temporibus tota ea regio genere hoc compluitur.* Iure ergo Maria nuncupatur manna, quia ſine criminis contagio ad terras venit: terræ puritas, cœlique ſudi ſerenitas, dum matuta pandebat lumina roſcida, in generatione mannæ, puram Deiparæ generationem ab omni ſorde, & contagio peccati liberam apertè demonſtrabat. De quo Exodi cap.16. verſ.13. dicitur: *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cúmque operuiſſet ſuper faciem terræ, apparuit in ſolitudine.* Accipe arcana prorſus Abulenſis verba, ſucco, & dulcedine plena, ad immaculatæ Mariæ præconium, quæſt. 6. ſic ſcribit: *Dicendum ergo, quod ad deſcenſum manna erant duo, ſcilicet pruina, & manna; & conſiderandum, quod antequam aliquid deſcenderet, Deus mittebat ventum, qui purgabat ſuperficiem terræ, ita vt nulla ſordes maneret, quæ manna deſcendens commaculare poſſet. Deinde deſcendebat pruina, poſtea manna. Et iſta duo patent Numer.11. cum dicitur: Cúmque deſcenderet ros, deſcendebat pariter, & manna, id eſt, ſuper rorem deſcendebat manna.* Terrenus, & cæleſtis apparatus in mannæ genitura intemeratæ generationis præludia, in Deipara extiterunt, quando velut manna, aut ros melleus matutinus in Annæ vterum venit: ſubtilis flatus adueniens abſtergebat ſpurcitiem, & ſordes, terrámque perpurgabat, vt cœlum, manna ſuper purgatam terram, gigneret, quia dum delineatur Mariæ corpus, perpurgatur fœtus ſanctiſſimus, vt ſuper terram omnis inquinamenti expertem, mirabilis Mariæ anima crearetur, & velut cæleſtis effluxus candidus, & matutinus liquor, & incontaminatus carni vniretur. Vel terram nuncupabis Annæ vterum ſanctiſſimum, terram promiſſionis fluentem lacte, & virgineo melle; quam flatus auræ tenuis Spiritus diuini purgabat, & refouebat, vt nihil de protoplaſti contagio ſubſequentem genituram inficeret. *Deus mittebat ventum, qui purgabat ſuperficiem terræ, ita vt nulla ſordes maneret, quæ manna deſcendens commaculare poſſet.*

Galen. *Mel roſcidũ in Libano coagulatur.* Ioſeph. Abul. *Manna omnino immaculatum, & à ſordibus alienum.* *Manna genitura, & Mariæ ſimilis.*

5. In primo exortu mannæ deſcendebat ros. Num.cap.11. verſ.9. *Cúmque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man.* Vt cum Maria tanquam cæleſte manna gignitur, non ſit ſine rore gratiæ. Nec ros ſine manna, nec manna ſine rore, vt intelligatur vtriuſque inſeparabilis coniunctio. Non dixit: *Cum deſcendebat Man, deſcendebat pariter & ros.* Sed contra: *cùm deſcenderet ros, deſcendebat pariter, & Man.* Vt priùs intelligas in Maria rorem præuenientis gratiæ, quàm manna naturæ. Optimè ſanctus Damaſcenus oratione 1. de Natiuitate Mariæ, & Eccleſia in officio ſancti Ioachim lectione 2. ſecundi nocturni: *Quoniam futurum erat, vt Dei genitrix, & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè auſa eſt: verum tantiſper expectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Eſt enim natura per peccatum corrupta omnino expers pudoris, dum verecundiæ fines tranſiliit in primi hominis tranſgreſſione, procacitate effertur, & perfricta fronte gloriatur; petulantiſſimuſque hoſtis humanæ naturæ, corruptionis, & criminis auctor, & pœnarum exactor, in hominum conceptione, pudoris repagula frangit, nullum hominem timet, non Regem, non Reginam obſeruat, nec reuerentia colit. Solam Dei genitricem inter puros homines reuerita eſt, eique ratione eximiæ dignitatis honorem detulit: inculta, & horrida natura, inurbanuſque hoſtis, reuerentiſſimi facti ſunt Deiferæ puellæ: *Natura gratiæ,* &c. *verùm tantiſper expectauit.* Hic comis, & vrbana natura primas detulit gratiæ, & in virgineum, & ſacratiſſimum fœtum permiſit intrare; hinc eſt quod ingreſſionis anſam, aut aditum poſtea non inuenit culpa in virginea cella, quam totam præoccupauerat gratia. Ingreſſa eſt etiam natura, ſed polita, ſed compta, ſed ornata ſtillicidiis roris, vt Seraphinis formoſior conderetur mater, & virgo.

Manna non erat ſine rore in ſua genitura, nec Maria ſine rore gratiæ. D.Dam. *In Mariæ cõceptione, natura reuerita eſt gratiam, vt ſimul eſſent.*

6. Adhuc nomenclaturam Mannæ, quam Ambroſius, Deiparæ tribuit, illuſtro; Commentationemque alteram Abulenſis annecto ex quæſt.6. in caput 16. Exodi perpendentis effluxum mannæ cæleſtis, quando cadebat in ſolitudine, & in circuitu caſtrorum. *Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine.* Hæc habet Toſtatus: *Non cadebat in caſtris inter tentoria, quia loca caſtrorum erant immunda, propter multas fæces hominum, iumentorum.* Et ſtatim: *Loca ſeparata à caſtris, in quibus cadebat manna, erant ab omni contagione ſincera, & herboſa, vel ſaltem terra non ſoluta in puluerem; cum iumentorum, pecorúmque vngulæ, & humani pedes eam non attriuiſſent.* In immenſum ſequeſtratur Maria à loco immundo, abhorret iſtud cæleſte Manna immundicias, & ſordes, prorſus alienum eſt à criminis contagio. Generatur, & cadit manna in locis ſeparatis à peccatorum caſtris, & contubernio, vt immunitatem Mariæ oſtẽderent: *Erant ab omni contagione ſincera,* ſicut terra, in qua cadebat manna, & herboſum montis ſupercilium, quod nec humanus pes triuerat, nec iumentum, aut pecus vngulas impreſſerant, vt eſſet indicio in Deipara, quod puriſſimus eius ſpiritus vnitus eſt corpori, tanquam manna cadens in terram, in quo nec leo, nec mala beſtia inueniſſent ſemitam, nec aliquod originalis criminis impreſſum, aut inuentum veſtigium.

Abul. *Terra, in qua cadebat Mãna, erat ab omni contagione, & macula aliena.*

7. Eſt etiam Deipara ros, & melleus liquor ſuper Libanum deſcendens. Maria non tantum manna vt prædictum eſt, ſed mel, & ros, & in melle, & rore fulget ſingularis priuilegium gratiæ. Iob cap.38. verſ.28. *Quis eſt pluuiæ pater? Vel quis genuit ſtillas roris?* Licet rudi, & impolito calamo, & balbutienti lingua, diuino liceat reſpondere quæſito. Duas ſtillas, ſeu guttulas in ſacra literatura inuenio, Ieſum, & Mariam, de prima Cantic. capite 1. verſ.13. dicit ſponſa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi* Græce eſt *alligamentum guttæ.* Et ſic legit Origenes homil.2. in Cantica, & de Chriſto exponens dicit: *Filium Dei in carne guttam dictum.* Mater Chriſti ſecundum nomen ſuum gutta vocatur. Maria enim, vt ſæpè iam diximus, idem eſt ac: *ſtilla Maris*, quis ergo has duas ſtillas roris, matrem, & filium generauit? Vtriuſque generationem perſcrutatur diuina ſapientia, vt prorſus exiſtimes fuiſſe mirabilem, & cæleſtem, eiuſque puritatem, & candorem in roris generatione oſtendi, de quo Ariſtoteles libro 1. meteor. capite 10. inquit: *Roris formatio magis in cæli temperie, locíſque clementioribus eſt, efficitur, cum apertum, & placidum eſt cœlum, in quo ventorum exagitatio ſit. Ros vbique gignitur auſtrinis temporibus non aquilonis.* Ad virginei, & Mariani roris generationem

Maria conceptio tanquam roris generatio. *Ieſus & Maria duæ ſtillæ roris.* Lect. Græc. Orig. Ariſt. *Roris generatio quali in temp[er]ie ... pellulet.*

tionem aptiſſimum effatum. Eſt enim puella ſanctiſſima in genitali Annæ ſecreto formata, cœlorum ſuauiſſima temperie, clementioribus gratiæ auris, & blando ſerenæ tranquillitatis influxu; nec maculæ originalis nubilum, nec criminis alicuius tempeſtas, aut hoſtilis flatus, Mariæ ſerenitatem in ſuo conceptu perturbauit; procul abactus aquilonis Satanæ flatus, quo Angelos in Empyreo cœlo deturbauit, homines in paradiſo deiecit; ad honorem Deificum, & ſeſſionem Aquilonaris Solij concupita prouectio, origo fuit ſceleris, fons erroris. *Ros vbique gignitur auſtrinis temporibus, non aquilonijs.* Dum nouum Mariæ orbem, & tantam genitricis ſuæ molem condere creator intendit, Aquilonem procul pepulit, auſtrum allexit, vt leniter aſpiraret; vt ex matrice auroræ, & gratiæ, in Annæ vterum, Mariæ candidum, & lucidum rorem implueret. Surge Aquilo, veni Spiritus ſancti Auſter, & perfla Annæ ſanctiſſimæ ortū, vt fluant aromata eius.

Roris generatio, nequaquā fit Aquilonio flatu.

Maria, Auſtro flante: generatur.

8. Alios montes, qui Mariæ immunitatem poſſent oſtendere licet haberem elaboratos, & ornatos ad Mariæ decorem, ſcienter omitto, ne interpres faſtidio ſit lectori, & in tot montium numerum velut in cautes cespitet. Sed iam in Mariano monte apparo ſtabilitatem gratiæ.

Mons Mariæ gratia radicatus, & firmatus.

CVM mons Marianus conditur, poſita ſunt firmiſſima fundamenta gratiæ, quibus ſcio pollicitationem à me factam differendi de ſtabilitate gratiæ, exoluam, quod promiſi præſtabo, Marianum montem ſtabiliuit Pater, firmitatem ei contulit Filius, dedit Spiritus ſanctus fulcimentum gratiæ. Effulget in hoc ſacro monte firmitas gratiæ ab Euchariſtia; firmitudo à Cruce. De quibus ſeorſim differendum in ſequentibus.

Mariani montis firmitas à Patre.

DISCVRSVS IV.

Maria ſpeculum, & exemplar, in quod reſpiciebat Pater, vt Filij ſui imaginem effigiaret; & renouatum terrreni Adami ſimulacrum effingeret.

§. PRIMVS.

Maria Æterni Patris ſpeculum.

1. IN Mariæ monte eminet ſpeculum, & exemplar, ad cuius ſimilitudinem efformauit Pater, cæleſtis, & terreni Adami imaginem: ne tædium afferat nimia diſcurſus longitudo, ſingillatim differo de Mariæ ſpeculo, & imagine, breuitatis, & perſpicuitatis gratia. Verba ſapientiæ, quæ de ſapientia Dei genita, a Salomone proferuntur, capite 7. verſ. 26. de Dei genitrice liberè vſurpo: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* De increata ſapientia verba expendit Ambroſius libro 1. de fide, capite 4. dicens: *Vide quanta dicantur: ſplendor, quod claritas Paternæ lucis in Filio ſit: ſpeculum ſine macula, quod Pater videatur in Filio: imago quod virtus in Filio tota cernatur.* Sed ſi in verbis ſapientiæ Mariam teneas, de ea Ambroſij ſententiæ, aptè, licet ſecundariò, prædicantur. Vide quanta de Maria dicantur: ſplendor, quòd claritas Paternæ lucis in matre ſit: ſpeculum ſine macula, quòd Pater videatur in Filio, & in filij Matre: imago eo quod Filius generetur ſecundum ſimilitudinem matris expreſſam. Vt in hoc immenſo difficultatis tramite ad ſecurum poſſit diſcurſus appellere portum, induſtrij nauarchi ductamen ſequor, Alberti, inquam, Angelici Doctoris Magiſtri, in omni literatura Magni, in Mariæ encomiis Maximi. Is enim ad ea verba Lucæ capite 11. *Beatus venter.* ita ſcribit in ſeptimo titulo beatitudinis virginalis: *Quia eſt exemplum generationis æternæ in æterna vnicus naſcitur de vnico Patre cum omni integritate ſubſtantiæ, in ſimilitudinem Patris, & imaginem, in iſta autem vnicus ex vnica matre, cum ſubſtantiæ integritate, in ſimilitudinem, & imaginem matris. Sic enim, vt dicitur Sapientiæ ſeptimo, candor quidem eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Albertus Deiparam ſpeculum, & imaginem Patris nuncupat, dum ipſiſſimum Filium generat in tempore, exprimens in eo ſuam hominis ſimilitudinem. Et iuxta Alberti mentem Filius eſt ſpeculum Patris, & ſpeculum Matris; Patris, quia ipſe in Filio intuetur expreſſam naturæ ſimilitudinem; Matris, quia ea in Filio cernit ſuam imaginem, eſt enim genitus à Virgine in ſimilitudinem, & imaginem Matris. Rurſus ſi in generatione æterna Filius dicitur ſpeculum ſui genitoris, quia in prole ſua cernit diuinæ naturæ imaginem; Deipara quoque Patris eſt ſpeculum, quia in ipſa generante Filium cernit Pater ſuam imaginem, & characterem in Virginea carne expreſſum. Si ergo Filius, quia ſpeculum eſt, in quo videtur imago Patris, debet eſſe immaculatus; cum Deipara ſit etiam ſpeculum, in quo eſt eadem Patris imago, debet eſſe abſque labe, & nihil inquinatum in eam incurrere. Cryſtallinum Mariæ ſpeculum omni cœlo, & ſidere purius, quod imaginem, & ſpeciem Patris in Filio regerebat, iuxta cuius imaginem, & exemplar Filij ſui temporaneam efformabat effigiem Pater, non paſſus eſt vel minimo inquinamento fœdari, aut venenoſo ſerpentis halitu infici. Virgineum ſpeculum, in quo vultum, & faciem ſuam tuebatur Pater, in quo diſponebat reſtaurare terrena, & cæleſtia, poteſtatis dextra firmatur, ne ruina, vel caſu Adami frangeretur.

Ieſus, & Maria ſpeculum ſine macula.

D. Ambr.

Albertus Mag.

Maria ſpeculum, & imago Patris, vt filium ſuum effigiaret.

Quo pacto Maria ſit Patris ſpeculum.

Maria ſpeculum omnino immaculatū.

2. Inueſtigat ſanctus Thomas an diuini Vates cernant in Dei ſpeculo futuros euentus? Et reſpondet Deum non poſſe exiſtere ſpeculum creaturarum, quia ex ipſis ſpecies, & ſimilitudines in Deo non reſultant: potius creaturæ ſunt ſpeculum Dei, quia ex ipſo tanquam ex fonte reſultant creaturarum imagines. Vnde quæſt. 12. de Veritate, articul. 6. ait: *Illud autem ſpeculum poteſt dici, in quo rerum ſimilitudines à rebus ipſis reſultant, quia verò in Deo ſunt ſpecies, vel rationes rerum non reſultantes à creaturis, nuſquam inuenitur dictum à ſcientijs, quod Deus ſit rerum ſpeculum, ſed magis quod ipſæ res creatæ ſunt ſpeculum Dei.* Sed

Deus non eſt ſpeculum creaturarū.

D. Thom.

Deus eſt Matris ſpeculum.

Sed ab hac regula ſapientiſſimi Doctoris, vna ſingularis creatura excipitur, ſcilicet Dei Mater, quæ licet ſit ſpeculum Dei ex communi creaturæ ratione, quia in ea refulget ſapientia creatoris, eſt tamen Deus Mariæ ſpeculum, quia à Maria ſpecies, & forma hominis in Dei Filium reſultat, itaque cum à Virgine proueniat Deo expreſſa humanæ naturæ imago, verum eſt dicere, in Deo eſt aliqua ſpecies, vel ratio ab hac creatura reſultans. Quare Verbum Dei, in quo acceſſio humanæ formæ facta eſt, eſt Matris ſpeculum, in quo ipſa ſuam imaginem, & ſimilitudinem intuetur. Eſt etiam Deipara ſpeculum Patris, quia in ea refulget, non tantum ſimilitudo, & forma creata Dei, ſed ſimilitudo, & imago Dei increata, & propter hanc rationem Deipara *ſpeculum ſine macula*, nuncupatur.

Multiplex cõceptio Deiparæ.
D. Vinc Fer.
Prima conceptio Mariæ eſt diuinalis.

3. In conceptionis feſtiuitate diſſerit ſingulari pietate, & acumine ſanctus Vincentius Ferrer. de multiplici Dei genitricis conceptione, primámque appellitat conceptionem diuinalem ex Prouerb. cap. 8. verſic. 24. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Verborum arcana rimatur Apoſtolicus Pater, eaque diſertè aperit dicens: *Firmum propoſitum dicitur conceptio. Deus ante quam aliquid crearet in ſua voluntate firma, & incommutabili propoſuit creare vnam puellam Virginem ſanctiſſimam, quæ eſſet camera Filij ſui, camera Spiritus ſancti: porta paradiſi, Regina cœli.* Et poſtea: *Si ergo firmum propoſitum, & voluntas deliberata ad aliquid faciendum, dicitur conceptio, & Deus ab æterno, & voluntate immutabili propoſuit facere iſtam glorioſiſſimam Virginem. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram in mente diuina.* Pulchra verba, quæ fœcundam ſenſuum ſegetem pariunt. Cerne in primis Deum iam ab æterno fulcientem firma propoſiti, & inuariabilis voluntatis firmitudine Regiam infantulam, dum eam ante omnem creaturam creat, & concipit *ſanctiſſimam*: Voluntate firmam, & incommutabili ab omni infortunio, & ærumna ſequeſtratam, ante Angelorum ruinam, ante miſerabilem Adami prolapſionem. In illo primo Dei propoſito, tanquam Regis æterni atrium creatur, vt Spiritus ſancti aula concipitur: *Nondum erant abyſſi* (inquit Virgo ſacra) *& ego iam concepta eram in mente diuina.* Qui ſunt abyſſi niſi peccata? Immenſa fluuiorum, ærumnæ, & calamitatis congeries, in immenſam patens profunditatem. De quibus rectè dicitur, abyſſus, abyſſum inuocat, abyſſus peccati Dæmonis, abyſſum peccati Adami; nondum erant abyſſi criminum, quibus immergeretur, & iam concepta erat. Rurſus Vincentius duplicem generationem Dei genitrici attribuit, ſcilicet in mente diuina, & in propoſito voluntatis. Filius ſolum generatur mente, & intellectuali cognitione, Mater in illa conceptione, quam ab æterno habuit in diuinis, concipitur mente, & amore diuino, ex quo nihil infauſtum promanare poteſt. Etenim Maria per voluntatem, & beneuolentiam procedebat, vt proceſſioni Spiritus ſancti aſſimilaretur, qui ex amore Patris, & Filij, ex vi formali procedit, vt in illo æterno voluntatis diuinæ propoſito intelligatur gratioſa, & dilecta. Sed in eo conceptu Dei, quo ab æterno Maria præparabatur, quàm ſpecioſum, & volupe figmentum proponebatur, quàm nitidum, & immaculatum ſpeculum figurabatur, imago pulcherrima diuinæ, & humanæ prolis, Deo chariſſimum, & delicioſiſſimum ſimulacrum omnibus numeris naturæ, & gratiæ ornamẽtis abſolutum.

Ab æterno propoſuit Deus Virginẽ ſanctiſſimam creare.

Maria ante abyſſum peccatorum concepta.

Maria generatio diuinali aſſimilatur proceſſioni Spiritus ſancti.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam,

Ricard. Vict.
Maria ſingularis eſt ſpecies Chriſti.

4. Ea verba Cant. cap. 4. verſ. 15. *Species eius vt Libani.* de Dei genitrice explanat Richardus Victorinus lib. 2. in Cant. cap. 39. ſcribens: *Beata Virgo ſpecialis Chriſti ſpecies, quæ ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum maculauit. Ipſa igitur ſingulariter ſpecies Chriſti præ omnibus ſpecioſa, Chriſtoque ſimillima, non ſolum ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in aliis hanc reſtituens.* Mariam Virginem ſpeciem Chriſti nuncupat Ricardus, quia eſt Chriſti decor, & venuſtas, aut illius ſimilitudo, & forma, & in vtroque ſenſu: *Speciem ſuam nũquam per aliquod peccatum maculauit.* Cui ſalutare licet: Aue Filij pulchritudo, & venuſtas immaculata. Salue Chriſti ſpecies, & forma criminis contagio nunquam deturpata. Dedecet enim ſpeciem Dei, ſimilitudinem Dei, pulchritudinem Dei, vel minima labe culpæ aſpergi. Examina verba Ricardi: *Quod habet ſpeciẽ Chriſti, & in aliis illam reſtituit.* Percipies eorum ſenſum ſi ſupponas ex ſancto Thoma quid ſit ſpecies, & exemplar: *Illud ad cuius ſimilitudinem* (inquit 1. p. q. 35. art. 1. ad 1. & 2.) *aliquid procedit, propriè dicitur exemplar. Species importat formam deductam in aliquo ab alio.* Exemplar Chriſti eſt Deipara, ad cuius ſimilitudinem Pater nouum in nouo Adamo figmentum formabat, ſpecies ex qua deducta humana forma aſſumpta à Verbo, ſingulari Spiritus ſancti artificio expreſſa; nunquam peccati vmbra, aut tenebris offuſa, ſed gratiæ luminibus, & coloribus ornata.

In quo differant exẽplar, & ſpecies.

Maria in conſilium redemptionis admittitur.

5. Quando diuinæ ſapientiæ inſcrutabilis altitudo diſpoſuit humanum genus eripere de poteſtate tenebrarum, in arcanum Dei conſilium adhibetur Deipara, eiuſque expectatur ſuffragium, vt tanquam adiutrix Dei, & auxiliatrix Redemptori poſſit eſſe ſubſidio, & prolapſo homini opituletur. Conſiliorum Dei ſublimitas apud Paulum legitur ad Rom. cap. 11. verſic. 34. *Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quæ verba Dei genitrici pulchrè accommodat ſanctus Petrus Damianus ſermon. 11. quæ quidem cœleſti nuntio ad ſupremum conſilium vocatur, cum humanæ formæ à verbo aſſumendæ tempus, & communis libertatis aduenit: *Et ſtatim* (inquit Damianus) *de theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa, totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factum, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Quàm arcanum, & diuinum Mariæ nomen, inter gazas Dei Regias, in theca diuinitatis aſſeruatum, cum Deus diuitias Deitatis velut effundit, Mariæ nomen expromit. Cerne, quàm intimum, quàm gratioſum Mariæ nomen apud Deum, quod in ipſo Deitatis theſauro cuſtoditur: vt ſicut tribus perſonis communis eſt diuinitas, trium perſonarum ſit nominis Mariæ communis cuſtodia. Quàm altum, quàm ſublime Maria poſſidet habitaculum, quàm ſecurum in Deitate præſidium, quæ in protectione Dei cœli commoratur. Stupent Angeli ad tantæ gloriæ dignitatem, dum in ipſa, & per ipſam omnium

B. Damian.

Maria nomẽ de theſauro Diuinitatis eruitur.

Sine filio nihil factum, ſine Maria nihil refectum.

Bb ſecu

ſeculorum perficienda ſalutis ratio decernitur. Per ipſam tanquam mediatricem, & aquæductum gratiarum in ipſa tanquam in triclinio, & conclaui Deitatis, de ipſa velut de vniuerſæ felicitatis fonte. In principio, hoc eſt, in Filio, & in Chriſto, creauit Deus cœlum, & terram, & quæcunque cœli ambitu continentur, tanquam in exemplari creaturarum. In Maria, & per Mariam omnia reformat: dum per ipſam tanquam per Matrem Chriſtus gignitur, in ipſa tanquam in ſpeculo ſpecies Filij Dei figuratur, de ipſa tanquam de exemplari, & idea forma veteris Adami ad nouitatem refingitur. Deus creator rerum, & formator, Deipara recreatrix, reformatrix. Sine Filio nec cœlum creatur, nec paradiſus conditur, nec hominis plaſma fingitur. Sine Matre nec Angelorum chorus reſtauratur, nec eorum implentur ruinæ, nec homini innocentia reſtituitur. Sine ipſa nec homo in glorioſum Empyrei palatium inuehitur: *Sicut ſine illo nihil factum, ita ſine illa nihil refectum.*

Per Mariam Deus imaginem Adami reformat.

6. Nec mireris in cœlitum curiam, & hominum ſenatum gratiam, & gloriam ex Maria redundaſſe, nam ipſa mirabili artificio indidit ſpeculo Dei, diuinorum reſultantiam radiorum. De reſultantia ſpecularis ſplendoris hæc ſcribit Angelicus Doctor 4. diſt. 44. art. 1. quæſt. 4. ad 5. *Quod ſpeculo ſuppoſito directè radio Solis non appareat ſpecies corporis oppoſiti, non eſt propter hoc quod impediatur receptio, ſed propter hoc quod impediatur reuerberatio: oportet enim ad hoc quod forma in ſpeculo appareat, quod fiat reuerberatio ad aliquod corpus obſcurum; & ideò plumbum vitro adiungitur in ſpeculo.* Si animo tuo cogites Deum, antequam in mente diuina Maria formetur, concipiatúrque Virginea puella; radius Solis æterni, lucíſque diuinæ candor, ex Patre ad Filium, ex Filio ad Spiritum ſanctum tranſibat, ſed intra Deitatis cancellos manebat reconditus, nec ad homines, nec ad ſpiritus expertes corporis reſiliebant fulgores, ſed cum Maria in diuinæ voluntatis propoſito, vt Dei Mater eligitur, cum Dei Verbum in Virginali aula claudi ſtatuitur aſſumens ex matre corpulentam ſubſtantiam; tunc Deus ad creaturas refertur, ex diuinæ potentiæ ſcaturigine diuerſæ, & variæ naturæ rerum tanquam riuuli profluunt, vt in iis reluceat Filij, & matris vmbra, & vtriuſque pulchritudinis veſtigium; iam ex iuſtitiæ Sole, naturæ, & gratiæ lumina in Angelos, & homines reflectuntur. Speculum erat Filius nitidiſſimum, ſplendidiſſimumque tanquam cryſtallum regerens Patris characterem, & formam, ſed vt eius nitor, & iubar ad nos poſſet reflecti, Virgo Mater ſpeculum illinit corporis vmbra: *Oportet ad hoc quod forma in ſpeculo appareat, quod fiat reuerberatio ad aliquod corpus obſcurum. Et ideò plumbum vitro adiungitur in ſpeculo.* Idem Deus, qui in mundi naſcentis exordio hominem figurauit de limo terræ, tanquam omnipotens figulus, vt diuinam cum humana natura ineffabiliter coagmentet, & cooperante Spiritu ſancto nouum figmentum formet, ſibi propoſuit Mariæ ſpeculum, & pulcherrimam formam, Filiúmque ſuum nouum hominis habitum induentem & ſpeculum Virginis, formamque componit. Tunc in ſpeculum Dei, plumbum, & ſtannum humanæ naturæ adiicitur, & multiplex reflexio gratiarum, & luminum eiaculatur ad homines, at Angelos.

Maria ſpeculo Dei dedit reſultantiam radiorum.

D. Thom.

Qua arte ſpecies ex ſpeculo reſultet?

7. Nec poſſet eſſe Dei ſpeculum Deipara, niſi eſſet puriſſimum, prorſuſque immaculatum. Examinat ſanctus Athanaſius verba Geneſis cap. 5. verſic. 1. & Sapientiæ cap. 2. verſic. 23. in quibus de hominis creatione ſermo eſt: *Ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*, ait, hominis ſpeculum, vt Dei imaginem exprimat, debere exiſtere nitidiſſimum, omnis obſcuritatis, & maculæ expers. Sic enim ſcribit orat. contra Gentes: *Eam vt nata eſt (ſcilicet imaginem) præſtent, vt in ea Patris Verbum rationemque (ad cuius ſimilitudinem ab initio conditi ſunt) ſpeculari poſſint. Vnde cum omnem affuſam peccati maculam exterſerit, & nihil niſi exemplar, quod ad imaginem Dei conditum eſt purum ſeruauerit: merito iam tum in eo, vtpote in ſplendorem redacto, quaſi in ſpeculo contemplatur imaginem Dei.* Perpende primam Athanaſij ſententiam: *Eam, vt nata eſt, præſtent.* Vt poſſit eſſe ſpeculum Verbi, ad originalis iuſtitiæ puritatem reducenda eſt natura. Si hoc exigit ſapientiſſimus Doctor in ſpeculo regerente creatam imaginem Trinitatis, & ſimilitudinem, quid poſtularet in ſpeculo Mariano continente in ſe Verbum ſubſtantiale Patris, increatam Dei imaginem; efflagitabit proculdubio ſpeculum ſemper nitidum fulgoribus originalis iuſtitiæ, & concreatæ animo gratiæ fulgens radiis.

D. Athan.
Maria vt ſit ſpeculum, debet eſſe immaculatum.

8. Inre ergo claudet hunc conceptum eximius Bernardinus de Buſtos, qui buſto quodam amoris, & pietatis erga Deiparam exuritur part. 9. ſermon. 2. cap. 9. de ſpeculo Mariæ ſic fatur: *Speculum Dei, in quo eius imago refulget, ſcilicet Chriſtus.* Et poſtea: *Sicut autem ſpeculum, niſi eſſet terſum, & clarum, nequaquam quis imaginem ſuam in eo conſpiceret. Sic Deus imaginem ſuam, id eſt, Filium ſuum in Virgine non poſuiſſet, niſi puriſſima fuiſſet. Et ideo dicitur de ea Sapientiæ ſeptimo: candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Ori igitur ſuo imponat ſilentium, qui clariſſimum Dei ſpeculum prædicat fuiſſe originali vitio maculatum.* Hæc ille.

D. Buſtos.
Maria ſi non eſſet ſpeculum ſine macula originali, nequaquam Deũ conciperet.

§. II.

Maria imago Patris, & exemplar.

9. DO tibi Deum creaturæ imitatorem, dum ad exẽplar, & ſimilitudinem Matris; Pater Filij ſui formam figurat humanam. Huius cõmentationis Marianæ imaginis, ſicut, & ſpeculi Mariani, Magnum Albertum tenemus auctorem, dum magnalia prædicat vteri Virginalis in cap. 11. Lucæ hæc fatur: *Fuit forma, ad quam æterni Patris imago figuratur. Eſt Filius imago Dei inuiſibilis: hæc igitur imago figuranda in formam hominis, formaculum accepit vterum Virginis. Sicut ſigillum mundiſſimum in cera imprimitur mundiſſima. Eccl ſiaſtici 17. ad imaginem ſuã creauit illum, & ſecũdum ſe veſtiuit illum virtute. Quod licet de omnibus dicatur hominibus, tamen maximè intelligitur de Saluatore. Figura autem, & forma, in qua huius imago formata eſt, vterus Virginis eſt, & ſic factus eſt ſpecioſus forma præ filijs hominum.* Ad imagi

Albert. Magn.
Maria exemplar, & forma imaginis Chriſti ſerendæ.

imaginem Mariæ nouum hominem creauit Pater, & propoſita ſibi pro exemplari, humana Mariæ forma, in eius vtero, Filij ſui ſimulacrum finxit. Maria Archetypum Patris ad cuius ſimilitudinem effigiauit humanam Filij formam. Cuius delineationem imaginis Albertus pulcherrimo confirmat exemplo: *Sicut ſigillum mundiſſimum in cera imprimitur mundiſſima.* Vt propter rationem imaginis, & archetypi eruat Matris immunitatem a peccato, imago Filij immaculata, ex immaculato Matris exemplari exprimitur. Signaculum Patris ab omni labe immune, in cera virginea ab omni culpæ inquinamento experte ſigillatur. Imaginis Filij ſui exemplar Pater manu tenuit, firmauit, protexit, ne aliqua criminis aſpergeretur labe, aut originalis culpæ atramento, aut litura fœdaretur.

Sigillũ mundiſſimum Dei in cera virginea mundiſſima imprimitur.

10. Ex eodem ſimili annuli ſignatorij conijcit ſanctus Athanaſius Mariæ eximium decus, & ſummam dignitatem, cum orat. de ſanctiſſima noſtra Deipara, loquens de Filij incarnatione hæc ſcribit: *Non enim euariat impreſſa imago ab imprimente ſignaculo, ſed incommutabilis perſeuerat ab imprimente ſignaculo iuxta ſculpturam annuli, ſiue in cera, ſiue in auro ſignaculum illud effigiatum ſit, pro ratione Regij numiſmatis, ita quoque diuinus character Filij, ſubſtantiæ Patris incommutabile ſigillum eſt, ferens omnia verbo virtutis ſuæ ſecundum ſuum ipſius exemplar, carnique ſuæ quaſi cera, eum typum, formamque impreſſit.* Duplicem imaginem cõſtituit in filio Dei contra Arrianorum nebulones Athanaſius, alteram diuinam, alteram humanam; prima quaſi à ſignante ſignatorium annulum à Patre imprimitur eadem forma, & character, eadem natura; *Secundum ſuum ipſius exemplar.* Seipſum contemplatur, & proponit Pater tanquam archetypum, ad cuius ſimilitudinem Filij imaginem diuinam formet. Sed alteram impreſſionem ſui ſigilli fecit in tempore, dum illum eũdem characterem ſignat in cera Virginis puriſſima, & auro mundiſſimo Virginalis vteri, & ſicut ad exemplar diuinum omnis peccati expers Pater diuinam formam, & imaginem figurat, ita quoque idem Pater ad exemplar Matris immaculatum, corpulentam ſubſtantiæ imaginem effingit.

D. Athan.

Filius imago Patris ſignatur in matre tanquam ſignaculum.

Pater ad exẽplar Mariæ omnis peccati expertis filium effigiauit.

11. Execratur Deus lubricum anguem vniuerſæ improbitatis auctorem, claſſicumque cecinit aduerſus hoſtilis ſerpentis aſtutiam. Gen. cap. 3. verſ. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Dum legit hæc verba, & ineundæ pugnæ præconem audiit Rupertus, acutè percunctatur lib. 2. de victoria verbi Dei cap. 16. Cur hoc ad mulierem non dixit? *Inimicitias ponam inter te, & ſerpentem.* Nonne melius foret, aut ſaltem æquè expediens, quod Deus in muliere, quæ fuerat diſſidij, & rixarum origo, indictionem belli ſignaret, vt à communi generis humani perduelle abalienaret animum feminæ, in eoque inteſtina odia excitaret, & æternam ſimultatem? Melius eſt, quod Deus prouidit, quam quod mens humana confingit. Non ad mulierem, ſed ad ſerpentem bellica comminatio de nunciata eſt: *Mirum* (inquit Rupertus) *duplicem ob cauſam. Primum, quia propter peccatum, & peccati defenſionem hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promiſſiones tales, promiſſiones tamẽ gratiæ faceret Deus.* Non enim certamen propoſitum, nec promiſſa feminæ eſt tantæ prærogatiua victoriæ, quæ ſub iugo diaboli anxia colla ſub-

Rupert.

Cur ad ſerpentem, & nõ ad mulierem facta eſt cõminatio?

Rupert.

miſerat, ſed irreprehenſibili feminæ à vinculo captiuitatis liberæ, & exemptæ à communis ſceleris vſuris, debellandi hoſtis, conterendi capitis draconis ſancitum eſt pactum. Eapropter ſecundam rationem ſubiungit Rupertus: *Deinde, quia non ad ipſam Euam, ſed ad alteram eiuſdem ſexus perſonam, videlicet ad Beatam Virginem Mariam intendebat ipſe, qui loquebatur. Recte igitur non ad mulierem male meritam facta eſt auxiliatricis gratiæ promiſſio, ſed potius ad ſerpentem hoſtilis, & bellica comminatio. Quid autem hoc dicto Deus, niſi ſemetipſum in propoſito ſuo manere velle teſtabatur? Serpens namque inſidiabatur, ne fieret, quod propoſuerat Deus dicendo, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Viciſſe & hoc propoſitum auertiſſe gloriabatur. Deus autem eiuſdem propoſiti ſui victoriam in poteſtate habens, ſerpenti comminabatur.* Aliam feminam præuidit Deus, quæ caput ſerpentis ſua virtute contereret. Placuit Deo ad hominis remedium, & ſolatium, victricis Mariæ ſignum extollere in paradiſo; & coram cœleſti curia plaudentibus Angelis, præ liuore frémente, & tabeſcente dracone, bellatricis, & triumphatricis feminæ trophæa ſignare. Perpende poſtrema Ruperti verba: *Serpens inſidiabatur, ne fieret quod propoſuerat Deus, dicendo: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* &c. Dum ſerpens obſcuras peccati vmbras Dei imagini offundit, quæ in homine relucebat ſimulacrum Dei in homine extinguere, & funditus delere conatus eſt: Deus autem in firmitate propoſiti ſui manebat, remouendi, & inſtaurandi priſtinam imaginem, illuſtrandique nouis gratiæ pigmentis. Ex Mariæ Virginis exemplari. Hoc denotat ſententia ſua Rupertus: *Ad Beatam Virginem Mariam facta eſt auxiliatricis gratiæ promiſſio.* Eua hominis, & Dei imaginem deturpauit, Maria nouis gratiæ coloribus reformauit. Eua Dei ſimulacrum maculauit; Maria gratiæ ſplendoribus decorauit. Patri, dum nouum Adamum effingit, nouis lineamentis, & coloribus illuſtrat, dedit Maria viuidam carnem, ſuccum, ſanguinis purpuriſſum, flauum, floridumque colorem, vt imaginem Matris politiſſima Spiritus ſancti arte coloraret in Filio, quia ergo in propoſito Dei figurandi facta eſt adiutrix, data eſt ei auxiliatrix gratia, quæ à ſerpentis morſu eam præſeruaret, & virtus, qua eiuſdem caput contereret.

Rupert.

Non Eua, ſed Maria victoriam ſerpentis promittit Deus.

Mariæ facta eſt auxiliatricis gratiæ promiſſio.

12. Quàm iucundus, & gratus ſit Patri huius imaginis intuitus, & contemplatio, prædixit Salomon Prouerb. c. 8. v. 30. *Et delectabar per ſingulos dies.* Vbi diuina, & increata ſapientia Dei loquitur. Septuaginta Interpretes ſententiam extulerunt: *Ego eram, cui adgaudebat.* Græci Patres in catena Prouerb. legunt: *Ego erã cui blandè arridebat,* vel: *Cum quo iucunde lætabatur.* Quã verſionem grauiter, & acutè expendit S. Athanaſius lib. 2. contra Arrianos, dicens: *Non enim extrinſecus depicta eſt imago Dei, ſed Deus ipſe eius imaginis genitor eſt, in quam ſe ipſum contuendo exhilaratur, vt ipſe Filius dixit: ego eram, in qua gaudebat: quando igitur ſeipſum non contuetur Pater in ſua ipſius imagine, aut quando inde non exhilaratur?* Hunc locum Prouerbiorum Eccleſia Chriſti de Dei genitrice exponit, quæ expoſitio fauens Virginis dignitati, maius habet fundamentum, ſi conſideremus duplicem eſſe in Filio

Deus exhilaratur intuẽs, filij ſui imaginem.

Lect. LXX.

Cat. Græc.

D. Athan.

In Maria imagine adgaudebat Pater, eique blãde arridebat.

Dei imaginem, alteram æternam eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, alteram in tempore communicatam à Matre. In vtraque imagine adgaudebat Pater, & in vtriuſque imaginis exemplari, & archetypo. Sicut enim Pater ſe ipſum intuendo, & contemplando gignit Verbũ, & gaudet in imagine genita, & in ſimilitudine, quam habent genitor, & genita proles. Ita quoque in Filio contemplans temporaneam imaginem exhilaratur in exemplari Matris, & in ſimilitudine formæ, quæ in Filio reperitur. Vnde ſicut Filius Dei ratione natiuitatis æternæ, & temporaneæ iure dicit: *Ego eram, cui adgaudebat*: vel: *cum quo iucundè lætabatur.* Ita Deipara, quia Mater talis Filij iure loquitur iuxta Athanaſij verſionem: *Ego eram, in qua gaudebat, ego eram, cui blandè arridebat.* Et quod de Filio profert Athanaſius, non temerè de Matre vſurpo: quando pater nõ reſpexit gratis oculis Mariæ imaginem? aut in ea non exhilaratur? Profectò nunquam, ſemper illam intuetur, vt imaginem ſpecioſam, & coloratam luminibus gratiæ. Quotidie ante faciem Mariæ iocundabatur Deus: quanta vero lætitia, & immortali gaudio exultaret, & triumpharet Pater ex huius imaginis contẽplatione, quam leniter ei arrideret Pater, nullum humanum alloquium comprehendere poterit. Mariam creaſſe nunquam pœnituit Deum. Eua, triſtitia, planctus, & dolor Dei. Maria, hilaritas, lætitia, & riſus.

Mulier non eſt imago viri.

13. Sed occurret forſan difficultas grauis, in qua viri eruditi ingenium hæreat, quaſi in ſalebra. Etenim ex Pauli Apoſtoli ſententia mulier nõ eſt imago viri, ſed vir imago feminæ. Maria ergo non eſt imago Chriſti, ſed potius Chriſtus Mariæ imago. Verba Apoſtoli in ep. 1. ad Cor. c. 11. v. 7. ſunt: *Vir quidem non debet velare caput: quoniam imago, & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* Et ſubiungit num. 10. *ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput, propter Angelos.* Rectè Theodoretus apud Oecumenium: *Imago Dei homo eſt.* Et poſtea de femina addit: *Mulier eſt quaſi imaginis imago.* Potius ergo Maria ad exẽplar, & imaginẽ viri ſcilicet Chriſti facta, quam ipſe vir ad imaginem Mariæ. Sed ſi vim Paulinæ ſententiæ perpendimus, inueniemus Mariæ priuilegium. Sicut ipſa ſola eſt, ex qua factus eſt vir; ita etiam eſt ipſius viri imago. Ideò, inquit Paulus: *Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* Quare Chryſoſt. ad ea verba: propter Angelos: apud Oecumenium acutè ait: *Si propter homines erubeſcens hoc facere nolit* (ſcilicet velare caput) *ſaltem Angelos erubeſcat, qui teſtes, ac ſpectatores ſubiectionis illius facti ſunt. Ipſi enim licet non homines viderunt, non virum ex muliere, imò ipſam ex viro generationis ſumpſiſſe initium.* In prima hominis creatione, mulier ex viro manibus Domini plaſmato, compingitur. At in regeneratione cum Deus orbem reſtaurat, & humanæ naturæ imaginẽ per peccatum labefactatam redintegrat, eámque reducit ad priſtinum nitorem; vir ex ſola muliere naſcitur. Eodem Apoſtolo atteſtante ad Galatas cap. 4. v. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Nouus homo Chriſtus temporali natiuitate, ex Virgine Maria ſumit exordium. Nec mirum, ſi Mater ſit Filij imago,

Theod. Oecum.

Maria ſola, & ſingularis eſt imago viri.

D. Chryſoſt.

Ieſus non ex viro, ſed ex muliere factus.

& ad eius exemplar Pater Filium effingat. Hic enim teſtabitur Gabriel in hac ſingulari natiuitate, non feminam ex viro, ſed virum ex femina prodiiſſe. Habet ergo Maria inſigne ſingularis gratiæ, quia tenet ſingulare priuilegium imaginis erga virum.

14. Hunc conceptum extulit acutè Albertus Magnus in cap. 11. Lucæ aſſerens, Patrem ad exemplar, & ſpeciẽ imaginis Virginalis, Chriſtum figuraſſe, & ad Marianæ imaginis ſimilitudinem, veteris Adami ſimulacrum reſtauraſſe. Eius verba ſunt ad id Cant. c. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, retinet pulchritudinem Patris ſecundũ Deum. Sic enim imago Patris facta eſt ad imaginem Matris. Et figura ſubſtantiæ Patris, configurata eſt imagini Matris. Et nos quidem prius portauimus imaginem terreni, & deinde imaginẽ cœleſtis. Chriſtus autem Redemptor noſter, ab æterno habuit imaginem cœleſtis, & poſterius accepit imaginem terreni in vtero Virginis, parentibus terrenis configuratus; vt ſic educeret à terrena imagine, ad cœleſtem ipſius configurationem.* Prima imago hominis ad ſimilitudinem Dei. Secunda hominis imago ad exẽplar Mariæ effingitur, vt qui Filio Dei portanti imaginem cœleſtis, & inſtauratam ex Virgine imaginem terrenam aſſimilarentur, fierent cum filio gloriæ conſortes: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Ad Rom. 8. verſ. 29.

Albert. Magn.

Imago Patris facta eſt ad imaginem Matris.

Aſſumpſit Deus ex Maria imaginẽ terrenam, vt nos aſſimilaret æternæ imagini.

15. Eadem mens occurrit Athanaſio, & eam pulcherrimis, & profundiſſimis verbis exprimit orat. in aſcenſione Domini, dum inquit: *Creator creaturam ſuam videns contritam, miſertus dolore, pudore, affectu naturæ, querebatur imaginem ſuam in natura corrupta. Quid ergo facit? fingit iterum alterum Adamum, ex natura excitans præſectum naturæ, & materiam ex Virgine mutuatur, format ad veriſſimam imaginem, à ſe ipſo effectum fœtum effingit, manenſque texta ſtola in vtero, velut in thalamo Regio induit imaginem, vt imaginis nuditatem velaret*: perpende verba illa: *Materiam ex virgine mutuatur, format ad veriſſimam imaginem.* In quibus imaginem, & archetypum Chriſti Deiparam nuncupat. Vndè hanc imaginem, ex qua, & in qua reformaturus Deus imaginem hominis, non vitio turpem, aut originali macula deformem creat, ſed venuſtam, & condecoratam ſanctitatis luminibus: *Manenſque texta ſtola in vtero.* Cum enim ex Deiparæ tela, texenda foret Spiritus ſancti ſapiẽtiâ ſtola, & peplum ſanctiſſimum, quo Rex gloriæ indueretur, & tegeretur imaginis nuditas, debuit eſſe ſine macula, & ruga peccati, nihil ex tunica Adami pellicea, intertextum admittens, nihil ex ſordida veſte, & craſſo peccatoris panno, aut ſago conſarcinatum.

D. Athan.

Nouũ Adamum Deus fingit, vt antiquam imaginem inſtauret.

Mariæ firmitas à Filio.

DISCVRSVS V.

Creatura in qua Deus fundatur, & radicatur, maiores firmitatis radices figit in Deo; & præ omnibus creaturis liberior eſt à ruina.

1. SIGNVM vitæ cum plantatur in vtero Virginis, & Filius Dei carnem induit, in

Deipara in filio ſuo firmiter radicatur. in Maria fundatur, & ſtabilitur, & in terra Virginea profundas, & firmas radices emittit, vt veram è matre oſtentet progeniem; vt quàm firma, & inconcuſſa fuerit in Filio Mater, in eoque Mariæ gratia altiſſimis defixa radicibus innoteſcat. Plantationem hanc nouam, & ex cœleſti fronde, virgineo ſurculo florem germinantem ſcribit Iſaias cap.11.verſ.1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Libenter annuo Eccleſiæ Proceribus aſſerentibus virgulam eſſe Deiparam, florémque Ieſum. Sed in eo verbo: *Flos de radice.* examina radicationem Filij in Matre. Tigurina legit: *Flos de radicibus eius aſcendet.* Sicut enim flos ex caudice, & ceſpite firmatur, ebibitque vitam, colorem, & ſuccum; ſic flos Ieſus ex Virgine Matre hominis naturam, & vitam haurit, in eáque ſtabilitur; ſed hoc beneficium ſtabiliendi filium, prior filius Matri anticipata gratiæ præuentione rependit; dum virgam, & pulcherrimam virgunculam in ſanctitate fundat, & firmat. Baculus, & virga fuit Matri filius, cui inniteretur, ne in commune crimen labaſceret, aut ingrediens in mundum lubrico nutaret veſtigio. Virgam, & florem Ieſum accipit ſanctus Cyrillus: diciturque virga, inquit, primò propter Regiam poteſtatem. Aliam cauſam ſubiungit: *Quin & aliter virga dici poteſt, quoniam habet omnia, & vt bene illis ſit, continet, ac conſeruat, & quod infirmum eſt, facit conſiſtere.* Quia virga, & baculus eſt rerum omnium, eiſque firmitudinem, & robur confert. Itaque Maria floris Ieſu virga, quia Filius in matre radicatur. Eſt etiam Chriſtus virga, baculus, radix Mariæ, quia Filius Matrem firmat, & Mater in filio radicatur, ideò flos, & virga de radice exoriuntur. Dúmque Mater filio in eſſe naturæ dat radices: filius dat Matri radices firmas in eſſe gratiæ. Flos radicatur in virga, ſed virga radicatur in flore.

Lect. Tigur.

D Cyrill. Alexand.

Cur flos Ieſus dicitur de radice exortus.

2. Præpoſitus pincernarum Pharaonis intruſus in carcerem ſomno correptus vidit viſum vitis, trinæque propaginis. Geneſ.cap.40.verſic.9. *Narrauit prior præpoſitus pincernarum ſomnium ſuum. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt florem vuas matureſcere.* Sanctum Ioſeph habemus fidum huius viſionis interpretem. Sed habemus illuſtrem explanatorem, qui vitis, & propaginum arcana reſerauit. Is eſt ſanctus Antonius de Padua, qui vitem eſſe Deiparam cenſet, tres propagines trinum Mariæ decus: *Angelica ſalutatio, Spiritus ſancti ſuperuentio, & Filij Dei inenarrabilis conceptio.* Et acutè exquirit, cur Dei genitrix nuncuperur vitis? Et reſpondet in ſermone Dominicæ tertiæ quadrageſimæ: *Vitis dicitur eo quod vim habeat citius radicandi, vel quod inuicem ſe innectit, & beata Maria, quæ præ cateris citius, & altius in Dei amore ſuit radicata, & veræ viti, id eſt Filio ſuo, qui dixit Ioannis decimoquarto: ego ſum vitis vera, inſeparabiliter ſe innexuit.* Mira celeritas in vite fibris ſuis in terra radicandi, maritare feſtinat obuium quemque ramum, cúmque clauiculis apprehendere. Virgo Deipara vitis nuncupatur, quia celerrimè radicata eſt in amore, & viti veræ, cuius Pater eſt agricola, adhæſit feſtina, eique eſt innixa: *Præ cateris citius, & altius inſeparabiliter ſe innexit.* Ieremias, & Ioannes in vtero ſanctificati, cito col-

Vitis à præpoſito pincernarum viſa, Deiparā repræſentabat.

D.Anton. Pad.

Maria dicitur Vitis quia ſemper filio innexa, & in eo radicata.

ligati ſunt Chriſto charitatis lacertis; virgo tamen Deipara citius, & celerius in ipſo vitæ exordio ad Ieſum vinculis amoris adiungitur, ad Filij munimen confugit, in eóque tanquam in ſuæ ſalutis præſidio, & fulcimento nititur. Vnde ſanctus Ambroſius in ſcholiis Septuaginta legit: *Erat vitis in conſpectu meo, & in vite tres radices.* Cùm incipit eſſe vitis, iam erat radicata, & virgo Mater, quæ prænuntiabatur in vite, in vitæ initio trina radicatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti firmatur. Ideò *in vite tres radices.* D.Ambr. Schol. Lxx.

3. Inter alia nominationis inſignia, quibus Virgo Mater ornatur, illud illuſtre emicat, *ſtella maris*, obuiis vlnis acceptum, & vſurpatum ab huius magnæ matris dilectis; oſtenſum Vati Balaam, cum auſcultantibus Iudæis, & gentibus, illud vſque ad cœlum extulit Numer.cap. 24.verſ.17. *Orietur ſtella ex Iacob.* Sed cur virgo ſtella nuncupatur, an quia ſicut ſidereus, & lucidus affluxus de ſidere egreditur non labefactata illius integritate, ita filius Dei ſicut radius è ſidere virgineo ſine corruptione ortus? An quia ſidera amāt illuminare tenebras noctium, & Virgineum ſidus pellere caliginem peccatorum? Idonea ad rem noſtram nomenclaturæ ratio à ſancto Bernardino affertur tractatu de Virgine art. 1. cap. 1. *Comparatur Beata Virgo ſtellæ cœli, ſcilicet propter ſuam denominationem: ſtella ſiquidem à ſtando denominatur, quia in cœlo ſtat fixa. Propterea Mariam deſignat, eo quod fixa ſtetit in cœlo ſuo, quia immobiliter ſtetit in filio ſuo.* In ſtellato orbe, ſeu firmamento ſidera nitent certis infixa ſedibus ſtata, & immutata cohærentia; ideò firmamentum nuncupatur, quia in ſtellifero orbis faſtigio, æterna ſtabilitate firmantur. Sic Deipara ſidus nominatur, quia illuminata in ſui creatione à Sole iuſtitiæ, filij ſui firmamento ſtetit ſemper infixa, ſtella fuit dum conditur in cœlo ſuo, in qua enituit gratiæ iubar, expers ſtellæ caſus, & caliginis, quæ tantis cœli ſui illuminabatur fulgoribus, Dei firmamento ſtabilita.

Maria ſtella maris dicitur.

D Bernard.

Maria dicitur ſtella, quia ſemper fixa ſtetit in filio ſuo.

4. Moyſi minanti gregem ad interiora deſerti, ſignum, & ſpectaculum diuinum obtutibus obiicitur humanis, rubi ardentis, & incombuſti; ſancti paſtoris in ſtuporem redacti, dum cernit ſenticoſas frondes, quod ignis eas ambiret, & flamma vorax non depaſceret, auiditas, & celeritas ad viſum appropinquandi, retardatur diuini numinis voce, & ſplendore remoratur: *Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod.cap.3. verſ. 5. Cur Moyſi inhibetur acceſſus? Quia terra ſancta erat, in qua rubus incombuſtus ardebat? Potius quia terra ſancta eſt, Deique lumine illuſtrata, aut permittenda, aut imperanda eſt Moyſi appropinquatio, vt venerabundus exoſcularetur, ſummáque obſeruantia coleret terram, ex eaque puritatem hauriret. Detinetur vt attento animo expenderet, quænam foret terra, in qua ſtaret, vt arcano luſtraret intuitu terram virgineam, ſemper ſtantem, nunquam cadentem. Ideò mortuorum animalium pellibus expoliari iubetur, vt maiori cultu, & veneratione ad Deiparam appropinquet. Pulchrè Albertus Magnus in cap.11. Lucæ explanans locum Exodi, inquit: *Calceamento pecorinæ pellis ſoluto de pedibus intellectus, &*

Cur appropinquatio Moyſi ad rubum, impeditur.

Terra ſancta in qua ſtetit Moyſes Maria eſt.

Albert. Magn.

affectus, nudo ſpiritu poteſt accedere vir ſpiritualis. Et ſic accedit ad locum, in quo ſtat homo, qui per peccatum ceciderat: in quo terra ſancta eſt (loquitur de Deipara) *quæ ſtat in æternum. Eccleſiaſtes primo, generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Hæc inquam, terra, quæ fundat generationem prætereuntium, morientium, & mundat generationem aduenientium naſcentium. Locus enim iſte, vt dicit tranſlatio Septuaginta, Geneſis vigeſimo octauo, à Deo factus eſt inæſtimabile ſacramentum, irreprehenſibilis eſt.* Huc vſque Albertus. Qui Deiparam nuncupat domum Dei irreprehenſibilem, terram ſanctam, ſemper ſtantem, à Deo fulcitam, & firmatam, vt omnem caſum, & prolapſionem excludat; vtpote quæ terra ſancta, & origo puritatis, in qua omnis homo fundatur, ne cadat.

Maria terra ſancta, quæ in æternum ſtat.

5. Ex Alberti placito referente verba Eccleſiaſtæ, in iis alluditur ad terræ fundationem, quando in Geneſi mundi condita eſt. De qua egregiè Pſalmographus Pſalmo 92. cuius titulus eſt: *Laus cantici quando fundata eſt terra.* Et verſ. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt. Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Parata ſedes tua ex tunc.* In hoc egregio cantico myſterium Beatæ Virginis, & Incarnationis Chriſti agnoſco. Cum Athanaſio orat. 5. contra Arrianos, Nyſſeno epiſt. contra Apoſt. ſed præſertim cum Epiphanio hæreſi 69. qui cenſet his verbis intelligi: *Ingreſſum Dei Verbi à cæleſtibus in mundum, & quod induit decorem, hoc eſt, carnem ex Virgine natam.* Et ſubiungit bis repeti verbum induendi: vt ſignificetur primum Ieſu indumentum à Maria, iteratum verò indumentum à reſurrectione ex mortuis proueniens: quia verò amictum mortalitatis aſſumpſit ex Virgine, eadem Virgo Sanctiſſima à Regio Pſalte ibidem verſu 5. nuncupatur Domus Dei: *Domum tuam decet ſanctitudo.* Et commentatione egregia illuſtrat carmen Lorinus noſter: *Decuit Mariam, ex qua fabricandum erat Chriſti corpus, omnino ſanctam eſſe, nec vlla vnquam peccati labe maculatam, vt, inquam, corpus, & anima ipſius dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur.* Quapropter eum firmitate terræ in prima ſui molitione, & ſtabilitate throni, & ſedilis Dei Dauid verſ. 1. prætallegato comparat. Etenim Maria Dei thronus exiſtit, in quo poſt tumultus Angelorum requieuit. *Parata ſedes tua Deus ex tunc.* Hoc eſt in æternitate, & ante ſæcula præparata, & in mundi exordio cum terra creabatur, delineata: ſanctus Hieronymus legit: *Firmum ſolium tuum ex tunc.* Alij ex Græco legunt: *Firmatum, ſtabilitum.* Sed terræ prima creatio, & ſtabilitas in Maria firmitatem gratiæ delineabat. De cuius ſtabilitate in prima ſui creatione præclarè ſanctus Ambroſius lib. 1. Exam. cap. 6. fatur: *Non ergo fundamentis ſuis nixa ſubſiſtit, nec fulcris ſuis ſtabilis perſeuerat, ſed Dominus ſtatuit eam, & firmamento voluntatis ſuæ continet, quia in manu eius omnes fines terræ.* Sicut enim terra fundatur ſtabilis, eiuſque columnæ, & fulcra confirmata ſunt potentiſſimâ Dei manu: ita Deus terram, ex qua nouiſſimus Adam decorem induit, firmauit ſuper ſtabilitatem gratiæ, vt materna terra non inclinaret in ruinam, ſed ſanctitatis robore firmaretur, ipſe Filius manu ſua confirmauit, deditque firmamentum ſtabilitatis.

Terra prima fundatio.

D. Athan. D. Nyſ. D. Epiph.

Lorinus. *Maria immaculata, quia Dei habitaculum.*

D. Hier. Lect. Græ. *Maria Dei ſolium ab ipſo firmatum.*

D. Ambr. *Maria, & terra ſtabilitas in ſua creatione ſimilis.*

6. Cum cernit Salomon Mariam Ieſu, & Lunam Soli innitentem, Chriſtumque Regem, & ſponſum factum Reginæ, & ſponſæ Deiparæ fulcrum, & ſuſtentaculum, inquit Cant. cap. 8. verſ. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Acutè premit verbum innitendi ſanctus Bernardinus tom. 3. tractatu de Beata Virgine ſerm. 3. art. 1. cap. 1. aſſeritque demonſtrare in Virgine dominationem, & libertatem, nulli alteri poteſtati ſiue ſpiritali, ſiue corporeæ ſubiectam: *Illa verò dominatio* (inquit cap. 1.) *quæ nullius adiutorio eſt innixa, niſi ſolius Dei.* Et cap. 2. *Nullius adiutorio, ſeu auxilio eſt innixa, ſic & Beata Virgo. Cui enim inniteretur, quæ ab æterno Rege Dei filio ſuſtentatur? Ipſa myſticè eſt Eſther, ad quam exiliit Rex de ſolio, id eſt Dei filius de cælo ſuſtentans illam vlnis ſuis. Eſther cap. 15.* Non enim eſt innixa Deipara ſuper baculum arundineum confractum glorioſæ celſitudinis, & dominatus, quem ambiens primus homo, & ei innitens, intrauit in manum eius, & perforauit eam. Sed ſuper virgam fortem, & baculum Filij glorioſum; ne mater in originalem maculam prolaberetur, ne Regina cœli corrueret. Rex ipſe properato curſu accelerauit præſeruationis gratiam, de Regali, & ſtellifero ſolio regni ſui ſtipatus primoribus, Angelorumque ſatellitio proſiluit; ne Regia puella caderet in lutulentum peccati gurgitem, manum ſponſus porrigit, ſuſtentauit eam in vlnis ſuis. Ipſe Deus, qui poſtea reclinandus erat brachiis, ligandus lacertis, ſopiendus vlnis charitatis Maternæ blandimentis, Deificis ſuſtentauit, fulciuit vlnis matrem, ne labatur.

D. Bern.

Maria filio ſuo ſemper innixa.

7. Glorioſa cœlorum Regina de ſeipſa prædicat peccati immunitatem Eccleſiaſtici c. 24. verſ. 8. *Gyrum cœli circuiui ſola.* De Deipara accipiunt hanc ſententiam expoſitores, ſequuti Eccleſiæ ſenſum, & mentem. Hugo Cardinalis de Dei genitrice exponens inquit: *Gyrum cœli circuiui ſola, id eſt Chriſtum, qui eſt gyrus mirabilis continens omnia.* Vt conceptus facilius exprimatur ſuppone ex Seraphico Doctore hunc locum explanante tom. 6. in compendioſo principio in lib. ſent. *Gyrus cœli dicitur regyratio primi in vltimum, & vltimi in primum.* Et poſtea ſubiungit gyrum, ſeu ſpecialem ambitum cœli, Deum innuere: *Eſt enim Deus ſphæra intelligibilis, cuius centrum vbique, & circumferentia nuſquam, vt dicit Hermes Triſmegiſtus.* Ex quo percipitur maxima Deiparæ potentia, Deum interminabilem terminauit, ſphæram intelligibilem, cuius immenſitas, & circumferentia infinita eſt, gremio ſuo coarctauit, & vtero ſeptem cœli circulis ampliori, conſtrinxit, quando femina circumdedit virum; gyrauit Virgo ſacra Dei cœlum latiſſimum, in infinitum ſpatium protenſum in circuitu gratiæ, & gloriæ ſuæ; eum, qui omnia continet, & quem orbis ambitus, & cœlum cœli capere non poteſt, intra virginalis aulæ clauſtra concluſit. Aliam regyrationem habuit Deipara, Gyrum, & circulum cœleſtem ſanctitatis, & gratiæ ſola circuiuit. Gyrauerunt cœlum gratiæ alij Diui, ſed non perfecto circuitu. Terminatur circulus vitæ in gratia, ſed non orſus eſt à gratia, ſed à culpa, ideò ambitus, & circumlatio vitæ cœleſtis, non eſt perfecta ſicut in Ieremia, & Baptiſta Ioanne. Maria ſingularis eſt, quæ gyrum cœli ſanctitatis,

Sola Maria circuiuit ſphæram Deitatis, & gyrum gratiæ.

Hugo Card.

D. Bonau.

Quis ſit cœli gyrus?

Deus ſphæra intelligibilis.

ctitatis, & gloriæ circulo perfecto circumdedit. Dum eius vita à primo puncto eſt cæleſtis, & gratioſa, & terminatur in gratia: *Gyrum cæli circuiui ſola.* De ipſa ſola ſancti Bonauenturæ effatum iure prædicatur: *Gyrus cæli dicitur regiratio primi in vltimum, & vltimi in primum.* Vita Deiparæ à primo puncto creationis vſque ad vltimum, quo vita immaculata terminatur, regyratio cæli eſt, & ab vltimo in primum, Virgo quæ ambitu ſuo Deum cinxit, gratiæ circulum à primo puncto vſque ad vltimum circumiuit; & circundat Deum, & circundatur à Deo. Circuit Deum gremio, & humanitatis circulo; circumvallatur cæli gyro, & gratiæ circuitu, ne pateret ſerpenti adytus; quo intimius intra ſe Deum tenuit, eo firmius tenetur, & firmatur à Deo.

Mariæ firmamentum ab Spiritu ſancto.

DISCVRSVS VI.

Diuinus Spiritus formam, & gratiam Mariæ ſponſæ ambit, & firmandæ Virginis gaudet munere.

1. Diuinus quoque Spiritus peculiare exhibuit fulcimentum Mariæ, ne in originalis culpæ labem prolaberetur. Duorum ſimilitudo naturæ, vel gratiæ non exigui amoris excitat flammas, vinculumque inijcit indiſſolubile charitatis, quo animos, & corda vtriuſque nectit amantis: cogitque, vt vnus, alterius occurrat diſcrimini. Nec ſimilitudo, nec dilectio maior, nec æqualis, inter creaturam Angelicam, & humanam, & inter creatorem, ſicut inter Deiparam, & Spiritum ſanctum interuenit, ideo tantæ Virginis, & ſponſæ dilectæ excitatus cupidine velocius ſuccurrit, vt imminentis peccati eam eriperet à ruina. Mirantur Angelorum acies virgineam puellam, & cæleſti quodam ſtupore perculſæ clamitant Cant. cap. 7. v. 5. *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* quæ & qualis puella, quæ ſuper nubes, & aëra humanæ infirmitatis ſuſtollitur & libero greſſu ſcandit æthera, habens pro baculo, & fulcro cælorum Regem? Huic quæſito exploranti Mariæ priuilegia, & Angelicæ mentis arcana, læta, & lepida occurrit reſponſione, Angelorum turba. Eadem ſibi & argumentum obijcit, & argumentationi ſatisfacit. Sic enim fatur Angelorum ſenatus ex ſententia Alani Varenij in panegyricis Dei genitricis Mariæ, ſermone 1. *Qualis & quanta hæc eſt, quæ inter mulieres, imò plus quàm omnes mulieres benedicta eſt? ſupra quam Eua benedicta: quæ nulli Euæ maledicto potuit eſſe obnoxia: pulchrior Rachel: fœcundior Lia: magis ipſa Rebecca, Spiritum ſanctum referens.* Poſtrema verba Alanus non minus ſapientiæ, quàm pietatis gloriâ clarus, ex ſancto Hieronymo hauſit epiſt. 125. ad Damaſum q. 5. dulcis hæc Rebecca Spiritus ſancti ſpeciem, & ſimilitudinem regerebat, quæ cum Iacob, hœdinis pellibus, ornat manus, Verbum & Filium Patris Adami peccatoris veſtiuit amictu; ipſa parandæ fugæ de peccatorum contubernio ſingularis extitit conſiliatrix; hominiſque naturæ iure obnoxiæ primææ maledictionis vinculis, de monſtrauit viam hæreditādæ benedictionis, & gratiæ. Apparuit Regina hęc ſimillima Spiritui ſancto, amore, pulchritudine, puritate; gratioſiſſima, & chariſſima extitit charitati Dei, & Spiritui diuino; qui ſpiratus eſt amor Mariæ. In omnibus ſuffragatur, præſto adeſt, ne in Adami crimen labatur. Nonne ipſa eſt *Rebecca Spiritum Sanctum referens? Nulli Euæ maledicto potuit eſſe obnoxia.* Si verus amor operibus comprobatur, amor, & ſpiritus diuinus Mariæ ſe oſtendit amantem cum in chariſſima ſponſa, primæ maledictionis non permiſit iniuriam, & pro maledictione refudit, benedictionis gratiam.

Deiparam mirantur angeli.

Alan.

Maria ſuper omnes fœminas benedicta, & nulli peccato obnoxia.

D. Hieron.

Maria Spiritum ſanctum referebat.

2 Dum Adam primum ab Adamo Secundo Rupertus diſcernit, inter vtriuſque formationem acutè aſſignat diſcrimen ſingulare; quando Protoplaſtus de puluere educitur, & effingitur, lutum illud, de quo plaſmatur, nec terra Dei nuncupatur, nec benedictione ornatur. at terra corporis Deiparæ virginea, dum ad diuinam, & humanam prolem præparatur Angelico aflatu & Spiritus ſancti præconio, *terra Dei, & terra benedicta nuncupatur.* Audi Rupertum de operibus Spiritus ſancti lib. 1. cap. 11. *Hominem illum terrenum cum iſto cæleſti homine conferentes, hoc primum in factura illius abeſſe perſpicimus, quod terram ipſam, cuius de limo formaret eum, non benedixit Deus: ecce autem in iſta cæleſtis hominis factura noua dixit Archangelus, imò qui in Archangelo loquitur, Spiritus ſanctus, benedicta tu in mulieribus. Et Pſalmiſta per Propheticam huc adductus gratiam, ſic cecinit, & dicit Benedixiſti Domine terram tuam. Amplius autem, & in hoc terra iſta præpollet, quia terra Domini eſt. Non enim illic dixit ſcriptura: formauit igitur Deus hominem de limo terræ ſuæ, ſed tantum de limo terræ; hic autem non tantum benedixiſti Domine terram ſed benedixiſti ait Domine terram tuam.* Conceptum hunc pulcherrimum fundat Tuitienſis Abbas in verbis Pſalmi 84. verſ. 2. *benedixiſti Domine terram tuam.* Deipara, & terra Dei prædicitur, quia nunquam Diaboli fuit; & omni cumulata benedictione, quia à peccati maledictione aliena: Salutatio Archangeli, vel Spiritus ſancti vtrumque continet laudationis inſigne. Dum audit: *Dominus tecum.* terra Domini eſt, quia ſemper cum illa exiſtens Deus prædicatur, quam quidem ad fingendum noui hominis plaſma Spiritus ſanctus iure poſſedit. Et pluſquàm Eua benedicta, quia nunquam maledicta. Conceptum vrgeo. Formatio Adam primi, ſicut & totius vniuerſi attribuitur Patri; Formatio ſecundi attribuitur Spiritui ſancto: ergo ſapientior, & potentior ex nobiliori Plaſte artifex ſecundus, quàm primus foret nuncupandus. Obiectiunculæ ingenioſè occurrit citato capite Tuitienſis Abbas: non ergo melior, aut ſapientior eſt artifex Spiritus Sanctus, quàm Deus Pater, licet iſte nouus Adam, qui de Spiritus ſancti operatione conceptus eſt; melior, atque dignior illo ſit vetere Adam, quem fecit Pater; ſed melior terra, melior, & diuinæ rationi vicinior ab Spiritu ſancto materia ſumpta eſt. Præterea non eadem hic atque illic vtriuſque figuli intentio. Illic nempe intentio Patris erat condere naturam, *hic intentio Spiritus ſancti facere gratiam.* Pulchrè dictum Dum in mundi

Rupert. Diſtinguit inter formationem primi & ſecundi Adami.

Terra ex qua plaſmatur Adam, non eſt à Deo benedicta.

Maria terra benedicta, & terra Dei dicitur.

In plaſmatione primi hominis intentio Spiritus ſancti erat cōdere naturā, in plaſmatione ſecundi facere gratiam.

Geneſi primum hominis figmentũ attribuitur Patri, formatio ſecundi appropriari ſibi voluit Spiritus ſanctus, vt erga terram Deiparæ virgineam affectum oſtenderet, & pelagus charitatis effunderet: Si Pater antiquum hominis, & pulcherrimum ſimulacrum condit de terra, licet non benedicta, non tamen maledicta. Spiritus ſanctus ſecundum humanæ naturæ reformatæ figmentum conſtruit, de terra non ſolum non maledicta, ſed benedicta. Totum Mariæ opus ſibi Spiritus ſanctus vẽdicat; totum quod in ea fit de intentione grarioſa procedit. *Hic intentio Spiritus ſancti erat facere gratiam.* Cum Verbum Dei in vtero concipit; cum ipſa in Annæ vtero concipitur, & terra creatur benedicta, ex qua flos paradiſi dulcis Ieſus prodiit, *intentio Spiritus ſancti erat facere gratiam.* Quando intentio Patris erat condere naturam, hominem formar ſine næuo criminis de terra nec maledicta, nec benedicta: quanto melius, quando intentio ſpiritus ſancti erat in Mariæ formatione creare gratiam, creabit ipſam in gratia ſine culpa. Dum condit terram Dei, & terram benedictam: *benedixiſti Domine terram tuam.* Brachium & digitus Dei Spiritus ſanctus quando hoc figmentum Marianum effigiauit, ipſum ſtabiliuit, & fecit potentiam in brachio ſuo ne caderet in originale peccatum; quia vero intentio ſpiritus ſancti erat facere gratiam, exulauit culpa. Vbi enim intentio Dei eſt facere gratiam, quomodo poteſt percipi ſine gratia?

Cum Maria creatur, intẽtio Spiritus ſancti erat facere gratiã.

3 Locum illum Geneſis cap. 1. verſ. 2. & 3. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus fiat lux, & facta eſt lux.* pulcherrimè adaptat immaculatæ Virginis Conceptioni Sanctus Vincentius Ferrer. ſerm. 2. de natiuitate Mariæ dum inquit: *Dixitque Deus, fiat lux. Ecce conceptio Virginis Mariæ.* Et ſubiungit: *lux dicitur, illa benedicta generatio Virginis Mariæ: quia ſine tenebra culpæ facta eſt.* Et exponens priorem ſententiam: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas:* introducit Ioachim & Annam Dei genitricis parentes propter ſterilitatem ſqualẽtes mœrore, in horto ſuo orationibus inſtantes, gemitibus efflagitantes fructum benedictionis, præ lacrymarum torrente vultus madidos oſtendẽtes; ſuper hæc maria, & riuulos fletuum Spiritus Domini ferebatur, vt procrearetur Maria: hæc ſunt Vincentij verba: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ecce hic premiſſio de Virgine Maria ad Ioachim, cum eſſet cum paſtoribus, & fleret dicens: Domine ſi iſta ſterilitas venit ex peccato meo indica mihi. Idem de Anna, ſuper iſtas aquas lacrymarum ferebatur ſpiritus Dei,* quem ſpiritum, licet Angelum intelligat; non ineptè, ſed aptius iuxta litteram Spiritum ſanctum accipies, quaſi volitantem ſuper lacrymarum riuos, eaſque confouentem, beatos illos parentes præparantem, vt amarum mare Mariæ gignerent, pelaguſque gratiarum. Itaque Maria, lacrymarum parentum filia, quæ ſpiritum paracletum attraxerunt, vt illa in lucem ederetur, quæ ingeneraret in cordibus peccatorum lachymarum fluenta, ad quæ lubens columba illa cæleſtis deſcenderet. Perpende acumen Vincentij, lucis creationem, & dilapſum Spiritus ſuper aquas ſimul copulat, quia dum Maria lux, & aurora *ſine tenebra culpæ facta eſt,* ſpiritus diuinus ferebatur ſuper aquas gratiarum, vt ex ipſis formoſa illa columba procrearetur, quæ pacem hominibus annunciaret, præpetique volatu ſupra Angelorum volitaret culmina; tenebras quoque mœroris, quæ erant ſuper faciem Ioachim, & Annæ Spiritus ſanctus diſpulit, vt aſpirante cæleſti aura fieret Mariana Lux. Nec aqua, quæ facta erat vehiculum ſpiritus poterat eſſe exors luminis, vt acute annotat ſanctus Gregorius Nyſſenus in Hexameron. *Spiritus Dei* (inquit) *ſuper quæ fertur ſimilia facit iis, quæ in luce ſunt: quamobrem aqua ſuper quam Dei Spiritus ferebatur, in luce erat omnino.* Cum fertur ſuper aquas lacrymarum parentum Deiparæ velut expanſis alis Spiritus Dei ipſos confouebat, illuminabat, præparabat ad caſtiſſimam copulam, & prolem, vt lux Maria in lucem ederetur, vitæque limen attingeret, orignarij ſceleris caligine immunis.

In creatione primaua lucis cõceptio Mariæ adumbrata.
D. Vincen.
Mariana lucis generatio ſine tenebra culpæ.
D. Vincent.
Super fluenta lacrymarum ex oculis Ioachim, & Annæ erumpentium, Spiritus Domini ferebatur.
Aqua, quæ eſt Spiritus ſancti vehiculum ſemper eſt in luce.
D. Greg. Nyſ.

4 Spiritus Dei & munere protegendæ genitricis Dei gloriatur. Vnde Eccleſiaſtici cap. 1. verſ. 9. ſcribit Ieſus Sirach: *Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt.* Hanc ſententiam de ſanctiſſima Deipara accipit ſanctus Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. arr. 3. cap. 1. *Tanta fuit perfectio eius* (Mariæ) *vt ſoli Deo cognoſcenda reſeruetur, iuxta illud Eccleſiaſtici primo: ipſe creauit illam in Spiritu ſancto: Vidit, dinumerauit, & menſus eſt. Scilicet ipſe ſolus Deus.* Cum gratia huius Virginis ſit immenſa, hominum, & Angelorum pene captum ſuperat à ſolo Domino menſuratur. Pater filij ſui Matrem creat, ſed creat in Spiritu ſancto, quia ipſa eſt ſuſtentaculum, Virginem corroborans, & fulciens immunemque reddens à peccati ruina. Aptè Dionyſius Alexandrinus in auctario Biblioth. veterũ Patrum in ſolut. quæſt. 5. de Deipara ſcribit: *Neque tabernaculũ eius ab hominibus fabricatum, ſed Spiritu ſancto firmatum eſt, & virtute altiſſimi protegitur, illud ſemper laudatiſſimum Dei tabernaculum Maria Deipara & Virgo.* ſemper laudatiſſimum extitit, ſemper gratiarum laudes exornant ſacratum Dei tabernaculum, dum concipitur, dum naſcitur, quia Spiritu ſancto firmabatur, ne illud aliquis peccati impeteret, aut labefactaret impetus, & incurſus; Spiritu ſancto firmatum eſt.

Solus Deus poteſt perfectè Deiparam agnoſcere.
D. Bernard. Senen.
Maria in Spiritu ſancto creata quia ab ipſo firmata.
Dion. Alex.
Maria tabernaculum eſt à Spiritu ſancto ſtabilitũ.

5. Ad examen voco Salomonis cantilenam, in ſcena amoris, adoleſcentularum, vel Angelorum ore prolatam cap. 3. verſ. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut Virgula fumi.* iuxta Græcam Septuaginta verſionem ſic à ſancto Ambroſio trãſlatam: *ſicut vitis propago fumo incenſa.* tom. 1. in annotat. in Exod. ad Irenæum. & lib. de Iſaac, cap. 5. vbi animam, & nouam Euam introducit Spiritu ſancto amictam, & eiuſdem Spiritus redolentem vnguenta gratiarum: *ſancto* (inquit) *amictam Spiritu, & noua gratia glorioſam.* Sed iucundius ſententiam transferes ad Deiparam, quæ Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 23. ſe ipſam viti odoriferæ comparat. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* in hoc ſacratæ vitis odoramento, odoratur Mariæ immunitatem Guillelmus, Pariſienſis Doctor, Dominicæ familiæ Decus in opuſculo de aduentu, ſeu ſecretis ſecretorum. ſerm. 1. *de intemerata Conceptione Virginis Mariæ,* iſta fatur: *Virgo ſacratiſſima comparat ſe viti, dicens: ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris. Vitis enim dum floret, hanc virtutem habet, quod ſole odore ſuo, aut expellit, aut extinguit bufones, aut ſerpentes. Ita & hæc Virgo ſanctiſſima in ſua intemerata Conceptione tantum*

Maria virgula fumi.
Lect. Lxx.
D. Ambroſ.
Vitis propago fumo incẽſa.
Spiritu amicta.
Guillelmus.
Maria vitis quæ ſolo odore ſerpentem extinxit.

redole

redolenit per animum chariſmatum abundantiam, & ſanctimoniam: quod in ea penitus extinctum fuit venenum ſerpentis antiqui, quod in cæteros homines quodammodo transfudit, videlicet peccatum originale, à quo penitus præſeruata fuit ex ſpecialiſſimo Dei dono. Nolitamen intelligere prædictum virus, ſic in ea fuiſſe extinctum, quaſi prius eam infecerit: ſed quia infeciſſet, niſi præſeruata, & priuilegiata fuiſſet. Ecce quo modo ipſa Maria quaſi vitis fructificanit, id eſt fructum fecit in ſua Conceptione. ſed qualem fructum fecit? Certè ſuauitatem odoris. Hæc Guillelmus. Non indiguit ſpiraculi cęleſtis aurâ quæ fœtorem criminis aboleret, & originarij inquinamenti ſordes abſtergeret. Halauit Mariæ vitis in creatione ſua fructum ſuum, odorem ſuauitatis, fructum, inquam, Spiritus ſancti, quo erat amicta, & circumdata, tota amore flagrans, Spiritus ſancti chariſmata aſpirans, ſuauiſſimum Spiritus ſancti efflabat odorem, qui virulentam ſerpentis aſpirationem, & maleolentis peccati halitum arceret. Mirantur ergo Angeli primum Mariæ aſcenſum per huius ſæculi eremum, corruptionem, & putidam exhalationem emittentem ex filijs Adæ; propter ipſam Spiritus ſancti ſuauitatem, & halitus gratiæ afflantem: *ſicut vitis propago fumo incenſi.* Sicut odor vitis, quæ ſerpentes propellit, erat circumdata Spiritu, qui ipſam thurificabat, & ſpiritualium odorum nube ipſam protegebat.

Maria à veneno ſerpentis antiqui præſeruata.

Maria in ſua conceptione fructificauit ſuauitatem odoris.

6 Ad hæc libenter attexam eiuſdem Guillelmi, altiſſimæ contemplationis conceptum, ad ea verba Geneſ. cap. 3. verſ. 16. *ipſa conteret caput.* quo in loco à mundi exordio immunitas à peccato Dei Genitricis prædicatur, & nobiliſſimus de Dæmone, & originali peccato à Maria reportatus triumphus, ſed audi Guillelmum ſermone ſuprà relato: *Serpens ille antiquus, & callidus ſolitus erat crudelibus faucibus ſtrangulare ſingulos filios Adæ impingendo in ipſos originalem culpam in primordio ſuæ conceptionis. Sed dum tortuoſus ille ſerpens aggreſſus eſt ſtrangulare Virginem Mariam, ſicut cæteros Adæ filios: nihil mali paſſa eſt ab eo: quinimo ipſa ab inſtanti ſuæ conceptionis, tanta gratia, & virtute dotata eſt, quod caput eius glorioſè conculcauit, & contriuit. Caput ſerpentis infernalis originale peccatum deſignat.* Et addit: *Virgo Maria in ſua ſanctiſſima conceptione dono Dei gratiæ contriuit caput eius vt non tangeret, nec morderet eam per originalem culpam, nec ex conſequenti per actualem.* Quid pulchrius? Ex ſapientiſſimo Guillelmo tranſtuli verba verè aurea, celebrante Deiparæ præconium, erigente Mariæ vexillum, & de originali culpa eximia Marianæ ornamenta Victoriæ. Vt catenam, & monile aureum fabrefaciam, & de Virgineo pectore appendam, annectam eximij Alani verba: Qui perſecutatur, quis dux, quis imperator ſtrenuus, qui feminam ductauit, direxit in locum certaminis, vt inita pugna hoſtem proſterneret, ſubiugalique hoſtis caput pede premeret, ceruicem contereret? Spiritus ſanctus author extitit victoriæ, vt reportato triumpho, Dei genitricis captus amore in eius velut rueret amplexus. Do tibi Alani Varenij verba ex ſerm. 1. de laudibus Virginis: *Serpentem veſtigiis conterit: diuinos & pulchritudine, & omni virtutum excellentia Spiritus ſancti meretur amplexus, illius egregia ſponſa*, Hæc ille. Cernis Spiritum ſanctum Mariæ ſponſæ gratiam, & formam ambientem & de illius protectione, & immunitate à peccato gaudentem?

Maria ab inſtantia ſuæ conceptionis caput contriuit peccati originalis.

Serpens nec Mariam momordit, nec tetigit.

Alan. Maria ſerpētem primi peccati conterens diuinos Spiritus ſancti meretur amplexus.

Mariæ ſtabilimentum ab Euchariſtia.

DISCVRSVS VII.

Alimentum Euchariſtiæ Deiparam roborauit, & à peccato originali reddedit immunem, quia ſacrato ſuſceptura erat gremio, & veteri menſa Virgineâ cibum vitæ, & panem Angelorum.

1. TErra, & area Virginea Maria extitit, quæ Ieſum granum tritici germinauit, à peccatorum paleis ſequeſtratum; clibanus intellectualis, in quo Spiritus ſanctus panem vitæ decoxit, & igniuit, vt in eſum vitæ fidelibus largiretur, eoſque à morte, & ruina ſceleris præſeruaret, hoc beneficium panis ipſe vitalis Virgini, & parenti, gratiæ anticipatione rependit roborans Mariam ne in originalis culpæ baratrum rueret; ideo quoque panis viuus fructus Virginis nuncupatur, quia ex terra ſemper viua gratiæ vita nunquam peccato mortua, effloruit; ſapientiſſimus Salomon huius conceptus propalauit arcanum cum hæc carmina occinenda diſtribuit Angelorum, & virginum choris. Cant. 7. verſ. 7. *vmbilicus tuus crater tornatilis.* De intemerato Mariæ vtero carmen exponit ſanctus Hildephonſus ſerm. de aſſumptione Beatæ Mariæ, aitque eiuſdem Salomonis reſpexiſſe ſententiam Prouerb. cap. 9. iuxta ſeptuaginta *miſcuit in cratera vinum ſuum.* Et ſubdit: *verè aluus ille tornatilis fuit quia in eo ſapientia ſe inflexit, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum.* In quibus verbis de ſanguine Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento loquitur. Sed perpendo, quod antequam diuina ſapientia apparet opiparam menſam, antequam mixturam Deificam temperet in phiala, nobile triclinium conſtruit ſeptem columnarum fulcris illuſtre vt fulcimentum gratiæ præſeruantis, & præparantis Deiparæ aulam, & cœnaculum ventris ſpatioſum oſtenderet, In quo repoſitus eſt cibus cæleſtis, qui Mariæ eſſet pro fulcro, ne caderet in peccati ærumnam. Pulchrè ſanctus Idiota de his columnis Deiparæ fatur lib. contemplat. cap. 4. *Quia corrupta erant omnes & peccato vacillauerant, ideo te glorioſiſſimam Virginem Mariam ædificauit in domum ſolidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare poſſet, ideo excidit columnas ſeptem, ad te fortiter, & ſublimiter ſuſtentandam. Septem columnæ, quibus firma ſemper ſteiſti, ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ requieuerunt in te & nunquam te deſeruerunt.* Non vno, aut altero ſed ſeptem Spiritus ſancti fulcris triclinium Mariæ ſtabiliuit, vt firmum ſemper ſtaret. Sed cur tanta firmitas virgineo, & Mariano conclaui impenditur, nullis peccati vnquam vacillanti, aut ruituro ventis? Quia Mariæ cœnaculum, & menſa panis vitæ & Deifici alimenti; panis, qui accubantes conuiuas ſacri epuli robora

D. Hildeph. Maria vterus crater tornatilis continens ſapientiæ vinum.

Idiota.

Maria domus ſeptem columnis Spiritus ſancti fulcita, ne vacillaret originali peccato.

borat, ne cadant, penuariam Mariæ Angelici panis cellam ſolidauit, firmiſſimis gratiæ ſuſtentaculis, vt à caſu originariæ culpæ tutaretur.

2 Hunc conceptum exprimebat arca, mannæ recohditorium, & Cherubim propitiatoriũ, & thecam obumbrantia, in quã Matris noſtræ ſanctiſſimæ arcanum non adumbratum, ſed viuis coloribus expreſſum ſpiritali agnoſco intuitu. Ad Hebræos cap. 9. verſ. 4. inquit de arca Paulus; *in qua vrna aurea habens manna, ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.* Vbi arcam cernis, & Angelorum panem in ea repoſitum, ſtatim animo colluſtrabis diuinum tulamen, quod infortunatum quidlibet, & infelicitatis veſtigium, ab arcanorum ſacro reconditorio procul arceret, ideo ſub protectione manus Domini, & Cherubicarum alarum tegitur velamento, quia in arca, cæli panem Deus recondit. Ad myſterium Virginis hoc ænigma eleganter adaptat ſanctus Hildephonſus, & Regiam cellam vteri, in quã cibus vitæ, & ſacramentorum cæleſtium extitit officina. Verba ſunt Toletani Archipræſulis ſerm, de aſſumptione: *Vterus eiuſdem Virginis per arcam figuratur, quæ cuncta ſacramentorum arcana in ſe habuit. Habuit enim panem viuum illum, qui de cælo deſcendit. Et ideò rectè arca ſacramentorum Dei Virgo Maria fuit, ſupra quam ſanè propitiatorium, & Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur: quia Mariæ nullum extinſecus obrepſit peccati contagium.* Nectuntur aureo vinculo in Maria diuini panis cellarium, & reconditorium, & ab originali crimine immunitatis priuilegium, & mutuo ſibi opitulantur; vt dum animo concipis Deiparam granum tritici germinantem, & ex vtero ſuo tanquam ex horreo cæleſti, diſpertientem alimenta fidelibus, æſtimes omni peccato intactam: *habuit panem viuum, qui de cælo deſcendit, Maria nullum obrepſit peccati contagium.* Panis vitæ Ieſus, origo ſacramentorum cæleſtium, fons gratiarum; primitias ſacramentalis gratiæ in Mariam refudit, ipſam præmuniens ab originaria labe; panis ille cæleſtis cæleſtem, & pluſquam cæleſtem munditiem poſtulabat; neceſſe enim erat vt in Maria Chriſtus oſtenderet, quantam in recipientibus Euchariſtiam exigeret puritatem; dum in prima recipiente Deipara panem viuum, qui in eius vterum deſcendit incontaminatum, & omni labe purum requirit candorem.

Maria arca continens manna, vmbraculo Cherubim protecta.

D. Hildephonſ.

Maria arca continens cæli panẽ protegitur, ne aliquod eam tangeret peccati contagium.

3 Nullibi forſan inuenies validius argumentum ad corroborandam primam Deiparæ gratiam, ſicut in Euchariſtiæ ſacramento. Ideo enim illud Chriſtus inſtituit, inter alia altitudinis diuinæ conſilia vt euidentius demonſtraret quàm inſeparabilis ſemper nexus, & amica ſocietas inter Deiparam, & Deitatem extiterit Etenim carni illi in vterum Virginis deciſæ, aſſumptæ à Verbo, omnem gratiam, gloriam, exaltationem Deus contulit. Dum illam Mariæ carnem in filio conſtituit originem, & finem ſacramentorum, donorum cæleſtium abyſſum, & gratiarum caput, ac fontem. Vnde cum Euchariſtia ſacra à ſacerdote conficitur, licet operatorio conſecrationis ſermone ſit ibi anima Chriſti, & Deitas per concomitantiam; ex vi tamen verborum caro illa ſolummodo adeſt ex Virgine aſſumpta vt Angelis, & hominibus innoteſcat, Virginis carni quãtum gloriæ detulerit Deus & quam indiſſolubilis ſemper extiterit mater à gratia, & Deitate. Conceptus hic partus eſt acutiſſimi ingenij ſancti Bernardini, qui rom. 1. ſem. 61. art. 1. cap. 10. ita fatur: *De carne enim Virginis benedictæ, & in parte corporis eius exciſa conſiſtit, perficitur, & terminatur totum decus & pondus ſacramentorum Eccleſiæ Dei. Certum eſt enim quod omnis inſtitutio ſacramentorum, & omnia alia ſacramenta tanquam in vltimum finem & ad illud ſacramentum, omnium Sacramentorum excellentiſſimum, quod eſt Euchariſtia, ordinantur. Quæ quidem conficitur, & conſecratur, dum panis in corpus Chriſti conuertitur. Quamuis enim per concomitantiam in Chriſti corpore ſit diuina ſubſtantia, & anima ſola: tamen ſubſtantia panis tranſſubſtantiatur in ſolam ſubſtantiam carnis non in diuinitatem, neque in animam: ideo hoc ſacramentum eſt finis omnium ſacramentorum. Et vt expreſſius magnificem illam digniſſimam, & beatiſſimam carnem, de Virgine glorioſa deciſam; dico; quod tanta infinitate nobilitatis eam dignificauit altiſſimus: quod cum eſſet veri hominis caro, dum viuebat Ieſus formam hominis poſſet perdere, Dei autem nũquam: non enim erat verum dicere de corpore exanimi Chriſti hoc corpus eſt homo; & verum erat dicere, hoc corpus eſt Deus.* Hæc ſanctus Bernardinus Senenſis. Cum caro illa de Virgine ſumpta, & Deitati vnita, ſit fons, ex quo riuuli gratiarum in Eccleſiæ paradiſum ſcaturiunt; & ſacramentorum principium; indecens omnino erat, vt Mater, & Virgo, ex qua Spiritus ſancti operatione deciſa eſt, Deo foret extranea, aut in inſtanti à gratia ſequeſtrata. Perpende poſtrema verba Bernardini: *formam hominis poſſet perdere, Dei autem nunquam.* Adeò exaltauit Deus corpus de Virgine ſumptum vt hæc gloria in matrem redundaret; de corpore ante reſurrectionis gloriam ſeparabilis anima, ſed inſeparabile Verbum Dei, quandoque ſine vita ſed nunquam ſine Deitate, vt inſeparatam, & indiſſolutam omni tempore ſocietatem innueret inter matrem, & Deitatem per amorem, & gratiam. Chriſtus nec mortuus potuit eſſe ſine Deo ratione carnis, quam traxit ex Maria, nec Virgo viua eſſe potuit aliquando ſine Deo, ratione carnis, quam dedit Deo, in ſeparabilem à Deo & ſacramentum Euchariſtiæ fundantem.

Cum Euchariſtia conficitur, ex vi verborũ adeſt corpus Chriſti, quod traxit ex Virgine.

D. Bernardi. Sen.

Ex carne quam mater dedit filio, perficitur totum decus, & pondus ſacramentorum.

Corpus quod accepit Ieſus ex Virgine Maria formam hominis poterat amittere, Dei autem nunquam.

Maria nunquam ſine Deo extitit.

4 Interiora arcana pectoris ſacri cœleſtis ſponſæ & intimos cogitatus introſpicit ſanctus Nyſſenus dum verba enucleat Cant. cap. 2. verſ. 2. *ſtipate me malis, quia amore langueo.* non petit in toro tapetia, aut petiſtromata, auream ve ſpondam, in qua leniter recumbat, ſed pro ſtramento, & fulcimento exigit pomum, videlicet Euchariſticum cibum pro dulci lenimento poſtulat, vt amore pene examinis, comedens cæleſtem panem reuiuiſcat. ſic Nyſſenus homil. 4. *Ex eo quod fuit particeps carnis, & ſanguinis, factus eſt malum.* Ieſus ex carne, & ſanguine factus eſt pomum palato ſponſæ ſuauiſſimum. Si verò hæc verba ſingulari ſponſæ Deiparæ cum Eccleſiæ primoribus adaptes, totius conceptus ſummam ſuggerunt. Nam ex alimento Deifico ſtabilimentum gratiæ in Maria reſultat. Vnde idem ſanctus Gregorius ante relata verba ſcribit. *Vt ſit omnino ei hic fructus pulchritudo, vnguentum dulcedo, nutrimentum, per vmbram refrigeratio, ſedes in qua quieſcitur, columna, quæ ſtabilit.* Er immediatè poſt: *vt columna præbet immutabilitatem.* Non cuique animæ tantum, dat

Sponſa optat fulcrum pomi Euchariſtici.

D. Gregor. Nyſſe.

Euchariſtia columna est, qua Maria ſtabilitur.

aut Eccleſiæ, ſed potiſſimum Deiparæ, fructus arboris vitæ in ipſa, tãquam in paradiſo, & cæleſtis Regis topiario plantatæ pro fulcro gratiæ extitit firmiſſimo; hic fructus Ieſus Marianæ arboris pulchritudo, & decor, eiuſque gratiæ vnguentum, quo vngitur, dulcedo, & nutrimentum Mariæ, qui ſimul cum Dei Spiritu ipſam in cóceptu obumbrauit. Sedes extitit, in qua quieſcit Deus, dum ipſa in Deo requieſcit: hæc cæleſtis alimonia, & panis vitæ eſt: *columna, quæ ſtabilit* Mariam ne cadat in peccati voraginem, cibus ipſe fulcrum Dei genitricis ipſam roborans, & firmans. Non ſic Eua comedens pomum, cecidit enim in laqueos criminis, & cænoſum peccati gurgitem, non enim habuit cibum Angelorum, fructumque vitæ, qui eam fulciret.

Eua admonetur, vt teneat arborem vitæ ſicut tenuit Maria.

5. Ideo Euam hortatur ſanctus Ambroſius, vt teneat arborem vitæ firmiſſimè, ſicut tenuit Maria, cui vitalis alimenti eſt gratia refuſa; apprehendit Eua arborem mortis, cum malè ſuadæ ſerpentis ſibilo inclinauit aures, vetitumque pomum infelix decerpſit; at noua Eua omnium viuentium vita immortalitatis mater robuſtâ, & inconcuſſâ manu tenuit lignum vitæ, quod in vteri ſui paradiſo plantauit altiſſimus. Sed audiendus eſt Mediolanenſis Antiſtes ad ea verba Cantic. cap. 3. verſ. 4. *tenui eum nec dimittam.* Dum Euam, & Mariam comparat lib. de Iſac, & anima cap. 5. dicẽs: *Tene ergo & tu anima ſicut tenebat Maria, & dicite mihi eum, nec dimittam, cum dicebant ambæ, teneamus te: vade ad Patrem, ſed non relinquas Euam, ne iterum labatur, tecum eam ducito, iam non errantem, ſed arborem vitæ tenentem, tecum rape tuis pedibus inhærentem. Tecum aſcendam, noli me dimittere, ne iterum ſerpens venena ſua fundat, ne iterum quærat femineum mordere veſtigium, vt ſupplantet Adam.* In Eua totius infelicitatis exordium, quòd non apprehendit arborem vitæ, cuius applicata complexibus, nec ſerpens calcaneo eius dentes infigeret, nec venena diffunderet, nec criminis labem, nec mortis reatum ad poſteros deriuaret; ideo eam imbuit conſilio ſanitatis Ambroſij eloquij Pater, & Doctor, vt ſeſe innectat pedibus Chriſti, teneat arborem vitæ Ieſum tanquam vitis propago clauiculis fidei, & ſeſe infigat amoris lacertis. *tene ergo & tu ſicut tenebat Maria.* Quæ ideò non eſt lapſa, quia in Chriſto radicata, fructui ſuo ſemper adhæſit, ideo Mariæ calcaneum ſerpens non momordit, nec originalis veneni maculis eam aſperſit, quia firmiſſime Chriſtum tenuit, lignum vitæ, quod bonus agricola Pater in terra benedicta vteri virginalis inſeruit, vt primitiuos fructus radicationis, ſtabilitatis, & gratiæ genitrici ſuæ contra ſerpentis virus afferret. Pulchrum ſpectaculum Ambroſiana verba proponunt, fructum & lignum vitę in Eccleſię viridario, eiuſque trunco, & ſurculis innexam, & firmatam Deiparam: vt clariſſime cernas originalis gratiæ ſtabilimentum in Maria, ex vitali arboris alimento exortum.

D. Ambroſi.

Maria non cecidit, quia in arbore vitæ firmata

Mariæ ſtabilitas à Chriſti ſanguine, & Cruce.

DISCVRSVS VIII.

Sola Deipara redemptæ, & præſeruatæ gaudet inſignibus in ſua conceptione, habens pro baculo Crucem, ne caderet; pro munimine ſanguinem Chriſti, ne primum peccatum eam tangeret.

1. DEdit poſtremò Mariano monti ſtabilimentum & firmamentum filij ſui ſanguis, & Crux, ne commoueretur, aut labaſceret in communis peccati inquinamentum. In Nili fluminis ripas exponitur infans Moyſes; ſed piæ matris ſedulitas famulata eſt ſpecioſo infantulo, ne immergeretur fluctibus, arculam conſtruens bitumine linitam ne per rimulas intrarent fluctus. Exodi cap. 2. verſ. 3. *ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice.* Septuaginta legunt *arculam.* alij: *nauem.* In arcula, naui, & fiſcella beatiſſimam Virginem agnouit Sanctus Ambroſius in caput 6. Apocal. in ſigillo tertio ſcribens: *Per fiſcellam ſcirpeam beata Virgo Maria deſignata eſt. Mater ergo fiſcellam ſcirpeam, in qua Moyſes ponebatur præparauit, quia ſapientia Dei, quæ eſt Filius Dei, beatam Virginem elegit, in cuius vtero hominem, cui per vnitatem perſonæ coniungeretur, formauit. Per bitumen vero, quod ab aquis ſolui non poteſt, virginitatem Beatæ Mariæ, quæ nullo æſtu carnali violari potuit intelligere poſſumus. Per picem autem, quæ cuſtos eſt bituminis, humilitatem cuſtodem cæterarum virtutum.* Sed non eſt prætereundum acumen Alberti Magni, qui per lituram arculæ Dei protectionem agnouit, qua vndique clauſa eſt, & munita Deipara, ne aquarum vel peccati originalis fluctus in eam irrumperet, in caput 1. Lucæ ad ſalutationis Angelicæ exordium *Aue*, myſtice fatur: *Maria ſignificatur per fiſcellam ſcirpeã, in qua vagit noſter Moyſes, verus legiſlator, & Dux, & liberator populi: quæ bitumine linita fuit intus præſentiâ Deitatis; extra, continentiâ perpetuæ caſtitatis, ne alicubi ſubintraret aqua, & ſubmergeretur flumine noxæ.* Extra caſtitas, intus Deitas tuatur Mariam, ne fiſſuram inueniret peccati ſtillicidium, & fluentum qua poſſet irrepere. Nec ſine myſterio fiſcella vocitatur ſcirpea, vel herba ſine nodo, de qua Terentius in Andr. in fine: *inimicus nodum quærit in ſcirpo*: Generis humani hoſtis nodum originalis peccati quærit in ſcirpea Mariæ fiſcella, ſed non inueniet. Ioſephus addit fuiſſe papyraceam lib. 2. antiquit. cap. 5. inquiens: *Excogitauerunt tale quiddam lectulo è papyro contexto.* Et Plinius de papyro inquit lib. 13. cap. 11. *Semine nullo aut vſu eius alio, quam floris ad Deos coronandos.* Quia Virgo fructum non dedit hominis grauata ſemine, ſed Deifico opere germinauit florem diuinum, qui dixit, ego flos campi. Ad hoc Maria Spiritui ſancto inſeruiuit, ad coronandum Deum humanitatis diademate; non vt diabolum coronaret triumphantem, dum in Maria criminis erigit vexillum. Firmiter contexta

Lect. LXX.
D. Ambro.

Fiſcella ſcirpea in qua repoſitus Moyſes Deipara eſt.

Bitumen, & pix virginitas & humilitas.

Alber. Magn.

Mariana fiſcella bitumine Deitatis obſtructa, ne aqua peccati originalis intraret.

Cur fiſcella vocatur ſcirpea?

Terent.

Ioſep.
Fiſcella papyracea.
Plin.
Flos papyri ad Deos coronandos.

texta eſt, & compacta fiſcella virginea & theca, & repoſitorium Deitatis, ne innatans huius mundi æquore fatiſceret, ſolido obturata eſt bitumine gratiæ ne tenuia ſpiramenta inimicum peccati ſuſciperent imbrem. Sed quis limus tenax, & ſolidus, Marianam arculam bituminans, arcens peccati fluentum, niſi ſanguis Chriſti, qui eam ſtrenue obſtruxit? Vnde ad ea verba: *liniuit eam bitumine.* legit Hebræus cum Oleaſtro: *Liniuit luto rubro, quod creta vocatur.* Vt terra rubra, & purpureus bituminis color ſanguinem Chriſti innuat, qui eam à peccati originalis colluuione protexit.

Lect. Hebr. Oleaſt.

Linitur luto rubro denotāte Chriſti ſanguinem.

2. Perſcrutatur Iacobus Chriſtopolitanus Epiſcopus, cur ferculum geniale conſtruxit Salomon de cedris Libani; Et reſpōdit ad ea verba Cantic. 3. verſ. 9. *ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani?* Ex Spiritus ſancti inſtinctu de tabulatis cedrinis, & non de altera materia, aut ligno conſtructum eſt, vt Deiparam adumbraret, eiuſque ineffabilem puritatem. Do tibi verba doctiſſimi Præſulis ex Cantico ſuo quarto mutuata. *Rex Salomon, & Pacificus Chriſtus fecit ſibi lectulum, & ferculum, & tabernaculū maternum ex lignis candidiſſimis, & puriſſimis libani ſcilicet ex carne ſ..bina incorruptibili; quā ante animationem ſanctificauit, & ex anima cedrina veneni ſerpentis fugatiua, quam in illa carne creando ſanctificauit, & omnibus gratijs, & virtutibus ornauit: & totam perſonam in eodem inſtanti creationis, vnguento myrrhæ ſuæ paſſionis perunxit; quia illa gratia, qua anima Virginis fuit in principio ſui eſſe ſanctificata, & infuſa, ipſi data fuit ex meritis paſſionis Chriſti.* Tota Mariæ ſanctitas corporis & animi ſupra niueam Libani montis albedinem candidi, à peccato originali in primo inſtanti conceptionis immunitas, ex vnguento myrrhæ prouenit, hoc eſt, Chriſti ſanguine, & paſſione.

Iacob. Chriſtopoli.

Maria ferculum ex lignis Libani fabrefactum.

Maria anima cedrina dicitur, quia ſerpentem in ſua cōceptione fugauit.

Maria in primo inſtanti creationis vnguento myrrha paſſionis Chriſti peruncta.

3. Lætitiā exulto, dum Salomonē auſculto in ſcena amoris, & epithalamio Virgineum vterum Mariæ vocitātem frumentariam horreum. Cant. cap. 7. verſ. 2. *venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* ſed in ipſo non tantum tritici congregauit Deus cæleſtem annonam, ſed pyroporum theſaurum, & purpureas ſanguinis, & rubicundas gemmas, ex quibus Spiritus Dei myſterium incarnationis conficeret, ipſeque Filius carbunculatos vniones pignerauit, ad expenſas redemptionis humanæ. Vt eos poſtmodum purpureis de vulnerū fontibus effunderet. Pulchre Albertus Magnus de vteri Deiparæ laudibus ſcribit in cap. 10. Lucæ; *Hac eſt vrna: in quam manna celeſte colligitur. Vrna inquam, aurea ſplendore gratiæ, capax cæleſtis panis: in quam grana ſanguinis, & ſata puræ ſimilaginis ſunt collecta ad diuini, ſacramenti confectionem.* Coaceruantur in vtero Virginis grana ſanguinis rubini immaculati, & mundiſſimi ſanguinis guttulæ; hæc gemmata lilia ſunt rubicundi coloris, quæ Mariam ſepiunt, præbentque Dei genitrici imperuium ſerpenti munimentum. Rabbi Salomon cum apud Genebrardum hanc Cantici ſententiam diſcutit, expromit ſermone maiora, quàm eius comprehendat animus. *Ecce* (inquit) *ſponſus ingreditur thalamum, cor eius meditatur thalamum, & præ ardore ſponſaliorum ſuorum ad mundandam eam accedit. Reſpondet Eccleſia: guttam ſanguinis inſtar ſinapis vidi, nec momordit eum ſerpens, neque ſcorpio pupugit illum:* Venit ſponſus, vt munditiem ſponſæ refunderet, Et reſpondet Eccleſia, non indigere lauacro thalamum, nullo culpæ inquinamento aſperſum in quem virus, & maculas ſerpens non effudit. Talis fuit thalamus Mariæ, ex cuius ſanguine Deus corpus aſſumpſit, & naturam ſibi deſponſauit humanam; pro qua roſeum cruorem in patibulo profudit; vidit ſerpens vnam ſanguinis Chriſti guttam in Maria: *nec momordit eam ſerpens, nec ſcorpio pupugit illam.* Chriſti filij ſui ſanguis à ſerpentis morſu, ſcorpionis ſtimulo, & punctione reddidit immunem.

Maria vterus frumētarius horreus.

Albert. Mag.

Mariæ vterus vrna, in qua ſunt collecta grana ſanguinis ad diuini ſacramenti confectionem.

Rab. Salom. Geneb.

Gutta ſanguinis Chriſti Mariam præſeruauit à morſu ſerpentis.

4. Dedit quoque Mariano monti inconcuſſam firmitudinem Crux. Dum proſpectat, Euangeliſta Ioannes agnum immaculatum in Crucis ara litatum Deo, terebratis manibus, pedibuſque, ſacri cruoris vnda viuifica reſperſum hominem, obſeruat acutè Ieſu Matrem Cruci propinquiorem, imò adſtantem. cap. 19. verſ. 25. *ſtabant autem iuxta Crucem Ieſu, mater eius.* Quid mirum ſi adſtat Maria Cruci, cui adſtat erecto corpore diſcipulus dilectus, & Maria Cleophe? Non abnuo, ſed adſtat Cleophe quaſi ſoror, Ioannes quaſi filius Deiparæ adoptiuus; ſola Deipara adſtat quaſi mater, vt ei maius robur, & firmamentum Crux impertiretur; vt dum circumſpicis virginem filio, & Cruci propinquiorem, perpendas Crucē aduerſus ſerpentis fallaciam pro Virgine propugnantem; & nobilioris redemptionis infulis, matrem patientis filij ex patibulo decoratam, vt iuxta Crucem Dei genitricem cernas ſemper adſtantem, nunquam cadentem. Hanc perpetuam, & indeficientem firmitatem Maria prædicat Eccleſiaſtici eloquio cap. 24. verſ. 17. *quaſi cedrus exaltata ſum in Libano.* Et ſubſcribit Hugo Cardinalis: *Pes Crucis Dominicæ fuit de cedro: & Beata Virgo quaſi fixa ſemper aſtitit pedi Crucis.* Semper adhærens Cruci extitit vt in hoc baculo flucta Iordanis huius ſeculi ſecura pertranſiret, hoc malo Deiparæ cymba naufraga non immergitur peccati originalis fluctibus, ſed Spiritus flabro aſpirante, appulit gratiæ portum. Nec mireris Beatam Virginem fixam ſemper aſtitiſſe pedi Crucis, quia Spiritu Dei agnouit propter Crucis robur à peccato non fuiſſe deiectam, ex eaque emanaſſe perpetuum ſtabilimentum.

Crux Mariæ num montem ſtabiliuit.

Hugo Card.

Maria ſēper firmata in cruce.

5. Sub Crucis vexillo militans & redempta Deipara introducitur magno verborum choragio in Salomonis cantico cap. 8. verſ. 5. *ſub arbore malo ſuſcitaui te.* Sententiam adaptant communiter Patres Dei genitrici, & arborem malum pro Cruce accipiunt. *ſub arbore malo* (inquit Rupertus) *vbi te ſuſcitaui, ſub ligno Crucis, vbi te redemi.* Excitatam, aut ſuſcitatam nuncupat, & redemptam, non quia ſomno criminis conſepultam ſuſcitauerit poſt ruinam; ſed quia ex nihilo creatam, ſupra apicem Angelicæ, & humanæ naturæ matrem euexerit, non ſuis meritis excitatam, ſed Chriſti Cruce, & gratia. Dicitur ſuſcitata ſub malo quia dum matrem creat, humanam prouehit naturam ad filiorum Dei conſortium, & æternæ hereditatis. Philo Carpathius Epiſcopus legit: *ſub malo excitaui te, & confirmaui:* & lectionem acutè perpendit ſcribens *Hæc malus ſalutifera, ſi ad arborem reſpicias, Crux eſt humanæ ſalutis auctrix, in qua ſalus mundi, auctorque pependit: ſi verò ad pomum eius ac fructum ſuauiſſimum, atque ſanctiſſimum, de quo ſæpe iam diximus*

Maria ſub cruce ſtabilita & confirmata.

Rup.

Philo.

diximus, cœleſte totum, & ſalutare malum, corpus eſt Ieſu Chriſti, ſalutariter nobis ab eo datum in eſcam ſcilicet, & potum, ſub myſtico pane, ac vino, ex quo quidem Chriſtianos omnes ſanctiſſime paſcit, ac beat. In hoc caſtiſſimam ſibi ſponſam ad amorem excitat, vallat, ac firmat. Parentem ſuam Ieſus in Cruce non ſolum firmat, ſed confirmat. Preme Philonis verba poſtrema. *In hoc caſtiſſimam ſibi ſponſam ad amorem excitat, vallat, ac firmat.* Quæ non tantum de Eccleſia, ſed potiſſimum de Deipara accipienda. Mariæ cœlum, & mons vberrimus, & floriger, dum fundatur, columna Crucis ſtabilitur, ne impellatur, aut commoueatur ad lapſum. Sanctiſſimam ſponſam, & matrem, Crux paradiſi lignum, & ipſe Ieſus, qui tanquam pomum pependit in ligno, corpore ſuo, & ſanguine obuallauit Marianum montem contra peccati, & Dæmonis incurſus; ſe ipſum filius verberibus, ſentibus, ferreis clauis, lanceæ cuſpidi expoſuit velut firmiſſimum propugnaculum, vt tutaretur parentem, & ſeruaret immunem originariæ labis. Ipſemet Cruci ſuffixus Deiparam firmauit, ne violenta hoſtis manu, aut vlla peccati labefactari poſſet iniuria: à Cruce excitatur Maria in amorem filij, vt beneficium redemptionis, & præſeruationis ſuæ nunquam intermoriturâ colat beneuolentia.

Sponſa Chriſti cruce vallatur, & firmatur.

6. De Mariæ præſeruatione, & altiori redemptione, quæ in ipſa eminet, Alanus Varenius pulcrè fatur ſerm. 1. de laudibus Mariæ: *Tota pulchra es amica mea (inquit ineffabilis Trias) & macula non eſt in te: vere tota pulchra in quam nulla vnquam ſibi locum vendicauit macula, nullum irrepſit antiqui ſerpentis virus. Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam. Nec incuria, ſi quem alijs contracta labe infectis ipſa vna immaculata permanſit. Nec indiguit redemptore, quæ tanto honorata eſt præſeruatore. Maioris quippe virtutis eſt ſeruare, ne cadat, quàm poſt caſum, quemcumque lapſum erigere. Vtrumque autem diuini muneris eſt, non humani. Sed alterum altero maius, alterum diuinæ magis ad ſeruendum parenti, quæ nulli potuit obnoxia eſſe odio, nulli ſui filij indignationi.* Alios filios Adæ erexit Dominus poſt ruinam, ſolam Deiparam roborauit, præſeruans, ne caderet vt ſublimiori gratiæ poteſtate eam redimeret.

Maria à peccato originali præſeruata, altiori modo redempta eſt.

7. Ideò immaculata Virgo pectus ſuum ornat, & munit inſigni redemptionis, Cruce nimirum, Cantic. cap. 1. verſic. 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi* In vtraque dictione, botri, & Cypri latet myſterium. Cyprus Hebraicè eſt copher: *Botrus redemptionis*; Et pro verbo illo: *Botrus*: eſt in eius radice Sachal, vt notat Lexicon Complutenſe: *Significat (inquit) ſupponere in modum Crucis, vnde apud Chaldæos, & Indos Crux dicitur* משכל *maſchal.* Itaque Deipara, quæ in hoc Cantico fatur, Ieſum, & Redemptorem ſuum inter vbera collocat, ſicut vbæ botrum ligno adhærentem, clauis percuſſum, botrum inquam, ſuæ redemptionis ſingularis. Appendit pectori botrum in modum Crucis, vt inſignia ſuæ redemptionis oſtentet. Quia tanto plus pro matre crucifixus, & mortuus, quanto eam digniori charitate dilexit. Iure ergo Dionyſius Carthuſianus in ea verba Cantic. cap. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, Vulneraſti cor meum*, inquit, *quanto quis ad maiorem beatitudinem eſt electus, tanto amplius videtur Chriſtus pro ipſo paſſus. Cùm itaque ad excellentiſſimam felicitatem, & gloriam, digniſſima Virgo electa ſit ab æterno, nonne pro ipſa, pro eius amore, pro eius ſalute, ſpecialiſſimè crucifixus eſt filius eius, & ipſa veriſſime dicere potuit illud Apoſtoli: in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Hæc Carthuſianorum decus Dionyſius. Et hæc de radicatione montis. Nunc nonnihil diſſeramus de eius exaltatione.

Maria cruce oſtentat ſuæ redemptionis, & præſeruationis inſigne.

Lexicon Complu.

Dion. Cart.

Pro amore, & ſalute Mariæ ſpecialiſſimè crucifixus Ieſus.

Marianus Mons

Exaltatus in vertice montium, & eleuatus ſuper colles Angelorum, & hominum.

LAborauit ingenium, & defluxit eloquio ſtylus, & calamus in radicatione, & fundatione montis Deiparæ, vt eius firmitatem gratiæ adſtrueret à diuinis, & humanis manantem. Nunc de ſublimitate montis diſſerendum, & exaltatione ſuper Sanctorum omnium faſtigia, & Angelorum apices, vt ea verba: *Mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles*, quæ de ſublimitate meritorum Deiparæ, & corona gloriæ, ſuprà relati Patres exponunt, de Mariano monte nouum accipiant ſplendorem.

DISCVRSVS IX.

Maria ex morte plus refulget; eique obitus non extitit ignominia, ſed gloria.

1. IN memoriam rurſus reuoco verſionem ſupra poſitam: *Erit in nouiſſimis diebus mons illuſtris, conſpicuus, & ſplendens.* Vt Marianum montem contempleris in die nouiſſimo migrationis ſuæ illuſtri ſplendore coruſcantem de diſceſſu, vt non iniuria, ſed iure prolatum æſtimes ſancti Hildephonſi alloquium ſermon. 2. de Aſſumptione: *Hæc igitur dies, in qua renata inter filias Ieruſalem, ſpecioſa reſplenduit.* Formoſa illuxit Maria aurora ex vtero Annæ, ſed ſpecioſior, & illuſtrior ex vtero ſepulcri. Ille dedit mortalem huius ærumnoſæ lucis vſuris, hoc cœlis obtulit immortalem, diuinis decoratam fulgoribus. Quid plura? Mors, & ſepulcrum Mariæ, contulit orbi decorem. Non incongruè aptabis Matri ſententiam, quæ de Chriſto, & filio profertur ab Euſebio Emiſſeno homil. 1. de paſcha, dum ſcribit: *Exultet cœlum, & lætare terra, dies iſta amplius ex ſepulcro radiauit, quàm de Sole refulſit.* Dies Mariæ natalis, quæ reddidit Deo animum, repoſuit corpus immaculatum ſepulcro, non tam ex Sole radiauit; quæ illuſtriorem præ gaudio oſtendit ſideribus vultum, quàm ex

Marianus mons in nouiſſimis vitæ ſuæ diebus illuſtris, & ſplendens.

D. Hild.

Maria in morte ſpecioſa

Euſeb. Emiſſ.

Maria ex ſepulcro amplius fulget.

Mariæ tumulo; ex quo ſplendidiſſima terræ, cœlique lampas in morte emicuit, quæ omnium cœleſtium ſpirituum auxit lumina, & terrarum orbi nouum contulit ſplendorem.

2. Cernunt Deiparam iam penè animam efflantem cœlites, & hæc verba ex eorum ore reſultant, Cantic. cap. 8. verſic. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.* De Virginis beata migratione accipit verba hæc Carthuſianus Picus illuſtri de Deipara Canticorum commentario. Sed mirum profectò eſt, quod quando puriſſimus Mariæ ſpiritus excitatus à cœlicolis, quod ex corporeis vinculis tanquam è carcere euolet, habitare dicatur in hortis: *Quæ habitas in hortis.* Et vox Hebraica גן *gan*, *paradiſum* denotat. Dum ex hac vita migrat Deipara, in paradiſo commoratur. Quamobrem? quia ſola Deiparæ diſſolutio ſine mœſtitia, & dolore, plena deliciis extitit, exundans torrente voluptatis. Maria ac ſi in Eden, & paradiſo deliciarum eſſet, & viueret, moritur. Audi Picum: *Cùm ait, quæ habitas in hortis, videtur ſenſum omnem doloris excludere; eſt enim locus voluptatis hortus, non doloris. Par erat, vt qui mortuos ſuſcitauit, infirmos ſanauit, languidos curauit, Matrem ſe vocante, ſe præſente, ſuo migrantem imperio, ab omni dolore immunem ſeruaret.* Et ſtatim: *Rectè ergo dictum eſt, quæ habitas in hortis nimirum, quæ ex hortorum deliciis exiretur ad hortum perpetuò vernantem.* Ex horto ad hortum Maria transfertur, per dulcem mortis ſoporem. Eua in paradiſo transmigrauit ex deliciis ad angores, & moleſtias mortis. Maria ex dormitione mortis iucunda, ad ſplendorem, æternitatis, & vitæ.

Maria ac ſi eſſet in paradiſo, moritur.

Pic. Carth. *Maria expers doloris, plena deliciis moritur.*

3. Sed auſcultemus voces Mariæ gratiſſimas cœlorum incolis, cùm è vita diſcedit: *Amici auſcultant.* Mariæ vox diſceſſuræ de ſæculo valde amica erat ſponſo. Melliflua matris verba, inſtar gratiſſimi concentus in Ieſu auribus reſultabant. Collige Marianas gemmas ex eius ore fluentes, iuxta ſancti Ioannis Damaſceni placitum iam ad ſuperos migratura ſic fatur oratione ſecunda: de Aſſumptione: *In manus tuas fili commendo ſpiritum meum. Animam meam tibi charam accipe, quam à peccati labe puram ſeruaſti tibi, ac non terræ corpus meum trado; Saluum, & incolume hoc ſerua, quod incolere dignatus es. Transfer me ad te: vt vbi tu viſcerum meorum fœtus es, illi quoque tibi contubernalis ſim. Ad te enim propero, qui ad me deſcendiſti.* Cui filius apud eundem Damaſcenum reſpondet. *Veni in requiem tuam benedicta mea mater. Surge veni amica mea, pulchra inter mulieres, tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata, hæc, inquam, cum ſancta illa audiſſet, ſpiritum ſuum in filij manus commendat.* Quàm ab omni ignominia aliena Mariæ mors, omnia in eius migratione ad beatas ſedes, exultatione, & Angelorum choris, & choreis plena, omnis pompa, & paratura ad mortem, & funus, felicitas; ablegatur funebre carmen, aut oratio funeſta. Creator ipſe oratoris, & Eccleſiaſtæ munere fungitur. Dum viſu ſe præbet matri hilarem, & iucundum, coram Angelis ſtipatorum, & ſatellitum more cingentibus immaculatum corpus, Mariæ animam agentis magnalia, diuinis celebrat præconiis. De Mariæ migratione idem Damaſcenus orat. 1. de Beatæ Mariæ dormitione iure prædixerat: *O miraculum ſane naturâ præſtantius! ô res ſummæ admirationis plena! mors, quæ odio, & execrationi prius erat, nunc commendatur, ac beata cenſetur, quæ olim luctum, & mærorem lacrymaſque, & triſtitiam afferebat, nunc gaudij, ac lætæ celebritatis cauſa extitit.* Horribilis vultus mortis, & inhonoratus, in iucundum, amœnum, & glorioſum in Maria commutatur, Filij mors extitit inhonora, ignominioſa, plena cruciatibus, ſannis, & probris. Omnem cultum, omnia præclara, & glorioſa morti matris filius detulit.

D. Dam. *Poſtrema Mariæ morientis verba.*

Quibus verbis filius Matrem inuitat ad cœleſtia gaudia.

Ieſus munere oratoris fungitur coram matre.

D. Dam. *Beata Mariæ mors, & gaudij plena.*

4. Rurſus amici auſcultant orationem Ieſu plenam matris laudibus in eius dormitione. Introducit Guerricus Angelos alloquentes Deiparam amore diuino languentem, ab ipſis flagitantem, vt deſideria cordis ſui ad filium perferant. Cœlorum Rex feſtinus occurrit Mariæ, vt inter amplexus, & oſcula nati mater occumbat. Hiſque verbis blanditur, & arridet Ieſus Mariæ morienti. Ea ex Guerrico Abbate accipe ſermon. 2. de Aſſumpt. Mariæ: *Veni igitur* (inquit Ieſus) *electa mea, & ponam in te thronum meum; in te mihi quandam regni ſedem conſtituam, de te iudicem decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus miniſtrauit in humilitate mea, nulli abundantius miniſtrare volo in gloria mea. Communicaſti mihi præter alia, quod homo ſum, communicabo tibi, quod Deus ſum. Flagitabis oſculum oris, quin imò tota de toto oſculaberis. Non imprimam labia labijs, ſed ſpiritum ſpiritui oſculo perpetuo, & indiſſolubili, quia concupiui ſpeciem tuam, etiam deſiderantius, quàm tu meam: nec ſatis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris.* Plena amore, & dulcedine verba. Ex quibus quàm glorioſa Mariæ mors, quæ ipſum Deum quodammodo glorificat: nec ſatis glorificatus videtur filius, donec conglorificetur Mater. Non eſt humanus auſus, ſed diuinus, quod à Guerrico profertur. Ieſu in gloria ſua exiſtenti ſine Maria nonnihil beatitatis, & gloriæ deficiebat; quod Creatori ex creatura reſultaret. Eſt ergo Mater Beatitudinis & gloriæ filij complementum.

Guerr. *Quibus verbis blanditur Filius Matri in vltima vitæ clauſula.*

Ante Mariæ glorificationem Ieſus non ſatis glorificatus videtur.

5. Libro primo Regum cap. 8. magnificus apparatus, & triumphus deſcribitur, quo ſacra fœderis arca ex ciuitate Dauid in oraculum, & ſanctum Sanctorum infertur. Ibi ſcribitur: *Tunc congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael, cum Principibus tribuum, & Duces familiarum filiorum Iſrael ad Regem Salomonem in Ieruſalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, id eſt Sion.* Et verſ. 6. *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in ſanctum Sanctorum, ſubter alas Cherubim.* Quæ verba licet Gloſſa, & ſanctus Hieronymus ab ea citatus de aſſumptione Deiparæ accipiant, at Simeon Metaphraſtes ex ſancto Damaſceno de Mariani funeris pompa, cum Angeli, & Apoſtoli feſtiuo plauſu iuſta ſacro corpori Mariæ exoluunt, & impendunt ſedulo obſequia ſepulturæ pulchrè accipit. Audi Simeonem; vel potius Damaſcenum oratione de vita, & dormitione ſanctæ Mariæ: *Cùm lucer-*

Quo triumpho arca Domini in ciuitatem Dauid inuecta eſt.

Metaph. D. Dam.

nis,

Quàm celebri pompa Mariæ cadauer in ſepulcrum ſuis deportatum.

nis, & vnguentis, intelligentibus quidem deſuper laudantibus virtutibus, Apoſtolis autem, & diuinis Patribus Deo digna cantica canentibus, diuina arca ex Sion verba Apoſtolicis manibus, & humeris, ad Gethſemane ſacrum prædium exportatur, Angelis, vt eſt conſentaneum, præcurrentibus, circumcurſantibus, ſequentibus, Angelicis pennis adumbrantibus, longè, inquam ſplendidiore, & venerabiliore facta deductione, quàm propter tranſlationem veteris illius arcæ teſtamenti Domini, vt ſacra narrant eloquia. Angelici ſpiritus humillimæ ſeruitutis exhibent obſequia Mariano corpori vitâ defuncto, cœleſtium agminum ſatellitio vallatur, huc, illuc curſitant præ gaudio, Supra veram arcam Cherubim non auro conflatiles, & efficti, ſed viui, & amore feruentes protendunt alarum velamentum, & Spiritu ſancto obumbratum corpus, alarum præbent vmbracula, vt Angelico aulæo tectum Reginæ corpus procedat in tumulum. Quanto nobilior, & glorioſior euectio Marianæ arcæ, quam Deus, qui de ipſa exauditur, tanquam de ſublimiore, & clementiori oraculo, in morte, in funeralibus, miris honoribus replet, & ſplendoribus.

Arcam corporis Mariæ Angeli pennis ſuis obũbrabant.

Guerr.

Cur Maria ſtanti, iuxta crucem Mater nuncupatur à Ioanne Euangeliſta, cum à filio mulier nominetur.

6. Acutè perſcrutatur Guerricus Abbas, cur Deipara adſtans Crucis patibulo gaudet ornati matris inſignibus. Sic eam appellitat Filius ſuus Ioannes cap. 19. verſic. 25. *Stabant autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius.* Et verſ 26. *Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem.* Sed Ieſus non matrem, ſed mulierem nuncupat, ibi verſic. 26. *Dicit matri ſuæ: mulier, ecce filius tuus.* Quæ tanti eſt cauſa diſcriminis? Cur quando ille, qui eſt Deus, & verus Mariæ filius per naturam eam mulierem vocat, ille, qui eſt filius per gratiam, nuncupat Dei matrem. Conſuluit Ioannes Mariæ decori. Merito regalibus Matris infulis Mariam decorauit, & adhærentem Cruci, quia, omni cruciatuum formidine abiecta, mortem non exhorruit. Do tibi Guerrici verba ex ſermon. 4. de aſſumptione Mariæ; *Stabat, inquit, iuxta Crucem Ieſu, Maria mater eius: plane Mater, quæ nec in terrore mortis filium deſerebat, quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imò fortior quam mors erat.* Filius Dei natus ex Virgine ad præſentiam, imò ad memoriam mortis extimuit, & expalluit: Mariæ omnis mortis timor ſublatus eſt à Cruce, & morte filij, edocta ludibrio habere mortem, erat enim morte ſuperior, & fortior Mariæ amor, qui omnes mortis ærumnas contemnebat, ſuperabat, ei namque mors non extitit ignominia, ſed gloria.

Ioannes Mariam nuncupat Matrem, quia ipſa mortem non exhorruit.

Si ante mortem filij Maria è vita decederet, ad quem locum migraret eius ſpiritus?

7. Pro Marianæ mortis ornamento à grauiſſimis auctoribus ventilatur quæſtio, an ſi Maria è vita decederet ante Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, in quam regionem migratura, in cœlumne, aut in Sanctorum Patrum colligenda faſciculum in ſinu terræ? Quæ licet ad curioſitatem, ad pietatem quoque ſpectat. In primis, antequam Ieſus cœlorum ianuam primi peccati vectibus occluſam, Cruce, & ſanguine reſeraret, nec beatitudine paradiſi perfrui, nec cœli culmina tenere Dei genitrix potuiſſet. Deſcenderet ergo ex ſententia Abulenſis, qui quæſtionem ex profeſſo diſcutit paradoxo quinto quæſt. 161. & ſequentibus, in limbum Sanctorum Patrum. Sed cum ſubterraneum Patrum habitaculum, & cuſtodia animarum tenebricoſa, fuerit pœna peccati, aut debitum originalis, & beata Virgo nec peccatum, nec debitum contraxit, pietati, & veritati ſimillimum videtur in paradiſum terreſtrem migraturam. Huius pulchræ commentationis auctor eſt Picus Carthuſianus lib. 1. in Cantic. cap. 10. dicens: *Longè amplius pietati coherere arbitror, hinc exeuntem in paradiſum voluptatis, à principio naturæ humanæ, integritati; & primauæ innocentiæ dedicatum demigraturam fuiſſe Virginem; omniformi naturalis, & perſonalis integritatis decore florentem, atque in delicioſiſſima contemplationis ſuauitate obuerſaturam,* Hæc Picus, vt non tantum poſt Chriſti necem, omni felicitate refertam exiſtimes Mariæ mortem, ſed ante Chriſti paſſionem fore glorioſam, dum ad locum deliciarum, & verè beatam regionem transferretur, in qua in ſuauiſſima contemplatione dies, & annos tranſigeret.

Abul.

Pic. Cart.

In illâ hypotheſi Maria in Paradiſũ migraret.

DISCVRSVS X.

Maria virtute corporis Chriſti, & præſentia Euchariſtiæ à corruptione ſeruatur, & ex mortalitate ad immortalem gloriam reſurgit.

1. HABET hoc ſpeciale Dominicum corpus, quod in conuiuio ſacro epulamur, vt vitam conferat cadaueribus humanis; vetuſtæ mortalitatis putredinem, & cineres diſperdat, ea exſuſcitet, ac germinare faciat ad beatam vitam, & ſempiternæ gloriæ decore, & ſplendore ornet. Si Chriſti corpus fidelibus iuſtis ſubminiſtrat gloriam, potiori iure donabit eam Matri; panis viuus æternam vitam conferet Virgineæ terræ de qua pullulauit; viuificans caro fons immortalitatis vitam, & gloriam refundet maternæ carni, de qua naſcitur; Nec caro filij dabit carnem Matris videre corruptionem, ſed efflorеſcere faciet ad immortalem vitam paradiſiacum florem, & ſplendoribus æternis vernare.

Caro Chriſti reflоreſcere facit, ad immortalitatẽ corpus Virginis Matris.

2. In ſalutis humanæ exordio, & colloquio Angelico, cum fauſta annunciaret orbi Gabriel, Mariam ſalutans, cernens eius faciem Virgineo pudoris rubore ſuffuſam, nominis ſui celebratione, & Angelico virtutum ſuarum præconio turbatam, & expauеſcentem ad tanti myſterij magnitudinem, eius animum erigit, turbationéque eximit: *Et ait Angelus ei: ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Lucæ cap. 1. verſic. 30. Gratiam Maria reperit, quam Eua amiſit: ſic inuenit gratiam, inuenit & gloriam; gratia namque ſemen eſt gloriæ. Inuenit theſaurum, & margaritam aliis, imò & ſibi. In aula Virginis regia diuitias gratiæ, & gloriæ Deus repoſuit, vt eas in homines refunderet. Ad rem igitur ſanctus Gregorius Thaumaturgus, ſerm. 2. de Annuntiat. fatur: *Hinc nobis ſapientiæ, & im-*

D. Greg. Thau.

mortalitatis ſcaturiunt fontes, qui limpidos, ac puros riuos pietatis effundunt. Vel iuxta aliam lectionem: *Hinc ſapientiæ ſcaturiunt fontes, qui claros, ac puros, immortalitatis, & pietatis effundunt latices.* Incorruptionis fons, ſcaturigo immortalitatis facta eſt humanitas Chriſti aſſumpta de Virgine, ex qua fluunt limpidiſſimi æternitaris latices, qui mortales homines faciunt petennare; habuit in vtero Maria æternæ vitæ fontem, & immenſum immortalis gloriæ tramitem, quò ſeſe immerſit: & inenarrabili lætitia perfuſa eſt, cernens corpus, quod dederat Deo, carnem infirmam à ſe donatam Verbo, perennem factam eſſe fontem reſurrectionis, ex quo ipſa in incarnationis exordio abundantius biberet, teneretque pignus corporis ſui ad immortalitatem ſuſcitandi; deinde ſacra fluenta deriuaret ad homines, quos eiuſdem gloriæ voluit filius habere conſortes.

Ex Maria immortalitatis fluenta ſcaturiunt.

In incarnationis myſterio tenuit Maria pignus immortalitatis.

3. Duo exploratores, primitias terræ promiſſæ afferunt populo ſpecioſum ruris monile, palmitem, inquam, & vuarum ſertum gemmantium. Numer. cap. 13. verſic. 24. *Pergenteſque vſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Quo viſo populus in duas factiones diuiſus eſt, alij in ſpem eriguntur obtinendæ terræ exploratæ; alij à tali ſpe decidunt, & maleuolorum, obtrectatorumque ſermunculis tota complectur ſolitudo. In diuerſis illis ſectatoribus duas adumbratas eſſe cohortes filium, & infidelium, ſanctus Nyſſenus autumat; hi nugaces exiſtimant, & aniles fabulas, cogitationes, & dogmata reſurrectionem aſſerentia; primi verò fidem adhibent reſurrectionem, & immortalitatem prædicantibus, creduntque in eum, qui tanquam vua pependit in ligno, à quo æterna vita promanat. Acutus, & diſertus eſt in hoc loco ſanctus Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſi poſtquam aſſeruit quod per dettactores portenduntur: *Incredulæ reſurrectionis, atque beatitudinis mentes.* De fidelibus ſubiungit: *Ieſus autem horum omnium Princeps erat, ad quem Moyſes reſpiciens firmam habebat ſpem, de futuris racemis confirmatus.* Quis ſit autem ille racemus populo demonſtratus dilucidè expendit: *Racemus enim ex ligno dependens, quiſnam alius erit quàm is, qui in nouiſſimis ſæculis ex ligno pependit? Cuius ſanguis, potus factus eſt credentibus ſalutaris.* Nonne poterat Moyſes confirmari de præſenti racemo, quem in pertica ſuſpenſum deferebat Ieſus Naue, & conſpicuum exhibebat? Cur Moſaica ſpes proſpectat racemos futuros, vt accipiat ſtabilimentum? *De futuris racemis confirmatus.* Sciebat ſuperno afflatus numine ſanctiſſimus Vates humani generis aſſertorem in racemo adumbratum, qui tanquam vua in prælo Crucis expreſſus ſalutares latices ſanguinis funderet, vt Eccleſiam irrigaret, ideò ſacra altaria tanquam torcularia proſpectabat, è quibus diuinum muſtum ebibunt fideles, & roborantur ad æternæ vitæ participationem: *Cuius ſanguis potus factus eſt credentibus ſalutaris.* De his ergo racemis ſpes reſurrectionis, & futuræ vitæ in Moyſe confirmabatur, præſciebat namque animi ſalutem, corporiſque glorioſum decus ex Euchariſtico potu deriuari. Si præſens vmbra Moſaicæ ſpei tale contulit fulcrum, ſi race-

Myſterium botri ab exploratoribus deportati.

Ex viſa vua alij fidem adhibent immortalitati, alij in incredulitate permanent.

D. Greg. Nyſſ.

Ieſus Princeps credentium de futuris racemis confirmatur.

Racemus Ieſus eſt in ligno ſuſpenſus cuius ſanguis in Euchariſtia potatur.

mus futurus tale robur præſtitit Moſis pectori; quare firmamentum donaret Marianæ ſpei racemus præſens non clauiculis, ſed clauis illigatus ligno; ideò ſtans iuxta Crucem Maria introducitur, vt in ipſa ſpem reſurrectionis tanquam erectam columnam ſemper ſtabilem proſpectes; ad præſentem racemum Filij ſui, & ſanguinem reſpiciens Maria firmam habebat ſpem reſurrectionis Filij, & virtute carnis, & ſanguinis ipſius ex morte ſuſcitandam.

Maria ſtans, iuxta crucem de præſenti filij racemo confirmatur ad fidem reſurrectionis.

4. Commune lectulum ſponſi, & ſponſæ commendat Salomon, atque accubitum florum varietate ornatum ſuauiſſimis repletum odoribus. Cantic. cap. 1. verſic. 16. *Lectulus noſter floridus.* Piiſſimus Guillelmus lectulum accipit ſepulcrum, in quo recubuit Dominus, & Deiparam introducit fantem de ſepultura ſua, & Filij tumulo, his verbis: *Ergo* (ait Maria) *die tertia refloreſcet caro tua. Erit lectulus tuus floridus. Lectulus ſcilicet ille, in quo caro tua per triduum requieſcet in ſpe. Lectulus ille tuus, nonne, & meus? Nempe per maternum ero tibi commortua, & conſepulta affectum. Ergo lectulus noſter floridus, id eſt refloreſcente carne tua vernabit floribus nouæ reſurrectionis.* Accubitus ille ſepulcri, in quo Ieſu caro requieuit, vt ſactum mortis captaret ſomnum, extitit quoque lectiſternium, in quo cum filio accubuit Mater; ſi eadem cenſetur Matris, & filij caro, fuit conſors mortis, & tumuli, cum per maternum affectum commoritur, & conſepelitur; ideò cum Ieſu iacente in ſepultura, & requieſcente, & innitente ſuper reſurrectionis ſpem, Maria conſepulta iacebat expectans reſurrectionis gloriam. Quid plura? Chriſti corpus iacens in monumento, & Mariæ cadauer accumbens in ſepulcro ſuo, flores ſunt, quos falce ſua ſuccidit mors, ſed non marceſcunt occaſu, potius ſpe breuis reſurrectionis vernant. Aptè legit Varablus locum Canticorum expendens: *Lectulus noſter vmbroſus.* In qua verſione ſectatur Septuaginta ſeniores. Aquila legit: *Virens, viridis, floridus.* Flores illi paradiſi puluere ſepulcri ſati, & in illius vmbra commorantur, vt cito reuireſcant, amœnitate æterni viroris ornati. In caligine mortis tanquam in acclinatione opaca floſculorum, & frondium, ſpei aura gratiſſima, & cœleſtibus ſpirationibus incorruptionis recreantur. Et non abs re *vmbroſus lectulus* nuncupatur Mariæ ſepulcrum; quia virtus altiſſimi, quæ contra libidinis ardorem inumbrauit Mariam, cum in ea operatur Incarnationis myſterium, & Virgineum florem illibatum cuſtodiuit. Corpus Virginis alarum ſuarum protexit vmbraculo, ne videret corruptionem, vnde hoc incorruptionis munus, & reſurrectionis inſulæ veniunt à corpore, & carne Chriſti: preme poſtremam Guillelmi ſententiam: *Ergo lectulus noſter floriens, id eſt refloreſcente carne tua, vernabit floribus nouæ reſurrectionis.* Carne Chriſti refloreſcente in ſepulcro, caro Virginis in ſpe refloruit, cum caro, quæ aſſumpta eſt ex Virgine, Virginis corpori adhuc viuo poſt mortem, poſt occaſum repromittit reſurrectionem è tumulo, & tanquam agrum plenum glorioſis dotibus velut pulcherrimis, & ſuauiſſimis floribus vernaturum.

Guillelm.

Lectulus ſepulcri in Chriſto, & Maria communis.

Refloreſcente carne Chriſti ad vitam immortalem, caro Maria ſpecialiter refloruit.

Lect.
Lxx.
Aquila.

Virtus altiſſimi corpus Mariæ à corruptione immune ſeruauit.

5. Non

Guillelm.

Ieſu & Mariæ commune priuilegium incorruptionis.

5. Non prætereo tacitus eiuſdem Guillelmi pulchram annotationem ad ea verba Cantic. 1. *Tigna domorum noſtrarum cedrina.* Quo in loco vberrima menſura Mariæ laudes, & magnalia admetitur. Inquirit argutè, cur non dixit Ieſus, *Tigna domus meæ*, ſed, *domorum noſtrarum?* & ſibi ipſi occurrit diſertè: *Quia non tantum domus Ieſu, ſed & domus Mariæ hoc priuilegium commune fuit, eo quod Ieſus os ex oſſibus, & caro ex carne Mariæ fuit: ideò enim corpus Matris propter corpus filij, cum corpore filij à generalis lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conſeruatum fuit.* Pluralitatem domuum ſcripſit Salomon, vt commune priuilegium immunitatis à putrilagine notaret in Ieſu, & Maria; domus Mariæ hoc eſt eius corpus, ædificata eſt propter domum Ieſu, & quia dedit filio oſſa, carnem, & vitam, contulit domus Ieſu, hoc eſt eius caro, corpori Mariæ, & domui perpetuæ incorruptionis munere lætari.

Corpus Matris propter corpus filij perpetuæ imputribilitatis gratia conſeruatur.

Propter corporis incorruptionem Maria vocatur à filio amica.

6. Inquirit Hugo de Sancto Victore ad ea verba Cantic. cap. 4. verſic. 7. *Tota pulchra es amica mea.* Cur Filius amicam ſuam, nuncupat matrem? Et reſpondet argutè, titulo matris ornaſſe Deiparam propter honorificentiam fœcunditatis, & amicæ blandimentis appellaſſe propter virgineum decus incorruptionis. Do tibi illius verba ex tomo 2. ſerm. de aſſumptione Mariæ: *Prior te genuit* (inquit Victorinus Hugo) *amica tua mater, & Virgo Maria, poſtea de te genita eſt amica tua mater, & Virgo Eccleſia. In carnem veniens factus eſt filius ſponſæ tuæ matris, & virginis corpore. In carne moriens factus eſt genitor ſponſæ tuæ Virginis fide. Naſcendo, de ſponſa tua accepiſti ſubſtantiam infirmitatis; moriendo, ſponſæ tuæ dediſti ſacramentum incorruptionis.* Duas ſpouſas habet Ieſus, & matrem, quam nominat amicam, quia florem Virginitatis in corpore illibatum cuſtodiuit; & Eccleſiam fide Virginem incorruptam; habet Mariam matrem, cum Ieſus ab ea naſcitur; at Eccleſia amica à Chriſto procreatur, cum ipſe in Cruce moritur; de coſta, & latere aperto ſecundi Adami morientis, noua Eua viuentium mater oritur. Illam ſententiam Hugonis poſtremam ad examen voco: *Naſcendo de ſponſa tua, accepiſti ſubſtantiam infirmitatis; moriendo, ſponſæ tuæ dediſti ſacramentum incorruptionis.* Fateor ſponſæ Eccleſiæ dediſſe moriendo inuiolatæ fidei myſteria, & archam ſanguinis, vt diſponſaret ſibi perpetuo iure matronam. Comma tamen illud Victorini de Virgine matre potiſſimum vſurpo, quia ab ea Chriſtus accepit corpulentam ſubſtantiam carnis, eique præſtitit fidei myſterium corpus, & ſanguinem, Euchariſtiæ ſacramentum, quod de Chriſto moriente, & puncto latere fundente aqueos, & ſanguineos latices, manauit; & æquo iure appellitat: *Sacramentum incorruptionis.* Quia Mariæ corpori vitâ functo contulit incorruptionem, idque præſeruauit, ne abiret in putredinem, & cineres; excitauitque ad vitam, ornauit diploide iuſtitiæ; induit decore, & honore ſempiternæ gloriæ: *Sponſæ tuæ dediſti ſacramentum incorruptionis.* Dedit Maria carnem, & ſanguinem infirmitatis, & mortis, quam ipſa habebat participatam à filiis Adæ, hæc tamen aſſumpta à Verbo, & facta fidei myſterium omnipotentis Domini operatione, effecta eſt *Sacramentum incorruptionis.* Omnimodam incorruptibilitatem conferens matri.

Hugo Vict.

Ieſus moriens dedit matri, & ſponſæ ſuæ ſacramentum incorruptionis.

Euchariſtia ſacramētum incorruptionis extitit Mariæ.

7. Hæc omnia non admodum diſſona ad huius conceptus ornamenta excogitauit ingenium. Nunc lector mecum ſcande ad huius diſcurſus ſuperiora faſtigia. Vocat me Salomon ad amoris ſcenam, vt proſpectem ſacram ſponſam charitate vulneratam, & ſauciam, pallentem ore, deſtitutam viribus, & inter Angelorum brachia laſſum reclinantem caput. Accurrerunt cœlites, vt opem ferrent, & animo deſtitutam recrearent, & pararent medicamentum languori, ipſa tamen præſentiſſimum elegit pharmacum: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cantic. cap. 2. verſic. 5. inter alios Eccleſiæ proceres, qui hoc carmen de Beatiſſima Deipara accipiunt, Rupertus Abbas eminet, qui de Mariæ ſacra dormitione mortis hæc verba vſurpat, & Dei genitricem introducit loquentem: *Scitis, quia quiſque veſtrum dicit: cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, quanto magis ego, qui illum genui, cum illo eſſe cupio, Re vera non quomodocumque cupio, ſed & amore langueo.* Deſideria diſceſſus extremi in Maria languores nuncupat Rupertus, imò & mortem ipſam amoris deliquium appellabis merito, Deipara enim non ex infirmitate, aut ægritudine, ſed ex amoris diuini exceſſu, è vita migrat; ſcitè quoque de dormitione Deiparæ Picus Carthuſianus in hanc ſententiam loquitur lib. 3. in Cantica cap. 17. *Paulus nihil ſibi conſcius, diſſolui mirum in modum cupiebat, & eſſe cum Chriſto: vt dubium non ſit dilectam cum dilecto ſponſam cum ſponſo, matrem cum filio eſſe multo ardentius peroptaſſe. Quanto igitur gaudio per omnia delibutam viſcera arbitrari conuenit, vnde, quò, quo modo, cum quibus profectura eſſet, & in ſæculum permanſura contemplantem.* Itaque mors eius diuina quædam contemplatio fuit, qua amore delibuta Deipara diuini incendio concremata amoris, ad contemplanda cœleſtia, ſpiritus carnem deſeruit, charitatis ſuauiſſimum deliquium extitit, cuius affectu intermoritur, & inter amplexus, & oſcula ſponſi, & filij dilecti leniter reclinat caput, & animam in manibus eius ponit.

Sponſa ſacra deliquium, & recreatio.

Rupert.

Maria tranſitus amoris languor fuit.

Picus Cart.

Maria inſtante migratione ſua, gaudio erat deliciuta.

8. Ad rem ergo Maria edocta à Deo, inſtituta à filio, & ſui exceſſus medicamenta, ſui languoris pharmaca præſcribit, quibus ad vitam reuocetur, *flores, & mala* nimirum diuiniſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, vt myſtico vino, pretioſo filij ſanguine recreetur, eiuſque odore ad vitam immortalem conualeſcat, huicque baculo carnis Chriſti innixa, & ſuffulta, infirma, & emortua caro Virginis ad perpetuam gloriæ ſtabilitatem ſolidetur. Huius veritatis teſtem aduoco Nyſſenum, qui homil. 4. in Cantica per pomum intelligit hoc in loco corpus, & ſanguinem Chriſti: tranſcribo ipſius verba: *Ex eo quod fuit particeps carnis, & ſanguinis, factus eſt malum: ad vtrumque enim eorum licet videre in hoc fructu per colorem aſſimilationem. Nam quodam quidem candore imitatur carnis proprietatem, Ei autem illius rubor, per ſuam teſtatur ſpeciem, ſe quandam habere cognationem cum natura ſanguinis.* Carne, & ſanguine filij, amiſſas vires, & vitales ſpiritus recuperare exoptat Deipara. Amplius alij ad ea verba:

Maria, vt ex deliquio mortis ad vitam reuocetur immortalem, fulcrum quod eſt in Euchariſtia poſtulat.

D Greg. Nyſſ.

Lect. Hebr. *Vatabl.* *Vinum, quod guſtauit ſpō-ſa in conclaui ſponſi, Euchariſticum eſt.*

Fulcite me floribus, legunt, & ſapienter ex Hebræo: *Fulcite me lagenis vinaceis ; & modijs ſimile puriſſima.* Verſionem illuſtrat Vatablus in ſcholiis: *Fulcite me* (inquit) *vaſis plenis vino illo, quod guſtaui in conclaui ſponſi mei.* Nec prætereunda ſilentio verſio illa, quam affert Genebrardus in Cantica; *Roborate vaſis vitreis vino plenis.* Nec præter rem tranſlatio ita eſt, nam in primitiua Eccleſia, propter vim impendentis perſecutionis tyrannorum, Chriſti ſanguinem reponebant, & ſeruabant in vaſis vitreis aliquando fideles; id feciſſe ſanctum Exuperium Toloſæ Epiſcopum, teſtatur ſanctus Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum, dicens: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Quæ omnia notatu digna ad huius diſcurſus ornatum, forſan Deiparæ præ amore, & deliciis paradiſi languenti, & exanimatæ, in ſua migratione poſtulanti flores, & mala, offerre ſatagunt flores roſarum, aut lilia conuallium vini odori phialas, aut pyxides redolentium vnguentorum ſacræ adoleſcentulæ, aut Angelorum acies, quorum ſtipata ſatellitio ad meliorem vitam migrat, Maria verò non odoræ aquæ de floribus elicitæ imbre, irrorari cupit, nec calathos plenos florum odoramentis expoſtulat, nec pomis de paradiſi viridario allatis ſterni iubet lectulum, in quo moriens recumbit. Cupiditate flagrat illius floris, qui de viſcerum ſuorum terra virginea germinauit, & vitæ æternæ odorem inhalat: appetit pomum, quod brachiis ſuis velut pulcherrimæ arboris frondibus innexum, ſacris pendebat vberibus, de corpore candidum, de ſanguine rubicundum, vt præſtet robur, fulcimentúmque Matri, eámque ad vitam reuocet. Confortari cupit *ſimila puriſſima*, pane viuifico, qui de cœlo deſcendit; firmari deſiderat *vaſis plenis vino* Euchariſtico, ſanguine Chriſti, vino, inquam, illo, quod in cellis ſacrorum altarium, & in conclaui ſponſi ſui ſæpè guſtauerat; ſanguine Chriſti recondito *in vitreis lagenis*, corpus ſuum cadens in ſepulcro fulciat, hoc baculo panis ſuſtentet, vini ſacri odore exſuſcitet ad immortalem vitam. Sciebat enim beatæ vitæ, & reſurrectionis ineſſe immenſam virtutem in carne, & ſanguine filij ſui.

D. Hier. *Corpus Domini in vimineo caniſtro, & ſanguis in vitro cuſtodiebatur.*

Pane, & vino Euchariſtico ad vitã reuocari optat Deipara.

Mariæ corpus exanime, ad præſentiam, & eleuationẽ Euchariſtiæ, ad vitam reuocatur.

9. Deiparæ optatis filius lubenter reſpondit, vota ſua cumulauit, & auxit; voluit enim vt ad eleuationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ factam ab Apoſtolis, ſepulcrum Mariæ cingentibus, corpus eius reſurgeret immortalitatis ſtolâ ornatum; quod ita euenerit, conſtat ex traditione Græcorum Patrum, quam referunt in ſuo Horologio, cuius titulus eſt: *De exaltatione Panagiæ, quomodo facta ſit, & quare?* Verba ritualis Græci magnæ auctoritatis reſenſet Iacobus Greſtetus noſter, Promus condus totius eruditionis, & in omni literatura magnus in notis Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani, orat. de ſacris imaginibus; ſcribo quantumuis multa: *Poſt ſeruatoris noſtri tremendam reſurrectionem, & Spiritus ſancti deſcenſum, vſque ad diuiſionem Apoſtolorum prædicandi cauſa, verſabantur ſimul omnes Apoſtoli concordibus animis, & cum poſt orationem menſæ accumberent, relicto vacuo loco, in eo puluinar ponebant, & ſuper puluinar partem panis, ex quo comedebant vice, & loco Chriſti; ſumpto autem cibo ſurgentes, & precantes, & gratias agentes, accipiebant fragmentum panis in partem Domini ſepoſitum; & cum id eleuarent, dicebant: gloria tibi Deus noſter, gloria tibi, gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Ab illo tempore vſurpabant illud: magnum nomen ſanctæ Trinitatis: Domine Ieſu Chriſte adiuua me. Et hæc quidem iſto modo peragebantur, faciebat autem hoc quilibet illorum, vbicumque tandem degeret, vſque ad obdormitionem Deiparæ.*

Horol. Græ. *Feſtum panagiæ quale ſit?* *Greſe.* *German.* *Quo ritu Apoſtoli ſacrã Euchariſtiã conficerent, & eleuarent.*

10. *At quando ex toto mundo in vnum conuenerunt, ducti per nubes, propter tranſlationem Dei genitricis, & Dominæ; iuſtis perſolutis, poſt ſepulturam illius, videlicet tertia die, ſeſe refocillantes, & poſt ſumptum cibum ſurgentes; fragmentum panis, quod Chriſto ſepoſitum, & deſtinatum erat, more conſueto exaltarunt; cumque illud magnum nomen pronuntiarent; ô inopinatum miraculum; quæ mortua fuerat; viuentis inſtar, nubibus, & lucidiſſimis Angelorum choris circumdata, in ſublimi apparet. Aueie, inquiens, ego vobiſcum ſum omnibus diebus; hoc ſolatium, & gaudium verbis filij illis impertiens. Diſcipuli autem miraculo obſtupefacti, loco eius: Domine Ieſu Chriſte exclamarunt. Panagia ſanctiſſima Deipara adiuua nos.* Huc vſque Horologium Græcorum Patrum.

Apoſtolis iuxta cadauer Mariæ, Euchariſtiam exaltantibus, ipſum ad vitam redijt.

11. Quæ omnia ſunt præclara ad confirmandam Euchariſtiæ fidem, exaltationem, & venerationem ab Apoſtolis deriuatam. Illud tamen potiſſimum vſurpabis ad illuſtrandum præſentem diſcurſum, & Dei genitricis gloriam prædicandam, quod cadaueri Mariæ ſacro reſtituta eſt vita immortalis ad præſentiam, & exaltationem panis Euchariſtici: *Fragmentum panis, quod Chriſto ſepoſitum, & deſtinatum erat; more conſueto exaltarunt*, &c. *O inopinatum miraculum, quæ mortua fuerat, viuentis inſtar, nubibus, & lucidiſſimis Angelorum choris circumdata in ſublimi apparet.* Tanti ergo ſacramenti eleuationem Marianum corpus expectabat, vt ad illius virtutem decore gloriæ ornatum ſurgeret. Simul cum pane viuo, & vitali ſuperius elato, Deipara deſpiciens mortalitatem, viua, & glorioſis ſplendoribus fulgens apparuit.

DISCVRSVS XI.

Oſtentat in Maria Deus, quod non eſt perſonarum acceptator, ſed iuſtus remunerator: quia filius, matri præmia diſtribuit, non iuxta amorem, quo filius matri obſtringitur, ſed iuxta obſequia, quæ filio Mater impendit.

Deipara Maria, & Marthæ munia præſtitit.

1. VIDE ò Maria primùm dicitur mons præparatus, poſtea verò mons exaltatus, quia præparatio operationis gloriam peperit exaltationis. Maria Deo non placeret, ſi humilis, & operatoria ſolicitudo Marthæ in ipſa non adeſſet. Vtriuſque ſororis Marthæ, & Mariæ munia filio ſingulariter impendit; ideo immenſæ gloriæ decus accepit. Pulchrè ſanctus Hildephonſus

D. Hild.

ſus ſerm. 2. de aſſumptione inquit: *Quia etſi impartit præmia iuſtus iudex Christus Dominus ſecundum Apoſtolum, vnicuique iuxta opera ſua huic tamen ſacratiſſimæ Virgini genitrici ſuæ, ſicut incomparabile eſt, quod geſſit, & ineffabile donum, quod percepit; ita inæſtimabile, atque incomprehenſibile, præmium, & gloria: non dico inter cæteras ſacras Virgines, verum etiam vltra omnes ſanctos, quam promeruit.* Ipſa quoque Dei mater iuxta menſuram operum, gloriæ remunerationem adepta eſt.

Sicut incomparabile eſt, quod Maria geſſit, ita incomprehenſibile eſt præmium quod accepit.

2. Conceptum propoſitum non obſcurè inſinuat Iſaias cap. 62. verſ. 3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Et verſ. 4. *vocaberis voluntas mea in ea.* quæ verba licet de Eccleſia velint Patres, & interpretes eſſe vaticinata, de Deipara tamen vſurpat Guericus ſerm. 1. in aſſumptione ſanctæ Mariæ, dicens: *Maria, non vocaberis, ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra deſolata, vt quia Virgo ideò ſis infæcunda: ſed vocaberis voluntas mea, id eſt dilectus meus filius in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* quare verba illa: *eris corona gloriæ,* &c. de coronamentis Deiparæ glorioſis, quibus ſacratus vertex à filio cingitur, non ineptè accipies, verbaque ſancti Cyrilli, quæ de Eccleſia ſcripſit, Mariano capiti, & immarceſſibili gloriæ coronæ, iure aptabis: *fore quoque illam* (inquit Cyrillus) *valde ſpecioſam, & incomparabili gloria coronatam docet.* Et ſtatim de Eccleſia aut anima: *corona comparare licet ex multis floſculis compoſitæ: vel Regio diademati lapidibus Indicis fulgenti.* Ad huc in Iſaiæ verbis reconditur myſterium. Nouo enim nomine Maria decoratur. *& vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* quod nouum, & nuperum denominationis ornamentum? quod mater ſponſa, Virgo, Regina, quibus Deipara nuncupari conſueuit? minimè gentium: *vocaberis voluntas mea.* O nouum, ſingulare, ſed ſuauiſſimum nomen. *Voluntas Dei* Maria nuncupatur. Hæc Deiparæ maxima amplitudo: diuinæ voluntati fuiſſe obſequentem. Vt ex duplici, & glorioſo principio dignitas Dei matris in Mariam reſultet; & quia Deum genuit, & quia Deo obediuit. Acumen eſt Guerrici Abbatis, qui vt ſententiam Iſaiæ expendat cum ſententia Chriſti comparat. Ieſu enim ad populum verba facienti, cum eſſet denunciatum, ſuos adeſſe parentes: *dixit autem ei quidam: ecce mater tua.* Matthæi cap. 12. verſ. 47. inter alia in hæc verba reſpondet. verſ. 50. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Nunc aptè prodit conceptum ſuum Guerricus ſerm. 4. de aſſumptione Mariæ dicens: *Itaque Mariam, quæ ſecundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem ſibi Ieſus probat, quandoquidem ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater: vocaberis voluntas mea.* Decoratur inſigni matris Dei, non tantum ex conceptu, & partu, ſed etiam ex obſequio: dum generat Deum, Dei genitrix nuncupatur, ſed Maria dum obtemperat Patri, & in omni voluntate eius obſecundat, iterum parturit filium, & vocatur Dei mater; titulus vterque maternitatis Dei glorioſus, ſed primus ſine ſecundo non placeret. Ideo Iſaias dum præmiũ Mariæ & coronam gloriæ propoſuit, nouum Mariæ nomen de theſauris diuinitatis enunciauit, vocans eam obſequentem; obtemperantem voluntati Patris; vt cernas ad immenſæ gloriæ ſublimia euectam ex operibus, ex obſequio. Et vtrumque decus Mariæ, & filium Dei parturientis & mandata Dei exequentis corona gloriæ fuiſſe donatum.

Maria nuncupatur voluntas Dei.

Guerr.

D. Cyr. Alex.

Maria ineffabili gloria coronata.

Voluntas Dei Maria vocatur quia Dei voluntati obſequentiſſima.

Guerr.

Maria duplici titulo mater quia filiũ Dei peperit, & quia voluntati patris obediens.

3. Herbis, floribus, aromatibus ſacrorum montium Palæſtinæ ſeſe comparat diuina ſapientia, & in ijs recenſet Deipara ſpeciem ſuam & formam. Eccleſiaſtici 24 verſ. 19. *quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam in plateis.* quam ſententiam de Mariæ Virginis glorioſa exaltatione accipit Hugo de ſancto Victore tom. 2. ſerm. 47. in aſſumptione Beatæ Mariæ, ſcribens de platano: *Platanus à latitudine foliorum dicta eſt, vel quod ipſa arbor patula ſit & ampla: folia autem bona opera ſignificant, quemadmodum enim veſtitur, & ornatur ſuis folijs, ſic & iuſtus operibus bonis. Benè ergo Beata Dei genitrix velut platanum iuxta aquas extitiſſe dicit, quia donis irrigata diuinis, in bonis operibus dilatata ſemper fuit.* Vnde ſuper Angelorum apices euecta Deipara; in cæleſtis Ieroſolymæ plateis iuxta voluptatis Deificæ riuulos exaltata prædicatur; ampliſſimis patuliſque foliis dilatata, eximiis ornata virtutibus, vt iuxta meritorum dilatationem, Marianæ gloriæ decus, & ornamentum in paradiſo Dei augeatur. Quantum verò Maria glorietur operibus, ſtatim ſubiungit Victorinus Hugo: *Hinc eſt quod poſtquam nuntium Angelicum, quod Dei mater eſſet, accepit, illico in montana Iudææ ad Elizabeth, quam concepiſſe audierat, perrexit, non vt verbum Angeli mulieris atteſtatione probaret, ſed vt mulieri prouectæ ætatis, virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet.* Agebatur intus à Deo, quem conceperat, vt alacris, & volucris ad montana conſcenderet, feminæ prouectioris ætatis obſequium humile præſtitura. Nec Dei plenè ſe matrem putauit, niſi dignitatem ineffabilem operibus comprobaret. Extitit Dei genitrix, dum eum in vtero carne veſtiuit, ſed eiuſdem filij mater extitit dum eius obtemperans imperio, Eliſabeth ſanctæ officioſam exhibet clientelam. Exaltetur ergo platanus Maria in paradiſo Dei, de operoſa ſeruiture, de ſeruili miniſterio: *in bonis operibus dilatata ſemper fuit.*

Hugo Vict.

Maria comparatur Platano, quia in bonis operibus dilatata.

Hugo Vict.

Maria cum ad apicem Matris Dei euecta eſt, Eliſabeth impẽdit obſequium

4. Difficili nodo ſtringuntur verba Geneſis cap. 48. verſ. 22. cum Ioſephum ſuum, Iacob pater hereditate prætulit reliquis fratribus, & portionem optimam, & ſelectam teſtamento reliquit: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Si litteram ſectemur, facile diſſoluitur, ſi ſcias hãc partem in partitione terræ ſanctæ eſſe *Sichimã* vt legunt Septuaginta, & affirmat Euangeliſta Ioannes cap. 4. verſ. 5. *Venit ergo Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Veruntamen ſi iuxta altiorem ſenſum curioſã ſcruteris indagine, quæ ſit iſta portio, quæ paternã legatione donata eſt Ioſepho; magna varietas eſt ſacrorum interpretum: ſanctus Baſilius in Pſalm. 59. Iudæorum inquit eſſe teſtamentum; ſanctus Hieronymus Oſeæ cap. 6. & ſanctus Ambroſius lib. de benedict. cap. 3. opera bona aſſerunt eſſe Sichimam, Ioſephi hæreditatem. Audi ſanctum Ambroſium. *Heredem ergo bonorum, benedictionibus operum ſanctũ Ioſeph præ cæteris elegit cuius opera fratres æquare non poterant.* At ſanctus

Iacob in diſtributione paternæ hæreditatis Sichimam dedit Ioſepho.

Quid portio iſta donata Ioſepho donatur.

D. Baſil.
D. Hier.
D. Ambroſ.

Ioſeph heres bonorum operum quæ notantur in Sichima.

Bernardus in catena Lipomani, Eccleſiam Sichimam eſſe cenſet. Sed pulchrior, & diuinior profundiſſimi Ambroſij commentatio, qui in commentario Pſalmi 41. Sichimam cenſet eſſe Deiparam. Cuius verba attexo verè aurea: *Hac Sichima Maria eſt, cuius animam gladius Dei tranſit, & diuidit. Hæc Sichima eſt aſcendens, ſicut interpretatio habet. Quæ ſit aſcendens, audi dicentem de Eccleſia: quæ eſt, quæ aſcendit dealbata innitens ſuper fratrem ſuum? Hæc eſt actinoſa, quæ Græcè ἀκτινώδης dicitur, quod fide, operibuſque reſplendeat: cuius filius dicit; opera veſtra luceant coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et rectè Ioſeph ſancto, decore charitatis conſpicuo, qui inter cæteros fratres ſplendidis operibus velut matutinum illuxit ſidus; ſorte hæreditatis, & felicis donationis obtigit virgo illibata; operationum ſuarum ſplendoribus Eccleſiam ornans, & illuminans.

D.Ambr.

Sichima Deipara eſt ex Ambroſij ſententia.

Sichima aſcendens, & actinoſa interpretatur.

5. Sed premamus, & illuſtremus Ambroſiana acumina. Maria appellatur *Sichima* id eſt *aſcendens*, vel *matutinans*, ex Hebræo; quia reſurrexit ſicut aurora, & tanquam Sol alter ſcandit æthera, & in ſolium Deitatis inuehitur, vt noua lux exoriatur cælicolis, nouum gaudium, & tripudium; tunc *actinoſa, & operibus reſplendens* à Beato Ambroſio appellatur; vt in Maria, decus, & ornamentum magnificæ gloriæ, Marianæ fidei, paſſionis, & operationis perpendas extitiſſe prouentum. Et mirum valde eſt, quod in eius aſcenſu, non de generatione, aut parturitione inpræſentiarum, quod Deum maternis viſceribus clauſerit, ſed de actione: *Hæc eſt actinoſa*: Sed de luminibus fidei, ſplendoreque virtutum: *Quod fide operibuſque reſplendeat.* Ab Angelis commendetur. Quia Dei genitricis beatitudo bonorum operum merces eſt, & corona iuſtitiæ. Cui conceptui bellè conſonant reliquæ tranſlationes. Septuaginta legunt: *Do tibi Sichimam præcipuam.* Sic legit ſanctus Ambroſius lib. de benedict. cap. 3. & in Pſalm. 41. *Sichimam magnificam.* Quia Deipara Sichima præcipua, & magnifica portio eſt, *quæ optimam partem elegit.* Optima autem pars Mariæ eſt, non ſolum eſſe Dei matrem, ſed eſſe actinoſam, operibúſque decoram. Aliter tranſtulit ſanctus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, & ſanctus Thomas: *Sichima transfertur in humerum. Pulchrè alluſit ad nomen dicens, & ego dabo tibi humerum vnum.* Maria firmiſſimum cœli fulcrum, quæ ſimul cum filio velut cœleſtis Atlas, orbem naturæ, gratiæ &, gloriæ humeris ſuis ſuſtinet. Nec diſſentit Ambroſius verbi *Sichem* fidus interpres: *Interpretari tamen poſſumus per Sichimam, humeros ſignificari, per humeros opera.* Rectè Maria vocatur humerus, in tantum enim de operibus gloriatur, quod in cœleſti atrio conſtituta, & ab operibus non quieſcat, velut ſupponat humerum ad laborandum, & operandum.

Decus Mariana gloria à fide, & operibus prouenit.

Lect. Lxx

D.Ambr.

Maria Sichima magnifica, & præcipua eſt, quæ optimam partem elegit.

D.Hieron.

D. Thom.

Sichima humerus dicitur.

Maria humerum ſuppoſuit ad laborandum.

6. Maria cum in cantico ſuo magnalia Domini, & beatitudinem ſuam celebraſſet, omnia ſua attribuit ancillari obſequio. Lucæ cap. 1. tympaniſtria noſtra cantauit, verſ. 48. *Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes.* Ex quo ergo beatam, & beatiſſimam deprædicabunt te omnes gentes, omnes nationes, quæ ſub cœlo ſunt. Vnde felicitaſti te ô Deipara? ibidem præloquitur: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Itaque ex humilitate ancillaris obſequij omnia bona Mariæ promanarunt, in hunc locum Albertus Magnus appoſitè inquit: *Ancilla, quæ ad omnem nutum parebat, & circummouebatur: ad omne obſequium Domini parata. Et hoc eſt quod dicitur Canticorum quinto: manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Aurum enim in manibus, ſplendorem diuinæ ſapientiæ ſignificat in operibus. Tornatilitas obedientiam volubilem ad omne ſignum voluntatis. Hyacinthi, qui cœleſtis coloris ſunt, in omnibus his cœleſtem intentionem, &c. Et ideò congruum huius meriti ſequitur præmium. Ecce enim ex hoc beatam me dicent.* Ancillabatur Maria Deo diuinis operibus, ad nutum voluntatis eius ad cœleſtia obſequia conuolabat, ad ictum oculorum filij, & beneplacitum Dei, affectum, & opera optabat, vt voluntas, & manus eius circinatæ viderentur vt ad Dei rotarent obſequium. Hæc ancillulæ humilis miniſtratio beauit Mariam, coronaria Deiparæ extitit, & ex meritorum, & operum floſculis inſeruit ſacro vertici gloriæ corollas. Beata Mariæ ſeruitus, quæ æternæ mortis exilio multatos ſeruos manumiſit, & in æternam libertatem inuexit. Ex multis Maria beatificata eſt, ex virginitate fœcunda, ex immenſa matris Dei dignitate, ex electione diuina, quæ ad Deitatis conſilia promouenda euexit feminam. Ipſa verò Deipara ancillati miniſterio omnem beatificam gloriam aſcribit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Vt cùm reſpicis Mariam miniſteria exequentem, cernas Deum, eius opera coronantem.

Beatitudo Mariæ ex humili obſequio.

Albertus Mag.

Ancillare munus in Maria eximium.

7. Iubet Deus, Cherubico ſatellitio cingi arcam fœderis, & extenſarum pennarum protegi vmbraculo. Exodi cap. 25. verſ. 20. *Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero, vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas.* In arca Deiparam innui, nemo eſt, qui ambigat. Affirmat ſanctus Ambroſius de ſanctis ſerm. 25. *Arca intus, foriſque auri nitore radiabat, ſed & ſancta Maria intus, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat. Illa terrena ornabatur auro, iſta cœleſti.* Sed myſticæ arcæ, & thecæ in qua Dei gaza reconditur, rimemur arcana. Cur Cherubim alas ſuas ſuper arcam protendunt? Sat erat cultus rationi, venerabiles vultus modeſtè ſubmittere, capita inclinare, ſummam adhibere reuerentiam. Si firma optatur cuſtodia arcæ, Cherubim præſidio; hinc inde adſtant arcæ lateribus, vtrinque eam caſtra Angelica circumdant, vt omnes arceant incurſus hoſtiles. Quid neceſſe eſt pennarum integumenta ſuper arcam expandere? Oſtentant Cherubim manus, & alas extenſas ſuper arcam; quia Mariæ arca ſplendore nitens æternæ felicitatis, de obſequio, & operibus gloriatur. Commentationem, quam de Arca ſcribit Clemens Alexandrinus, de Maria libenter vſurpo, lib. 5. ſtromat farur: *Significas quietem, quæ eſt cum ſpiritibus glorificantibus, quos ſignificas Cherubim. Alæ autem ſunt miniſteria, & operationes ſublimes. Vox autem eſt grata mentis gloria in contemplatione, quæ non poteſt ceſſare.* Dum inter ætheræ aulæ Cherubicos, & Seraphicos milites Mariæ arca requieſcit, ex ea tanquam ex Angelorum, & hominum oraculo vox auditur lætitiæ, & actionis gratiarum, gratæ mentis memoria, & gloria, recolens beneficia, & dona, quibus eam ornauit altiſſimus; ſed

D. Ambr.

Maria arca intus, & foris deaurata.

Cur Cherubim alas protendunt ſuper arcam?

Maria in cœleſtibus, de operatione gloriatur.

Clem. Alexand.

Alæ ſunt miniſteria, & operationes.

ſed manus, & alæ extenſæ plus eminent, *quia miniſteria, & operationes ſublimes oſtendit*, quibus gloriam promeruit.

Tranſlatio filiæ Pharaonis à Salomone facta, aſſumptionem Mariæ adumbrabat.

Albert. Magn.

8. Feſtiuitas tranſlationis, quam inſtituit Salomon amicæ, & dilectæ ſuæ filiæ Pharaonis deſcribitur lib. 2. Palip. cap. 8. verſic. 11. *Filiam vero Pharaonis tranſtulit de ciuitate Dauid, in domum, quam ædificauerat Dei.* In hac tranſlatione ſponſæ Salomonis, adumbratam exiſtimat Dei genitricis aſſumptionem in cœlum, Albertus Magnus ſerm. 31. de ſanctis, qui eſt primus de aſſumptione Beatæ Mariæ, ibi ſcribit: *Igitur verus Salomon videlicet Dei filius, tranſtulit hodie beatam Mariam ſororem ſuam, matrem, & ſponſam de ciuitate Dauid, hoc eſt de Eccleſia militante in domum ſpecioſiſſimam, quietiſſimam, ac eminentiſſimam, vtpote ſuper omnes Angelorum ordines fabricatam. Et verè decebat, vt illa, quæ erat virtutum decore ſpecioſiſſima, & bonis operibus opulentiſſima, & pace cordis quietiſſima; necnon & diuina contemplatione eminentiſſima, talem domum inueniret.* Et ſtatim ſubiungit: *Nota de prædicta domo, in qua Rex Reginam dicitur tranſtuliſſe, quod erat, ſicut Magiſter dicit in hiſtorijs, marmore, cedro, argento, & auro, opulentiſſimè decorata. Per aurum intelligitur inæſtimabilis charitas, per argentum mundiſſima virginitas, per cedrum ancillaris humilitas; per marmorem martyrij aſperitas, per quæ Beata Virgo, licet quamplurimis alijs virtutibus ſuffulta fuiſſet, ſpiritualiter transferri meruit in domum ſibi a Deo mirificè præparatam.* Hæc Magnus Albertus. Nec calamum temperare valui, quin omnia tranſcriberem. Quia ſermones non cuique erunt obuij. Et mirificè oſtendunt Ieſum, Marianorum operum iuſtum remuneratorem.

Maria bonis operibus opulenta.

Maria bonis operibus promeruit domū cœleſtem.

Discvrsvs XII.

Mariæ eleemoſynæ, & opera pietatis erga Ieſum, in cœlis gloriâ, & honore coronantur.

1. AD magnæ matris miſericordiæ viſcera libens appropinquo, ex quibus fluunt riui pietatis in orbem totum exundantis, ſed abundantiores emanarunt in filium, chariſſimum Patris pignus, quod præ Angelis, & hominibus Maria plus dilexit: in diuitem, & pauperrimum propter nos, in ærumna, laboribus, egeſtate conſtitutum, miſericordiæ opera impendit ſedula mater; quorum copioſam frugem in cœlis colligit: propoſitâ æterni Patris nimiâ charitate, & pietate, filium ſuum hominibus largientis, ſtimulat Clemens Alexandrinus miſericordiam humanam, vt de copiarum affluentia, diuites pauperibus diſpertiant, & communicent. Sic enim inquit lib. 2. Pædagogi cap. 12. *Produxit autem genus noſtrum ipſe Deus ad communicationem, cum ipſe prior ſuum filium impertiit, & ſuum Verbum omnibus commune ſubminiſtrauit, & fecit omnia pro omnibus. Sunt ergo omnia communia, ne plus quàm alij ſibi vendicent diuites.* Et ſtatim: *Illud magis charitatem arguit, adſunt mihi, cur non impertiar pauperibus? qui enim talis eſt, eſt perfectus, qui hoc impleuit, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: hæ ſunt veræ deliciæ, hic eſt pretioſus theſaurus.* Hoc mandatum præſtantiſſimè adimpleuit Deipara, bona ſua faciens communia, filio præbens alimenta, & integumenta pauperimo Deo: hoc theſauro pretioſo, his deliciis veris perfruitur Maria in cœleſti aula. Sed ne inexaminatam relinquas Alexandrini altiorem ſententiam: *Ipſe prior ſuum filium impertiit, & ſuum Verbum omnibus commune ſubminiſtrauit, & fecit omnia pro omnibus.* Vberrimos diuinæ beneficentiæ fructus percipit homo, dum omnia bona cœleſtia, & terreſtria ei largè diffuſeque donauit. Sed fortiori nexu amoris, & gratitudinis adſtringitur benigniſſimo Deo, cum Verbum ſuum, filium ſuum vnicum, & ſingulare homini tradit: cupit ergo Clemens, huius benignitatis, & clementiæ, ſingulariſque beneficij gratiam memori mente Deo perſoluat homo, copias ſuas pauperi diſtribuens: hæc enim miſericordiæ opera, tanquam quid ſibi gratiſſimum exigit Deus. Sed humana natura ſummis beneficiis honeſtata par pari exoptabat altiori pietatis miniſterio. Cùm ecce tibi Maria Deipara pro omni munere Dei in nos diffuſo, dignas grates perſoluit, pauperemque Deum dum vtero ſuo hoſpitatur tunicis Adami pelliceis induit, ſedulo nutrit, pro omni Dei benefacto recompenſat.

Clem. Alex.

Homo creatus, vt de ſuis facultatibus aliis communicet.

Perfecta dilectio eſt ſubuenire pauperibus.

Clem. Alex.

Deus filium ſuum impertiit, & fecit omnia pro omnibus.

Maria pro omni munere in nos diffuſo grates perſoluit.

2. Miſerationes magnas, & eleemoſynas copioſas contulit Deus Adamo, tanquam pauperi, & inopi. Sed ſciſcitari licet, quis maiora beneficia, & munera pietatis accepit primus Adam à Deo? an ſecundus Adam à Maria? In hac diſceptatione ſententiam protulit pro Deipara Sanctus Bernardinus tomo 1. ſermon. 61. art. 1. cap. 11. Cuius verba tibi do libens: *Sola enim benedicta virgo Maria plus fecit Deo, vel tantum (vt ſic dicam) quantum fecerit Deus toti generi humano. Credo enim certò, quod mihi indulgebit Deus, ſi nunc pro Virgine loquar. Congregemus in vnum, quæ Deus homini fecit: & conſideremus, quæ Maria virgo Domino ſatisfecit.*

Maiores eleemoſynas contulit Maria Deo quam Deus Adamo.

D. Bernard.

Plus Maria fecit Deo, quā Deus homini.

Munera Dei erga Adamū, & Deipara erga Deum, conferuntur.

3. *Primò namque Deus formauit hominem de limo terræ: ſed Maria formauit eum de puriſſimis ſanguinibus ſuis, & puriſſima carne ſua, quæ præualet omnibus rebus mundi.* *Primum munus.*

4. *Secundò Deus impreſſit in hominem decorem imaginis ſuæ: ſed glorioſa Maria impreſſit in eum imaginem ſuam, nam ſicut ipſa erat pulchrior omnium fœminarum, ſic Ieſus eſt pulchrior & ſpecioſior formâ præ filijs hominum.* *Secundum munus.*

5. *Tertiò Deus fecit hominem ſine paſſionibus famis, ſitis, caumatis, frigoris, & conſimilium: ſed ſedula mater Ieſu, & præ cunctis hominibus pia, omnibus paſſionibus eius occurrebat, ſcilicet fami, ſiti, nuditati, frigori, calori, ſicut ſtatus pauperrimus exigebat: & hoc cum maxima patientia ſua.* *Tertium munus.*

6. *Quartò, veſtiuit Deus hominem pellicea veſte: ſed virgo benedicta veſtiuit eum in præſepio ſuis pauperculis pannis, & proceſſu temporis tunicam inconſutilem ei fecit, qui præualuit omnibus veſtitibus mundi.* *Quartū munus.*

7. *Quintò docuit Deus hominem ſapientiam, ſed ſapientiſſima, & prudentiſſima virgo Maria docuit Chriſtum puerilia nociua fugere, & ſequi eam.* *Quintū munus.*

8. *Sexto nutriuit Deus hominem de fructibus paradiſi, ſed beatiſſima virgo nutriuit Chriſtum de ſuo ſacratiſſimo lacte, vbere de cœlo pleno, cuius minima ſtilla præualet omnibus fructibus paradiſi terreſtris, ac totius mundi.* *Sextum munus.*

9. Redden

Plus fecit Maria Deo, quam homini Deus.

9. *Reddendo ergo ſingula ſingulis, quæ fecit Deus homini, & quæ fecit Deo beata Virgo: videbis quod plus fecit Maria Deo, quàm homini Deus: vt ſic pro ſolutio dicere liceat, quod propter beatam virginem, quam tamen fecit Deus, quodam modo plus obligetur nobis, quam nos ſibi.* Hæc piè, & acutè Senenſis Bernardinus. Quæ quia diuiniora ſunt ad commendanda pietatis opera, quæ filio mater impendit, piaculum ducerem ſi non omnia tranſcriberem, aut iniuriam inferrem ſi intacta non relinquerem.

10. De cœlorum regia Chriſtus inuitat Mariam ad ineffabile gaudium, & immarceſſibilem gloriæ coronam, vt ſæculum, & lacrymarum conuallem, ſentibus obſitum derelinquens, ad æthereæ regionis culmina aſcendat. Cant. c. 4. *Veni de libano ſponſa mea, coronaberis*, &c. Ex Ruperti placito Ieſus cum Maria fatur: *Cùm reſurrexero a mortuis, atque coronatus gloria, & honore reſurrectionis immortalitatis, ſedenſque ad dexteram Patris, tunc demum, & tu coronaberis.* Commemorat poſtea multiplex Dei matris coronamētum ſempiternæ gloriæ, propter opimas manubias, & victrice dextra de hoſtibus reportata trophæa. Stat Regina à dextris Regis in veſtitu deaurato, & diademate aureo ornata, magnificis, quales decent Dei filium, celebrat Chriſtus, laudibus matris vbera, & mammas, quæ lacte Virgineo lactauerunt Deum. Sed præcipuè vnguentorum veſtimenti eius diuina odoramēta, quæ cœli aulas complent iucundiſſimâ ſuauitate. His odoribus recreatus ſpōſus inquit ibidem verſ. 10. *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Sed vnde tam odorifera ſponſa, gratius odoramen fundens, Sabæis aromatibus? Ex miſericordia, & pietate, quæ ſuauiſſimum Deo, cœlicoliſque odorem halat. Audi Rupertū de Mariæ eleemoſynis fantem: *Quæ ergo ſunt vnguenta tua ſoror mea ſponſa: eleemoſynæ tuæ, quas expendiſti in me.* Et ſtatim: *Hæc enim ſunt aromata vera, vnguenta pretioſa, eſurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, ſitienti potum præbere, hoſpitem ſiue peregrinantem colligere, nudum veſtire*, &c. *Super omnia hæc aromata eſt odor vnguentorum tuorum, id eſt ſuauitas eleemoſynarum tuarum, quia non vt cæteri in mēbris meis, ſed in memetipſum tu mihi munificentiſſima extitiſti.* Inter æthereos aulæ cœleſtis accubitus, & reclinatoria ſpōſi ſuauem afflant odorem miſericordiæ opera, quę Chriſti pauperibus impenduntur in hoc ſæculo peregrinantibus; ſed ſuper omnia aromata, odoroſiorum faſciculos, & pretioſa vnguenta redolent Mariæ eleemoſynæ, quæ egeno Ieſu contulit, iiſque recreantur cœlicolæ.

Maria in cœlo coronatio. Rupert.

Odor vnguētorum Mariæ, quæ cælos replet ſūt eleemoſynæ quas contulit filio, Rupert.

Alij pietatis opera impendunt membris Chriſti, Maria ipſi Chriſto.

Nicol. Card. *Merita eleemoſynarum, quas contulit Maria Ieſu, quibus ex principiis acceperint incrementum.*

11. Ea opera ad examen vocat Cardinalis Nicolaus de Cuſa, & ingenij ſui acumine librat meritorū pondera lib. 4. exercitationum ex ſermone: *Maria optimam partem elegit*, ſic inquit: *Cùm gradus habeant illa opera ex maiori charitate, vel quia magis indigenti, vel magis digno indigenti, vel ex maiori effectu impenſo. vel ex magis neceſſario, & minus ſuperfluo: hæc omnia in ſummo in Maria virgine concurrebant, quia in ipſa maxima charitas, & omnium creaturarum maximè indigenti tribuit: quia nemo inter viatores pauperior Ieſu, digniſſimo pauperi tribuit, quia nemo dignior mendicus quàm Ieſus, maximum effectum miſericordiæ impendit, quia loco bonorum miſeris captiuis dedit Deum in pretiū, famelicis in viaticum, laborātibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipſo dedit regna cœlorum. Non fecit opera miſericordiæ de ſuperfluo, ſed de neceſſario, filio ſuo pauperrimo, & peregrino de proprijs ſanguinibus tunicam polymitam fecit, in gremio vteri ſui, hoſpitio ſuſcepit, de proprio corpore cibauit, & lactauit.* Ex his circunſtantiis, in Deiparę pietatis operibus, augebatur meritorum cumulus, vt cōmenſurarentur poſtea beatificæ gloriæ gradus, & regiæ coronę ornamenta.

12. Adeò prona Deipara in miſericordiæ opera, vt Deum ipſum, qui eſt per eſſentiam pietas, ad impēdenda opera miſerationis excitet, & inflectat. Inuitatur Ieſus ſimul cum matre ad celebrandas nuptias. Cum architriclinus epulum lautum, & ſplendidum comparaſſet: *Et deficiente vino: dicit mater Ieſu ad eum: vinum non habent.* Ioā. c. 2. v. 3. quid angeris ſobrietatis, & tēperantiæ parens, defectu poculorū vini, & meri: Commota ſunt materna viſcera, vt daret potū ſitientibus, ne iniuriæ, aut defectus notā obſcuretur apparatus conuiuij; optat, vt ſit plenū, & redundans opus pietatis, materniſque verbis clementiam reſonantibus, pietatis Chriſti pulſat ad ianuā, vt de theſauro diuinæ poteſtatis, vini riuos in hydrias effundat. Sed inſolitū poculū, & miſticum vinū ſimul mater poſtulabat; quod ſitiētibus, vitæ potionē ſubminiſtret. Acutè Seuerus in catena Græcorum Patrum inquit: *Volens itaque Chriſtum ad miſerendū inflectere, dixit: vinum non habent, ita vt parum abeſſet, quin ipſi præciperet myſticum illud myſteriorum vinum depromere, quocirca illi Ieſus reſpondit: quid mihi, & tibi mulier, nondum venit hora mea: qua ſcilicet præſtātius illud, myſticumque vinū depromam, nondum, inquam, tempus eſt, donec crucem ſuſtinuero, ſanguinēque meum libauero, & ſpiritus ille conſolator in terra cōmoretur.* Vbi Maria adeſt, in menſa, in qua Dei genitrix accūbit, & magnæ miſericordiæ mater, nec alimenti, nec potus poterat vllus eſſe defectus, quia ſitientibus, & egētibus dare potū, operatio miſericordiæ eſt, ſolicita prouidet vinum ſympoſio, vini poculum Ieſu:, & reliquis conuiuatoribus, ſuis precibus ſubminiſtrās. Ex tunc Mariæ largitas, metas humanæ pietatis tranſiliēs, & diuinæ contermina, poculum Euchariſticum ad reſtinguendam ſitim, & hominis appetentiā fidelibus commune ſedulò flagitat, & velut Domina, & regia regij ſanguinis diſpenſatrix, filiū ſuum materno conuenit imperio, vt de cellariis amotis, & clementiæ vinum myſticum depromat, quod Adami ſitim reſtinguat: *Parū abeſſet, quin ipſi præciperet, myſticum illud myſteriorum vinum depromere.* Ex hac Mariæ liberali miſericordia, conuiuis potionem largiēte, Euchariſticum potum in poſterū prouidente, capiti, & corpori Eccleſiæ, diuini honoris prouētus vberrimi reſultarunt. Incrementum gloriæ Ieſu, & Mariæ, ibidem Ioan. c. 2. v. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriā ſuam.* Glorificata eſt mater Ieſu, vt annotat Chryſoſt. in catena Græcorū Patrum in Ioānem: *Optabat enim* (inquit de Deipara) *iam hominibus gratiam conciliare, vt & ipſa clarior filij gratia efficeretur.* Abfuit à Deipara inordinatus affectus gloriæ, vel leuiſſimum ambiendi honoris, & famæ veſtigium, ipſum tamen opus miſericordiæ filio ſuo, & membris eius exhibitum à Dei matre, ei peperit in hac vita celebritatis amplum decus, in cœlis immortalem dignitatem, & gloriæ exaltationem: *Vt & ipſa clarior*, aut illuſtrior *filij gratia efficeretur.* Pietas in hoc ſæculo Mariā coro

Maria ad opus pietatis excitat filiū.

Seuer. Cat. Græc. *Maria in nuptiis Cana Galilææ, myſticū vinum Euchariſtiæ poſtulat à filio.*

Vbi Maria adeſt, nec ſitis, nec defectus eſſe poteſt.

Maria ex poſtulato vini clarificatur. D. Chryſoſt. Cat. Græc.

coronauit;filius in cœleſti manſione ſacrũ Matris miſericordiæ cinxit caput mitra honoris æterni.

Virgines prudentes ornatæ oleo pietatis occurrunt Chriſto, & Mariæ.

15. Ex denario Virginum numero quinque imprudentes contumelioſis verbis de ſpóſo affectæ, dum limen vitæ,& ianuas cœleſtes attingẽtes imparatæ,& inornatæ, extinctis lampadibus veniũt: at prudẽtiã prædita Virgines magnam olei paraturam,ornatas,& ardẽtes lampades attulerunt, ad ſponſi,& ſponſæ comitatum, & ad eius nuptias, dignæ Regis,& reginæ encomiis,Matth.c.25.v.4. *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cũ lampadibus.* Oleum,inquã,pietatis, & miſerationis in egenos,vt exponunt Patres, hæc opera inter ſodales,& adoleſcentulas ſponſæ,diuinis ſplendoribus fulgent, in cœleſtis gloriæ thalamo coronantur, arridet valde quod *Exierunt obuiam ſpóſo,& ſponſæ.* ibi.v.1.vt filium,& matrem,in Virginũ prudentum occurſu cernas,regalem thalamũ,cœleſtes nuptias inter Ieſum, & Mariam contẽpleris nuptiales Seraphim tedas Spiritu ſancto accenſas, caſtoſque hymenæos. Venit ad nuptias Maria ad beatitudinis reclinatorium,& gloriæ thalamum,filij ſuauia libatura, & eius amplexibus potitura; ſed venit fulgentem,& flãmantem lampadem portans ſcilicet Ieſum,in cuius vtero Saluator eius, vt lampas accenſus, & vt ſplendor ex ea iuſtus eius egreſſus eſt, vt verbis Iſaiæ vtar c.62. attulit quoque vas olei,& vnguenti pretioſi immenſæ miſericordiæ, quod Spiritus ſanctus in Mariæ gremium infudit, quam ipſa impendit filio, vt ſupereffluẽs,in filios Adæ effunderetur. Pulchre Seraphicus Doctor in ſpeculo Mariæ lect. 7. inquit: *Maria plena eſt vnctione miſericordiæ,plena oleo pietatis.Vnde ipſa ſignata eſſe poteſt per illam mulierem, cui clauſo oſtio domus ſuæ,omnia vaſa intus congregata facta ſunt miraculosè oleo plena,ſecundum quod Eliſæus ei prædixerat dicens: Cum plena fuerint,tolles:mulier iſta eſt Maria: huius mulieris vaſa ſunt affectus,& effectus deſideria, & beneficia, quæ omnia olei miſericordiæ plena ſunt in Maria.Vnde de hoc oleo B. Bernardus bene ait:Nec mirũ, ô Domina, ſi tam copioſo oleo miſericordiæ cordis tui perfuſum eſt ſanctuarium: cum illud ineſtimabile opus miſericordiæ, quod prædeſtinauit Deus ante ſæcula in redemptionem noſtram, primum ſit in te à mundi artifice fabricatũ: dicamus ergo Chariſſimi,dicamus Mariæ:date nobis de oleo veſtro:petamus oleum miſericordiæ eius in mundo,ne fruſtra petamus in iudicio.* Hæc S. Bonauentura.Dum miſericordiæ opus maximũ impendit filio mater,cum; induens carne,tribuens ei ſanguinem,in eius vtero repoſitũ eſt pretioſum vnguentum pietatis, quod è cauernis ſuis petra Chriſtus clauis ſuffoſſa, in redẽptionem hominis effudit immortalitatis pharmacum, & omnium languorum ſalubre medicamen. Et rectè oleum Maria nó in vaſe,ſed in vaſis portat,quia affectus, & effectus pietatis, quæ contulit filio: *Omnia oleo miſericordiæ plena ſunt in Maria.* Hæc vaſa prudentiſſima virgo geſtat,cũ lãpade filij ardente,& ſpóſo ad gloriã vocanti læta occurrit in cœlorum regno, vt æternæ beatitudinis accipiat remunerationem.

Deipara braviũ diuinũ intrat, fulgentem Ieſu lãpadem portans.

D.Bonau. Maria plena oleo miſericordia.

Oleum miſericordiæ à Maria efflagitandum.

In Abraham affectus pietatis, erga pauperes in cœlis perſeuerat.

14. Percunctatur S.Chryſol. cur Lazarus mendicus vita defunctus deportatur ab Angelis in ſinum Abrahæ?cur Abrahæ gremium factum eſt pauperibus pietatis hoſpitiũ è vita decedentibus? Et reſpondet ſer.121. *Non immeritò fratres ſua nunc omnes ſanctos ſuſcipit in requie, & in ipſa cœleſti beatitudine fungitur diſpenſatoris officio,quia dum ſemper hic ſuſcepit peregrinos,& pauperes, ipſum cũ Angelis ſuſcipere Deum,ipſum ſub tentorio ſuo videre hoſpitem meruit,quem ſemper habuit largitorem.* Loquitur acutus Chryſalogus de affectu pietatis, & amoris erga pauperes non de effectu hoſpitalitatis:in cœlis vbi exulat ægritudo, & ærumna, non eſt munus hoſpitandi. Ad rem ergo habuit fidei pater in tabernaculo ſuo hoſpitalem domum, qua ſuſciperet honorificè,& tractaret liberaliter lauto epulo,pedum lauacro egenos,& vagos, meruit ſub quercu Mambre excipere hoſpitio Angelos,& Angelorũ Dominum,in cœleſti gloria conſtitutus non reliquit hoſpitalitatis affectum. Abrahæ pectus, & ſinus gratis,liberaliterque venienti pauperi patet, affectu hoſpitandi pauperis glorioſus in cœlis hoſpitali pietate coronatur,nec iã ſolus Abraham hoc liberali ornatur affectu, Maria Deipara poſt obitum ſuum,ad ſuperos aſſumpta,in regio throno ſeſſitans,cœleſti, & terreſtri imperitans orbi, recipiendi in cœleſtibus manſionibus filios ſuos, pauperes ſuos, perfungitur munere,dum eos hinc deſcendentes, in cœlum migrantes, ſuo ſuſcipit gremio,fouet ſinu, ligat ſuis lacertis, aut miniſteria Angelorum colligit. Acutè Guerricus Abbas ſerm.1.de Aſſumpt.Mariæ,expendens verba Iſaiæ c.62. *Habitabunt in te filij tui*,de Deiparaque exponit,& ſubiungit: *Beata mater illa Chriſti,quia mater chriſtianorum ſe agnoſcit ratione myſterij: Cura quoque ſe matrem eis præſtat,& affectu pietatis.* Et poſtea: *Nunc habitamus in adiutorio matris Altiſſimi, poſtea in conſortio gloriæ ipſius, tanquam in ſinu ipſius confouebimur, nullatenus autem credideris maioris eius eſſe felicitatis,& gloriæ habitare in ſinu Abrahæ, quam in ſinu Mariæ.* Quanto maior nunc felicitas filiorum,& pauperum,qui moriuntur in Chriſto,quod læta,& alacris eis Deipara occurrat,ſuo excipiat, & foueat ſinu, quæ ipſum ſuſcipere Deum,ipſum ſub tentorio vteri ſui nouem mẽſibus habere hoſpitem meruit, quæ ſuſcepit hoſpitio Dei filium per naturam, aſſumat in cælis Dei filios per gratiam, vt quoties ſuã exercet functionem in aliis, filius Dei nouum cultum, & venerationem monſtret exhibendam matri,quia cum hoſpitali vteri domo ſuſcepit,& opera in eum pietatis impendit, quæ omnia noua gloria toties remunerat, quotiẽs operationes pietatis exercens in aliis, illud maximum miſericordiæ opus,quod contulit in Deum, nouo decore, & ſplendore reddit matrem refulgentem.

Maria clientes in ſinu ſuo fouentur in cœleſtibus.

DISCVRSVS XIII.

Propter nobiliſſima miniſteria, quæ ſunt velut Dei admiratio, Seraphim ſtupor, exaltatur Maria ſuper omnium ſpirituum vertices; quia Deum carne induit,geſtauit vtero,pannis inuoluit, & Virgineis nutriuit vberibus.

§. I.

Glorioſa Mariæ exaltatio, quia Verbum Dei vtero portauit.

1. MAGNIFICAM Deiparæ gloriam nouis infulis decoratam, ex decore diploidis, qua cinxit Deum,& velut in pompæ nobili ferculo ex vteri virginei baiulatione, nouos, & ſingulares Mariæ titulos triumphorum, lætabundus promulgo. Feſtina virginis gaudia ſacro hymno celebrat Regius Pſaltes pſ.31.v.8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* De Deiparæ glorioſa reſurrectione exponit Iuuenalis Ieroſolymorũ Antiſtes, vt refert Glycas 3.p. annal. dicens: Iuuen. Glyc.

Maria glorioſa reſurrexit, quia filiũ Dei in vtero portauit.

dicens: *Nam quia norat Dauid eam, quæ Chriſtum vtero ſuo geſtaſſet, ac illam ipſam ob cauſam arca ſanctitatis eſſet, atque nuncuparetur, eodem pacto reſurrecturam ex ſepulcro, quo & natus ex ipſa Chriſtus Dei filius, & Deus reſurrexit: idcirco non abs re, conſimilem vtriuſque reſuſcitationem ex mortuis, multo antè quaſi pictura quadam expreſſit: Surge Domine.* Sicut ſingulare eſt, quod Iuuenalis affirmat, ita virgini valde glorioſum, cum in modo reſurgendi de ſepulcro Chriſto, & Marię tribuit æquabilitatem; Sicut enim Ieſus, ſic & Maria corpore, & animo ſurgit de tumulo, nec ſublato lapide, nec confractis foribus ſepulcri. Nec indecorum fuit vitæ, & reſurrectionis auctori in hoc ſibi matrem conſtituere parem, vt in ipſa Mariæ reſurrectione eius virginitas monſtraretur, in lapidis, & tumuli integritate: *Eodem pacto reſurrecturam è ſepulcro, quo & natus ex ipſa Chriſtus Dei filius, & Deus reſurrexit.* Vt in omnibus virgineus nitor luceat; Sicut enim ingreditur, & egreditur clauſo vtero, & reſurgit infractis repagulis ſepulcri, ſic Maria ex virgineo tumulo ſuſcitaretur ad vitam. Sed hunc nonum gloriæ ſplendorem promeruit ex eodem Iuuenale, quia Deum ſuo geſtauit vtero: *Quia norat Dauid eam quæ Chriſtum vtero ſuo geſtaſſet, ac illam ipſam ob cauſam, arca ſanctitatis eſſet.*

Maria eodem pacto ſurrexit è ſepulcro, quo natus ex vtero Dei filius.

Iuuen.

Iuuen.

Maria arca ſanctificationis.

Hugo Card.

2. Hunc locum, & conceptum illuſtrat Hugo Cardinalis ſcribens: *Arca ſanctificationis dicitur beata Virgo, arca quidem fœderis, in qua fuit recondita vrna aurea habens manna, virgam & tabulas teſtamenti, vrna aurea Chriſtus homo habens manna miſericordiæ, tabulas ſapientiæ, & ſcientiæ. Hæc arca hodie ſurrexit in requiem ſuam. Et impletum eſt, quod dicitur Geneſis octauo: Requieuit arca ſuper montes Armeniæ. Armenia interpretatur mons vellicatus, & ſignificat cœlum Empyreum, vnde Angeli apoſtatæ vellicati, id eſt, euulſi fuerunt. Montes Armeniæ ſunt virtutes Angelicæ; igitur hodie ſuper montes Armeniæ requieuit arca: quia hodie ſuper omnes Angelos beata Virgo eſt collocata. Vnde Pſalmus, eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos Deus, id eſt beata Virgo, quæ te magnificauit ſuper Angelos. Dicitur arca ſanctificationis, quia continuis in ſe, id eſt, in vtero ſuo fontem totius ſanctificationis.* Magnitudo gloriæ Mariæ, quæ Deum magnificauit, ſuper omnes Angelos exaltatio, & requies ſuper montes vellicatos, hoc eſt Angelos, quorum pars cecidit, pars remanſit in originem refunditur, quia arca extitit ſanctificationis, claudens, & recondens Chriſtum totius gratiæ, & ſanctitatis fontem.

Maria ſicut arca Noe requieuit ſuper montes Armeniæ ſcilicet Angelos.

Cur Angeli dicuntur mõtes villicati.

Maria magnificauit Deum ſuper Angelos.

Maria arca ſanctificationis, quia clauſit vtero fontem totius ſanctitatis.

Coram arca ſubſilijt Dauid, cum aſportata eſt in ciuitatem Dauid.

3. Siſtit in eadem arcæ ſimilitudine S. Hildephonſus comparans Marianæ aſſumptionis celebrem pompam, hominum Angelorumque exultationem, & tripudium, cum illa qua reducta eſt arca in ciuitatem Dauid de triumphatis Philiſthinorum hoſtibus. Illud ſingillatim pulcherrimè accommodat, luſum, & ſaltationem Dauid coram arca, cum ſaltatione Ieſu coram Maria, lib. 2. Reg. cap. 6. verſ. 16. dicitur: *Michol filia Saul reſpiciens per feneſtram vidit Regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino.* Inſtat Dauidis inter Sacerdotes ſalios tripudiantis in conſpectu arcæ; Ieſum ſaltantem, & ludentem ſanctus Hildephonſus introducit: eius verba tranſcribo ex ſerm. 1. de Aſſumpt. Mariæ: *Ante quam ſanè arcam in figura Chriſti regem deuotiſſime nudum ſaltaſſe legimus, & poſt ſex paſſus hoſtias immolaſſe. Quod ſi Dauid gloriam illius, quæ euacuatur, tanto tulit honore, quoniam hæc rerum figuratarum geſta ſunt, quanto magis arca Dei viuentis, de qua natus eſt Chriſtus, Dei virtus, & Dei ſapientia, huc hodie cum laudibus effertur? Illa namque omnia vmbra ſunt futurorum: in Maria verò manifeſta veritas, ante quam Chriſtus Rex ſubſiliendo pertranſiit de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem: ſicque Eccleſiam vnà cum matre reduxit ad ſuperos.* Ante Mariæ arcam dedit Ieſus pulcherrimos ſaltus, de ſinu Patris in vterum Virginis, de vtero in præſepium, de præſepi in patibulum, de cruce in ſepulcrum, de tumulo in paradiſum: ſed ſaltatio, quam Hildephonſus annotat, eximia eſt, cum Ieſus ſubſiliens in cruce coram Maria moriens, ſaltationem complens, dum ei apparet reſuſcitatus, vna manu Deiparam, altera Eccleſiam apprehendens perfectam, & omnibus numeris abſolutam choream in cœlis perficit, eam cum matre reducens ad ſuperos: in hanc alacritatem, & lætitiam extulit Deum Maria, quia *arca Dei viuentis de qua natus eſt Chriſtus.*

D. Hild.

Maria cum laude, & iubilo in cœlum effertur.

Ieſus ſubſilijt de morte ad vitam coram Maria.

Saltationes pulcherrimæ, quas fecit Ieſus coram Maria.

Abſolutam omnibus numeris choreã fecit Ieſus cũ matrem in cœlum reduxit.

Palma victoribus proponitur de ſupernis.

Vincentibus merces ſedere in throno, & conregnare cum Ieſu.

4. Diuinus Agonothetes excitat pugiles de ſupernis, & proponit præmia victoribus; qui pugnaci dextra hoſtem fudit, ſtellato ſedebit cum ipſo rege, ſolio. Sic Ieſus in Apocalypſi Ioannis Apoſtoli clamat cap. 3. verſic. 21. *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo: Sicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Magna dignitas hominis terreni, de paſſionibus domitis parta, dum ad filij Dei dextram, cœlitibus imperantis; vincentis thronus collocatur, vt conſedeat, & conregnet. Sed Mariæ celſitudo maior, non ſolùm ſedet in throno poſt deuictos hoſtes, reportata trophæa, ſed ipſa thronus eſt, & ſolium Cherubicis ſubſelliis excelſius & purius. Argutè Guerricus ſermon. 1. de Aſſumptione Mariæ inquit: *Matri cuius longè differens eſt meritum, nihilominus differens promittit præmium, Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Parum eſt, inquit, vt indicanti conſedeas, niſi & ipſa mihi ſedes fias, vt maieſtatem regnantis, eo felicius, quo familiarius, in te contineas, & ſpecialius præ cæteris incomprehenſibilem comprehendas. Continuiſti paruulum in gremio, continebis immenſum in animo: fuiſti diuerſorium peregrinantis, eris palatium regnantis, fuiſti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris ſolium triumphantis in cœlo: fuiſti thalamus ſponſi incarnati, eris thronus regis coronati.* Hos omnes titulos gloriæ Maria promeruit, quia continuit Deum paruulum in gremio, continere magnum, & immenſum Deum in animo, eſſe palatium, ſolium, thalamum, & quod vniuerſæ creatæ mentis captum ſuperat, *Incomprehenſibilem comprehendas.* Hanc Guerrici ſententiam, accipe non de perfecta comprehenſione, impoſſibile enim eſt Deum à creatura adæquatè comprehendi, ſed de perfectiſſima ſuper omnem creaturam aſpectabilem, & inaſpectabilem cognitione, omnia Dei intima, & recondita penetrante.

Mariæ maxima celſitudo, quia non ſolum ſedet, ſed ipſa thronus eſt creatoris.

Guerr.

5. Adde ſi poſſibile eſſet creaturam in patria comprehendere Deum adæquata cognitione, penetrante, introſpiciente, quæ in Deo ſunt omnia, Soli Deiparæ attentâ dignitate matris Dei foret concedenda, vt quæ Deum comprehendit ventre, comprehendat mente.

6. Exul

5. Exultauit Baruch Propheta lætitiâ libertatis Ieroſolymitani populi, & gaudia ore profundens, dulciſſimam quoque protulit cantilenam, c.5.v.1. *Indue te decore & honore eius, quæ a Deo tibi eſt ſempiternæ gloriæ. Circũdabit te Deus diploide iuſtitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni. Deus oſtendet ſplendorem ſuũ in te omni, qui ſub cœlo eſt.* Quæ quidẽ verba licèt de antiqua Synagoga ex exilio in patriã redeunte, cantata videantur, gratius & dulcius de Deipara reſonant, ex huius ærũnoſæ vitæ ergaſtulo in cæleſtẽ patriam reduce. Vnde Hug. Card. aptè ſubiungit: *Oſtẽdet ſplendorem ſuum in ter, id eſt filiũ incarnari faciet, qui dicitur ſplendor patris.* Ex eo quod Maria Solem, & patris ſplendorem vtero ſuo clauſit, vt illuceſceret mortalibus, illuſtris & glorioſa apparuit, circũdata diuinis fulgoribus. Ex eo decore, & honore eius induitur, quæ à Deo illi eſt ſempiternæ gloriæ; circũdedit matrem filius diploide iuſtitiæ, & impoſuit cidarim, & corollas capiti honoris æterni, triplici aureola cingens ſacrũ verticem, rectè Gloſſ. inquit: *Circũdabit te Deus diploide iuſtitiæ, duplici veſte, ſtola gloriæ animæ, & corporis.* Et Hug. Cardinal. ad ea verba: *Indue te decore, & honore, id eſt, aureolã, quæ tantũ martyribus, & virginibus, & doctoribus debetur.* Gloriã animi, corporiſque decoratur Maria; triplexque aureola Virginis, Martyris, & pluſquam Martyris, & Doctoris eius capiti innectitur, quia fõs extitit luminis, Solémq; iuſtitiæ, & iubar æternum ſuo recõdit vtero.

Deipara circumdatur gloria. — Hug. Card. *Deus in Maria oſtendit ſuum ſplendorem, cum filium incarnari fecit in ea.* — Gloſſ. *Maria ornata ſtola gloriæ animæ, & corporis.* — Hug. Card. *Sacra aureola Mariæ caput cingitur.*

6. Cur quando Deus intrat diuini clauſtra pudoris, ſplendor, & fulgor nuncupatur? *Deus oſtendet ſplendorem ſuum in te.* Quiã ſicut in terris in ea depoſuit omnem gratiam, in Cœlis collocauit omnẽ gloriã; Maria gratiæ, & gloriæ ipſius Dei reconditorium, ex Mariæ glorificatione glorioſior apparuit Deus. Acutè Guetric. ſerm. 1. de aſſump. Mariæ inquit: *Domum tuã decet Domine huiuſmodi ſanctitudo & decor. Is decor te inuitauit, vt intrares, illuxit vt redires, intrans benedictionis gratiam multiplicaſti, ſed rediens cumulaſti. Cum intraſti, homo natus es in ea: cũ rediſti, Deus glorificatus eſt in ea.* Quando Deus deſcendit in Mariæ domũ, vt carnem ſum[illegible]ret ex ea, reluxit domus; ſed quando rediit ad eã, glorificãs, diuinis & exuberantibus eã repleuit ſplendoribus; intrans Deus in palatiũ pudici pectoris mortalis, gratiã multiplicauit: rediens ad eam immortalis, gloriã cumulauit, glorificans Mariam, plus de eius glorificatione, quã de Angelorum omnium, & hominum beatitudine glorificatur Deus.

Maria gratiæ, & gloriæ Dei reconditorium. — Guetr. *Maria ingrediens Beatitudinem benedictionis gratiã multiplicat.* *Deus in Maria glorificatur.*

7. Sicut enim incõprehenſibilis eſt gratia, quã accepit Maria in filij conceptione, incõprehenſibilis eſt gloria, quam accepit à filio in ſua exaltatione. Hac enim regula indefectibili, Marianæ gloriæ cumulus menſurandus: de incomprehenſibili perfectione, & merito Mariæ in filij ſui incarnatione S. Bernard. Sen. tom. 1. ſerm. 61, art. 1. c. 12. ſic fatur: *Sicut diuinæ perfectiones omni intellectui incõprehenſibiles ſunt: ſic perfectiones gratiarũ, quas Virgo ſuſcepit in cõceptione filij Dei, ſoli intellectui diuino, & Chriſto, & ſibi, cõprehenſibiles extiterunt. Et quidem quod Deus generaret Deũ, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbũ per omnia ſibi æquale, imo impoſſibile eſt, quod non generet Deũ propter ſuam fœcunditatem. Sed quod femina conciperet & pareret Deũ, eſt & fuit miraculũ miraculorum. Oportuit enim (vt ſic dicam) feminã eleuari ad quandã æqualitatem diuinã, per quandã quaſi infinitatẽ perfectionũ & gratiarũ, quam æqualitatẽ creatura nũquã experta eſt, vnde (vt credo) ad illam abyſſum imperſcrutabilẽ omnium chariſmatũ Spiritus ſancti, quæ in B. Virginẽ deſcenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanu[illegible]elicus nunquã potuerunt attingere.* Hæc [illegible]incõprehenſibilia ſint, & creatæ m[illegible]rent, intacta relinquamus, ne tãtæ [illegible]menſo pondere opprimamur. Illud [illegible]ca, ſi in Chriſti incarnatione eleuata eſt ad quandam Dei æqualitatẽ, exaltata eſt in Cœlis ad quandam cum gloria Deitatis æqualitatem, ſoli Deo, Chriſto Domino, & eius matri cognitã, Angelico tamen & humano intellectui imperſcrutabilem.

Sicut incomprehenſibilis eſt gratia, quam Maria accepit in filij conceptione, incomprehenſibilis eſt gloria, quam poſſidet in ſua exaltatione. — D. Bern. *Perfectiones gratiarum, quas Maria ſuſcepit in filij conceptione, ſunt hominibus incõprehenſibiles.* *Quod fœmina concipiat, & pariat Deũ, miraculum miraculorum eſt.* *Maria, vt conciperet Deũ, eleuata eſt ad quandam æqualitatẽ diuinã.* — P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

---

§. II.

Mariæ exaltatio ex veſtimentis, quibus induit Ieſum.

7. SINGVLARIS gloriæ prærogatiua in Maria refulget, quia Verbum Dei indumẽtis præcinxit, & ſacris pannis inuoluit. Cum diuinũ ſpectaculum è cœlo dilapſum, & Deiparæ ſimulacrũ prodigiis plenũ Euangeliſtæ Ioanni oſtẽditur, apparuit mulier in media luce, Sole ipſo induta. Apocal. c. 12. v. 1. *Signum magnũ apparuit in cœlo: mulier amicta Sole.* Sat erat, vt femina, quæ Deiparã innuebat, cæleſtem amplitudinem oſtenderet, quod diuinis ſplendoribus illuminaretur à Sole, & radiis luminum icta, ſolaris fulgor ex ea reflecteretur; aut candidantium radiorũ ambitu circumdata, glorioſior appareret. Cur amicta Sole ipſo introducitur, lumina Solis habens pro indumentis? vt Sole ipſo induatur in cœlis, quæ in terris induit Solem. Pulcrè S. Bernard. in ſerm. de verbis Apocal. inquit de Deipara: *In te manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo, veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloriã ſuæ maieſtatis: veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris.* Par pari referunt, & veſtiendi munera alternant mater, & filius; ſed veſtimentum, quo ornatur Maria à Deo, forte nobilius & glorioſius, quam veſtimentum quod impoſuit Deo. Veſtiuit Deum carne, & pauperrimis pannorum inuolucris, Maria Sole, & Deo induitur.

Mariæ ſimulacrum oſtẽditur Ioanni Euangeliſtæ. *Mulier cur amicta Sole, & non irradiata Sole apparet.* *Maria Sole veſtita apparet in Cœlis, quæ in terris induit Solẽ.* — D. Bern.

8. Nec minori acumine Bernardi mentẽ rimatur eius coætaneus, & amicus Richard. de S. Victor. in Cant. p. 2. c. 51. dum ſcribit: *Mulier amicta Sole, quia Sol diuinitatis infulget ei, & circũfulget eam, & totam occupat, & poſt eã maxime illuſtratã, Cœli ciues illuminat. Ideo vero hoc Sole amicta eſt in Cœlo, quia in terris perfectè Chriſtũ induerat.* Nec tantum ipſa habuit pro veſtimento Ieſum, ſed ipſum ornauit indumentis mortalitatis, vt hominem redimeret, & ex mortali, quod à Maria acceperat indumẽto, immortalitatẽ largiretur: quid plura? Ex hoc terreno, & mortali tegmine, quo Deipara operuit Dei nuditatem, non ſolum Maria beatificatur, ſed cœlites omnes ex fulgoris redundantia illuminãtur. *Et poſt eam maxime illuſtratam, cœli ciues illuminat.*

Richar. Vict. *Maria, cœli ciues illuminat.*

9. Inter pulcherrimas ſimilitudines, quibus Eccleſiæ primores tollunt vſque ad ſidera (amoris & laudis affectus exprimentes) Deiparam, eminet thuribuli comparatio. Cum enim Dei genitrix ex morte ad vitam immortalem immutatur, & aurea paradiſi aſcendit palatia, aſſimilatur thuribulo, thuriſque halitui. Audi S. Amadeum homilia 6. de beata Virgine: *Ergo diuinis ignita colloquijs, tota effecta eſt velut ignis; tu holocauſtum Deo ſuauiſſimum obtuliſti. O Phœnix aromatizans gratius cinamomo, & balſamo, & nardo ſuauius, regem in aſpectu ſuo delectans. Phœnix congregans omnes ſpecies, & igne circumfuſa ſupereſſentiali, vt cœlum cœlorum, & cœli poteſtates Angelicas mirifico repleas ſuauitatis incenſo:*

Maria amoris Phœnix Deum & cœlites mirifice replens ſuauitatis incenſo.

Mariæ thuribulum eleuatum manu Domini vſq; ad Thronum Dei.

Hoc [illegible]ſſimum eſt, hoc thymiama bene compoſi[illegible] thuribulo cordis Mariæ, & vni[illegible]ia excedit. Porro thuribulum ſe[illegible]um, & eleuatum manu Domini, aſcendit [illegible]que ad thronum præſidentis. Mariæ migrationem cum renouatione Phœnicis bellè adaptat, quando diuini incendio concremata amoris, in cæleſtem alitem renouata, euolat ad ſuperna: Sed Maria thuribulum eſt manu Domini eleuatum ad ſuperos, aromatizans ſuauiſſimum odorem, odoróque halitu gratiſſima reddens ſpiracula cœlicolis. Sed adhuc animus arcanorum Deiparæ perſcrutator, compertum habere cupit, cur Mariæ thuribulum, thus, & incenſum redoleat? quo vapore afflati cœlicolæ gloriam Mariæ in excelſis acclamantes inquiunt: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, Cant. cap. 4. verſ. 11. Marianum thuribulum virtutum omnium aromatibus plenum iucundos afflat halitus. Sed opus illud amiciendi Ieſum carnis toga purpurea & ſacris faſciarum tegminibus, quibus paruulum Deum circumdedit, Deo & cœlitibus gratiſſimum præbet ſuffitum. Inclyta eſt Ruperti cogitatio: *Quid* (inquit) *de pannis dicam quibus me innoluiſti, & in præſepio reclinaſti? nimirum id, quod verum eſt, quia odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Omnium namque veſtimentorum, ſcilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna, & pluſquam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt, & quia cuncta, quæ tunc in me, vel tunc propter me operata eſt, de magno, & valido charitatis igne, cum ſuauitate humilitatis venerunt, rectè dixerim ego, rectè conſenſerunt amici, quia odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Dum agnum Dei vellere carnis Maria induit, & mortalibus integumentis inuoluit, opus illud è buſto Marianæ charitatis prodiēs thus redolet, & inter cœli ciues, ſuauitatis odor aſcendit, & paradiſiacæ aulæ ſinus implet.

Cur Mariæ thuribulum, thus, & incēſum redolet?

Rupert.

Odor veſtimentorum, quibus Maria induit Ieſum, ſicut odor thuris.

Opus amiciēdi Ieſum de valido charitatis Marianæ igne, & ſuauitate humilitatis manauit.

Omnis gloria Reginæ cæleſtis à fimbrijs aureis.

D. Athan.

Arnold.

D. Hier.

Euthym.

Mariæ gloria à Zonis, quibus Deū in vtero clauſum adſtrinxit; & à faſcijs, quibus eum ligauit.

9. Ea verba regij Pſaltis ex Pſal. 44. v. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis.* De Deiparæ glorioſa in cœlum aſſumptione exponūt ſanctus Athanaſius ſerm. de Deipara, & Arnoldus Carnotenſ. tom. 1. Biblioth. veterum Patrum. Sed miror omne beatitudinis decus, & ornamentum glorioſi corporis virginei, ad fimbrias aureas adſtringi; quaſi omnis ſplendor, & iubar æterni luminis, quod in Maria refulget, promanet à fimbriis. S. Hieronymus legit: *Faſcijs aureis.* Alij præſertim Euthymius legunt: *In zonis*, omnis Mariæ decor & gloria à faſciis, à zonis exoritur. A zonis quibus vterum ſuum Maria, & Deum in vtero latitantem adſtrinxit. A faſciis, quibus paruulum natum, velut amoris compedibus, & vinculis, religauit. Pulcrè S. Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopol. orat. de faſciis Domini, & zona virginea, quæ habetur apud Suriū 31. Auguſti, ſic declamat: *O Zona pretioſa, quæ Deum Verbum, cùm eſſet in vtero innoluiſti: O iucunda Zona, quæ à corruptione aliena Dei matris ſummè honeſto corpori, honeſtè appropinquaſti, & illinc induiſti incorruptionem, manens illabefacta & aliena ab interitu.* Et Euthym. in encomio eiuſdem Zonæ ibid. fatur: c. 13. & 14. *Honoretur, & adoretur Zona, quæ diuina virtute cœlos ſuperat, & refplendet plus quam radij Solares, manetque integra & intacta plurimorum annorum curriculis, nōn gentorum inquam, aut amplius.* Et cap. 14. ſubiungit: *Salua, illæſa, & impolluta, vt videtis, permanſit vſque in hodiernum diem, nullo modo fœdata, aut effuſcata, aut eius colore vllo modo mutato: Sed reſplendens ſupra niuē, & tanquam modo ex coccino laborata, ſic eſt propoſita, virtute ſancti, & viuifici, & adorandi Spiritus.* Hæc Euthym. Maria à faſciis, & zonis, & zonæ, & faſciæ à Maria ſplēdorem, & gloriā mutuantur. Faſciæ, & zona ſupra niuē candida, ſplendidior cūctis aſtris, poſt tot temporum luſtra cernebatur. Nec edacis tēporis iniuria deformis, aut excesa putredine tineæ ſed illæſa, & inuiolata permanſit. Virgineū namq; & immaculatū Mariæ corpus contactu ſuo ei peperit incorruptionem, & immortalitatem. Decore gloriæ Maria ornata apparet, quia Deum in aula vteri virginalis clauſum, cingulo ſuo adſtrinxit, & immenſum Deitatis mare circumdedit, tumentem vterum & mămas coronauit. Splendida quoq; clareſcit in cœlis Deipara ex faſciis, & zonis, quibus Solē ambiit, & virum immenſum circūdedit, ex alligaturis ſalutis quibus deuinxit Dei pedes, & manus, & leonem de Tribu Iuda ſtricta cingēs faſcia, vincula ei iniecit, ne humanæ inhiet deuorandæ, aut dilaniandæ prædæ. Ex his inuolucris, & tegminibus pietatis, quibus nuditatem filij protexit, ſpecialis nitor in glorioſo veſtitu Mariæ emicat, ſolaribus radiis pulcrior. *Omnis gloria eius à faſcijs à zonis aureis.*

D. Germ.

Sur.

Præconia ſacræ Zonæ quæ Dei aram in vtero habens Deum, ſe ſe accinxit.

Euthym.

Deipara Zona cœlos ſuperat, & fulget pluſquam radij Solis.

Mariæ Zona incorrupta, & reſplēdens ſupra niuem

10. Inter Angelicas, & humanas cohortes Deiparā collocatā introducit Pſalmographus eamq; adorandā proponit, tanquam regium tabernaculū, in quo humana armorū tegmina ſibi aptauit Altiſſimus, & aduerſus hoſtiles phalanges ſe ſe ad certamen accinxit Pſ. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculū eius, adorabimus in loco, vbi ſteterūt pedes eius.* Purpuratus Hugo conceptū verbis exprimit: *Tabernaculū Dei eſt B. Virgo, vbi ipſe nudus intrauit, & ibi armauit ſe ſicut granū frumenti in terra. Ibi ſiquidē ſcutum noſtræ carnis aſſumpſit, & arma noſtra, ū infirmitatum; quod diu deſiderauerat Dauid dicens: apprehēde arma, & ſcutū, & exurge in adiutorium mihi. Eadē eſt locus pedum eius, id eſt, diuinitatis, & humanitatis ipſius, de quo Iſaia 60. locū pedum meorum glorificabo.* Pulcherrimū armamētariū extitit vterus virgineus, in quo thoracē & loricam humanæ infirmitatis Dominus exercituū induit, & gladio humanæ carnis ſe ſe accinxit, vt inaſpectabilem proſterneret hoſtē. In ipſo Deus tanquā in atrio pedes conſtituit, vt in ipſius ſtabilitate firmaretur. Quia ergo armiſona Pallas, & diuina Bellona Maria terrenorū armorū ornauit integumentis Deū, corporeóq; cingulo & baltheo muniuit, glorificatur à Domino, diademate auro obryzo, gēmiſq; purpuræ aſcētibus ornato, caput eius cingitur: cyclada lapidibus pretioſis intertexta à filio mater induitur: *Locum pedū ſuorum glorificans.*

Hug. Card.

Maria tabernaculum, in quo Deus armis ſe accinxit, vt hoſtes debellaret.

11. Illaqueātur amoris nexu, veſtire aliquem, & de ipſo veſtimēto, glorioſo ſplēdore lucere. Deus ipſe dū veſtit hominē, fulgoribus illuſtrat, & de ipſo veſtimēto glorioſus apparet. Euſeb. Emiſſ. hom. 1. de Paſcha, de Chriſti anima glorioſa ad inferorū cauernā deſcēdente, & iuſtorum ſpiritus beatificāte, hanc literis prodidit ſententiā: *O pulcra lux, quæ de cādido cœli faſtigio promicaſti, & inter fluēta purpurea ſedētes in tenebris, & vmbra mortis ſubita claritate viſitaſti, vel veſtiſti.* In carcere cōſtitutis geminū opus charitatis impēdit, & quod viſitat, & quod lumine, nudos luce, tenebris amictos, veſtit. Dū purpureos ſanguinis latices fundit, iiſq; Eccleſiā exornat velut regalibus infulis, emicat glorioſa lux inter mortis tenebras, & in caliginoſo barathro habitātibus copioſū lumen affulget, eóſq; beatificæ diploidis ornamentū circūdat. Itaque lux Chriſti ex veſtiendi munere clareſcit. Quæ omnia Deiparæ bellè conſentiunt, nam pia mater in paradiſo reſplendet ex officio induendi Ieſum, cum cycladam purpuream in vtero variegauit, aureis diuinitatis, argenteis humanitatis fibris, purpureis ſui ſanguinis liciis contextam; ſicut ex aliis peccatorū caliginem diſpulit, ita ſibi gloriam cumulauit.

Ex veſtiendi munere honor, & gloria reſultat.

Euſeb. Emiſſ.

§. III.

§. III.

Maria Angelorum gloriam tranſcendit, quia Dei nutrix, & gerula.

13. SVPER Angelicos vertices Mariæ ſublimis gloria coruſcat, quia virgineis vberibus Ieſum lactauit infantem, factáque eſt Dei omnipotentis baiula. Vt querimonias Iſraëlitici populi cohiberet Deus, ambitionis iurgium, diſceptationémque componeret, in tabernaculum inuehi iubet virgas procerum, ſuis nominibus notatas; Vt virga germinans eſſet Sacerdotalis muneris ſignum, baculúſque efflorescens velut cenſoria virgula Antiſtitem à vulgo diſcerneret; & tali prodigio acclamaret Deus, Sacerdotalem functionem, in virgæ germinantis familiam incumbere. Numeror.cap.17.v.8. de virga Aron reuiuiſcente dicitur: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis, eruperant flores.* In hac virga ornata fronde, & flore magnus patrum chorus virgam de radice Ieſſe Mariam, & florem campi Ieſum recognoſcunt. Vide S.Hildephonſum ſerm.6. de Aſſumpt. Sed Seraphicus Doctor. S. Bonauentura in huius loci examine acutus, & elegans eſt, cùm in flore, & fructu, Marianæ beatitudinis felicitatem adumbratam cenſet. Hæc enim ſcribit in ſpeculo Mariæ, c.12. *In virga, Mariæ rectitudo; in flore, corporis glorificati pulcritudo; in fructu animæ eius beatitudo poteſt eſſe ſignata.* Mariæ pulcritudo animæ, ineffabilis prorſus, quæ tota Deificæ ſuauitatis immenſo pelago immergitur, & in eam beatificæ gloriæ torrentes exundant. Sed corpus eius totum nitet, & ſplendet ſupra Solis lumina, ſupra candentium florum albedinem, & decorem; ſupra omnem hortorum; aut paradiſiaci topiarij amœnitatem. Sed vnde tantus Mariæ inter cæleſtes Caryophillos, & albátia liliã decor? Verſio Hebraica ſingulariter exprimit. Sic enim legit Hebræus ex Lorino in Numeros, & ex Vatablo: *Lactauit florẽ.* Vbi vulgatus legit: *Eruperant flores.* Myſtica illa Aaronis virga velut mater floris introducitur, quæ ſacrum florem velut ex gemmante vulua progenuit, parturiit, vitali ſucco lactauit, nutriuit; vt in fructum adoleſceret, ſicut paruulum à pectore matris; Sic tibi propone florem à virgæ vbere pendentem. Vt Deipara innuatur, quæ paradiſi florẽ portauit ad vbera, & ſacrati fontis lacte virgineo nutriuit Deum omnia nutrientem. Ex lactatione Dei, gloriæ pelagus in Mariam influit, quot guttulas nectarei lactis, labellis pulcherrimis ſugit Deus infans; tot gratiarum ſtillicidia, tot gloriæ flumina, ex pleniſſimis Domini Sadai, qui dicitur Deus exuberantiæ, vberibus, ebibit Maria.

Sacerdotalis virgæ germinatio.

D. Bonau.

In flore ſplendor corporis, in fructu, beatitudo animæ Mariani protenditur.

Lect. Hebr. Lor. Vat.

Felicitas, & ſplendor virgæ ex lactatione floris.

14. Nec ſolum in cælis, in terris quoq; cũ lactabat paruulũ, Maria prælibabat pignora gloriæ, deliciarum abundantiam. Pulcrè S.Auguſt. ſerm.14. de temp. fatur: *Lactabis infantẽ propriũ, Creatori ſuo cum porrigis lactis, & cibis cæleſtibus ſatiaris, pannis inuolutis puerũ, qui tibi immortale condonauit indumẽtum. In præſepio ponis infantilia mẽbra, qui cæleſtẽ tibi præparauit mẽſam. Omnia, quæ nutritiæ cauſa debẽtur, circa puerũ celebremus, vt quod ipſe promiſit Sanctis ſuis, & tu ipſa libẽtius cõſequaris.* Quia paruulo porrigebat mámam, albúmq; nectar ſtillabat ori Deifico, fit deliciarum cæleſtium ſatura Deipara, quia præcinxit infantilia mẽbra, ſplendido & glorioſo ornatur indumento; Quia in præſepio reclinauit infantem, refertam in cælis inuenit menſam, æternæ vitæ dapibus. Pro omni nutricatione [illegible] filio mater ineffabilem gloriam recompenſat.

D. Auguſt.

Cum Ieſus Mariæ ſugebat vbera, Maria cæleſtis beatitudinis prælibauit gaudia.

Mariana nutricis munera in cælis remunerata.

15. Quid, ſi Auguſtini verba: *Et cum cæleſtibus* [illegible] *tiaris*, de clara Dei viſione vſurpe[illegible] Virgo, ex pio Doctorum placito, a[illegible] mortali vita fruebatur? Cùm ipſa lacta[illegible] ad vbera Deificæ & intuitiuæ viſionis po[illegible] Cum Ieſu labellis candidos porrigebat latices, [illegible] vbertate cæleſtis domus inebriabatur, & de torrẽte voluptatis beatificæ potabat eam Deus.

D. Auguſt.

Maria cum infantem lactabat, Deũ intuitiuè videbat.

16. De eremo aſcendentẽ Deiparã in cælorũ vertices, inter Angelorũ, & hominum cohortes ouantem reginã, cum gratulatione intuetur inferior, & ſuperior Orbis. Admirantur Angeli nouo, & inſolito prodigio, & velut quodam ſtupore attoniti, & lymphati vnus ab altero ſciſcitatur: Cant.c.8.v.5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectũ:* Mirantur ergo Angeli, quod de deſerto aſcẽdat, quod deliciis affluat, ſed potiſſimum, quod innitatur dilecto, ipſúmq; habeat pro fulcro. Quare verbũ illud: *Innixa ſuper dilectũ*, ad mentis trutinã appende ſolerter, cũ locum de Deiparæ aſſumptione accipias. Hebr. eſt: *Delicians, vel adhæreſcens.* Præ teneritudine, & amore, & fidentia nititur dilecto. Aliquid in hoc loco innouantiũ auctorũ, flores colligã. Alanus Varenius ſcribit: *Aſcendebat incõparabilis omniũ ſanctorum circũuallata agminibus & cæleſtiũ virginũ circumdata choris: tota curia illi obuiã veniente cæleſti, in ſanctæ diuinæ matris pedũ oſcula, & amplexus, toto cæleſtiũ Senatorũ accurrente ordine.* Dum cælites immaculatiſſimorũ pedũ oſculis diſſuauiãtur, & de Mariæ petra ſugunt oleũ, mel, & lac dulcedinis: Hug. Cardinal. locũ põderat, & Mariæ fulcimentũ: *Aſſumptionẽ* (inquit) *in Cælum de deſerto mundi huius Angeli mirabantur, in tantũ vt quærerent, quæ eſt iſta? nec eſt ignorãtis interrogatio: ſed deuotè admirãtis: miræ deuotionis, iucũdæ gratulationis, & gratiſſimæ exultationis: Eo modo quo filij Iſrael de mãna præ dulcedinis admiratione, quã inuenerunt in ipſo, dixerunt: manhu, id eſt, quid eſt hoc? Et beatæ matris Dei dulcedo ineſtimabilis eſt. Vnde Ambroſius; Virgo velut cælitus veniens cũctis Eccleſiarũ populis cibũ dulciorẽ melle defluxit. Hæc tantum affluit delicijs, vt inde alijs abundanter effundat.* Antequã deueniã ad Mariæ ſuſtentaculũ, non prætereo intacta verba Hugonis, quia plena ſunt acumine: dũ cateruatim cõcurrẽtes cælites Mariã amplectũtur, & beatiſſimis pedibus figunt oſcula, ex iis ineffabilis effluit dulcedo; qua delibuti admirabũdi clamitant cũ Iſraëlitis mãnæ cæleſtem cibum comedentibus, eius ſuauitate perfruẽtibus: *mãhu*, quid eſt hoc? quæ hæc voluptas iucunda? quæ hæc dulcitudo ſuauis, Deitatis ambroſiã ſapiens? Et reſpõdet Hugo Ambroſio ore: *Virgo velut cælitus veniẽs*, &c. Si Maria cũ de cœlo velut elabitur, cibũ vitæ, panẽ Angelorũ dulciorẽ melle defluxit: Cũ in cælos aſſumitur, eadẽ cibi cæleſtis oblectamẽtis affluit; Cælicolæ cũ immaculatum, & glorioſũ Mariæ corpus puro oſculo, & amplexu cõtingunt venerabundi, Nunquid illa ſuauitas reſultat; quæ in comedẽte viatore cibum Chriſti, reſultabat. Quid mirũ ſi ex Mariæ carne, cibi cæleſtis percipiat ſaporẽ homo; Si ex carne Mariæ deſumpta eſt caro, quæ cõtinet omne delectamentũ ſuauitatis. Dulcedo, quæ ex Marianorum pedum oſculo in cæli incolas promanat, eas delicias regerit, quæ ex fruitione Deitatis oritur, quia Maria tota Deificata eſt.

Maria innixa ſuper Ieſum aſcẽdit in Cæli atrium.

Lect. Hebr.

Alan. Varen.

Tota curia cæleſtis ruit in oſculas & amplexus Mariæ in cælum aſcendentis.

Hug. Card.

Cæleſtium ſpirituũ admiratio, deuotio, gratulatio, & exaltatio in Mariæ aſſumptione.

D. Ambr.

Ex Mariano corpore ineſtimabilis dulcedo reſultat, ſimilis manna, & Euchariſtiæ ſuauitati.

17. Sed iam ex oſculis attollamus oculos ad pulcherrimum ſpectaculum, claro cernamus intuitu Mariam inhærentem ſponſo, incumbentem Deo, & Chriſto Ieſu: *Cui etiã* (inquit Hugo) *ex prærogatiuæ dilectionis innixa, non ſuper vnum de anci*[illegible]*is*

Hug. Card.

A filio mater cauſa benerificentiæ in cælum deportata.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

vt Eſther à quo etiam creditur in Cælum cauſa hono-ri[illegible] entia deportata. Maxima gloriæ felicitas, quod [illegible] ſuper humerũ moderatoris cæleſtis Olym-pi [illegible] Angelorum incumbat; eius innixa bra-[illegible] manu omnipotentis Dei, Mariæ manui [illegible]ta, deportetur ad Solium. At inueſtigare licet; Cur Maria innitatur, & delicietur Deo? Occurrit animo hæc cogitatio. Nititur Maria Deo, quia Deus paruulus incumbebat Mariæ gremio; nitebatur brachiis, & lacertis, quia ad parentis pendebat vbera; præbet filius matri fulcimentum, quia mater filio dedit ſuſtentaculum. Mẽtis oculis obuerſabatur hæc commentatio, & arridebat valde, ſed ſine auctore. Cùm eam deprehendo apud Almonacirium Complutẽſis Academiæ & Dominicanæ familiæ decus: Sic enim ſcribit in Cantica: *Breui oratione expoſuit magnus Theologus cauſam propter quam aſcendenti matri Chriſtus latus occurrit, dextram dextra iunxit, deducens eam per omnes beatorum Choros ad thronum altiſſimum, & quod Virgo ipſa præ delicijs in humerum Chriſti inclinata recumbat, & quod brachio illius collum amplectatur, cauſam vnam eſſe: quod Virgo Chriſtum concepit, peperit, & ſuo lacte nutriuit: quapropter æquum eſſe, vt aduenientem latus exciperet, reuerenter amplecteretur, dextera ſua deduceret.* Glorioſum, & inſolitum Mariæ fulcimen, quod quidem clientelæ filij mancipata promeruit. Quod Emmanuelem portet ad vbera, ad pectus applicet, brachiorum Deifera alumna ſtringat lacertis, quod mammam paruulo immulgeat; quod virgineo lacte roreſcant Ieſu labia, quod Angelicis humeris formidandum Deitatis pondus in vlnis ſuſtineat, ſuper genua blandiatur. Remunerat filius humeris ſuis, brachiis ſuis, matrem innitentem, & recumbentem ductans in ſtellatum ſolium.

Filius eſt matris fulcrata, quia mater extitit filij ſuſtentaculum.

Almon.

18. De hac Mariæ gloria, ex nutricis, & gerulæ functione procreata, diſertè loquitur illuminatiſſimus Doctor Dionyſius Carthuſianus de laudibus glorioſæ Virginis Mariæ, lib. 4. art. 17. inquiẽs: *Quò in vita hac caro illa Virginea Deo altiſſimo, ſingularius, familiarius, & propinquius communicans, & coniuncta; eò eſt nunc ab illo ſublimius, exuberantiuſque glorificata. O quis capere queat, qualiter modo ſplendeant vbera illa puriſſima, quæ regem gloriæ aluerunt, & ex diuini oris contactu aſſiduo honorabiliſſima erant facta. Sic & venter ille caſtiſſimus, in quo tot menſibus fons totius decoris, fons immenſæ dulcedinis, Deus majeſtatis, & claritatis incircumſcriptæ incarnatus quieuit, & habitauit. Nonne inæſtimabili claritate, decore, ſuauitate reſplendet, & flagrat? Sic & pectus illud Virgineum, ac maternum, iuxta quod Vnigenitus Dei toties requieuit, & quem pudiciſſima, affectuoſiſſima, ac honeſtiſſima mater toties pectori ſuo, cum ſummæ charitatis ardore puriſſimo applicuit, & adſtrinxit. Sic demum manus eius eburneæ, oculi ſiderei, labia eius dulciſſima. Et breuiter ſingula membra excellentiſſimæ Dominæ ac Reginæ indicibiliter ſunt glorificata, & omni ſuauitate, ac venuſtate exuberantiſſimè, incomprehenſibiliterque perfuſa, repleta & ſuperimpleta. Quod facialiter intueri ſenſibilitérque percipere, atque experimentaliter deguſtare iucundiſſimum prorſus eſt, & omnia gaudia mundi incomparabiliter vincens.* Hæc Dionyſius,

Dion. Cart.

Mamillarũ Deiparæ gloria.

Virginei ventris ſplendor quantus.

Mariani pectoris fulgores quàm eximij.

In manibus, oculis, & labijs quam immenſus nitor appares.

Omnia Mariæ membra in cœlis glorificata.

---

§. IV.

Mariæ glorificatæ propter functionem nutricis, & baiulæ, gratulantur tota Trinitas, tres Angelorum Hierarchiæ, & tres Gratiæ.

19. EX Sanctorum Patrum florilegio colligã flores, lilia, aut roſas, quæ Mariam glorificent, eiúſque exornent caput. In primis Deiparæ in cœlum aſcendenti Pater cæleſtis occurrit, audi S. Bernardinum, tom. 3. ſerm. 11. art. 2. cap. 1. *Primò enim Pater per quamdam appropiationem occurrit B. Virgini, & amplexatur ſponſam caſtiſſimæ dilectionis, ſingulariſſimæ fœcundationis, ſoliciti ſſimæ educationis: quæ ſingulari munditia Virginitatis, & amplius profundiſſima abyſſo humilitatis placuit Altiſſimo Patri, cui & filium ſuum vnigenitum dedit, quem de ſuis caſtiſſimis viſceribus concepit, & peperit, & diligentiſſimè enutriuit. Hanc ergo ſponſam coram tota cæleſti curia æternus Pater dulciſſimè amplexatur, & recognoſcit matrem vnigeniti filij ſui. Proinde in perſona Patris Iſaias 40. c. ait: Domum majeſtatis meæ glorificabo.*

Æternus Pater Mariæ gratulatur.

D. Bern.

20. De occurſu filij ſubiungit Idem Senenſis, cap. 2. *Secundò occurrit ei ipſe filius in ſua gloria majeſtatis, omnibus manifeſtans hanc eſſe veriſſimam genitricem ſuam, quæ ipſum concepit, peperit, & nutriuit, atque in aſſumpta natura fideliter ſociauit. Proinde reuerentiâ filiali vt matrem digniſſimam, eam dicitur adoraſſe, O bone Ieſu omnipotens æterne Deus: Quid eſt quod mulierem adoras: Volo, inquit, eam merito adorare, quia duo efficiunt eam adorandam. Primum eſt ratio maternitatis: Secundum eſt meritum humilitatis.* Cùm adorationem Ieſu audis, ſic accipe, vt non deroget Chriſti dignitati, ita vt inferior matri videatur: venerationem, & cultum intellige, qui à filiis ſolet exhiberi parentibus, ſed in ſuperiori gradu.

D. Senenſ. *Filius occurrit Matri eamque veneratur.*

21. Spiritus ſancti occurſus ab eodem Bernardino ſcribitur, cap. 3. *Tertio, occurrit Virgini glorioſæ ipſe Spiritus ſanctus recognoſcens fornacem ſui amoris, & officinam ſuæ ſtupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum eſt corpus mundiſſimum filij Dei. Oſtendit autem Spiritus ſanctus electis expreſſe, quod in hac officina, & per eam fabrefecit quidquid in gratia mirificum operatur, atque in hac totum ignem operationis reclusit quam vnquam dare diſpoſuit creaturæ rationali.* Hæc S. Bernardinus Senenſis.

D. Bern. *Spiritus ſancti occurſus Mariæ factus.*

Angelorum Hierarchiæ gratulantur Deiparæ.

22. AVDI S. Athanaſium ſerm. de Deipara circa finem: *Beatam te prædicant* (inquit) *omnes Angelorum, & terreſtrium Hierarchiæ, & Hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in Cælis benediceris, & in terris beata prædicaris, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; iſtiuſmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis conſtat, qui aut flammei, aut magni regis Dei cognitores appellantur: Beata tu in mulieribus, & beatus venter tuus Dei geſtator, & vbera quæ ille adhuc infantulus ſuxit.*

D. Athan. *Omnes cæleſtes Hierarchiæ benedictam prædicant Deiparam.*

Prima Hierarchia acclamat.

23. Ex

D. Athan. *Secunda Hierarchia præconia Mariam collaudantia.*

23. Ex eodem Athanaſio: *Secunda verò Hierarchia quæ in ſe dominationes, virtutes, poteſtatéſque complectitur, ad te reſpectant clamat, vtpote quæ hæc didicerit à ſublimiori Hierarchia, priuſque initiata ſit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mamillæ, quæ Deum educauerunt puerum factum.*

D. Athan. *Tertia Hierarchia hymnum in Deipara laudē.*

24. De tertia Hierarchia ſubiungit: *Iam tertia ex Principibus, Angelis, & Archangelis acies quibus mandatum, & permiſſum fuit à Deo emittente, vt per vnum Gabrielē Archangelum ederet ſplendidiſſimum & capaciſſimum hymnum in hæc verba: Aue gratia plena Dominus tecum.*

Omnes Gratiæ gratulantur Virgini, eamque coronant.

25. CELEBRE Iſaiæ vaticinium huic cogitationi congruit ex cap. 61. verſ. 10. deſumptum, in quo licet ex communi Patrum ſenſu glorietur Eccleſia de gratiæ, & gloriæ infulis, quibus ornatur à ſponſo; potiſſimum in eo locum obtinet Deipara quæ carmen Euchariſticum, & gratitudinis immenſæ occinit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Cum hæc verba actionis gratiarum auſcultas, reſonabit in auribus tuis celeberrimum Mariæ Canticum, Lucæ cap. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Vnum alteri ſimillimum eſt, & vtriuſque verba conſonant. Vnde Lxx. apud ſanctum Cyrillum in Iſaia legunt: *Exultet anima mea in Domino.* Quod à Mariæ Cantico non diſcordat, cùm ait: *Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Reſonat hoc Canticum in cæleſtis Ieroſolymæ plateis, Mariano ore prolatum, in quo pro inſignibus gratiæ, & gloriæ, gratitudinis æternæ ſoluit remunerationem. Mariæ gloriam inſinuant verba illa: *Quaſi ſponſum decoratum corona.* Vel iuxta Hebræum, & Santē Pagninum *Magnificabit gloriā.* Nōn immoror in Mariano coronamento, quod Deiparæ caput triplex corona aureola circumdet, Virginis, Doctoris, Eccleſiæ Magiſtræ, & Martyris; hoc enim forſan alterius temporis labor erit. Nunc verò propoſitum tituli ſcopum collimantes; Mariæ miniſteria materna Ieſus in Cœlis remunerat. *Magnificabit gloriam*, vel: *Conſecrabit gloriam*, vt legunt Biblia Regia, quia filium genuit, & aluit, vnde poſt illa verba poſtrema: *Monilibus ſuis*, addunt Lxx. *Sicut terram efferentem florem ſuum.* In quibus terra illa virginea intacta, nunquam maledicta, & peccati vepribus aliena prædicatur, quæ florem Ieſum parturiuit, educauit. Propterea caput eius corolla cingitur intertexta floribus. Quid plura? Illius ſententiæ vice: *Indumento iuſtitiæ circumdedit me*, legunt Hebræus, & Chaldæus: *Pallio gratiæ inuoluit me.* Alij legunt: *Cinxit me.* Pallio iuſtitiæ, diploide gloriæ. Maria inuoluitur, & cingitur, quia filium præcinxit indumentis, inuoluit pannorum integumentis, faſciis colligauit.

Canticum Euchariſticū Mariæ. — *Iſaiæ & Mariæ hymnus conferuntur.* — Lect. Lxx. — D. Cyr. Alex. — *Gratificat Deo Maria accepta gloria coronam.* — Lect. Hebr. Sant. — Bibl. Reg. — *Terra virginea glorificata, quia edidit florem Ieſum.* — Lect. Lxx. — *Indumento iuſtitiæ circumdata & pallio gratiæ, quia filium cinxit indumento.* — Chald. — Hebr.

26. Sed vbi tres gratiæ Virginem ornantes, & coronantes? Se ſe oſtentant in luminibus illius ſententiæ Iſaiæ: *Indumento iuſtitiæ circumdedit me*, legunt Lxx. *Tunicā lætitiæ.* Græcè eſt: [illegible]. *Euphroſyna*, vna ex tribus Gratiis. Nec ſola exiſtet, cum ſemper aliis ſororibus comitata incedat vt

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Tres Gratiæ velut lætitiæ geſtientes in aſſumptione Mariæ. — Lect. Lxx.

auctor eſt Seneca, lib. 1. de Beneficiis, cap. 3. *Quare tres Gratiæ, & quare ſorores ſint, & quare* [illegible] *implexis, quare ridentes, quare iuuenes, &* [illegible] *gines ſoluta, ac perlucidâ veſte. Alij quidem* [illegible] *volunt vnam eſſe, quæ det beneficium, alteram q*[illegible] *accipiat, tertiam quæ reddat.* Nec mirum eſt, quod Iſaias in omni literatura magnus, aliquid de humana eruditione afferat ad Deiparæ ornamenta laudis, & gloriæ. Magnificant, tollunt laudibus, exornant Dei genitricem matrem gratiæ; tres gratiæ: Euphroſyna, quæ ſignificat *gaudium*, & *lætitiam*, & denotat immenſas Mariæ voluptates, & delicias, quibus in cœlis perfruitur. *Aglaia* (ſic enim vocatur altera Gratiarum Soror) quæ innuit *ſplendorem*, & *floridam*; & Mariam inſinuat fulgentiorem ſideribus, ſplendidiorem Sole, quæ florem immaculatum Paradiſi germinauit. Tertia ex Gratiis, vel Charitibus, *Thalia*: quæ ſonat *viriditatem, coronam lætitiæ, ramos feſtos, & flores, conuiuium omnibus rebus abundans.* Vt cumulatam lætitiam, & penè immenſum Beatorum gaudium in Mariæ feſtiuitate, demonſtret. Circumdant, & ornant florigeram Mariam tres Gratiæ ramis, frondibus, ſertiſque florum, tres Gratias intellige tres Hierarchias Angelorum; tres Apoſtolorum, Martyrum, & Virginum choros, aut trinam virtutem, quæ in Maria refulſit, de his alloquutus videtur S. Hieronymus tom. 3. epiſt. 10. ſermone de Mariæ aſſumptione, cum ſcribit: *Beata Dei genitrix aſcendit hodierna die ſpecioſa valde, & admirabilis, cuius odor ineſtimabilis erat nimis, & ideo ineffabilis ad cuius, profectò fragrantiam odoris, omnis illa cæleſtis Hieruſalem læta decurrit, quam circumdabant flores roſarum, & lilia conuallium: eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ eam æternæ dilectionis complectuntur amplexibus, & virginitatis ſplendore candidatæ, ac ſi lilia in vallē humilitatis enutrita circumdant eam, venerationis gratia obſequentes.* Sic Deipara à triplici ſtatu Beatorum tanquam vernantium florum coronâ, cingitur.

Sen. — *[illegible]um Gratiarum mu*[illegible] — *Earū nomenclatio, & ſignificatio.* — *Euphroſyna gaudium denotat.* — *Aglaia, ſplendorem.* — *Thalia: ramos feſtos, flores, conuiuium.* — *Tres Gratiæ, tres Hierarchias, aut tres Eccleſiæ ordines denotant.* — D. Hier. — *Flores, & lilia virginū, & martyrū Mariam circumdant.*

27. Nec mirum, ſi tres Gratiæ frondibus, & candidis floribus ornant Deiparam, cùm ipſa manus, & brachia oſtentet ornata florum faſciculis, & calathiſ. Pulcherrimam inter cælites proponit Mariæ ſpeciem ſanctus Amedeus Epiſcopus Lauſanenſis homil. 7. de Beata Maria: *Aduertamus* (inquit) *duos tanquam calathos aureos plenos fructibus, & floribus adornatos, nouum, & vetus teſtamentum hinc, & inde læua, dextráque Virginis conſiſtentes, ipſa Virgo virginum vernans in floribus, & in fructuum ſuauitate delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio Paradiſi, attollit verticem in altitudinem cœli, & de ſuperno rore concipiens, fructum refert ſalutarem, fructum gloriæ, fructum vitæ, de quo qui ederit, viuet in æternum.* Nec congeſtos in calathis, eóſque ornantes, & coronantes habet tantummodo flores fœcunditatis, & virginitatis; eminent quoque multiplicis miniſterij materni florum faſciculi. Audi ſanctum Sophronium Epiſcopum Hieroſolymitanum apud ſanctum Hieronymum tom. 9. epiſt. 11. ſeu ſermone 2. de Aſſumpt. Mariæ fantem: *Genitrix glorioſa, ô puerpera ſublimis, cuius viſceribus auctor cœli, terraque committitur, felicia oſcula labris impreſſa lactentibus, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, vtpote verus ex te Filius tibi, mater, alluderet, cum verus ex parte Dominus imperaret.* Et ſtatim: *Tu ſequeris agnum quocumque perrexerit, tu virgineos choros, & ab intemina carnis illecebris alienos per albentia lilia, roſiſque vernantes ad fontem*

Mariæ manus ornata florum faſciculis, & calathis. — D. Amed. — *Maria in paradiſo plantata cæleſti, fructum vitæ offert.* — D. Soph. — D. Hier. — *Maria virginum cincta choris per albentia lilia, roſaſq. vernantes* [illegible] *quitur agni*

 perducis

perennis vitæ, inuitas, tu in illa Beatorum feliciſſima regione primi ordinis dignitatem adepta es, plantis roſcidis oberrans, inter Paradiſi amœnitates, & gramines choros tenero poplite pergens, felicique palma violas immarceſcibiles carpis. Quæ habitauit inter lilia cum candentibus floribus, iiſdem ſtans in Paradiſo, cingitur, & ornatur; quæ perſudit labia infantis lacteo rore, albeſcentibus floribus glorioſa circumdatur.

Martian.

Tres Gratiæ ornatu regio induta, corollis redimita, virginem ſalutant.

28. Denique ex humanis liceat ad diuina mutuare verba Martiani Capellæ lib. 2. de Nuptiis Mercurij, & Philologiæ, & quæ de Charitibus Philologiā ornantibus, ipſiq; gratulantibus profert bona lectoris venia ad diuinæ ſapientiæ matrem & Regis æterni ſponſam, cæleſtéſque in Paradiſo nuptias, liceat transferre, ſic enim inquit: *Praterea tres puellæ vultu, decoréque parili, ac venuſtate luculentâ ſertis religata inuicem manibus, roſarúmque ſpeculis redimita ad virginem conuenere; quarum vna deoſculata Philologia frontem, alia os eius; Tertia pectus apprehendit. Videlicet prima, vt latos oculis afflaret honores, ſecunda gratiam eius linguæ inſpirabat, animo tertia comitatem, quippe illæ Charites dicebantur, & quidquid apprehenderant, venuſtabant; quæ quidem virginem poſtquam lumine repleuere, Muſis admixta, etiam geſticulationes conſonas, atque Hymenea dedere tripudia.* Tu vero accipe Muſarum nomine nouem Angelorum Choros; nomine Charitum diuinas poteſtates, quas ſupra diximus, aut tres gloriæ fructus, viſionem, fruitionem, tentionem, quæ Deiparam felicitarunt Beatiſſimam, diuiníſque repleuerunt ſplendoribus, ſpeciali nitore honeſtarunt pectus, & vbera propter Dei lactationem: os propter ſuauia infixa pueri labiis. Frontem, & oculos propter ſuauiſſimum, & charitate plenum intuitum, quo reſpiciebat natum, ſubiungit Martianus: *Cum ſonitu introfertur lectica interſtincta ſideribus: Cui ritu myſtico crepitus præcinebant, ante hanc quadam anguſtioris vultus fœmina, ac ſacro lumine, athereoque reſplendens venerabili antiſtitio præminebat. Quam, cum omnes qui affuêre, conſpicerent, reueriti inclytam Maieſtatem, vt Deorum omnium, mundique cuſtodem, huic Athanaſia nomen fuit, Et heus, inquit, virgo, precepit Deorum Pater hac regali lectica in cæli palatia ſubueharis.* Athanaſiam intellige (niſi melior verborum nexus occurrit) Angelicam naturam, aut Angelorum Ducem & primatem, qui cæleſtes exercitus in hac feſtiuitate ductauit, iuxta Dei ſolium inuectam Deiparam ſic deprecor, & gratulor cum S. Nazianzen. in Tragœdia de Chriſto patiente circa finem:

Marcian.

Mariæ triūphalis pōpa.

S. Greg. Naz. *deprecatio.*

D. Greg. Naz.

Veneranda ô Virgo, caſta, feliciſſima,
Quando beata nunc Beatorum in Polo
Exuta quidquid facis humanæ, ſedes
Æternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita (ſenectæ expers) ſupremo ex æthere
Benigna properè adeſto vocibus meis,
Ego fretus his, tibi me audentius
In verba ſupplex offeram, & ſuauiſſimo
Contextam ab horto, quo tuum exornem caput,
Coronam, ô Domina, proferam.

Verſ. 3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hieruſalem.

COMMENTARIVS.

Virtus verbi Hebraici hamam.

1. VERBVM עמם *hamam, abſcondere, operire multitudine, & magnitudine.* Vnde עם populus quaſi multitudo vndequaque operta, quæ omnia obtegat, & obruat, id eſt, congregationes, & ſocietates populorum, magnus hominum occurſus, qui ſocietatis fœdere copulantur, eodem nomine, linguâ, & religione viuentium, quare non eſt diminutionis additamentum, cum prædixerit: *Fluent ad eum omnes gentes* addere, *& populi multi*, ſed potius eſt ampliationis, ac ſi diceret, non ſolum gentes omnes, vel de omnibus gentibus innumeri, ſed integra regna, Ciuitates, & populi fluent ad Dominum.

Gentium ſeſe exhortantiū ſtudium, vt ad Chriſtum confluant.

2. ET DICENT VENITE ASCENDAMVS.] Verba ſunt gentium, & Populorum ſe ſe excitantium cohortationis ſtimulo ad Euangelici curſus pálmam, & brauium ſupernæ vocationis, vt citatiſſimis virtutum greſſibus feſtinent ad Chriſti fidem & cognitionem veri Dei, ſed vates, vt pudore afficiat ſuos Iſraëlitas, quos ſimul ad Eccleſiam Dei vocat, ante oculos conſtituit eximias Gentium virtutes, quæ in earum vocatione, & credulitate eminent: prima eſt humilitas, vt rebus arduis Euangelicæ perfectionis animum ſubiicerent. Docilitas, qua ſe ſe faciles, & beneuolos ad diſciplinam Chriſti, & Apoſtolorum auſcultandam, & efformandam in animis, exhibuerunt, Animi promptitudo, & alacritas ad obediendum præceptis Chriſti, & ſe ſe ſubmittendum ad Euangelij iugum: robur, & fortitudo animi incredibilis, qua contemptis fictis numinibus, & fanis, patriis ritibus, ſeculi deliciis nomen dedêre Chriſto. Si verò verba ſint ipſius vatis, qui hortatoris munere fungitur; notanda eſt connexio verbi Hebraici *Aala, aſcendamus*, cum ſuperiori verbo *eleuabitur*; *Aala* enim ſignificat. *Aſcendere, leuare, eleuare, ducere*; & hac ratione eos permouet; nam ipſe Deus ſe præbet ſocium itineris, onera, & impedimenta alleuiat, iugum reddit ſuaue, & onus leue; ipſe Deus exaltatus ad ſe attrahit gentes, vocans eas ad exaltationem & gloriam, eorúmque pedes, qui per ardua montis ſcandunt, reddit pennigeros, & volucres, ipſe dux itineris, & viarum; ſicut paſtor ducit armentum in montis verticem, & requiem, ne homo aberret, ſicut ouis, quæ perit. Ne inanimū inducant, hunc montem eſſe ſimilem montibus, & collibus, in quibus delubra coſtruxerant, & impij ſacrificuli litabant victimas Dæmoni, addit ad *montem Domini*, ſeu *Iehouah*, *& domum Dei Iacob.*

Iſaias ſuis verbis laborē itineris alleuiat.

Eccleſia quare nuncupatur domus.

3. ET AD DOMVM DEI.] Eccleſia nuncupatur domus; quia ſicut Paterfamilias ornat domum menſa, auro, argento, ebore, veſte, foco, & lauta ſupellectili; ſic Chriſtus huius domus Dominus, ſuo domicilio parauit magnifica aulæ regiæ ornamenta, menſam, & altare Euchariſtiæ;

candelabrum,

candelabrum,& lucernas ſapientum,& Doctorũ; fidei argentum; charitatis aurum; diuini amoris focum; lectulum, & requiem humilium animorum; ſeruos & ancillas in caſtitate, & operibus bonis famulantes. Sed cur vocatur domus Iacob, non domus Abraham, aut Iſaac? reſpondet Procopius primò: quia Iacob luctator, & victor extitit. Etenim qui ad Eccleſiam Dei attinet, debet cum vitiis, & paſſionibus luctari, & ſupplantare Dæmones.

Cur Eccleſiã appellitat vates domũ Dei Iacob. Prima ratio. Procop.

Secunda ratio. Albert.Mag.

4. Secundò: reſpondet Albertus Magn. & Cardinalis Toletus ad ea verba Lucæ cap.1. *Et regnabit in domo Iacob.* Eccleſiam Chriſti non vocari domum Abraham, quia duos filios habuit vnum de libera, alterum de ancilla; vnde ibi integrè non repræſentatur Eccleſia, cum Filius ancillæ ad Chriſtum non pertineat, Paulus enim inquit ad Galatas cap. 4. *Non ſumus ancillæ Filij, ſed liberæ; qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Nec in domo Iſaac Eccleſia integrè repræſentabatur; Nam Eſau à Deo reprobatus bona paterna amiſit; Iacob vero duodecim Filios habuit legis, & circumciſionis obſeruatores, & populus Dei peculiarij facti ſunt; idcirco tota domus Iacob Eccleſiam repræſentat. Sed contra hoc poſſet quiſquam obiicere, quod legis obſeruatio in ſola tribu Iuda,& domo Dauid integrè permanſit, aliæ verò tribus per tot regna Aſſyriorum diſperſæ, idola coluerunt regum Iſraël. Vnde Eccleſia domus Iuda,aut domus Dauid iure nuncupanda foret, cur ergo vocatur domus Iacob? Ratio genuina, & literalis eſt,quia nulli ſanctorum Patriarcharum facta eſt tam manifeſta,domus Dei, & Eccleſiæ reuelatio, ſicut Iacob; vt ex Geneſ. cap.28. verſ. 16. conſtat; Nam cùm in ſomniis vidiſſet ſcalam, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam: *Cum euigilaſſet Iacob de ſomno,ait:Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, pauénſque: quàm terribilis eſt,inquit, locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli, appellauitque nomen vrbis Bethel,* id eſt, *domus Dei,* & Geneſ.31.verſ.13.loquitur Dominus cum Iacob dicens: *Ego ſum Deus Bethel,* & Oſeæ cap.14.verſ.4. loquens de Iacob: *In Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum*, ab hac celebri nuncupatione Eccleſia vocatur *Domus Dei Iacob*, qui ei apparuit, & domum conſtruendam reuelauit, vbi promiſſiones diuinas generationis Chriſti, & aduentus eius in mundum, accepit.

Vera, & genuina nuncupationis cauſa prima.

Secunda cauſa.

5. Occurrendum difficultati ſecundò. Cùm regnum Chriſti coaluerit, & domus Eccleſiæ fuerit conſtructa ex lapidibus pretioſis, Apoſtolis ſacris ſuper Chriſtum fundatis,qui facti ſunt regnum,& Sacerdotium regale, æquo iure hanc Apoſtolorum Congregationem, & Eccleſiam primitiuorum nuncupat Iſaias regnum, & domum Iacob; Nam ex progenie, & ſtirpe Iacobæa, & ex principibus Familiarum, quæ ex eâ originem ducunt, exorti ſunt principes Apoſtoli, nam ferè omnes de Tribu Iuda,de Tribubus Zabulon,& Nephthalim nati ſunt, vt conſtat ex Pſalm.67.verſ.28.Iſaiæ c.1.& Matth.c.4.& Paulus Apoſtolus natus eſt de Tribu Benjamin. Quæ omnes tribus pertinent ad domum Iacob.

Ieſus Eccleſiæ Doctor. D.Iuſt.Mart. Euſeb.Cæſ. Lect.Lxx. D.Cyrill. Procop.

6. ET DOCEBIT NOS VIAS SVAS.] Sanctus Iuſtinus Martyr dialogo cum Triphone legit: *Et illuminabit nos docentes de via eius*, & Euſeb. Cæſar. lib.2.demonſtr.cap.30. *Et annunciabit nobis viam ſuam,& ambulabimus in ea.* Et eſt lectio antiquiſſima Lxx. Interpretum, eámque ſequuntur ſanctus Cyrill. & Procopius. Nunc vocat Iſaias Eccleſiam domum ſapientiæ, & doctrinæ cæleſtis Athenæum, in qua Deus ipſe Magiſter, & Doctor eſt:hortatúrque Iſaias Gentes confluentes ad montem, vt ſint docibiles Dei; Chriſto & Eccleſiæ in diſciplinam ſe tradant, docebit nos (inquit Iſaias) Deus ipſe, non iam Moyſes, & Elias, aut alius ex Prophetarum choro. Ipſe Dominus domus regiæ, munus præceptoris ſuſcipiet. *Et illuminabit docentes*, ſecundum lectionem Iuſtini, vt diſcipuli non ſolùm imbuantur præceptis cæleſtibus,ſed illuminentur eorum mentes,vt recondita,& arcana myſteria Theoſophiæ percipiant, vt alios quoque erudiant. *Et annunciabit nobis viam ſuam*, ſecundùm Lxx. quia ipſe primus regnum Dei hominibus euangelizauit; ideò ab Apoſtolis, Euangeliſtis, Principibus, infima plebe, Magiſter,& præceptor vocabatur,ipſéque ait: *Vnus eſt magiſter veſter*, ipſe bonus nuntius, *& magni conſilij Angelus*, iuxta Iſaiæ c.9.qui voluntatem, & conſilium Patris nobis annunciauit.

Eccleſia ſapientiæ cæleſtis domus.

Quid denotet via, & ſemita.

7. VIAS, ET SEMITAS.] Via, & ſemita denotant varia inſtituta, & viuendi rationes. Aliqui non incongruè vias exponunt mandata Dei: per ſemitas conſilia Euangelica, & ſeuerioris vitæ diſciplinam denotari autumant. Sanctus Hieronymus ad literam interpretatur, quando Chriſtus Ieſus aſcendens in montem, octo Beatitudinis ſemitas diſcipulis oſtendit; illæ enim ſunt viæ regiæ; & ſemitæ æquitatis, quibus in cœlum aſcenditur. *De Sion exibit lex.* S.Cyrillus Alexandrinus duplicem Commentationem aſſignat valde accommodam, dicens: *Quod geminum ſenſum habet; vel illud dicit nos verbum à domo Dei accepturos, & ibi natos verbum Dei cognituros,vel quod lex relictura eſſet Sionem, & exitura ab ea, atque verbum Dei emigraturum à Ieruſalem, ex Sion & Hieruſalem gratiam Dei receſſiſſe dicit, omninoque ad gentes emigraſſe.* Duplicem egreſſionem verbi, & legis de Sion aſſignat vates.Primam tanquam de fonte ad Eccleſiæ fœcundationem; ſecundum, ad derelictionem ipſius Sion, vt Hieruſalem repudians eam derelinquat. Primus ſenſus genuinus eſt,& textui vulgati magis cohærens: nam Sion extitit ſcaturigo diuinæ ſapientiæ, & legis Euangelicæ. Nam in monte Sion, & in Hieruſalem Chriſtus legiſlator eam promulgauit, & expoſuit. Inde Apoſtoli tanquam ſapientiæ riuuli de fonte manantes ad omnem terrarum orbem deriuati ſunt.

D.Hier.

D.Cyr.Alex. In duplici ſenſu lex exiuit de Sion.

Primus ſenſus illuſtratur.

8. Primà expoſitio illuſtratur ex Pſalm.2. verſ.6 in quo Chriſtus fatur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Verbum *Prædicans*, legit S.Hilarius: *annuncians.* Quinta editio: *Pronuntians teſtamentum.* Theodoretus verò inquit: *In monte Sione, & in Iudæa ſuam diuinam doctrinam accedentibus adminiſtrauit; hi verò, qui hanc ſuſceperunt, in omnem terram flumina deriuarunt, diuinis eius præceptis credentes.*

D.Hilar. Quinta edit. Theod.

9. Similes loci prophetici reperiuntur, Ioëlis cap.2. *Et erit omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, quia in monte Sion, & in Hieruſalem erit ſaluatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis, quos Dominus vocauerit.* S. Hieronymus locum Ioëlis, & Iſaiæ exponens, connectit, dicens: *Quia de Sion egreſſa eſt lex, & verbum Domini de Hieruſalem, principium ergo eorum, qui ſaluati fuerunt, fuit in Sion, & Hieruſalem.* At ſanctus Cyrillus ſequitur lectionem Lxx. legentium, & efferentium poſtrema verba; *Et euangelizantes, quos Dominus vocauit*,& locum expendit: *Verbum ſalutis in ipſa Hie-*

D.Hier.

roſolyma, quæ prima occidit Dominum, promulgatum, & ſuper omnes gentes circumlatum iri, per ſanctos Apoſtolos, clarè perſpici ex hoc Propheta poſſit. Hæc Cyrillus.

D. Cyrill. Lect. Lxx. D. Cyrill. Euſeb. Procop.

Secunda verò expoſitio, quod verbum, & lex dereliquit Sionem, & Ieroſolymam, magis cohæret cum lectione Lxx. qui vertunt: *Ex Sion egredietur lex*, eam ſectantur S. Cyrillus, Euſebius, & Procopius.

Expoſitio Vaticinij II.

In qua myſterium Transfigurationis Chriſti declaratur.

Verba Iſaiæ, & Euangelij conferuntur.

1. DE gloriæ maieſtate, quam Chriſtus Ieſus in monte Thabor diſcipulis demonſtrauit, verba huius verſiculi ſecundi interpretor; & vt fiat euidentior commentationis conſonantia, & pluribus conceptibus, & diſcurſibus reddatur illuſtrior, verba verſiculi ſecundi, tertij, & quarti, ad conflandam interpretationem annecto. Nam oraculi prophetici verba, cum Euangelico Transfigurationis arcano aptiſſimè conſonant, vt patebit legenti. Vtrobique enim (ſi ſcopum teneas huius capitis ſupra verſu 2. in prima expoſitione propoſitum) verba Iſaiæ, & Euangeliſtæ in eumdem finem diriguntur: Ab vtroque enim Ieſus Rex, Iudex, legiſlator, & Doctor declaratur: lumen illud, quod Apoſtolis illuxit, illuminat apud Iſaiam gentem, cum clamat. *Venite, ambulemus in lumine Domini.* Vtinam ille fulgor cæleſtis interpretis mentem illuſtret, Sed iam verba decenti ornatu, & elegantia interpretationis aptemus.

Mons manifeſtus eſt Ieſus in transfiguratione.

2. Primò: *Erit mons manifeſtus.* Sic legunt Lxx. & iuxta eorum tranſlationem procedit interpretatio huius ſententiæ, extitit mons manifeſtus Ieſus, quando in Thabor vt verus Sol illuxit mundo, quando animæ beatiſſimæ gloria, quæ ſub velamento corporis, velut repreſſa latitabat, foras emanauit, ornans veſtes niueo candore, illuminans corpus ſplendore mirabili, qui in legis, & Prophetarum vmbris cernebatur obſcurus, ſublato velamine in Thabor apparuit manifeſtus. Pulchrè S. Leo Magnus ſerm. de Transfiguratione, inquit: *Quem ſub velamine myſteriorum præcedentia promiſerant ſigna, manifeſtum, atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit.* Et ſanctus Damaſcenus orat. de Transfigurat. ait: *Nubes non caliginoſa, ſed lucida obumbrauit: etenim myſterium à ſæculis, & generationibus abſconditum, detectum eſt.* Animaduerte lector, quod mós Chriſtus in Transfiguratione dicitur manifeſtus, conſpicuus, illuſtris, ſplendens, ſecundum omnes verſiones ſupra poſitas in prima expoſitione, verſ. 2. quas ex verbo Græco Lxx. Interpretum, antiqui Patres eliciunt, hinc eſt, quod ſanctus Hilarius in Matth. Canone 17. ait: *Ipſe autem Dominus fit niue, & ſole candidior, ſupra opinionem ſcilicet noſtram cæleſtis luminis ſplendore conſpicuus.*

D. Leo. *Gloriæ ſplendor reddidit Ieſum manifeſtum, atque conſpicuum.* Lect. Lxx. D. Hilar.

Mons Thabor eleuatur ſuper colles honore, & gloria.

3. Secundò: *Mons præparatus in vertice montium, & eleuatus ſuper colles.* Poteſt accipi mons metonymicè pro monte Thabor, in quo Chriſtus glorificatus eſt, Thabor namque eſt vertex, & corona montium, exaltatus hodie, & eleuatus ſuper omnes montes, & colles, omnes quidem gloria, & honore ſuperat: optimè S. Ioannes Damaſcenus, orat. de Transfigurat. expendens verba Pſalm. 88. verſ. 5. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt*, ſcribit huius montis inſignia: *Nunc autem exultat, ac lætitia perfunditur Thabor, diuinus, inquam, ac ſanctus ille mons, nec minus gloria, ac ſplendoris ratione, quàm ingenti quadam altitudine ſublimis, nunc merito exhilaratur, de gratia enim (* imo de gloria*) cum cœlo certat.*

D. Dam. *Thabor, lætitia exultat.*

Ieſus in transfiguratione eleuatus ſuper Angelos, Prophetas, & Apoſtolos.

4. Si verò propriè accipiatur mons, in monte Thabor ingenti quadam altitudine ſublimi, manifeſtus, & ſplendens mons Chriſtus apparuit. Dicitur namque eleuatus, & ſublimatus ſuper colles in Transfiguratione, quia ſublimis ſuper Angelos declaratus eſt; nam *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, cui enim dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu*, ad Hebræos, cap. 1. verſ. 5. Sed in Transfiguratione vox patris auditur dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. cap. 17. verſ. 5. Dicitur eleuatus ſuper montes, quia Apoſtolorum apices Petrum, & Iacobum, & Ioannem; legis, & Prophetarum celſiſſimos montes Moyſem, & Eliam, honore, & dignitate tranſcendit; ideo inter Moyſem & Eliam in monte refulſit, vt diuerſitatem inter ſeruos, & Dominum, inter Solem, & minora ſidera cerneres. Audi S. Chryſoſt. homlia 57. in Matth. *Cuius rei gratia Moyſen, & Eliam produxit? Primum quoniam turbæ alij Eliam, alij Ieremiam, alij priſcorum Prophetarum vnum opinabantur, idcirco Moyſen, & Eliam ceterorum Prophetarum vertices produxit, vt quàm magnum ſit inter ſeruos, & Dominum diſcrimen oculis cernerent.* Quando igitur ſplendidus tanquam Sol conſpectui ſe dedit humano, & inter Moyſem, & Eliam medius eminuit, fuit mons Chriſtus in vertice montium, & eleuatus ſuper colles.

D. Chryſoſt. *Ieſus inter Moyſem, & Eliam tanquam Dominus apparuit.*

Ieſus fons gratiarum.

5. In expoſitione prima diximus Chriſtum nuncupari montem, quia ex ipſo fons gratiarum iugi ſcatebra fluit; dicitur quoque vertex Eccleſiæ, principium, & caput, quia in corpus Eccleſiæ chariſmatum fluenta deriuat; mons in vertice montium in Thabor præparatus dicitur, quia gratiæ, & gloriæ riuos, exuberantis luminis ſplendorem ad ſponſam, & Reginam Eccleſiam deducit, & de fontana plenitudine Deitatis, diuitias gloriæ ſuæ ad Prophetas, ad Apoſtolos vſque manare facit. Vnde ſanctus Auguſtin. ſerm. 28. de diuerſis ait: *Iam demonſtratur nobis in Eccleſia regnum Dei hic Dominus, hic lex, & Propheta, ſed Dominus tanquam Dominus, lex in Moyſe, prophetia in Elia Sed ipſi tanquam ſerui, tanquam miniſtri, ipſi tanquam vaſa, ipſe tanquam fons. Moyſes, & Propheta dicebant, & ſcribebant, ſed de illo implebantur, quando fundebant.*

D. Auguſt.

Chriſtus in mõte Thabor exaltatus.

6. Non ſolum eleuatus ſuper montes, ſed exaltatus etiam, nam in illo montis Thabor theatro coram Angelis, & hominibus exaltationis Chriſti procurata eſt cauſa, dum Deus pater præſidet ſummo concilio, & de paradiſo Eliam, de inferis Moyſem iudices adduxit, & de viuis Apoſtolos teſtes adhibuit, vt innoteſceret omnibus diuina altitudo ſapientiæ, humiliationem eſſe exaltationis viam, quod per ignominiam Chriſtus peruenturus eſſet ad gloriam, quod immutabile Dei decretum ſalutis hominis aſſerendæ, infirmare prudentia non poſſet humana, quod corpus illud clauſum vtero, flagris cæſum, cruci ſuffixum, morte obſcuratum, abiectum tumulo, æthereas regiones ſcanderet, cælorum teneret ſublimia: nec ſuſpendium Crucis, quod elegit pater, quod elegit Chriſtus, fuis

fuit honoris, & gloriæ diſpendium, ideo dum Ieſus eſſet in magnifica gloria, Moyſes, & Elias loquebantur cum eo, de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem: præterea in Thabor à Creatore, & à creaturis exaltatur Ieſus, dum diuinum, & humanum accipit diuinitatis teſtimonium.

D.Thom.

Grauiter S.Thomas in cap.17.Matth. inquit ad ea verba: *Vox de nube*, inquit: *Chriſtus habuit teſtimonium de cœlo à Patre, de inferno à Moyſe, & ab Elia de Paradiſo; à diſcipulis, de terra; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris.*

Gentes fluūt, & ambulant in lumine Ieſu.

Moyſes, Elias Apoſtoli, clypei aurei, in quos refulſit Sol Ieſus.

7. Tertiò: *Fluent ad eum omnes gentes.* Vtique illuminatæ à lumine Domini, de quo lumine vates ſubdit: *Venite ambulemus in lumine Domini*, à Ieſu gloria, & ſplendoribus vocatæ, & attractæ ſunt gentes, à lumine illius, cuius facies reſplenduit tanquam Sol, de quo illud Machabæorum dictum videtur: *Refulſit Sol in clypeos aureos, & reſplenduerunt montes ab eis*, 1.Machab. cap.6. verſ.39. facies illius, qui reſplenduit, tanquam Sol refulſit in clypeos aureos, hoc eſt in Moyſen, Eliam, & Apoſtolos: Moyſes clypeus extitit, quando inter Deum, & populum conſtitutus, ſententiæ diuinæ ſe oppoſuit, & ab ira Domini Synagogam protexit. Elias quia defenſor fidei, Zelator Dei, & protector legis. Petrus, quia Eccleſiæ nauis Patronus, & humanitatem Chriſti à comprehenſoribus gladio defendit, Iacobus, quia Eccleſiam præcipuè Hiſpanam gladio à perſecutoribus tuetur: Ioães, quia Chriſti Deitatem deffendit lingua, & calamo. Iſti ſunt Cerethi, & Pheleti, hoc eſt gladio, ſcuto, & haſta armati duces, qui veri Dauidis, & Salomonis tuentur latera: aurei vocantur clypei propter Dei charitatem, & ſplendorem ſapientiæ. Cum enim clypeus aureus radiis Solis feritur, vberioris luminis iaculatur fulgura, & proxima ſpatia fulgoribus ambit. Sol Ieſus fulgura immiſit in clypeos, cum illuminauit Apoſtolos; *Reſplenduerant montes ab eis*; cum illuminatæ ſunt gentes, conuerſi ſunt Reges, & terrenæ poteſtates, quando erroris diſcuſſa caligine, lumen Fidei, & gratiæ Dei, refulſit in tabernaculis peccatorum: illuminatæ confluunt gentes, & ambulant in lumine Domini. nec nouum eſt Apoſtolos nuncupari clypeos; eos ſic nominat Theodoretus ad verba Pſalm.46. *Quoniam dij fortes terræ*, &c. ſcribens: *Miniſtri autem vocationis harum gentium diuini Apoſtoli fuerunt, miraculis Theologiæ altitudinem firmantes, hos namque LXX. fortes nuncuparunt: Aquila vero ſcuta. Theodotion, & Symmachus protectiones appellauit, in omnibus autem non ſolum oſtenditur eorum potentia nemini mortalium ſubiecta, & inexpugnabilis, ſed etiam cuſtodia, quam pro alijs fecerunt, nam velut quædam ſcuta, & propugnacula credentium facti.*

Theod. *Apoſtoli ſcuta, & protectiones nuncupantur.*

Theodot. Symm.

Iſaias alludit Pſ. 88.

8. Et ne præſens expoſitio videatur conficta, confirmari poterit ex Pſalm.88. verbis, quibus alluſiſſe videtur Iſaias cum ait: *Fluent gentes*, Et *venite, ambulemus in lumine Domini*, Dauidis, & Iſaiæ ſententiæ æquiparandæ ſunt, dum Transfigurationis Chriſti arcana proferunt: titulus Pſalmi eſt: *Intellectus Ethan*, & exponit venerabilis Beda: *Ethan interpretatur robuſtus, incommutabilis fidelium verborum firmitas, robuſti nomine præmonſtratur, quia thronus Dauid promittitur æternus.* Supponit Canticum hoc ſub typo ſtructuræ templi Salomonis, & ſtabilitatis regni, & throni Dauidici, & Salomonici, Eccleſiæ Chriſtianæ fundationem, & inconcuſſam firmitatem regni veri Meſſiæ, & Saluatoris, & hoc præmonſtrat titulus. *Et robuſtus Ethan*, idque conſonat cum verbo Hebraico *ethan*, pro quo vulgatus in Iſaiæ teſtimonio tranſtulit, *Præparatus*, quod firmare regnum, & ſtabilire imperium denotat, poſtea de Ieſu in eodem carmine dicit Pater, verſ.28. *Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.* Aquila legit: *Sublimem, vel altiſſimum regibus terræ.* Symmachus: *Longè ſupremum regum terræ*; In quibus vides montem Ieſum, & regem ſupra omnes reges eleuatum, exaltatum; poſtea redit vates ad gloriam in Thabor demonſtratam, & illuminationem gentium, quæ à Sole ibidem lucente ſumpſit exordium, verſ. 14. *Thabor in nomine tuo exultabit.* Vbi introducit Thabor montem præ lætitia geſtientem, de gloriæ redundantia, & nouo ſplendore Ieſu, ſic locum accipit ſanctus Damaſcenus, orat. de Transfigurat. nec de ſolo Ieſu, qui ſicut Sol apparuit, quaſi lymphatus redditur Thabor, ſed quia lumen illud ſuper Eliam, Moyſem, Apoſtolos expanſum, ad gentes in tenebris ambulantes perueniebat, vt ambularent in lumine Domini. Vnde verſ.17. ſubiungitur: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*, vtique: *In lumine Domini*, cuius facies in Thabor reſplenduit, ſicut Sol, vnde mons Thabor, nomen de hoc lumine accipit. *Thabor* (inquit venerabilis Beda in hoc Pſalmo) *interpretatur lumen adueniens, vnde verò hoc lumen aduenit? ab illo ſcilicet, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod eſt lumen, quod neque ab alio accendetur, nec vnquam extinguetur.* Itaque Dauid in lumine vultus Domini promittit ambulaturas gentes, gratiæ, & gloriæ Chriſti fulgoribus illuminatas: videns Iſaias promiſſum, eaſdem hortatur, vt ambulent in lumine Domini.

D.Beda. *Titulus Pſ. 88. intellectus Ethan, expenditur.*

Firmitas Regni Chriſti.

Ieſus Rex ſublimis, & ſupremus.

D.Dam. *Thabor exultat, quia à Sole Ieſu gētes illuminātur.*

D.Beda.

Aſcenſio Ieſu, & Apoſtolorum in montem.

9. Quartò: *Venite aſcendamus ad montem Domini.* Pio Iſaiæ deſiderio ſatisfactum eſt, cum aſſumpſit Ieſus Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & duxit illos in mõtem excelſum ſeorſum. Spiritus Chriſti, & Iſaiæ eſt, ſemper aſcendere, nunquam deſcendere, imo regale decus Chriſtus oſtendit, cum eos ad ſublimia duxit: argutè ſanctus Hieronymus inquit: *Duxit illos in montem: ducere ad montana diſcipulos, pars regni eſt*, at cum Iſaias inquit: *Venite, aſcendamus, venite, ambulemus*, non cupit ſolus aſcendere: nec ſpecie eximia, nec beatitudine ſumma vult ſolitariè perfrui, pars enim felicitatis æternæ eſt, gloriæ Dei plures habere conſortes, non ſicut Petrus, qui contrarium poſtulat. *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, quanto prudentior in hoc, & ſapientior Iſaias, quam Petrus: non eſt hic ſtandum, ſed ambulandum, & aſcendendum in lumine Domini, nullos vidit Iacob in ſcala ſtantes Angelos, ſed omnes ambulantes, ibi aſcendebant & deſcendebant Angeli, in Iſaiæ monte nullus deſcendit, omnes aſcendunt.

D.Hier. *In Ieſu regno omnes aſcendunt, nullus deſcendit.*

Ieſus Angelorum, & hominum Doctor.

10. Quintò: *Docebit nos vias ſuas.* Magiſterium Chriſti his verbis oſtendit, nam magiſter, & Doctor Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum conſtituitur à Patre, dum clamat: *Ipſum audite.* S.Thomas in hæc verba: *Vnde inſinuat* (inquit) *eum datum Doctorem omnium, Deuteronomij 18. Prophetam ſuſcitabit Dominus de gente veſtra; ipſum ſicut me audite; vel ipſum audite non Moyſem, non Eliam, niſi ſecundum quod Chriſtum docent, vel doctrinam Chriſti.* Sed quæ noua præcepta, viaſque mirabiles docuit de ſolio montis Thabor Ieſus, magiſterij infulis à patre laureatus? in illo ſanctiſſimorum vatum conſeſſu ſapientiſſimorum Doctorum

D.Hilar.

ctorum lyceo? Reſpondet primo S. Hilarius: *Vt idoneus ipſe præceptorum author eſſet, qui poſt ſæculi damnum, poſt Crucis voluntatem, poſt obitum corporeum, regni cæleſtis gloriam ex mortuorum reſurrectione facti confirmaſſet exemplo.* Reſpondet ſecundo

D.Leo.

S.Leo ſupra citatus: *Ipſum audite, qui ſanguine ſuo mundum redemit, qui Diabolum ligat, & vaſa eius rapit; ipſum audite, qui viam aperit ad cælum, & per Crucis ſupplicium, gradus vobis Aſcenſionis parat ad regnum.*

Ieſus noua legis charitatis legiſlator in Thabor.

11. Vnde aptè ſubiungit: *De Sion exibit lex*, hodie namque nouus legiſlator Ieſus nouam Euangelij legem, nouáque nimiæ charitatis præcepta promulgaturus, ſolitudinem mentis aſcendit; non caligine ſicut Moyſes in monte Sina circumdatus, ſed ſplendida nube gloriæ conſpicuus, & cæleſtis claritatis ſplendore coruſcus. Verbum Dei, & ignea lex amoris ex ore Ieſu auditur, & de exceſſu mortis cum aſſeſſoribus Moyſe, & Elia fatur, ignea lex in manibus eius eſt, cum mandatum patris de morte ſuſcipienda, & vita Protoplaſti reparanda à Patre intimatum, à Filio, & Spiritu ſancto in Thabor approbatum, in Hieruſalem opere comprobauit, ideo Moyſes legiſlatori Deo, &

D.Dam.

antiquæ legis auctori adſtat. Audi ſanctum Damaſcenum vbi ſupra: *Hodie veteris teſtamenti auſpex, ac diuinus legiſlator Moyſes, legiſlatori Chriſto ſeruilem in medum, tanquam hero adſtat.* Nec obſtat, quod aſſerat Iſaias, quod de Sion, & Hieruſalem exitura ſit lex, quia non excludit, quod ab aliis montibus ipſi Sioni & Ieroſolymæ conterminis Chriſti lex, & prædicatio egrediatur.

Ieſus iudex in Thabor, conſiliarijs ſuis præſidet.

12. Sextò: *Iudicabit inter gentes*, quia de nube, tanquam de iudiciali ſubſellio inter antiquæ, & nouæ legis iudices, præſidens Ieſus, de æquitate loquebatur, de iuſtitia reſarcienda Patri, vt Deus homo de rigore iuſtitiæ pro peccato hominis ſatisfaceret. S. Ioannes Damaſcen. ſupra inquit: *Prophetarum præſtantiſſimi vaticinantur, Domini per Crucem ex hac vita diſceſſum indicantes.* Addit ſanctus Hieronymus in Thabor, vt iudicem apparuiſſe: *Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis*, & ſanctus Hilarius rationem proferens cur inter Moyſem, & Eliam apparuit, inquit: *Cum his enim Iſraëlem, quibus teſtibus prædicatus eſt, iudicabit.*

D.Dam. *Sententia profertur, quòd Ieſus per Crucem ad gloriam tranſiat.* D. Hier. D.Hilar.

In Thabor Ieſus Petrũ obiurgat. D.Thom.

13. Septimò: *Arguet populos*, Apoſtolos reprehendens, quia myſterium Crucis impedire nitebantur; ſed præcipuè Apoſtolorum verticem Petrum, nam cum diceret: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Euangeliſtæ arguunt, & reprehendunt dicentes: *Neſciebat, quid diceret.* Addit S.Thomas in Commentario Matth. cap. 17. quod arguebat Petrum Ieſus: quia credidit, quod gloria, ſine morte poſſet haberi, item: *Quia credidit in hoc mundo eſſe gloriam Sanctorum, quæ non eſt hic, ſed in cælis, item quia credidit, quod domibus indigerent; item quia comparauit Chriſtum alijs.*

Discvrsvs I.

Pulcritudo, quæ non natiuæ liberali munere, ſed expugnatione, & labore aſciſcitur, Deo, & Cælicolis gratior.

1. NON ſpecies illuſtrata artifici manu, fucis, & pigmentis, perpolita, titillans ſenſus, & demulcẽs ſuauitate, tam accepta Deo; quàm illa, quæ iure belli, & periculoſo cum hoſte conflictu comparatur animo, & corpori: hic nitor, fulgénſque candor periculis, & laboribus partus, Deo, & Angelis iucundior. Angelicæ cohortes mirantur in Chriſti aſcenſu humanæ carnis venuſtatem, & ſplendorem, velut lætitia lymphatæ, & ſtupore attonitæ clamitant apud Iſaiam, c. 63. verſ. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.* Mirantur Angelicæ poteſtates in Chriſto aſcendente non tam Dei formam, quam habuit ſemper apud Patrem, cuius intuitu beatificantur, quàm humanam aſcendentis, non aſcititio colore, aut emẽtito rubore nitentem carnis ſtolam purpuream, & candidam; ſed de effuſione ſanguinis, & cruciamentis paſſionum fulgentem: pulcritudo Chriſti prælio comparata Angelicos occupat obtutus, & plauſus vim conceptus extollunt LXX. legentes: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, rubor veſtium de Boſor? ſic formoſus in ſtola, violentia cum fortitudine?* Vel iuxta lectionem ſancti Cyrilli, *Violenter incidens cum fortitudine?* Species, & forma, quam habet filius à Patre, prorſus diuina, ſed eam accipit à genitore ſine labore, & diſcrimine; at venuſtas, & elegantia ſtolæ humanæ, quam Chriſtus in æthream regionem inuexit, victoria, & expugnatione hoſtium acquiſita, tolerantia paſſionis, & Crucis comparata, in qua violentiam, & fortitudinem demonſtrauit, violenter detrahens ſpolia hoſti humani generis, violentam mortem, & opprobrium ſuſtinens, videbatur Angelis in hac feſtiuitate iucundior: iure ergo cæleſtes ſpiritus occinunt: *Sic formoſus in ſtola, violentia cum fortitudine*, nouum, & inſolitum decus ſplendoris venerantur fortitudine ſimul cum violentia adornatum. Sed quid mõſtri eſt: *Violentia cum fortitudine*, in formoſitate ſtolæ? ex anima Chriſti ab inſtanti creationis, donata beatifica viſione, & gloria, glorioſi fulgoris reſultatio emicare debebat in corpore, ſed impeditus eſt ſplendor gloriæ, vt idoneus, & expeditus exiſteret ad prælium; vt gloriæ, & decoris infulas, quas accepit in reſurrectione, licet haberet eas gratuitas ex natura viſionis, adipiſceretur iure prælij; vt formoſiorem redderet Chriſtum decor, quem non ſolum habebat deriuatum ex natura, ſed comparatum pugna: pulcre ſanctus Auguſtinus ſerm. 178. inquit alludens ad locum Iſaiæ, & Pſalm. 23. verſ. 8. *Aſcendebat enim cruoris rubore perfuſus, à trophæis victricibus laureatus: viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia caſtris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentis diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes: quis eſt, inquiunt, iſte Rex gloriæ?* Illum decorem, quem afferebat Ieſus à prælio, & vulneribus emanantem intuebantur, & mirabantur cœlites, eiſque gratioſiſſimus videbatur.

Chriſti in Cœlum aſcẽdentis venuſtatem mirãtur Angeli.

Lect. LXX. In Ieſu ſpecie, violentia cũ fortitudine nitet.

Splendor, & gloria Ieſu paſſione & Cruce cõparata Angelis gratiſſima.

D. Athan.

2. Erigens Ieſus diſcipulorum animos ad ſpem futurorum, nimiam veſtimentorum ſolicitudinem prædicat abrogandam apud Matth. cap.6. verſ. 28. *Et de veſtimento, quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent.* Ergo naturæ beneficio derelinquam corporis indumenta, & omittam texturæ laborem contemnens nuditatem? altior ſenſus inueſtiganti S. Hilario occurrit, dum Canone quinto in Matth. inquit: *Sed lilia non laborantia, neque nentia ſignificari, intelligenda ſunt, vt Angelorum cæleſtium claritates, quibus extra humanæ ſcientiæ eruditionem, ſuique operis*

D.Hilar. *Angeli cõparantur lilijs, qui nõ laborãt, quia exiguo labore candore gloria ſunt conſecuti & virtute; exercent ſine aduerſantis*

vis mercedem à Deo gloriæ candor indultus eſt : nequid ex proprio labore, aut arte exiſtimarentur habuiſſe. Liliorum nomine cæleſtes ſpiritus intelligit Hilarius,qui candore gratiæ,qua formati ſunt,& claritate gloriæ , qua ornati , tanquam lilia in æternum vernantia nitent in ſupremo viridario , ſed cum audis : *Extra operis mercedem à Deo gloriæ candor indultus eſt* : Ne exiſtimes gloriam in Angelis ſtantibus fuiſſe merè gratuitam , in eis enim fuit corona iuſtitiæ , quam in ſtatu viatorum bonis operibus Angelus vnuſquiſque promeruit , ſed operatoria exercitatio in eis non extitit laborioſa, nec virtutes ſudore , & laboribus acquiſierunt, & id inſinuant poſtrema Hilarij verba : *Nequid ex proprio labore , aut arte exiſtimentur habuiſſe* : In ſcientiarum acquiſitione,in caſtitatis victoria non laborant, nulla ſufferunt aduerſa ſicut lilia campi, quæ munificentia Creatoris candidulo nitore ornantur; non ſic homo, qui vt comparet illibatum pudicitiæ candorem,animæ gloriam,corporis cæleſtem ſplendorem, tribulis pungendus, ærumnis opprimendus , coërcitione paſſionũ macerandus, ſemper laborans, & tiens in vitæ curriculo, donec vna ex lanificis ſororibus abſcindat aduerſitatum ſtamina ; ideò caſtitatis candor , & ærumnis confecti corporis ſplendor , quanto in homine periculoſior, tanto felicior, quanto laborioſior, tanto ſpecioſior, & gratior.

Homo ſemper laborans , & pugnans vt acquirat gloriæ candorē.

3. Ductabat gregem ad interiora deſerti Moyſes,cum ſubito videt Deum in rubo ardente,& incombuſto,Exodi cap.3.verſ.2. *Et videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Abſtulit quod erat ardoris,& voracitatis in igne Deus, reliquit, quod erat ſplendoris,& lucis: gloria circumdatus apparebat in rubo , vt ad tolerantiam ærumnæ populum Tyrannide Pharaonis oppreſſum erigeret mercede æternitatis,velut ex rubi ſuggeſtu clamabat,nolite ſuccumbere,ignominia vertetur in gloriam , corpora veſtra penſo luti, & lateris vexata, æſtuantis clibani fumo, & fuligine atrata , deturpata,cæleſtibus illuminabo ſplendoribus.Hoc innuebat lumen ignis rubum ambientis ex ſancti Ambroſij mente in Pſalm.43. eius verba ſunt:*Reuelauit ergo futurum quoddã corporei ſplendoris indicium, quo per reſurrectionem caro iſta fulgeret , quid enim ſignificat ignis innoxius , niſi lumina reſurgentium ?* Iam ergo futuram immortalitatis ſpeciem, & formam in ſeipſo mirabiliter exprimebat Deus; & corporeo ſimulacro , in quo apparebat ſtolam gloriæ fulgoribus nitidam iucunde adaptabat ; vt mirabilior , & ſpecioſior conſpectui ſe daret humano. *Vadam* (inquit Moyſes) *& videbo viſionem hanc magnam.* Magnitudo viſionis, non tantum ex ignis incombuſtione, ſed ex pulcherrima imagine Dei;optime Philo Iudæus, lib.1.de vita Moyſi,inquit ; *E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli viſibili ſimilis , diuinum ſimulacrum luce fulgens clariſſima.* Sed cur non in alia virgulti ſpecie hanc pulcherrimam formam Deus oſtentat,ſed in rubo ? quia glorioſi flos candoris , & roſa ſplendentis ruboris,quæ inter ſentium cuſpides,& vulnera naſcitur iucundior : quid plura · glorioſa lumina reſurgentium in lumine ignis oſtendũtur, ignis inquam, repreſſi,refrænati,& velut emortui: ignis enim propenſione naturæ plus amat vrere, quàm lucere , ſed Deus diuiſit combuſtionem à luce , vt gliſcentes flammas , & voraces furentis ignis cohiberet à combuſtione, temperaret ad ſplendorem , & vis ignis ſic repreſſa in maiorem copiam lucis erumperet ; ex igne mortificato , & cohibito circa motus naturæ pulchrior, & gratior emanat ſplendor.

Grata vitæ imago in rubo apparuit Moyſi.

D. Ambr.

Splẽdor ignis in rubo innuebat lumina corporum reſurgentiũ.

Phil. Iud.

Ignis natura deprimitur à Deo, ne exurat.

4. Inueſtigari ſolet à patribus, an terra in mundi exordio germinauerit roſam ſine ſpinis ? & reſpondet ſanctus Baſilius affirmanter , rationemque ſubiungit orat.3.de peccato : *Sic & roſa à principio ſine ſpinis prodierat , ſed poſt ad pulcritudinem floris vepres acceſſere , vt haberemus ſimul oblectationem cum dolore coniunctam* , & epiſtola 149. addit : *Et tale quid de roſis quemdam ſiue ioco , ſiue ſerio referentem audiui , quod roſarum amatoribus natura minutas illas ſpinas quaſi quædam amatoria illectamenta illi flori adfixerit , vt ſtimulis illis ægrè contactum admittentibus , ad maius deſiderium colligentes prouocet.* Spinæ poſt peccatum ad maiorem pulcritudinem, & oblectamentum roſæ acceſſere , dum flos purpurei nitoris gratia prouocat aſpectum ; ſi eum ſine ſollicitudine, & labore legeres, vileſceret decor eius : clauſit prouida natura ſpinarum ſepimento venuſtatem, vt quanto difficilior acceſſus, tanto poſſeſſio , & fruitio floris gratior : difficilia quæ pulcra.Sentium obtundendæ cuſpides,vulneranda , & cruentanda manus , vt vernantis floris decore ornes dextram , tunc labore, & pugna decerptus flos, gratius redolet,& nitet.

Roſa primò creata ſine ſpinis?

D.Baſil.

Sentes acceſſerunt roſæ ad incrementum oblectationis, & pulcritudinis.

5. Perdifficilis ſententia legitur apud Paulum 2. Cor. cap.3. verſ.18. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes , in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem , tanquam à Domini ſpiritu.* Sed ex antecedentibus enodatur,in quibus aſſignat diſcrimen gloriæ Moyſi, & gloriæ Chriſti,nam Moyſis gloria,quæ ſplendebat in vultu, velamine tegebatur , vt filij Iſraël in eum poſſent intendere; at Chriſti ſplendor , & gloria ſine velamento cernitur. Sed os aureum iure perſcrutatur, quid ſit ſpeculari gloriam? *Sed quid eſt* , (inquit Chryſoſtomus homil. 7.) *gloriam Domini ſpeculantes ſecundum eandem imaginem transformamur?* Et reſpondet grauiter, & acutè ,*ſimul enim vt baptizamur,etiam vltra Solem refulget anima ſpiritu perpurgata : ac non ſolum intuemur in gloriam Dei , verumetiam inde recipimus ſplendorem quemdam : non aliter ac ſi argentum mundum ad Solis radios expoſitum emittat & ipſum radios , licèt non ex ſuapte natura ſolum , verumetiam ex Solis fulgore : ſimiliter & anima repurgata , & argento facta lucidior, accipit radium à gloria ſpiritus , & hunc viciſſim ex ſe remittit.* Gratiâ Spiritus ſancti refulget animus hominis, qui lauacro intingitur, ſupra ſplendorem Solis , tanquam ſpeculum nitidiſſimum diuini Solis radiis ictum, regerit Dei imaginem,& ſplendores; ſed cur hæc gloria illuſtrior,quam Moyſi?cur hæc reuelata facie oſtenditur , Moyſi gloria , & ſplendor tegitur, & occultatur: quia Moyſis ſplendores ſunt pacis , & liberalis Dei muneris : ſplendores baptizati ſunt certaminis & pugnæ ex contemplationis gaudio,ex conſortio ſermonis Domini, in Moſaica facie prorumpunt lucis cornua,ex propinquitate immenſi luminis reſultabat diadema radiorum , quod ſacrum verticem cingeret ; non labor,aut prælium interuenit,quod Moyſes ſpondeat, ideo pudore correptus Moyſis ſplendor latebras quærit , confugit ad velamen ; at baptizatus gloriam ſuam, ſplendores ſuos reuelata facie exporrecta fronte demonſtrat, quia ex quo ſacra vnda immergitur , ſeipſum deuouet pugnæ, militiæ Chriſti adſcriptus tener puſio , patroni nomine hoſtem ſignat , crepitacillo claſſicum canit aduerſus Dæmonem,ipſum laceſſit; Satanæ,& pompis eius abrenuntiat , ideo baptizati animi ſplendor

Transformatio in Domini imaginem à claritate in claritatẽ quid ſit.

Inter Ieſu.& Moyſi ſplẽdores maximum eſt diſcrimen.

D.Chyſoſt.

Vltra Solem refulget anima baptizati.

Fulgor in baptizatô illuſtrior, quã in Moyſe, quia iſte liberali munere datus , iſte certamine acquiſitus.

dor labore, & pugna comparatus illuſtrior.

Veſtis immortalitatis cur amiſſa.

6. Miror ſæpiſſime, cur Adamus amiſerit prima innocentis candoris veſtimenta? Et ſuſpicio in animo exoritur, regalium indumentorum factam eſſe iacturam, quia ea Chriſtus non imbuerat ſudore, & lacrymis, aut intinxerat ſanguinis rubore: conceptus rimandus ex verbis Chriſti apud Matth.cap.9.verſ.16. *Nemo autem immittit commiſſurum panni rudis in veſtimentum vetus.* Extollit verba Chryſologus, & ſenſum exprimit, dum inter indumentum vetus hominis, & nouum in Euangelica lege contextum, diſcrimen reddit: eius verba deſcribo ex Tilmano in allegoriis in Matt. *Pannum rudem Euangelij nuncupat indumentum, ſed intellige pannum non eſſe ſciſſuræ partem, ſed texturæ principium, tunc enim primum regalis indumenti tela de Chriſti vellere texebatur, de vellere, quod dabat agnus, & agnus, qui tollit peccata mundi: texebatur autem regium indumentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret paſſionis*, licèt mentis Chriſti donatus immortalitatis ſtola Protoplaſtus, non immaduerat lacrymarum Chriſti fluentis, nec purpurei laticis colore de Saluatoris fontibus intincta; necdum in Crucis textrina agnus ex lana pretioſi velleris multo ſaturata conchylio texuerat diploidem, quæ ſponſam ornaret; non mirum ſi breuiſſimi temporis ſpatio terminatus decor eius euanuit: at poſtquam paſſionis certamine, & lanceæ cuſpide comparauit ſponſæ, immortalitatis pallium, fit temporis diuturnitate felicius, & purpureo fulgore pulcrius.

D.Chryſol. Tilm.

Veſtimentum nouum hominis purpureū fulgorem habet ex paſſione.

DISCVRSVS II.

Pars maxima Chriſtianæ prudentiæ eſt, honoris lumina, gloriæ ſplendores tempeſtiuè obtegere, & temperare.

1. CHRISTVS edocuit comprimere lucem in Incarnatione, & Transfiguratione, vt annotat ſanctus Gregorius Nazianzenus ad ea verba Pauli ad Philipp.cap.2. *Exinaniuit ſemetipſum.* Orat. 49. ſcribens: *Non vtique ſic exinanitum accipiemus, vt aliud quam quod fuerat, idem Spiritus fieret, ſed vt ſepoſito interim maieſtatis ſuæ honore humanum corpus indueret*, & altiſſimâ ſimilitudine confirmat: *Vt enim Sol cum in nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffuſum claro ſplendore cuncta perfundit, paruo admodum obſtaculo nubis includitur, non aufertur: ſic & homo ille, quem Deus Dei Filius induit, Deitatem in illo non intercepit, ſed abſcondit*, & ſubiungit de Transfigurationis gloria: *Denique cum ſe in monte paululum extra ipſum hominem extuliſſet fulgore luminis eius pene obcæcati Apoſtoli ſunt, in terram quippe homines ceciderunt periclitati de vita, niſi eis Dominus compreſſo rurſus maieſtatis ſuæ honore, vt miſericors ſubueniſſet.* Ieſus comprimendi, aut temperandi honoris, & luminis primus dedit magiſterium, vt homines ad ſpem immortalitatis erigat, ſplendores coarctat: *Compreſſo rurſus maieſtatis ſuæ honore.*

D.Greg.Naz. Abſcondit Ieſus Diuinitatis gloriam.

Ne Apoſtoli in Thabor opprimerētur à gloria, cōpreſſit Ieſus maieſtatis ſuæ honorem.

2. Magna viſio, & celebre patribus miraculum ad præludendum myſterium incarnationis Chriſti rubus Moyſi, igne circumdatus, à flammis non depaſtus; ſed in eo refulget vis miraculi, & magnitudo viſionis, quod ignis virtutem reprimit, ſicut Deus in ſpinis humani corporis ſe coarctauit: audi ſanctum Cyrillum Alexandrin. lib. 2. Glaphyr. in Exodum: *Sicut ſpinæ ignem ferre nequeunt, neque diuinitatem humanitas, cæterum in Chriſto facta eſt tolerabilis.* & ſtatim: *Deus in templo Virginis moratus eſt, demittens ſeipſum in admirandam humilitatem, ac quaſi contrahens inuictam ſuæ naturæ potentiam, vt capi, & aptari nobis poſſet, ſicut reuera ignis ſe aptauit ſpinis*, hæc eſt diuinæ potentiæ, & ineffabilis ſapientiæ demonſtratio, lumen temperare immenſum, vt fiat acceſſibile, diuinæ claritatis ſplendores moderari, ne humanus intuitus opprimatur à gloria. Adhibere modum poteſtati; captui puſillorum, adaptare celſitudinem, zelare honoris, & gloriæ, ſplendores, opus diuinum eſt.

D.Cyr.Alex. Sicut ignis in rubo ſe aptauit ſpinis, ita Ieſus in ventre virginis immenſitatē ſuam contraxit.

3. Æmulantur hoc egregium facinus Cherubim, triumphantis, & glorioſi Dei Baiuli apud Ezechielem, cap. 1. quorum pernicitas comparatur fulguri, ibi, verſ. 14. *Et animalia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* In triumphalis quadrigæ Cherubicis vectoribus, duo annotanda, & greſſus, & regreſſus: *Ibant, & reuertebantur*: nec ſolum tanquam pennarum remigio volucres plauſtrum in æthera ductabant; ſed velociſſimo curſu ſcintillantes equi reuertebantur ad terram: audiendus ſanctus Hieronymus: *Quomodo igitur crebris micat ignibus æther, & in ictu oculi, atque momento diſcurrunt fulgura, & reuertuntur, non amittentia matricem: & vt ita dicam, fontem ignis, atque materiam: ita & hæc animalia cum inoffenſo pergant pede, ad ſuperiora feſtinant.* Sed ſtatim occurrit ſubtilis diſquiſitio, cur animalia reuertuntur? *Ibant* (inquit vates) *& reuertebantur*, acuto conceptu reſpondet idem Doctor Maximus: *Sin autem conatui ſuo aliquid obſiſtum vident, non tam reuertuntur, quàm contrahunt ſe: extendenda rurſus, & præbitura lumen, quod parumper abſconderant.* Cùm præpeti volatu diſcurrunt, velociſſimæ obedientiæ exhibent formam: dum ad nutum imperantis, ſe ſe in aëra librant, quando reuertuntur, documenta præbent plenitudinis ſapientiæ, & Cherubicæ prudentiæ, cum data opportunitate ſatagunt occulere lumina. Currunt, & volitant Cherubim vibrantes amoris fulmina, iaculantes fulgura verborum; immittentes miraculorum ſplendores vndequaque fulgentes, ſi autem conatui ſuo aliquid obſiſtit, & cernunt Dei retardari gloriam, ſe ſe ſempori accommodantes, contrahunt ſe, & parumper lumina, & fulgura, & ſplendores abſcondunt, vt eos felicius in opportunitate refundant, tantos ad tempus zelare, & cohibere ſplendores Cherubicæ ſapientiæ opus eſt.

Qua ratione Cherubim ibant & reuertebantur.

D.Hier.

Cherubinorū ſolertia in contrahendis ſplendoribus.

4. Poſt reſurrectionem Angeli temperant fulgores. Sedebat cæleſtis nuntius ſuper lapidem ſepulcri, vt Chriſti gloriam fœminis annuntiaret: *Erat autem aſpectus eius, ſicut fulgur, & veſtimenta eius, ſicut nix* Matth.cap.28.verſ.3. ad tam eximiæ, & inſolitæ claritatis iubar, quando exterriti ſunt cuſtodes, & facti velut mortui, cur non perturbantur fœminæ, & timore perculſæ concidunt? quia Angelus quando cum fœminis miſcet alloquia, ſuam niueum veſtis candorem, & cæleſtem vultus fulgorem temperauit, nam ſi totam luminoſi vultus copiam lucis effunderet; expalleſcentes, aut languidæ, reſurrectionis præconium non audirent: conſonat ſanctus Chryſologus ſerm. 75. dicens *In facie ergo Angeli claritas cæleſtis ſeruatur naturæ: in veſte vero figuratur gratia communionis humanæ, &*

Ne fœminæ ſepulcrum adeūtes perturbentur, ſuam claritatem temperant Angeli.

D.Chryſol.

temperatur

temperatur ſpecies Angeli colloquentis, vt carnales oculi, & veſtium ferant placidam claritatem, & ex fulgore vultus nuntium ſui tremerent, & revererentur auctoris. Vt poſſit Angelus admittere hominis cõſortium,& commercium,gloriæ ſublimitatem aliquantùm deponit, radioſam faciem temperat ſuauitate, vt iis, quos admittit ad colloquium,moderatis fulgoribus oſtendat aſpectum; ſatellites, qui glorioſi regis aulam frequentant, addiſcunt zelare gloriam,reprimere ſplendores.

Fideles Abrahæ filij, ſtellæ nuncupantur, quia magni ſunt, & modici apparent. Hug.Card.

5. Abrahamidi generis dignitatem, & propagationem diuinum oraculum repromittit Geneſis, c.22.v.17. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli.* Ex clara parentis Abrahæ ſtirpe nati fideles à fidei patrẽ non degeneres, ſed cur eos æquiparat ſtellis? an quía operum claritate inclyti? an quia inſtar cæleſtium ſiderum, fidei fulgoribus mundum illuminant? & fixi Chriſti firmamento, erraticos curſus ignorant? non inficior; Sed ſubtilis eſt ratio Hugonis Cardinalis. *Stellæ ſunt, quia magni ſunt, ſed modici apparent.* Stellarum fixarum globi, quãtumcumque minimi,ſuperant terræ magnitudinẽ; ſed maximus,& penè immenſus luminis ambitus, ſic ad obtutum aptatur humanum, vt ignis ſcintilla,aut luminis mica appareat, ideo iuſti comparantur ſtellis, quia ampliſſima decora obtegunt humilitatis velamine honoris,& gloriæ coarctant lumina.

Didicit Sol à Creatore ſua coarctare lumina.

6. Didicit Sol à Creatore edoctus reprimere radios,obſcurare fulgores,pulla veſte,& tenebricoſa induitur, vt condoleat Deo morienti. Matth.c.27. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Quid plura? Iudæorum ſcelus immane crucifigentium Chriſtum, lugentis, ac mœrentis habitu Sol oſtendit, auertit radios, & oculorum lumina, ne tam deteſtandum flagitium cernat, velut intolerabili dolore, & acerbitate oppreſſus lãgueſcit. Ad rem noſtram Euſebius Emiſſenus, homil.4.de Paſcha,inquit: *In paſſione enim Chriſti, caliginum ſe nocte circumdedit, & Iudæorum facinus mundo teſte congemuit, indicium enim quoddam doloris in Sole eſt, tãto ſceleri officium luminis denegaſſe; & vltione quadam, Iudæorum oculis tenebras infudiſſe: vt quorum mentem cæcitas inuaſerat, eorum oculos cæcitas occuparet: nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen ſalutis extinctum.* Sapit Sol comprimere lumen,& obſcurare lucis fontem,vt iuſta ſoluat luminis Creatori emortuo; lugubri veſte radios auertens deplorat Iudæorum cæcitatem, magna vis Solis,& ſapiẽtia eſt,viuidos igniculos, & emanantes coërcere fulgores, vt lamentatione plangat hominum crimina. Sed virtus, & ſapientia maior in iuſtitiæ Sole, qui violentia amoris,& diuina poteſtate,animæ beatæ glorioſa frænauit fulgura, ne in corpus redundarent, vt eſſet locus dolorum acerbitati, & lacrymis pro hominis peccato effuſis; lugubri humanitatis ſacco induitur,fulgores lucis auertit à corpore, vt aquæ,& ſanguinis fluentis Adami aboleret delictum, & Sol ad tempus obſcuratus Adami ſtolam ornaret immortalitatis fulgoribus.

Euſeb.Emiſſ. Sol vt gemat Iudæorum crimina, ſua obtegit fulgura.

Lucifer cecidit quia modum non adhibuit fulgoribus ſuis.

7. O ſi Lucifer hanc ſplendorum temperantiam æmularetur. Cur primus Angelus de Paradiſi celſitudine corruit? quia velut antelucanum ſidus inter Angelorum aſtra fulgens eximia claritate,modum non adhibuit lucis fulgoribus, ſed immodico appetitu lucendi ductus, immoderatus luminum oſtentator ab exordio creationis apparuit, in hoc ſenſu expendit S.Bernardus verba Iſaiæ c. 14. v. 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Quid eſt mane oriebaris? nonne melius, qui mane creabaris? ſed ipſe ſuperbia elatus non agnouit principium, nec potentiam Dei creantis illum,ideo ipſe tanquam a ſeipſo oritur, vt lumen effunderet: non expectauit nutum Domini imperantis, at ſibi arrogans lucem, vt plus luceret Angelis,omnia lumina, & ſplendores naturæ, & gratiæ aliis ſpiritibus ambitioſius oſtentauit: ingenioſè Bernardus inquit,ſerm. 3. de verbis Iſaiæ: *Bonum erat tibi ſi ignifer magis eſſes, quam Lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus ipſe, frigidam quoque eligeres regionem: quid feſtinas mane oriri Lucifer? quid gloriaris ſuper ſidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? breuis omninò erit gloriatio tua.* Non ardere,ſed lucere ſatagebat Lucifer, ac vibrare in Angelos ſuorum luminum claritatem: immoderatus appetitus lucendi, nimia oſtentandi fulgores cupiditas principium ruinæ extitit, felix ſi rutilum decus, aut continere, aut moderari voluiſſet?

Cur dixit Iſaias de Lucifero, qui mane oriebaris, & non creabaris.

Lucifer ambitioſus gloriæ oſtẽtator.

D.Bern. *In eo immoderatus appetitus lucẽdi fuit.*

Ioſephi ſomno corripi animo occurſat viſio Solis, Lunæ, & ſtellarum.

8. Sopitus placidiſſimo ſomno Ioſeph, cæleſti ſpectaculo eius animus blanditur, videbat ſibi regalibus infulis cœlitus ornari, & geminatam cœlorum lampadem, & vndecim ſidera venerationis cultum exhibere. Geneſ. capite 37. verſ. 9. *Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus ait: vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me, quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus.* Cur Iacob obiurgationis aculeo pungit Ioſeph? ſciebat enim, & conſiderabat tacitus, non ex naturali animi ſenſu, ſed ex superni oraculi afflatu ſomnium proceſſiſſe. Cur paternæ auctoritatis alloquio,non confirmat pueri vaticinium? vt maculas criminis de germanis, liuoris nubeculas de ſtellis increpatione abſtergeret; & exultantis animi Ioſeph magnitudinem, & gloriam reprimeret, & intempeſtiuum dominatus ſplendorem retunderet ſenex prudenti, & maturo conſilio. Auens eſt S.Cyrilli Alexand. lib.1. Glaphyror.fantis: *Artificioſus ſenex,& ſuperna prudentia excellens: intelligit enim viſionum vim, increpauit autem filium dicens, &c. Et quis aduertat, vt ſapiens, ac neceſſaria increpatio adhibita? occurrit enim eleganter audientium inuidiæ, & nimia confidentia perfuſum iuuenem compeſcit, ac temperat, neque ſinit adoleſcentem in ſomniorum ſpe fratres deſpicere, neque honorem patri debitum ſtultè contemnere, intempeſtiuam futuræ dignitatis excellentiam ſibi arrogando.* Succurrit natorum incolumitati, occurrit inuidiæ aſtutus ſenex, dum artificioſa obiurgatione carpit adoleſcentis in referenda viſione audaciam, reprimit arrogantiam: *Intempeſtiuam* (inquit Cyrillus) *dignitatis excellentiam,* natus erat Ioſeph ad regiæ dignitatis ſplendores; ſed magnifica gloria ſuo tempori reſeruanda; nunc comprimenda dignitatis excellentia, occultanda lux,vt opportuno tempore claritatem diffundat.

Iacob Ioſeph obiurgatione coërcet, vt inuidiã fratrum reprimat, & intempeſtiuum filij ſplendorem ſupprimat.

D.Cyr.Alex.

9. In obtegenda luce, & diſſimulanda gloria eminuit Baptiſta Ioannes, de quo atteſtatur Ieſus. Ioann. capite 5. verſ. 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Sed non erat lucis diſſipator, ſciebat enim cum moderatione exhibere lumen, de quo ſanctus Bernardus, ſermon. 3. de verbis Iſaiæ, inquit: *Lucet ergo Ioannes tanto vtique clarius, quanto amplius feruet, tanto verius, quanto minus appetit lucere: fidelis Lucifer, qui Solis iuſtitiæ non vſurpare venit, ſed prænuntiare ſplendorem.* Sciebat enim Ioannes ex Solis Ieſu inſtitutione diuina quando oporteat zelare honoris in-

Ioannes Baptiſtà lucem obtegit gloriam ſuam diſſimulat.

D. Bern. *Tanto verius lucet, quanto minus appetit lucere.*

bat, & nitorem dignitatis abſcondere, ſciebat in opportunitate euibrare gloriæ radios, & lumina virtutis effundere: in conſpectu, & comparatione Ieſu occulit dignitatis ampla decora, ſicut ſideris lumen ad præſentiam Solis abſconditur.

Plin.
Lampyrides. fulgores ſuos compriment.

Baptiſtæ humilitatem, & prudentiæ moderamen comparo cum vermiculis, quos lampyrides nuncupant, de quibus Plinius libro 11. Hiſtoriæ, capite 28. ſcribit: *Lucent ignium modo noctu laterum, & clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc verò compreſſu obumbratæ.* Fulget in animalculis diuinæ veſtigium ſapientiæ, vt ſciant ad tempus, aperire, aut obuelare nitores; ſed quanto melior Ioannes, qui iuxta audientium Iudæorum moderamen, aut ſeipſum obſcurat, & exinanit, aut ſublato velamento micantia virtutum demonſtrat ſidera: etenim virtutis prudentia vmbraculo zelare ad tempus infulas dignitatum, & magnificos gloriæ ſplendores, proprium Dei eſt, Angelorum eſt, Solis eſt, Præcurſoris eſt, Sanctorum eſt, quos Chriſtiana perfectio ad apicem dignitatis euexit.

Discvrsvs III.

Gloriæ decor, & lucidi ſplendores artificio adſciti, de virtute cordis intima non emanantes, ſemper ſint tibi ſuſpecti.

1. Ille ſolidus decor, gratúſque nitor, in quo Deus complacet, qui ex animi luce reſultat, alius verò ex vana mundi gloriola concinnatus ambitionis ingenio, breui periturus, & volaticus, vt Deo inuiſus deſpiciendus. Celſiſſimæ dignitatis cupidine exagitatus Rex Babylonis, vt in diuorum album annumeraretur, auream conſtruxit ſtatuam, quæ immortalem ei præpararet gloriam. Daniel capite 3. verſ. 1. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream.* In inermis, & inanis ſimulacri initiatione, & cultu, numinis venerationem inſolenter ſibi arrogauit. Sed quàm inanis, & fugax extitit gloriæ ſplendor! exigui lapidis iactu corruit laruata illa magnitudo. Cur tam ſubito euanuit horribilis illa moles? acutè

D. Chryſ.
Qui vult glorificari, gloriam contemnat.
Viuens ex nō viuente glorioſior apparere volebat.

Chryſoſtomus reſpondet homilia 23. ad populum: *Si vis enim glorificari, gloriam contemnas, & omnium eris clariſſimus. Quid pateris, quod patiebatur Nabuchodonoſor? Nam & ille ſtatuam erexit ex ligno, & inſenſibili materia, ſibi gloriæ credens augmentum afferre, & viuens ex non viuente ſplendidior apparere volebat.* Ad modicum enituit Nabuchodonoſor ſplendor, quia in immanis figmenti artificio fundabatur. Preme aurei oris poſtrema verba: *Viuens ex non viuente ſplendidior apparere volebat.* Inanis cogitatio, ex ſtatua vitæ, & honoris experte mutuare gloriæ ſplendores; tanquàm ex emortuo ſtipite, & inglorio, haurire cupit Rex ex aureo ſimulacro honorem,

Inſania eſt ex emortuo trunco cupere haurire ſplendorem gloriæ.

& gloriam. Vana eſt hæc, & falſa inſania. Si fulgor Regius ex virtute promanaret, quæ nunquam interit, cuius firmitas, & gloria nulla temporum iniuria, aut vetuſtate obſcuratur, aut labefactatur, in æuum feliciſſimum propagaretur. Quàm illuſtris trium puerorum è regione Regis fulgor, qui tanto ſceleri adorationis imaginis obſiſtentes, ſplendidiores facti ſunt illis,

D. Chryſ.
Sapientia, & virtus pueros Babylonicos reddidit illuſtres.

ſubiungit Chryſoſtomus: *His autem omnibus illis carentibus, ſola ſuffecit ſapientia, & coronam, & purpuram habente, talibúſque circumfuſo, nihil horum habentes reddidit illuſtriores, tantò, quantò Sol, & margarita ſplendidior.* Erat fulgor Regius ex momentaneis rebus adſcitus, non ex virtutis decore reſultans, ideo ſuſpectus, & deſpectus; at puerorum gloria ex fortitudine, & ſapientia animi procedens, grata Deo, & cœlicolis.

2. Celebratio Paſchæ, & paratura victimæ agni Paſchalis arcanis circumſtantiis agebatur, & apponebatur conſumenda conuiuio, tanquam figuratiuum ferculum. Sed illa illuſtris eminet, cur poſt dimidium menſis primi litabatur? Modum, & tempus ſacer Textus aſſignat. Demonſtrabat enim in Luna decreſcente, & ad diminutionem per momentanea temporis ſpatia currente, ſæculi lumen, & Dæmonis mutuatitium, & confictum ſplendorem, quo homines deciperet, & à vera Solis æterni luce auerteret. Id annotat Textus, qui Exodi cap. 12. verſ. 5. de Agno Paſchali ſcribit: *Et ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Cur ad veſperam, & de-

Cur ad veſperam decreſcentis Lunæ agnus immolabatur, & Paſcha celebrabatur.

creſcentis Lunæ lumina ſeruabatur agnus? quia Agnus Dei in illo figuratus valdè aduerſatur decreſcenti luci, quæ non tendit ad plenitudinem, ſed ad diminutionem, aliundéque comparatur, & non innaſcitur ex naturæ viſceribus. Acutè Diuus

D. Cyrill.
Luna quaſi ſpuriâ luce orbem illuminat.

Cyrill. Alexandr. lib. 2. Glaphyror. inquit: *Agnus mactatur in decimoquarto menſis, cum Lunaris circulus habet ſuam plenitudinem, & quaſi ſpuria luce orbem illuminat; incipiente verò iam paulatim decreſcere, ac veluti ex neceſſitate honorem, & gratiam,*

Luna cū decreſcit, honorem, & ſplēdorem contrahit.

quæ ipſi ineſt, contrahente: vt ſcilicet vel hinc intelligas tanquam ex imagine, & vmbra rei propoſita, traductus ad veriorum comprehenſionem, quod Princeps noctis hoc eſt Diabolus per totum glorificabatur orbem, qui per Lunam veluti in typo ſignificatur. Im-

Princeps noctis Diabolus, qui in orbe colebatur per decreſcentem Lunam notabatur.

molabatur in diminutione Lunæ agnus, vt in Luna decreſcente Dæmon notaretur, qui obtinebat per orbem totum, gloriæ dominatum; ſed quàm vana foret Diaboli gloria, quàm fugax, & inanis arrogatæ dignitatis ſplendor, indicat Luna tendens ad diminutionem, & tenebras. Fulgor

Honoris fulgor in Diabolo non ex virtute, ſed ex ambitione procedebat.

enim talis principatus non ex virtute, ſed ex ambitione, & tyrannide ſæua, qua genus humanum ſubiugauerat, promanabat. Vnde neceſſe eſt, vt talem honorem, & gratiam contrahat, obſcurétque ſplendorem, & velut bulla ſplendida ſuper aquam enatans, quæ leuiſſimo flatu diſcutitur, tota illa lucis imago, & vmbra diſpareat. Perpende Cyrilli verba: *Quaſi ſpuria luce orbem illuminat.* Reſpexit ad Lunæ naturam, quæ luce aliena, & à Sole mutuata lucet; lux, quam non habet ex propria virtute, ſed ex eo quod ſemper Solem ambiat, non eſt genuinus, & legitimus partus, ſed ſpurius, eo quod alieno lumine lucere audeat. Deſtruit ergo Agnus vmbratilem, & fictitium Dæmonis ſplendorem, qui ſolo artificio tyrannico nititur, & ex propria virtutis luce non exoritur.

3. Mirantur Angeli, & homines ad quantam clementiam, & pietatem ſe ſe abiecit Ieſus poſt acceptas triumphantis, & glorioſæ reſurrectionis infulas; vt infidi Thomæ cor demulceat, cum eo totam bonitatem Dominus demonſtrauit,

Thomæ oſtendit Ieſus ſui corporis cicatrices.

quando

quando apetta oſtendit corporis ſacrati vulnera. Ioannis cap.20. verſ.27. *Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte eam in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Vt Ieſus ad reſurrectionis fidem Didymum inclinaret, euidenti credulitatis argumento eius animum conſtringere ſatagit oſtenſione vulnerum. Sed vulnera ſigna ſunt mortis, non argumenta reſurrectionis: ijs potius oſtendit Ieſus ſe in morte liuorem patientem, non ad vitam immortalem reſurgentem; ſi Didymo perſuadere nititur tranſmigrationem ſuam ad vitam, nunquam morituram, ſigna mortalitatis abſcondat, inſignia vitæ immortalis aperiat; è pectore, manibus iaculetur candentes radios, cæleſtis ſplendoris lumina, vt cæleſtibus indiciis appareat glorioſus, cúmque reſurrexiſſe credatur, qui manibus affert decora reſurgentis. Cur ergo, vt credatur immortalis, plagas ſigna mortalitatis, & non lumina, & ſplendores ſigna immortalitatis Apoſtolo patefecit incredulo? Vt euidentius appareret, corporis glorioſi nitores de tolerantia vulnerum, & de patientia mortis promicuiſſe. Zelat lucem, & oſtendit lucis fontem; eſſéque non apparentem, non fugacem, non aliquo mundi nubilo obſcurandam, ſed ſolidam, in æternum manentem, nullo argumento euidentius probaretur, quàm fulgoribus de virtute, & conſtantia exilientibus. Mentiar, ſi Euſebius Emiſſenus id non adſtruat homil.9. de Paſcha his verbis: *Oſtendit ergo manus, & latus. Neceſſarium enim erat vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem: quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obduxerat veritatem, & agnitionem quodammodo claritas obſcurauerat* Iuxta Emiſſeni acumen, fidei ſplendor, & gloria obſcurabatur Chriſti reſurgentis claritate; nec mirum ſi lux lucernæ obſcuretur luce Solis. Fides Thomæ in obſcura luce remanſit, dum Ieſus diſcipulis apparens, eos gloriæ ſplendoribus circumdat. Vt emicet fides Thomæ, & radios ſuos expandat, comprimit Ieſus glorioſi corporis lumina, carnémque ſuam ſtola immortalis decoris veſtitam vulnerum oſtenſione, tanquam nubilo mortalitatis obſcurat, vt ex obſcura imagine mortis, fidei lumen niteat in Thoma. Ecce lumen fidei obnubilatur in claritate reſurgentis. Ecce claritas reſurgentis velut obſcuratur in vulnere, quod Chriſtus oſtendit. Vt à corpore Ieſu glorioſo ceſſet illa erga Thomam obſcuritas, vt ſplendor nouæ lucis adueniat fidei, neceſſe eſt, vt fides naſcatur ex vulnere, vt cicatrices fidei ſplendores parturiant: *Neceſſarium enim erat, vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum, crucifixi corporis faceret fidem.* Quid eſt *faceret fidem?* Niſi eam formaret, vt eam cum ſuo decore, & lumine vulnera parturirent. Fidei ſplendor, qui promanat de vulnere, & oſtenſione virtutis, non admittit occaſum, neſcit crepuſculum. Cum Ieſus reſurrectionis radiis candicantibus ornatus, Thomæ animo credendus obiicitur, Fides anceps hæret in ipſa gloria, Apoſtoli fides in ipſo ſplendore, in ipſa luce nutat ambigua; necdum enim fontem promicantis ſplendoris, & virtutem patientis in vulnere oſtenderat. Manifeſtat Thomæ vulnera, tunc fidei nitor, qui virtute Chriſti radicatur, perennantem ſuſcipit illuminationem.

Cur Ieſus ſigna mortalitatis oſtēdit, vt demōſtret ſuam immortalitatem Didymo.

Corporis glorioſi nitores de tolerãtia vulnerum promanãrūt.

Euſeb. Emiſſ.

Velamine mortalitatis obtegit Ieſus ſuum ſplendorem, vt Fidei Thomæ reſplendeat.

Fides Thomæ de oſtenſione virtutis, & vulneris formatur.

4. Aduentus ſui in humanum commercium, finem, & ſcopum Chriſtus deprædicat. Lucæ capite 12. verſ. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Alij legunt: *vt ardeat.* Cur non dixit: *Et quid volo, niſi vt luceat?* In Apoſtolis, & fidelibus non minus lucem, quàm ardorem Dominus concupiuit. *Sic luceat,* (inquit) *lux veſtra coram hominibus,* charitatis buſtum in cordibus hominum optat accendi, vt ardeant igne diuino; qui enim igne Dei accenditur, & inflammatur, de claritate, de luce ſit ſecurus; cum enim ignis Dei ardet, micat, lucet, & fulgoribus alios illuminat. Acutè ſanctus Bernardus conceptum exprimit ſerm. 3. de verbis Iſaiæ: *Ipſum potius audiamus, quid magis in igne commendet: ignem, ait, veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? Cognouiſti certè, quid velit.* Et ſtatim: *Quid lucere feſtinas? Nondum illud aduenit tempus, in quo fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum. Interim pernicioſus eſt iſte appetitus lucendi: feruere enim multo melius. Denique ſi tam vehementer ſplendorem deſideras, quod videri vis, eſſe curato, & primum quære feruorem, nec dubium, quin & ſplendor adyciatur tibi. Alioquin incaſſum laboras: quia vanus ſplendor abſque feruore. Mutuata, aut magis certè ſimulata lux eſt, quæ non ab igne procedit.* Valde auet in te Deus ardorem, & feruorem, vt ex eo lumina reſultent. Quidam volunt videri lucidi, & ſplendidi, ſed non eſſe; alij appetunt eſſe lucidi, ſed non videri; in his virtus vera, & lucendi ſecuritas maior. Lux, quæ non procedit ex igne, non vera, ſed ſimulata eſt; vt lux tua ſit ſolida, ſit ſecura, procedat ex ardore.

Qui igne Dei accenditur, de claritate, & luce ſit ſecurus.

D. Bern.

Ieſus in ſeruis ſuis non tam ſplendorem, quàm ardorem cupit.

Nimius appetitus lucendi pernicioſus.

Simulata lux, quæ non ab igne procedit.

5. Inter crepitantes flammas, & æſtuantis incendij globos proiecti tres illi pueri celebratiſſimi iuſſu Nabuchodonoſoris, hymnum concinunt celeberrimum, quo creaturas omnes aſpectabiles, & inaſpectabiles, ratione præditas, aut vita; aut rationis, & vitæ expertes in Dei laudes prouocant. Danielis capite 3. Sed creatura vna ſingularis, & pulcherrima à diuina laudatione ſecernitur, & in Catalogo canentium, & laudantium non adſcribitur. Scilicet Iris, & arcus cæleſtis, annumerantur choro Dei nomen modulantium, ignis, grando, nix, glacies, elementa omnia, Sol, & Luna, & ſtellarum globi, Iris verò non recenſetur, eiúſque præconium ſilentio ſupprimitur. Præſertim cum Ieſus Sirach Eccleſiaſtici capite 43. verſ. 12. ex aſpectu arcus cœlum gyrantis in circuitu gloriæ, & ſplendoris, ad Dei laudes excitet homines. Cur non clamarunt pueri de camino ignis ardentis: *Benedic Iris, & arcus cæli Domino?* Quia in arcu cæleſti non verus, ſed apparens, & fugax ſplendor nitet. Etenim ſancti adoleſcentuli cum verbis, & operibus aſpernarentur vanitatem Regis, caducam gloriolam, & volatilem ſplendorem ex ſtatuæ adoratione prouenientem, ad Dei veri gloriam, & laudationem, non debebant aſſumere fulgentes Iris nitores, qui videntur eſſe, & non ſunt, & ex opacæ nubis volatu ſubito diſparent. De arcus cæleſtis luce audi ſanctum Iſidorum libro 13. etymologiarum capite 10. *Arcus cæleſtis dictus à ſimilitudine curuati arcus. Iris huic proprium nomen eſt, & dicitur Iris, quaſi aëris, id eſt, quod per aerem ad terras deſcendit. Hic autem à Sole reſplendet, dum cauæ nubes ex aduerſo radium Solis accipiunt, & arcus ſpeciem fingunt.* Ad examen voca verba illa Iſidori: *Quod per aerem ad terras deſcendat,* & : ar-

Cur tres pueri in camino ignis ardētis non recenſent in Catalogo laudantium Deum, Irim, ſeu arcum cæleſtem?

In arcu cæleſti non verus ſed apparens ſplendor nitet.

D. Iſid.

Nubes à Sole [illegible] arcum fingunt.

eius ſpeciem fingunt. Quia tota illa arcus ſpecies, & pulcritudo radiorum, quæ verſicoloris lucis cuibratione oculos delectat, ſicut tenuiſſimo vapore nititur, ita vento, & flatu facilè diſſipatur. Eſt enim ille ſplendidus decor fictitius, apparens, non lux, ſed lucis ſpecies, & vmbra. Artificioſus naturæ, aut aëris ſplendor in vero lumine,& permanente non ſtabilitus, ſed euanidus, & fugax ad Dei laudationem, à tribus pueris in medium non producitur.

Splendor euanidus non adducitur ad laudes Dei à tribus pueris.

6. In cœleſti Habacuc Cantico præconium, & trophæum Apoſtolorum vaticinatur, & omne ſplendentium armorum genus, quibus hoſtes ſubiugarunt, capite 3. Habacuc verſ. 11. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Si Vatis ſententiam rectè perpendas, videntur verba primo aſpectu immutata. Potius de Apoſtolis foret prædicandum, quod ibunt in ſagittis lucis, non in luce ſagittarum. In haſta fulgurante ſplendorem, non in ſplendore fulgurantis haſtæ. Videntur enim luces ſplendores pro armis aſſumere, & iaculorum virtutem, & haſtæ robur derelinquere. Nunquid Apoſtoli lucem ambiunt, ſplendores vſurpant, & virtutibus, quæ in iaculo, & haſta inueniuntur, præferunt? Erant humilitate radicati, ſtabiliti prudentia diſcipuli Domini, vt corda gentium verbi iaculis traiiciant, & tyrannos ſupernæ poteſtatis haſtâ ſubſternant, honorificentiæ ſuæ lucem negligunt, exiſtimationis claritudinem, auctoritatis ſplendores contemnunt. Sed cæleſti diſpoſitione peractum eſt, vt dum plus occulerent lumen, & maiori conatu obtegerent Apoſtolicam animi virtutem, plus lucerent: ni fallor, id indicat ſanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in huius loci Commentario dicens: *Sunt autem arma ſplendida, & quaſi fulgurantia. Virtus ſiquidem lucidiſſima eſt. Iacula ergo in lumen erunt coruſcationis armorum tuorum. Quia enim arma fulgebunt, ipſi illuminabunt, docentes ignorantes. Apud peccatores enim virtus deformis eſt, & obſcura adhuc: illuſtris autem iis, qui cognouerunt, non minus quam fulgur, clarum atque illuſtrem, & omnibus mortalibus notiſſimum reddens hominem.* Quantacumque ſolicitudine obtegas virtutis igniculos, qui ardent in pectore, quaſi per rimulas ſe ſe inſinuant, eſt enim virtus lucidiſſima; ſatage virtutis fouere ignes, te inſcio, te inuito exilient, & oculos aduerſariorum perſtringent: *Quia ergo arma fulgebunt, ipſi illuminabunt.* Fulgeant in te virtutum decora, de illuminatione, & ſplendore eſto ſecurus. Apoſtoli, quia fulgebant intus, omnes replebant foris diuinis illuminationibus.

Cur Habacuc cecinit Apoſtolos ituros ad cõuerſionem orbis in luce ſagittæ, & ſplendore haſtæ, & non in ſagitta lucis, & haſta ſplendoris.

Apoſtoli virtutem ſplendoribus præferunt.

Dum virtutes, & robur humilitate obtegunt, plus lucent.

D. Cyrill.

Virtus lucidiſſima eſt.

Arma Apoſtolorum fulgent ex virtute, & doctrina.

Apud peccatores virtus deformis.

Virtus clarũ, atque illuſtrẽ reddit hominem.

7. De caſu Diaboli hanc protulit Ieſus ſententiam: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Lucæ capite 10. verſ. 18. Nec ſine conſilio appoſita comparatio eſt. Cur Ieſus non comparat Satanam fulmini, ſed fulguri? Quia fulgur lucet, & non ardet. Eſt enim cuibratio, aut diuerberatio ſplendoris, ſine igne: at fulmen ardet, inflammat, & lucet; vt actum Dæmonis demonſtret, qui lucere, & ſplendeſcere feſtinauit ſine charitatis igne. Pulcrè ſanctus Bernardus ſerm. 3. de verbis Iſaiæ, inquit: *Luna habet abſque feruore ſplendorem, ſed, & ipſum mutuatur à Sole, ideòque tam frequenter, imò & ſemper mutatur, nec vnquam in eodem ſtatu permanet. Sic profectò ſtultus vt Luna mutatur, ſapiens permanet vt Sol. Ille inquam ſinitus, qui in decore ſuo perdidit ſapientiam, id eſt, qui refrigeuit in ſplendore. Cecidit ergo Lucifer, vt fulgur de cœlo.* Cecidit ergo quia fulgur, non Sol, nec fulmen extitit, at oſtentauit ſine igne, ſine ardore fulgores. Breui ſplendor iſte diſſipatus eſt, qui de humilitatis lumine non emanauit.

Luciferi lapſus comparatur fulguri, non fulmini.

Fulgur lucet ſine igne.

D. Bern.

Luna habet lucem, non feruorẽ, ideo ſtultus cõparatur Lunæ.

Discvrsvs IV.

Peculiare hominis ingenium eſt, ſibi ſoli vſurpare felicitatem; honoris, deliciarum, opum excludere ſocios: diuinæ naturæ excellentia eſt, beatitudinis, fruitionis, & ampliſſimi ſplendoris plures habere conſortes.

1. Iesvs vel eò ſolum amore proſequendus, quia liuore non tangitur felicitatis alienæ, nec velat pulcritudinem ſuam, vt ea alius non perfruatur. Ideo Petrum, Iacobum, & Ioannem in montem Thabor duxit: *Vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite refulſiſſet,* inquit ſanctus Leo ſerm. de Transfiguratione. Nec ſolitariè cupit perfrui beatitudine,& gaudio, qui ad gloriæ,& honoris participationem admittit conſortes.

Ieſus tres diſcipulos duxit in Thabor, vt fieret gloria cõſortes.

D. Leo.

2. Stupet profuſam Domini liberalitatem ſanctus Chryſologus ſerm. 67. dum cernit hominem intrantem in participationem dominatus, gaudij, & hereditatis Domini. Sic enim fatur: *Hodie quod auditori eſtis, ſtupent Angeli, miratur cœlum, pauet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota ſuſtinere non poteſt creatura, ego dicere non audeo, tacere non poſſum. Quid eſt magis tremendum, quod ſe dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo? Quod ſocietatem carnis intrat ipſe, aut quod vos facit conſortium diuinitatis intrare? Quod mortem ſumit ipſe, aut quod vos reſumit ex morte? Quod ipſe in veſtram naſcitur ſeruitutem, aut quod vos ſibi gignit in liberos? quod ſuſcipit paupertatem veſtram, aut quod vos ſibi facit heredes, ſui vnici coheredes? Eſt vtique terribilius, quod terra transfertur in cœlum, homo Deitate mutatur. Seruitutis ſors, dominationis iura ſortitur.* Mirabilia Dei opera inter ſe comparat ſolito ingenij acumine diuinus Antiſtes; ea, inquam, ad quæ ſe ſe abiecit Dei natura, & ea, ad quæ natura euecta eſt humana. Multo mirabilius, multo horribilius (inquit) eſt, quod homo ad filiorum Dei dignitatem, ad participationem cũm filio paternæ hereditatis, ad naturæ diuinæ intraret conſortium, quam quod mortis ſubiret ærumnas, aut quod ſeruitutis, & carnis Deus ſuſciperet indumentum. Deus de noſtro ſumpſit, quod minus eſt, de ſuo dedit quod maximum eſt; de noſtro accipit carnem, & mortem, de ſuo largitur gloriam,& immortalitatem; quod ſimus comparticipes Deitatis, coheredes regni; diuinitatem homini, filij vnici herditatem donare alteri, & participem imperij cæleſtis conſtituere multo mirabilius in Deo eſt.

D. Chryſol.

Quid ſtupore, & prodigijs plenum ſit, quod Deus homines admittat ad ſui regni, & hereditatis cõſortium.

3. Tam

3. Tam eximiæ munificentiæ ſpecimen cerno in mundi exordio, in quo Deus naturam oſtentauit ab omni liuore, & inuidia alienæ beatitatis expertem. Cum etenim condere hominem procurat, ad ſimilitudinis ſuæ ſocietatem, & contubernium eum euehit. Geneſ. cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Magna ſupremi numinis dignatio, quod homo in ſeipſo regerat tanti Domini, & Regis ſimilitudinem, & imaginem. Pulcrè Oleaſter in hunc locum ſcribit: *Arguit locus iſte hominum ſuperbiam, qui nolunt ſibi ſimilem, aut æqualem habere. Nunquid maior es Deo, qui ſui ſimilem non ſolum patitur, ſed facit?* Homo puſilli cordis æqualitatem in altero non ſolum reſpuit, ſed ſpeciem ſimilitudinis excludit; ſibi ſimiles dignitate, ſapientia, fama, ingenio, diuitiis non patitur; eſt enim mentis abiectæ, quæ intra ambitum ſuæ cupiditatis clauſa conſtringitur, nec ſinit in alios hos felicitatis, & honoris effluere fontes. At Deus non ſolum ſibi ſimiles patitur, ſed eos creat, vt vnitatis, & Trinitatis ſuæ, omnium attributorum honoris, & gloriæ ſint participes. *Sui ſimilem non ſolum patitur, ſed facit.*

Deus hominẽ ſibi ſimilem creat.

Oleaſt.

Hominis ſuperbia arguitur, qui nec æqualem, nec ſibi ſimilem vult hab.re.

4. Tritum hominis prouerbium: cum felicitate tua, cum gaudio tuo non miſcebitur extraneus. Deus verò imperandi felicitatem, & regni infulas cum homine diuiſit, cum eóque partitus eſt creaturarum imperium. Cum Deus animantia, & volucres creaſſet: *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Geneſ. cap. 2. verſ. 19. tanquam ad creaturarum imperatorem adduxit, vt ea propriis nominibus inſigniret. Illud perpende, quod dimidium orbis creans Deus, propria nominatione condecorat, firmamentum nuncupans cœlum; lucem, diem; tenebras noctem; pendulum in medio aëris orbem, terram; congregationem aquarum, maria. Alteram medietatem orbis ex viuentibus, animantibus, & volucribus compactam, & quidem nobiliorem homini reſeruauit, vt ea propriis cognominibus. Vt omnibus innoteſcat Dei ſolicitudo in quærendo hominis honore, vt ſit particeps diuinæ ſapientiæ, & imperatricis potentiæ. Inueſtigat Philo Iudæus, cur hominem creaturarum vltimum Deus finxit, videbatur enim illud figmentum, quod erat primum dignitate, [illegible] primas tenere debuiſſe? Inter alias cauſas, eam ad noſtrum conceptum acutè aſſignat; vt eius animalis nobiliſſimi plaſmatio maiorem animantibus venerationem ingeneraret. Do tibi verba Philonis ex lib. de mundi opificio. *Sic enim futurum erat, vt ad primum eius conſpectum obſtupefactæ adorarent tanquam rectorem à natura datum; & Dominum, quare omnes eo viſo, ad vnum cicuratæ ſunt.* Ad primum hominis conſpectum velut attonitæ gradum fixerunt belluæ, & tantam hominis pulcritudinem, & dignitatem velut Dei ſimulacrum veneratæ ſunt; nec inuidioſus factus, tantæ celſitudini Deus creaturas adduxit animantia, vt Regi ſuo, honorem deferant, & obſeruantia colant hominem. Properarunt leo, vrſus, lupus, ſerpens, draco, aquila, coruus, &c. & animantes adulantes caudis ſubmittebant capita. *Quamobrem* (ſubiungit Philo) *opifex eius, & pater animal hoc ratione præditum, non ſe ſolum, ſed & verborum auctoritate Regem conſtituit.* Hominem Regem creat, & regiam dignitatem verbis, & operibus comprobat. Nunquid Deus, Rex non est creaturarum? Eſt vtique, ſed cum Adamo partitur regni poteſtatem. Rex humanus ſolitariè imperat; Rex diuinus celſitudinis ſublimis [illegible]

Deus hominẽ conſortẽ facit imperij.

Creaturis ſuperioris Orbis Deus nomina indidit, inferioris Orbis homo.

Cur Deus creaturarum [illegible] hominem [illegible] Philo [illegible]

Vt [illegible] animantibus tanquã Regem adorarent.

Philo.

Deus hominẽ re, & verborum auctoritate Regem conſtituit.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

tii conſortium, Imperatoris paludamento, & coronamine hominem exornat.

5. Addo huic conceptui noua ornamenta, & lumina. Ieſus ſolus ſubiit paſſionis ærumnas, corporis, & animi cruciatus in patibulo ſolus ille ſuſtinuit, non hominem vllum admiſit, qui pro ſalute hominis occumberet, aut funderet ſanguinem; in paſſione, & redemptione non habet conſortes, in honore, & gloria habet ſocios; in doloribus ſolitarius, in beatitudinis gaudiis comitatus. Hoc myſterium claudunt Leuitici verba cap. 16. verſ. 17. *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur ſanctuarium, donec egrediatur.* Cur in ſancta, & intima tabernaculi adire ſolus iubetur Pontifex? Cur non penetrat interiora ſtipatus Leuitarum, & populi ſatellitio? Acutè occurrit quæſito, & myſterium explanat Radulphus Flauiacenſis lib. 12. in Leuiticum dicens: *Nullus ergo hominum in tabernaculo fuit, cum Magnus iſte Pontifex ad offerendum ſanguinem hoſtiæ ſuæ, ſanctuarium ingrederetur: omnes namque in hora tentationis illius, receſſerunt ab eo.* Sacerdotum apicem Ieſum, Antiſtes ille antiquus portendebat, qui in palæſtram cruciatus, & mortis ſolus ingreſſus eſt; nullum enim habuit ex diſcipulis doloris comitem; in eius confirmationem, locum Iſaiæ 63. Radulphus affert: *Torcular calcaui ſolus.* & ſubiungit: *Torcular mors intelligitur, grauis vtique preſſura, ſed in tanto hoc negotio ſolus fuit.* Ipſe ſolus debita Adami ſoluens, patitur, ſanguinem, & vitam profundit. Solus prælo Crucis premitur. Ad tolerantiam itaque ſolus: *Donec egrediatur.* Nam quando per Reſurrectionis gloriam de tumulo foras egreditur, non ſolus, ſed comitatus exiſtit. Acutè Flauiacenſis ſubſcribit: *Poſt egreſſum illius, cum per gloriam Reſurrectionis, quis eſſet apparuit, multi tabernaculum introierunt.* Poſt mortem, & cruciatus, cum gloriæ ſplendoribus carnis indumenta refulgent, cum adeſt ineffabilibus perfuſus gaudiis, turbâ Apoſtolorum, & ſanctarum mulierum incedat comitatus. Calicem amaritudinis ſibi ſoli abſorbendum vſurpat, riuulos beatitudinis & gloriæ aliis effundit; felicitatis, & gloriæ voluit plures habere conſortes.

Ieſus in paſſione ſolitarius, in gloria participatione admittit ſocios.

Radulph.

Radulph.

6. Quàm aduerſi, & oppoſiti Deo affectus hominum, honores ambitu ſolicito in ſe claudunt, diuitias, & glorias ſibi ſolis ſtagnant. Rex Achab auaritiæ flagrans cupiditate pauperis Naboth vineam ſibi vſurpat. Aſtutis, & ſubdolis verbis vineam popoſcit lib. 3. Regum cap. 21. verſ. 2. Locutus eſt ergo Achab ad Naboth: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Pulcherrimo eloquio patefacit animos, & cupiditates opulentorum ſanctus Ambroſius lib. de Nabuthe cap. 3. inquiens: *Fugiunt cohabitare hominibus, & ideo excludunt vicinos, &c. aues an-bitu ſe efferunt: denique ingentis plerumque agminis volatu cælum obtexitur: pecus pecori adiungitur, piſcis piſcibus: nec damnum ducunt, ſed commercium viuendi, cum plurimum comitatum capeſſunt, & quoddam mutuæ inter ſe ſolatio frequentioris ſocietatis affectant. Solus tu homo conſortem excludis.* Auiculæ, vt ſuis perfruantur deliciis, dulcéſque cantus gutture fundant, aliarum volucrum gaudent ſocietate, animalia vt exultent tripudiis, ſocios requirunt, ſolus homo honoris, & gloriæ conſortem excludit.

Animantia animantibus ſe ſociant, homo excludit conſortẽ felicitatis.

D. Ambr.

7. Regius Pſaltes penè diuinum affectum induerat, cum in amore, & deliciis ſuis ſocios, & conſortes requirit. Pſalm. 33. verſ. 4. *Magnificate Dominum mecum.* Particulam *mecum* ingenij ſui [illegible]

D. Auguſt. Qui Deum amat, non inuidet cœamatori ſuo.

acce[illegible]ine

acumine examinat ſanctus Auguſtinus : *Amat enim Dominum* (inquit) *quiſquis eſt iſte, & quomodo illum amat? Vt non inuideat coamatori ſuo.* Vel Regius ipſe Vates, aut quiſquis cum illo hæc verba protulit, catalogo diligentium Deum annumerandus eſt, quandoquidem Deum ſic amat, vt amor eius nec zelo, nec inuidia deturpetur; multitudinem amantium exquirit, & ad Dei cupidinem prouocat, vt eius pulcherrima forma delicientur,& in diuinæ pulcritudinis ruant amplexus. Non ſic amor humanus, venuſtatem, & formam ſpecioſam, quam deperit, nec perfrui permittit alium, nec patitur inſpicere : *Neceſſe eſt* (inquit idem Auguſtinus) *vt zelo, aut liuore ſaucietur, ſi alius eam viderit.* Si alium cernit tali pulcritudine allectum, aut quod in ea oculos fixerit; inde rixa, furénſque zelus, & liuor riualis reſultat : ô formam, & ſpeciem Dei pulcherrimam, quæ ſine riuali diligitur, fruitur; te Angelorum, & hominum chorus immenſis laudibus ornent, quando ad intuendam formoſitatem tuam, & perfruendam plures aduocas conſortes, qui te cernit non inuidet, vt alius videat, qui te potitur, non zelat, ſi alius perfruatur. Subiungit Aurelius: *Non ſic eſt ſapientia Dei, videbimus eam facie ad faciem, & omnes videbimus,& nemo ſe ibi zelabit.* Eſt enim Dei proprium in gloria, & deliciis ſuis admittere conſortes. Pulcre ſanctus Athanaſius de Dei natura ſic fatur oratione contra Gentes : *Deus vniuerſitatis iſtius, bonus, & plus quàm bonus eſt natura, ac quia humanus eſt, nemini vnquam inuiderit : Liber eſt enim bonus ab inuidentia : & quia liber ideò nulli ſuum eſſe inuidet,ſed omnes eſſe,& exiſtere concupiſcit, vt humanitatem ſuam exercere poſſit.* Hæc ille.

Omnes beati vident Deū, & perfruuntur Deo ſine liuore, & zelo.

D. Aug.

D. Athan. *Deus nulli inuidet ſuum eſſe.*

Discvrsvs V.

Alumnos ſuos ductans in montem Ieſus inſtruit mundialia omnia à tergo relinquere.

1. Qvi ante oculos mentis, & corporis conſtituit Ieſum in montis Thabor ardua dirigentem greſſus,neceſſe eſt vt reliqua mundi crepundia deſpiciat,oblectamenta omnia poſthabeat, & delicias illecebráſque voluptatum, velut terga dans hoſtibus, fugiat; ſed fuga hæc non ingloria, ſed laude,& decore plena. In hanc mentem incidit Sanctus Cyrillus Alexandr. expendens verba Michææ cap.4. quæ cum ſententiis,& verbis Iſaiæ conſentiunt : *Et fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ.* Vel iuxta Septuaginta : *Feſtinabunt.* Properabant, fugam capeſſere,à mundo ſe ſe ſequeſtrantes, tanquam ab hoſtili acie. *Audis* (inquit ſanctus Cyrillus) *quomodo quaſi hoſtibus terga dantes,inter ſe hortantur.* Strenui militis eſt ſtare in acie, fixo pede, non retrogrado ; militarem cuſiodire ſtationem, temporalis eſt gloria certaminis. Sed qui præliantibus Dei, & ſpiritus copiis militat, habet pro ornamento mundialem contemnere, & fugere pompam, & terga dare ſeculo.

D. Cyrill. *Populi vt ad Chriſtum aſcendant, terga dant hoſtibus.*

2. Ioſeph caſtimonia clarus Chriſtum ſequebatur,cum feminam procacem, libidinis facibus inflammatam ſpernens, aufugit. Miles emeritus victoriæ inuenit compendium,dum Sirenæ, dulci verborum lenimini prouocanti, manuum lacertis, velut catenarum nexibus retinenti, ipſe pallium dereliquit, terga vertit, & in fugam ſe proiicit. Geneſ. cap.39.verſ.12. *Qui relicto in manu eius pallio, fugit.* Auerſionem Ioſeph ab illecebris cupiditatum, fugamque laudabilem deſpecta mulier profitetur his verbis, verſ.15. *Reliquit pallium,quod tenebam, & fugit foras.* In Hebræo ſententia effertur : *Reliquit pallium ſuum penes me*, & in Septuaginta : *Relinquens veſtimenta ſua apud me.* De duplici deſpicientia impudens femina querimoniam efformat. Non tantum(inquit) deſpexit me, meis omnibus poſthabitis; ſed indumentum, quod manibus apprehenderam, tanquam deſpicatiſſimum, & contaminatiſſimum abiecit, & apud me deſpectam reliquit. Inuita femina fit encomiaſtes, & præco virtutum Ioſeph : quàm altis defixus radicibus cordi Ioſeph mundi contemptus, præconio ſuo promulgat. Addit virtuti, & deſpicientiæ Ioſeph noua ornamenta Putipharis vxor, cum apud maritum de violentia famuli commentitiis lacrymis,& querula voce conqueritur. Ibidem, verſ.17. *Et ait : ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi.* Iudæi nomine Ægyptiis inuiſo, ad maiorem contumeliam Ioſephum afficit, vt crimen amplificet, & apud maritum vindictam expoſtulet; ſed Ioſeph Iudæi nomine clarius rutilat.Si Iudæus non eſſet, nec feminæ cupidines deſpiceret, nec terga verteret ſeculo, nec ad caſtitatis palmam tranſiliret. Iudæus enim tranſitor, ſeu tranſmigrator interpretatur.Pulcrè Hugo Cardinalis inquit : *Vir Hebræus, id eſt, tranſitor, quia vt dicit Hieronymus in prologo ſuper Biblia, facilè contemnit omnia : qui ſe cogitat moriturum : item in prologo ſuper Ioſue, feſtinantes in patriam debent mortiferos Sirenarum cantus ſurda aure tranſire.* Inclytus Iudæus Ioſeph, qui per ſeculi abrenuntiationem, & contemptum deliciarum migrabat ad virtutis palmam; tanquam fugacia,& breui interitura oblectamenta conſiderans, faciem auertens à ſeculi gloria,ad Dei montem feſtinabat.

Ioſeph deſeruit carnis blandimenta cum pallium reliquit.

Lect. Hebr. Lxx. *De duplici deſpicientia Ioſeph, impudens femina conqueritur.*

Ioſeph Hebræi nomine, quod femina protulit ad contumeliam, illuſtrior redditur.

Hug. Card. D. Hier. *Hebræus interpretatur tranſitor. Feſtinans in patriam, & ſe cogitans moriturum, omnia contēnit, & Sirenarum mortiferos cātus, ſurda aure tranſit.*

3. Erythrei maris diuiſio prodigiis diuinis plena celebratur à Patribus. Sed illud diuinæ poteſtatis decus inter omnia præfulget, quod Iſraëlitæ permeantes inter medios cryſtallini elementi muros, hoſtiles acies à tergo inſequentes deſpiciunt, & à tergo relinquunt. Id annotat Moyſes Exodi cap. 14. verſ. 22. *Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris; erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum, & læua. Perſequentéſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos.* Cum per fundum maris tranſmittitur populus, Chriſtiani Magiſterij inſtruitur diſciplina, dum Pharaonis exercitus, & falcatos currus dediſcit non timere, itineris ſui Deum ſectatur ducem, & Ægyptum a tergo derelinquit: pulcre Euſebius Emiſſenus homil. 3. de Paſcha, inquit : *Secundum hæc ſi & nos vitia, & crimina quaſi Ægyptum relinquamus, & currat vnuſquiſque noſtrum intento corde poſt Chriſtum, auctorem peccati Diabolum, Chriſtianus, id eſt Hebræus, Ægyptum non timebit. Talis eſt enim natura, & infirmitas inimici : te recedente cedit, & poſt dorſum tuum, ſi legem Domini tanquam Moyſen ſequaris, incedit. Ecce hoſtem, quem fugiſſe, viciſſe eſt.* Hoſtem dum fugis proſternis, fuga hoſtis ruina eſt, à tergo venit detriumphatus, tanquam ſpolium in Imperatoris triumpho. Sicut Pharao à tergo proſequens fluctibus immergitur, ſic Diabolus deſpectus, & a tergo relictus ſibi vaſtitatem adſtruit. Pulcre ſanctus Auguſtinus in titulo Pſalmi 72. in eamdem commentationem conſpirans, ſcribit : *Mortui ſunt hoſtes in baptiſmo, ſed inſequentes a tergo:*

Populus Dei Ægyptum à tergo relinquit.

Euſeb. Emiſſ. *Chriſtiani munus crimina relinquere,& currere poſt Chriſtum. Si legem Domini ſequaris, poſt dorſum tuum Diabolum ſpernas. Hoſtem vincis, ſi ab eo fugis.*

D. Auguſt. *A Tergo inſequentes hoſtes in baptiſmo perierūt.*

quæ

quid eſt inſequentes à tergo? ante faciem futura habemus, à tergo præterita.

4. Stupore plenus Eliæ in cœlum aſcenſus, & prodigioſa tranſlatio, quam dum animus profundè perſcrutatur, in mentis trutina examinare contendit cur curru, & equitibus euectus ad ætheream regionem migrat? Sic enim ſacer Textus introducitur hæc verba pronuntians, lib. 4. Reg. c. 2. verſ. 11. *Cúmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque*, poterat enim Elias Angelorum miniſterio, aut nubis vehiculo ad ſulimia ſuſtolli, cur curru, & equitibus ad ſidera ſcandit? vt triumphalis illa lectica cœlicolis, & terrigenis oſtentaret maximum contemptorem Mundi, qui inuſitato volatu terga vertens mundo, per totum elementorum ſpatium, corpus & animum à ſeculi illecebris elongat: Pulcrè Chryſoſtomus tom. 1. homil. de aſcenſione Eliæ ſcribit: *Mirum prorſus, & incredibile penè ſpectaculum, equis currere ſupinis vtique ad Regna cæleſtia tendentibus*: os aureum ſingulari acumine ponderat cæleſtium equorum inceſſum, & curſum, non indirectum, faciéque in aërem, aut in terram prona gradiebantur, ſed manibus, pedibus, facie cœlum verſus ſpectantibus, equi, & auriga volitant, vt quo maiori niſu aſcendunt, & quæ ſurſum ſunt, ſpectant, tanto valid iori magnanimitate, quæ deorſum ſunt, deſpiciant, inferioribus terga vertentes.

Cur Elias nō Angelorum manibus, ſed curru ad cœlum vehitur. Elias maximus mundi contemptor.

D. Chryſoſt. Equi ignei ſupini aſcendunt terga vertentes terrenis.

5. Pulcherrimum ſenectutis florem Iſaac demetere iubet Dominus falce mortis, gladio patris ſactis ſiſtendum aris inuicta animoſitate patet nexibus illigauit infantem, vt vbi nulla deeſt ad victimam animi virtus, nulla deficeret exterior paratura. Geneſ. cap. 22. verſ. 9. *Cúmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.* Sed quantum eminuit mortalis ſeculi, & amoris terreni deſpicientia, in Abraham, demonſtrat facile, dum iam irruens in filium machæra, genua Iſaac reuincta pedibus premit, & calcat; acumen eſt ſancti Ephræm orat. de Abraham ſcribentis: *Iuxta altare procumbebat Iſaac, coram patre in genua pronolutus, ac manus retro circumactas habens: Abraham interim à tergo genuum curuaturam calcante*, antequam conſtituatur ſupra aram Deo deuouenda victima, Iſaac proſpectabat paraturam ſacrificij deuotus, & in genua prouolutus, tunc ſenex piè crudelis patrare audet inauditum facinus: ſuper flexos Iſaac poplites, & curuata genua ſtrenuè aſcendit, pedibúſque calcat: *Abraham interim à tergo genuum curuaturam calcante.* Quid agis venerande Antiſtes, dux fidei? non ſat eſt apparare gladium iugulo, ignem buſto, adoleſcentuli corpus in fauillas redacturo; cur religioſa iuuenis genua, Dei conſilium, & placitum venerantia, conculcas? num deſpicis, ſe ſe in holocauſtum litantis pietatem, & cultum? non calcanda, pedibus, ſed oſculis premenda genua, Dei obſequio dicata, cur conſtituit ſub pedum veſtigio flexa Iſaac genua? vt à tergo relinquat omnia, quia amor Dei eximius in Abraham deuicit Mundi oblectamenta, eique honor, deliciæ, vnici filij amor proſtrata iacent, cedúntque victori, & egregio mundialium deſpectori, quid plura? genuum Iſaac curuaturam peſſundat, ſuæ ſtirpis regibus præſtandam à populis venerationem, & cultum deſpicit, cum Iſaac deuouetur morti, tota regum poſteritas Abrahamidi generis diſſipatur, ſicut exciſo arboris trunco, exſcinduntur rami, illam ergo venerationem, & adorationem à Gentibus exhibendam regibus de proſapia Iſaac oriundis, relinquit à tergo, cum a tergo genuum curuaturam calcat.

Iſaac offertur à Patre in holocauſtum.

D. Ephr. Abraham genuum curuaturā Iſaaci calcauit à tergo.

Abraham mundialia omnia, & venerationes populi, ſuo generi exhibendas, à tergo relinquit, & ſpernit.

5. Eximius in hac diſciplina Doctor Paulus, nullus ſicut Apoſtolus retro habuit temporalia, ſicut diuina antepoſuit. Ad Philipp. cap. 3. verſ. 13. inquit: *Vnum autem, quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora extendens meipſum*, ſanctus Chryſoſt. homilia 12. legit: *Ea quidem, quæ à tergo ſunt obliuiſcens*, Paulinæ mentis diſcretio verbis exprimitur, dum temporalia à cæleſtibus diſcernit, & animi ſalutem rebus omnibus præferendam cenſet; tenebat Paulus ſanctitatis apicem; quidquid ſplendore gloriæ, & oblectamenti nitet in ſeculo, in poſterioribus collocauit, & quod plus eſt, æterna obliuione obrutum à tergo reliquit: *Quæ à tergo ſunt obliuiſcens*, quare ſanctus Anſelmus in hoc loco diſertè fatur: *Quæ terrena reliqui, obliuiſcens, id eſt, à memoria cogitationis auferens: ad ea verò, quæ ſunt priora, id eſt, ad cæleſtia, quæ ſunt eleuantia in diuina, extendens deſiderio meipſum, perſequor, id eſt, perfectè ſequor mente, & ope re, ante nos enim æterna ſunt, poſt nos temporalia: quia & illa pergentes, inuenimus, & illa recedentes, quaſi poſt dorſum relinquimus*: felix, & diſertus homo, qui inſtar Pauli, mentis examine explorat, quæ ſunt collocanda in primis, quæ ſunt ponenda in poſtremis. Ea, in quæ, dilectores Mundi aperto ore inhiant, vt deſpicatiſſima abiice, & poſt tergum proiice; cæleſtia, & diuina omni niſu apprehende; propior eris Ieſu triumphanti, qui te inuitat ad palmam, quo longius à te mundi inquinamenta ablegaueris, & obliuionis tumulo ſepulta contempſeris.

Paulus temporalia retro habet, & obliuione obruit.

D. Chryſoſt.

D. Anſelm. Paulus à memoria cogitationis abſtulit terrena, ea poſt ſe relinquens.

Ante nos collocanda æterna, poſt nos temporalia.

6. Auguſtum Chriſti imperium, omnique felicitate beatum egregio carmine cecinit Dauid Pſalm. 71. verſ. 16. *Superextolletur ſuper Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate, ſicut fœnum terræ*, nec amplum videtur decus, nec omni ex parte beatum, quod Vates ſpondet, in fœni floritionem, quod viridi hodie vernat ornatu, cras Sole torretur, in ariſtam verſum, & in clibanum inijcitur; quæ diuitiarum vbertas, aut prouentuum opimitas de fœno proueniet huius Regiæ Ciuitatis incolis, proueniet decus, quod tanquam flos agri egreditur, & conteritur, erit omnis gloria eius tanquam flos fœni, quod ſubito marceſcit. Sed age, vno verbo quæſtionem diſſoluat, & ingenij acumine conceptum exprimat ſanctus Auguſtinus. Fructus eleuatus, ſuperexaltatus ſuper Libanum Ieſus eſt, ſcandens æthera, ſublimatus ſuper cœlorum vertices aſcenſionis, & exaltationis Ieſus fructus eſt, vt ſciat homo, quis ſit flos Libani, quis flos fœni, quis flos præferendus, conſtituendus ante oculos, applicandus pectori, qui flores ſpernendi, poſt tergum ablegandi, alloquitur Auguſtinus, & ſolitis verborum luminibus mentis tenebras diſcutit: *Exaltatio itaque fructus Chriſti ſuper Libanum, id eſt, ſuper arbores cinturæas, & ligna imputribilia, quia ille fructus æternus eſt, omnis claritas hominis ſecundum temporalem ſeculi celſitudinem fœno comparatur, quoniam credentibus, & vitam æternam iam ſperantibus ſpernitur felicitas temporalis, vt impleatur illud, quod ſcriptum eſt, omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis, vt flos fœni, ſemper enim caro fœnum fuit, & claritas carnis, vt flos fœni; ſed quia non demonſtratur, quæ fuerat eligenda, & præponenda felicitas, flos fœni pro magno habebatur; nec ſolum minimè contemnebatur, ſed etiam maximè appetebatur, quaſi ergo tunc ita eſſe*

D. Auguſt. Chriſti imperium prædicatur à Regio pſalte.

Cur comparatur flori, & fructui.

D. Auguſt. Chriſtus fructus eſt exaltatus ſuper Libanum.

Flos fœni. hominis claritas, & celſitudo.

Qui vitā alterius exſperant, felicitatem temporaneam contemnunt.

Quæ ſit præponenda, aut poſtponenda felicitas. Chriſtus demonſtrauit.

 cœpit,

cœperit, quando auerſum eſt, atque contemptum, quidquid florebat in ſeculo, ita dictum eſt, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius, & florebunt de Ciuitate ſicut fœnum terræ. Hæc Auguſtinus. Poſt extollentiam diuini fructus inter amœniſſimi paradiſi cæleſtes frondes, ſeculi deſpicientia ſubſequuta eſt, quidquid floret, & nitet in terreſtri viridario, docuit Ieſus in ſupernis conſtitutus contemnere: filij ſedentis ad dextram patris egregium facinus eſt, pulcros & nitentes mundi flores à tergo relinquere, & floridum Ieſum amplecti.

Conſiliū Angelicum eſt: noli reſpicere poſt tergum.

7. Arridet valde Angelorum conſilium, Loth eos hoſpitanti exhibitum. Geneſ. cap. 19. verſ. 11. *Loquuti ſunt ad eum dicentes: Salua animam tuam; noli reſpicere poſt tergum.* Stat incolumis ſalus Loth, ſi Regionis, & patriæ oblectamenta, & Sodomæ flagitia poſt tergum deſpecta relinquat, ſi in animo abolita permaneant, vt nec cupiditate poſſidendi, ad ea regrediatur animus. Pulcrè ſanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham, cap. 6. inquit: *Mandatum accepit, ne reſpiceret retro, hoc tum illi dicitur, omnibus dicitur. Si vis ergo, & tu euadere, ne reſpicias retro, ſed ante: aſpice, vbi Chriſtus eſt, vt dicat tibi: Vade retrò, ſicut Petro dicit, vade poſt me, vt Chriſtum ſequeretur, Chriſtum videret; retro Sodoma eſt plena flagitij; retro Gomorrha vitijs ſcatens, criminum regio.* Hæc ille.

D. Athan. *Non eſt reſpiciendum retrò, ſed ante, vbi Chriſtus eſt, vt ipſum ſequatur.*

DISCVRSVS VI.

Ille perfectior Ieſu, & Angelorum æmulator, qui cœli regiam intrat, vberiori animarum ſtipatus Satellitio.

Sponſa ad apicem ſanctitatis euecta, corona filiorum gloriatur quos ſuo labore Chriſto peperit.

1. FELIX, qui incumbit animarum lucro, nec, propria ſalute contentus, ſolitarius venit ad ſupernæ vocationis palmam; ſed opimus virtutibus, prole fœcundus, & cinctus filiorum corona, quos per vitæ immutationem peperit Chriſto, hic perfectus imitator eſt ſponſæ ſacræ, quam Ieſus ſponſus ad apicem ſanctitatis extulit, ipſa fatur ex inſtructione ſponſi; quod ſit eius ſtudium, & miniſterium, Cantic. cap. 6. verſ. 10. *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium.* Sponſa amore diuino ſaucia, ad contemplationis culmen rapta ſuſtollitur, ſed in ipſo vertice conſtitutæ occurrit dulcis filiorum memoria, affectuque materno ad ipſos cōdeſcendit, vt ſecum eueharet ad ſublimia. Lxx. legunt: *Videre in genimina torrentis.* Theodoretus: *Vt viderem in germinibus torrentis.* Seipſum contemplatur in Deitatis ſpeculo ſponſa, nec diſplicebat ſuæ pulcritudinis forma, ſed deſcendit ad torrentes aquarum, vt in ipſis riuulis, velut cryſtallinis ſpeculis ſeipſam intuecatur; ſciebat enim hanc ſpeciem, & imaginem, quæ ex intuitu torrentis, & genimínum reſultabat, valde placuiſſe dilecto, quia ſeipſam non ſolitariam, non ſterilem, ſed fœcundam, & filiorum germinibus circumdatam, reſpicit: *Vt viderem in germinibus torrentis.* Sponſæ ſauciæ affectum acutè exprimit Theodoretus his verbis: *Oſtendit homines pios (quos diuina Scriptura ſponſam appellat) propria non eſſe ſalute contentos, neque ipſis ſatis eſſe, quod ipſi ſoli nuptias optatas ſint aſſecuti, ſed totis viribus in eam curam incumbere, vt reliquos omnes homines ab infrugiferæ vita dimoueant, quo fertiles effecti, virtutum fructus ferant,* quod quidem dum præſtant, *& cæteris hominibus vacant inſtituendis, ſimiles ſunt curribus Aminadab, vel vt Symmachus interpretatus eſt, curribus populi præeuntis.* Hæc Theodoretus. Nō ſterileſcit, ſed fœcunda redditur ex contemplatione diuina ſponſa Chriſti, filiorum caterua gaudet ornari, ſicut ſalix ſecus decurſus aquarum virgultis, & frondibus: hi, qui aliorum ſaluti, & inſtitutioni enixè incumbunt, ſimiles ſunt curribus, qui triumphales animarum exuuias in cœlum portant: iurè comparantur quadriiugis plauſtris, onuſtis non fœno, quod igni deſtinatur, ſed auro; & pretioſis monilibus animorum, qui gaza regia, & ornamenta ſunt Chriſti. Denique miniſtri ſalutis animarum, gratiam vberius accumulant, tanquam currus operibus ſuperpleni, ſupereffluentes meritis in æthera ſcandunt.

Lect. Lxx.

Theod.

Species, & imago animæ, quæ ex viſu torrentis, & geniminū reſultat Deo gratior.

Theodor. *Viri pietate inſignes non ſunt contenti propria ſalute ſed totis viribus incumbunt in ſalutem animarum.*

Cum vacant ſpirituali hominum inſtitutioni, ſimiles ſunt curribus Aminadab.

Tanquā currus triūphales manubijs animarum onuſti in cœlum migrāt. Currus ſunt meritis onuſti.

2. Hæ ſunt cæleſtium notæ, & Angelorum hæc inſignia, ad æternæ hereditatis contubernium hominis excitare: De Cherubinorum magnifica ſtructura quos Salomon in oraculo templi conſtituit, hæc ſcribit liber Paralip. parte 2. cap. 3. v. 13. *Ipſi ſtabant erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum,* argute exprimit textus ſacer, Angelorum aſpectum verſus exteriorem domum. Prodigiis plena Cherubim collocatio, & diſpoſitio, in qua eminet Salomonis ſapientia; cur non proſpectant Cherubim ſancta ſanctorum, cur vultus non inuertunt ad oraculum, & arcam teſtamenti? Sed iis omnibus velut à tergo reli[illegible], oculos coniiciunt in domus portam exteriorem; vt ipſa ſtatione, ipſo intuitu præbeant fo[illegible]dentis animarum zeli, qui in Angelis præfulget, vehementiſſimo charitatis oculo homines intuentur de ſupernis, erecta ſtatura, expanſis alis amoris ad animarum lucrum aduolant, vt opitulentur periclitantibus, excitent ad conuerſationem cæleſtem, & deducant ad æternæ vitæ conſortium. Pulcrè ſanctus & Venerabilis Beda, lib. de templo, cap. 13. inquit: *Ange[illegible] ad exteriorem domum, quia nos ab huius ærumnæ peregrinationis ereptos, ad ſuum deſiderant peruenire conſortium:* & ſubiungit: *Cur erecti ſtant, & aſpicientes portam? quia, Angeli ſic perpetuo ſuam innocentiam conſeruant, ſic de animarum ſanctarum in cœleſti beatitudine congaudent, vt eos quoque, quos in terris adhuc peregrinari conſpiciunt, electis opem ferre non deſinant, donec & illos ad cæleſtem patriam introducant,* in ipſa cæleſti gloria Angeli conſtituti ſoliciti ſunt de hominis incolumitate; plura incitamenta interiora, & exteriora de affectu ſuo proferunt, quæ eum prouocent, & impellant ad felicitatem; nec ſoli cupiunt perfrui beatitudine, ſed omnes homines ſecum inuehere ad æternæ vitæ conſortium, ideo oculos, & vultus iniiciunt in portas, vt inenarrabili gaudio exultent, dum plures cernunt cœli tenere portum, & cæleſtis aulæ intrare portam.

Cæliturum officium, hominis excitare ad cæleſtia.

Statio & collocatio Cherubinorum in templo Salomonis.

Cur [illegible] ad exteriorē [illegible]

[illegible] animarū in pectu Cherubinorum præfulget.

Beda.

Angeli cupiunt, nos deducere ad ſuum conſortium.

Angeli de beatitudine gaudentes, opem ferunt peregrinantibus, vt eos ad cæleſtia introducant.

3. Iacob ſanctus auulſus à paterna domo, peregrinus à ſæculo, in Bethel pernoctare cogitur; requies corporis, & tranquillitas animi à cœlicolis celebratur, ſurſum, deorſum per ſcalam curſitantibus, nec mireris Angelorum plauſum, & accurſum ſuper Iacob, quando accumbit ſuper lapidem Chriſtum curarum dulce lenimen ſuper eumque laboris, & ærumnæ onus deponit. de [illegible], & lectulo Iacob, hæc ſacer textus habet, Geneſ. cap. 28. verſ. 11. *Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus,*

Patriarcha Iacob requies, & ſcala viſio.

lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco; viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam, miror, cur ſcalæ imago, & Angelorum ſpectra non obuerſentur animo Iacob in ipſo itineris, & peregrinationis curſu; ſed cum accumbit ſuper lapidem requieturus, tota cœli aula panditur, & ſe ſe ex alto demittunt Angelorum acies. Etenim in Iacob ſupra petram decumbente contemplabantur Angeli noui populi primitias, Chriſto per fidem viuam adhærentis, cernunt domum Dei non ſterilem, & ſolitariam, ſed noua prole fœcundam, & ornatam; gaudentes ergo Angeli deſcendunt, & porrigunt auxiliatrices manus populis ad domum Dei aduentantibus, vt eos ſecum euehant ad ſuperorum atria: mens eſt ſancti Cyrilli Alexandrini, libro 1. Glaphyrorum dicentis: *Poſtquam verò populus fidelis acquieuit Chriſto, qui eſt lapis electus, angularis, pretioſus (hoc enim ſibi vult dormire ſuper lapidem) docti ſumus, quod ſoli in terra non ſint futuri, at verò auxiliatores, & ſocios ſanctos Angelos habituri ſurſum, ac deorſum currentes: ait enim alibi Chriſtus: Ioan. cap. 1. Amen amen dico vobis: amodo videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis, hoc vt arbitror, eſt ſcala, ſanctorum ſpirituum ſurſum, ac deorſum diſcurſuatio, qui mittuntur in miniſterium propter eos, qui futuri ſunt heredes Regni*: Angelicum munus eſt, homini ad fidei, & virtutis certamina contendenti ferre ſuppetias; ex quo Chriſtum circumdedit caterua populorum credentium, cœlorum atria patuleſcunt, cæleſtéſque milites curſitant gaudentes hominis profectu, & ſocietate: non iam ſolitarij Angeli, ſed hominum turbis permixti in cœlorum culmina aſcendunt, quare operarij fideles animarum conuerſioni, & emolumento operam, & laborem enixè impendentes perfecti ſunt Angelorum æmulatores: inſtar Cherubim, quos Salomon in oraculo conſtituit, Deum propter Deum relinquunt, vt eum in animorum lucro inueniant: qui dum per aſcenſum mentis in Deum metas diuinitatis in contemplatione attingunt, ad nutriendos paruulos alimento ſapientiæ per ſcalam deſcendunt, vt improbos irretitos ſeculi illecebris, criminum raptatos fluctibus, ſcelerum luto, & fæcibus immerſos extrahant: de his dictum cenſe Cyrilli alloquium: *Docti ſumus quod ſoli in terra non ſunt futuri, at verò auxiliatores, & ſocios ſanctos Angelos habituri ſurſum, ac deorſum currentes.* Qui enim inſectantur animarum quæſtum, non tantum Ieſum, ſed ſanctos Angelos habent auxiliatores, & ſocios: gaudent Angeli eorum contubernio, & familiaritate, qui zeli, & ſalutis animarum ſuam referunt ſimilitudinem, & formam.

Angeli porrigunt auxiliatrices manus populis ad domum Dei confluentibus.

D. Cyrill. Alex.

Dormire ſuper lapidem, eſt populum acquieſcere lapidi angulari Chriſto. Qui ad Chriſtū confluunt, auxiliatores, & ſocios habent ſanctos Angelos. Ad miniſterium conuerſionis animarum deſcendunt Angeli.

Qui incumbunt animarum ſaluti, ſocios habent ſanctos Angelos.

D. Cyrill.

4. Sponſa ſacra his verborum blandimentis incitabat ſponſum, vt deſcenderet de cœlorum atrio ad hominis redemptionem, Cantic. cap. 7. verſ. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Sed quam egreſſionem poſtulat? erat ſponſus alicubi clauſus, vt eum, affectuum, & verborum ſtimulis inflammet, vt foras egrediatur? introſpexit animum ſponſæ ſanctus Ambroſius, eiuſque affectus eſt fidus interpres, dum inquit, lib. 1. de Iſaac, & anima cap. 8. *Ergo quaſi perfecta non pro ſe, ſed pro alijs interuenit, vt de ſinu patris exeat, vt procedat foras tanquam ſponſus de thalamo ſuo, egrediens currat viam, vt infirmos lucretur, non illo ſecreto patris ſolio, & in illa luce immoretur, quo inualidi equi conſcendere non queunt.* Incitat Dei verbum immanens apud patrem ſponſa, vt de illa luce æternitatis, quæ eſt apud patrem, ad populum ambulantem in tenebris, & ad regionem vmbræ mortis deſcendat, vt Sol iuſtitiæ egrediatur tanquam ſponſus de thalamo ſuo, vt tenebras peccatorum illuminet, vt intendat animarum lucro, negotiis & occupationibus implicetur ſalutis humanæ, plus placiturus in labore, & lucro animarum: *Ergo quaſi perfecta non pro ſe, ſed pro alijs interuenit.* Tenebat virtutis apicem ſponſa, charitatis faſtigium: Dei benignitatem, beneficamque perfectè æmulabatur naturam, cum non ſolitaria ingredi exoptat cæleſte domicilium, ſed circumdata populorum coronâ, animarum ſtipata choris.

Sponſa ſacra excitat Dei verbum, vt ad animarū redemptionē veniat.

D. Ambr.

Perfecta anima non pro ſe, ſed pro alijs interuenit. Excitat Deum, vt infirmos lucretur.

D. Ambr.

5. Emicuit in Iob conſummatæ perfectionis iubar, cum pro filiorum indemnitate preces funderet, Iob cap. 1. verſ. 5. *Cùmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos.* Sed quid mittebat Iob? vt ablueret maculas, & ſordes natorum, quas in ſympoſio contraxerant, eóſque omni criminis labe purgaret? Reſpondet Origenes grauiter, & acutè lib. 1. in Iob: *Mittebat ad eos, qui pietatem admonerent, qui iuſtitiam inſtruerent, qui Dei timorem docerent, qui teſtificarentur Dei iudicium terribile, in quo omnium, & manifeſtorum operum, & verborum ratio inquiritur, atque redditur*, &c. *Quid mittebat, vel quomodo mittebat? ad Dominū mittebat, & ad Creatorem dirigebat.* Stabat Iob in domo ſua velut in lyceo diuinæ ſapientiæ, Gymnaſiarchi munere perfunctus, habebat ſanctitatis moderatores, quos mittebat ad filios, vt iſtos cæleſtibus inſtituerent diſciplinis; vt habenis Dominici timoris indociles iuuenum cupiditates coërcerent; iuſti iudicij Dei, & æternæ formidine pœnæ in virtute continerent, ipſe pueros ſuos, quod ab incunabulis honeſtè inſtituerat, ætate prouectos ad conſummatam virtutem erudiebat: *Ad Dominum mittebat, & ad Creatorem dirigebat.* O virum immortalitate dignum: ante Apoſtolos Apoſtolicæ æmulatorem animarum infulis ornatum! non erat propria ſalute contentus, filiorum, & domeſticorum omnium cateruam, cohortem vtique pietatis ad virtutis celſitudinem ducebat, & ad Dominum dirigebat, vt tantis animarum velut inſignibus triumphorum ornatus, cæleſtia ingrederentur atria.

Orig.

Iob mittebat ad filios, viros, ſanctitate conſpicuos, qui eos in omni virtute inſtruerent, & Dei iudicium prædicarent.

Iob. Satellitio filiorum cinctus ingredi cupiebat cæleſtia atria.

6. Nolle iuſtum penetrare cœlum ſolitariè, aut animarum conſortio deſtitutum, ſed multorum, quos ſedulitate, & labore ad meliorem vitæ frugem reuocauit, ſtipatum ſatellitio, eximiæ charitatis culmen eſt, quæ in Moyſe, & in Paulo enituit; dum alter anathema, alter deleri de libro viuentium cupit: cerne Paulinum pectus ſaucium diuini amoris iaculo, hoc verba exprimunt ex c. 11. ad Romanos, verſ. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Cerne de Moſaico corde erumpentes diuinæ charitatis flammas: cum non cernit in cæleſti Catalogo nomina filiorum exarata, nomen ſuum de libro vitæ poſtulat expungi. Exodi cap. 32. verſ. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Reconditos ſenſus animorum Moyſis, & Pauli ſanctus Hieronymus tenuit epiſt. ad Gaudentium ſcribens: *Compaſſionis loquebatur affectu, velut perire cum pereuntibus, nec propria ſalute contentus eſt: gloria quippe Regis multitudo populi.* At Seraphicus Doctor ſanctus Bonauentura conceptum ornat, & amplificat de proceſſu religionis, cap. 4. ſcribens: *Non quod A...*

In Paulo, & Moyſe zelus animarum nitet.

D. Hier.

Moyſes vult perire cum pereuntibus, nec propria ſalute contentus eſt.

D. Bonau.

Paulus, & Moyſes affectum ſalutis proximorum, ſuis verbis oſtendunt. Nolunt ſolitarij intrare in cæleſtes epulas.

ſolus vellet à Chriſto ſeparari, vel Moyſes deleri, ſed quia affectum, quem ad proximorum ſalutem habebant, euidentius exprimere non valebant, quaſi non reputantes ſibi eſſe plenum gaudium introduci ad epulas cæleſtes, illis quos diligebant, & pro quibus mori optabant, foris fame cruciatis. Non cenſent eſſe plenam, & perfectam felicitatem introduci ad cæleſtes dapes, dum filij, quos diligunt à conuiuio manent extorres; tunc verò perfectè, & cumulatè beati de aliorum conſortio, cùm eos ad interminabile gaudium, & opiparam cœli menſam introducunt.

Ieſus animã efflans voce magna clamauit, vt Iudæos ad fidẽ excitaret.

D. Athan.

7. Ieſus Cruci ſuffixus immenſi dedit documenta amoris vltimo halitu, quando immoriens ſeculo, vehementem profudit clamorem, & orbis contremuit. Matth. cap. 27. verſ. 50. *Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.* De hoc Chriſti clamore hanc proponit quæſtionem ſanctus Athanaſius quæſt. 41. *Quare magna voce clamauit Chriſtus in Cruce? Reſponſio: vt ſuam declararet potentiam, deterreret Iudæos, & ad fidem adduceret. Hæc enim vox petras diſcidit, velum templi diſrupit, terram mouit, & apertis mortuorum ſepulcris mortuos excitauit, ac ne ſic quidem intellexerunt inſenſati Iudæi.* Duos ingentes clamores Ieſu apud Matthæum Euangeliſtam auſculto: vnum, quo clamat, & conqueritur apud patrem, dicens: *Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* alterum, quo clamat ad mundum, & habitatores eius, vt erga Deum & hominem charitatem Ieſus moriturus oſtendat; ſed ſola vox, quæ ad homines dirigitur, prodigiorum operatrix extitit; ea quippe orbis terræ contremuit, ſciſſum velum, aperti mortuorum tumuli, petræ ſciſſæ ſunt; hoc clamore ad compaſſionem, & immutationem ſtimulabat orbem, Iudæos ad conuerſionem excitabat. Adeo flagrabat Ieſus humanæ ſalutis amore, vt vſque ad vltimum halitum clamore valido, & lacrymis zelum Iudaici populi, & illius incolumitatis expromeret, nec ſolus cum vno, vel altero latrone ad meliorem frugem redacto, optat penetrare æterna tabernacula, ſed omnes cupit perducere ad cæleſtia, qui pro omnibus moritur: *Vt deterreret Iudæos, & ad fidem adduceret.* Quare inclytus Ieſu æmulator eſt, qui plures ſecum adportare cæleſtibus ſatagit.

Ieſus vſque ad vltimum ſpiritum ſaluti hominũ incumbit.

D. Athan.

Mons Domini

Pro virtute, & perfectione Chriſtiana vſurpatus illuſtratur.

Virtutis, & perfectionis ſublimitas in monte adumbrata.

CELEBRIS montis aſcenſus, dum Ieſum aſcendentem, & ſuperantem montis ardua, & Iſaiam ad aſcenſum exhortantem vidimus; in vtroque monte, & aſcenſu perfectionis ſublimitas deſignatur, quam docet Ieſus in aſcenſu, & Iſaias, dum eius ſectatur veſtigia; ideo ad amplificandam aſcenſionem in montem Thabor, & Chriſti transfigurationem, quam in præcedenti expoſitione delineauimus, de monte perfectionis hos morales diſcurſus inſtituimus: quod perfectio denotetur nomine montis, fatetur ſanctus Athanaſius quæſt. 83. Cujus titulus eſt: *Quare virtus dicitur mons? Reſponſio quia ſicut mons, etſi excelſus eſt ſupra terram, cœlo tamen eſt humilior, ita qui in vita ſua virtutem exercet, terrâ quidem eſt excelſior, eo quod huius vitæ curas, & mundi negotia ſuperat, nihilominus tamen eſt inferior cœlo,* & addit: *Deinde cum dicit montes excelſi ceruis, altos montes excelſas virtutes, ceruas vero ſanctorum animas vocat, quandoquidem in excelſis actionibus virtutum, ſicut in montibus cerua verſantur animæ ſanctorum.*

D. Athan.

Cur virtus monti comparetur.

DISCVRSVS VII.

Illi præ cæteris ſcandunt ardua montis iuga, & apprehendunt ſanctitatis apicem, qui affectibus humanis violentiam inferunt.

1. DVo reſtant illuminanda hujus montis inſignia. Primum, cur dicatur mons, & domus Iacob. Secundum, cur populorum aſcenſus comparetur fluuiorum curſui, *& fluent ad eum.* Nuncupatur Iacob, quia ſolum veri Iacobitæ vitiorum ſupplantatores aſcendunt, aſcenſus vocatur amnium fluxus, qui ſurſum vadit: quia ſolum patet aditus ad montis cacumina iis, qui contra paſſionum tramitem, & alluuiem obnituntur. In quatuor fluenta partiebatur paradiſiacus fons, & aquarum ſcaturigo, quorum vnum celeberrimum mihi vſurpo, vt ex eo hauriam latices ſapientiæ: *Nomen verò fluminis tertij Tygris, ipſe vadit contra Aſſyrios.* Geneſ. cap. 2. verſ. 14. Si literæ hæreas, fluuius tertius Tygris dicitur, quia præcipiti torrente fluitat: ſi myſterium de flumine ebibas iuxta nomenclaturam vocis *Aſſyrius*, quæ interpretatur *dirigens*, iuſtum exprimit fortitudine præſtantem, qui præcipitatum paſſionum curſum coërcet, & dirigit violẽtus ad ſuperna. Hæc eſt D. Ambroſij acuta Commentatio lib. de paradiſo, cap. 3. ſcribentis: *Hic fluuius dicitur velocior eſſe omnibus, quem incolunt Aſſyrij, hoc eſt, dirigentes, hoc enim ſignificat interpretatio: ergo quicunque fortitudine animi præuaricantia cordis vitia cogitauerit, dirigens ad ſuperna; iſte huius fluuius ſimilis æſtimatur, & ideo etiam fortitudo de illo, qui eſt in paradiſi fonte, manat, fortitudo autem quodam curſu rapido reſilientia quæque transuerberat, nec aliquibus curſus eius impedimentorum hæret obſtaculis.* Fortitudinis virtus in flumine Tygris exprimitur, iuxta Ambroſij placitum, qua protectus myſticus Aſſyrius, & cœleſtis paradiſi expugnator, curſum affectuum in præceps ruentem moderetur, & reprimat, habeniſque rationis reflectat, dirigátque curſum ad paradiſi ſuperiora faſtigia; vt fluxus feſtinet ſurſum, qui in præceps ferebatur deorſum, induſtria, & violentia iuſti prææagit, qua ſibi vim infert, & repugnat, cœlúmque expugnat.

Quatuor paradiſi fluenta.

Tygris vadit contra Aſſyrios.

Aſſyrius interpretatur dirigens.

D. Ambr.

Iuſtus coërcent animi motus, & dirigens ad ſuperna, ſimilis eſt Tygri, qui vadit contra Aſſyrios.

Tygris fortitudinem innuit.

Fortitudo rapidum paſſionum curſum coërcet.

2. Duo turtures, aut pulli columbarum litabantur Domino, vnus pro peccato, alter in holocauſtum. Leuitic. cap. 5. verſ. 8. Sed ante oblationem pro peccato hunc ritum obſeruabat Antiſtes, vt auiculæ caput retorqueret: *Qui primum offerens pro peccato retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur.* Quam durus, & ſeuerus exactor ſe gerit Sacerdos cum ſimplici columba; ſi purpureo latice, & profeſſione vitæ ornatura eſt aras ſacra victima, cur ante oblationem eam torquet, & retorquet tam tetro cruciatu reflectens guttur, & caput ad pennulas? dum ſtrangulatur auicula, ſummóque dolore præcluditur vitæ halitus, vt immoletur pro crimine, inſtruit criminoſum

Turturis caput quod offertur pro peccato, ad pennulas retorquetur.

Cur Sacerdos torquet, & retorquet auiculæ caput ad pennulas.

Peccatorem decet eſſe violentum, & crudelem cum ſuis paſſionibus.

Iſych.

criminoſum eſſe violentum, & crudelem cum ſuis paſſionibus, vt corpori & animo vim inferat, eas extorquens, ne furentes affectus in aliquod ſceſus erumpant, acumen eſt Iſychij Epiſcopi Hieroſolymitani, qui ſequutus verſionem Lxx. qui legunt: *Erumpet* pro *retorquebit.* ita fatur: *Per hoc ergo, quod dicitur Lxx. & erumpet Sacerdos caput eius: præſens verò tranſlatio, retorquebitque caput eius ad pennulas, vult nos non ſeruire, neque compati corpori, ſed abrumpi, vel retorqueri, vt non ex æquo repugnet legi mentis lex peccati, quæ conſuetudine peccandi in membris habitat corporis.* In bello inteſtino animi cum affectibus ſuis belligerantis, violentum in eo robur exigit Iſychius, vt domeſticorum hoſtium impetus valentes reprimat, & vires infringat; conceptus leporem indicant verba illa: *Non ſeruire, neque compati corpori, ſed abrumpi, vel retorqueri*: hominem cum corpore ſuo eſſe inhumanum, pia ſæuitia eſt: non tantum cupit Hieroſolymitanus antiſtes, vt Homo in ſeipſum deſæuiat, ſed amore virtutis ſibi omnem violentiam inferat; & quod plus eſt, ne aliquo piaculo animum inquinet, contorqueatur homo, aut diſrumpatur. Diuinus hominis affectus eſt, pro virtute agonizantis, dum, inquit, potius diſrumpar, quàm in minimo delinquam.

Non eſt ſeruiendum, neque compatiendum corpori.

Iſych.

Omnis violentia inferenda affectibus amore virtutis.

Diſrumpi magis expedit, quam in minimo delinquere.

Pauli Apoſtoli virtus in ſectanda virtute.

3. Pugilem violentorum omnium maximum in medium prodo Apoſtolum Paulum, omni niſu currentem ad virtutis palmam; ex omni curriculi ſui apparatu in perfectionis ſtadio, vnum lego documentum, ex capite 3. ad Philippenſes, verſ. 14. *Ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum.* verbum *extendens me*, præclarum Pauli robur in ſectatione virtutis exprimit, Chryſoſtomus, homilia 12. lepidè vertit *enitens*, & verbum Græcum ἐπεκτεινόμενος, denotat magno niſu conari, manus, totúmque corpus magno conatu protendere ad apprehendendum ſcopum: verbi emphaſim exprimit os aureum his verbis: *Enitens enim is eſt, qui pedes quanquam currentes, reliquo corpore anteuertere ſtudens, ſeipſum in ea, quæ à fronte ſunt, extendit, & manus quoque protendit, vt etiam amplius quiddam vltra curſum efficiat, hoc vero fit ex multa animi alacritate, ex multo feruore*: Et de Paulo ſubiungit: *Non erat momentum aliquod, non erat tempus, in quo non creuerit illi curſus: non accipere volebat, ſed rapere palmam.* Non ſtertebat Paulus, nec ſupinus iacebat, vt capeſſeret virtutis brauium, ſed ſibi vim inferens, omnes adhibebat conatus, vt raperet palmam, ſciebat enim, quod Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

D. Chryſoſt.

Apoſtoli contentio, & niſus in virtutis curriculo.

D. Chryſoſt.

Illius alacritas, & feruor ſpiritus.

Non accepit palmam, ſed rapuit violentus.

4. Sed antecedens Pauli ſententia non eſt prætereunda ſilentio, quæ verſ. 12. continetur: *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Magnæ Paulinæ mentis acutiæ in his verbis latent: optat Apoſtolus tenere Ieſum, & perfectionis apicem ea induſtria, & ſolertia, qua ipſe comprehenſus eſt à Ieſu, & gratia Ieſu ſocia: acumen hoc occurrit Cardinali Caietano, cum ſcribit: *Ac ſi apertius dixiſſet, vt eadem ratione comprehendam proculdubio Deum, vt terminum via perfectionis, qua & ego comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu: fuit enim velut comprehenſus à Chriſto, cum conuerſus fuit in anima per gratiam feliciter.* Gratia Dei in Paulo, dum appropinquaret Damaſco omnes vires ſuas exprompſit; vt per quandam diuini amoris violentiam, vim inferret, obfirmato in legis obſeruatione animo, & cor induratum emolliret; Paulus vtique voluntarius Dei vocationi reſpondit, ſed antequam

Apoſtolus comprehendere ſatagit perfectionis faſtigium ea induſtria, qua ipſe comprehenſus eſt à Ieſu.

Caiet.

Paulus à Chriſto fuit cõprehenſus.

daret liberum conſenſum Deo excitanti, & Euangelico iugo inclinaret ceruicem, charitatem, & gratiam diuinæ clementiæ Satellites Ieſus iniecit, vt eum per vim comprehenderent. Cerne amoris violentias, cum eum ſubita fulguratio radiorum circumdat, cum diuina voce proſternitur, cum præceps illa, qua in Diſcipulos Domini furebat inſania, timore Ieſu de nube colloquentis frænatur per vim omnipotentis dextræ de poteſtate ſeculi extorquetur, per violentiam capitur, & vinculis amoris connectitur. Nunc ſe inſinuat Paulinæ mentis arcanum: *Comprehendam, ſicut & comprehenſus ſum.* Sicut Ieſus per vim quandam me comprehendit, & per violentiam tenuit; ita tenebo Ieſum, & apprehendam ſanctimoniæ culmen violentus, ſtrenuè mihi vim inferam.

Charitas, & gratia Ieſu Satellites, qui Paulũ ſuaui violentia cõprehenderũt.

5. Cum apud Zachariam lectitarem difficilem ſententiam, cap. 9. verſ. 16. *Quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.* animus hæſit quaſi in ſalebra. Quis non ſtupeat lapides prægrandes in aëra ſuſtolli ad ſtructuram domus, velut pennatos eleuari ad ſuperiora fabricæ faſtigia: quæ ſuperior manus lapides impulit, vt per iuga montium ſurſum ſcanderent, aut quæ artifex rota eleuauit eos ad ſuperna? Domus iſtius fabrica Eccleſia eſt, cuius opifex Deus. Lapides, quos vates nuncupat ſanctos, iuſti ſunt, qui ædificio coaptantur Architecti manu: ſed tanta ſubſidia præſtat Architectus lapidibus, vt ſeipſos impellant renitentes, virtutis violentia alleuiantes pondera, vt velociter voluantur ad montium cacumina: aptè Lxx. tranſtulerunt: *Lapides ſancti voluentur.* Lect. Lxx.
Eſt enim Euangelicæ perfectionis decus, & ornamentum terrenam corporis molem affectuum, & paſſionum ponderibus prægrauatam, ſic incitare virtutis impetu, vt per montis ardua remoliatur, & inuitum feſtinare cogat: vim conceptus exprimit ſanctus Hieronymus de lapidibus ſanctis fatus: *Qui tantum erunt leues, & in ſublime nitentes, vt non præſtolentur ædificantium manus, ſed ipſi feſtinent imponi ſuper fundamentum Chriſti.* Et ſtatim: *Voluentur quandiu in corpore fuerint ſuper terram: quia aggrauat terrena habitatio ſenſum multa curantem: & in carne poſitus ſanctus loquitur: quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? qui quantum in ſe eſt, conatur, & voluitur, & erigitur ad ſumma, ſed carnis fragilitate retinetur.* Egregium Chriſtiani facinus effrænes reprimere motus ad terrena; & inferiora ruentes, & tantam adhibere naturæ violentiam, vt ad ſuperiora, & ad cæleſtia aſpirent, & repugnans ſibi, oppugnans violenter cœlum, non tantum feſtinet, ſed aduolet ad virtutis arcem: *Quantum in ſe eſt, conatur, & voluitur, & erigitur ad ſumma.*

Lapides ſancti qua ratione ſuper terram eleuati.

D. Hier.

Leuitas, & feſtinatio lapidum, vt imponantur ſuper fundamentũ Chriſti, ab ipſorũ conatu, & niſu prouenit.

6. Eximia Moyſi cum Deo familiaritas genuit audaciam, animoſus ad inaudita poſtulata ſe ſe proiecit, dum viſionem, & fruitionem Diuini vultus exorauit, nec ſine remuneratione abeunt Moyſis auſus; nam gloriæ Dei perfuſus, & illuminatus ſplendore mirabili, poſteriora Dei cernit: quandiu ſpectaculum adornatur, ſtare ſupra petram imperatur, vt inde diuiniora proſpectet, & tanquam alumnus in examinatorio lapide ſeſſitans, cæleſti imbuatur magiſterio Exodi 33. v. 22. hoc auſcultat Moyſes oraculum: *Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram.* Quaſi diceret: faciem ſplendidam videre cupis, ſed prius inſtruar te lapis; ſicut enim lapis celeri curſu prouolutus de montis cacumine ad inferiora prolabitur, ſic tu inſtar lapidis magno niſu, & conatu ſcande ardua

Vt Moyſes accipiat incremẽta virtutis, ſuper lapidem ſtare iubetur.

dua montis, in quo Deus inhabitat, vt teneas ſanctitatis culmen: magnum acumen eſt in præſentiarum ſancti Nyſſeni libro de vita Moyſi, do tibi illius verba: *Quemadmodum igitur grauia, & rotunda corpora ſi è cacuminibus montium lapſa, deorſum fuerint, ſemper deferuntur, quoad vſque planitiem deſcenderint: ſic anima, cuius natura ſurſum fertur, terrenis abſoluta cupiditatibus, ardentior in dies fit, velociúſque pertranſit, ad ſublimiora ſemper conſcendens, nam cum nihil ſibi ſit impedimento, per ſeipſam ad naturam boni fertur, attrahit enim ad ſe natura ipſius boni omnes, qui ad pulcritudinis eius radios ſanis poſſint oculis aſpicere, ita fit, vt caleſtium deſiderio ſemper ad maiora conſurgat, & ſemper ad altiora peruolet.* Non minorem celeritatem exigit Nyſſenus in aſcenſu animæ ad Deum, quam in deſcenſu lapidis ad inferiorem planitiem, tametſi lapis innatâ propenſione tendat ad infimum centrum; anima quoque ſuopte pondere feratur ad Dei pulcritudinem, & bonitatem: violenter ergo abſcindenda ſunt obſtacula, quæ animum præpediunt, ne expedito curſu, & præpeti volatu ſcandat perfectionis celſitudinem.

D.Greg.Nyſ. *Iuſtus ſeipſū tanquam lapidem debet impellere, vt conſcendat ad ſublimiora virtutu. Anima, ſi deſit obſtaculū, ad naturam boni fertur.* *Bonum Dei, & pulcritudo ad ſe omnes attrahit.*

7. Magna animoſitate præditus Moyſes, qui in primo facinore inrefectionis Ægyptij inſtruebatur, ſuos interimere affectus, & ſibi ipſi ad virtutis certamen violentas inferre manus Exodi capite 2. verſ. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo.* Et fugiens de Pharaonis conſpectu moratus eſt in terra Madian. Prodigioſa magnanimitas, & animi præſtantia in Moyſe: quis manum exulis armauit, animum erexit ad interfectionem Ægyptij? Ægyptij interitus nobiliſſimum extitit præſagium virtutis Moſaïcæ in comprimendis affectibus, & inferenda violentia paſſionibus, dum vim Ægyptij vi ſua repellere nititur. Pulcrè, & acutè ſanctus Ambroſius libro 2. de Abel, capite 4. inquit: *Etiam illud non abhorret a vero, quod & iſte velut quaſdam in ſe manus iniecit; vt interficiat voluptates ſui corporis, & quendam ſua carnis operetur interitum: interfecit nempe Moyſes Ægyptium, & fugax factus eſt de terra Ægypti, vt declinaret eius terræ tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Ægyptium, niſi prius in ſe, nequitia ſpiritalis Ægyptium interemiſſet, & abdicaſſet regalium laxum honorum, maius patrimonium æſtimans theſauris Ægypti improperium Chriſti.* Nec Moyſes manus inferret Ægypto, nec vitam adimeret, niſi in ſpiritali certamine quo expugnauit ſpiritus nequitias, extitiſſet ſuperior, nec gladio confoderet hoſtem, niſi prius animi affectus mucrone virtutis iugulaſſet, erat enim violentus domitor paſſionum, qui ſibi vim inferens animum conſtringeret, vt pennatus curreret ad virtutis coronam.

Moyſes in percuſſione Ægyptij ad comprimēdos ſuos affectus inſtruitur. D.Ambr. *Moyſes quaſdā in ſe manus iniecit, vt interficeret ſui corporis voluptates. Moyſes priùs in ſe interfecit ſpiritalis nequitia Ægyptium.*

8. Regnum cœlorum, & virtutis fructus violentis repromittitur Matth. capite 11. verſ. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, vbi ſanctus Anſelmus, inquit: *Violenti, id eſt, qui violenter domant carnem ſuam, rapiunt cœlum.* Addit S. Hieronymus: *Grandis eſt enim violentia in terra nos eſſe generatos, & cœlorum ſedem quærere, & poſſidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam.* Hæc Doctor Maximus.

Violenti raptores regni cœlorū ſunt, qui violenter domant carnem ſuam. D.Anſelm. D.Hier.

Discvrsvs VIII.

Quis peregrinatoris Chriſtiani decorabitur laureâ? qui ab alienatione, & extricatione à ſæculi illecebris, quotidie ad Dominum migrat.

1. Qvia aſcenſus in ardua montis quidam receſſus à ſæculo, & peregrinatio eſt, deſcribam tibi Chriſtiani peregrini, imò Euangelici, munus, & formam. Pulcris verborum luminibus peregrini delineauit imaginem ſanctus Diadochus Epiſcopus Phorices in veteri Epiro Illyrici libro de perfectione, capite 14. de viro iuſto, inquit: *Totus à charitate Dei immutatus: qui talis vero eſt, adeſt ille quidem, & non adeſt in vita: adhuc enim in corpore ſuo verſans, peregrinatur propter charitatem, perpetua quadam animæ ad Deum profectione: incenſo deinceps corde vehementer charitatis igne, vi quadam deſiderij adglutinatus eſt Deo, tanquam totus extra amicitiam ſui poſitus, propter charitatem Dei.* Talis peregrinus ab oblectamentis ſeculi ſequeſtratus viuit, & non viuit: viuit Deo viuit æternitati, mundo intermortuus: *Totus extra amicitiam ſui poſitus.* A ſeculi commodis, & amore ſui alienatus, & abſtractus, Diuino amori dicatus ad ſuperna, & Deifica lætus tranſmigrat.

D.Diad. *Chriſtiani peregrini ſchema delineatur. Adeſt, & non adeſt inuitæ. Totus extra amicitiam ſui poſitus.*

2. Duorum peregrinorum vitam vinculo quodam ſimilitudinis nectit ſanctus Ambroſius dum Iſaac in agro ſe ſe exercentem à terrenis abſtractum, & Enoch ad cæleſtem Regionem tranſlatum, ante oculos ſtatuit. Amborum textus facer delineauit ſpeciem: de Iſaac Geneſ. capite 24. verſ. 63. ait: *Egreſſus eſt ad meditandum in agro inclinata iam die*, & de Enoch, Geneſ. capite 5. verſ. 24. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* De vtroque Mediolanenſis Antiſtes fatur, libro de Iſaac, cap. 1. *Ipſe eſt mitis, humilis, atque manſuetus, qui veniente Rebecca, hoc eſt patientia, exiuit in campum ſe exercere. Sapientis enim eſt ſegregare ſe à voluptatibus carnis, eleuare animam, atque à corpore abducere.* Et de Enoch ſubiungit: *Qui autem ſperat in Deo, placet Deo, mutatur in melius, nec videtur degere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo, ideo & de Enoch dicitur, quod non eſt inuentus, quia tranſtulit eum Deus.* Solicitè curabant iuſti illi ſequeſtrare animum à terrenis, ipſúmque colligere ſedatis turbinibus paſſionum, vt ſacræ theoriæ particeps fieret. Erant in medio ſæculi mari, ſed eorum cymba vigilanti nauclero dirigebatur, ne in cautes illideretur, aut iniquitatis quateretur fluctibus; velut incorporei, & à terrena mole corporis abſtracti, participes facti Angelicæ curiæ, viuebat corpus in mundo, ſed animus in paradiſo.

Verè peregrinantium in hoc ſaeculo vita in Iſaac, & Enoch proponitur. D. Ambr. *Sapientis eſt ſequeſtrare ſe à voluptatibus carnis.* *Iuſtus non videtur degere in terris, ſed tranſlatus adhærere Deo.*

3. Hanc abſtractionem, & alienationem mentis optat Ieſus in ſponſa, dum eam amatoriis verbis excitat, vt in præſidio petræ firmiſſimo ponat habitaculum, Cantic. cap. 2. verſ. 13. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Iam ætate, & virtute prouectam ſponſam, & maturam coniugio hortatur, vt mentem ſubleuet ad ſuperna, aligero aſcenſu ſuperet

Abſtractionē mentis à terrenis optat Ieſus in anima.

ſuperet ardua montis, & prærupta ſilicis, aſſumptoque pennatum in contemplatione remigio aduolet ad cautes, & foramina propugnaculi, vt in ipſis nidificet; ſed dum volatum approbat; ſatagit vt mundialia deſpiciat, & à terrenis curis animum abſentet. Sponſi cogitationes percalluit Theodoretus, & acutè propalauit. *Vult illam a præſenti vita remotam eſſe*, & ſtatim: *Ea, quæ ſunt a carne remotiſſima, in corpore meditare inter perturbationes præſta te a perturbationibus vacuam, extra præſentem Ciuitatem, eiúſque muros conſiſtas: niſi enim iuxta propugnaculum extiteris, conſuetudine mea frui non poteris, niſi cum Paulo clamaueris: in carne ambulantes non ſecundum carnem militamus.* Intra mœnia, & Ciuitatem huius ſeculi, vbi incentiua vitiorum, & carnis irritamenta ad prolapſionem inclinant, aut alicuius ſceleris inquinamento corpus, & animum aſpergunt; non ſecuritate, aut felicitate gaudet ſponſa, nec cœlitum deliciis perfuſa exultat; neceſſe eſt, vt à patria, & domo natiuitatis extorris egrediatur extra muros, & caſtra, animúmque ſubducat à Mundi oblectamentis, & à corpore abſtracta ſe in altum ſuſtollat, ſic quippe peregrinæ ſponſæ decorabitur inſignibus.

Theod.
Anima, vt Dei conſuetudine frui poſſit, debet eſſe à perturbationibus vacua, & à carnis affectibus remotiſſima.

4. Glorioſa quadriga vehebatur cœlorum Princeps, rapidis equis, & rotis; circumferentes Cherubici vectores exhibent intuentibus peregrinantium iuſtorum formam dum curſum dirigunt expediti, & pennati ad Empyreæ aulæ manſiones. Commentationem manuum, alarum, facierum, oculorúmque, quibus omnes tanquam cœli, ſtellati renident, ad commodiorem opportunitatem differo; nunc ad Cherubicos pedes cótemplandos animum, & intuitum applico. Ezechiel cap. 1. *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli.* Si in Cherubinis quatuor refulgent vultus, Hominis, vituli, aquilæ, leonis, cur pedes vitulinos eligunt; leoninos, aquilinos, humanos deſpiciunt Cherubini? Non ornantur pedibus leonis, & aquilæ, quia Cherubim rapere neſciunt, non decorantur humanis pedibus, ne aliquod criminis vel leue oſtendant veſtigium, quod in hominis planta Diabolus ſignificauit, quando illius calcaneum ſerpens momordit; nec pes humanus adeo expeditus, & leuis ad curriculum, ſicut vitulorum plantæ, quæ propter firmitatem, & rotunditatem idoneæ ſunt, vt ſuſpendant gradum, aut in cœli atriū velocius pergant. Magnum eſt ingenij acumen ſancti Hieronymi in hoc loco: eius verba ſunt: *Quod pedes animantium recti eſſe dicantur, & planta vituli ſeu rotunda: terrena quæque ad cæleſtia ſit euolare, & omnibus angulis amputatis, rotunditatem ſequi, quæ omnium figurarum pulcherrima eſt.* Vitulina planta propter rotunditatem habilis eſt ad curſum, & obſequium; ſed ſphæræ figura non efformatur, niſi retuſa ſit angulorum aſperitas, docet ergo planta orbicularis remouere impedimenta gradiendi, terrena quæque, quæ animum conſtringunt, remorámque faciunt animi curriculo, conuerſationique cæleſti; cultu ſeuerioris diſciplinæ amputare: ex tereti crure, & detritis à pede angulis innaſcuntur alæ, quæ Cherubinos reddunt volucres, vnde Lxx. legunt: *Et pedes eorum pennati.* In pennigeras aues immutantur, vt expedito volatu ad ſuperos migrent.

Cherubim Dei portantes, perfecti peregrini exhibent formam.
Cur Cherubini pedes vitulinos tantummodo eligunt.
Cur non aquilæ aut leonis.
Cur non hominis.
Vitulini pedes propter firmitatem, & rotunditatem idonei, vt velocius pergant ad ſuperna.
D. Hier.
Pedes rotūdi non habent angulos, qui volatum, aut aſcenſum impediant.
Sphæra figura pulcherrima.
Vt ſphæra fiat & figura volubilis, amputandi ſunt anguli.
Lect. Lxx.

5. Peregrinabundum & alienas oras peruagantem optat Deus cernere Abrahamum; diuino adigitur imperio, vt proprios lares derelinquens ad peregrinationem redigatur. Geneſ. cap. 12. verſ. 1. *Dixit autem Dominus ad Abram: egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Et verſ. 4. *Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus.* Nec Abrami peregrinatio præmio deſtituitur: Labor itineris viſione Dei alleuiatur, ibi verſ. 1. *Apparuit autem Dominus Abram.* Sed ante peregrinationem non occurrit Dominus, nec eius viſione, iucundáque fruitione donatur; exilij, peregrinationis, abalienationis à patria, & domo fructum decerpit ſuauiſſimum, Dei viſionem; acumen verborum Philonis Iudæi tranſcribere placet ex libro: *Quod deterior potiori inſidietur: Solutus enim*, inquit, *duris tum corporis, tum rerum corporearum vinculis, imaginaberis ſapientem illum Abraham, viden' vt relinquens terram, cognationem, ædes paternas, ſenſum, rationem, incipit occurrere eius, qui eſt, potentiis? Poſtquam enim totam domum egreſſus eſt, ait lex, viſum ei Deum docens, quod manifeſtè apparet extricato rebus mortalibus, & recurrenti ad incorpoream huius corporis animam.* Ad feſtiuum ſuæ faciei occurſum expectauit Dominus in Abrahamo, vt à terrenorum omnium ligamentis ſe ſe expediret, & rumpens carnalium affectuum retinacula ſubleuaretur ad cœlitum conſortium, itaque extricatus à terrenis aliger effectus, & per contemplationis pennas, omnium, quæ ſub aſpectum cadunt, tranſcendens culmina, occurrit Angelorum curiæ, & ipſorum Domino, qui ſe præbens aſpectabilem, eum ſimul demulcet dulci alloquio; itaque in patriæ priuatione, & natalis Soli mutatione, Deo, & Angelis charus, & expectatus, qui pro mercede accepit in pulcri corporis effigie Deum cernere, æquè ſuſcipit exulis, & peregrinatoris perfecti laurum.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Abrahæ peregrinatio.
Abraham in ipſa peregrinatione viſitatur à Deo.
Philo Iud.
Abrahamo extricato à rebus mortalibus occurrit Deus.

6. Chriſtiani & Euangelici peregrini munia eleganter deſcribit ſanctus Diadocus Epiſcopus Photices libro de perfectione capite 55. dum inquit; *Opus eſt pugilem ſpiritalem, neque arbores pulcris diffuſas ramis ad opacandum, neque amœnas fontium ſcaturigines, neque varietatem pratorum, neque elegantes ædes; neque conſuetudinem Cognatorum vnquam cogitare: neque de gloria, & celebritate apud multitudinem, ſi ita accidit meminiſſe, ſed potius vti quidem neceſſarijs cum gratiarum actione: vitam verò hanc exiſtimare viam quandam peregrinam, & omni oblectatione carnis vacuam. Sic enim mentem noſtram in arctum cogentes, totam ipſam ad veſtigandam æternam ſalutem conuertemus.* Hæc ille.

Euangelici peregrini munia deſcribuntur.
D. Diad.
Cogitationē abſtrahit, & viſum ab omnibus rebus iucundis.
Vitam hanc exiſtimat viam quandam peregrinam.

Excvrsvs IX.

Apoſtolici Peregrini exemplar in Diuo Xauerio oſtenditur; & de eius excurſionibus.

1. QVæ huc deueniret ſacræ orationis ſeries, temperare calamum non potui, quin in Xauerij magnalia ſe ſe diffunderet, & eius peregrinationum celebraret præconia. Xauerij vita, & curſus Apoſtolici peregrini ſimulacrum eſt. Peregrinum acuratè deſcribit Chryſoſtomus ad Hebr. capite 11. verſ. 13. *Confitentes quia hoſpites, & peregrini ſunt ſuper terram,* homilia 24. his verbis: *Prima virtus eſt, & tota virtus, peregrinum eſſe Mundi huius, & hoſpitem, & nihil commune habere cum rebus huius ſæculi, ſed remoueri ab eis ſicut peregrinum.*

D. Chryſ.

Iuſti prima, & tota virtus eſt, peregrinum eſſe huius mũdi.

2. Sed peregrinationis inſtitutum proprium eſt Sacerdotum, qui renuntiantes ſæculi voluptatibus, per ſegregationem à turba populi, voluntatem ſuam Domino conſecrarunt. Deſignauit Dominus in terra Chanaan Ciuitates pro habitaculo Leuitarum, vt maleficis, & homicidis eſſent perfugium, & aſylum; aduenis, & peregrinis tutelaris domus, hoc demonſtrat cap. 35. Numeror. verſ. 13. *De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, tam filijs Iſrael, quam aduenis, & peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens ſanguinem fuderit.* Miror viros improbos in domo Leuitarum inueniſſe perfugium, & flagitioſos in domo pietatis habere contubernium: quæ ſocietas lucis ad tenebras? numquid in Sacerdotis tabernaculo hoſpitalitatem nanciſcuntur crimina, aſylum criminoſi? incola peregrinus, viator declinans ad manendum repetiat perfugium pietatis, ſed non ſit diuerſorium flagitiorum. Sed delinquentes, & grauiſſimis oppreſſi flagitijs ad quem ſecurius appellent portum, quam ad domum Sacerdotis, vt eis beneficium remiſſionis impendat, omniúmque turpitudinum voragine immerſos extrahat, minus eſt, quod Leuitæ eorúmque habitaculum ſit perfugium peccantium, niſi ſint quoque redemptores, & Ciuitates Sacerdotalis incolatus delinquentum redemptrices; acumen eſt S. Ambroſij hunc locum Num. expendentis lib. 1. de Abel capite 4. *Ideo primogenitos, inquit, & redemptores cæterorum Leuitas Moyſes appellauit, quod maturioris, & vtilis ſententiæ viri, altero ſenectutem quandam animæ præferant, altero redemptionem conferant; vnde & Ciuitates Leuitarum redemptrices ſignificauit Moyſes: quia is, qui confugit ad eam animam, in qua habitat Dei verbum, quæ vrbis modo munita, atque vallata ſit, perpetuam libertatem acquirit ſibi.* Pulcrum, & optimum alloquium Ambroſio ore prolatum de Leuitis redimentibus animam, & de Ciuitate redemptrice, in qua peccantes dira ſceleris tyrannide oppreſſi in libertatem vindicantur. Cur verò peregrini nuncupantur Leuitæ, & eorum Ciuitas peregrinatorum incolatus, & præſidium? occurrit Mediolanenſis Antiſtes; & ſequentia verba ſubnectit. *Nec abſurdum putes, quod facinoroſi cohabitant pijs, maculoſi ſacratis, opus enim habent purificari, qui aliquo polluti ſunt delictorum contagio. Et quodammodo diuerſo genere cauſa concurrit. Sicut enim Leuites mundanis voluptatibus abdicatus, exul eſt culpæ, ita ſanguinis reus fugitiuus eſt patriæ, ſed hoc intereſt, quod iſte neceſſitate ſuos deſerit propter metum legis, miniſter autem Dei humanarum conſortium renuntians paſſionum, & quadam carnalis illecebræ ſe abdicat neceſſitudine, propter ſtudia virtutis.* Leuites tabernaculum, naufragantium portus, profugorum profugium: immaculati, innoxij ſub eodem tecto manſiſſent cum iniquis, vt in domo abſolutionis, & gratiæ eluant maculas criminum, aquis remiſſionis. Sed exortes patriæ, qui metu legis ſeipſos mulctarunt exilio, inhabitent cum Leuita, qui à rebus ſeculi ſequeſtratus, tanquam peregrinus viuit in mundo, reſpuens demulcentes voluptates. Apoſtolicus Leuites Xauerius, & eximius animarum Redemptor, ipſe immaculatus ſegregatus à ſeculo, Cœlorum incola, cum hominibus nefariis, & inſigniter improbis imbat ſuauiſſimum commercium, vt lucraretur eos Chriſto, ad Xauerij animum tanquam ad redemptricem vrbem, omni fortium armaturâ munitam, in qua morabatur Ieſus Dei Verbum, confluebant Homines in turpiſſimis flagitiis volutati; immaniſſima, ac fidiſſima generis humani monſtra, omnes brachiis charitatis amplectens in Dei domeſticos, & cœli ciues immutabat. Nec mirum quia ipſe *Leuites mundanis voluptatibus abdicatus exul eſt culpæ. Miniſter Dei humanarum conſortium renuntians paſſionum, & quadam carnalis illecebræ ſe abdicat neceſſitudine propter ſtudia virtutis*, vt præfatus eſt Ambroſius: Euangelicus ſane peregrinus, cuius domus ſceleratorum, latronum, & homicidarum, erat Hoſpitium.

Ciuitates à Deo aſſignatæ ad refugium improborum, & peregrinantiũ.

Leuitarum domus errantium perfugium.

D. Ambr.

Leuita primogeniti, & redemptores cæterorum.

Ciuitates Leuitarum, erant redemptrices.

Qui ad verũ Leuitam cõfugit, libertatem acquirit.

Cur Leuitæ nuncupantur peregrini, & eorum incolatus domus peregrinorũ.

D. Ambr.

Maculoſi habitant in domo ſacrata, vt purificentur.

Leuites peregrinus à ſeculo, & à crimine.

Facinoroſus peregrinus à patria.

Voluntaria abdicatio mundi in ſanctis viris.

Xauerius Apoſtolicus Leuites, animarum redemptor, cœli patria, ſegregatus à mũdo.

Suauiſſimum Xauerij commercium cũ facinoroſis.

D. Ambr.

3. Præclara omnia decora Apoſtolici peregrini in diſcurſu præcedenti prænotata facile adaptabis Xauerio, ſed præſertim duplicem illam Cherubim peregrinationem mentis, & corporis: illam ſententia Hieronymi, iſtam tranſlatio L x x. indicant: *Et pedes eorum pennati.* addit Theodoretus: *Pedes alis plenos.* Habebat in pedibus alas Cherubicus Xauerius, cum ferè totum peruolauit orbem elogium Pauli à Chryſoſtomo deprædicatum, de Xauerio non incongruè dictum æſtima homilia 2. de laudibus Pauli; *Nam & tanquam pennatus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes, periculáque contempſit, & quaſi iam cœlum poſſidens, cuncta prorſus terrena deſpexit, & tanquam cum ipſis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intentione vigilauit.* Et ſubiungit: *Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorum. Paulo verò terra, ac maria, ac vniuerſi orbis habitatio, ipſúmque deſertum, & hoc non ad iniuriam, quod abſit Angelorum: Sed oſtendimus eſſe poſſibile illis homines copulari, iuxtáque illorum merita conſiſtere.* Tu verò ſi Xauerij commeteia, excurſiones, & pericula pro animarum ſalute ſuſcepta libaſti, mecum ſenties, & inſigniter adaptabis ſecundo Paulo, quæ aureo ore prolata ſunt de primo.

Cherubice Xauerio, vt portes Dei gloriã, curras & auoles, innaſcuntur pedibus alæ.

D. Hier.

Theod.

D. Chryſ.

Xauerius tanquam pẽnatus totum peruolauit orbem.

Cũcta terrena deſpicit.

Sunt Xauerio commiſſa maria, terra, ſolitudines Orientis Orbis.

4. Reuoco ad calculum locum Geneſ. cap. 24. verſ. 63. in quo de Iſaac dicitur: *Egreſſus eſt ad meditandum in agro inclinata iam die*, & de ſuauiſſima Xauerij contemplatione, & Apoſtolici peregrini alienatione, & abſtractione à ſenſibus, liquidiſque cœli voluptatibus, quibus perfruebatur, libens capio. Præſertim cum inter nemora, & Indorum ſyluas longiſſima decurrens itinera, aut in domeſtico Collegij topiario inambulans, precéſque ad Deum fundens, amore diuino æſtuat. Continet hæc omnia pulcrum, & eruditum Vatabli Scholium: *Egreſſus fuerat Iſaac ad orandum in agro. Lxx.*

Xauerius dulciſſima contemplatione correptus, peregrinatur mundo.

Xauerij meditatio inter dumeta, & ſyluas.

Vat.

Precarias glebules percurrit in Collegij topiario.

Inambulat inter virgulta meditatione abſtractus.

Lxx. vt exerceret ſe, vox Hebraa ſuas *propriè ſignificat, ſubmiſſa voce loqui, & murmurare, vt orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes facimus: quidam Hebræorum interpretantur, vt ambularet inter virgulta.* & Lippomanus in Catena addit: *Exercitaſſe Iſaac ſpiritum ſuum, & in Deum eleuaſſe mentem, quæ eſt ſanctorum oratio: ad quod ſtellarum contemplatio, & Dei opus excelſum, non modice potuit illum excitaſſe.* Ab hominum turba, aſpectúque abſtractus Xauerius locum ſolitarium quærebat in ſyluis, & ſacris exercitationibus ignibat animum in illo ſeceſſu, vt orientalem Orbem ad pietatem inflammaret; ambulat inter virgulta, cœli, ſyderúmque contemplatione defixus, in via pulcra, & amœna domeſtici viridarij percurrens precarios globulos, auocatur animus ad diuina, & immerſus tramite deliciarum, ex deificato pectore èructant dulcia ſuſpiria.

Lippom.

Mentis eleuatio, ſtellarũ contẽplatio.

Xauerij diſceſſus in locũ ſolitarium, vt ſe totum tradat ſacris exercitationibus.

Iacobi peregrinatio.

5. Gratiſſimum ſuperis peregrinantem Iacob contemplor ſæpiſſime à paterna domo abſtractũ, à blandimentis Matris auulſum, exulem patriæ, ſolitarium per campeſtria errantem, ſub dio pernoctantem, ceſpitis cadurco cubantem. Geneſ. cap. 28. verſ. 11. *Cúmque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere, poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco.* Cur ſolitarius Iacob iter ingreditur, num deficeret in opulenta Iſaac domo mulio, qui ductaret iumentum ſarcinis onuſtum, qui deferret ſtragulum, & in diuerſorio appararet manſionem; aut cliens circumferens manticam, cum viatico, & prandio; cur cliente & comite deſtitutus, erronis inſtar vagatur? vt paupertatis Euangelicæ, & Apoſtolicæ peregrinitatis prælúdia ſanctus Patriarcha præmitteret: ea omnia ingenioſè obſeruauit Rupertus Abbas lib. 7. in Geneſ. cap. 21. ſequentis ſermonis ſerie: *Nunquid adeo tenuis erat, & pauper, vt de terra ſua exiret, per neceſſitatem in baculo ſuo? Nonne Pater eius vehementer magnus erat, ſic enim paulo ante ſcriptum eſt: quia locupletatus eſt homo.* Et addit: *Quid igitur niſi magna, & imitatione digna paupertas ſpiritus, in Patre noſtro Iacob imitanda nobis proponitur in tali eius exitu* & poſt pauca ſubiungit de Iacob imitatoribus, operariiſque Euangelicis, & Chriſtianis peregrinis: *Hunc imitantur quicumque benedictione Dei patris, & filij eius Ieſu Chriſti, cum gratia Spiritus ſancti miſſi, ad ſpirituale ſemen ſeminandum, depoſitis ſæculi oneribus, nudi, & expediti ad deſtinatum tendunt, vigilantque, & in omnibus laborant, & ſobrij ſunt, nihil ſe ſcire iudicantes, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum: & cum Apoſtolo dicentes: non habemus hic permanentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Perfecta imago non adumbrata, ſed viuis coloribus, expreſſa extitit Iacob, Euangelicorum peregrinantium, qui remotiores Mundi tractus penetrant, & vaſtias Mundi plagas percurrunt; eremi vaſtitates emetientes, dumeta, & ſenticos ſyluarum plexus laceratis manibus, & pedibus cruentantes, inueſtigant barbarorum antra, hominum, ferarum ritu viuentium, luſtra, qui ſe ſe erepentes ad ſaxorum prærupta, lucifugarum talparum, & veſpertilionum inſtar viuentes, extrahunt dulci Euangelici præconij fiſtula, vt ſacris vndis intingant. Hi Venatores diuini, celeres, & Euangelici excurſores, nihil præ oculis habentes, niſi Ieſum, & animarum lucra; quales licet cernere in Occiduo, & Oriente Sole, nulla alia commoda ſibi parantes, niſi famem, ſitim, frigus, nuditatem, ærumnas, Barbarorum minas, quotidiana vitæ diſcrimina. Sed horum omnium Antelignanus noſtris temporibus extitit Xauerius, verus Iacobita; qui peregrinantis Apoſtolici ſimulacrum in Iacob inchoatum illuminauit, perpoliuit, & omnibus numeris abſolutum exhibuit, quare Pauli elogium à Chryſoſtomo literis exaratum Xauerio aptè conſonat. Sic enim ſcribit homilia 1. de laudibus Pauli: *Quia ſeipſum conſecrauit Deo, etiam orbem vniuerſum ſtuduit afferre: qui terram videlicet, ac mare, Græciam, ſimulque barbariem, omnemque prorſus, quanta eſt ſub cœlo, Regionem, quaſi volitans circuiuit, non ſimplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens: ſed peccatorum ſpinas pariterque euellens, & verbum ſeminans vbique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens: quinimo ipſos homines, quaſi ex Dæmonibus in Angelos prouehens:* Si verbum illud *Græciam* immutes in Indiam, Oris aurei verba Indorum Apoſtolo perpulcrè coaptabis.

Apoſtolica peregrinitatis præludiũ in Iacob.

Rupert.

Euangelica paupertatis forma.

Rupert.

Qui mittuntur ad Euãgelicam peregrinationem & prædicationem, imitatoris ſunt Iacob.

Xauerius ſimulacrum Apoſtolici peregrinatoris omnibus numeris abſolutum.

D. Chryſ.

Peregrinationum Pauli & Xauerij parallelium.

6. In locum Zachariæ celeberrimum incurri, in quo de Apoſtolis, & operariis Euangelicis ad literam ſermo eſt, quem ſi per literæ extenſionem velis deducere ad Xauerij præconia, tecum ſentiam, nec textui violentiam inferes. Vatis verba ſunt ex capite 9. verſ. 12. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Conuertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi.* Non vacat integrum vaticinium expendere, vnum, aut alterum verbum exponam ad præſens inſtitutum. Eduxit Ieſus de lacu mortis, & de voragine inferi ſpiritus Sanctorum, qui per tot annorum millia, in loco illo tenebrarum tenebantur compediti: habebit Ieſus redemptionis ſuæ æmulatores, qui de lacu erroris, & idololatriæ animas, & corpora extrahant. Sanctus Cyrillus Alexandrinus nomine laci idolorum cultum accipit: *Infernum conuenientiſſime falſorum Deorum fallaciam interpretabimur: vere enim fouea eſt, in qua, ſi quis penitus deciderit, vitâ futurâ, ac ſempiternâ carebit.* & poſt ea: *Quemadmodum enim fons vitæ, & fons viuificans, eſt recta, & erroris expers Dei cognitio: ita velut lacus inaquoſi, & contriti idololatriæ ludicra, & aberrationes ab ipſa poſſunt intelligi.* In cuius confirmationem adducit locum Ieremiæ capite 2, legens, *foderunt ſibi lacus contritos.* Poſtea Apoſtolicos viros, & Euangelicos Heroas, qui extrahendi de lacu falſi Deorum cultus, homines, munere funguntur, ad ſpem erigit, ad exantlandos labores, & deuorandas ærumnas excitat præſentis vitæ, fama ſanctitatis celeberrima, & futuræ æternitate, eos namque Apoſtolicorum peregrinantium infulis ornat Vates: vnde poſtrema verba Lxx. Interpretes efferunt legentes: *Et pro vna die peregrinationis tuæ duplicia reddam tibi.* Et ſanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha illuſtrat: *Quod dicere vult, tale eſt. Peregrini enim, & aduenæ ſunt omnes ſancti, & breuis eſt valde cuiuſque Hominis vita in corpore, vt idcirco eam propter ſummam breuitatem cum vno die comparare fortaſſe poſſis, itaque pro vno die peregrinationis tuæ hoc eſt pro breui & modico tempore huius vitæ, quam in corpore degis, dupliciter, & affatim te remunerabo.* Vnum diem peregrinationis nũcupat vitam propter breuitatem: ex Cyrilli men-

De idolorum cultu, à Xauerio reportatus triumphus à Vate Zacharia annuntiatur.

D. Cyrill.

Infernum, & lacus, in quo non eſt aqua, idolorũ cultum denotat.

Apoſtolici viri exhortantur ad peregrinãdũ, & deuorãdu ærumnas in conuerſione infidelium.

Lect. Lxx.

Pro vna die peregrinationis duplicia reddit Deus.

D. Cyr. Alex.

Peregrinationis huius vitæ breuitas.

Peregrinãtes Deus remunerat mercede magna.

Laborum, & ter grinatio- num anni vi- debantur ſã- ctis vnus dies pra amoris magnitudi- ne.

te adde: immenſi laboris ſuſtinentia tot anni. di- latata videbantur ſanctis Dei pauci dies, vnus bre- uiſſimus dies præ amoris magnitudine, ſi vnum peregrinationis diem duplicis gloriæ corporis, & animæ immenſo pondere recompenſat; quæ erit in Xauerio remuneratio pro decem peregrinatio- num annis.

Xauerius decenny pere- grinationem ſubijt.

Ethnici tan- quam diuinũ numen vene- rari aggre- diuntur Xa- uerium.

7. Inter alia præmiorum decora, quibus inſigni- uit Xauerium Deus in hac mortalitate commo- rantem, illud extitit non vulgare, tametſi cũ Apo- ſtolis commune, quod magnificentiâ ſanctitatis ita apud omnes conſpicuus extiterit, vt barbaræ gentes tanquam diuinum numen è cœlo dilapſum venerarentur, Xaueriique Deo [illegible] delubra, aras, ſi- mulacra, victimas offerrent; [illegible] ſe barbarici er- roris condoleſcens, imprudenti [illegible] obſiſtens, eos vehementer ob[illegible]; hanc ſum- mam venerationem a gentibus [illegible], ab Apo- ſtolis conſtanter repulſam [illegible] Dauid egregio carmine Pſalm. 143. ver[illegible] *[illegible]clina cœlos tuos, & deſcende.* Hic loc[illegible] [illegible] et ſancti Auguſtini acumen: *[illegible] cœli in- clinati? Apoſtoli humiliati. Iſti [illegible] cœli enarrant gloriam Dei: & de his cœlis enarrantibus gloriam Dei mox dicitur: in omnem terram exiuit ſonus eo- rum, & in fines orbis terræ verba eorum, cum enim iſti cœli emitterent voces ſuas per omnes terras, & face- rent mirabilia, coruſcante [illegible], & intonante Domi- no miraculis, & præceptis; putati ſunt Dij deſcendiſſe de cœlo ad Homines. Nam quidam ex [illegible]tibus hoc putantes, eis etiam ſacrificare voluerunt.* Xauerius cœlum extitit micans ſplendoribus [illegible] ſtella- tum virtutum ſideribus, tonans mi[illegible] coruſ- cans Apoſtolicis facinoribus & [illegible]. Exiſti- marunt gentes Deum ad terras [illegible], & di- uinum numen venerari aggrediuntur [illegible] eſt cœlum, humiliauit ſe Xauerius [illegible] ſe hominem mortalem, vt dicaret glo[illegible] im- mortali, vt fidem inuehens [illegible] orbis ter[illegible] & trophæa Crucis erigens, [illegible] ſpolia de faucibus Dæmonis erepta [illegible] ſuſ- penderet.

D. Auguſt.

Apoſtoli cœli inclinati enarrantes gloriam Dei.

Apoſtoli prædicantes & mirabilia operãtes exiſtimati ſunt dij de cœlo deſcendẽtes. Iis ſacrificare volunt gentes.

Xauerius cœlũ humiliatum, & inclinatũ, cum adorationem renuit.

Xauerij excurſiones cũ Solis curſu comparãtur.

8. Nec cœlum tantummodo [illegible] Xaue- rium, ſed ſolem ſplendidiſſimum O[illegible] or- bis, qui errorum caligine commorantibus, fi- dei Euangelicæ lumina detulit. Pauli præco- nium, quod ore aureo defluxit, Xauerio libens defero: verba ſunt Chryſoſtomi homilia 8. de Pauli laudibus, in qua Apoſtoli peregrinatio- nes, & excurſiones cum ſolaris rotæ volubili curſu coæquat. *Sol enim quidam eſt hominibus Paulus* (dicere liceat, Xauerius) *qui totum prorſus orbem fulgentibus linguæ ſuæ radijs illuminauit, quique vniuerſas circumeundo gentes, curſum om- nino ſolis imitatus eſt; ac Mundi Regiones omnes, quaſi libero a corpore animo peruolauit, & hoc cum ei amara vndique vulnera crebrius obuiarent.* Hæc os aureum, & hæc de Xauerij curſu paſſim dicta. Iam ſubſequentium diſcurſum ſequamur ſe- riem.

D. Chryſ.

DISCVRSVS X.

An cœlorum teneas Regiam viam; an ad inferorum barathra deflectas, erudiet te aſcenſus, vel deſcenſus: nam iuſtorum proprium eſt ſcandere ardua malorum, ad infima ruere.

1. OMNES cupit Iſaias montis celſitudi- nem tranſcendere, & nota diuinæ ami- citiæ ſignatos in aſcenſu; nullúmque deſcendere, ne deſcenſus præſagiat curſum ad profundum in- ferorum barathrum tendentem. Maximum ſubit vitæ diſcrimen in deſcenſu Homo, qui in aſcenſu obtinuit vitam, & felicitatem; ſtatim ac de ſupe- riori Ieroſolymæ vertice venit, in manus graſſa- torum incidit infelix, eorúmque factus eſt præda: Lucæ cap. 10. verſ. 30. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam expoliauerunt eum: & plagis impoſitis abie- runt ſemiuiuo relicto.* Quid expectandum de Ho- minis deſcenſu, niſi totius ærumnæ, & calamitatis theatrum? Spolium, nuditas, vulnera, mors. Pulcrè ſanctus Auguſtinus ad ea verba, Pſalm. 60. *Vſque in diem generationis*, inquit, *ideo ad Iericho deſcen- debat, ille ab Hieruſalem, quia incurrit in latrones, quia Iericho ciuitas verbum eſt Hebræum, & interpretatur Latinè Luna: deſcendebat ergo tanquam ab immor- talitate ad mortalitatem: & merito in itinere vulne- ratus a latronibus, & ſemiuiuus relictus eſt ille Adam, ex quo eſt totum genitum genus humanum.* In aſcenſu & Sionæi montis culmine, nullum malum tetigit, nullum flagellum Adamo appropinquauit; in deſ- cenſu omne infortunium ingruit; beata illa im- mortalitatis ſors, in mortem ærumnoſo Adamo immutatur: in facili deſcenſu Adamus omnis beatitatis iecit aleam. Congruunt ſancti Baſilij verba in Catena S. Thomæ: *Conuenit etiam hoc, ſi quis loca perſpexerit, Hiericho enim tenet loca con- uallia Palæſtinæ; Hieruſalem vero in cacumine ſita eſt, occupans apicem montis: venit igitur Homo ab altis ad infima, vt à latronibus caperetur, qui incolebant deſertum.* Statim ac deſcendit, expertus eſt Homo latronum violentas manus, qui deprædati ſunt omnes animæ, & corporis gazas, ex originali iu- ſtitia manantes.

In deſcenſu homo maximas ſubijt ærumnas.

D. Auguſt. Deſcendit homo ab immortalitate ad mortalitatem. Adam in itineris deſcenſu à latronibus vulneratur.

D. Baſil. Cat. D. Thom.

2. Quid plura? in aſcenſu, & deſcenſu, iumen- torum animos à ratione præditis Eccleſiaſtes diſ- cernit: animi rationis expertes ad hæc inferiora prouoluuntur; at hominis ſpiritus, ad cæleſte atrium, & Creatorem euolat. Eccleſiaſtes capite 3. v. 21. *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Eccleſiaſtæ ſententiam illuſtrat Rupertus lib. 2. in Geneſ. c. 21. ſcribens: *Ergo non iuxta Platonicos de cœlo cecidimus nos humanæ animæ, ſed æqua hominis, & iumenti cõditio eſt; ſimiliter ſpirant, & vnus eſt vtriuſ- que introitus, ſed non vnus, idémque finis; nam ſpiritus iumentorum finitur, deſcendit enim deorſum, id eſt, hunc infimum extinctus, reuoluitur in aërem. Humani autem ſpiritus nullus eſt finis, reuertitur enim ad eum, qui fecit illum.* Adeo gratus cœlicolis aſcenſus, & infauſtus deſcenſus, vt brutorum, & hominum ani- mos ex aſcenſione, vel deſcenſione diſcernat, ex ipſiſque immortalitatem, aut mortalitatem animorum

Spiritus hominis aſcendit ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendit deorſum.

Rupert. Hominis & iumenti idem introitus, non idem finis. Spiritus iumentorũ diſcendit, cũ in aërem reſoluitur, ſpiritus hominis reuertitur ad creatorem.

animorum conicẽter Salomon. Beſtiarum anima reſolutionis admittit iniuriam ex ipſa declinitate ad diſſolubile elementum, aut in puluerem, aut in aërem migrat; at animus hominis ex pronitate naturæ, quæ ad ſuperiora aſpirat, ad immaterialem originem reuertitur.

Spiritus Dei à mũdi exordio ad ſublimia excitat hominem.

Lect. Lxx.

3. A geneſi Mundi docuit ſpiritus Dei eos, qui ad ſe attinent, & feruntur, & aguntur diuino ſpiritu, ſuperferri, ſuperextolli ad cœlorum ſublimia. Geneſ. cap. 1. verſ. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Lxx. legunt: *ſuperferebatur.* Spiritus Dei ab initio Mundi ad ſublimia, & excelſa aduolabat, vi ſua homines excitans, & attollens ad ſuperna, vt cum increato, creati ſpiritus de mundi pelago emergentes, ſuper mundum immundum ſuperferrentur, acumen eſt ſancti Auguſtini, libro 13. Confeſſ. cap. 5. fantis: *Amor illuc attollit nos*: & poſtea ſubiungit: *Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur: inardeſcimus, & imus, aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus Canticum graduum, igne tuo, igne tuo bono inardeſcimus, & imus, quoniam ſurſum imus ad pacem Hieruſalem.* Spiritus malus pondere ſuo docet hominem deorſum labi, at ſpiritus Dei animos inflammans ad aſcenſum per ardua cœli, eos ſubleuat, ne aliqua mundialium fluctuum inquinetur aſpergine; ex aſcenſu ſuo ſurſum, iam imminet capiti immortalis gloriæ corona, & ſublimis atrij ianua patuleſcit.

D. Auguſt.

Diuinus amor ſurſum nos attollit, & facit aſcendere.

4. Alloquebatur improbos Iudæos Ieſus redarguens impietatem, & duritiem cordis, aſcenſionem ſuam prædixit, cui impares iudicabat iniquos, vt tali curſu allecti ſe præberent itineris comites. Ioan. cap. 8. verſ. 21. *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Sed veteratores illi ad verſutiam, & malitiam propenſi, de ſuis moribus coniecturam facientes, iudicarunt Ieſum vel ad deſperationis gladium conuolare voluiſſe; ſed Ieſus os Iudæorum impudentiſſimum, quod pudoris repagula fregit, his verbis obſtruit, ibi verſ. 23. *Et dicebat eis: vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum.* In ipſo ſurſum, vel deorſum vocabulo, prædeſtinationis, aut reprobationis æternus iudex ſigna conſtituit, dum ſurſum aſcendenti defert cœli gaudia; deorſum vergenti, deſcenſus inferorum pœnas ominatur. Pulcrè Aſterius Epiſcopus Amaſæ vrbis, in Catena Græcorum Patrum, in cap. 10. Lucæ, inquit: *Ex ſolis ſurſum, & deorſum nominibus, boni, malique differentiam inſinuans. Similiter hic dicens, deſcendit, id eodem ſenſu protulit: bonum enim natura ſua tendit ſurſum, malum vero ſeu vitium, quem irretiuit, deorſum humi repentem detinet.* Aſcenſus te ſignat ad cæleſtem patriam, ſicut deſcenſus ad ſemper duraturam pœnam: accliuis, vel decliuis curſus bonus arbiter, qui te aut iniquorum factioni aggregat, aut ea diſcernit, & in libro iuſtorum adſcribendum iudicar, iniquitas plumbea eſt, & ponderoſa trahens ſecum ad inferiora peccantem, virtus verò volatilis eſt, euehens hominem ad ſuperna.

Ieſus de ſupernis eſt, Iudæi de deorſum.

Aſter.

Ex ſurſum, & deorſum nominibus, boni, & mali diſcernũtur. Bonum natura ſua tendit ſurſum, malitia deorſum.

Impudentia Dæmonis Ieſum tentantis.

5. Valde hallucinatus eſt Diabolus, cum Chriſtum tentatione ad comeſſationem prouocat, inter alia tentamentorum iacula, quæ contra inuictum ducem intorſit, illud de impudentiæ, & imprudentiæ pharetra prodidit: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Matth. cap. 4. verſ. 6. hoſtis aſtus, & ſubdolæ mentis nequitiam acutè prodit ſanctus Chryſologus ſerm. 13. dicens: *O ſignum, mitte te deorſum: conuenientius dixerit, ſi Filius Dei es, aſcende ad cœlum: cum ſit hominis vtique ad ima cadere, Dei ſit ad ſuperna conſcendere.* & ſtatim: *Conſilijs ſuis ſe Diabolus prodit: mitte te deorſum, lapſus quærit; præcipitia imperat, & tali conſilio per Africam Martyres facit, ſine clamore dicendo: ſi vis martyr eſſe, mitte te deorſum, vt eos impellat de alto ad mortem, non de humili tollat, & eleuet ad coronam.* Amat Diabolus hominis ruinam, dum eum prouocat ad deſcenſum, & lapſum, nec patitur ad cæleſtem ſphæram auiditate proſilire; impellit ad profundiores vitiorum voragines, vt æternis vinculis compeditus, remeare non poſſit ad virtutis faſtigia, nec ſilentio premam acumen Hugonis Cardinalis ad eadem Matthæi verba. *Sed nunquid proprius tibi tentaſſet de vana gloria, ſi dixiſſet: ſi Filius Dei es; aſcende in cœlum? Sed ita affligitur Diabolus in exaltatione hominis, vt nec tentando, aſcenſum velit perſuadere cæleſtem.* Ita abhorret Satan à virtutis tramite, & auerſatur humanæ virtutis incrementa, vt nec per ioci, aut tentandi licentiam, velit hominem ad ſublimia prouocare: valde inſuaue, & acerbum horrendis inferorum monſtris vel ipſa memoria aſcenſionis in æthera refricare mentem, ex quibus miſerrime deturbata ſunt, maleuolentiâ in hominem tabeſcens iniquus, eum in ruinæ, & caſus ſatagit adducere conſortium. Mens illa magna ſibi omnem arrogans ſapientiam, deliramenta, & ineptias effutit, ignorantiæ macula notari permittit, ne hominem excitet ad aſcenſum.

D. Chryſol.

Dei propriũ non ad ima cadere, ſed in cœlum aſcẽdere.

Martyres ſuos Diabolus de alto ad mortem mittit.

Hug. Card.

Ita affligitur Diabolus in hominis exaltatione, vt nec tentãdo velit aſcenſum perſuadere cæleſtẽ.

6. Semper demulcet animum pulcrum, & gratum ſcalæ Iacob acroama. Geneſ. cap. 28. verſ. 12. refertur: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Reliquáque ſcalæ prodigia liberis relinquo, tantummodo hæret animus in cœlitibus ſurſum, deorſum curſitantibus, & prodigio ſimile videtur cernere Angelos deſcendentes, quod celeri curſu, aut præpeti volatu tranſiliant omnes, vſque ad ſcalæ apicem, & coronidem Deum, aſcenſionis gradus, optime prouiſum eſt: quod verò terga dantes diuino numini, ſanctitatis, & perfectionis faſtigio, cœlique portæ, ad inferiora deſcendentes prolabantur, vt quid inſolitum ſtupeo. Sed ſiſte gradum: non fugiunt à Dei conſpectu Angeli; nec à tergo relinquunt diuina, vt ſuccurrant humanis; in virtutis tramite liceat Angelis deſcendere, homini non licet; illis integrum eſt, quia Angeli, quia firmati, & confirmati in Deo: Hominem non decet, quia mutabilis, quia terrena compago, cum pedes figit, in ſeculi lubrico, facile labaſcit: quid plura? in hoc celebri ſpectaculo ſcalæ cœlitus dilapſæ, obuerſabatur animo Iacob aduerſa iuſtorum, & iniquorum munia, in aſcenſu, & deſcenſu, virtutis cultores altiorem virtutis gradum apprehendere feſtinant: vitiorum ſectatores ad inferiora declinant, vtroſque velut decertantes in virtutis curriculo, & palæſtra Philo Hebræus magno acumine introducit, libro de ſomniis dicens: *Mutatur vita exercentium ſe in virtutis ſtadio, modo viuens, ac vigilans, modo mortua, dormiénſque: ſapientes enim Olympiam, cæleſtémque regionem habitandam ſortiti ſunt, docti ſemper altiora petere, mali vero inferorum ſpecus intimos, qui ab initio finem vſque mori didicerunt, aſſueuerúntque vſque ad ſenectutem ab incunabulis.* In eandem Philonis mentem incidit S. Zeno Epiſcopus Veronenſis ſerm. de ſomno Iacob ſcribens: *Ergo manifeſtum eſt prophetia more Angelos homines iuſtos, & iniuſtos generaliter dictos. Sed aſcendentes, & deſcendentes, qui ſunt,*

Quid inſolitum videtur, Angelos per ſcalam deſcendere.

Etſi liceat Angelo, homini non expedit deſcendere in curriculo ſcalæ.

Iuſtorum, & iniquorũ munia præferũt Angeli in aſcenſu, & deſcenſu.

Philo Iud.

Sapientes altiora cæleſtis regionis petunt, inſipientes inferiorũ ſpecus intimos.

D. Zeno

De ſcalæ ſcala... ſunt, qui ... curru ... ſtantes ... gredinum ... ad ſeculum.

ſunt in exemplis agnoſcimus: deſcendentes ſunt, qui ſeculo renunciantes, rurſus reuertuntur ad ſeculum, aſcendentes verò ſunt iuſti, qui probis moribus per gradus diuinorum obſeruantia præceptorum quotidie ſpiritalis itineris gloria feruntur in cœlum. Ex Philonis mente deſcenſus denotat virum in olympico certamine probatum, de cuius manu eripitur palma victoriæ, qui pudibundus, mœrens, ſummámque ignominiam deferens è theatro elabitur; at iuſti eruditi à certaminis præfecto Deo altiora petere, oliua coronati Olympicum cœli montem ſcandunt. Aſcenſus, & deſcenſus ex Zenone, probitatis, & improbitatis nota eſt: aſcenſus iuſtum euehit ad Deum; deſcenſus improbum velut à crimine perculſum, & deturbatum, deſidia oppreſſum, & ad tartara deſtinatum, conſignat.

Aſcendentes ſunt, qui per virtutis gradus ferũtur in cælum.

7. Adeo præclarus in ſanctitatis certamine, & curriculo aſcenſus, vt in eo collocatus ſit charitatis apex, palma victoriæ, & virtutis triumphalis ſita laus. Profundior iſte diſcurſus ſancti Ambroſij eſt, ad verba Cantic. cap. 7. verſ. 8. *Dixi: aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Tenax animæ propoſitum eſt, vt amplectatur perfectionis faſtigium, & palmam charitatem per curſum, & aſcenſum. Pulcre, libro de Iſaac cap. 8. Ambroſius fatur: *Et ipſa dixit: aſcendam in palmam, ſed etiam ipſa charitas palma eſt, ipſa eſt etiam plenitudo victoriæ, plenitudo enim legis charitas eſt. Curramus ergo, vt comprehendamus, vt vincamus; qui vincit, aſcendit in palmam, & manducat fructus eius,* & ſtatim: *Hinc philoſophi curulia illa animarum in ſuis libris expreſſere certamina, nec tamen ad palmam peruenire potuerunt, quoniam ſummitatem verbi, altitudinem illam animæ n ſciunt, quam cognouit hæc anima, in qua erat verbi conuerſio.* Tenuerunt philoſophi aliqualis virtutis curſum, ſed non apprehenderunt palmam victoriæ, quia non adepti ſunt aſcenſum, per quem prehenderent in cacumine charitatem, tantum valet aſcenſus, vt ſine illa lucta, & brauia inhonora abeant, quare Philoſophi à via veritatis deuiantes non ſunt nacti veræ vitæ tramitem: felix ſponſa, quæ virtutis prehendit cacumina, ſecurum æternæ felicitatis pignus, tenuit, quia vicit; vicit, quia aſcendit; *Qui vincit, aſcendit in palmam.*

Victoria palma, & charitatis apex tenetur per aſcenſum.

D. Ambr.

Philoſophi ignorarunt aſcenſionem ad virtutis altitudinem.

Discursus XI.

Qui fulgentiſſimam Ieſu faciem intueri cupit, terga Cruce oppreſſa prius cernat, eiúſque ſectetur veſtigia, & apprehendet perfectionis culmina.

1. SCANDENS Ieſus virtutis ardua, & perfectionis faſtigium, ſe præbet gradientibus itineris ſocium, ſacræ militiæ ducem; vt diſcipuli, & milites præceſſorem, & imperatorem ſequantur à tergo. Sequi enim Deum, documentum eſt perfectionis maximum. Diuinæ pulcritudinis cupidine inflammatus Moyſes humanæ naturæ meam tranſilire cupit, cum amoris ſui auſus expromit efflagitans viſionem diuinæ faciei; vt annuat Deus familiariſſimi ſui poſtulatis, videndi Dei faciem, viam regiam, & itineris compendium demonſtrat, ſequi Deum ductantem, eius poſteriora cernere, illiúſque premere veſtigia. Exodi cap. 33. verſ. 23. *Tollámque manum meam, & videbis poſteriora mea.* Si meum cupis cernere vultum, me ſequere, & ducis ſectare veſtigia, & peruenies ad faciei viſum: hic locum ſuum habet ſancti Nyſſeni acumen, libro de vita Moyſi, dicentis: *Docetur igitur Moyſes deſiderans Deum videre, quomodo poteſt Deus videri: ſequi enim Deum corde, ac animo ſemper quocunque ducat: idipſum eſt, Deum videre. Etenim tranſitus ille Dei, ducem eſſe Deum ſequentis ſignificat, cum non ſit poſſibile viam ignoranti, recte ac tuto iter peragere, niſi poſt ducem recte ſequatur. Dux igitur praeundo, ſequenti viam monſtrat: qui autem ſequitur, tunc à recta via non aberrat, cùm ſemper ducis tergum reſpiciat.* Moyſes in omni literatura magnus, qui in montis Sinai lycæo ſupremæ Theologiæ tenuit apicem, adhuc Euangelicæ perfectionis inſtruitur diſciplina, pro ſapientiæ laurea, & doctoratus infulis inſtituitur Ieſu ſequutor, vt animaduertat, poſtremum perfectionis gradum in ſequela Domini eſſe collocatum, ipſe Deus præbet ducatum, vt habeat Moyſem ſequacem; qui enim Dominum ductantem ſequitur, non deuiabit à virtutis tramite, ſed ductoris ſui præeuntis poſteriora cernet: ſiue per dumeta, & tribulos, aut gladiorum, & lancearum cuſpides gradiatur, ſequitur Dominum quocumque ierit, iſte de viſione iucunda diuinæ faciei ſpectator erit ſecurus.

Perfectionis apex ſequi Deum ductantem.

D. Greg. Nyſſ. Deum videre, eſt Deum ſequi.

Qui Deum ſequitur, non aberrat ducis tergum reſpiciens.

2. Ad ſtupendum, & toto orbe celebratum Abrahæ ſacrificium auocatur animus, vt contempletur virtutum chorum, honeſtantium funus Iſaac, & ſacrum illud amoris, & doloris buſtum ambientium; nec ſola nitet pietas, obedientia, fortitudo; ſed caput extollit in Abrahamo ſequela Ieſu: in aſcenſu ad montem Moriah perfectiſſimi ſectatoris Ieſu ornatur inſignibus: integra ſacrificij paratura deſcribitur Geneſ. cap. 22. verſ. 6. *Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium: cúmque duo pergerent ſimul.* ligna illa Iſaac portantem, Crucem Dominum baiulantem demonſtraſſe, nemo eſt, qui ambigat, vnde ſanctus Cyrillus Alex. lib. 1. Glaphyrorum, inquit: *Iſaac lignis ad ſacrificium onerabatur, Chriſtus enim propriam Crucem humeris geſtans extra portam paſſus eſt.* Idem Alexandrinus Patriarcha poſtrema verba textus ſacri extulit legens: *Cúmque duo pergerent ſimul*, ſic immutat: *Cúmque oneraſſet filium lignis ad ſacrificandum neceſſarijs, atque ita incedere iuſſiſſet, ſequebatur ipſe.* Eximia diuinorum ſapientia præditus Abraham, ſciens iuxta ſummam perfectionis regulam metiri omnia, & ſuos numerare greſſus. Confabulantur ambo ſimul in itineris exordio, ſed cum ardua montis ſuperaſſet Abraham, onuſtum Iſaac præfiguratiuo Crucis ligno antecedere iubet, futuri myſterij præſcius, vt Ieſum humeris ſuis Crucem geſtantem, meditaretur, iam Crucem, & ſequelam Ieſu animoſus ſenex anhelabat, in Iſaac ſuo ipſum Ieſum à tergo ſequebatur: *Atque ita incedere iuſſiſſet, ſequebatur ipſe.*

Abraham perfectiſſimus Ieſu ſectator.

D. Cyrill. Alex. Iſaac ligna portans Ieſũ baiulantem crucem portendebat.

D. Cyr. Alex.

Abrahã incedit poſt Iſaac ferentem ligna quaſi poſt Ieſum.

D. Cyrill.

3. Primitiuo Palæſtinæ pignore premuntur exploratorum humeri; cum decerperent è palmite torrentis prodigioſæ magnitudinis vuam, dulce onus de pertica ſuſpendunt, vnus à tergo, alter verò ante faciem portat. Num. cap. 13. verſ. 24. *Pergentes vſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri:* ſanctus Auguſtinus dum prodit botri myſte-

D. Auguſt.

rium,

Duo exploratores populum Iudaicũ, & Gentiliũ innuebant.

ium, noſtrum exprimit conceptum ſermone 100. aſſerens, exploratores duos, populum Iudaïcum, & Gentilium portendere, & ſcribit ſequentia: *Quia prior fuit Iudaorum populus, pracedit Iudaus, ſequitur Chriſtianus. Salutem ſuam hic ante conſpectum ſuum gerit, ille poſt dorſum: hic obſequium praferet, ille contemptum.* & ſtatim: *& ideo poſt ſequitur ipſi, ſed ſpem ſuam ſub oculis habens, antecedit, & proficit; ille prior graditur, ſed deſerit, & recedit,* ab exordio inofficioſi Deo Iudæi, eorum aſſuetudo inoleuit, terga dare Domino, eiúſque monita deſpicere, ideo in tenebris ambulant, & cæcutiunt, luménque diuinum, ſignumque ſalutis, quod pependit in ligno, ante oculos ſtatuere contemnunt; aſt populus gentilis bonorum operum ſectator, ad perfectionis apicem magna auiditate contendit. Dignitatis primas Iudaici populi, præſeruido imitamine Ieſu compenſat; ad Ieſum, qui tanquam vua pependit in ligno, velut ad ſcopum, mentem, & propoſitum dirigit, improperij Ieſu ſocius Crucem eius poſt eius veſtigia portat, eúmque venerabundus ſalutat.

Chriſtianus ſequutus Ieſum illũ ante faciẽ portat, Iudaus poſt dorſum.

Maior perfectio in Petro ſequi Ieſum, quam obtinere Eccleſia principatum.

4. Quid plura? maius perfectionis decus ſequi Ieſum, quàm obtinere Eccleſiæ principatum; contulit Dominus Petro Eccleſiæ primatum, & clauicularium aulæ cæleſtis inſtituit, & adhuc non impertiit virtutem ſequendi; & tanto ſequelæ muneri inæqualis iudicatur à Domino. Ioan. capite 13. verſ. 36. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? reſpondit Ieſus: quò ego vado, non potes me modo ſequi: ſequeris autem poſtea.* Sanctus Ambroſius locum iſtum componit cum verbis Cant. cap. 1. verſ. 2. *Trahe me poſt te, curremus.* Et ſponſæ virtutem, & Petri confert, lib. de Iſaac, cap. 3. hoc acumine: *Vult & iſta ad brauium peruenire, qua deſiderat comprehendere, prudenter ergo rogat, vt attrahatur, quia non omnes ſequi poſſunt, denique Petro dicenti, quo vadis? reſpondit verbum Dei, non potes me ſequi, ſequeris autem poſtea. Claues ei commiſerat Regni caleſtis, & ſequendo ſe imparem iudicauit.* Immenſam penè Eccleſiaſticæ machinæ molem Angelicis humeris formidandam ſupra Petrum conſtituit Ieſus, & pedes huius machinæ baſes, & ſuſtentacula imparis fortitudinis, & virtutis cenſentur, vt Ieſum ſequantur, tanto robore prædi[ti] Petri pedes, & greſſus, vt cœli baſilicam ſuſtentent, ſed vt ſuſtineant perfectionis pondus ſequelæ Ieſu, maior virtus, & fortitudo exigitur, poteſtas cæleſtia reſerandi Petro defertur, & facultas conferendi gradum cum Ieſu, vt poſt ipſum gradiatur, eiúſque ſectetur veſtigia, ad tempus differtur; Petrum ſecutorem reſidem animo, Ieſus timebat, trina tentatione à ſemita virtutis retractum; ideo ſummum ſequelæ decus ad tempus differtur, cum redintegrato animo, animoſus Crucem aſcendat, & per Crucis ſupplicia crucifixum Ieſum ſequatur.

D. Ambr.

Sponſa tanquam perfecta cupit currere poſt Ieſum.

Petrus, cui claues regni caleſtis Ieſus commiſerat, imparem iudicauit vt illum ſequeretur.

Dei ſequela maxima diuitiarum caleſtium participatio.

5. Quantam promiſſorum magnitudinem claudat verbum illud de diuina munificentia promanans ad aures Moyſi directum, Exodi cap. 33. verſ. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi*, mens Angelica vix capere poteſt, quæ ſit Deitatis gaza, & inexhauſtus bonorum theſaurus, quem Deus Moyſi ſpondet. Sed Textus ſacer inſinuat, quod non exigua, ſed magna diuitiarum Dei participatio ſit, Deum præeuntem ſequi. Expoſtulat Moyſes videre faciem, ſed Deus in hæc verba reſpondet verſ. 14. *Dixitque Dominus: facies mea pracedet te.* Vel iuxta Septuaginta: *Ipſe antecedam te.* Quod verò Deum præcedere, & Moyſem à tergo Domini ſubſequi, & figere veſtigia ſit bonum, & gloria Domini, manifeſtant verba, quæ attexuntur verſ. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te.* Et apertius Septuaginta legunt: *Ego tranſibo prior te gloria mea, & vocabo nomine meo: Dominus ante me.* Vt præcedentiam Domini ductantis populum, & ſequelam Moyſi manifeſtè innuat. Verbis ſuis conceptum ornat Nyſſenus, libro de vita Moyſi: *Vides quantum eſt, vt aliquis diſcat Deum ſequi. Nam poſt illos aſcenſus mirabiles, poſt glorioſas viſiones, poſt inaudita miracula, vix iuxta finem vita hanc conſequutus eſt gratiam, vt diſceret Deum ſequi.* Diuinum numen familiarem ſuum Moyſem eximiis benefactis ornauerat, dum ad eius nutum omnia elementa immutat, ad Deitatis conſortium introducit, quantum homini mortali fas eſt, diuiniſque viſionibus illuſtrat; ad vitæ metam beneficiorum coronidem reſeruauit, quod diſceret Deum ſequi.

Lect. LXX.

Deum à tergo ſubſequi, Dei gloria eſt, & omne bonum.

D. Greg. Nyſ.

Deum diſcere ſequi, maximum Dei beneficium.

Cur Moyſi cupienti videre Dei faciem, datur dura reſponſio.

6. Sed dices, ſi Moyſes apud Deum tantum valuit auctoritate, & gratia, cur non conceſſit Deus poſtulatis videndi faciem ſuam? Potius ſeuerum, & triſte accipit reſponſum? Exodi cap. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Si in viſione Domini vita, & beatitudo, nam apud ipſum eſt fons vitæ: & hæc eſt vita æterna, vt cognoſcamus, & intueamur faciem Domini, quare ex viſione Domini mors reſultat? & cernere exoptantis faciem, Dominus horribili vultu mortis refrænat audaciam? Cæleſtes cupidines moderatus eſt Dominus in Moyſe, charitatem ordinauit, ipſúmque à via virtutis, & inſtituto videndi Deum deuiantem, ad viam Regiam, & ſecuram reduxit, ſeruus non debet præcedere Domino, nec vultui eius occurrere, aut adhærere lateri, ſed à tergo inſequi; ne appareat inurbanus; auebat Moyſes cernere faciem, oblitus muneris ſectatoris, & clientis ſequentis à tergo Dominum, & ſumma beatitate coronari, ſine tranſitu per ſummum perfectionis aſcenſum, nempe ſequelam Domini, ideò à Domino manuductus terretur comminatione mortis, quia concupiſcens viſionem, ex memoria depoſuit inceſſum poſt Ieſum, eiúſque imitationem. Pulcrè ſanctus Gregorius Nyſſenus, inquit libro de vita Moyſi: *Nam qui ad latera ſe transfert, aut ducentis faciem cernere ſtudet, non facit eam viam, quam dux oſtendit: ac ideò dicitur ei: facies mea non videbitur tibi, hoc eſt noli ad faciem ducentis Dei occurrere, ne in oppoſitum curſus fiat. Nam ſi bonum bono contrarium non eſt, & qui ducentis faciem videt, ducenti oppoſitus eſt, cùm ducens bonus ſit, ipſe malus eſt, contrarium virtuti vitium, quare Moyſes non ex oppoſito conſpicit Deum, ſed tergum eius reſpicit. Nam qui ex oppoſito Deum aſpicit, non viuet, vt vox diuina teſtatur.* Qui occurrit faciei Domini, oppoſitus Deo eſt, à quo eripit officium ductantis, quo Deus fungitur; retrocedat homo, & Domini ſectetur veſtigia, & perueniet ad faciem, cum enim extiterit Domino conformis per ſequelam, & Crucem, non erit aduerſus Deo, ſed amicus, & benemeritus fruitione Deitatis.

Seruus non debet pracedere Domino, ſed illius veſtigia ſectari.

Moyſes oblitus incedere poſt Ieſum, & concupiſcens viſionẽ vultus terretur cõminatione mortis.

D. Greg. Nyſ. Qui ad faciẽ Dei occurrit, & non ad tergora, in oppoſitum facit curſum. Qui ex oppoſito Deum aſpicit, non viuet.

Munia eorũ qui ſectãtur Ieſum.

7. Quæ autem ſint munia ſectatorum Ieſu, eiúſque Crucem baiulantium, pulcherrimis ſententiarum luminibus demonſtrat Euſebius Cæſarienſis in Catena Græcorum Patrum, Lucæ capite 14. verſ. 27. *Et qui non baiulat Crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc addit ex propriis Cæſarienſis Epiſcopus: *Corpus igitur,*

Euſeb. Cæſ. Cat. Græc.

Portandum corpus mildò mortuum, & diuinis præceptis transfixum.

quod modò coniunctum eſt animæ ſubigere conuenit, & mortificare, paſſiones eius crucifigendo, atque occidendo, ita vt non viuam iam amplius carnem, ſed demortuam, diuiniſque præceptis transfixam circumferre videamur: ita vt anima iam ſit quaſi alterius ſubſtantiæ, planè incorporeæ, atque intellectualis, trophæum victoriæ contra inimicos erigens corpus, quod Crucem circumferat, mortiſque inſtrumento onuſtum, rationem ſequatur, inſtar generoſi ducis brauia victoriæ ab hoſtibus partæ ſtatuentis: niſi enim, inquit, hac ratione me ſequutus fuerit, quiſquis meus diſcipulus eſſe deſiderat, corpuſque ſuum, ac carnem mortificauerit, & quaſi affixum Cruci inanime exhibuerit, non eſt me dignus, nec meus diſcipulus eſſe poteſt. Hic autem ſupremum Chriſtianæ Philoſophiæ faſtigium diſcipulis proponit, eos ſicut generoſos ac militares viros adhortans, vt ad virtutis apicem contendant. Hæc Euſebius Pamphil.

Corpus trophæi victoriæ contra inimicos erigat. Corpus Crucem circumferat. Caro mortificanda, & quaſi affixa Cruci exhibenda, vt ſit Chriſti diſcipulus, & ſectator. Supremum Chriſtianæ Philoſophiæ faſtigium.

Verſ. 4. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.

COMMENTARIVS.

De Chriſti poteſtate in iudicio extremo aliqui patres hæc verba expendunt.

1. PENES antiquos Patres diuerſa horum verborum interpretamenta reperiuntur. De iudiciaria Chriſti Domini poteſtate in die iudicij, quando ſeparabit malos à bonis, agnos ab hœdis, interpretantur Hieronymus, Chryſoſtomus, Baſilius, Procopius. hic ita ſcribit: *Iudicabit inter gentes, dignis quidem ſeorſum poſitis, vocatis autem ab alijs, qui tales non ſunt, ſeparatis, pro cuiuſque vitæ ratione, & iudicij etiam extabit differentia.*

D. Hier. D. Chryſ. D. Baſil. Procop.

2. In eamdem, aut ſimilem expoſitionem recidit ſanctus Iuſtinus Martyr, cuius ſententia ſingularis eſt, dum exponit Iſaiæ verba de Anti-Chriſti temporibus, ſic enim fatur in Dialogo cum Tryphone: *Duplicem ipſius aduentum eſſe prænuntiatum, vnum in quo paſſioni ſubiectus, & inglorius, & dehoneſtatus, & crucifixus deprædicatur. Secundum, in quo Cœlitum cum gloria aderit, quando, & defectionis homo aduerſum altiſſimum quoque grandia loquens in terris, iniqua in nos Chriſtianos committere audebit; qui ex lege, & verbo ab ipſis Hieroſolymis progreſſo per Apoſtolos, & legatos Ieſu, religione, & vero cultu Dei percepto, ad Deum Iacob, & Deum Iſraëlis confugimus.* Sed vtramque interpretationem, licet ſit veneranda propter tantorum Patrum auctoritatem; tamen literalis contextus Iſaiæ non videtur admittere, præſertim expoſitionem de Anti-Chriſto.

D. Iuſtin. *Anti-Chriſti perſecutio prædicitur.* *Anti-Chriſti ſuperbia.* *Prædictam expoſitionem non admittit Iſaiæ contextus.*

Prima ratio.

3. Primò: quia ſi de Anti-Chriſti temporibus accipias, Iſaiæ vaticinium, & Euangeliſtarum verba contradictionem inuoluunt, ab Iſaia namque aſſeritur, quod in diebus nouiſſimis erit pax, & ceſſatio præliorum, aut bellici tumultus in hoc verſiculo: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres*, &c. at Euangeliſtæ contraria prædicant de Anti-Chriſti diebus, ſciſcitantibus enim à Chriſto Apoſtolis: *Quod ſignum conſummationis ſæculi?* Matth. cap. 24. verſ. 3. in hæc verba reſpondet verſ. 6. & 7. *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Conſurget gens in gentem, & regnum in regnum.* At Iſaias contrarium docuit, ſcilicet quod in diebus nouiſſimis: *Non exercebuntur vltra ad prælium.*

Secunda ratio.

4. Secundò ab Iſaia prædicitur legis exordium, & auguſtum Euangelicæ prædicationis initium, ex communi Patrum calculo; tempore autem Anti-Chriſti, aut iudicij extremi, non erit prædicationis principium, ſed terminus.

Tertia ratio.

5. Tertiò hic vaticinatur Chriſti doctrinam annuntiandam, & Euangelicæ perfectionis vias promulgandas in Sionei montis cacumine; at iudicij poſtremi tribunal, & forma, diuinæ ſententiæ prolatio inſtituenda eſt in valle Ioſaphat, in quo non populum multum arguet, ſed vniuerſum orbem compellet, vt cum eo diſceptet, Ioële teſte cap. 3. verſ. 1. & 2. *In diebus illis cùm conuertero captiuitatem Iuda, & Ieruſalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* Omitto rationes alias cuique obuias.

Iudicium extremum in valle Ioſaphat.

Verbi Hebr. ſaphat virtus.

6. Vt genuinam commentationem eruam ſuppono quod verbum Hebraïcum שפט *ſaphat* propriè innuit: *Ius dicere, ex æquitate, & legum præſcripto cauſas iuſtè iudicare, ritéque controuerſias dirimere*: vt probi tueantur, improbi condemnentur, & puniantur: denotat quoque *Regere, & adminiſtrare Rempublicam: imperitare leges, & iura dare, & præſcribere.* Geneſ. cap. 19. verſ. 9. *Ingreſſus es vt aduena, numquid vt iudices?* & ius nobis dices? & de Heli dicitur, 1. Reg. cap. 4. verſ. 18. *Ipſe iudicauit Iſraël.* Hebraicè: *Rexit Iſraëlem.* & cap. 8. verſ. 5. *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Quocirca Chaldæus aptè legit hæc Iſaiæ verba: *Iudicabit inter regna.*

Prima interpretatio de Chriſto ius dicente, & leges Eccleſiæ præſcribente.

7. Duplex ergo intelligentia continetur in illa ſententia: *Iudicabit inter gentes.* Prima quod Chriſtus ſit iudex; ſecunda quod ipſa lex, & verbum, quod è Sione manauit, iudicet, & arguat gentes. De ſingulis ſeorſim dicendum. Supra Saluator firmamentum Eccleſiæ, in domo Domini legiſlator ab Iſaia prædicatur; modo verò tanquam iudex introducitur; quia in Eccleſia, & domo Regia, quàm ipſe fundauit, ad gentes omnes, quæ ad ipſum confluent, ius dicet, leges præſcribet, quarum obſeruantiâ liceat feliciter, & beatè viuere. Hanc Eccleſiæ Euangelicæ Rempublicam, quam ipſe inſtituit nouis legibus, & conſiliis Euangelicis moderatur obſeruantiſſimi, & integerrimi iudicis munere perfunctus. Recti iudicis ornamenta deſcribit Tullius libro 1. Officiorum: *Eſt proprium munus magiſtratus intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis, deberéque eius dignitatem, & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iuſſa deſcribere, & ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.* Et libro 2. Officiorum: *Operam dabunt, vt iuris, & iudiciorum æquitate ſuam quiſque teneat, neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur.* Et libro 1. de legibus: *Cui Reſpublica commiſſa eſt, neceſſaria eſt oratio, & ſapientia, quæ regat populos, quæ ſtabiliat leges, quæ caſtiget improbos, quæ tueatur bonos, quæ laudet claros viros, quæ præcepta ſalutis edat ſuis ciuibus, quæ hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos.* Quæ omnia cumulatiſſimè expediuit Chriſtus Dominus, vt conſtat ex Euangeliſtis: ipſe enim iura dedit, leges conſtituit, afflictos conſolatus eſt verbo; peccatores à criminum vinculis abſoluit. Ipſe iuxta illud Pſalmi 71. *Liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.* Ipſe pater orphanorum, & iudex viduarum. Pſalm. 67. Denique in Crucis ſolio, & tribunali Regio Dæmonem iudicauit,

Tull. *Munus iudicis, & magiſtratus quale ſit.*

iudicauit, & mundum.Ioan.cap.12.verſ.31. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras.*

Iudicij diuini æquitas in abijciendis Iudæis & vocandis gentibus.

6. Forſan Iſaias his verbis ſpectat diuini iudicij æquitatem, in abiiciendis Iudæis, & vocandis gentibus: in quem ſenſum propendet animus, nam cum ſupra fauſtis acclamationibus in cœlum vſque veheret gentium alacritatem, & promptitudinem, qua ad primam Apoſtolorum vocem, fluuiorum rapidiſſimorum inſtar, patrios mores, & diuos relinquentes ad Chriſti Eccleſiam, & fidem confluxerant: Iudæis audito verbo Dei, infidelitate, & contumacia defixis, iure Chriſtum Dominum introducit, gentes, & populos ad iudicium vocantem, vt videant, vt intelligant, quanto æquitatis iure procedat, cum gentes in Sacerdotium, & regnum admittat, Iudæos vero à domo Dei dimittat, qui ſenſus ex ipſo contextu colligitur: nam in verbis ſubſequentibus populum Iudaicum ad lumen in Sionæo monte exortum vocat: *Domus Iacob venite, ambulemus.* Ipſóque renuente vocationi Dei, eorum repudium iuxta æquitatis ius opere completum eſt. Rectè Vates ſubiungit: *Proiecisti enim populum tuum domum Iacob.* Vide ſimilem commentationem, quam dedimus verbis illis, c.1. *Venite, arguite me: dicit Dominus.*

Secunda expoſitio.

7. Secundus ſenſus: quod ipſa lex, & verbum ab aſſertore noſtro, & Apoſtolis promulgatum iudicet gentes: éſtque verborum, & ſententiarum perſpicuus nexus; *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Iſta lex, hócque verbum arguet populos. Verbum Hebraicum יכח *increpare, arguere, reprehendere, diſputare*, verbalem quoque correptionem denotat, cum quis coram ſe alteri opponit, contradicit, diſceptat, obiurgat. Et eſt ſenſus: ipſa legis Chriſtianæ æquitas, & puritas, illa mirabilis cum mentis lumine, & recta ratione conſonantia, quæ in ipſa eminet, imperans honeſta, prohibens contraria, validiſſimum eſt argumentum, vt gentes alioqui barbaras coarguat, & reuincat. Cum enim in hominibus, licet habitantibus in regione vmbræ mortis, & Cimmeriis tenebris caligantibus, ſignatum ſit lumen vultus Domini, in nobiſque ſit non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: hoc innato mentis lumine comparantes ea, quæ ab Apoſtolis annuntiabantur, cum ſuorum numinum nugis, & ſacrificulorum vaniſſimis mendaciis: ipſa lex, ipſum verbum ſpiritus auribus tinniens, arguitiuum erat, vt gratia Dei præueniente adiutum, mentes feras, ac barbaras infringeret, & ad cognitionem veritatis alliceret. Vnde lex ipſa, & verbum Euangelicum gentes arguit infidelitatis, iuſtè iudicat, & condemnat, quia cum ad prædicationem oculos, & aures claudunt, naturæ lumini, & recto dictamini rationis obſiſtunt. Prædictam expoſitionem indicat Procopius, licet obſcurioribus verbis: *Sic ergo verbum Euangelicum, poſtquam gentes à populo multo diſcreuit, arguit vel eos, qui crediderunt, cum priorem iſtorum errorem oſtendit: vel eos, qui in ipſum non credentes, ſua culpa perierunt. Oſtenditur ergo, arguendi verbo, ipſa iudicij æquitas.*

Lex Chriſti & illius verba arguunt, & iudicant populos. — *Procop.*

Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, &c.

Verborum ſignificatio dependitur.

8. QVIA locus celebris eſt, nonnihil dicendum de verborum ſignificatione. *Conflabunt.* Hebraicè eſt כתת *cathath, contundere, conterere, confringere.* 4.Reg.18. *Confregit ſerpentem æneum.* & Ioël cap.3. tranſtulit Vulgatus idem verbum: *Concidite.* Septuaginta vim verbi exprimunt: *Et contundent gladios.* Chryſoſtomus, Baſilius, Cyrillus: *Et concident gladios ſuos in aratra,* חרב *chereb, gladius*, pro omni armatura ponitur, idémque denotat Græcum μάχαιρα: annotat ſanctus Baſilius hic, quod ea arma, quæ ad confligendum cum proximo faciunt in certaminibus ſtatariis, & cominus obeundis, ea quidem vocauit Propheta *macharas, gladios*: quæ verò ſpectant ad ſui tuitionem è longinquo inſtructa arma, ea vocat: *Haſtas, & lanceas.* At ſanctus Chryſoſtomus legit: *Lanceas, tela ferrea, & ſpathas.* & Tertullianus lib.3. contra Marcionem cap.21. verbum Græcum retinuit: *Concident macharas ſuas in aratra, & ſibenas in falces*: σιβύνας, id eſt haſtas, & lanceas.

Lect. Lxx. D. Chryſoſt. D. Baſil. D. Cyrill. D. Chryſ. Tertull.

9. Pulcherrimam loquendi formulam continent prædicta verba, vt gratum vultum pacis denotent: nam cum ſilent arma, & ceſſat bellicus tumultus, in agricolationis inſtrumenta immutantur arma; ſicut è contra belli tempore, falces, ligones, aratra, ſarcula in inſtrumenta belli conflantur. Eſtque prouerbialis locutio apud Vates vſitata. Ioël cap.3. verſ. 9. *Sanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos, concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas.* Sanctus Cyrillus Alexandr. ibi: *Ponat agricola curas, & ſtudium ſibi chariſſimum. Ex aratro rompheam, & è falce lanceam ſibi fabricet: non enim terræ colendæ tempus eſt.* Adiice ex prophanis Statiū lib.3. Theb,

Gratus pacis vultus denotatur hac loquendi formula. — *D. Cyrill.* — *Stat.*

> *—— Iam falces auidis, & aratra caminis*
> *Raſtráque & incurui ſaeuum rubuere ligones.*

Et lib.1. Achill.

> *——ferrum laxatur ad vſus*
> *Innumeros, quod roſtra liget, quod muniat arma.*

10. At immutatio armorum in agricolationis inſtrumenta ſummam pacem denotat, & tranquillitatem, quando ſecurè, & pacatè vita tranſigitur, nec eſt Satan, nec hoſtis, qui in circuitu exterreat. In hoc ſenſu expendit ſanctus Cyrillus Alexandr. verba Oſeæ cap.2. *Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra.* & cum Iſaiæ ſententia componit, ſubditque: *Iam enim vt ſub vnum iugum coacti, potius ad vtiles operum labores ſe applicabant, inſtrumentáque militaria in rei ruſticæ idonea commutabant. Erit igitur pax, inquit, & metus olim terribiles ceſſabunt, Deo conſopiente, & ſui amantes fructibus pacis exhilarante.*

Mutatio inſtrumēti bellici, in agricolationem, ſummam pacem innuit. — *D. Cyrill.*

11. Prima vaticinij expoſitio eſt de pace, quam ſuo exortu Chriſtus intulit mundo, quâque fruebatur tempore Auguſti Cæſaris, cuius imperio totus deſcribitur orbis, cum Angelico nuntio, & præconiō de cœlis promulgatur: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cum enim ante Chriſti aduentum periculoſis armis premeretur orbis, vaſtaretur diſſidiis, & humano ſanguine terra immadeſceret; tempore Auguſti, Romani imperij potentiâ ſubiugatis nationibus, aurei ſeculi pax, & felicitas exorta eſt, vt tota hæc tranquillitatis paratura,

Prima expoſitio. — *Pax temporalis quam detulit mūdo Saluator, annuntiatur.*

paratura, Regis pacifici Ieſu eſſet prænuntia, eiúſque pacis temporaneæ, & ſpiritalis, quam attulit mundo. Sic ſanctus Hieronymus, Baſilius, Cyrillus, Theodoretus in cap. 4. Micheæ, hæc ſunt iſtius verba: *Ante conſtitutum Romanum imperium crebræ inter ſe ſeditiones commouebantur, quia ſingulis nationibus ſeparatim imperia erant. Atqui omni imperio ad Romanos tranſlato, & cuiuſque gentis regno deleto, ſumma pax toto orbe terrarum conſtituta eſt, vt non amplius gens cum gente bellum gerat, ſed propter pacem diuinitus factam, bellica inſtrumenta in ruſtica conuertantur.*

D. Hier. D. Baſil. D. Cyrill. Theod.

Secunda cõmentatio.

12. Secunda interpretatio, & ſubſequentes denotant effectus admirandos legis gratiæ, & Euangelicæ prædicationis, quos auctor ipſe Ieſus in credentibus operatur, depoſitio ſimultatis, & iniuriarum remiſſio Euangelici præconij opus egregium, cum quis opera contumelioſa, & verborum conuitia impunita abire permittit, & propter Ieſu amorem, contumelioſi, & conuitiatoris ambit gratiam; bonáque pro malis rependit. Iſte furoris iaculum, iracundiæ lanceam, vindicem gladium, conterit, conflat in ſpiritales vomeres, & ligones, quibus aduerſarij ſubigat agrum, & terram cordis excolat ad reſipiſcentiam, & ſalutem, eámque bonorum operum prouentibus ornet, & coronet. Vt non iam dentem pro dente, oculum pro oculo, ſed pro odio amorem, & benefacta impendat. Commentatio hæc pro amore inimicorum plauſibilis, eximios habet patronos. Origenes lib. 5. contra Celſum inquit: *Vt recudamus noſtros rationales gladios, & contumelioſos in aratra, & pugnaces noſtras prius lanceas in falces componamus, facti filij pacis per Ieſum.* Apertè Tertullianus lib. aduerſus Iudæos cap. 3. *Nam vetus lex vltione gladij ſe vindicabat, & oculum pro oculo eruebat, & vindictam iniuriæ retribuebat. Noua autem lex clementiam deſignabat, & priſtinam ferocitatem gladiorum, & lancearum, ad tranquillitatem conuertebat, & belli priſtina in æmulos legis, & hoſtis executionem in pacificos actus arandæ, & colendæ terræ reformat.* Et lib. 3. contra Marcionem cap. 21. idem vaticinium inculcat: *Et concident macharas ſuas in aratra, & ſibynas in falces, id eſt, animorum nocentium, & linguarum infeſtarum, & omnis malitiæ, atque blaſphemiæ ingenia, conuertent in ſtudia modeſtiæ, & pacis, & non accipiet gens ſuper gentem macharam vtique diſcordiæ; & non diſcent amplius bellare, id eſt, inimicitias perficere.* Adſtipulatur ſanctus Irenæus lib. 4. contra Hæreſes, cap. 67. *Libertatis lex, id eſt verbum Dei ab Apoſtolis, qui ab Ieruſalem exierunt, annuntiatum, vniuerſam terram in tantam tranſmutationem fecit, quod gladios, & lanceas bellatorias, in aratra fabricauerunt ipſi, & in falces, quæ donauit ad metendum frumentum, in organa pacifica demutauerunt, & iam neſciunt pugnare; ſed percuſſi, & alteram præbent maxillam.*

Lex Euangelica doc. t ſimultates deponere, & iniurias remittere.

Orig.

Tertull.

Lex Christi priſtinam ferocitatẽ gladiorum, & lancearum conuertit in tranquillitatem.

Tertull.

Diſcordiã, & inimicitiã de medio tollit lex Chriſti.

D. Iren.

Tertia expoſitio.

Haſtæ & iacula metaphoricè accipiuntur, pro ſophiſticis rationibus, & argumentatiunculis Ethnicorum.

Iacula quæ in Chriſtum iaciebãt Philoſophi Gentiles, Chriſtiani contra ſuas ſectas intorquent.

13. Tertia expoſitio metaphoricè vſurpat gladios, & lanceas pro argumentorum iaculis, & Sophiſticarum rationum haſtis, quibus Philoſophi, & gentium ſapientes inter ſe belligerabant, animorum diſſimilitudine, diuerſiſque de Deo, & virtute opinionibus diſſentientes, & perpetuò rixantes. Donec lux Euangelicæ veritatis oborta argumentationum caliginem diſpulit, diſſidentiam ſuſtulit; blaterantes, & inter ſe pugnantes Sophiſtæ, controuerſiarum tela, verborum machæras, & captionum ſpicula commutarunt in vomeres, & falces, quibus hominum corda excolant, facti agricolæ, & operarij Euangelicæ vineæ. Sic multi Philoſophi, & gentium primores fide illuminati facti ſunt agri Eccleſiaſtici cultores, mutantes ſtylum, linguam, calamum, quibus contra Deum pugnabant, in animarum conuerſionem, prædicationis aratro terram proſcindentes gentium, eorúmque flauentia arua demetentes. Sic Paulus, Iuſtinus, Cyprianus aliique. Hanc expoſitionem inſinuant ſanctus Baſilius, & Procopius: iſte Baſilij verba ad breuitatem reducens inquit de gentibus: *Cura ſiquidem magna, veluti admota cote acutum, rerúmque probabilium ſpecie fulgentem orationis gladium in ſe inuicem depromebant. At ex quo gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus annuntiari cœpit: omne prorſus veritas mendacium compeſcuit: nec iam inde, qui verborum pugnas docebant, quicquam vel hiſcere auſi ſunt.* Quoad ſecundam commentationis partem fauet Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 1. loquens de gentibus expendens hunc Iſaiæ locum: *Per nouam legem Euangelij, & nouum ſermonem Apoſtolorum iudicantur, & traducuntur apud ſemetipſas de priſtino errore, ſimul crediderunt, atque exinde concidunt macharas ſuas in aratra, & ſibynas, quod genus venabulorum eſt, in falces, id eſt, feros, & ſæuos quondam animos conuertunt in ſenſus probos, & bonæ frugis operarios.* Aliam commentationem adiicit de Pauli conuerſione, quam poſtea illuſtrabimus.

D. Baſil. Procop.

Tertull.

14. Quarta commentatio cum præcedenti annectitur, quod hac verborum imagine adſtruat Vates pacem, & quietem animi, verámque cordis tranquillitatem, quæ in ſola Ieſu fide, & charitate inuenitur. Aptè Clemens Alexandrinus libro 2. Pædagogi cap. 7. inquit: *In ſumma enim, quies, pax, & tranquillitas, eſt Chriſtiani propria.* & Chryſoſtomus 1. Timoth. cap. 1. homil. 1. *Fides enim animum cogitationémque facit conquieſcere.* Hoc eſt Euangelicæ legis inſigne, eximiúmque ſymbolum, quod à vanis, & fictis Philoſophorum, Gentium, & Hæreticorum ſectis fidelem diſcernit. In quibus quantumcumque animo excubes, nec partem quietis inuenire licebit; multi enim æternæ vitæ cupidine inflammati veritatem inquirentes, & firmam ſalutis ſpem, in aliis ſectis ſemper fluctuantes, ſtimulis, & morſibus conſcientiæ puncti, non tenuerunt requiem, donec peruenerunt ad fidei Catholicæ lumen, & portum, quæ omne nubilum mœſtitiæ diſpellens, animum ſerenat, ſecuráque tranquillitate facit conquieſcere. Nec ſolum operatur Euangelica fides quietem animorum, ſed etiam corporum; ſicut enim hæreſis rixa, pugnæ, & perduellionis origo eſt; ſic Catholica fides pacis, & quietis, vt cernere eſt in regnis, in quibus fides Catholica viget. Inter gentes quoque lex Chriſti ad pacem inuitat, ex quo enim ſacro lauacro intinguntur, ſimultates, & arma bellica deponunt, excolendiſque agris ſe totos impendunt, vt cernere eſt quotidie in Orientis, & Occidentis orbis Chriſtianis. De iis explanaſſe videtur præſens Iſaiæ vaticinium Athanaſius libro de Incarnatione verbi Dei: eius verba cum recitaſſet, ſubiungit: *Neque id incredibile, cum etiam nunc barbari feris moribus, idoliſque hoc tempore ſacrificantes in ſe ſe furiant, neque vel vnam horam ſuſtineant ſine armis viuere: ijdem tamen vbi Chriſti doctrinam audiunt, ſtatim à bello ad agriculturã vertũtur, & pro gladijs tractãdis, manus ad preces extẽdunt: ac pro mutuis inter ſe bellis, aduerſus Dæmones pudicitia, & animi virtute obarmãtur, id autem inſigne eſt diuinitatis Saluatoris noſtri.* Prædictæ omnes interpretationes iuxta literam textui cohærent.

Quarta commentatio.

De pace. & tranquillitate quam lex Chriſti, & Catholica Fides in anima operatur.

Clem. Alex.

Quies & pax ſymbolũ eſt, quod Catholicum à Gentili & Hæretico diſcernit.

Gentiles deditì ſimultatibus & bello, cum baptiſmi aqua intinguntur, excolendis agris incumbunt.

D. Athan.

Pro

Pro Diui Pauli Conuerſione præſens Vaticinium expenditur, & illuſtratur.

Diui Pauli conuerſio. — Tertull.

IN tertia Commentatione ſuprà poſita Conuerſio Sauli in Paulum continetur. iuxta literam, arridet expoſitio doctis Neotericis, eiúſque auctor, & inuentor extitit Tertullianus libro aduerſus Gnoſticos cap. 13. ſcribens: *Paulus verò Apoſtolus, de perſecutore, qui primus Eccleſiæ ſanguinem fudit, poſtea gladium ſtylo mutans, & conuertens macharam in aratrum, lupus rapax Benjamin, dehinc adferens ipſe etiam eſcam ſecundum Iacob.* Eámque ſequentibus diſcurſibus ornatam damus, in gratiam Doctoris Gentium.

DISCVRSVS I.

Depellere contumeliam à locis iniuria laceſſitis; res improbitate violatas honeſtare, munus Dei eſt.

1. DVCTANDVS Ieſus ad crudele patibulum, & ignominiam mortis, propriis veſtimentis exuitur, & chlamyde coccinea induitur. Matth. cap. 27. verſ. 28. *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Et Ioan. cap. 19. verſ. 2. *Veſte purpurea circumdederunt eum.* & verſ. 5. *Exiuit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum.* Intentio amicientis, & portantis purpuream veſtem omnino aduerſa; induunt carnifices ad opprobrium, & ludibrium, etenim Sanniones his operimentis oſtentant ridiculum, & perſonatum Regem. Geſtat coccum Ieſus propter myſterium. Cur non retinuit Ieſus veſtem candidam, qua cum Herodes induit? Lucæ c. 23. verſ. 11. in animi ſui candorem, & euidens innocentiæ teſtimonium? Vt albeſcens veſtimenti nitor rogam immortalitatis innueret, & de morte triumphum? Coccineo velamento gaudet Dominus: corpus ſanguine rubeſcens, & diploide ruſſata purpuratum, vt terram humano cruore, & peccatorum ſanguine immadeſcentem, & infectam expurget, dedecus, & maledictum propulſet, eámque reddat honorabilem. Mens eſt ſancti Athanaſij libro de paſſione ſcribentis: *Quum enim ſanguine terra per Diabolum funeſtata, & multis vndis cruoris eſſet imbuta, & ore aperto primum receperat ſanguinem iuſti Abel, ac deinde hominibus ſanguinem ſanguini ſuperfundentibus, infuſáque in eamdem maledictione, mendacio, furto, adulterio execrabilis reddita eſſet dicente Domino: & nunc maledicta terra, &c. Ea de cauſa hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit.* Et ſtatim: *Pro ſanguine peccatorum, ſuo ſanguine & terram, & omnes emundaret. Ideò enim noſtrum ſanguinem geſtans ſuum omnino ſanguinem in terram exhauſit: vnde factum eſt, vt in ea pro ſpinis bona, & vita repullulaſcerent.* Erat terra violata probris, & maledictis, decoris dignitatem amiſerat, cruore humano deturpata; vt ergo turpiſſimam ignominiæ notã de terra aboleat, eámque priſtini decoris honore nobilitet, ſui ſanguinis riui ſuper terram exundant, vt madida, & purpuraſcens Deifico cruore mundetur à ſceleris, & homicidij ſanguine; & quæ ſanguinantes, & ſentibus armatas germinabat frondes, nunc oſtendat veſtitas floribus. Itaquè Ieſus ruſſata veſte amictus Imperator gradiens ad mortem, ad propulſandam contumeliam de hominis, & telluris natura incumbebat, vt dehoneſtamentum ab ea remouens, honoris amplitudine eam ornet.

Cur Ieſus profecturus ad mortem non retinuit veſtem candidam, ſed indutus eſt purpurea.

D. Athan. *Ieſus portauit coccineũ veſtimentũ, vt ſanguinẽ peccatorum quo terra madebat, expurgaret.*

2. Situs altaris incenſi valde mirabilis, & examine dignus. Erat enim altare thymiamatis velut è regione contra oraculum, & Cherubim, id indicante ſacro textu. Exodi cap. 30. verſ. 6. *Ponéſque altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonij, coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi.* Huic loco opportuna valde perſpicax diſquiſitio ſancti Cyrilli Alexandrini perſcrutantis, cur altare oppoſitum, & aduerſum oraculo? Cenſet, ænigma ſoluens, innui contrarietatem, qua Deus, & homo pugnabant, donec Ieſus contentionem ſuſtulit. Do tibi Cyrilli verba ex Catena Græcorum Patrum Lucæ cap. 1. verſ. 11. *Intelligitur (inquit) in typum Chriſti aureum illud altare, quod poſitum erat è regione eius, qui ſupra Cherubim oracula promebat; loco ſignificante, noſtra in Chriſto, diuino quodammodo conſpectui obuerſari. Hominem enim propter tranſgreſſionem in auerſione exiſtentem, rurſus velut in ſeipſo, ac primò in Patris conſpectu conſtituit.* Hominis amator Ieſus, eiuſdem conſuluit indemnitati, & honori, eum in loco aduerſante cœlicolis, & ipſi Deo conſtitutum propter peccatum, remouit; rixam, & diſſidium ſuſtulit; pro inhonoro, & abiecto ſitu, in quo iacebat proſtratus, propter tranſgreſſionem, ad altiſſimum honoris gradum euexit eum Chriſtus; itaque probrum, & dedecus abſtractione ſubduxit, eámque reddidit honorificam, eſt enim, Dei functio de locis iniuria offenſis, contumeliæ liturare maculas, honeſtatis, & gloriæ inducere lumina.

Cur altare collocatum eſt aduerſum oraculo.

D. Cyrill. Cat. Græc. *Altare augurum Chriſtũ innuebat.*

Hominẽ Dio aurũ Chriſtus in conſpectu Patris conſtituit.

3. Sed iam inconcinnum æſtimas diſcurſum, & ſcriptorem iudicas ineptire Dicens: neſcio quorſum eas, Paulinæ conuerſionis ſcopum attingo, & quidem opportunè; in qua Deus ſeipſum oſtendit gloriæ reſtauratorem, cum immutans Paulum, res turpitudinis labe infuſcatas, nouo decore reddit illuſtres, & honorificas. Ardeo cupiditate magna dignoſcendi, cur Paulus in Damaſci itinere, & appropinquans Damaſco ad bonam frugem reducitur. Locus cõuerſionis annumeratur Actor. cap. 9. verſ. 3. *Et cum iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damaſco.* Erat in itinere Damaſci locus primo fratricidio cruentatus & violatus, quem Deus conuerſione Pauli honeſtare voluit. Eo loco, quo Saulus eſt conuerſus, Abel à Cain eſt interfectus. Hoc aſſertum literis prodidit ſanctus Hieronymus ad ea verba Ezechielis cap. 27. *Damaſcenus*, &c. vbi Septuaginta legunt: *Damaſcus.* ibi Hieronymus ſubiungit: *Damaſcus interpretatur ſanguinem bibens, & Hebræorum vera traditio eſt, campum, in quo interfectus eſt Abel à parricida Cain, fuiſſe in Damaſco: vnde & locus hoc inſignitus vocabulo ſit: iuſtè & Paulus poſt interfectionem Stephani primi in Chriſto Martyris perrexit Damaſcum, vt credentes in Chriſto vinctos perduceret in Hieruſalem, Deique miſericordia, qui fecit videntem, & cæcum, oculos carnis amiſit, vt mentis acciperet: Ceciderúntque ſquammæ draconis ex oculis eius, quibus lumen perdiderat veritatis, vt iret ad vicum, qui appellatur rectus.* Aptè in Damaſco, qui interpretatur ſanguinem bibens,

Cur Paulus in Damaſci via à Deo immutatur.

Eo loco quo Paulus conuerſus, Abel à Cain eſt occiſus.

D. Hier. *Damaſcus interpretatur ſanguinẽ bibens.*

In campo Damaſci interfectus eſt Abel.

In Damaſco Saulus Fidei lumen accepit.

bibens, veri Dei, & Saluatoris agnitione illuſtratur Saulus, qui Chriſtianorum ſanguinem bibere cupiebat; adhuc ſpirans minarum, & cædis appropinquans Damaſco, Chriſtianum ſanguinem ſitit. Erat tellus illa Damaſci infecta, & violata innocentis Abel cruore, fratricidij immanitate turpem ignominiæ ſubierat labem; Caini ſcelere, cordis duritia, & contumacia ſummum dedecus admiſerat. Sed hodie Damaſci arenam Pauli conuerſione illuſtrat, redditque honorabilem Ieſus, dum humanum ſanguinem potare cupientem ſic reformat, vt ſuum ſanguinem pro Ieſu fundere concupiſcat: radiorum claritate, & præſentia ſua Deus terram nobilitat; pro impudentia, & impœnitentia Cain, Sauli pœnitentiam, & demiſſionem recompenſat, ibi ante mundi redemptionem Caino veniæ aperit ianuam, hic poſt mundum redemptum maiora Deus oſtendit miſericordiæ veſtigia, dum ſuper Paulum plena fundit pietatis viſcera. Ibi auſcultatur ſceleratı audacia dicentis: *Neſcio, numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Hic reſonat verecunda confeſſio: *Quis es Domine? Domine quid me vis facere?* Ignominiam itaque mutat Deus in decus, & gratiam.

Tellus innocentis Abelis ſãguine violata, Pauli conuerſione honoratur.

4. Curia illa cæleſtis Empyrei habitaculi, labe criminis aſperſa remanſit, cum apoſtatæ Angeli contra Deum rebellantes in regiam illam pacis vrbem, ſeditionem inuehunt, excitant diſſidium, bellum, diſcordiam. Sed rebellibus Angelis expugnatis, & expulſis de cœlorum faſtigio, fidelium ſpirituum cohortes nouis Canticis, & hymnis beatorum illam manſionem expiarunt. Hanc mentem admittunt verba Iob cap. 38. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Angelos lucis in veritate ſtantes, in veneratione filij Dei permanentes vocat matutina ſidera propter ſcientiæ claritatem, & amoris ſplendores, & ſimul nuncupat filios Dei. Materia laudationis extitit Luciferi caſus, & iuſta Dei animaduerſio, ex qua ſumma pax, & tranquillitas Empyreæ aulæ ſubſequuta eſt. Arguté Rupertus inquit libro 1. de victoria Verbi Dei cap. 20. *In ipſo laudis, & iubilationis exordio victum illum, ſtultitiæ magnæ redarguerent, qui ſibi videbatur eſſe ſicut Deus, & verum, & ſolum Deum digne magnificarent, quod ei ſimilis eſſe non poſſit alius. Simul videlicet, quod illa victoria, magnam cum Diabolo, & Angelis eius excluſerat diſcordiam, magnam omnibus reſiduis illis ſpiritibus fecerat concordiam. Ablatum erat de cœtu illorum omne ſcandalum.* Rebellione extincta, ablegata improbitate, locus ille beatæ quieti deſtinatus illuſtrior redditus. Purgarunt cœlum Angeli decorantes hymnis in Dei laudem, & Angelorum ſtantium obſtrepentes: adhuc Empyreum honorificandum conuerſione Pauli quæ celeberrima extitit Angelis, ad cuius celebritatem Cantica, & cantilenas ſuaues cantitarunt. Matutinorum ſiderum laudes, & filiorum Dei exultationem, & iubilum, à beato Iob enumeratum, bellè accommodat os aureum, Pauli immutationi mirabili. Ad Philippenſes cap. 1. homilia 4. hæc effluunt verba: *Quis loquetur potentias tuas Domine, quod Paulum non es paſſus deliteſcere, ſed orbi vniuerſo virum hunc exhibuiſti? Laudarunt te ſimul omnes Angeli, cum aſtra creares, & Solem. Veruntamen non ita, quemadmodum cum Paulum nobis toto orbe cõſpicuum faceres. Propterea cœlo ſplendidior facta eſt terra. Nam clarior iſte Solari lumine, illuſtriorem emiſit ſplendorem, clarós extendit radios.* Diuinum numen eximiis laudibus celebrarunt in creatione ſiderum, & Solis, aſtra, Angelique; ſed cæleſtis militiæ acies feſtiuo admodum plauſu, ouantibúſque choris ornant cõuerſionem Pauli, cùm cimmeriis tenebris de viſu corporis, & mentis expulſis, noua Eccleſiæ lampas, nouus Sol fulgentiſſimus orbi effomatur. Cuius ſplendoribus terra crimine obnoxia, Eccleſia Sauli perſecutionibus vexata nigricans, ſplendeſcit ſupra ſiderum nitorem, cum noua lux Pauli exoritur. Nec ſublunaris regio ſola tanto lumine honeſtatur, Paradiſus Dei colluſtratur. Valdè mihi probatur Angelici Doctoris placitum aſſerentis raptum Pauli vſque ad tertium Cœlum, & paradiſum contigiſſe in ſuæ conuerſionis exordio. Quare ad ea verba 2. Cor. cap. 12. *Raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cœlum.* & : *Quoniam raptus eſt in paradiſum*, inquit: *Apoſtolus has viſiones habuit in illo triduo, quo poſt proſtrationem ſuam à Domino ſtetit, neque videns, neque manducans, neque bibens, Actuũ nono.* Clariſſimum Solem Paulum in paradiſum innexit Ieſus, vt radiis Deitatis illuminatus, præfulgeat cœlicolis, Cœlique atrium ſuis ſplendoribus ornet. Sed noua Cantica reſonant inter choros Angelicos, inter matutina aſtra, & Angelorum acies laudes reſultant iuxta Iobi ſententiam, quia Lucifer deiicitur, vt placet Ruperto: quia Saulus exaltatur, vt arridet Chryſoſtomo; expectabant Angeli Dei Paulum in paradiſo, qui Luciferi damna reſarciret; vt ſicut exultarunt in iuſtitia Dei deiicientis Satanam, qui anteſignanus extiterat ad ruinam; lætitia velut lymphati redderentur in Dei pietate extollente Paulum, qui dux eſſet, & Doctor Chriſtianæ cohortis, & ſignum Ieſu inter gentes eleuaret. Dum Lucifer Angelorum primarius cecidit irreparabiliter Angelicæ naturæ aſperſa eſt labes, & inſipientibus viſum eſt, Deum obſcuram nubem ſeueritatis induiſſe in celeri exactione pœnarum. Sed hodie labem, & nubilum exactè diſpulit, dum Saulum inſigniter improbum reducit, & ad paradiſum euehit, in eóque pietatis pelagus oſtentat.

Cæleſtem curiam labe criminis malorum Angelorum aſperſam, ſancti Angeli nouis Canticis expiant.

Rupert.
Angeli in ipſo iubilationis exordio victum Diabolum redarguunt. Victoria de Lucifero reportata excluſit de cœlis diſcordiã, & inuexit concordiam.

Iubilatio Angelorũ in Pauli conuerſione.
D. Chryſ.
Angeli maiori laudatione extulerunt Deum cum Paulum tanquam Solem exhibuit Eccleſiæ, quàm cum condidit materialem Orbis Solem.

Paradiſus Dei colluſtratur Pauli conuerſione.
D. Thom.
Raptus Pauli vſque ad tertium cœlũ & paradiſũ contigit in ſua conuerſionis exordio.

Paulus Luciferi dedecus de paradiſo ſuſtulit.

5. Labefactata eſt in paradiſo terreſtri, particula diei pretioſior, lux meridiani temporis, cum generis humani parens deliquit. Quod in ipſo feruore diei fuerit prolapſus in crimen tranſgreſſionis, ſacer indicat Interpres, cum ſcribit Geneſ. cap. 3. verſ. 8. *Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Et Rupertus explanat libro 3. in Geneſim cap. 13. *Quid ergo inquis? Culpandúſne eſt Deus, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centeſimam tulit?* Itaque tempore meridiano meridiauit Adam, & in ipſa meridiatione flagitium incurrit: ſtatimque poſt meridiem Adamum Deus vocat ad iudicium, eiúſque crimen verbis exagitat, nec obiurgationem delicti comperendinauit. Nunc via ſternitur, & euaſio non difficilis inuenitur dubitationi, quæ ſæpe mihi occurrerat. Cur meridiana hora Pauli immutationi reſeruatur? Ipſe tempus ſuæ conuerſionis ſolerter deſignat. Actor. cap. 22. verſ. 6. *Factum eſt autem, eunte me, & appropinquante Damaſco media die, ſubito de cœlo circumfulſit me lux copioſa.* Et capite 26. verſ. 13. *Die media in via, vidi, Rex, de cœlo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen.* Cur maturauit Pauli mutationem ad meridiani temporis horam? Cur non manè diei, in ipſo lucis, & itineris exordio veſtiuit eum lumine? Erat meridies inhonorem primæuæ tranſgreſſionis crimine, vt eum exhiberet decorum, & honorabilem, in meridie Paulum immutat.

Lux meridiani temporis, facta eſt inhonora, per primam hominis tranſgreſſionem.

Rupert.

Meridiana hora Pauli conuerſioni reſeruatur, vt meridiano tempore priſtinum decorem reſtauret.

6. Extitit

Iniuriam quam myſterio reſurrectionis irrogauerat Paulus, in eius conuerſione repulit Chriſtus.

Hug. Card.

Paulus per triduum occæcatur, quia non credebat Chriſtum tertia die ſurrexiſſe.

6. Extitit Paulus in myſterium reſurrectionis iniurius, cùm Iudaiſmi ſectator Chriſtum Ieſum poſt mortis occaſum ad vitam rediiſſe pernegauit; hanc quoque in Conuerſione Sauli Deus ſuſtulit offenſam. Inquirit Hugo Cardinalis cur factus agnus ex lupo tribus diebus cæcutit. Actorum capite 9. *Et erat ibi tribus diebus non videns,* Cur per triduum Apoſtolus occæcatur? Reſpondet purpuratus Hugo: *Quia non credebat Deum tertia die reſurgendo mortem viciſſe.* Trino dierum numero velut emortuus extitit, orbatus lumine oculorum, & poſt triduum ad ſe reuerſus, reſtituto viſu velut ad vitam reuocatur, vt in ſeipſo Ieſu morientis, & reſurgentis exprimeret imaginem, vt maculam, quam Deum, & Eccleſiam perſequens formæ reſurrectionis, & immortalitatis induxerat, Deo obediens, penitus aboleret.

Omne dedecus contra Deitatem, & humanitatẽ Chriſti commiſſum, in conuerſione Pauli tollitur.

7. Deitas, & humanitas Ieſu Sauli improbitate, aut inſectatione erat offenſa, quando Chriſtum nec Deum, nec æternitati æquandum iudicabat; ſed in conuerſione mirabili omne dedecus, & iniuriarum tumultum Ieſus de cœlo propellere nititur. Ille qui contra Deum extento collo inſurgebat belligerator minis, & furore munitus, Iudaicæ legis propugnatot acerrimus, ſuperiori dextra cecidit proſtratus, & de terra terrenus alloquitur cæleſtem: *Quis es Domine?* Actor. cap. 9. verſ. 5. prodigiis plena eſt Domini reſpondentis clementia: *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Et cap. 22. verſ. 6. eamdem viſionem enumerans addit aliud Ieſu inſigne: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Cur Ieſum ſeipſum appellitat Dominus, & Nazareni nomen adiunxit? vt à Saulo, à Iudæis omnes ſibi illatas iniurias omnes remoueat Conuerſione Sauli, contumelias. Audiendus eſt ſanctus Gregorius Magnus libro 33. Moral. cap. 24. cuius verba ſunt: *Et notandum, quod cum diceret: quis es Domine? non ei à Domino reſpondetur: Ego ſum vnigenitus Patris, ego principium, ego verbum ante ſecula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, & eius humanitatis infirma deſpexerat, de cœlo hoc, quod contempſerat, audiuit: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris; ac ſi diceret: hoc à me audi de ſuperioribus, quod in me de inferioribus deſpicis. Auctorem cœli veniſſe deſpexeras in terram, ex terra ergo hominem cognoſce de cœlo, vt tanto in me amplius ſacramenta infirmitatis metuas, quanto & hæc perducta in caleſtibus ad excellentiam poteſtatis probas.* Hæc Magnus Gregorius. Ad ſubiugandum Saulum Ieſus nec diuinæ poteſtatis arma exerit, nec Deitatis argumenta congerit, ſed omnem belli paraturam de humanitate depromit, vt humanitas à Saulo contempta, maneret honorata. Sed in reſtauranda ſua honorificentia intende in Ieſu mirabilem ſapientiam; ex ipſo Pauli ore, quod effutiuerat in Ieſum dedecus, elicit honoris amplum decus, cum eum vocat Dominum, nec ſemel hoc decoramento ſuper omnia dominantis eum compellat dicens: *Quis es Domine?* Sed poſtquam audiuit: *Ego ſum Ieſus Nazarenus.* Repetit: *Domine, quid me vis facerre?* Ieſu, quem deſpexerat, honorem reſtituit, dum eum nuncupat Dominum Deũ, ſuper omnes creaturas, & ſupra ſeipſum in terra proſtratum, dominantem.

Interrogãti Saulo reſpondetur: ego ſũ Ieſus Nazarenus, vt in cœlis cernat eſſe ſublimia, quæ in terris tanquam vilia contempſerat.

D. Gre. Mag.

Saulus in conuerſione ſua Ieſum vocat Dominum.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Discvrsvs II.

Amor, qui ſpecie, & pulcritudine ſenſum demulcet, & voluntatem expugnat, certum ſibi triumphum promittat.

1. NOVA bella elegit Deus in Paulinæ voluntatis expugnatione, cum Saulum glorioſi ſplendoris aggere circumdat, lumina, & radios eiaculatur, Deificæ ſpecioſitatis armis tenet eius animum, ſuauiſſimâque, & efficaciſſima capit violentia. In ampla illa promiſſione ab Iſaia vaticinata, ad conſolationem iuſtorum, adumbratam cerno, imo, & miris ſplendoribus illuminatam Pauli conuerſionem, eúmque à ſpecie, & gloria Domini detriumphatum. Hæc ſunt Iſaiæ verba capite 58. verſ. 8. *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Vaticinij verba plurima, & ſententiæ pulcrè adaptantur conuerſioni Pauli, & cum Actuum ſententiis capite 9. bellè conſentiunt. Ad ea verba: *Anteibit faciem tuam, iuſtitia tua.* Legit Vatablus: *Chriſtus iuſtificator tuus deducet te in cœlum.* Quòd licet de æterna remuneratione intelligat, locum habet in Paulo de remuneratione, & viſione Dei intuitiua tranſeunte. Et apertius verſ. 14. inquit Vates: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* Hebraicè eſt iuxta Santem Pagninum, & Vatablum: *Equitare te faciam in terra ſancta, id eſt cæleſti* Cum Saulus de cœlo vocatur, auocatur ad cæleſtia, ad paradiſum rapitur, cæleſtium ſpirituum quadriga, aut Angelicis humeris ad ſupernorum ciuium aulam, & beatitudinem ſuſtollitur. In conuerſione fuiſſe raptum ad paradiſum, ierum confirmo ex Lyrani Gloſſa ad ea verba Actorum capitis 9. *Et erat ibi tribus diebus non videns, ſcilicet viſu corporali; videbat tamen viſu mentali, quia ſecundum Doctores communiter in iſto triduo fuit raptus vſque ad tertium cœlum.* Addit Vates verſ. 9. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adſum.* Inuocauit Deum, & clamauit Saulus cum in terra deiectus inquit: *Quis es Domine?* Et Dominus ad eum: ~~*Ecce adſum*~~, cum ait: *Ego ſum Ieſus.* Nec minus eleganter accommodã numerum 10. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* ad Actuũ Apoſtolorum ſententiam: *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.* Sed in tenebris Sauli lux diuina exoritur, & exterior intuitus occæcatur caligine, eius mens diuinæ cognitionis illuſtratur fulgoribus, Deitatis, & humanitatis Chriſti rimatur arcana. Ad prædicta Actuũ Apoſtolorum verba aptè inquit Venerabilis Beda: *Apparet quod per triduum cæcatus lumen gratiæ expectabat, non torpens otio, ſed illuſtratus à Deo, cæleſtia rimabatur. Credibile eſt, quod etiam eo tempore diſpenſationem Euangelij edoctus ſit, de quo gloriatur ad Galatas cap. 1. neque ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Hæc Beda in Gloſſa ordinaria. Iure ergo Iſaias de Paulo in eius conuerſione prædicit: *Et tenebræ tuæ erunt*

Diui Pauli conuerſio illuſtris redditur inſigni Iſaiæ vaticinio.

Vatabl.

In raptu Saulus à Chriſto in cœli atria deducitur.

Lect. Hebr. Sant. Vat.

In conuerſione ſua Paulus ad paradiſum rapitur.

Lyra.

In Sauli tenebris exorta eſt lux.

Vener. Beda.

Saulus cum ad cœlum rapitur, accipit diſpenſationem Euangely.

ſicut meridies. Sed iam ſcopum propoſiti in titulo diſcurſus collimemus, quem ea verba apertè indicant: *Et gloria Domini colliget te.* Quid eſt hoc? quod Dominus Ieſus, omnem gloriæ radium, cœlorum ſplendorem, nitentes humanitatis ſuæ fulgores ordinauit, vt Saulum furentem caperent. Septuaginta legunt: *Gloria Domini circumdabit te.* Diuinæ, & humanæ claritatis iubar, ſupercæleſtes ſplendidiſſimi nitores, velut armatæ manus, & caſtra Dei circumdant Saulum, & in Ieſu redigunt poteſtatem: quæ mens clarius refulget in capite 9. Actuum Apoſtolicorum: *Subitò circumfulſit eum lux de cœlo.* Gloſſa interlinearis: *Circumfulgurauit*: Fulgurantes radij, coruſcantia lumina, vibrati ſplendores tanquam armatorum militum manus Saulum ſtipant, & comprehendunt: *Gloria Domini colliget, circumdabit te.* Addit Hugo Cardinalis: *Gloria Domini, id eſt, glorioſus Dominus, vel filius, qui eſt gloria Patris.* Species glorioſa Ieſu, arma ſunt potentiſſima, vt Saulum proſternant, & ſubigant, cum ſpecioſitate, & venuſtate mirabili pugnat dulcis Ieſus, vt certum de Saulo triumphum reportet.

Saulus à gloria Domini colligitur, & circũdatur. — Lect. LXX. — Gloſſ. — Hug. Card.

2. Robuſti Samſonis eximium facinus omnium ore circumfertur, cum deſcendens ad celebrationem nuptiarum iuxta oppidum Thamnatha, in via diſcerpſit leonem: Iudicum cap. 14. verſ. 5. *Apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei, irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem.* Et verſ. 8. *Declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Myſterij medullam dulciorem ſuper mel, & Hyblæos fauos, in hiſtoria reconditam exhibet Gloſſa cum in leone Saulum, in Samſone Ieſum adumbratos recenſet. Do tibi illius verba: *Apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, per quem intelligi poteſt Saulus Chriſtum impugnans, per hoc autem, quod verbo Chriſti proſtratus fuit in terra, tanquam mortuus, apparuit quod poterat eum lacerare, ſicut Samſon leonem occurrentem lacerauit, quod in ore leonis inuentus fuit fauus mellis ſignificata fuit melliflua doctrina Pauli mundo mortui.* Solus Samſon in leonis catulum ſæuientem, & rugientem animoſus irruit, & dilaniauit, & ſolus Ieſus Saulum furentem audacia, ſcelus anhelantem cohibuit, abiecti, & proſtrati Sauli furias lacerauit, diſſipauit indomitas iras, mortuúmque mundo exhibuit; cúmque è de ſacra Deitatis ſcaturigine legis Euangelicæ ebibit myſteria, artifex ſapientiæ diuinæ manus tanquam meliturgus in pectore Pauli fauum componit, ex cuius ore eloquium dulcius melle defluxit. Quis ſæuitiam in clementiam, furorem in amorem, amaritudinem huius leonis in dulcedinem & mellarium immutauit? Samſon. Liceat iam in cibilla ſua ſponſæ Samſonis imo Eccleſiæ liceat in menſa ſua commenſalibus, & ſodalibus proponere, & ſoluere problema: *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Quid fortius Saulo, qui tanquam catulus in Chriſtianos inſiliens, ad lanienam trahere feſtinabat? de eius ore, qui humanum ſanguinem ſitiebat, & homines comedebat, exit cibus vitæ, alimentum æternitatis. Subiungit Gloſſa vbi ſupra: *Hoc autem problema ſolui non potuit niſi per vxorem Samſonis, per quod ſignificatum fuit: quod mutatio Sauli de perſecutore amariſſimo in dulciſſimum Doctorem, non poteſt intelligi niſi per Eccleſiam Chriſti ſponſam: quæ nouit virtutem ſponſi potentis facere de perſecutore defenſorem, & de lupo paſtorem.* Sed quo robore exritit ſponſus leone ſuperior? Non lacertoſis brachiis adſtrictum comminuit, ſed vincula amoris iniecit, ſpecie, & pulcritudine in agnum tranſmutauit. Hoc inſinuat nomen Samſonis quod interpretatur *Sol.* Solis iuſtitiæ fulgores occæcarunt lupum, leonem reddiderunt manſuetum; ad intuitum Solis Ieſu, eiuſque ſpeciẽ pulcherrima deiicitur, detriumphatur.

Leo rugiens à Samſone interfectus Saulum minantẽ, & cædis operantem, à Chriſto conuerſum, adumbrabat. — Gloſſ. — *Fauus inuentus in ore leonis mellifluam Pauli doctrinam innuebat.* — *Problema Samſonis in conuerſione Sauli ſoluitur.* — Gloſſ.

3. Dum clariſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus Pſalmi 147. rimatur arcana, perueniens ad verſ. 17. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.* Eximium acumen oſtendit examinans cryſtalli naturam, & proprietates ſcribens: *Quid eſt cryſtallum? Multum obduruit, multum congelauit: Non iam ſicut nix facilè ſolui poteſt. Nix multorum annorum tempore durata, & ſerie ſeculorum, cryſtallum dicitur.* Poſtea verba Pſalmi, & naturam cryſtalli pulcherrimè adaptat Paulo, itaque ſubnectit verba: *Ecce cryſtallus erat Apoſtolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans aduerſus Euangelium, tanquam indurans aduerſus Solem.* Et ad ea verba: *Emittet verbum ſuum*, ſubiungit Aurelius; *Ecce venit illud cryſtallum Saulus, poſt cædem, & lapidationem Stephani, duritia quadam ſtupidus in Chriſtum, petijt literas à Sacerdotibus, vt vndique exhibeat Chriſtianos, anhelans cædes, durus eſt iſte, & gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam eſſet durus tanquam gelidus, ecce ille, qui emittet verbum ſuum, & tabefaciet ea, clamauit de cœlo feruidus, Saule, Saule, quid me perſequeris? Vna illa voce tanta illa duritia cryſtalli reſoluta eſt.* Hæc ex Auguſtino, in Saulo acris ingenij nitor, ſplendor natalium, zelus obſeruantiæ legis erat tanquam cryſtalli cãdor, eminicans inter legis Doctores, ſed niuea illa, & candida Sauli natura quotidie beneficiis Dei ſtipata ſolidatur; cum Ieſus ſanguinem fundit, cum in Cruce occumbit, & rediuiuus de tumulo exoritur, cum Stephanus lapidatur, inſtar lapidis cryſtalli induratur. Quis cryſtalli immanem duritiã emolliet, & in aquarum fluenta reſoluet? Ieſu victus, & amor, Sol de nube rutilans, Saulum rigidum, frigore congelatum liquefaciet. Perpende geminum verbum Auguſtini: *Indurans aduerſus Solem, & durus eſt iſte, & gelidus contra ignem Dei.* Sed ſoli Ieſu, & igni diuino durities nulla lapidis, aut chalybis reſiſtit. Sol iuſtitiæ de cœlo feruidus, obuiauit Sauli cryſtallo, exufflauit radiis, miſſilia amoris immiſit, ad conſpectũ tantæ pulcritudinis, & amoris cor Sauli liquatur, cryſtallum liqueſcit, lacrymarum riui ex oculis defluunt. quàm dulcis, quàm tener, quam bellipotens in ſole Ieſu venuſtas, & amor, ſolo verbo diſturbat, ferocientem mitigat, blandimentis delinit, induratum emollit. Vox illa de cœlo tonuit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Sicut cera à facie ignis liqueſcit, & immanitatis arma deponit, factus Ieſu deditjtius, Quid plura? Iam nõ ſtupeo, quod Paulus totus igneſcat amore diuino, & quod totum orbem inflammet. Erat etenim cryſtallinũ Pauli pectus regerens Solem Ieſum, eiuſque decorem. Tanquam ex ſpeculo nitidiſſimo reflectuntur radij Solis diuini, quibus mundum accendit. Denique Solis radij per cryſtallum traiecti ignem conflant, flammas excitant: & Solis iuſtitiæ ardores per Paulum cryſtallinum, & pellucidum tranſmiſſi, ipſum reddunt igneum, amoris Dei fulgura, & fulmina iaculantem.

D. Auguſt. *Cryſtalli natura, & durities.* — D. Aug. *Cryſtalli natura, & proprietates Saulo quadrans.* — *Saulus durus tanquam cryſtallus ad conſpectum Ieſu liqueſcit.* — *Vna Ieſu voce cryſtalli duritia reſoluitur.* — *In cryſtallino Pauli ſpeculo Ieſus videtur, ex eõque radij amoris diuini reſultant.*

4. Vocans Deus beatum Iob ad examen ſapientiæ, difficiles quæſtiones diſſoluendas propoſuit. Illa inter omnes celebratur de rhinocerotis phyſiologia

Rhinocerotis ferocitas à Beato Iob deſcribitur.

ſiologia cap. 39. verſ.9. *Numquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo?* &c. Deſcribit his verbis diuina ſapientia rhinocerotis, aut vnicornis ferociam, qui naris aut frontis cornu hoſtiles acies canum,& venantium impetit, & debellat; iacula, & ſagittas toruo vultu,& effræni deſpicit audaciâ, decipulas ſolertet tranſiliens, laqueos, & pedicas diſrumpens,nec interſeptus venabula expauėſcit,furore, & ſæuitia armatus conterit,& dilaniat inſidiantem.Ideò durum,ferox,indomabile animal nuncupatur. Cuius ſolam naturam literis exarare ſacrum Interptetem quis æſtimet, niſi in eo altius myſterium reconderet? Huius myſterij ſtrenuus, & ſolicitus indagator Magnus Gregorius, qui ſæuitiam rhinocerotis cum furore Sauli componit, eiúſque venationem cum captura,& conuerſione Pauli lib.31,moral,cap.10, ſic fatur: *Rhinoceros iſte, qui etiam monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tanta eſſe fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur. Sed ſicut hi aſſerunt, qui deſcribendis naturis animalium laborioſa inueſtigatione ſudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille, omni ferocitate poſtpoſita, caput deponit, ſicque ab eis, à quibus capi quæritur, velut inermis inuenitur.* Poſtea mente, & calamo ad ſuperiora euolat,excellenti, & acuto ingenio adaptat Saulo: *Rhinoceros ergo iſte nare geſtabat cornu, quo percuteret; quia minarum & cædis in Domini diſcipulos ſpirans, poſtquam præſentes interfecerat, abſentes quærebat.* Et ſubiungit aptiſſimè: *Vt ergo hunc Rhinocerotem capiat, ſinum ſuum virgo, id eſt ſecretum ſuum ipſa per ſe inuiolata in carne Dei ſapientia expandat. Scriptum quippe eſt, quod cum Damaſcum pergeret, ſubitò circumfulſit illum die media lux de cœlo, & vox facta eſt dicens: Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui proſtratus in terra reſpondit; quis es Domine? Cui illico dicitur: ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Virgo nimirum Rhinoceroti ſinum ſuum aperuit, cùm Saulo incorrupta Dei ſapientia, incarnationis ſuæ myſterium de cœlo loquendo patefecit: & fortitudinem ſuam rhinoceros perdidit, quia proſtratus humi, omne, quod ſuperbum tumebat, amiſit.* Suauem,blandè adulantem, ſed efficacem belli paraturam elegit amor diuinus, vt caperet rhinocerotem Saulum,cum pedicas decoris, ſupramundanæ ſpecioſitatis decipulas extendit, vt ipſum irretiret.Occurrat oculis Pauli virgo pulcherrima incarnata Dei ſapientia, ſpecioſior Sole, cuius pulcritudinem Sol, & Luna mirantur, vt ſuis illecebris ad ſeipſam traheret Saulum, ipſúmque ſubigeret.O felix,fauſtum,proſperúmque bellum.Species diuina aduerſus Saulum pugnat? ipſa eſt,quæ parat inſidias? ſpes aſſurgit exploratæ victoriæ.Ieſu allicit Saülum, pulcritudo diuina captiuat.

D.Gre. Mag.

Qua ratione capitur à venatoribus Rhinoceros.

Puellæ virginis aſpectu ferocitatem deponit. Saulus Chriſtianos vexãs Rhinoceros erat.

Ex viſu & alloquio incarnatæ Dei ſapientiæ omnis Sauli crudelitas diſſipatur.

5\. Quid ſi ex virgineæ, & incarnatæ ſapientiæ viſu, & amore ad Sauli corpus, & animum tam eximia caſtitas,& Angelica puritas deriuata eſt, vt ſenſum omnem, & motum concupiſcentiæ carnalis extingueret; inhoneſtas in animo, turpéſque imagines aboleret? Sed iam in prædicta verba impingis,in iiſque inuenis offendiculum,& cum Paulo clamas,contrarium 2. Cor. cap.12.v.7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Sed quid inde? Prædictam non abiicio ſententiam,nam in hoc loco ſtimulum carnis, non vt ſonat tentationem carnalis concupiſcentiæ, ſed vehementiſſimum capitis dolorem, quo Paulus vexabatur,accipiunt duo maxima Eccleſiæ lumina Hieronymus ad Galat, c.4. Auguſt. in Pſalm.130. Nec à prædicto aſſerto commouet mentem, Pauli clamor: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* ad Rom.cap.7. verſ. 23. 24. nam hoc in loco non loquitur de ſe ipſo ſingillatim, ſed nomine humanæ naturæ poſt peccatum corruptæ, rebellionem & fomitem in ſeipſa ſentientis,tanquam Orbis Doctor homines inſtruens & peccati originalis ærumnas & effectus aperiens, nec corpus ſuum Apoſtolus caſtigabat & in ſeruitutem redigebat, quia ardoribus libidinis æſtuaret, ſed præſeruatiuo pœnitentiæ pharmaco carnem domabat, ne aliquos concupiſcentiæ motus ſentiret: vide doctiſſimum Iuſtinianum noſtrum in Commentario epiſt, ad Romanos. At noſtræ contemplationis tenemus eximium patronum,Eccleſiæ luminare ſanctum Ambroſium, qui lib. de Ioſeph,cap.13. expendens donaria, quæ dedit Ioſeph fratri ſuo Benjamin Geneſ. cap.45. verſ, 22. *Benjamin verò dedit trecentos argenteos, cum quinque ſtolis optimis.* Et comparans cum muneribus, quæ dedit Ieſus Paulo, de quinque ſtolis ſubiungit: *Quinque autem ſtolas accepit, vel ſapientiæ multiplices diſciplinas, vel quod nullis ſenſuum corporalium captus illecebris, vbi alij periculum, ille teneret victoriam, qui omnes voluptates carnis ſingulari continentia, & virtute ſuperaret, cuius ingenium, ſtudiúmque nulla corporis hebetaret infirmitas, qui cum eſſet in corpore, corpus ſe habere neſciret.* Eximium verborum decus, Ambroſio ore prolatorum de Pauli caſtitate, illæ nempe Mediolanenſis Antiſtis ſententiæ: *Ille teneret victoriam,* &: *ſingulari continentia,* &: *cum eſſet in corpore, corpus ſe habere neſciret.* Carnis motus,& rebellionem non admittunt,ſed Angelicam puritatem inſinuant,mentis,& corporis, pudicitiæ Angelorum æmulam. Et quid mirum ſi de illibata, & virginea Dei ſapientia caſtitatem mutuaret,quæ bellum internum, & externum neſciret; Sol ille diuinus, cum in Paulum irradiauit, concupiſcentiæ caliginem diſpulit, turbulentum cogitationum, & motuum ſedatum eſt mare,factáque eſt tranquillitas magna, & caro Dei amore, & timore transfixa ſiluit. Si hoc priuilegium gratiæ ſingularis in aliis Eccleſiæ primoribus admittimus, cur Paulo denegabimus, qui Doctor gentium, & vas electionis inſtituitur, vt nomen immaculatum illibatæ ſapientiæ portet. Erat valde decorum quod nullus concupiſcentiæ tangeret, aut pulſaret inſultus vas illud ornatum omni lapide pretioſo, nulláque aura fœtidæ voluptatis afflaret.

Ex viſu virgineæ & incarnatæ Dei ſapientiæ, Angelica puritas in animum, & corpus Pauli redundauit.

Stimulus carnis in Paulo, capitis dolor extitit.

D.Hier. D.Auguſt.

D. Ambr.

Singularis Pauli caſtimonia poſt conuerſionem, omni ſenſu libidinis carens.

Discvrsvs III.

Donum clementiæ, quod peccatori impenditur, beneficium eſt participantium, quod vni confertur, omnibus donatur, cùm vniuerſos ad participationem excitat.

1\. MVNIA de Dei munificentia, & liberalitate manantia non affectant conſortij ſingularitatem, ſed communicationem omnium; cum impertitur vni beneficium,paratus eſt, & velut in procinctu,vt omnibus largiatur; admonitoria benignitas Dei eſt, animos erigit vniuerſorum, vt vberrimos tantæ largitatis fructus percipiant.

Mortis Chriſti fructus, animarum conuerſio.

Conceptus acumen apud Iſaiam inuenies, cum de Chriſto crucifixo inter latrones fatur: capite 53. verſ. 12. *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Et ante prædixerat: *Ideo diſpertiam ei plurimos.* Quia cum iniquis, & ſceleratis comparatus (inquit Pater æternus,) velut Crucis trophæa, & manubias dabo, ſceleratorum, & iniquorum conuerſionem. Euſebius Emiſſenus ingenioſè legit: *Vt redimeret iniquos, inter iniquos reputatus.* Cerne Ieſum inter vltimos vitæ halitus redemptionem improborum anhelantem, propriam honorificentiam Rex cœli in Cruce velut deſpicit, dum ſceleratorum ſaluti proſpicit. Turpiſſimorum araat, & quærit incolumitatem cum vitæ, & proprij honoris diſpendio. Animoſum reddidit Ieſum ad deuorandas contumelias, ſuſtinendos cruciatus, mortem ſubeundam ſpes certa ſalutis improborum. Vnum ſpolium in triumphali Crucis curru, latronis conuerſi accipit, & ſuſpendit; plurima diuidit in ſpe. Ne exiſtimet latro ſaluti ſuæ tantummodo de Cruce à Ieſu conſultum; in eo ſalus omnium ſceleratorum agebatur, quod vni donatur omnibus exhibetur, cum latronis peccata relaxat, ſceleratorum omnium iniquitates abſoluit. Latronem velut cœleſte illicium in patibulo Deus collocauit, vt latrones, & maleficos ineſcaret pietatis viſco, glutináque clementiæ captaret. Pulcrè, & acutè ſcribit Euſebius Emiſſenus homil. de beato latrone: *Sed ſi benè reſpicimus, non illi ſoli hoc præſtitum deprehendimus. Nā dum tam inſignem reum relaxat, dum tantò debitori fundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem: vt conſolatio, & ſpes fieret totius populi abſolutio vnius deſperati: & priuatum donum, in publicum creſceret beneficium: quare indubitanter credendum eſt, quod latroni illi ad commendationem fidei ſuæ, etiam cauſa ſpei noſtræ, & vtilitatis acceſſerit. Immenſa enim Dei noſtri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter futura præ noſcit.* Cum vnius expiatur delictum, delinquentium vniuerſitati remittitur quodcumq; piaculum, in vno latrone ſceleratis omnibus abſolutionis beneficium conferebat, cum latronis diſcindit cautionem, & tollit pœnæ reatum, omnibus ſcribit ſecuritatem veniæ. Quàm fertilis diuina clementia, quándo ferax extitit remiſſionis in latrone, ſpe abſolutionis omnium fœcundatur.

Euſeb. Emiſſ.

Latronis conuerſio omnes improbos excitat ad participandam Chriſti pietatem.

Euſeb. Emiſſ.

Abſolutio vnius deſperati ſpes extitit, & ſecuritas omniū peccatorum.

2. Hanc extitiſſe mentem, & conſilium Dei in Pauli conuerſione, ipſe explanat, 1. Timoth. cap. 1. v. 16. *Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternā.* Græcè eſt ὑποτύπωσις, *ad exprimendum exemplar.* Cum res ad viuum expreſſa oculis ſubiicitur, vt annotat Iuſtinianus exemplar patientiæ, & clementiæ diuinæ in Paulo oſtēditur, dum ſequeſtratur à ſeculo. Ideò conuertitur, *Vt nemo iam* (inquit Anſelmus in Paulū) *deſperare poſſet remitti ſibi quæcumque peccata, cùm ego tantorum ſcelerum indulgentiam accepiſſem: ſed vnuſquiſque peccator ſibi diceret: ſi Saulus ſanctus eſt, ego quare deſpero? Si à tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo? Ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò Saulus factus eſt de perſecutore Apoſtolus.* Hæc Anſelmus Sauli, & peccatoris nomine. Spes affulget certiſſima ſanitatis, cuicumque ægroto, in deſperato morbo tabeſcenti. Sed conceptum aptiſſimo illuſtrat exēplo. Subſcribit Anſelmus: *Cùm venit medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat. Et ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem, ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in Saulo, vt omnes deinceps noſſent eū ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Inſtar medici, qui ex ſanitate deſperati morbi famam ſibi, & auctoritatem conciliat, Cæleſtis medicus de cœlis ad terras adueniens omnia pharmaca ex præſcripto clementiæ depromplit in Saulo, vt ipſius ſanitas diuinæ potentiæ, & pietatis foret præconium, quæ ægrotantibus, & afflictis valetudinem promulgaret; cum enim Paulus conualeſcit de inueterato animi morbo, ſpes affulget ſalubritatis omnibus ægrotis.

In Pauli conuerſione Deus patientiam erga ſceleratos oſtendit.

Lect. Græc.

D. Anſelm.

Paulus conuerſus eſt, vt omnibus peccatoribus, ſpes affulgeret conuerſionis.

D. Anſelm.

Medicus vt famam comparet, infirmū quærit deſperatum, & ipſum ſanat.

Chriſtus medicinæ ſpiritualis potentiā oſtendit in Paulo.

3. Sauli contumaciam cum indurato cryſtallo comparauimus ſuperiori diſcurſu, idque conſpeximus liquefactum, & reſolutum in fluenta lacrymarum ad intuitum Solis Ieſu; adhuc cryſtalli fruſtum reſeruaui, in cuius ſplendido nitore velut in ſpeculo conſpecta Sauli immutatio, ferrea pectora excitaret ad æmulationem. Quare ſanctus Auguſtinus ad verba Pſalmi 147. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea,* ſubiungit: *Non deſperetur de cryſtallo, quanto minus de niue, vel de nebula. Audi vocem quandā cryſtalli: qui priùs fui blaſphemus* (1. Timot. 1.) *perſecutor, & iniurioſus. Sed quare ſoluit cryſtallum Deus? Ne de ſe nix ipſa deſperet.* Et ſtatim: *clamat ergo Deus ad gentes: ſolui cryſtallum, venite niues.* Cōuertit Deus cryſtallum, vt niues prouocaret, ſi cryſtallum tot annis induratum liqueſcit ad ictum Solis, non liqueſcent niues minus induratæ? Cum Sauli cryſtallum immutat, niues peccatorum ad ſalutem, & conuerſionem Deus vocat.

Paulus cum cryſtallo comparatur.

D. Aug.

Soluit Deus cryſtallum Pauli, ne nix peccatores deſperent.

4. Latet acumen quoddam ſingulare in verbis ſponſæ. Cant. cap. 1. verſ. 3. *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cur non dixit, trahe nos poſt te, curremus? Omnes namque indigent excitante gratiā, qui ſimul currunt, attrahuntur ſimul: ipſa ſola attrahitur, & omnes excitantur ad curſus: ſponſæ donum & eſt ſingulare, & eſt commune, dum ipſi confertur beneficium clementiæ, reliquis adoleſcentulis donatur, vt ipſius exēplo excitatæ currant ad ſponſum. Argutè ſanctus Bernard. ſerm. 21. in Cantica inquit: *Non curram ego ſola, & ſi ſolam me trahi petierim: current, & adoleſcentulæ mecum, curremus pariter, curremus ſimul, ego odore vnguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exēplo, atque hortatu: ac per hoc omnes in odore vnguentorum tuorum curremus. Habet ſponſa imitatores ſui, ſicut & ipſa eſt Chriſti, & ideò non ait ſingulariter, curram, ſed curremus.* Dum ſponſa attrahitur, alienas allicit voluntates, & ad virtutis certamen prouocat, nec ſola cupit in catadromo exercere curſum pietatis, & anhelare ad brauium, & palmam ſupernæ vocationis, ſed magno adoleſcentularum comitatu apprehendit palmam, & ſanctitatis apicem. Ipſa, vt attrahatur, exorat, virtus & conuerſio ſua incitamentum erit animarum, ad fidei curſum addet calcaria, duriora pectora attrahet ſicut magnes ferrum. Munus quod de Dei munificentia in ſponſam influit, non ipſi ſoli adſtringitur, profuſiorem continet liberalitatem, vt ad omnes redundet, poſtulat ipſa attrahi, vt promiſſio munificentiæ omnibus præparata innoteſcat; cum ipſa trahitur, omnibus vis attractiua confertur. Attrahe me, inquit, ſat eſt, vt ego attrahar, attractio mea munus commune peccatoribus eſt. Curſus meus, curriculum virtualiter claudet: *Trahe me poſt te curremus,*

Sponſa non vult ſola currere poſt Ieſum, ſed ſtipata animarum ſeruitio.

D. Bern.

Peruenit

In pœnitente ſunt dolores parturientis.

D.Auguſt.

5. Peruenit ſanctus Auguſtinus ad expoſitionem Pſalmi 47. & ſingulari acumine expendit verſ.8. *Ibi dolores, vt parturientis*, de acerbitate, & dolore pœnitentis, quando compunctus eſt, & transfixus dolore criminis, veterem hominem interficit, vt parturiat nouum, *ibi dolores vt parturientis.* Do tibi Aurelij verba: *Quid ſunt dolores vt parturientis, niſi dolores pœnitentis? Vide ipſam conceptionem doloris, & parturitionis: à timore tuo, inquit Iſaias* (cap.26.) *concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis. Sic ergo conceperunt Reges à timore Chriſti, vt parturiendo, ſalutem parerent credendo in eum, quem timuerunt. Ibi dolores ſicut parturientis. Vbi parturientem audis, fœtum expecta. Parturit vetus homo, ſed naſcitur nouus homo, ibi dolores vt parturientis*: Angitur crudeliter femina, & excruciatur acerbè, cum peruenit ad partum, vt fœtum maturum, & vitalem effundat; nec minora cruciamenta patitur pœnitens, cum animum ſeparat à carnis illecebris, & ſeculi voluptatibus, vt nouæ vitæ fructum emittat; peccatorum dolore tanquam ſtimulis pungitur, & laceratur, cum ad memoriam reuocat crimina, & offenſam majeſtatem; conficitur dolorum morſibus acerrimis. *Ibi dolores vt parturientis.* Attamen cum locum Pſalmi, & Iſaiæ nectit ſanctus Auguſtinus, conceptum exprimit: ibi dolores parturientis, hic dolores parturientium apponit. *Concepimus, & parturiuimus.* Quia cùm vnus peccator inſigniter improbus concipit, & parturiuit ſpiritum ſalutis, omnes peccatores concipiunt, & parturiunt; cum obſtetricante manu, & voce Domini de nube lucida, & cœlo clamante eductus eſt de pectore Sauli perfidiæ coluber tortuoſus, cum timoris Domini faces ad pectus admotas ſentit, & criminum ſuorum doloribus rumpitur, ſentit dolores partus, & vt parturiens ſpiritum nouum, loquitur, quis es Domine? Peccatores omnes ſpe veniæ excitatos vtero animi ſui fœcundo parturiebat, filioli: quos iterum parturio, clamitat, quia eos, quos conuerſione ſua Dominus, & Paulus fœcunditate clementiæ, & ſpei vbertate parturiebant, nunc ad nouæ vitæ perfectionem figmentum humanum ipſe reformat, & emblematibus Chriſtiani ſimulacri ornat.

Parturit vetus homo, naſcitur nouus homo.

Cum vnus peccator inſigniter improbus parturit ſalutē, omnes peccatores nouam vitā parturiunt per ſp:m.

Nauis Tharſis ſpiritu vehementi contrita Paulus eſt.

D.Auguſt.

6. Nec longè abeſt à præſenti Pſalmo Sauli conuerſio, adeſt, inquam, in ſententia, quam Regius Pſaltes ſubiungit: *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Quæ autem ſit Tharſis innoteſcit ex ſancto Auguſtino ibi: *Tharſis ciuitatem quæſierunt docti, hoc eſt, quænam ciuitas hoc nomine ſignificaretur: & aliquibus viſum eſt, Ciliciam dictam eſſe Tharſis, ex eo quod Metropolis eius Tharſus dicitur. De qua Ciuitate erat etiam Paulus Apoſtolus natus in Tharſo Ciliciæ.* Tunc contritæ ſunt naues Tharſis, ſeu Tharſi Ciliciæ, cum Saulus in terram deiectus, & proſtratus conteritur ſpiritu vehementi, ſeu violento. *Quomodo* (inquit Auguſtinus) *in ſpiritu violento? Timore fortiſſimo.* Timore Domini fortiſſimo exhorruit, cum Ieſus de cœlo clamauit, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et tremens ac ſtupens dixit, quis es Domine? Nauis Tharſi Ciliciæ Saulus contrita eſt contritione mirabili; & ex fragili naue, quæ nimbis erroris, & turbinibus ſeculi fluctuabat conuerſa eſt, & conflata in vas admirabile, opus excelſi, ornatum omni lapide pretioſo, vt nomen Ieſu, per orbem portet. Cur dixit, conteres naues Tharſis, & non nauem ſingularis numeri? Ex quo enim nauis Tharſis conteritur, omnes naues peccatorum conteruntur violento timore, & vehementi ſtupore, dum cernunt Saulum conuerſum, parturientem in dolore, nouæ vitæ formam, ipſi eodem dolore nouum hominem parturiunt. Vehemens flatus Spiritus Domini, qui vno impetu conterens nauem Sauli, omnes naues peccatorum contundit, vt poſt peccati naufragium arripiant pœnitentiæ tabulam, & appellant ad Clementiæ portum.

Spiritus violentus eſt timor fortiſſimus.

Cum nauis Pauli conteritur, omnes naues peccatorum conteruntur.

7. Sacrificij, & libamentorum, quæ offerebant filij Aaron, ritus expoſuit Leuitici liber cap. 6. erant enim ſanctum ſanctorum, & offerebantur pro delicto. Et verſ.18. dicitur: *Omnis, qui tetigerit illa, ſanctificabitur.* Quis tactus iſte tangentem emundans, ex quo ſanctitatis ſcaturigines profluunt? Radulphus Flauiacenſis lib. 4. in Leuiticum cap. 4. explanat: *Ille huius hoſtiæ carnes tangit, qui affectum ſuum pœnitentium humilitati coniungit. Quoniam quicumque eos imitatus fuerit, ipſe quoque à peccatorum ſuorum nexibus relaxatur. Vide pœnitentem ad hoſtiæ ſuæ tactum nos inuitantem, & tactu ipſo ſanctificationem nobis promittentem. Fidelis, inquit, ſermo, & omni acceptione dignus, quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*, &c. Conceptum accuratius exprimunt verba illa Radulphi. *Vide pœnitentem ad hoſtia ſuæ tactum nos inuitantem, & tactu ipſo ſanctificationem nobis promittentem.* Loquitur de Paulo, cuius conuerſio extitit peccatoribus pietatis promulgatio, & ſanctificationis promiſſio; quicumque etenim Paulum contemplatur ſe ſe in conuerſione offerentem Deo hoſtiam viuam, ad eius imitamentum ſtimulatur, velut ex tactu Pauli ſanctificatur. Deus namque in Sauli immutatione, vnum conuertit, ſed omnes tangit indulgentiæ promiſſo.

Radulph.

Carnes ſacrificij tangit peccator, & ſanctificatur, cum ex conuerſione alterius excitatur ad vitæ mutationem.

Paulus ad hoſtiæ ſuæ tactum nos inuitat, & tactu ipſo ſanctificationē promittit.

Radulph.

8. Annectit Radulphus huic inſtituto, & conceptui non minus aptè quàm pulcrè Tobiæ Hiſtoriam: *Venit in mentem* (inquit) *piſcis ille immanis, qui Tobiam pedes ſuos lauantem inuaſit, & volebat deuorare eum.* Nec adimam à lectore tam ſingularis, & ingenioſæ mentis contemplationem. Sponte currit calamus. Verba Tobiæ ſunt cap.6.verſ.2. *Et exiuit vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expaueſcens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine inuadit me, & dixit ei Angelus: apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, quod cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.*

Tobiam ſe lauantem inuadit piſcis immanis.

Radulph.

Piſcis immanis deuorare cupiens fideles Saulus eſt quē ab aquis priſtinæ conuerſationis Chriſtus extraxit.

9. Radulphi commentatio: *Piſcis iſte immanis quilibet ſæuus perſecutor intelligitur, qui Chriſti membra pedes ſuos lauantia, id eſt operum ſordes abluentia, ad prauitatis ſuæ conſortium trahere conatur. Talis erat blaſphemus ille, & perſecutor: cui de cœlo clamatum eſt: Saule Saule, quid me perſequeris? Hunc Tobias ab aquis ſuis extraxit, quia Chriſtus gratia ſua à carnali conuerſatione eum ſeparauit. Poſtquam, inquit, placuit ei, qui me ſegregauit de vtero matris meæ.*

Rad.

Palpitat piſcis cum tremens ac ſtupens Saulus dicit: Domine quid me vis facere.

10. *Extractus autem palpitare cœpit: Quoniam cæleſti illâ voce auditâ, tremens, ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere? ipſe quoque crudelitatis priſtinæ poſtea memor, cordis contriti ſacrificium Deo offerebat dicens: ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

Radul.

Bonus odor conuerſionis Pauli ad imitationem excitat peccatores.

11. *Huius cordis particulam, quiſquis à Dæmone oppreſſus ſibi aſſumpſerit, imponat illam prunis ardentibus, & peſſimum inna;arem fumo eius exturbare valebit. Si enim peccati pondere preſſus, & inimici laqueis irretitus, humilitatem huius quondam ſaui perſecutoris, & cordis contritionem, ipſe quoque ardentibus intus æſtuans cogitationibus, imitari potueris, virtutem fumi iſtius inimicus experietur: quia compunctionis tuæ mærore, & pœnitentiæ amaritudine fugabitur. Carnes igitur hoſtiæ huius ſanctæ tangentem ſanctificant, quia pœnitentium gemitus imitantem emundant.* Hæc Radulphus Benedictini Ordinis decus.

Discvrsvs IV.

Eximium decus diuini triumphi eſt, quod inſtrumento, quo ſæculum belligerabat contra Deum, Deus orbem expuguet, & hoſtem ſuis armis proſternat.

1. Raræ admodum forma victoriæ ſuis laqueis irretire hoſtem, ſuis decipulis capere, ſuóque enſe ſuum figere iugulum. Chriſti triumphum de peccato, morte, & inferorum hoſtibus Euſebius Emiſſenus miratur, & prædicat vt diuinum, quia cæleſtis Imperator non Deitate ſola, aut poteſtate aduerſarium fregit, ſed eodem armorum apparatu, quo in prælio ſuperauerat hominem, ſcilicet carne fragili, & morte, aduerſas profligauit copias. Ex homil. 6. de Paſcha verba Emiſſeni decerpo: *Per conditionem quidem mortis traditus putabatur inferno, ſed de inferis rediꝫ cum ſui triumpho, vt ſic dixerim gladio percuſſoris armatus.* Hoſtis gladius mors, morte vincebat, morte ſuperatus eſt. Et ſtatim Euſebius ſubiungit de Chriſto ad inferos deſcendente: *Ero mors tua, ô mors: ac ſic mortis iniquitas, quæ ſe tanquam hominem viciſſe gaudebat, expauit ſubitò prædam ſuam, & in ſuo regno, à ſuo vt putabat debitore conſtricta eſt: à ſuo condemnata reo: à ſuo ſubiugata eſt captiuo: ideò ſuis laqueis illigata, & irretita perditio, dum deciperet, ſupplantata eſt: dum interficeret, extincta eſt: dum deuoraret, abſumpta eſt.* Eximium decus triumphi Chriſti Ieſu, cum mortem morte ipſa ſupplantat, ſuis retibus illigat.

Gladio ſuo Diabolus à Chriſto interemptus.

Euſeb. Emiſſ.

Suis laqueis illigata mors à Chriſto.

2. Iobum ad tentationem, interitum, & ruinam Diabolus expoſtulat, & à cæleſti numine certamen extorquet. Sed pudibundus, & mærens de prælio effugit. Secundum congreſſum plenum laboribus, abundantem periculis enixè flagitat, in quo vindicem iniuriarum ſe præbeat aduerſarius. Dæmonis poſtulatio procacitatis, & petulantiæ plena eſt. Iob cap. 1. verſ. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Sed & Dominus cum hoſte condeſcendit, & in permiſſione aduerſitatis, promiſſionem fidelitatis, ſerui ſui conſtantiæ, & virtuti fidit. Tradidit amicum in manus hoſtis, & vniuerſam lædendi contulit poteſtatem, ibi verſ. 12. *Dixit ergo Dominus ad Satan: ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt.* Cur diſpoſitionem, & electionem tentamenti, & conflictus in manu hoſtis Dominus collocauit? Vt maiori gloriæ coronamento Iobum ornet, & hoſtem maiori dedecore, & pudore ſuffundat, dum armis, certamine, gladio, quem Diabolus elegit, vt ſanctum ſupplantet, ipſe Satan ſupplantatur, & vincitur. Audi Origenem libro 1. in Iob: *Sed interim quia non poteſt* (inquit Deus) *aliter tua iniquitas ſedari niſi ſic, ecce omnia, quæ habet, dedi in manum tuam. Nam ſi non dedero, diſcedens gloriaberis, & plaudes quaſi victor diſceſſeris, quaſi ego hoc certamen non conceſſerim, quaſi hoc bellum fieri non permiſerim, quaſi de Iob conſtantia non præſumpſerim, quaſi ante prælium, & congreſſionem ſuperatus fuerit.* Qualis fuerit Dei, & Iobi intentio, ſtatim ſubiungit: *Cum hoc ipſo etiam humilieris, ac refuteris, atque mendax compreberis: Iob verò exaltetur, ac beatificetur, atque victor demonſtretur.* Hucvſque Adamantius. In eo potiſſimum eminet ſtrenuitas, & conſtantia bellatoris, ſi nullum certamen recuſet, ſi nulla armorum inſtrumenta reformidet, ſed detur inimico iaculi, & teli optio, quo prouocet decertantem. Si hoſtem minas iactantem, ſecundum placitum ſibi delectis armis interimat, nonne rara eſt victoria, & nobilior triumphus? Iobum glorioſum certatorem, & triumphatorem orbi oſtentat Deus, qui Diabolum deuicit non ſolum ſuis armis, ſed certamine, & pugnâ, quam iſte elegit. Si glorioſum eſt hoſtem ſuo confodere iaculo; apex erit honoris, & gloriæ aduerſarium pugna, quam ſibi habuit deliberatam, vincere.

Diabolus ſecundum certamen poſtulat ad perdendum Iob.

Orig.

Certamen & pugnam à Dæmone electam Deus permiſit in Iob, vt iſte glorioſior appareat dum illum ſuis armis vincit.

3. Cum Dauid corpulentam Goliath molem, carneámque turrim ictu lapidis diruit, & ad terram deturbauit, & gladio Philiſtæi caput eius abſcidit; inſtrumentum nobile triumphi, gladius Goliath in tabernaculo Domini pro anathemare ſuſpenditur. Id teſtatur Sacerdos Achimelech cum Dauidi exulanti, & fugitiuo à facie Saul, gladium obtulit. 1. Reg. cap. 21. verſ. 9. *Et dixit Sacerdos: ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in Valle terebinthi eſt inuolutus pallio poſt Ephod.* Inquirit Abulenſis, cur collocata in tabernaculo, & dedicata Domino ſola Goliath machæra? Reliqua etenim inſtrumenta armorum, quibus Gigantem ſpoliauerat, diuini triumphi manubiás in tabernaculo domus ſuæ egregius paſtor conſtituit. Duplici ſolutione quæſtionem acutè diſſoluit: *Quia Dauid ſuperauerat ipſum Philiſthæum: non quidem in fortitudine virtutis ſuæ, ſed à Deo adiutus. In recognitionem ergo huius beneficij à Deo ſibi præſtiti poſuit iſtum gladium in tabernaculo.* Humillimi obſequij ergo gladium Domino dedicauit; vt ei ſoli refunderet gloriam, à quo acceperat victoriam pugnæ. Nec minus argutam Abulenſis rationem paulo ante attexit. Poſuit gladium in tabernaculo Domini: *Quia Dauid occidit eum gladio ſuo.* Quando autem quiſque hoſtem ſuo gladio perimit, & ſuis armis proſternit, nobilior eſt materia triumphi. Quia ergo Dauid non ſuo, ſed hoſtili gladio hoſtem necauit, gladius, in quo reportatus triumphus eſt, in memoriam victoriæ ſempiternam iuxta Ephod in tabernaculo reponitur.

Cur gladius Goliath p ſitus in tabernaculo.

Abul.

In memoriam beneficij Dauid pro anathemate ſuſpendit gladium in tabernaculo.

Appenditur in ſignum triũphi, quia hoſtis ſuo gladio occiſus eſt.

4. Hugo Cardinalis nouum ſplendorem adiicit, nouum leporem adiungit huius loci commentationi, cum eum ad diuiniorem contemplationem transfert. Dauid Ieſum manu fortem, & potentiam Patris exprimit, qui Goliæ gladio, Goliam myſticum trucidauit, cum expugnatores, & hoſtes diuinæ legis, fidei propugnatores conſtituit. Verba ſunt Hugonis: *Gladius vero Goliæ ſunt illi, qui populum Dei impugnant, quando Dominus tales conuertit ad ſe, & per eos ſuos defendit: tunc Dauid proprio gladio caput Goliæ amputat: vt quandò Paulus, qui Eccleſiam Dei impugnabat conuerſus eſt, & factus eſt prædicator fidei, tunc Chriſtus proprio gladio Goliæ amputauit caput Goliæ.* Hæc Hugo in lib. 1. Regum, cap. 17.

Hug. Card.

Gladius Goliæ ſunt Eccleſiæ perſecutores, poſt conuerſionem facti defenſores.

Paulus Eccleſiæ perſecutor, poſt cõuerſionem factus Fidei prædicator, gladius eſt Goliæ.

cap. 17. mille erexit Deus titulos triumphorum, cùm perſecutores immutauit in Eccleſiæ Doctores, & arma, quibus contra ſponſum, & ſponſam militabant, contra hoſtes ſuos eduxit, & diſtrinxit. Scit enim verus Dauid Ieſus ſuo ipſius gladio perimere Goliam, cum Saulum turba Satellitum ſtipatum, erecto collo contra Deum incedentem gladio verbi ſui de cœlo fulgurantis ſolo ſtrauit, cordis exultationem, animique iactantiam, æmulationem legis, ſapientiam, ingenij vbertatem, in potentiſſimam Eccleſiæ romphæam conflauit, qua hæreſis, & idololatriæ tyrannos velut Goliathos ſuperbos deiiceret, atque proſterneret.

Quid ſit aquam de gelu currere.

5. In hanc mentem conſpirauit ſanctiſſimus Iob, ex cuius ore aureum fluit eloquentiæ flumen cap. 37. verſ. 10. *Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſimæ funduntur aquæ.* Concretam gelu aquam, & in glaciales cruſtas induratam Solis calor liquat, in ſtillicidia ſoluit, quæ terram fœcundant. Hæc ſacta Iob fluenta in myſticos ſenſus diuidit, & ad animarum feracitatem deriuat ſanctus Gregorius Magnus, in iiſque introſpicit Sauli conuerſionem; Gregorianæ guttulæ mentis appetentiam reſtinguunt, eas ebibo ex lib. 37. Moral. cap. 17. *Aquæ de gelu currunt: quia plerique ex duris perſecutoribus, magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aqua ligatur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epiſtolis Damaſcum pergens, in corde fidelium quaſi in terra Dei iactata verbi ſemina, ne ad perfectionem operum ſurgerent, reſtringere quærebat? Sed gelu hoc in aquam rediit: quia quos perſequendo prius premere ſtuduit, hos poſtmodum fluentis ſanctæ exhortationis infudit, vt tanto vberior electorum meſſis exurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore perſecutoris irrigaret.* Paulini fontis ſcaturigines frigoribus æmulationis nimiæ legis antiquæ conglaciabant; aſperitate perſequendi Eccleſiam velut hyemali temperamento in gelu cogebantur; ſed aquæ iſtæ, quæ ignorantiæ vehementiori frigore conſtrictæ, & concretæ rigeſcunt, cum Solis iuſtitiæ Ieſu radiis liqueſcunt, in fluenta ſoluuntur, quæ Eccleſiarum arua irrigent, reddántque vberrima fructibus: Sauli perſequutio in diſcipulos Saluatoris conflata, velut pruina herbas, & flores Eccleſiæ teneros, non decoquere ſolum, ſed exurere parabat; ſed ex hoc gelu latiſſimas aquas fudit Deus, doctrina, & prædicationis latices ex ore perſecutoris emanantes, quibus Eccleſiarum arua pingueſcerent, fidelium floribus pulcherrimis vernantia.

D. Gre. Mag.

Plerique ex duris perſecutoribus magni prædicatores fiunt.

Paulus gelu erat, per conuerſionem in aquã rediit, & fluentis exhortationis ſanctæ Eccleſiã irrigauit.

Paulus tanquam Rhinoceros loris ligatur, aratrũ prædicationis trahit, vt inſeruiat fidelium refectioni.

6. In ſuperioribus diſcurſibus Rhinocerotis aliqua inſignia adaptauimus Paulo, ſed potiſſimum, & celebratiſſimum huic loco reſeruatum eſt. Iob cap. 39. verſ. 10. *Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te?* Et verſ. 12. *Nunquid credes illi quod ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?* In horum verborum accommodatione fulget Pauli ingenium ex ſeuero perſecutore, manu Domini immutati in eximium Eccleſiæ operarium, & agricolam, ea acutè accommodat Magnus Gregorius lib. 31. Moral. cap. 10. *Loris quoque Dei* (inquit) *non tantum à feritate reſtringitur, ſed quod magis ſit mirabile, ad arandum ligatur, vt non ſolum homines crudelitatis cornu non impetat, ſed eorum etiam refectioni ſeruiens, aratrum prædicationis trahat. Ipſe quippe de Euangelizantibus quaſi de arantibus dicit. Debet enim in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi, qui enim tormenta prius fidelibus irrogauerat, & pro fide poſtmodum flagella libenter portat, qui ſcriptis etiam epiſtolis, humilis ac deſpectus prædicat, quod dudum terribilis impugnabat, profectò bene ligatus ſub aratro deſudat ad ſegetem, qui viuebat in campo male liber à timore.* Qui fideles impetebat perſecutionis cornu, ligatus loris aratrum trahit, ad Eccleſiæ culturam, in eo Deus inſtrumenta ferocitatis immutauit in inſtrumenta agricolationis, barbaricæ gentis glebas proſcindens, verba ſeminauit vitæ, quæ ferrent fructum centeſimum, lacrymis ibat mittens ſemina, & venit cum exultatione manipulos portans. Vt cernas quàm congruenter aptentur Iſaiæ verba Saulo, qui conflauit gladium in vomerem, & lanceas ſuas in falces, quando gladium, & lanceas verborum, & eloquentiſſimæ orationis iacula conuertit in aratrum prædicationis, & in falces, quibus fructus animarum demeteret.

D. Gre. Mag.

Paulus qui tormenta prius fidelibus, erogabat pro Fid: flagella ſuſtinet.

Bene ligatus ſub aratro ſudat ad ſegetem.

7. Obiiciebant Iudæi Chriſtianis hunc Iſaiæ, locum in ſua perfidia permanentes ad probandum nondum Meſſiam adueniſſe, quia nondum arma bellica in agriculturæ inſtrumenta ſunt mutata, ipſi enim hebetes ingenio ſenſum, & ſpiritum verborum ſacræ literaturæ ignorantes, ea nimis craſſe, & materialiter vſurpant. Iudaicas ineptias grauiter, & eleganter reſpuit Galatinus lib. 5. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 6. ſcribit: *Si autem ſpiritualiter eadem verba intelligenda duxerint, quid vmquam melius, quam hoc in diebus Domini noſtri Ieſu Chriſti poteſt inueniri completum? Cum gentium ſapientes, ac Philoſophi, vt fuit Clemens ille Romanus, Dionyſius Græcus, Cyprianus, & Auguſtinus Africani, ac alij penè innumeri, linguas, verba, argumentationumque verſutias, quibus ante eorum conuerſionem diſputando contra fidem noſtram, acerrimè pugnabant; poſtmodum ad ſcelus idololatriæ penitus extirpandum, ad hominúmque vitia radicitus euellenda, & ad veri Dei cultum ampliandum, conuerterunt.* & ſubiungit: *Quemadmodum igitur lingua, & verba ſæpenumero gladius, & lanceæ, ac venabula dicuntur, maximè cum quis ipſis ad nocendum vtitur; ita quoque lingua ipſa, ac verba non abs re vomeres, ligones, ac falces vocari poſſunt, cum quis illis ad aliorum inſtructionem, atque ad Dei cultum vtitur.* Hæc ille. His tamen inſtrumentis, quibus ſeculum pugnabat contra Deum, quod Deus belligeret contra ſeculum, eximium decus diuini triumphi eſt.

Iudæi craſſe & materialiter vſurpant ſacræ Scripturæ verba.

Galat.

Gentium ſapientes ac Philoſophi, qui contra Eccl. ſiã pugnabant, pro Eccleſia, & eius Fide belligerant.

Illuſtratur Expoſitio ſecunda.

De amore inimicorum.

DIXIMVS in Commentario literæ huius verſiculi in ſecunda Commentatione, ab Iſaia amorem inimicorum eſſe vaticinatum, & iniuriarum remiſſionem, cum quis depoſita ſimultate, bona pro malis rependit; pro qua interpretatione in medium produximus auctoritatem Origenis, Tertulliani, Irenæi; nunc diſcurſibus illuſtranda eſt.

DISCVRSVS I.

Conuitiorum tela calumniarum lanceæ, maledicentiæ iacula, acerbius figunt, & pungunt Sanctorum corda, quàm cruciamenta Tyrannorum.

1. NVLLVS exiſtimet iuſtos inſenſibiles, aut ſtupidos ad opprobrium, aut verbum aſperum, erant etenim naturæ carneæ, licet virtutis adamantinæ: vrebat eorum pectora contumelia, calumniæ, & dedecoris iaculum traiiciebat intima cordis, maledici verbi ſtimulus, & morſus lacerabat, corpus animúmque cruciabat crudelius quàm vngula ferrea, ſagittæ, & gladius, id in diſcurſu oſtendam. Ieroſolymitani Principes, & primores conſilium inierunt contra Ieremiam ſanctiſſimum Vatem ſui temporis inclytum, & patriæ defenſorem: diu in iniquorum factione, & conciliabulo digladiatum eſt, quibus armis in eum irruerent ad ſatietatem iræ, & vindictæ: percutere, & vulneribus ſauciare, inhumanum viſum eſt; interimere, & de medio tollere magiſtrum virtutis, oraculum veritatis, crudeles conicere in tenebras, pedes conſtringere neruo, manus vinculis, importunum; cuſtodiam namque, & catenarum nexus pro deliciis haberet, & ornamentis. Denique magno omnium conſenſu, & conſpiratione conſtitutum eſt, vt calumniis, contumeliis, & maledictis Ieremiam impeterent, ipſúmque gladio linguæ confoderent: *Et dixerunt: venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: venite, & percutiamus eum lingua.* Ieremiæ cap. 18. verſ. 18. Non præcipiti iracundiæ furore, aut vindictæ cupidine feruntur, vt excogitatum conſilium plus noceat, & maiorem inurat labem ignominiæ. O quanta ſceleratorum concordia, vt conſpirent contra iuſtum: *Venite* (inquiunt) *cogitemus.* Timida ſemper improbitas, nec audet ſola perpetrare facinus, conſortium ſemper requirit maledicus, vt ad multitudinem contumeliarum, & calumniarum tumultum, opprimatur iuſtus, & tolerantiæ virtus moriatur. Impia facinoroſorum manus, inter omnia armorum genera, quæ ſolet miniſtrare furor, nullum inuenit nocentius telum, niſi linguam; iaculum penetrabilius omni gladio ancipiti, quo iuſtum ſauciaret. *Venite, & percutiamus eum lingua.* Percuſſuram crudelem exprimit Chaldæus: *Teſtificemur contra eum falſa teſtimonia.* Nec factio illa laſciuientium linguam ſolum exacuit, vt multa in Ieremiam falſa, atque inuidioſè ficta compararet, ſed etiam teſtes adhibuit: *Teſtificemus contra eum.* Vt ſanctiſſimum Vatem falſis inimicorum teſtimoniis obrueret; fictum enim, & teſtificatum crimen iuſti animum exacerbat. Arguté Theodoretus eo loco inquit: *Iſtud verò, percutiamus eum lingua, ponitur pro texamus in eum calumniam: hæc ſentit Propheta, ſupplicat Deo, vt velit eſſe iudex.* Quid eſt percutere lingua? niſi concinnare verba mendacij, texeréque calumnias, in textrina malitiæ. *Hoc* (inquit) *ſentit Propheta.* Hoc ſpiculum, quod traiecit iuſti præcordia, & acerbiorem excitauit animi cruciatum. Cum aſperè tractatur, cum colaphis cæditur, cum lapidibus impetitur, cum in ergaſtulo includitur, in neruo ſtringitur, cum in lacum, & in puteum demittitur, nónne ſenſit? Corporis, inquam, doloribus opprimitur; ſed maiorem per excellentiam cruciatum ſentit: *Hoc ſentit Propheta.* Cum lingua percutitur; verborum namque iacula maiori dolore dilacerant, & excruciant, quàm teli ictus, & haſtæ vulnera.

Lingua tanquã validiori & crudeliori telo percutiunt impij Iudæi Ieremiam Prophetam.

Improbitas timida eſt, malorum cõſortium, & ſuffragium requirit.

Iudæi contra Ieremiam teſtificantur falſa teſtimonia.

Chald.

Theodor.

Percutere lingua eſt texere calumniam.

Maximum dolorem ſentit Ieremias in conuitijs, & cruciamentis.

2. Inquirit Magnus Gregorius, cur in tragœdia Iob, omnibus pereuntibus, ſola femina ſuperſtes remanſit? Filij, filiæ, nepotes, omnis denique proſapia momento extinguitur: cur ſuis iam fato functis, ſola vxor ſuperuixit? quæ tabula tutelaris eripuit vxorem de communi naufragio. Etenim (inquit ſummus Antiſtes) verſutus hoſtis ad omnem malitiam, & fraudem ſe ſe verſans, accipiens facultatem communis exitij, vxorem in calamitate indemnem ſeruauit ad incrementum aduerſæ fortunæ, & exercitium tolerantiæ maius. Audi Gregorium libro 2. in Ezechielem homil. 19. *Diſponente itaque Domino, conſumpti ſunt greges, interfecti cuſtodes, euerſa domus, extincti filij, percuſſa caro a planta pedis vſque ad verticem. Remanſit vxor incolumis, quæ verborum iaculis vulnera augeret.* A communi iactura intacta vxor reſeruatur, vt lingua iuſtum percuteret, opprobriis, & blaſphemiis impelleret, ad ruinam: *Quæ verborum iaculis vulnera augeret.* Sagittauerat Deus Iob ſagittis dolorum, percuſſerat plagis, vlcere peſſimo ſauciauerat, ſed cruciatus augmentum, dolorum complementum, verborum, & maledicentiæ iacula in femina reſeruauit. Auſcultare liceat verba blaſphemiæ impudenti ore inſipientis feminæ prolata. Iob cap. 2. verſ. 9. *Dixit autem illi vxor ſua, adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quibus verbis ad impatientiam, ad deſperationem, ad blaſphemiam prouocabat, ex ſancti Thomæ ſententia. Hoc telo grauiter perculſus animus iuſti, cernénſque ſocium ad pœnarum alleuationem, dolorum dulce lenimentum à natura datam, hoſtile odium, & crudelitatem ſpirare, indoluit, ingemuit. Hæc ſunt (inquit) emollientia ad vulnerum medelam? Hæc linteamina ad abſtergendam ſaniem? Non incendium, interitus filiorum, bonorum rapina, ſanie, & tabo fluentia vulnera, vermium morſus, non adeo me exaſperant, ſicut tua conuitia: *Remanſit vxor incolumis, quæ verborum iaculis vulnera augeret.* Omni telo, & ſpiculo acerbius, & nocentius opprobrium, maledictum.

Cur in rerũ familiarium Iob ruina, vxor ſuperſtes remãſit.

D. Gre. Mag.

Vt ſancti Iob vulnera, verborum iaculis augeret.

Iobum vxor ſua prouocabat ad blaſphemiam, & deſperationẽ.

3. Nunc locum aptiſſimum inueniet Origenis Adamantij acumen, agentis de celeberrimo Pauli duello, quo omnia aduerſa prouocat ad certamen. Ad Romanos cap. 8. verſ. 35. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti, tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Princeps Eccleſiæ Paulus certamen indicit Principi tenebrarum, vt omni exercitu, & armorum inſtrumento, quo ſolet hoſtis humani generis debellare mortales, munitus, & inſtructus deſcendat in arenam. Optat Paulus conſerere pugnam cum tota aduerſitatum cohorte, eámque verbis laceſſit, & irritat; deſcendat mecum ad ſingulare certamen anguſtia, fames, nuditas, rota, buſtum, gladius, Crux: omnibus, Deo adiutore, euadam ſuperior: nullus hoſtis Tartari ſatellitibus armatus vincula diſrumpet, quibus illigatus ſum Chriſto: ſed perpende quod inter hoſtes laceſſitos vnum non prouocatum ſilentio prætermiſit; ſcilicet maledictum, opprobrium, conuitium. Acuta hæc contemplatio Origenis lib. 1. contra Celſum. ibi inquit: *Certè Paulus innumera percenſens, quæ à dilectione*

Pauli duellũ, quo omnes res aduerſas prouocat ad certamen.

Paulus verba opprobrij non poſuit in numero hoſtium quos laceſſit.

Orig.

dilectione Chriſti, & ab ea, qua in Chriſto eſt, Dei charitate, ſeparare alios ſoleant, quibus omnibus ſuperior ſit ipſius charitas; verba non ponit in hoc numero. Ad gladios, cruces, corporis dilacerationes animoſus Paulus extitit, ad opprobria, & maledicta exhorruit. Numquid Paulus non vinceret verbum aſperum, & ignominioſum? Erat enim ſuperior virtus Pauli maledictis, & contumeliis; ſed quia in hac epiſtola alumnos ſuos imbuit Euangelicâ diſciplinâ ad tolerantiam ſuppliciorum, cùm laceſſit omnes res aduerſas, non eſt auſus catalogo hoſtium prouocatorum adſcribere opprobrij verba, ne fortes, inquit, qui non expaueſcunt ad vngues ferreos, crepitantes flammas, dilaniationem beſtiarum, patibuli cruciatum, ignominiæ, & maledicentiæ verbis opprimantur, ad hæc enim ſuſtinenda maior virtus, ſuperior tolerantia exigitur. Duellum ergo, & certamen aduerſus hoſtes ſolemni inſcriptione promulgans: *Verba non ponit in hoc numero.* Fame, ſiti, nuditate, Cruce acerbior percuſſura linguæ, & maledicentiæ.

Ad ſufferēda opprobria virtus magna exigitur.

Cur varient Euangeliſtæ in aſſignanda hora mortis Chriſti.

4. Difficilem valde quæſtionis nodum apud ſacros Euangeliſtas inuenio circa horam obitus Ieſu; nam Matthæus, & Lucas hora ſexta annotant crucifixum, Lucæ cap. 23. verſ. 44. *Erat autem ferè hora ſexta.* Et Matthæus cap. 27. Crucifixo Domino, inquit, verſ. 45. *A ſexta autem hora.* At Euangeliſta Marcus cap. 15. verſ. 25. apertè ſcribit in patibulo ſuſpenſum hora tertia: *Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum.* Quæ autem diſcriminis eſt ratio in aſſignanda temporis circumſtantia, qua Cruci ſuffixus eſt Dominus? Numquid memoria excidit Marco tempus crucifixionis cum horam tertiam notat, aliis deſignantibus ſextam? Nodum ſoluit feliciter, acuminum, & ingeniorum phœnix Auguſtinus, cum inquit: Ieſum crucifixum à Iudæis, linguis; à militibus, clauis; & ſic temporis, & horæ circumſtantias in Euangeliſtis conciliat: ſcribo illius verba ex illa ſententia Pſalmi 63. *Exacuerunt tanquam gladium linguas ſuas. Cum apud Pilatum* (inquit Auguſtinus) *Dominus accuſaretur, vt crucifigeretur: inuenimus horam tertiam eſſe potuiſſe, quando illi clamauerunt, crucifige, crucifige. Ergo verius illi tunc occiderunt, quando clamauerunt. Apparitores poteſtatis, hora ſexta crucifixerunt; præuaricatores legis, hora tertia clamauerunt: quod illi manibus hora ſexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis iſti, qui clamando ſæuiebant, quàm illi, qui obtemperando adminiſtrabant.* Horâ tertiâ Ieſum crucifixit Iudæus, eúmque gladio linguæ occidit; hora ſexta in Crucem egit gentilis, mortémque clauis intulit. Sed mors, quam à Iudæo patitur, acerbior; quia in ea inferenda Iudæus immanior: perpende duplicem Auguſtini ſententiam: *Ergo verius illi tunc occiderunt;* & : *Rei magis iſti, qui clamando ſæuiebant.* Apparitores cum obſecundant iuſſioni præſidis, & Iudæorum voluntati, in Cruce ſuſpendunt Ieſum; at Iudæi barbara immanitate, & implacabili odio inſectabantur ad mortem; mors, quæ non ex neceſſitate famulitij, aut exercendo munere carnificis conflatur, ſed ex nequitia flagitioſa, & noxia voluntate, inuidia, & inexplebili ſanguinis ſiti, acerbior, & immanior eſt. Verius Iudæi occiderunt linguis, quàm milites clauis. Terebrarunt ferreæ cuſpides corpus, ſed impudentis, & maledicæ linguæ iacula, crudeliori vulnere animum pungunt, crudelius exacerbant, vtpote illita veneno liuoris, & maleuolentiæ. Itaque hora tertia Iudæi Saluatorem ad necem expoſtulant, crudeliori

D. Auguſt.

Iudæi occiderunt Chriſtum lingua hora tertia, apparitores poteſtatis crucifixerunt hora ſexta.

morte mulctant, & piaculum maius admittunt, quàm gentiles, qui non verſutia, & calliditate, ſed præſtantes obſequium conſilio iniquitatis hora ſexta in Cruce ſuſpendunt. Itaque Ieſus cum audit linguas blaſphemantium, & conuitiatorum, occiditur hora tertia, aut crucifigitur, admittens morte ipſa crudelius contumeliæ iaculum.

5. Egreſſus Dauid de ſpelunca, in qua fugiens à conſpectu Saül delituerat, animaduertens defeciſſe militibus ſuis annonam, famulos delegauit ad Nabal Carmelum, qui victum, & commeatum ab eo officioſis verbis expoſcerent. Ipſi verò ſuſcepti ſunt à Nabal inurbanè, & ruſticè, ipſúmque Dauid opprobriis onerauit, lib. 1. Regum cap. 25. verſ. 10. *Reſpondens Nabal pueris Dauid ait: Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt Dominos ſuos.* Humilem paſtorem nuncupat, ex ignobili progenie, & deſpecta villula exortum, famulúmque exulantem, & extorrem à conſpectu Domini. Famuli pudore, & dedecore ſuffuſi ad Dauidem redeunt, rem totam, ſeriémque verborum Nabal fideliter referunt, imprudentis, & inſani diuitis inurbanitatem, in Dauidem iactata maledicta, & contumelias. Tunc Dauid ſentiens grauioribus verbis ſuum honorem violatum, inflammatus iracundia, minas iactat, & vindictæ ſpirat ardores: *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, & accincti ſunt ſinguli gladijs ſuis, accinctúſque eſt Dauid enſe ſuo.* Eodem Regum capite. Accincti ſunt, & inflammati ad vindictam, vt notat Abulenſis ibi quæſt. 4. dicens: *Videns quod Nabal intulerat opprobria magna voluit vindictam expetere, & iuſſit armari viros ſuos.* Ad hoc facinus quis non ſtupeat cernens Dauidis pectus plenum manſuetudine, & iniuriarum remiſſione, nunc ad vindictam accingi. Dauid, vbi tolerantia? Vbi animoſitas, & magnanimitas in dimittendis iniuriis, & ſepelienda contumeliarum memoria animus verè Regius, ac penè diuinus? Nunc iniuria laceſſitus, & correptus zelo puniendi, iras euomis in Nabal, & ad profuſionem ſanguinis, & vitæ, excitas commilitones? quid monſtri eſt hoc? Adhuc hoc peregrinum Dauid opus nouam excitat admirationem; egreſſus fuerat Dauid ex ſpelunca, in qua tradidit in manus ſuas Deus hoſtem ſuum Saül, cui donauit remiſſionem offenſæ, & impunitum abire permiſit: quæ iſta conſiliorum Dauidis diſcrepantia? Ibi integumentis armorum inſtruitur, vt hoſtem protegat; hîc accingitur gladio, vt inimicum perimat. Ibi militum exultationem irruentium in vindictam, reprimit; hîc milites ad vltionem inflammat. Deſine admirari lector: ibi inimicus cernitur, ſed opprobrium non auditur; hîc hoſtis non videtur, & dedecus auſcultatur: plus commouet bilem, & iracundiam ſtimulat relatio conuitij, quàm conſpectus aduerſarij. Nec omittendum documentum Abulenſis quæſt. 3. aientis: *Incepit Nabal a conuitijs, & iniurijs dicens: quis eſt filius Iſai? In opprobrium Dauid ad imminuendum honorem ſuum.* Intende: ter Dauid à Saül impetitur lancea, vt traiiceret pectus, & parieti configeret. Semel à Nabal afficitur opprobriis; acerbiorem dolorem excitarunt in Dauidico animo, conuitiorum iacula, quàm Saül vibrata, & iaculata tela. Hoc quoque prædictis annecte: inſipientis verba reddentis mala pro bonis, pro verbis officioſis, & vrbanis perſoluentis maledicta, omnem tolerantiam ſuperant. Acceſſerant pueri Dauid ſupplices ad Nabal, ſubmiſſionis affectu, verbis vrbanis pacem petentes, amicitiam pronuntiantes. Nabal plumbeus,

Nabal Carmeli ſtultitia, & inurbanitas.

Abul.

Dauid ad vindictam expetendam accingitur.

Abul.

Dauidem plus torquēt Nabalis conuitia, quam Saulis perſecutio.

plumbeus, & tardus ingenio inſipienter alloquitur, humanitatem, & vrbanitatem opprobriis, & conuitiis remunerat; quid mirum quod etiam Dauidis patientia deficiat? ad ſufferendum inſipientem pene Dauidica patientia maior exigitur.

6. Inter probra, quæ paſſus eſt Ieſus, non eſt inferius lateris apertura lanceæ cuſpide. Ioannis cap. 19. verſ. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Vt euomeret omne indignationis virus Iudæi, exacuerunt iram in lancea, excitantes milites, vt pro omnis ignominiæ, & dedecoris complemento, traiicerent pectus, corque percuterent ferro. Hoc factum ad Ieſu contumeliam, fatetur ſanctus

D.Theoph. *Iudæi in corpus Christi exanime cõtumelias inferunt.*

Theophilus Patriarcha Antiochenus in Catena ſancti Thomæ: *Vt Iudæis* (inquit) *complaceant, lanceant Chriſtum circa corpus exanime contumelias inferentes.* Sed nunquid Ieſus hoc dedecus, lanceatus admiſit vt animaduertas probrum, conuitium, maledictum, eſſe ſpiculum, & lanceam, quæ pectus percutit, & cor traiicit?

DISCVRSVS II.

Inimicum conuitij telo maledicentiæ iaculo armatum facilè vinces patientiâ, & ſilentio.

1. HOSTIVM facilè retundes ictus, & omnem apparatum conuitiorum, & iniuriarum, quibus tanquam aculeatis telis, diſtrictis enſibus te laceſſunt, ſilentij clypeo, tolerantiæ tegmine. Sapienter admonet ſanctus Diadochus lib.

D.Diadoch. *Cum iraſceris ſilendum eſt.*

de perfectione cap. 10. *Quando ea pars animæ, qua iraſcitur, aduerſus paſſiones mouetur, ſcire oportet, tempus eſſe ſilentij; eſt enim tempus luctæ.* Tempus luctæ, tempus eſt ſtrepitus, & tumultus, cum reſonat lituorum ſonitus, clangórque tubarum, datóque ſigno, milites clamantes cum hoſte conſerunt manus. Sed in ſpiritali prælio, cum inimicus percitus ira, plenas conuitijs, & maledictis vociferationes profundit, *Tempus eſt ſilentij*, eo retundes verborum iacula, ſilendo vinces. Pulcrè Tertullia-

Tertull. *Iniuria cum in patientiā offendit, infringitur.*

nus lib. de patientia cap. 8. ſcribit: *Nam omnis iniuria, ſeu lingua, ſeu manu incuſſa, cum patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſima duritie libratum, & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera, & infructuoſa, & nonnunquam repercuſſum in eum, qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet.* Cum contorquentur tela, & ſagittæ in lapidem duriſſimum, nihil lædunt lapidem, potius reſiliunt in iaculantem; ſi omnia improbitatis, & ſubſannationis inſtrumenta, iaculáque cõuitiorum offendant velut in duriſſimam petram in patientiam tuam, nil accipies detrimenti, victor euades indemnis, & illæſus; ille ſolum læditur, & iniuriam accipit, qui æmulationis, & dedecoris iacula intorquet; etenim patientia virtute ſua tuetur, & offendentem repercutit. Sicut qui lapidem acuminatum pugno ferit, non offendit lapidem, ſed ſeipſum diſcerpit, & cruentat.

Tertull. *Inimici vires infringũtur, & conatus fruſtrantur, cum impatienter non doles.*

2. Addit nouum leporem conceptui Tertullianus: *Nempè ideirco quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui: tunc tu non modo illæſus abibis, quod etiam ſolum tibi ſufficit, ſed inſuper aduerſarij tui, & fruſtratione oblectatus, & dolore defenſus.* Cum probra patienter ſuſtines, fruſtrata manet intentio, & cupiditas conuitiantis. Ideò te maledictis laceſſit, vt lædat linguæ ſpiculo, Ieſus doleas, excandeſcens, & iracundia percitus dolorem demonſtres. Cerne illuſtrem triumphum à te reportatum ſine ſanguine, ſine dolore, hoſtémque armis ſuis deiectum, & proſtratum; cum læditur patiens, & non dolet, non ſolum læditur iniuriam inferens ictu patientiæ repercuſſus, ſed dolore tabeſcit propter indolentiam tuam. Examina poſtrema verba: *Et dolore defenſus.* Qui iniuriarum eſt patiens, duplici tegmine armorum protegitur, geminato clypeo circumdatur, & patientiæ, & doloris alieni. Sed hæret quaſi in ſalebra mens in verbis Africani Florentij; *Aduerſary tui dolore defenſus* Nam perſcrutaberis, quo modo ego iniuria laceſſitus, eamque patienter ſuſtinens, dolore inimici conuitiantis ſum defenſus? profundiſſimum eſt Tertulliani acumen: illius ſententiæ enodatio hæc occurrit: cum in inimici pugna conuitij iaculo impetitus illæſus ab eo, & ſine dolore, hoſtis meus læditur, & dolet meam tolerantiam, & indolentiam, ergo dolor aduerſarij manifeſtat meam patientiam, eámque dolore ſuo defendit; nulla demonſtratio maior meæ innocentiæ, & æquanimitatis, nulla laudatio iucundior meæ tolerantiæ, quam dolor inimici; ſi dolor demonſtrat, & laudat meam ſuſtinentiam; dolor aduerſarij defenſor, patronus, propugnator eſt patientiæ meæ. Optimè ergo Florens Africanus inquit; *Aduerſarij tui dolore defenſus.* Itaque dolor iniuriæ me non offendit, ſed defendit. At inimicum non defendit, ſed læſit, violauit; meæ patientiæ defenſor eſt, intolerantiæ inimici accuſator, & vituperator.

Qua ratione iniuriatus, aduerſarij ſui dolore defenditur.

3. Mirabile exemplar patientiæ Dominus Ieſus, de quo Apoſtolus Petrus epiſt. 1. cap. 2. verſ. 23. inquit: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, & cum pateretur non comminabatur.* Aut iuxta verſionem, quæ in Canone Apoſtolico legitur: *Cum perſequeretur, non reperutiebat, cum malediceretur, non remaledicebat.* Hominis, cuius honor læditur, naturalis propenſio eſt vim vi repellere, & conuitiorum iacula in vituperantem retorquere; at Ieſus ad ſubſannationes, & irriſiones omnes cõticuit, ab omni ſpecie iracundiæ, & vindictæ alienus. Pulcrè Origenes lib. 1. contra Celſum inquit: *Ieſus igitur ſemper falſis teſtimonys prem tur, numquam non malè apud homines audiens, ſilet, nunc quidem nec reſpondet voce.* Sæpiſſimè audiit probra, & verba blaſphemantium, irriſus, & ludificatus à Iudæis obmutuit; præbens ſubmiſſione vultus, modeſtia oculorum, & tota corporis ſpecie patientiæ diuinum ſimulacrum, pulcrius, & perfectius quàm illud, quod Tertullianus calamo delineauit lib. de patientia cap. 15. his verbis: *Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore ſignatum.* Cum calumniis, & fictis criminibus impetitur Ieſus pulcherrimam patientiæ præ ſe ferebat effigiem, in qua tanquam in exemplari magiſterio oſtenderet, contra conuitia, & dehoneſtamenta eſſe fortiſſimum armorum tegmen patientiam, & taciturnitatem.

Domini Ieſu patientia, & ſilentium in conuitijs ſuſtinendis.

Orig.

Tertull. *Vultus patientiæ à Tertulliano deſcribitur.*

Os habet ſilentio ornatum.

4. Hic aptiſſimum locum inueniet ſancti Auguſtini acumen expendentis Pſalmi ſeptimi inſcriptionem: *Pſalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.* Hiſtoria, quam reſpicit Regius Vates ex lib. 2. Regum cap. 16. conſtat, nam Chuſi Dauidis familiaris, & intimus, ad exercitus

Titulus Pſal. ſeptimi expenditur.

Abſalom

Abſalom transfugit, vt exploraret Achitofelis arcana conſilia, quibus Abſalom aduerſus patrem ſuum inflammabatur, eáque renuntiaret Dauidi fidus explorator. Hanc hiſtoriæ narrationem, vmbrámque Euangelicæ veritatis, & profundioris conſilij præludium, illuſtrat luminare Eccleſiæ
D.Aug. magnum, & ad diuiniorem conceptum extollit mentem ſuam: interpretationis nominum Chuſi, & Achitophel rimatur arcana: *Chuſi interpretatur ſilentium; Achitophel fratris ruina.* Fratris ruinam eſſe exiſtimat Iudam proditorem, diſciplinæ Chriſti deſertorem, qui infami transfugio ad Iudæorum vexillum conuolauit. *Diſcipuli eius ruina, qui eum tradidit rectè intelligitur fratris ruina*, inquit
D.Aug. Auguſtinus. Cum perditorum Iudæorum grege, & Phariſæorum caterua iniit amicitiam, & conſortium, admiſſus in eorum contubernium, ibi aduerſùs Magiſtrum calumnias concinnauit, noua confingens crimina, eos ad captionem Ieſu inflammans, offerens nullius eſſe operæ proditionem; amicitiæ ſimulatione factus eſt inſidioſus latro, vt opportunè caperet prædam. Hæc omnia manſuetiſſimus præceptor agnouit, in ſuo ſodalitio commorari, qui leuabat contra ſe calcaneum, qui per malitioſam, & mendacem vitæ, & doctrinæ infamationem detrahebat Ieſu. Hic vires oſtentauit patientia Domini, cum hæc omnia diſſimulat, & occultat ſilentio. Hoc reticentiæ profundiſſimæ
D. Aug. arcanum demonſtrari cenſet Eccleſiæ Sol Auguſtinus in illo nomine Chuſi, quod interpretatur *ſilentium*: accipe illius verba: *Chuſi autem, quod interpretatur ſilentium, rectè accipitur, aduerſus illos dolos Dominum noſtrum ſilentio dimicaſſe.* Hoſtile odium Iudæ, impoſtutas, & fraudes ſuſtinuit, ad delationes; & confićta crimina innocentiſſimus ſiluit, oſtendens in ſeipſo ad hæc omnia compendioſum remedium eſſe ſilentium; & patientiæ taciturnitatiſque armaturâ de infenſo hoſte retuliſſe victoriæ palmam.

Chuſi interpretatur ſilentium. Achitophel, fratris ruina.

Aduerſus dolos Iudæ traditoris, Ieſus ſilentio dimicauit.

5. Excidium Ieroſolymæ, & vaſtitatem à Chaldæis illatam Ieremias illacrymans, gentis ſuæ fortunam miſerabilem, & profundam animi demiſſionem, quando opprobriis, & conuitiis ab hoſtibus cumulatur, ante oculos conſtituit cap 3. Threnorum verſ. 29. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes, dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.* Celebris locus, & ad noſtrum inſtitutum idoneus. Verba hæc ſigna ſunt notiſſima animi ſe ſe humiliter demittentis ad pedes inimicorum, ad omnes ſubſannationes, & irriſiones ſuſtinendas paratiſſimi, nec enim Ieroſolyma in hac conuitiorum pugna abiecit patientiæ munimen, & æquanimitatis gladium, ſed cæleſti animoſitate protecta faciem ſuam oppoſuit opprobriis, maxillas dedit alacer, vt cæderentur colaphis: ſed inſolita ſigna oſtentat æquanimitatis, cum vultum declinat ad terram, & ore puluerem tangit: quis patientiæ inuſitatus cultus, & humilitatis iſte eſt ritus? Acutè vim verborum exprimit Theodoretus,
Theodor. & reſpondet: *Hæc eſt lex Euangelica. Dominus enim præcepit, percutienti dexteram maxillam, vertere & aliam. Hoc autem dabit ἐν χώματι, id eſt, in puluere os ſuum. Syrus dixit ἐν γῇ, hoc eſt in terra. Tacebit ſcilicet, & animo generoſo feret conuitia, & probra, perinde ac ſi habeat os plenum terra.* Profundum taciturnitatis documentum exhibuit Ieroſolyma conuitiorum aggere circumdata. Cum illuditur, & deridetur ab hoſtibus, os ſuum ſepiuit, conſtipauit puluere, ne aduerſarium repercutiat, os terra obſtruxit, ne aliquam vocem iracundiæ, aut maledicentiæ emittat. Adhuc maius acumen in verſione Ambroſiana. Sic legit ſanctus Ambroſius in
D. Ambr. Pſalmum 118. Octonar. 10. in litera Iod: *Dabit in ſepulturam os ſuum.* Non quocunque puluere patiens oppilabit os ſuum, ſed terra ſepulcri, ſe exiſtimans mundo mortuum, & tumulatum, cum audit conuitia, ſi in mortuum maledicta congeſſeris, nec irritatur, nec mutit: ſic patiens velut corpus emortuum, & conditum tumulo conticeſcit. Niſi velis, quod humilitatis affectu, quando maledictis figitur, genua flectit, & exoſculatur terram. Sed quia ad tumulum, & putrida cadauera mortuorum properauit, vt ex putrido puluere os ſuum oppilaret, ex putri, & fœtido puluere, taciturnitatis accepit, & patientiæ documentum, cum inter probra, & maledicta conſiderat fœtidum horrorem ſepulcri, & corporis ſui (poſt interitum) putredinem, fœtorem, ſaniem, vermes. Si ignominia affectus, & contumeliis oneratus dederis in ſepulturam os tuum, obmuteſces animóque agitabis: maiori dedecore, & opprobrio corpus lacerat mors, & tumulus, & maiori infamia hominis dignitatem violat, quam ſuis conuitiis inimicus; ſi hoc dedecus in congerie mortuorum per tot ſecula ſuſtines, opprobrium aduerſarij ad breue tempus tolera.

Ieroſolyma ſilens ſuſtinuit hoſtium conuitia.

Quid ſit dare in puluerem os ſuum.

Silere expedit, & animo generoſo ferre conuitia.

Mortis & pulueris meditatio validiſſimũ medium ad ferenda patienter opprobria.

6. Doctrinam nouã promulgans Ieſus dilectionis inimicorum, ſuperabundantem amorem docuit, cum percuſſa vna maxilla, alteram offerendam cenſet. Matthæi cap. 5. verſ. 39. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Non ſat eſt dextram genam percuſſam, & rubentem oſtentari manus ictu, & digitorum veſtigiis? Cur neceſſe eſt ad complementum patientiæ, & magnanimitatis offerre alteram genam grauiſſimæ iniuriæ, quæ apud ſeculi æſtimatores nec morte compenſatur? An altera maxilla inuidet purpureo decori, & honori patiendi propter Ieſum? Cenſeo exigere ab alumno ſuo cæleſtem præceptorem patientiæ exuberantiam, quæ magnitudine ſua obruat hoſtilem furorem, & ad ſatiandam conuitiatoris cupiditatem plus æquanimitatis, & patientiæ offerat, quàm velit. Pulcrè
D. Chryſoſt. os aureum tom. 5. homilia de nequitia depulſa, hunc Matthæi locum expendens inquit: *Neque fore ſolum pro inſidiantis arbitrio ſuſtinendos inſultus, quin etiam vincendum eſſe inſultantis furorem noſtra tolerantiæ magnitudine. Non enim dixit: ſi quis te in dextram maxillam percuſſerit, feres animo æquiori, & obticebis; verùm & alteram fore percuſſori porrigendam addidit. Sic enim perſpicua paratur victoria, ſi plus illi quàm velis conceſſeris, ſuaque mala cupiditatis metas, tua magnanimitatis granditate ſuperaueris.* Hæc eadem verba ſanctus Iſidorus Peluſiota ex Chryſoſtomo præceptore ſuo mutuauit, & lib. 2. epiſt. 6. tranſcripſit. Cupiunt Chryſoſtomus, & Peluſiota, quod patientia vincat iniuriam, & maledicam linguam quadam humilitatis exuberantia, cum homo læſus, & offenſus in vno vultus latere, alterum liberaliter exponat offenſæ; ſic enim ſatiabitur exprobrantis, & conuitiantis inſania, & crudelitas, quinimo pudore correptus ad ſanitatem mentis redibit, cernens inſolitum tolerantiæ triũphum: Nam contumeliis affectus, & conuitiis inſectatus non tantum ſiluit, ſed abundantiorem, & copioſiorem patientiam ſupra furoris vires demonſtrauit. Vicit inimicum, cum alapam in dextra maxilla ſuſtinet, ſuperuicit hoſtem, cum alteram maxillam porrigit.

Quid ſit percuſſa vna maxilla præbere alterã.

Patientia magnitudine, & exuberantia ſuperandus aduerſarij furor.

DISCVRSVS

DISCVRSVS III.

Qui ex corde inimicum diligit, & facilè condonat iniuriam; triumphalia diademata, victrices palmas, Angelorum plauſus, martyriſque aureolam promeretur.

1. NON tantum in vomeres & falces, ſed in coronas & lauros conflant iuſti, lanceas, & gladios cum hoſtem diligunt: ſed tam arduum opus inimici dilectio, quam Deo gratū, ideò numen diuinū repentes excitat animos granditate præmiorū, laureis, corollis, & triūphalibus palmæ ornamētis. Latitabat Dauid in Engaddi antro nobili ſtipatus ſatellitio, vigilique excubia militum, cum Saul infenſiſſimus hoſtis, neceſſitate cōpulſus naturæ, quærit ſpeluncæ latebras, traditúrque in poteſtate Dauid, ſicut fera irretita decipulis manu venatoris capienda, & dilaceranda. In quo euentu Deus Dauidi fidem ſoluit: promiſerat enim lib. 1. Regum cap. 24. *Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis.* Sed quanta affectuum temperantia, & animi clementia in Dauide enituit, qui datâ à Deo copia ſe vindicandi, non eſt vſus facultate ad offenſionem Saulis, ſed ad defenſionem; & qui vel leuiſſimo ictu valeret corpus Regium traiicere telo, aut pugione transfodere, tutamen factus eſt Regis, cum ſatellitum, & excubantium manum furore vindictæ percitam, ad arma conuolantem, in Regem irruentem, compeſcuit eloquio, & gladio; & hoſtem impunitum abire permiſit. *Propitius ſit mihi Dominus*, (inquit ibidem ſacer textus) *ne faciam hanc rem Domino meo vt mittam manum meam in eum.* Intuitus eſt animi perſpicacia hoc egregium Dauid facinus D. Chryſoſtomus, funditque ex ore aureo flumina margaritis plena; tomo 1, homil. *Quod mag. iſicentius trophæum*, &c. *Egreſſus eſt igitur Dauid dextram illam totius orbis pretio parem ſimul cum capite coronatam geſtans.* Egreſſus eſt ex ſpæleo tanquam ex adytis duplici diademate cinctus, non tantum verticem corona circumdat, ſed manum ſingulare condecorat coronamen, manum, inquam, vindictæ neſciam, quæ furorem percuſſuræ, & necis cohibuit. Subiungit Conſtantinopolitanus Patriarcha: *Quemadmodum enim ſæpènumero fit, vt imperatores eorum, qui egregiè ſe ſe in pugilum certamine geſſerunt, ante caput coronent dextram: ita & Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuerit educere, enſémque Deo, nullò ſanguine contaminatum oſtendere.* In lucta, vel ludo gladiatorio incedebant victores laureati Imperatoris manu, cum hoſtem in luctamine deieciſſent, vel cæſim, punctim gladio irruentes in hoſtem, fugam illum capeſſere coëgiſſent; oſtentabant itaque cinctâ non tantum tempora lauro, aut myrto, aut glorioſo coronamine, ſed ornatam dextram diademate, quæ fuerat inſtrumentum victoriæ; ſic Dauid egreſſus ex ſpecu velut ex amphitheatro honoris geſtans manum corona ornatam, quæ gladium tenuit in vagina reconditum, limatum, ſplendentem oſtendere potuit, nullo aduerſarij cruore infectum. *Deus manum illam coronauit.* Dextra à cæde abſtinens, quæ non ſe præbuit vltricem hoſtis, iuſtè ornatur coronâ.

Triumphalis corona.

D. Chryſ.

Dauidica manus expers vindictæ, coronatur.

D. Chryſ.

2. Obſeruatione digniſſimum cenſui eiuſdem capitis 24. verſiculum vigeſimum primum, in quo poſtquam Dauid ex ſpelunca erumpens poſt veſtigia Regis, oſtentauit Sauli laciniam veſtimenti, leuans victoriæ ſuæ vexillum, & erga hoſtes clementiæ triumphum, ad officioſa Dauidis verba, & humillimum obſequium, quod in alloquio ſuo demonſtrauit: reſponſum hoc dedit Saul: *Et nunc quia ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* O miram reſponſionem plenam ſapientia, omni ſuſpicione alienam, quæ ex inimici ore reſultat, inclytum Dauidis regnum, cui dedit hoſtis ſuffragium. Cur modo exploratum eſt Sauli Dauidis regnum? Iam enim ex tempore, quo de Goliath reportauit triumphum, Saulis animus præſagiuit Dauidis regnum; cùm puellæ agitantes choreas facinus celebrarunt, feliciſſima dederunt omina Regiæ dignitatis; ex eóque tempore omnes Dauidi regnum deferendum decreuerunt. Innotuerat quoque Sauli à Nathan Propheta Dauidem vnctum in Regem; cur modo habuiſſe dicitur pro comperto, & indubitato Dauidem regnaturum in Iſraël? Optimo iudicio Regem decreuit. Hæc eius mens: homo qui remittit offenſam, & hoſtem in manu ſua traditum inultum abire permittit, dignus eſt imperio. Manus, quæ ad conſpectum inimici gladium non diſtrinxit, nec experta eſt munus vltionis, digna prorſus, quæ teneat regni clauum; *Et nunc quia ſcio quod certiſſimè regnaturus es, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.*

David regnaturus annuntiatur, eò Saulis offenſam dimiſit.

3. Satisfacere cupiens Iob inſimulantibus aduerſariis, omni piaculo & offenſa in hoſtes commiſſa ſe purgat, bene geſta in ſtatu felicitatis ſuæ recenſet cap. 31. verſ. 29. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inueniſſet eum malum* Vir iuſtus Iob, qui conſcientia ſuſtentatur præclara: cuius amor erga hoſtes eximius, nec eorum exultabat ruina, nec lætabatur aduerſa fortuna, hoc indicium charitatis magnæ: cum calamitas in aduerſarium ingruit, non geſtire gaudio, nec complacentiæ voluptate perfundi, hoc decus, hoc ornamentum dilectionis inimici. Poſtea patientiæ prodigium, in teneriſſimum prorumpit affectum, & creaturas omnes ad concionem vocat, & Deum ipſum teſtem aduocat, vt innocentiam cordis ſui iudicet, animique candorem cernat. Huius Eccleſiaſtæ cæleſtis particulam concionis adſcribo: *Librum ſcribat ipſe, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi.* Sed quis liber iſte, in quo Deus, & iudex apices exaret? quem librum Iob portare cupit ſuper humerum tanquam de trophæis glorians, ſigniſque regalibus? quod volumen Iob tanquam diadema cupit circumducere capiti? Anceps diu hæſiſſet mens, niſi ei Septuaginta Interpretes ſolutionem obtuliſſent legentes: *Syngrapham, quam habui contra quempiam in humeris vtique circumponens coronam, legebam, etſi non ſcindens eam reddidi. nihil accipiens a debitore* Habebat codicem Iob, in quo rationes referebat datæ mutuò pecuniæ egenis, vt eorum leuaret indigentiam, ſeruabat ſyngraphas, & ſchedulas ſatiſdationis, propria manu debitoris ſubſcriptas, ad conſtitutum tempus remittebat famulos, qui penſum pecuniæ exigerent; debitores domeſticis difficultatibus impediti, aut anguſtia rei familiaris oppreſſi, penſitandi pecuniam non habebant facultatem. Quid

Iob nec inſultat aduerſario, nec gaudet de eius ruina.

Iob de debitorum remiſſione coronatur.

Lect. LXX.

faciebat

faciebat Iob, mittebat exactores, qui iudicis edicto ære alieno conſtrictos ad ſolutionem cogerent, aut debitores ſuffocarent inſtar mali ſerui, aut traderent cuſtodiæ,& vinculis? Minimè gentium. Magna animi celſitudine cautiones, & chirographa coram debitoribus, & ſtipulatoribus in minutas partes diſtrahebat,vt abolita, & obliuione obruta manerent debita: *Et ſi non ſcindens eam reddidi nihil accipiens à debitore.* Mira Iobi benignitas. Sed cur diſcindit ſyngraphas, rumpitque cautiones diademate coronatus? Hoc indicant verba Septuaginta: *Circumponens coronam, legebam.* Sanctus Auguſtinus legit: *Et coronatus publicè legebam.* Sanctus Ambroſius lib. de Tobia cap. 17. *Imponens coronam, legebam.* Gloſſa Lyræ habet: *Tanquam ſua victoria vexillum.* Quia non minus illuſtre facinus condonare iniurias, probra, maledicta, quàm debita; qui ætis ſui vincula proximo relaxat, quibus tenebatur adſtrictus debitoribus ſuis dimittit, & ab obligatione debitorum eos abſoluit, Dei munificentiam in dimittendis debitis, & ſoluendis peccatorum vinculis æmulatur. Is dignus Regiis infulis, Imperatoriis paludamentis, vt Rex Auguſtus diademate incedat coronatus.

Corona, & triumphus Iobi cum debitorum ſyngraphas ſcindit. D. Auguſt. D. Ambr. Lyra.

4. Introducit Dauidem Chryſoſtomus pro inimicis orantem, cuius orationis exordium ex Pſalmo quarto deſumitur, ſic cum Deo fatur: *Exaudi orationem meam.* Dauidis preces Deo extiterunt gratiſſimæ, promeruerunt cœlitum plauſus: *Hæc eſt* (inquit Chriſtianæ eloquentiæ parens:) *digna cœlis oratio, hæc eſt, lingua Angelorum, quando pro iis, qui faciunt iniuriam, & probris perſequuntur, venit ſupplicans.* Hæc eſt digna cœlicolis oratio, hoc eſt Angelorum linguis eloqui, quando probris laceſſitus, & iniuria affectus, pro inimico orationem profundit. Sententiæ, & facundiæ incrementum ſubiungit ſanctus Chryſoſtomus: *Tunc adſtant Angeli magno audientes cum ſilentio & poſtquam ceſſauerit, ei applaudentes, laudantes, admirantes.* Hæc Chryſoſtomus in Pſalmum 4, qui pro inimicis ad Deum exorat, ab Angelis more ſatellitum ſtipatur, militumque cæleſtis exercitus corona cingitur; vt auſcultent pluſquam cæleſte Canticum, inimici remiſſionem perſonans, conticeſcunt; finitàque oratione hominis oratoris celebrat charitatem, eiq; à cuncto Angelorum conceſſu plauſus multiplex datur. Vt cernat fidelis ex dilectione inimici quantum lucri acquirat, cœlitum præconia, admirationes, plauſus.

Angelorum plauſus, cum quo orat pro inimicis. D. Chryſ.

5. Ex Meſopotamia Syriæ remigrabat Iacob ad patrium Chanaan ſolum, ſtipatus comitatu feminarum, corona paruulorum cinctus; cumque ad fratrem Eſau appropinquaret, magno timoris cruciatu angitur, ſciebat enim ad congreſſum feſtinare non ſigna deferentem pacis, ſed conflictus; incedebat enim militū armatorum vallatus præſidio; ſed Iacob noſtro prouidentia diuina non defuit, cæleſtis militiæ exercitus proceſſerunt obuiam, qui ab eius animo formidinem omnem abſtergerent, eiúſque adhærentes lateribus, doli, & fraudis hoſtilis tutum redderent. Geneſ. cap. 32. verſ. 1. *Iacob quoque abijt itinere, quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet ait: caſtra Dei ſunt hæc.* Angelorum occurrentium officia deſcribit Abulenſis hoc loco: *Angeli, qui cuſtodiebant illam terram, occurrerunt ei, vt ipſi præpararent ei in terra illa ſaluum conductum: quaſi occurrentes alicui volenti intrare in regnum eis commiſſum.* Iacobum de peregrinitate reducem, ſaluere iubent Angeli, fidei cautionem exhibentes, vt facilem aperirent aditum per regna ſibi commiſſa, inſtar principis per prouincias ſuas excurrentis, magno apparatu, & feſtiuo gaudio excipitur ab Angelis. At iuxta Chryſoſtomum, & Thomam, occurrerunt Angelorum manus tanquam milites armis protecti, & in procinctu ad prælium, ſtipatores ſui corporis, & Satellites poteſtatis. Chryſoſtomus legit: *Vidit caſtra Dei caſtrametata eſſe.* Et Angelicus Doctor: *Non ſolum vidit quaſi euntes, ſed eo modo, quo in caſtris exercitus militum ſolent ſtare.* Vidit armatos, & in procinctu ſtantes ad cuſtodiam. Cur cœlites tantum ſtudium, & beneuolentiam impendunt Iacob? Vnde emeruit Angelorum beneficium, & gratiam: fauorem meruit cæleſtium ſpirituum, & gratiam, quia, fratrem Eſau ex tantis inimicitiis recipere cupit in gratiam: dirigitur ad Iacob occurſatio Angelorum ad redintegrandam Eſau amicitiam, obliteratis offenſionibus affectat, & ambit germani concordiam. Quid: ſi tota Angelorum regia per campeſtria, & itinera ſe ei effundat, vt ei obuiam iret? Audi ſanctum Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim: *Et pulcrè ad fratrem iturus inimicum Angelorum comitantium excipitur choris.* Adiicit nouum incrementum ſanctus Ambroſius libro 2. de Iacob, & vita beata, cap. 6. *Vidit caſtra Dei caſtrametata, & obuiauerunt ei Angeli Dei: cogitabat de reconciliatione fraterna, ita vt humilitate inuita et, officiis acquireret, muneribus quoque emendaturum putaret.* In reconciliatione induſtriam omnem impendit Iacob, fraterni amoris ambitioſus procurator; & quia beneuolentia beneficiis capitur maximè, muneribus quoque putauit redimendam. Talis inimici amor promeretur Angelorum gratulationes, & plauſus. Cœlicolarum factus eſt concurſus vt ei appropinquanti occurrerent. Hominem, qui reconciliationem fraternam ſitit auidè, & talibus conſiliis aucupatur, tota cæleſtis curia proſpectare cupit.

Angeli occurrunt obuiam Iacob. Abul. *Ei præparant facultatem ingrediendi in hoſtium regna.* D. Chryſoſt. D. Thom. *Angeli inſtar armata manus Iacob cingunt.* D. Hier. *Iacob ambiens conciliationē fratris inſenſi ſtipatur Angelorum ſat illis.* D. Ambr. *Iacob reconciliationem fratris quam muneribus emendam curat.*

6. Reſtat Martyrij laurea, ea tuam excitabo mentem ad amorem inimici, animum intende: cum ſe ſe ſubduceret Dauid ab oculis Saul, & fugam meditaretur in abditiſſimos ſpecus; huic celebri fugæ à facie inimici occinit Pſalm. 55. eique hunc affixit titulum: *In finem pro populo, qui a ſanctis longè factus eſt, Dauid in tituli inſcriptione.* Sanctus Hieronymus arguté legit: *Victori pro columba muta.* Sed iam ſcire aues, cur Dauid columba, & muta nuncupetur? Gloſſa inquit: *Columba, quia fuit ſine felle amaritudinis, quia Saulem perſequentem ad mortem bis ſaluauit à morte.* Saul in ſanctum iuuenem telum intorſit, iracundia percitus, & ſpumans, infamiæ, & dedecoris nota aſpergere cupiuit Dauidis candorem. At Rex manſuetus nec lanceam retorſit, nec gladium in aduerſarium diſtrinxit, nec venenum maledicentiæ, aut dedecoris in eum expuit; ſed vncti à Domino ſeruauit vitam, & decus. Adde: apud Ægyptios hominis patientis, & reticentis ad conuitia Symbolum eſſe columbam. Do tibi verba ex Pierio libro 22. quæ ex Horo Apolline mutuauit: *Hominem nequaquam iracundum oſtendere cum volebant, columbam pingebant.* Aptè Dauid inſignitur nomine columbæ. Sed muta cur dicitur? Quæſtioni occurret aptè, & acute Vatablus: *Hic Dauid columbam*

Martyrij aureola. *Titulus Pſ. 55. expenditur.* D. Hier. Gloſſ. *Dauid columba muta appellatur, quia ſine felle extitit amaritudinis, & ſiluit ad opprobria.* Pier. Horo. *Homo iracundia expers, columba denotatur.*

columbam taciturnitatis, & mutam appellat, quod Dei voluntati omnia commiſerit, nihil ſuis aduerſarys reſpondens. Non infremuit, aut iracundiæ gemitum edidit Dauid, ſed linguam coërcuit à Saule inſectatus, labiáque ſeris profundæ taciturnitatis obſtruxit; nullum verbum vindictæ ex ore eius reſultauit. Mira victoria, & triumphus: addidit ſanctitati ſuæ nouum decus, & ornamentum gloriæ, ſcilicet martyrij lauream. *Dauid in tituli inſcriptione.* Huic Dauidis honori inſerius eſt, in columna, aut æris lamina epitaphium, aut elogij inſcriptio. Ideo Vatablus ex Hebræo legit: *Inſigne aureolum Dauidis.* Hic honos (inquit Dauid) hæc exultatio, honorificentiæ titulus, perſecutio Saul: hæc mihi aureolam martyris peperit: ad coronam regni temporalis, & æterni auream, inſectatio inimici adiecit aureolam. Conceptui addit nouum ſplendorem os aureum, tomo 1. homil. de Dauide, & Saule: *Dauid ex inſidys Saulis, tripla, quadruplique martyrij corona redimitus eſt.* Vidiſti martyrem ex inſidiis, & inſectatione hoſtis? Hanc æmulare taciturnitatem, patientiam, æquanimitatem in iniuriis, & probris; eius poſſidebis martyrij inſignia, ſi ſectatus fueris veſtigia, de patientia tua hoc genere martyrij decoraberis, ex Chryſoſtomi placito, qui aptè ſubiungit: *Inimicus inſidiatus eſt, & conatus eſt occidere, ea res tibi pro martyrio imputabitur Deum obſecrando, vt illi ſiat propitius.* Ad martyris aureolam pro veritate, & iuſtitia fundentis ſanguinem, aureolas adiungit eorum, qui ab hoſtibus inſectantur.

Lect. Hebr. Inſigne Dauidis aureolum.

Discvrsvs IV.

Compendium gloriæ, Paradiſi ſumma, inimici perſecutio eſt: ideò amplexanda, & exoſculanda tanquam quid cæleſte, & diuinum.

Gloria Regis & Seraphinorum Satellitium Iſaias proſpectat.

1. Gratvm ab Iſaia conceptus iſte ſumat exordium, enarrante viſionem celeberrimam, in qua Rex gloriæ regio diademate, & ſplendida purpura ornatus, Seraphinorum ſatellitio circumdatus apparuit: de Seraphim Collegio proſpectauit celeri volatu appropinquantem ad aram, apprehenſáque forcipibus pruna, labra ſua ſignaſſe. Iſaiæ cap. 6. verſ. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Cum animum conuerto ad hanc Seraphicam functionem, ſtupeo, meditans, ex regali affluentia copiarum cæleſtium, ex Regiis Chriſti regnantis gazis, nihil aliud ad Iſaiam delatum de ſupernis niſi calculum: Seraphque pernicibus alis volitantem ad Domini nutum, nihil in manibus oſtentaſſe præter carbonem, in quo Iſaias figeret oſcula. Quanto melius, & felicius poneret, & impenderet ſuauia, pedibus, & manibus Saluatoris, vt ſuggereret mel, & oleum de rubicundis fontibus: vel regales inſulas, & nitentis cycladæ fimbrias, aut ſtraguli oras, quæ templum replebant gloria, reuerenter ſuper caput imponeret, pupillis applicaret oculorum, iiſque venerabundus impingeret baſia. Cur Seraph ſolum exhibet ad oſculum, calculum? quæ pruna, & carbo Propheticalibus digna oſculis? arcanum rimatur Doctor Maximus epiſt. 142. ad Damaſum. Cenſet Iſaiæ paſſionem, & cruciatus forcipem, & calculum portendere. Hæc ſunt Hieronymi verba: *Forcipem, de qua altaris carbo comprehenſus eſt, propriam Iſaiæ aſſeruit paſſionem, qua ſub Manaſſe interfectus eſt Rege.* Serra ſecuit lignea ſanctiſſimum Vatem impius Manaſſes, Iſaiæ Martyris tormenta forceps, & pruna denotant, eaque Seraph purificans annuntiabat, quaſi diceret Vati: veritatis præconium, odia multorum concitabit, cruciamenta, vincula, mortem conciliabit, inſectationem hoſtium, ſed potiſſimum Regis ſacrilegi, qui tuum ſitit ſanguinem, qui tuum corpus reddet biſidatum: hoc tibi de opulentia Regis, hoc pignus, has merces de cæleſti emporio, hoc emblema de paradiſi foro aſportamus Seraphini: vt paſſionem, & inimici perſecutionem tanquam quid opulentum, cæleſte, & diuinum venerans, exoſculeris: *Ecce tetigit hoc labia tua.* Totum, & integrum, applicatur labris; forceps, vt dentatum inſtrumentum denotet ad fiſſuram tui corporis deſtinatum: ſcintillans pruna, aduerſariorum ſimultatem: opprobria, & conuitia. Hæc omnia Vates oſculatur, tanquam quid cæleſte, & vitæ pignus æternæ.

Cur Seraphim ſolum Calculum Prophetæ labris applicat.

Iſaiæ Cruciatus, & paſſio in carbone adumbratur.

D. Hier.

De Cæleſtibus theſauris afferūt Iſaiæ Seraphini Cruciatus & mortis Symbolum.

2. His annecto ſolertem contemplationem Patris Luiſij del Alcaſar ſingularis Apocalypſeos Interpretis, qui ſumma ingenij, & acuminis gloria, ſupremi Theologi Ioannis rimatur arcana. Expendit in hoc Iſaiæ loco, cur Hebræus vocat *prunam*. Septuaginta vero Interpretes: *Carbunculum?* Sic enim vertunt: *In manu eius carbunculus.* Scrupos verborum diſſoluit inquiens in prunis indicari Apoſtolicorum virorum perſecutiones, quæ licet primo aſpectu terreant, videantur intolerandæ, & tanquam carbones igniti ſcintillas iaculantes vrere, & pungere; ſi attentiori animo introſpiciantur, lapides pretioſos, inæſtimabiles margaritas eſſe, animaduertunt iuſti, ſumma felicitate plenas: *Licèt externa facies* (inquit Alcaſar in caput 2. Apocalypſ. annotat. 5. numero 18.) *erat laborum, ac perſecutionum, oportere illas a ſe amari, atque æſtimari.* & poſtea: *Quæ videbantur eſſe prunæ, carbunculos gemmas apparuiſſe, & magnam ibi felicitatem, ac diuitias reperiſſe* Ignis quo minitantur hoſtes, in buſtum diuini amoris vertitur: lapides, quibus cædunt, & obruere tentant iuſtum, in lapides pretioſos, & carbunculatas gemmas, cœli gazas: hoſtis inſectatio in gloriam, & ſummam felicitatem immutarunt. Quid mirum ſi Iſaias genibus flexis eam ſuſcipiat, & exoſculetur. Subiungit Alcaſar: *Iſaiam verò exoſculantem prunas, illas cepiſſe vires.*

Viris iuſtis tormentorum dolores immutantur in pretioſos lapides.

Lect. LXX.

Alcaſ.

In aduerſitatū prunis, magnam felicitatem & diuitias inueniunt ſancti.

Iſaias prunas exoſculatur.

3. Homines, Dæmones, elementa omnia inſectata ſunt Iob, totus ferè orbis armis munitur, vt Iob exerceat tolerantiam: domus ruina opprimit conuiuantes filios: Arabes, & Sabæi in armenta irruunt, eáque cum paſtoribus in captiuitatem abripiunt: tot vallatus aduerſis, dolore cordis tactus, & punctus ingemuit: cum tamen audiit nuntios infauſtos enarrantes cœlum impluiſſe ignes, ouium greges, & cuſtodes exuſtos, redactos in fauillam; erectus eſt animo, gaudio geſtiens; velut ſuaue Canticum perſonabat auribus ſua

Iobi tentatio venit de cœlo.

verba;

verbum illud: *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, puerósque conſumpſit.* Iob cap. 1. verſ. 16. Ignis Dei, & de cœlo deſcendens? Mentiar (inquit) niſi cruciatus, calamitates, inſectationes aduerſariorum acerbæ veniunt de ſupernis. Rapina, mors, incendium, intempeſtiuus filiorum interitus, ferale conuiuium, violenta perſecutio inimicorum de cœlo deſcendunt: Scit enim Dominus ſuæ voluntatis permiſſione, malorum nequitia tanquam inſtrumento vti ad afferendam bonis felicitatem, & per inferorum miniſtros aſportare cæleſtis gloriæ pignora: audi ſanctum Chryſoſtomum homil. de Iob, & Abraham tom. 1. *Argumentum autem, quod eis conceſſum eſſet, erat, quod ignis deſcendebat.* Hæc omnia diuini conſilij prouidentia adminiſtrata veniunt, niſi Deus hoſtibus permiſſionem dediſſet, ignis non combureret greges: ſignum autem conceſſæ inimicis poteſtatis eſt ignis deſcenſus: ignis ſi naturæ propenſione operaretur, potius aſcenderet, alta petens, quàm deſcenderet: vim infert igni, & deſcendere cogit Deus, vt Iob patiatur, vt cernens ignem de cœlo dilapſum, aduerſitatem, & perſecutionem è paradiſo venientem cogitet. Addit Chryſoſtomus: *Vnde enim miſſus? è cœlis. Inde ſcilicet venit, vnde & indicium* Vnde infortunium, & acerba aduerſarij perſecutio venit? de cœlis, de gloriæ paradiſo manauit, vbi Rex ſedens in throno dedit ſententiam aduerſæ fortunæ, quæ etenim gaza, quod pignus, quis prouentus de terra illa promiſſionis ad terras deportaretur, niſi ærumna, & inimicorum inſectatio: *Vnde enim miſſus? è cœlis.*

D. Chryſ. Ignis qui oues cōſumpſit, de cœlo venit. — *D. Chryſ.*

4. Minabat cæleſtis ille paſtor Moyſes ad interiora deſerti commiſſum ſibi gregem, cum obtutui corporis obiectatur celebris viſio rubi ardentis, & incombuſti: etenim ſenticoſus frutex flammæ correptus non depaſcitur: ad magnum ſignum appropinquans hoc auſcultat effatum ex ore Domini: *Cui ait Dominus: vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* Exodi cap. 3. verſ. 7. ſacer præco è rubo ardente tanquam e ſuggeſtu de aduerſitate, & inſectatione hoſtis concionatur; non mirum ſi Moyſem propetantem retardet, vt intentum teneat auditorem: quod Angelus verbis, & rubus ardens flammis, de inimici perſecutione concionaretur, teſtatur Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſi fatus: *Significabat ardens rubus oppreſſos iniuria, vrens vero ignis oppreſſores: quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur, inimicorum violentia* Rubus ſeptus crepitantibus flammis, populus Dei eſt affectus iniuriis: furor Ægyptiorum hoſtilis in incendio ignis oſtenditur, rubum vorace cupientis; ſed in incōbuſtione exprimitur diuina erga populum protectio, qua a ſeruitute & opprobriis reddidit incolumem, inimicorum violentia illuſtrem. In hoc loco tantummodo expendo, quàm grata fuerit Moyſi concio violentiæ, & perſecutionis inimicorum, quanta veneratione, & tenerentia diuinos hos ſermones ſuſcipit, & auſcultat. Ipſe Deus ad cultum præparat: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Eo fine inquit Theodoretus quæſt. 7. in Exodum: *Vt religioſiorem eum redderet.* Moyſes ipſe ex quo ſuſcepit auribus ſermonem inſtitui ore, & lingua Angelica, de ærumnâ, de conuitiorum tolerantiâ, de inimicorum iniuriâ: *Abſcondit Moyſes faciem ſuam.* Exodi cap 3. verſ. 6. in quibus verbis demonſtratio affertur ſingularis reuerentis animi exhibentis omnem honorem, & cultum: claudunt hæc omnia, in terram proſterni, in genua procumbere, decuſſare brachia, ponere os in terram: Guillelmi hæc contemplatio eſt, qui Gloſſam referens in caput 3. Exodi clauſula 1. dub. 11. inquit: *Per quod factum intelligitur corporalis adoratio: vnde ſuper prædicto verbo, abſcondit, gloſſa interlinealis dicit: inclinando, ſupple vultum ſuum verſus terram, intantum quod facies ſua erat abſcondita, ne aſpiceret contra Dominum.* Aduerſitates, ærumnas ab hoſte prouenientes omni cultu, & obſeruatione proſequitur Moyſes, ideò quaſi ad aram Dei ſuppliciter venerans, ſermones aduerſæ fortunæ, & conuitiorum ab hoſtibus prouenientium ſuſcipit: *Intelligitur corporalis adoratio inclinando vultum ſuum verſus terram.* Quid agis, ô Moyſes? Cur ad humum te ſupplicem proſternis, terrámque lingis? Veneror diuinum ſimulacrum, quod de flamma fatur, de odio, & ſimultate, quam concitat infenſus Ægyptius, & incedit aduerſus meum populum: conſtringor, calamitates ipſas, & ærumnas hoſtiles venerari, & exoſculari, tanquam quid cæleſte, & diuinum.

Angelus de rubo tāquam de ſuggeſtu, de inſectatione hoſtium diſſerit. — *Phil. Iud.* — *Moyſes magna veneratione hos ſermones auſcultat.* — *Theodor.* — *Guill. Gloſſ.* — *Moyſes inſectationes inimicorum magna veneratione ſuſcipit.*

5. Difficilem quæſtionis nodum in ſacrâ literaturâ, Geneſ. capite 47. verſ. 31. inuenio. Cum enim Iacob inſtrumentum conderet, extremæ voluntatis ſuæ continens teſtimonium: Ioſeph legata complendi cura conunitritur: cúmque venerandus ſenex iureiurando obſtrinxit vt corpus ſuum humaret parentum ſuorum ſepulcro: *Quo iurante: adorauit Iſraël Deum, conuerſus ad lectuli caput.* Iurante Ioſeph ſe ita facturum, Iſraël venerationem exhibuit Deo, oculos conuertens ad lectuli caput. Recenſet hunc locum Paulus Apoſtolus ad Hebræos capite 11. verſ. 21. ſequitúrque verſionem Septuaginta ſeniorum diuerſimodè legentium: *Adorauit faſtigium virgæ eius* Veneratus eſt Iacob virgæ apicem. Iuxta Vulgatum Interpretem, Deum adorat: iuxta Apoſtolum, & Septuaginta cacumen virgæ veneratur, quæ hæc diuerſitas eſt? Conceptus mentis varios de induſtriâ omitto: acumen Diodori eligo, quem profert Lippomanus in Geneſis catena, aſſerit enim quod Iacob baculo quem manu geſtabat, tetigit Ioſeph, eámque partem, quæ eum tetigerat, venerandus oſculabatur. Scribo Diodori verba: *Baculi ſummitate tetigit Ioſeph, eámque partem, quæ eum tetigerat, oſculatus eſt.* Magni conſilij vir Iacob, qui Ioſephum ſuum tanquam quid venerandum, & humano maius contingit; ſciebat enim quanto ſufferentiæ decore ornatum, & illuſtratum Ioſeph corpus in aduerſis. Reueretur manus ferreis manicis innexas, à vindictæ maculâ innoxias, quæ vim intulerant nemini; pedes propter fictum, & concinnatum à veteratrice feminâ crimen compeditos neruo, collum anulo circumligatum ferreo: totum corpus afflictum, cæſum à fratribus liuore, & iracundia percitis. Omnia hæc baculo tangebat, baculúmque labiis admouens, vt quid ſacratum venerabatur. Nec mirum quod apud Vulgatum Interpretem Iacob adoret Deum, apud Septuaginta adoret virgam, quæ corpus Ioſeph conuitiis impetitum, & vinculis ligatum tetigerat: etenim homo iniurias, & probra patienter ſuſtinens tanquam alter Deus, vt ſic loquar, venerandus, & exoſculandus eſt. Eſt enim tam diuina afflictio, & hoſtis inſectatio, quam vir iuſtus tolerat, vt tanquam quid humano maius, cæleſte, & diuinum veneranda ſit.

Locus Geneſis c. 47. & Apoſtoli ad Hebræos cap. 11. conciliātur. — *Qua ratione dicitur apud Geneſim, quod Iacob adorauit Deum, & apud Paulū, faſtigium virgæ.* — *Lect. LXX.* — *Apicem virgæ qua Ioſephum tetigerat, Iacob tanquā quid diuinum venerabatur.* — *Diod.*

6. Mira Dauid verba Pſalm. 118. verſ. 39. *Amputa*
opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum. Cur dixit
ſuſpicatus? verebatur ſapiens Rex opprobrium, &
notam, aut maculam inurere ignominiæ; ſed re at-
tentius examinata inuenit non eſſe opprobrium
niſi in ſuſpicione, & timore, reuera eſſe magnifi-
centiam, & gloriam. Acumen inſinuat ſanctus
Ambroſius in hoc Pſalmo ſerm. 5. *Quanquam*
iſtud opprobrium Chriſti ſit, quod non eſt verum op-
probrium, ſed gloria Dei. Et ſtatim: *Hoc oppro-*
brium theſauris Ægyptij Moyſes prætulit, maius
æſtimans Ægyptijs theſauris opprobrium Chriſti ſi
opprobrium tuum gloria eſt Domine Ieſu, quanta eſt
gloria tua? Tua igitur gloriæ participatione quid eri-
mus, cuius ſumus opprobrio glorioſi? Itaque oppro-
brium, iniuria, conuitium, quid cæleſte, & glorio-
ſum eſt.

D. Ambr. *Opprobrium pro Chriſto toleratum non eſt opprobrium, ſed gloria.*

Discvrsvs V.

Hominis iniuriis offenſi decus, & gloriam Deus tanta excellentia compenſat, & promouet; vt humana ſorte maior, in Angelicam, & Deificam ſpeciem transformatus videatur.

1. Exoptat impius inferre maculam in
dignitatem, & honorem iuſti; ſed cum
opprobria, & maledicta patienter tolerat, habet
Deum decoris protectorem, honoris reſtaurato-
rem, qui patientis gloriæ ſic conſulit, vt ſine ia-
ctura dignitatis, auguſtiori ſpecie ornatus appa-
reat, in Angelicam, & Deificam formam immuta-
tus. Cum aduenirent anni frugum caritate inſi-
gnes, in Ægyptum fratres Ioſeph proficiſcuntur,
vt emptione tritici famem depellerent, & domui
ſuæ prouiderent annonam: coram Ioſeph Ægyp-
ti moderatore comparentibus, annotat ſacer Tex-
tus, quod Ioſeph fratres agnoſcens ſuos, ipſi non
recognouerunt eum. Geneſ. cap. 42. verſ. 8. *Et ta-*
men fratres, ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis.
Inquirit Philo Hebræus cur in vultus aſpectu
non præſentiunt ſuum eſſe germanum? Et argu-
tè reſpondet in libro de Ioſeph: *Deus vultum eius*
mutauit in auguſtiorem ſpeciem. Peregrinam, & pro-
digioſam immutationem operatus eſt Deus in
vultu Ioſeph, vt in eo ad conſpectum fratrum au-
guſta Majeſtas niteret, grauitas Regia, & Angelica
ſpecioſitas refulgeret. Hinc oritur difficultas
maior, cur quando alloquitur fratres, & ab ipſis
proſpectatur, hanc transformationem oſtentat
Deus, & vultus Ioſeph migrat in ſupernam ſpe-
ciem, & Deitatis imaginem? Argutè reſpondet
idem Philo, tunc Ioſepho ante oculos verſata fra-
trum conuitia, & maledicta, quæ in eorum cor-
dibus inuidia conflauerat, duram captiuitatis
tyrannidem, quam ab ipſis ſuſtinuit. Proſpe-
ctabat conſiliarios, & auctores ſuæ ſeruitutis:
intuebatur lacertos, manus, quibus exutus ve-
ſtibus, ligatus vinculis, & in ciſternam proie-
ctus: exultantes iræ, & vindictæ affectus penè
iam erumpentes, mira animi celſitudine cohi-
buit, & ex animo remiſit offenſam. Audi eum-
dem Philonem: *Non elatus poteſtate de vindictæ*
occaſione cogitauit, ſed imperauit ſuis affectibus, pre-
mens, atque recondens eos in animo. Quando ſub po-

Philo Iud. *Ioſeph vultũ Deus immutauit in auguſtiorem ſpeciem.*

Philo. *Ad apicem dignitatis euectus non cogitauit de occaſione vindictæ.*

teſtate ſuâ, velut ſub haſta tenuit fratres, oppor-
tunum tempus vindictæ nactus, occaſionem vl-
tionis non arripuit, ſed eam labi permiſit, ex-
cellentia dignitatis ſublimis, regium quid exiſti-
manit non ſe præbere iniuriarum vindicem. Ex-
cellentiori virtute, & dexteritate ſciebat ſuis af-
fectibus, quàm hominibus eſſe imperioſum; ita-
que tunc temporis coërcuit rationis retinacu-
lis, iræ, & vindictæ cupiditatem, nec iniuriam
fratribus retulit: quid mirum ſi Deus indidit
formam humanâ ſpecie maiorem, & auguſtio-
rem: *Deus vultum eius mutauit in auguſtiorem ſpe-*
ciem. Illuſtris, & ſplendida honoris reſtauratio,
quæ ſuperna dextra formatur, etiam in vultu reſ-
plendet.

2. Inter omnia ampla decora Moyſi legiſlato-
ris, & ducis Hebræorum tanquam quid eximium
extulit caput manſuetudo, & benignitas in ſuſti-
nendis probris, & maledictis: ex hoc redditur
venerandus populo, & habetur in deliciis. Inter-
dum populus duræ ceruicis, implacabili odio ir-
ruit in Moyſen, probris onerat, & ſacrilego auſu
lapidibus obruere tentat. Sed breui iniurias bene-
ficiis recompenſat, pro exaſperatione, & execra-
tione Deo preces offert, vt offenſum numen red-
dat placabile. Poſt epulum, iocos, choreas, ado-
rationem vituli, occurrit Deo excidium miniran-
ti, cúmque ad pietatem flexit. Exodi capite 32.
verſ. 11. *Moyſes autem orabat ad Dominum Deum.*
O virum Euangelicis infulis decorandum. Ante
Euangelij monita, legem Euangelicam adim-
pleuit, quando pro inimicis ad Dominum exora-
uit; vituli veneratores iidem Moyſi exprobrato-
res, & conuitiatores. Eos diuinæ vindictæ gladius
interimat. At Moyſes immemor iniuriæ, memor
clementiæ, ſupplicium deprecatione reuocauit.
His operibus magnanimitatis, ingrati populi re-
pendit iniurias, aptè ſanctus Ambroſius libro 2.
Officiorum, capite 7. inquit: *Quantas Moyſes*
à populo Dei illatas abſorbebat contumelias. Et cum
Dominus in inſolentes vindicare vellet ſe tamen pro
populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ
plebem ſubduceret, quam miti ſermone poſt iniurias
appellabat populum, ſolabatur in laboribus, deli-
niebat oraculis, fouebat operibus. Meritò æſtimatus
eſt ſupra homines, & vt vultui eius non poſſent in-
tendere. Inter populares conuitiorum turbines,
tenebat Moyſes placidiſſimæ tranquillitatis por-
tum: licet aculeis, & morſibus maledicentis po-
puli pungeretur, non inflammabatur ad vindi-
ctam: *Abſorbebat* (inquit Mediolanenſis Antiſtes)
contumelias. Tanquam inſipidam potionem, &
acerba pilularum pharmaca deuorabat iniurias,
quæ animum expurgant. Nec probris offenſus,
nec maledictionibus laceſſitus de vltione cogita-
uit, paſſim populum à diſcrimine mortis eripit,
diſtrictus diuinæ iuſtitiæ gladius ſuis precibus in
vagina reconditur: vadis munere ſæpè perfunctus
capitalis periculi telum in ſeipſum retorquet, qui
tanti amoris buſto inflammatur, & iniurias con-
tumeliáſque inimicorum comburit: *Meritò æſti-*
matus eſt ſupra homines, & vt vultui eius non poſſent
intendere. Vultus remittentis offenſas humano ma-
ior cœlicolis apparet.

3. *Vt vultui eius non poſſent intendere.* Verba hæc
recitantur Exodi cap. 34. Propter gloriæ ſplendo-
res è vultu Moſaico euibratos, in eum obtutum
figere non valebant, ibi verſ. 29. *Ignorabat quod*
cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.
Septuaginta legunt: *Quod glorificatus fuerat aſpe-*

ctus Et

Moyſi pietas erga populũ, & in opprobrijs patientia.

D. Ambr. *Moyſi vultus patienter iniurias ſuſtinentis reſplendet glorioſo decore.*

Moyſes abſorbebat inſipidas contumeliarum potiones.

Æſtimatus eſt ſupra homines.

Lect. Lxx. *Moyſi aſpectus glorificatus.*

Chald.

Chaldæus: *Quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui.* In facie Moyſi, diuini quidam emicabant gloriæ ſplendores, qui ipſum deificarent, redderentque ſupra homines venerandum. Quis Moyſen beatificauit? vnde diademá gloriæ, & diuini fulgores emanarunt? Ex mirabili ſapientia? ex portentorum operatrice poteſtate? Non hæc origo glorificationis. Sed ex conſortio ſermonum, quos cum Domino confetebat. Sed non ex quacumque confabulatione, ſed potiſſimum ex ea, qua fundebat preces pro inimicis, vt populus infenſus ſibi, cum Deo reſtitueretur in gratiam. Hic inimici amor cæleſtium luminum claritatem promeruit: *A populo Dei illatas abſorbebat contumelias. Se pro populo offerebat frequenter, meritò æſtimatus eſt ſupra homines, & vt vultui eius non poſſent intendere.* Omnibus ſe exponebat periculis, pro ſalute populi, cupiens mortem, & ex libro vitæ expungi, vt ſuus populus non pereat. Accurrit Deus, cœli, cœliteſque, vt decus à populo ablatum reſtauretur in vultu Moyſi, eum micantes fulgores circumdent, ex eo nitentes radij reſultent, faciémque glorioſè ambiant, vt glorificatus, & Deificatus appareat.

Moyſes glorificatur ex conſortio ſermonis pro inimicis precari coram Deo.

4. Cum accuſaretur à populo Leuita Stephanus, Angelicus decor, & fulgor in facie eius reluxit. Nec hoc mirum quando id atteſtatur cap. 6. Act. Apoſtolicorum verſ. 15. *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in conſilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Adde his contemplationem nouam: ſpecies illa in morte gratius refulſit. Expellitur ex vrbe, lapidibus cæditur, & ſaxorum crepitantium turbine quatitur: vidit cœlos apertos; & antequam exhalaret animam, pro perſecutoribus orauit. Actorum cap. 7. verſ. 59. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cum lapidibus obruitur, cum Ieſu gloriam intuetur, cum pro lapidantibus orat, Stephani glorificatur facies. Audi ſanctum Gregorium Nyſſenum, Orat. de ſancto Stephano: *Ille quidem naturam egreſſus, etiam antequam corpore exceſſiſſet, puris oculis cæleſtes ſibi portas apertas videt, & id quod intra adyta apparebat, cum ipſam diuinam gloriam, tum gloriæ ſplendorem conſpicatur,* &c. Et ſtatim: *Atque hic quidem extra naturam humanam conſtitutus, & in Angelicum decorem transformatus, vt ipſis etiam nefarijs homicidis miraculo eſſet in Angelicam dignitatem forma faciei mutata, cum vidit effugientia affectuum, eum eam quæ ſibi apparebat gratiam. ſublato clamore ſignificauit.* Agnus immaculatus Stephanus primitiua Eccleſiæ aris immolata victima, furentium luporum caterua circumdatus, balatum edidit gratiſſimum pro Iudæis, ſupplices tendens ad ſidera palmas. Cum lapides ferream Stephani patientiam in pectore tangunt, diuini amoris flammæ reſiliunt, vt hoſtes ſuos inflamment: his clamoribus, & ignibus commouentur cœlicolæ, excitatur Deus, vt Stephani prouideant decori: cæleſtis aulæ patuleſcunt ianuæ, ipſe Ieſus properat, & glorioſus occurrit; Stephanus feſtina felicitatis æternæ remuneratione donatur, & ante vitæ exitum, viſionem, & gloriam Dei prælibat: *Antequam corpore exceſſiſſet puris oculis cæleſtes ſibi portas apertas videt,* &c. Stephanum, cum ſupplex pro inimicis veniam popoſcit; cœli, vt cælitem recognoſcunt, vt paradiſi incolam ſuperna ſibi vendicant atria: vt colligatur à Domini gloria, cœlorum reſerantur portæ. Nec inexaminata abeant verba illa Nyſſeni: *Extra naturam humanam conſtitutus,* &c. Ad conuitia Stephanus obmutuit, falſos teſtes, ficta crimina, verba blaſphemiæ animi celſitudine ſuſtinuit: condonationem erroris aduerſantium, cæleſtem Regem, ſuperóſque precatur: extra naturam humanam conſtitutus in Angelicam formam immutatur, nec dicat hoſtis, quid monſtri eſt hoc? Monſtrum eſſet ſi ita non eueniret, nam qui ad iniurias conticeſcit, & remittit offenſam, velut tranſilit humanæ naturæ cancellos, & Angelica forma, & ſpecioſitate refulgens apparet.

Stephanus pro inimicis orat: in mortis articulo tanquam Angelus apparet ſpecioſus.

D. Greg. Nyſ. Stephanus ante migrationem videt cæleſtia adyta.

Stephanus in Angelicum decorē transformatur.

Deus & cœlicolæ Stephani ab hoſtibus inſectari, prouidēt decori.

5. Sacra literatura enumerans vaſtitatem, ruinas ſancti Iob, vtitur peregrino eloquio. Iob. c. 1. verſ. 14. *Nuncius venit ad Iob, qui diceret.* & verſ. 16. *Cúmque adhuc ille loqueretur, venit alter.* Non pariter, ſed vnus poſt alterum venit infauſtum nuntium, vt dolores refricet, & vehementiùs exacerbet iuſti animum. Septuaginta legunt: *Venit alius nuntius.* Græcè eſt: *Angelus*, & hanc verſionem ſequitur ſanctus Chryſoſtom. tom. 1. homil. de Iob, & Abraham, qui Angeli, & nuntij ſunt iſti, infelicitatem, & infortunium annuntiantes? Reſpondet os aureum: *Angelus nuntius a nuntiando, non a natura, nam Angelus à natura Angelica quomodo dicere poſſet, ſaluatus ſum ego ſolus, cum ab interitu alienus ſit.* Annuntiatores aduerſæ fortunæ non erant natura Angeli, ſed officio, & miniſterio: etenim cum incorruptionis munere lætentur cæleſtes ſpiritus, & interitus ſint prorſus expertes, non proferrent verba illa, ego fugi commune exitium, ereptus ſum de incendio, effugimus Chaldæorum manus. Sed cur aduerſitatum annuntiatores viro iuſto videntur Angeli, & Angelorum munere perfungi? Cum nuntij triſtes allati ſunt Iob de filiorum interitu, opum vaſtitate, inſectatione hoſtium, enituit in eo tam eximia tolerantia, tam inſolita animi celſitudo, adeò profuſo gaudio geſtiebat, vt nuntiatores aduerſitatum ei viderentur Angeli: ô portentum animi iniurias tolerantis: ô prodigium hominis in oppugnatione hoſtium, & depopulatione opum diuini numinis nutui conſentientis; conſenſus hic, & ſuſtinentia, ſi Angelicam ſpeciem, & venuſtatem impertitur patienti, eam quoque confert ærumnas annuntianti; ſi nitore Angelico fulget, qui iniurias ſuſtinet, apparet velut Angelus, qui eas patienti refert. *Angelus nuntius a nuntiando non a natura.*

Nuntios infortunia enarrantes Iob nuncupat Angelos.

Lect. Lxx.

D. Chryſoſt.

Non ſolum iniurias patiens, ſed eas enumirans tanquam Angelus apparet.

6. Arcana ſunt verba, quæ Iacob protulit, cum ſacra Hiſtoria refert, eum, & Eſau obliteratis offenſionibus, tumulatis iniuriis obliuionis ſepulcro, redintegraſſe gratiam, ſuáſque iunxiſſe dextras: cum enim intueretur Iacob vultum Eſau in occurſu hilarem, & iucundum, ſuóque complexu, & oſculo amantiſſimè recipientem, Dixit Iacob Geneſ. cap. 33. verſ. 10. *Sic enim vidi faciem tuam quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius.* Quis non ſtupeat auſcultans hæc iuſti viri verba? Vultum iracundum, & minacem hominis ruſtici, contumacis, Deo exoſi nuncupas vultum Dei? cogitabat de reconciliatione fraterna, & iniurias omnes ablatæ benedictionis, & hereditatis voluntaria obliuione contriuit, ſpecies Dei in vultu refulget. Id exprimit Abulenſis: *Quia iam pace (inquit) perfecta fruebatur.* Conſonat Hebraica verſio: *In hoc vidi faciem tuam quemadmodum videtur facies Elohim, & voluiſti me.* Diuinæ faciei forma in vultu Eſau reluxit, quia fratrem dilexit, deponens ſimultatem, quid præferat nomen *Elohim* in hoc loco, eruditè expendit Cardinalis Caietanus: *Nomen eſt Elohim, & poteſt intelligi tam Angelus, quàm Deus. Eſt enim ſenſus: ſuſcipe quaſo munus meum, quod tibi offero tanquam Deo, ſeu*

Vultus Eſau cogitantis de reconciliatione fraterna videtur tanquā ſpecies Dei aut Angeli.

Abul.

Caiet.

Angelo, cui offertur in ſignum venerationis. Obtulit velut Angelo, litauit tanquam Deo munus, vt precibus, & blanditiis, ab Eſau extorqueret amorem: ſed ipſe etiam cum oblectamento acquieuit dilectioni, & paci. Homo à natura ferox, rixæ, & vindictæ cupidus, nunc inter amplexus, & oſcula, iniurias, & vindictam deponens, eius vultus inſtar ſudi cœli ſerenus fulget, & in Angelicam ſpeciem, & Deificam transformatur, tantæ ſunt dilectionis inimici vires, vt hominem hominibus infenſum, cœlicolis inuiſum, quem Deus aſpernatur, imaginem Angelicæ pulcritudinis oſtenret, & in vultu eius diuinum ſimulacrum: ſi hoc operatur in præſcito amor inimici, vt appareat tanquam Deus; operoſior erit in viro Dei: iuſti diligentes inimicos ſunt filij Dei, *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Matthæi cap. 5. filij autem referunt ſimilitudinem patris, quid mirum ſi inimicorum amatores, remittentes iniuriam tranſmutentur in Deificam formam.

Discursus VI.

Iniurias inimicis condonantem, ad eximiæ dignitatis apicem euehit Deus conſtituens eum inimicorum redemptorem.

1. QVID eſt eſſe inimicorum Saluatorem? niſi eos ad rectam vitæ frugem immutare, eis conferre ſanctificationis gratiam, eorum animas eripere de morte æternâ. Sæpe ſæpius contingit, quod peccatores, quos ſuauitas impulſus excitantis gratiæ non emolliuit, nec beneficiorum Dei memoria, à vitæ turpitudine ad honeſtam viuendi rationem traduxit; patientia iuſti iniuriis laceſſiti, verborum probris, & maledictionum affecti, & offenſæ condonatio, preces ad Deum profuſæ pro iniuriante laceſſente, eum reuocent à flagitio, vt relictis Dæmonis caſtris, ad Chriſtianam militiam transfugiat: expectat Deus tolerantiam, & deprecationem tuam, vt ad eius intuitum cor maledicentis, & iniuriantis immutet, ad deteſtationem turpitudinis ei largiatur gratiam, ornétque mercede remunerationis æternæ. Salus conuitiatoris, & contumelioſi de patientiâ, & interceſſione tuâ prouenit: felix ſors iniuriam ſuſtinentis, cui tantam Deus contulit dignitatem, eum creans inimici patronum, & redemptorem. Admonet ſapiens iniuriatum, vt pro verbo ferrum non reponat, ſed conuitia gratitudine expungat, maledicta benefactis recompenſet; iræ rogum à conuitiante excitatum beneficiorum multitudine extinguat. Prouerb. cap. 25. verſ. 21. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis ſuper caput eius.* Vel iuxta lectionem Septuaginta ſeniorum, quam ſequitur Apoſtolus ad Romanos cap. 12. verſ. 20. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Numquid ignitis carbonibus inimicum vult torreri, aut ei minitatur prunarum incendium, vt eum exurat? Abſit à Pauli dilectione, & Dei exhortatione crudelis comminatio, aut hoſtilis retributio. Opponit Paulus buſtum buſto, ignes ignibus; Iræ, & maledicentiæ flammis, igneiſque miſſilibus, prunas charitatis, beneficiorum carbones ignitos, qui rogum, & pyram excandeſcentis animi ſopiant; ſed cur ſuper caput inimici, & maleſici, prunæ congeruntur, aut ſternuntur, & non ſuper manus alimentum, & potum excipientes, aut ſuper os cui ſuggeritur panis, porrigitur poculum? beneficia, quibus iniurias recompenſas, intuebatur Paulus velut purpureos flores, aut roſas, hoſtis verticem coronantes, munificentiam, & æquanimitatem tuam oſtentantes. Sed quia prunæ ſunt beneficia, furorem hoſtis mitigant, cor induratum amoris flammis emolliunt, ad compunctionem prouocant, ad meliorem vitam transferunt. Hoc patientiæ, & charitatis tuæ facinus, & triumphus. Hoc poſtremum arridet Cantuarienſi Archiepiſcopo ſancto Anſelmo ſcribenti: *Accumulabis ſuper mentem eius carbones ignis, id eſt feruentes, & vrentes pœnitentiæ dolores. Beneficijs enim tuis victus, dolebit ſe iniurias tibi feciſſe, à quo bona recepit, & conuertetur ad pœnitentiam, ſicque lucraberis eum Chriſto.* Et poſt pauca: *Hoc potius in hac ſententia iubemur, vt miſericordiam facientes egentibus inimicis, emolliamus fomentis beneficiorum duritiam cordis eorum, & ad redimendum, nos in Domino ſtudeamus inflammare illos, adhibito dilectionis igne, vt virtutem patientiæ, & manſuetudinis noſtræ mirantes, incipiant imitari: reiectiſque vitijs ad virtutum opera conuertantur.* Magna patientiæ virtus, quæ animum immutat iniuriantis: magnum charitatis artificium, quo ex oculis iram ſpirantibus, lacrymas eruit; è pectore iniurias euomente, elicit gemitus, & ſuſpiria. Beneficia, quibus afficis hoſtem, velut murus igneus, quo claudis inimicum, & ad reſipiſcentiam cogis; amoris tui permutatio, peccatoris immutatio, eximium emolumentum animarum lucrum, ex quo amor tuus benefactorum ſatellitio munitus aduerſarium tangit, & comprehendit, in eo flammas amoris excitat, & ad redamandum ardenter ſtimulat; preme verbum Anſelmi: *Beneficijs tuis victus conuertetur ad pœnitentiam, ſicque lucraberis eum Chriſto.* Magna felicitas eius, in cuius poteſtate eſt inimici conuerſio, & redemptio à peccato.

Qua ratione qui inimico benefacit prunas congerit ſuper caput eius.

Cur prunæ non ſuper manus inimici, ſed ſuper caput congregantur.

Benefactis tanquam quibuſdam floribus caput inimici coronatur.

D. Anſelm.

Carbones ignis ſunt feruentes & vrentes pœnitentiæ dolores, quibus inimicus tangitur.

Inimicitiarum condonatores, inimicorum ſunt redemptores.

2. Talem virum cum Seraphino purificante Iſaiæ labia comparat Diuus Hieronymus expendens locum Pauli epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 1. *Vt quo modo* (inquit) *de altari a Seraphim carbo ſublatus Prophetæ labia purgauit; ita, & inimicorum noſtrorum peccata purgentur.* Habet iuſtus prunarium in pectore, ſicut Seraphim habebat in altari, habet carbones à flamma Dei ignitos, quos in hoſtem ſpargit, iis animum ab iracundia mundat, linguam, & labia à conuitiis, & maledictis expurgat; Seraphico munere fungitur, dum ardens in ſe alios accendit, abolitâ iracundiâ ad amorem excitat.

Qui inimicis parcit, Seraphim eſt eorum peccata purgans.

D. Hier.

3. Ophelium Grammaticum, dedecore affectum, conuitij nota inuſtum, deſolatum, & mœrentem, blandis, & conſolatoriis verbis demulcet ſanctus Iſidorus Peluſiota, eique epiſtolam libri primi vndecimam dedicauit, dolorem leniens Socratis exemplo, animum erigens ad condonationem iniuriæ, ex qua ſpes affulget conuerſionis malè affecti, & iniurioſi conuitiatoris. Sic enim fatur: *Si Socrates Atticorum dogmatum auctor, pulſatus etiam, ac verberatus, ab vltione temperauit, quid diſcruciaris, cum contumeliam duntaxat, vt ſcripſiſti, acceperis? Etenim ſi Philoſophicum animum præſtiteris, tu quidem Socratis gloriam referes, etiam ſi minus contumelioſè quam cum Socrate, tecum actum ſit: contra autem ille animi tui magnitudine tanquam telo*

D. Iſid. Pel.

Socrates verberatus, ab vltione temperauit.

Iniuriarum ſuſtinentia aduerſarium immutat.

telo ſauciabitur: aut etiam aliquando, à peccandi ſtudioſâ mente, ac lingua in melius mutabitur; tibique, vt huiuſce mutationis auctori, gratiam habebit. Quæ maior gloriæ acceſſio valet concupiſci, quàm eſſe auctorem conuerſionis animæ, quæ toto cœlo, & mundo Deo charior eſt: conuerſio hæc, & peccatoris mutatio de patientiâ tuâ prouenit; iniuriæ ſuſtinentiam expectauit Deus, vt manſuetudine tuâ ferreum inſultantis emolliret animum, manſuetudine tuâ mitificaret, & ad ſalutis ſemitam transferret.

4. Primarius inter Martyres Stephanus extitit perſequentium inimicorum redemptor, dum pro eis corpus ſuum primitiuam Eccleſiæ victimam litat Deo, & peccata lapidantium ſuo delet ſanguine; vt denique redemptionis munus expleret, pro perſecutoribus orauit. Actorum capite 7. verſ. 59. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Pulcrè ſcribit ſanctus Nyſſenus: *Hic tanquam Sacerdos iuxta legem ſpiritualem, puram hoſtiam immolans, non alienum, ſed ſuum altaribus admouens corpus, & loco libaminis ſanguinem ſpargens, per ſe ſe Deum, quem in cæleſtibus adytis cernebat, delinquentibus placabat, beneficio nefariam cædem eorum compenſans, clamans audientibus homicidis, ac dicens: Domine ne imputes eis hoc peccatum. Atque hic quidem oratione peccatum eorum, quod ſceleratis manibus ſuis ſanguinary quaſi exarabant, delebat.* Hæc Nyſſenus oratione de ſancto Stephano. Numeros Redemptoris Stephanus explet, cum piaculum necis ſui corporis ſacrificio, & precibus expiat, & Deum de cæleſtibus adytis proſpectantem ſuæ patientiæ, & æquanimitatis triumphum reddit perſecutoribus placabilem. *Oratione*, (inquit Nyſſenus) *peccatum eorum delebat.* Stephanus Saluatoris æmulator eſt, ſicut enim Ieſus patibulo ſuffixus Chirographum, quo omne hominum genus adſtrictum tenebatur, ſuo ſanguine deleuit, ſic Stephanus lapidantium inimicorum ſcelus, quod lapidibus, & manibus in Stephano exarabant, ſanguine, & oratione expunxit. Et argutè legit Gregorius: *Domine ne imputes eis hoc peccatum.* Non ſolam abſolutionem, & remiſſionem criminis expoſtulat, ſed auertit pœnæ reatum, Domine ne imputes eis peccatum, vt mihi imputetur perſecutoris redemptio.

Stephanus tanquam victimam ſacram ſeipſũ Deo litauit.
D. Greg Nyſ.
Deum delinquentibus placabat.
Inimicorum peccatũ ſua oratione delebat.
Stephanus æmulator Ieſu morientis pro inimicis deprecantis.
D. Nyſſ.
Stephanus pœnæ reatum tolli expoſtulat ab hoſtibus.

5. His annecte aliud acumen; cur Stephanus quando pro ſe orauit non eſt ſtatim exauditus? Actorum cap. 7. verſ. 58. *Et lapidabant Stephanum, inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Cur non ſtatim migrat ad ſuperos, & columba illa immaculata anima videlicet Leuitæ non euolat ad ſinum Ieſu? Patet cæleſtis aulæ ianua, cæleſtis atrij ſenatores proſpectant, cæleſtes ſpiritus velut laureati milites ducis inclyti vrgent aduentum, Ieſus cum tota illa ſuperna curia ad palmam inuitat. Cur non ſtatim à vita deſciuit, occumbens in prælio, vt poſſideat certaminis præmium æternam manſionem? Vt Redemptoris munus expleret animam in corpore retinuit, vſquequo pro perſecutoribus orauit. Diſtulit Deus Leuitæ deſiderium vſque ad preces pro inimicis profuſas, quæ vitam Martyris terminarent. Eodem Actorum capite verſ. 59. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: & cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino.* Stephani ſpiritus expectauit dulciſſimam orationis cantilenam, vt ad eius concentum, inter Ieſu brachia leniter recumbens placidiſſimo mortis ſomno conquieſceret. Pulcrè Hugo Cardinalis in caput 42. Iob inquit: *Libentius ſacrificium orationis accipitur, quod in conſpectu miſericordis iudicis proximi dilectione conditur: quod etiam gratius eſt Deo quando pro aduerſarys offertur. Vnde Stephanus cum pro ſe orando diceret: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum: nondum eſt exauditus: ſed cum dixit: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, ſtatim obdormiuit in Domino.* Expectabat Deus abſolutum munus redemptoris in Stephano, ideo orantis pro ſe vitam prorogauit, vt pro aliis deprecatus, eis crimina condonaret. Quid plura? ſtans, & ſubmiſſa voce pro ſe ſupplicat: clamore valido, genibúſque flexis preces pro inimicis adhibet. Vt quadam clementiæ exuberantiâ ſuperet aduerſantium malitiam, & efficacioribus animi viribus, veniam poſtularet.

Cur Stephanus pro ſe orans non eſt ſtatim exauditus.
Mors Stephani differtur, vt redemptoris inimicorũ munus expleat.
Hug. Card.
Stephanus cũ pro inimicis orat ſtatim moritur.

6. Suſtinuit Iob plagas corporis, & acerbiſſimos animi cruciatus cùm ab amicis illuditur, & ad impios in Deum ſermones irritatur, tres Reges ad Iobum in ſterquilinio ſedentem coëunt, tres Reges eius patientiæ, & operationum irriſores, & cauillatores: *Elipbaz de filys Eſau Themanorum Rex: Baldad Tyrannus Sacubæorum: Sophar Rex Minæorum*, (hoc ordine recenſentur à Septuaginta ſenioribus in fine capitis 42. Iob) qui ſanctum virum probris onerant, iniuriis laceſſunt, ad deſperationem prouocant irrito conatu. His Regum ineptiis excanduit Deus ad iram prouocatus: & ne vindicem diuinæ iuſtitiæ manum expeterentur, ad ipſum Iob à Deo reiiciuntur tanquam ad tutelare numen, vt oratione iram auerteret, & interpellatoris munere fungeretur. Iob. cap. 42. verſ. 8. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Pro verbo *orabit*, Hebraicè eſt פלל *pelel*, eum denotat, qui pro altero interpellat, in iudicio gerit munus patroni. Iobi faciem pro inimicis orantis libenter ſuſcipit Deus, & annuit poſtulatis. Sed minus eſſet conſtituere Iobum defenſorem, & aduocatum inimicorum, niſi in eius poteſtate præſcriberet Deus expiationem delicti, condonationem criminis; vnde cum Reges contumelioſi Iob iuſſis diuinis obtéperaſſent, & victimas obtuliſſent, addit textus verſ. 9. *Et ſuſcepit Dominus faciem Iob.* Et argutè Septuaginta legunt; *Et ſoluit peccatum eis propter Iob.* Ad intuitum tam eximiæ deprecationis, Deus Regibus relaxauit delictum, ſupplicia condonauit. Conceptum premit ſanctus Athanaſius, quæſt. 117. ad Antiochum: *Cum Iob (inquit) ab amicis eſſet affectus contumelia, fecit Deus, vt ipſe culpam illis condonaret, dicens: abite ad ſeruum meum Iob, & orabit pro vobis.* Solius diuini muneris eſt peccatorum remiſſio, cum Iob velut partitur Deus omnipotentiæ imperium, eúmque eorum Regum velut Deum conſtituit, cum ei confert abſolutionis delicti omnimodam poteſtatem; *Fecit Deus vt ipſe eis culpam condonaret.*

Tres Reges cruciaty enecerant ſanctũ Iob.
Lect. Lxx.
Tres Reges vituperatores ad Iob reiiciuntur, vt oratione ſua iram Dei auertat.
Lect. Lxx.
Eorum peccatum ſoluit Deus propter Iob.
D. Athan.
Iob offenſam illis condonauit.

7. Poſtremò ſubſtituo Dauidem non poſtremum, ſed inter primos numerandum remittentes iniurias, & ſeruantes inimicorum animas: etenim corporis, & ſpiritus Saulis Regis extitit redemptor: corporis, cum in ſpecu Engadditico enſem à iugulo cohibuit, & vindicem ſatellitum ſuorum manum à Rege auertit; animi, cum erigens laciniam Regiæ Chlamydis, voce pietatis plena, Regem compellauit. 1. Regum, cap. 24. verſ. 12.

Dauid Saulis redẽptor.

 Pater

Pater mi vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Ex hac clementiæ redundantiâ, & remiſſione offenſæ ſubſecuta eſt Saulis conuerſio; illum animum ferocientem, iras, & vindictas ſpirantem, quem prodigiis plena victoria, reportatus de Golia triumphus, ad redamandum Dauidem non flexerat, iniuriarum condonatio penitus immutauit; glorioſiores manubias Dauidis patientia, quam bellica virtus reportauit; exclamat in hoc euentu Chryſoſtomus homilia de Dauid, & Saule: *Quid igitur Dauide felicius? Qui ex homicida fecit patrem, è lupo ouem.* Alludunt hæc verba ad Regis mutationem, quam verbis ſuis exprimit ibidem verſ. 17. *Dixit Saul: numquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit.* Ex Chryſoſtomi ore diuino, orationis aureum flumen exundat, plenum margaritis hunc conceptum ornantibus, coronantibus; piaculum ducerem ſi verba omnia non transferrem: *Quid eſſe poſſit hoc Propheta beatius, qui breui temporis momento, ſic hoſtem è furore ad ſobrietatem compoſuit? Et animum nactus ſanguinis ac cædis ſitientem, repentè ad lamenta, & eiulatus compulit? Non perinde miror Moſem, quod è ſaxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam; at, hic vicit animi decretum: ille virga percuſſit lapidem, hic ſermone pepulit cor, non vt contriſtaret, ſed vt purum, manſuetúmque redderet. Quod etiam perfecit, maiore beneficio Regem afficiens, quàm antea fecerat. Eſt quidem & illud laude, ſummâque admiratione dignum, quod enſem non tinxerit ſanguine, nec caput illud hoſtile reſecuerit: ſed longè maiore corona dignum erat, quod ipſum inimici propoſitum immutauit, eúmque reddidit meliorem, idque priuſquam ipſe ſuam immutaret humanitatem. Hoc beneficium illo præſtantius eſt, neque enim paria ſunt condonare culpam, & ad animi ſobrietatem adducere: dum enim Satellites ſuos Dauid cohibet, ne Saulem occiderent, præſenti quidem vitæ profuit. Cæterum quum mitibus verbis malitiam ex animo depellit, futuram illi vitam, æternáque largitus eſt bona: quod quidem erat in ipſo. Quoties igitur Dauidem laudas ob ipſius manſuetudinem, magis illum laudas quod Saulem immutarit.* Hæc pulcrè Chryſoſtomus.

D. Chryſ.
Dauid Saulem conuertit, cum illi dimiſit iniuriam.
D. Chryſoſt.
Dauid Saulē immutat, & ad lacrymas mouet.
Quàm præclara fuerit hæc immutatio.

Iuſti parcentes inimicis mutant gladios in vomeres.

8. Denique conceptus iſte non eſt alienus à ſenſu verborum, quæ ſuperius examinanda propoſuimus: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, &c.* Nam viri iuſti manſuetudine præditi, gladios iræ, & vindictæ, lanceáſque furoris conflant in vomeres, quibus terram pectoris inimicorum proſcindunt, & prouentus magnos conuerſionum colligunt, & demetunt.

Verſ. 5. Domus Iacob venite, ambulemus in lumine Domini.

COMMENTARIVS.

Iſaias Iſraëliticum populum excitat ad ſuſcipiendum Dei lumen.

1. VERSVS hic epilogus eſt prædicti vaticinij, & concluſio quædam ex antecedentibus verbis ab Iſaia elicita. Nam cum cerneret gentes ad montem, & domum Dei Iacob properantes, ardens zelo ſalutis ſui populi, & patriæ, hortatur Iſraëlitas vt ſimul cum gentibus citato curſu ſcandant Euangelicæ perfectionis verticem. Si enim illæ (inquit) cum eſſent immaniores feris, immundæ, & abalienatæ à Dei conſortio, & contubernio, deponentes peccatorum pondus, ad Chriſti, & Eccleſiæ montem cucurrerunt fidei fulgoribus illuminatæ: potiori iure vos de ſanguine, & proſapiâ Iacob oriundi confluere debetis ad domum Iacob; vos enim domeſtici Dei eſtis, familiares, & intimi ipſi Deo Iacob; non enim inuitamini ô dilecti ad dominatum, & domum Regiam incognitam, aut inuiſam, ſed ad ipſiſſimum domicilium, quod patri veſtro Iacob Deus in Bethel oſtendit: ſi Iacob inſignibus, & Iſraëlis gloriamini infulis, ſcandite celeriter, & introite in atria domus ipſius Iacob. Non ſuffundimini rubore, quod barbari, moribúſque belluæ anticipato fidei obſequio vos præcedant in Regno Dei, & recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob ad menſæ cæleſtis dapes, filiis, & dilectis foras remanentibus? Si noui Regis ſtrictior diſciplina, & nouæ legis arduitas retardat, ego dux, aut ſocius itineris ero: venite gradiamur ſimul, aſcendamus, illuminati diuinis fulgoribus; non luminis Moyſi, qui cum tabulis legis conſpicuus, & ſplendens de monte deſcendit, in cuius vultum patres veſtri non poterant intendere: ſed in lumine Domini, qui verè Saluator, & Sol iuſtitiæ eſt, lux mundi, luménque de lumine, qui apparuit, & illuxit nobis, qui peccatorum diſcuſſâ caligine Iudæos, & gentes illuminat.

Huius Vaticinij nexus cum Euangelio.
D. Cyrill.

2. De conſonantiâ huius Prophetiæ cum Euangelio diſertè ſcribit ſanctus Cyrillus dicens: *Prophetam hortari Iſraëlitas vt dicenti Chriſto auſcultent; quamdiu lucem habetis ambulate in luce, ne tenebræ vos comprehendant. Ipſe ſiquidem eſt lux, idque dixit apertè: ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Lux autem Domini, & iure optimo dici poteſt, ipſius prædicatio, id eſt Euangelica. Perinde ac ſi dicat: viuamus piè, Euangelicæ reipublicæ ſplendorem colamus. Finem typicis rebus imponamus, vmbram diſſoluamus. Moſaicas literas in veritatem transferamus. Salutarem lucem recipiamus.* Hæc Cyrillus. Sed de lumine Domini fusè dicendum ad caput quartum.

Sibylla homines hortatur ad veri Dei cognitionem.
Sibyll.
D. Theoph.

3. Similis exhortatio reperitur apud Sibyllam Græcorum, & reliquarum gentium Propheteſſam: hæc eius carmina refert ſanctus Theophilus lib. 2. ad Autolycum: ſic enim diuino Spiritu afflata cum mortalibus fatur:

Quod Deum omittentes verum ſempiternum
Laudare, eique immolare ſacras hecatombas,
Dæmonibus ſacrificaſtis, qui ſunt in inferno.
Superbia, & furore perciti inceſſiſtis, & callem
Rectum deſerentes, abiiſtis, ac per ſpinas,
Et per vepres erraſtis: mortales ceſſate vani,
Errantes in tenebris, & in obſcura nocte, atráque,
Relinquite tenebras noctis, & lucem apprehendite:
Hic ecce, omnino verus, & errore vacuus exiſtit:
Venite, nec tenebras ſectemini, & caliginem ſemper,
Solis dulce viſu ecce lumen ſplendet.

PARS SECVNDA huius Vaticinij.

De iuſto Iſraëlitarum repudio, & illius cauſis.

Verſ. 6. Proieciſti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti ſunt vt olim, & augures habuerunt vt Philiſthiim, & pueris alienis adhæſerunt.

COMMENTARIVS.

Nexus huius ſententiæ cũ antecedentibus.

1. ILLAQVEANTVR mirabili nexu hæc verba cum antecedentibus, nam poſita ante oculos gentium vocatione, illuminatione, & alacritate, quâ confluxerunt ad fidem Chriſti, & montem domus Eccleſiæ inſtar rapidorum fluminum properantium ad Dei domicilium, vt fiant domeſtici Dei, & ſuperædificentur Apo- tanquam lapides viui ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, & coaptentur ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto Ieſu; nunc Iſraëlitico populo repudium renuntiat: hoc namque duplici cardine voluitur vaticiniorum Iſaiæ cæleſte firmamentum, vt ſæpè iam diximus repudiatione vnius populi, & vocatione alterius. Fitque alte- inpræſentiarum lenis tranſitus ex vnâ ad alteram, & eminet congruens nexus: nam Iſraëlitis à Deo, ab Iſaia, Apoſtolorum nomine, vocatis, excitatis ad fidei illuminationem, & renuentibus, & in cæcitate permanentibus, ipſos repudiat vates. Hæc eſt enim lex, quæ viros vrget, vt nuntium remittant vxori, coniugalis fidei, & thori violatio. Vnde in iure Canonico 28. quæſt. 1. cap. 6. ex ſancto Auguſtino hæc verba referuntur: *Non ſolum mœchatio eſt illius, quæ carnem ſuam coinquinat, ſed etiam, quæ ſimulacrum facit* (id eſt, *idolum colit*, vt annotat Gloſſa) *mœchatur, quod ſi in his factis perſeuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illâ, & noli viuere cum illâ*: Hanc legem adimpleuit Deus, qui lex æterna, & viua eſt, nam Iſraëliticam ſponſam, quæ Deo nupſerat, cum idolis mœchantem, de qua poſtea ſubiungitur: *Repleta eſt terra eius idolis, & adorarunt talpas, & veſpertiliones*, iure abiecit, & repudiauit; ſponſam verò de gentibus collectam, & accitam, quæ fidem tenuit, & Deum venerata eſt, ſuis iunxit amplexibus. Dilucidè ſanctus Cyrillus verborum conſequentiam deducit, ſcribens: *Si non igitur, inquit, vna nobiſcum deſideratis in luce Domini ambulare, id eſt ſi per Chriſtum prædicationem reijcitis, & illuſtrationem ipſius auerſemini, prorſus, penitúſque, & ipſe ſuum populum dimittet.* Et ſanctus Hieronymus aptiſſimam contexturam inuenit: *Vos autem domus Iacob, domus populi mei, venite mecum, & pariter ambulemus in lumine Domini, recipiamus Euangelium Chriſti, illuminemur ab eo, qui dicit: ego ſum lux mundi. Cumque hoc locutus fuiſſet ad populum Iudæorum, cernens impœnitens cor eorum, & animam incredulitate duriſſimam facit apoſtropham ad Dominum, & dicit: ideo eos hortor, vt ad te veniant, & mecum tuo lumine perfruantur, quia pro merito peccatorum ſuorum reliquiſti populum tuum.*

Iſraëlis repudium prædicitur.

Lex repudij proponitur. D. Aug.

Gloſſ.

D. Cyrill. Alex.

Deus reiecit ſuum populũ, quia illuſtrationem diuinam repulit.

Iſaiæ exhortatio, & apoſtropha.

2. *Proieciſti*, verbum נטשת *natas*, *derelinquere, dimittere, repudiare.* Ieremiæ cap. 12. verſ. 7. *Dereliqui hæreditatem meam.* Et cap. 23. verſ. 33. *Derelinquam vos.* Ezechiel cap. 25. verſ. 5. *Proijciam te*, & verbum Græcum ἄνηκεν emphaſim habet, *dimiſit, dereliquit.* Inde ἀνήκοος, *qui non audit, qui audire, & auſcultare monenti ſpernit, immoriger, rebellis.* Quo innuit cauſam repudij, quia rebelles Iudæi continuerunt aures ſuas ne audirent Iſaiam monentem, & Euãgelicam Apoſtolorum prædicationem abiicientes, proiecti ſunt à Deo.

Verbi Hebr. natas, vis expenditur.

3. *Quia repleti ſunt.* Iniquitatibus, maleficiis, ſuperſtitionibus, vt oſtendat populum menſuram ſcelerum adimpleſſe vſque ad ſummum. Ritè tráſtulit Santes Pagninus iuxta ſenſum literæ: *Impleti ſunt maleficijs, ac ſuperſtitionibus.*

Iudæi repleti maleficijs, & iniquitatibus.

4. *Vt olim.* Hebraicè eſt: *Præ Oriente*, vel: *præ orientalibus.* Rabbi Dauid legit: *Repleuerunt terram ſuam maleficijs præ orientalibus.* Vnde Vulgatus tranſtulit: *Vt olim*, vel: *ab initio*, ex eo tempore, quo ſunt apud Ægyptios inſtructi auguriis, & incantationibus.

Iudæi orientalibus Ethnicis ſuperſtitioſiores.

5. *Augures habuerunt vt Philiſthiim.* Auguria, diuinationes, auſpicia pro eodem vſurpat Vates. Et ſunt obſeruationes rerum ſubito, ex inopinato, & inſolito accidentium, inſtitutæ ad futurorum euẽtuum, vel occultorum cognitionem. Hæc præſertim coniectabant ex volatu, & garritu auium. Auguria definit ſanctus Iſidorus lib. 8. Etymol. cap. 9. *Augures ſunt qui volatus auium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſeruationes improuiſas hominibus occurrentes: ijdem & auſpices. Nam auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſeruant. Dicta ſunt autem auſpicia, quaſi auium aſpicia: & auguria, quaſi auium garria, hoc eſt auium voces, & lingua. Item augurium quaſi auigerium, quod aues gerunt. Duo ſunt autem genera auſpiciorum: vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens. Ad oculos ſcilicet volatus: ad aures vox auium.* Et lib. 12. cap. 7. inquit: *Cornix annoſa auis, apud Latinos Græco nomine appellatur, quam aiunt augures hominum curas ſignificationibus augere, inſidiarum vias monſtrare, futura prædicere. Magnum nefas hæc credere, vt Deus conſilia ſua cornicibus mandet. Huic inter multa auſpicia tribuunt, etiam pluuias portendere vocibus, vnde eſt illud: Tunc cornix plena, pluuiam vocat improba voce.*

Quid ſit augurium, & auſpicium.

D. Iſid.

Vana auguratio per cornicem auem facta reprehenditur.

5. Erat ſpeciale augurium obſeruatum ab Iſraëlitis ex baculis, aut virgis deſumptum, vt conſtat ex Oſeæ cap. 4. verſ. 12. *Populus meus in ligno interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei.* Hanc diuinationem, ſeu augurium vocabant ῥαβδομαντείαν. De quo ſanctus Hieronymus, inquit: quod Septuaginta transferunt: *In augurijs interrogabant.* Et ſubdit: *Populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogauit, & virgas, quod genus diuinationis Græci ῥαβδομαντείαν vocant. Vnde in Ezechiele legimus, quod virgas ſuas miſcuerit Nabuchodonoſor contra Amon, & Hieruſalem, & exierit virga contra Hieruſalem.* Quomodo autem coniectaretur augurium ex virgis, declarat ſanctus Cyrillus Alexandrinus ſcribens: *Eſt hic alter fallaciæ modus diuinatio per virgas, & inuentum vi fallor Chaldaicæ curioſitatis. Duas enim virgas ſtatuentes, deinde arcanis quibuſdam verbis eas incantantes, vt agente Diabolo prociderent, & cadentes rurſus obſeruabant, vtrùm prorſum, an retrorſum, in dextrum, an in ſiniſtrum ferrentur.* Erant autem Palæſtini his vanis ſuperſtitionibus deditiſſimi, vt conſtat ex Deuteronomij c. 18. verſ. 10. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi, caue*

Speciale augurium ex virgis deſumptum habebant Iudæi.

D. Hier.

D. Cyrill. Alex

Virgarum obſeruatio Chaldaicæ curioſitatis.

ne imitari velis ſuperſtitiones illarum gentium, nec inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia, & auguria. Et verſ. 14. *Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures, & diuinos audiunt.* Temporibus autem Iſaiæ Prophetæ, ad æmulationem earum gentium Iſraëlitæ obſeruabant auguria. Vnde cap. 57. verſ. 3. hoc ſcelus carpens inquit: *Vos autem accedite huc filij auguratricis.*

Maſculorum amores, & concubitus in viris Iudæis obiurgat vates.

6. *Et pueris alienis adhæſerunt.* Si Vulgatum Interpretem, & vim verbi Hebraici ſectemur, immani Sodomiæ crimine infectos aſſerit Iſraëlitas. Nam verbum Hebraicum ספק *ſaphac.* Significat: *Applaudere palma ad palmam, vel, volam tangere.* Et Iob cap. 36. verſ. 18. transfertur à Vulgato: *Opprimere.* Et in præſenti vtitur ſacra Scriptura honeſto vocabulo, vt innuat deteſtandam improbitatem dicens: *Pueris alienis adhæſerunt.* Non tantum ſunt æmulati Hieroſolymitani, Philiſtinorum idololatriam, & ſuperſtitioſa auguria, ſed etiam maſculorum amores, & concubitus. Vſque adeò enim vitium hoc infame apud Iſraëlitas inoleuit, vt pueros delicatos, comptos, & calamiſtratos ex alienigenis comparatos, vel ex Palæſtinis fœminis natos, ad profuſiorem, & publicam libidinem expoſitos haberent; ita vt cincinnatuli illi adoleſcentes catamiti, & iuuenes Cupidinis, non iam in ſyluis, luſtris, pomœriis, ſed in fornicibus meritorij pueri proſtarent; & corpus ſuum quæſtus cauſa ad præpoſteram libidinem venalitium haberent.

D. Hier.

In hoc ſenſu verba expendit ſanctus Hieronymus dicens: *In tantum autem Græci, & Romani hoc quondam vitio laborauerunt, vt & clariſſimi Philoſophorum Græciæ haberent publicè concubinos: & Hadrianus philoſophiæ artibus eruditus Antinoum conſecrarit in Deum, templumque ei, ac victimas, & Sacerdotes inſtituerit, & ex eo Ægypti ciuitas, ac regio nomen acceperit. Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt publicæ libidini expoſiti: donec ſub Conſtantino Imperatore, Chriſti Euangelio coruſcante, & infidelitas vniuerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt.*

Scelus Sodomæ apud Iudæos inualuit.

D. Cyr. Alex.

7. Nec ſolus Iſaias, Ioël quoque eiuſdem temporis Vates, contra hoc deteſtandum ſcelus clamat, cap. 3. verſ. 3. *Et poſuerunt puerum in proſtibulo.* Verba expendit ſanctus Cyrillus dicens: *Pueros meretricibus donantes, partéſque corporis verecundas inuſitatis ſtupris obijcientes, & tanquam in nundinis aliorum libidini vendentes, indeque in epulas, & ebrietates ſumptum colligentes.* Addit ſanctus Hieronymus: *Poſuerunt puerum in proſtibulo, vt virilem cogerent mutare naturam, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, quæ vniuerſa Iudæi Veſpaſiani Titique temporibus, & maximè Hadriani iuxta literam impleta eſſe commemorant.* Quod verò temporibus Regum Iuda in quibus Iſaias vaticinatus eſt præualuerit hæc improbitas, dicemus ad caput 3. v. 4. *Effœminati dominabuntur eis.* Et verſ. 12. *Et mulieres dominatæ ſunt eis.*

D. Hier.

Pueros fatidicos comparabãt Iudæi, vt acciperẽt diuinationis afflatum.

8. Alius ſenſus, in quem valde propendet animus, poteſt aſſignari, ſi dicamus alienigenarum filios impuberes apud ſe Iſraëlitas habuiſſe tanquam Vates, & fatidicos, vt eorum miniſterio vacarent auguriis, & accipientes diuinationum afflatus in idolorum delubris, & ſubterraneis ſpecubus res futuras portenderent. Huic interpretamento conſonat verſio Septuaginta legentium: *Et filii alienigenæ facti ſunt eis.* Sanctus Cyrillus, Baſilius, Chryſoſtomus, legunt: *Nati ſunt eis.* Et licèt iuxta hanc tranſlationem obiurget Vates, quod alienigenas duxerint vxores contra Dei præceptum, quia certiſſimè eos auertebant à veri Dei religione, & ad idolorum cultum traducebant; ſimul carpit vaniſſimam ſuperſtitionem, qua ab alienigenis nuptiis pueri nati imbuebantur, vt myſtæ, & inſtrumenta forent vaticinationis prophanæ, vt oraculorum Dæmonis acciperent, aut ederét reſponſa. Nec caret fundamento commentatio, cum apud Prophetam Amos cap. 8. verſ. vltimo fatidicorum puerorum munus deſcribatur: *In die illa deficient virgines pulcræ, & adoleſcentes in ſiti.* Quæ verba ſanctus Cyrillus congruenter interpretatur: *Erant virgines quædam in idolorum delubris degentes, & cum ipſis adoleſcentuli, ſiue impuberes, per quos curioſiores in re magica Dæmonum reſponſa ſe poſſe cognoſcere putabant. Nam vt ad incontaminata corpora eos aduocantes clandeſtinis ſuſurris reſponſum ab illis eliciebant,* &c. Et ſubdit: *Defecturas autem in ſiti virgines, & adoleſcentes ait, afflatus & inſtinctus Dæmonum mendaces non amplius excipientes.*

D. Cyr. Alex. *Virgines, & impuberes pueri erant in delubris idolorum ad profunda oracula.*

D. Clem. Buleng.

Et huic forſan admittunt ſenſum verba ſancti Clementis Romani lib. 7. conſtit. Apoſtolic. quem refert Bulengerus lib. 3. de auguriis cap. 1. *Ne augur eſto, quia id ſtudium ducit ad idololatriam: auguratio, ait Samuel, peccatum eſt, & non erit augurium in Iacob, non eris incantans, aut circumferens filium tuum.* Verbis poſtremis id ſubindicans, quod puerulos circumferrent per ſaxorum antra, & ſubterraneos ſpecus diuinationi deſtinatos, aut per idolorum ædiculas, vt ab eis parentes, & propinqui futurorum ſigna, & fatidica reſponſa haurirent.

Augurium, & incantationem Deus prohibuit.

Lect. Hebr.

Chald.

Et hoc præ ſe ferre videntur verſiones verbi Hebraici ספק *ſaphach, cogitationibus, vel conſiliis alienorum applaudunt*: vel: *in ſcientiis alienorum fuerunt ſufficientes.* Vide Santem Pagninum in radice ספק. Chaldæus in hoc Iſaiæ loco legit: *in legibus populorum ambulabunt.* Eò quòd ſolicitè quærebant pueros Ægyptios, Babylonios, Chaldæos, numine afflatos, in ſuſcipiendis, & notandis auguriis, peritos, & inſtructos, fatiloquorum Dæmonum, & vatum effata incognita interpretantes; vt eorum magiſterio inaugurati, & imbuti pueri Iudæi, ſatis ſupérque in prophanâ Dæmonum ſcholâ, in huiuſcemodi ſuperſtitionibus inſtruerentur. Quibus conſonat Vatabli ſcholium in hoc Iſaiæ loco: *Palæſtini, qui ad Occidentem erant terræ ſanctæ, erant deditì Aſtrologiæ Iudiciariæ, & artibus vanis, a quibus Iſraëlitæ edocti ſunt, & inſtructi.*

Vatabl.

Discvrsvs I.

A facie Domini, & contubernio Sanctorum proijci maximum ſupplicium Dei eſt.

Moyſi manus lepra albedine candicat.

1. PORTENTA à Moyſe operanda coram Pharaone tyranno Deus oſtendit in manu legiſlatoris, cum eam applicat ad pectus, & inducit in ſinum, profértque candicantem albido lepræ colore. Exodi cap. 4. verſ. 6. *Dixitque Dominus rurſum: mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* E pectore in quo Deus puritas ipſa commoratur, manus educitur infecta lepræ ſordibus? Si ante intromiſſionem, lepræ turpitudine appareret deformis, ad tactum pectoris tanti viri decoquerentur puſtulæ, abolitáque albidâ ſanie, nitori, & priſtinæ ſanitati reſtituta manus educeretur; cur ergo

Cum educitur è Moſaico pectore manus, apparet leproſa.

ergo educta fœtido lepræ candore inhorreſcit? Intende: manus illa dum in pectore latet, non apparet infecta liuore, ſed cum educitur, cum à pectore ſegregatur, apparet manus corrugata, & marceſcens leproſa tabe. Iam in Moyſe oſtendebatur, qui Dei vices gerebat, in quantas peccatorum turpitudines, & ſeculi ærumnas incurreret ille populus cum à Dei pectore expellitur, & à Deo ſequeſtratur. Pulcrè Rupertus lib. 1. in Exodum cap. 17. inquit: *Nempe manus protracta de ſinu leproſa, Synagoga eſt à gratia Dei proiecta. Ex quo latus Saluatoris ſui lancea vnxit, retracta eſt manus illa de ſinu eius, peccatorum ſuorum leprâ candente perfuſa. Quod longè Propheta præuidens gemebundus ait: vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem.* Horrendum ſupplicium comminatur Deus Iſraëlitico populo in ſeparatione Moſaicæ manus à pectore, ſegregationem nimirum, & abiectionem à Deo. Ex quo enim lanceæ cuſpide aperuit latus Ieſu, feneſtram aperuit arcæ, in qua continebatur, & expulſionem à corde Ieſu molitus eſt, vt dum intentat inferre maculam emortuo Saluatori, & cadauer notare dedecoris ſtigmate; ipſe populus odij, & proiectionis ignominiâ inuratur æternâ; aperiens percuſſurâ latus, viam fecit iucundæ fugæ à domo pectoris, & latibulo cordis, in cuius protectione ſecurus morabatur, ſed iam à Deo derelictus grauiſſimum repulſæ ſupplicium patitur.

Rupert.

Synagoga à facie Dei proiecta cum Ieſu latus aperuit lancea.

2. Ad ſolam vocem abiectionis contremuit Dauid, & poſt perpetratum ſcelus in Berſabee, & Vriam, enixè orat cæleſte numen, vt à ſeipſo tantum pondus comminationis auertat. Pſalmo 50. verſ. 13. *Ne proiicias me à facie tua.* Grauior pœna, quæ contumacibus à Deo, & valdè ſceleratis impenditur, à facie Dei, & conſortio proiectio; ideo timorati, & dociles viri, ſi propter ſeculi illecebras, aut humanæ fragilitatis lubricum labuntur, ſeipſos exponunt cauterio, & gladio reſecandos, exurendos, vt ſanentur vlcera, apparant libenter terga flagris, vt in eos manus medica, & paterna deſæuiat, ne expellantur à facie Dei, aut de contubernio Sanctorum. Grauiter, & acutè ſanctus Ambroſius ponderat grauitatem ſupplicij inquiens: *Si quis nos offenderit ſeruulorum, auertere ab eo vultum ſolemus. Plerique autem ditium amandare conſueuerunt mancipia, & per agellos relegare, & hæc pœna grauior æſtimatur. Denique ſolent magis ſe offerre verberibus. Si apud homines hoc graue ducitur, quanto magis apud Dominũ Deum noſtrum?* Et aliquibus interiectis concludit: *Grande igitur ſupplicium proijci à facie Dei: ſimul oſtendit quia Sancti permanent, criminoſi proijciuntur.* Omni pœna, & animaduerſione maior à domo Dei, & virorum iuſtorum ſodalitio ſubire repulſam; quæcunque alia vehemens, & ſeuera vindicta, qua ſceleratus plectitur, leuior æſtimatur, ſi cum dimiſſione comparetur à cœtu iuſtorum: *Sancti permanent, criminoſi proijciuntur.* Sicut enim profligatio à ſodalitate piorum ſtigma ſceleratorum interdum eſt, ita perſeuerantia vſque ad vltimum halitum eſt nota Sanctorum.

Ad vocem abiectionis contremuit Dauid.

D. Ambr.

Pœna grauis à Domino infligitur ſeruulo, cum ab eo auertit vultum. Grande ſupplicium eſt, proijci à facie Dei.

Proijciuntur criminoſi, retinentur ſancti.

3. Dux, & anteſignanus flagitioſorum Cain, fratricidij doctor, fundendi ſanguinis humani magiſter, mancipatus à Deo ſeculi ærumnis, ſecum deferebat ſignum damnationis æternæ, taléinque ſententiam ex Dei proiectione ſibi decreuit. Geneſ. cap. 4. verſ. 14. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Argutè Doctor Angelicus ſubſcribit: *Vnde iam æſtimabat ſe ſententialiter damnatum, & aſpectu, & reſpectu diuino indignum.* Habet Deus aſpectum, & reſpectum ad amicos ſuos, dum eos pietatis ſuæ pennis confouet, & in ſinu ſuo protegit ab incurſu hoſtium; at improbos aſpectu, & reſpectu ſuo iudicat indignos, dum eos reiicit; quare Cain infelicitatis ſummam, repudiationem intellexit; & totius ærumnæ titulum ſacra Scriptura ablegationem poſuit. ibi verſ. 16. *Egreſſúſque Cain à facie Domini.* Sed quomodo elongatus eſt, & profugus à facie Domini, qui per naturam ſuam vbique præſentiſſimus adeſt, & diuinæ ſapientiæ oculo omnia proſpectat? Angelico excitauit acumine quæſtionem ſanctus Thomas, eámque diſſoluit, Geneſ. cap. 4. *Dicendum eſt ad hoc quod Cain non fuit egreſſus à diuina eſſentiâ, quia vbique eſt, neque ab eius potentia, quia vbique poteſt, nec ab eius ſcientiâ, quia omnia ſcit, & intuetur: ſed dicitur egreſſus à ſua gratiâ, & beneuolentiâ, quia obſtinatus fuit, & cum pertinaciâ.* Alteramque contemplationem ſubiungit: *Vel à loco, in quo erant primi parentes, in quo Dei erat ſupernaturalis influentia, & de quo ei erat ſpecialis cura.* Diuinæ vindictæ manum, aut ſupernæ prouidentiæ oculum inter caliginem improbitatis celatus, ſubterfugere non valuit criminoſus: dicitur proiectus ab amicitia, & gratiâ; diuinæ benignitatis, & beneuolentiæ oculos, quibus reſpicit Sanctos, & in eorum operibus complacet, Cain pertinacia ſua clauſit. Compendioſa pœna eſt, maximúmque dedecus proiectio Cain ab amicitiâ Dei, & gratiâ, & à facie Domini, quæ Angelos beat; à Sanctorum ſodalitio, à terreno paradiſo, religioſo deliciarum loco, in quo morabatur Adam ante lapſum, & exilium; in quo erat diuinæ gratiæ prouentus vberior, lenior Spiritus ſancti aura hominem refouebat, & ſub alarum Domini velamento erat ſecura protectio, & notandum quod Scriptura diuina reprehendit Cain, ipſe ſcelus ſuum, & à facie Domini repulſam refundebat in Deum; *Ecce eiicis me hodie à facie terræ.* Sed eum ſtatim increpat: *Egreſſúſque Cain à facie Domini.* Sicut criminis, ita & proiectionis eſt auctor Cain; ipſe ſibi homicidio, & impœnitentiâ repudium concinnauit; quid mirum ſi Dei deſpector, & proiector proiiciatur à Deo, ipſe indocilitate, & contumacia dimiſſionem promeruit.

Caini magnum ſupplicium, quod à facie Dei expellitur.

D. Thom.

Cain egreſſus eſt à Dei beneuolētia.

Cain proiectus à loco parentum de quo erat Dei ſpecialis cura.

4. Primum apoſtatam Angelum deficientem à Deo, hoc fulmine proiectionis à paradiſo Deus ferit. Deſcribit Ezechiel, Vates diuinus, Luciferi decorem inter candidatorum ſpirituum cœtus clarè refulgentis, cæleſtis paradiſi perfuſi gaudiis, Cum ipſo Deus apud Ezechielem fatur capite 28. verſ. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Ampla naturæ, & gratiæ decora propoſuit, quibus exornatus Angelus à creationis exordio. Ex quibus verbis argutè coniectat Rupertus, non ſtatim, ac creatus eſt, labefactatam eius conſtantiam, aut criminis labe contaminatum eius decorem, ſed interfuiſſe temporis morulas, quibus iniquitas conſummata eſt. Addit & aliud Tuitienſis acumen, & diuinæ patientiæ prodigium; poſt perpetratum ſcelus, licèt agnoſceret Deus Angeli apoſtatæ naturam, improbitati tenaciter inhærentem in nequitia confirmatam, & ad bonum inflexibilem, non ſtatim in eum animaduertit expellens à paradiſo, ſed breui temporis interſtitio, expectauit patientia Dei, vt iuſti iudicij formam apud Angelos commendaret. Audiendus eſt Rupertus lib. 1. de victoriâ Verbi Dei capite 21. *Sed & illud datur intelligi,*

Primus Angelus à cæleſti aula deturbatur.

Non dimiſſus eſt ſtatim, ac flagitium commiſit.

Rupert.

Patientia Domini expectauit Angelum poſt lapſum, & non ſtatim eiecit.

ligi, quod non ſtatim in initio peccati de cœlo proiectus fuerit, ſed ipſum quoque expectauerit patientia Dei. Ipſe autem ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens iram ſibi theſaurizauit. Ad conceptum illuſtrãdum ipſius capitis Ezechielis verba annectit, verſ. 16. *In multitudine negotiationis tuæ, repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte Dei.* & ſubiungit Rupertus: *Non parua mora intelligitur in iniquitate illius peccatoris antiqui, ad inſtruẽdos electos Angelos, vt ſcirent iuſtum eſſe iudicium Dei, videntes illum peccatorem quod eſſet incorrigibilis.* Expectauit Deus vt diuerſis actibus continuata nequitia, & non retractata adimpleret menſuram: & ſtatim reiectio ſubſecuta eſt. Preme verbum illud Ezechielis: *Et peccaſti, & eieci te de monte Dei.* Ipſam expulſionem, & exturbationem à cœleſti paradiſo, Angelicæ prauitatis, & audaciæ velut pœnam propoſuit.

Rupert.
Angelus malus in peccato cõtumax, & inſanabilis.

Pro magno ſupplicio minatur Deus Iudæis, de domo ſua proiectionem.

5. Volens Deus animaduertere in Iſraëlitas, omne minarum, & ſuppliciorum pondus iactat apud Oſeam cap. 9. verſ. 15. *Propter malitiam adinuentionum eorum, de domo meâ eyciam eos: non addam, vt diligam eos.* Vt plectat contumaciæ ſcelus, idololatriæ nequitiam, tanquam omnium maximum ſupplicium irrogat eiectionem de domo Dei. Nec admittenda eorum commentatio, qui eiectionem captiuitatem eſſe cenſent, qua humiliata eſt tribus Iuda, cum enim poſt captiuitatis Babylonicæ ærũnas Ieroſolymam ſint reducti filij Iuda, quomodo illis aptabis verba diuina, *Non addam, vt diligam eos?* Hac ratione conſtrictus Hieronymus aliam veræ intelligentiæ viam init, dicens: *Vnde ad Chriſti tempora tranſeundum eſt, quod in aduentu eius eiecti ſint de domo Dei. Vnde & Dominus fecit ſibi flagellum de funiculis, & eiecit eos de templo, quia domum Patris eius fecerant domum negotiationis.* Nec iubet, vt terra dehiſcens eos deuoret, aut iaciantur fulmina dé ſupernis, quæ eos exurant. Summam animaduerſionem reputauit Ieſus eos de templo eiicere. Cur ergo flagello proiicit de funiculis contexto? Vt funiculos charitatis innuat, quibus eos Dominus attraxit, & innexuit; nunc verò de funiculis amoris efficit flagellum punitionis; vt animaduertant, quantum malum ſit, rumpere nexus amoris, alligaturas charitatis infringere: qui ſoluit vincula, ipſis vinculis punitur, à Deo ſeparatur, & à templo Domini proiicitur.

D.Hier.

Chriſtus flagello eiicit Iudæos de templo.

Iacob, & Eſau diuerſa inſania.

6. Diuerſas inclinationes animorum Eſau, & Iacob fratrum recenſet Scriptura ſacra, Geneſ. cap. 25. verſ. 27. *Quibus adultis, factus eſt Eſau vir, gnarus venandi, & homo agricola:* Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Eſau ductus naturæ feritate, inter nemora, & ſyluas gaudebat captura ferarum, belluas telo traiicere, & earum ſanguine cruentare dexteram. Iacob ingenio affabilis, humanitateque præſtans fucatum in verbis abhorrebat nitorem, propriæ domus cuſtos diligebat hominum contubernium. Quod quiete, & placidè habitaret in tabernaculis Iacob, pro ſumma laude poſuit diuinitus inſpirata Scriptura: *Vir ſimplex, habitabat in tabernaculis.* Septuaginta legunt: *Habitans domum.* Iuſti enim ſummam beatitudinem eſſe ducunt huiuſmodi in domo Dei habitationem. Audi ſanctum Cyrillum Alexandrinum lib. 1. Glaphyror. in Geneſim; *Habitant igitur,* (inquit) *qui in Chriſto tanquam domum in pietate, & ſanctimonia vitam, quam quidem veluti coronam quamdam ſuis ipſorum capitibus imponunt, ac pro ſummâ felicitate ducunt. Idcirco, inquiunt, ſubinde quidem: lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Subinde verò: vnam petij à Domino, hanc requiram. Quidnam autem petit, & quod vnum beneficium expectat? Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Audis, quo pacto inſtar ſummi beneficij ducat habitare in domo Domini, & in diuina aulâ verſari?* Ambiunt viri iuſti in domo Dei perpetuum contubernium, & ſicut hoc ſodalitium tanquam ſummum beneficium æſtimant; ſic expelli à domicilio Dei tanquam maximum ſupplicium reformidant.

Magna Iacob, & iuſtorum laus, quod habitẽt in domo Domini.
Lect. Lxx.
D. Cyrill. Alex.

Discvrsvs II.

Contumaces, & inſanabiles, à communitatis corpore exſcindendi, & reijciendi.

1. Cvm turbæ irruerent in Ieſum acceſſit ſcriba doctus in lege, vt ſub Ieſu vexillo militaret, & verba quædam plena animoſitatis, & ſtrenuæ virtutis fatur. Matth. cap. 8. verſ. 19. *Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocumque ieris; & dicit ei Ieſus: vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Quis non demiretur virum præclarum eruditione eximium, in Ieſu ſodalitium non admiſſum, ſed ab eo obiurgatoriis verbis ablegatum? Excitat animum, Ieſu ſeueritas, vt talis reiectionis cauſas inueſtiget. Sanctus Chryſoſtomus in catenâ aureâ Doctoris Angelici, tumore, & elatione animi ſcribam nuncupat verba protuliſſe, quibus ſe à reliqua turba tanquam quid eximium, & magnum ſequeſtrabat. Adde temerario auſu hæc verba effutiiſſe, & non vocatum à Domino in Apoſtolatus dignitatem ſe ſe ingerere voluiſſe. Sed ſubtilius eſt, quod Chryſoſtomi diſcipulus comminiſcitur, ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 17. ſcribens: *Atque hominem illum verſutis, ac fraudulentis cogitationibus detentum eſſe, atque ab improbis ſpiritibus incoli, vitióque ita hærere perſpiceret, vt ab eo reuocari non poſſet, ac propterea eum à ſuo cœtu ablegabat, ne pertinax ipſius improbitas, iis, qui fidem amplexi eſſent, offenſionis cauſam afferret.* Videbat Ieſus literatum affectibus improbis, & inſanabilibus detentum, ideò ab Apoſtolorum Collegio ſegregat, ne illius improbitas aliis officeret, aut eſſet ſcandalum, & in virtutis, perfectioniſque ſemitá alacriter gradientes retardaret. *Propterea eum à ſuo cœtu ablegabat.* Prudens Ieſus, qui ſeditioſum à ſacro illo ſodalitio expulit, ne diſcipulorum fidem, & pacem turbaret, aſſenſúmque firmum circa Chriſti potentiam, & diuinitatem, qui in diſcipulorum animis altè inſederat, rixis labefactaret, & ſcriba ſciolus falſâ eruditionis opinione intumeſcens in ſacra ſchola paruulorum, & ſimplicium ſeditionem concitaret.

Cur Chriſtus ſcribam doctum in ſodalitium ſuum nõ admittit, ſed à ſe reijcit.

D. Iſid. Pel.
Scriba fraudulentis cogitationibus, & pertinacia plenus.
A ſuo cœtu eum ablegauit Ieſus, ne alijs eſſet cauſa offenſionis.

2. Venit Dominus ad viſitandam vrbem Ieroſolymam, vt illius ſcelera perquirat, & puniat. Ezechielis cap. 9. verſ. 1. *Appropinquauerunt viſitationes vrbis, & vnuſquiſque vas interfectionis in manu ſuâ.* Prominebat in medio vir auguſtâ majeſtate conſpicuus, Sacerdotalibus veſtimentis ornatus, habebat in comitatu ſex iudices, qui iuxta diuinæ æquitatis normam Ieroſolymitana ſcelera ſupplicio plecterent. ibi verſ. 2. *Et ecce ſex viri,* &c.

Viſitatio vrbis Ieroſolymæ à Deo facta.

Et

Et vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius. In hoc ſummo cæleſtium vigilum, & conſiliariorum ſenatu, quod ſit vas interitus, & inſtrumentum punitionis in vindicibus Angelis aueo ſcire: apertè locuti ſunt Septuaginta ſeniores legentes: *Vniuſcuiuſque ſecuris in manu eius.* Oſtentabant diuinæ iuſtitiæ miniſtri armatas manus dolabris, aut bipennis (Prætorum, aut Conſulum Romanorum inſtar, qui faſces, & ſecures præferebant) vt fructuoſæ arboris inciſionem iunnerent, iuxta Diui Hieronymi placitum ſcribentis: *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. cap. 3. verſ. 10. excidium, & flammas minantur arboribus omni flore, & fructu exutis. Forſan ex hoc loco Prætores Romani morem illum celeberrimum mutuarunt præferendi colligatos faſces, & ſecures. De quo Plutarchus in quæſt. Romanis quæſt. 82. perſcrutatur: *Cur Prætorum faſces colligati feruntur appenſis ſecuribus?* Et argutè reſpondet: *An id ſignum eſt iram magiſtratus non debere eſſe in procliui, & ſolutam? An ſolutio faſcium, quæ paulatim fit, moram aliquam iræ iniicit, & cunctationem, & nonnunquam fecit, vt ſententia de ſupplicio exigendo mutaretur.* Addit denique alteram ſolutionem, quæ ſcopum conceptus collimauit: *Iam quum vitiorum alia ſint ſanabilia, alia inſanabilia: virgis corrigebantur, qui emendari poterant, ſecuribus amputabantur immedicabiles.* Iudicum maturitatem in irrogandis ſuppliciis; & tarditatem ab ipſis obſeruandam in exactione pœnarum innuebat faſcium colligatio; vt dum Prætores ſubitò in aliquos incanduiſſent, datâ morâ dum virgæ diſſoluuntur, aut ſecuris expeditur, furor ille aliqua ex parte ſubſideret; at bipennarum appenſio, & oſtentatio inter magiſtratuum inſignia à lictoribus prælata, indiciarium animus mixturâ quadam clementiæ, & ſeueritatis temperandum portendebant; eorum enim ſcelera, in quibus ſpes affulget emendationis, flagello, & virgâ plectenda ſunt; inſanabilium vero malitia deplorata, ſecuri amputabatur; præſtat enim facinoroſos, & immedicabiles, tanquam arbores exceſas contumaciæ putredine, expulſionis ſecuri abſcindere.

Iudices ſacri ſecuribus armati veniũt. Lect. Lxx.

D. Hier. *Dolabras deferunt vt arbores ſteriles exſcindant.*

Plutarch. *Prætorum Romanorum faſces, & ſecures quid denotent. Solutio faſcium iræ tarditatem denotat. Vitia quæ admittunt ſanitatem virgis plectuntur, inſanabilia membra ſecuribus amputantur.*

3. Luciferum arrogantia tumidum inferiores Angelos deſpicientem ſupremæ dignitatis apicem ambientem, orbis nimirum imperium, ſacer Angelorum ſenatus ferre non potuit; ipſum propriâ ſententia obfirmatum, cæleſtes ſpiritus conturbare conantem, ſacra cœlitum cohors Deo militantium, de proprio domicilio, & conſortio proiicere ſatagunt; ſciebant etenim ſancti Angeli lucri expulſionem futuram pacis conciliatricem Apoſtatæ, & inſolentis Angeli abiectio indicatur Apoc. cap. 12. verſ. 7. & 8. in quo Euangeliſta Ioannes inſtructas acies Angelorum proponit, in quibus Michaël, & Angeli eius cum dracone decertabant, & de apoſtatis ſpiritibus adiungit: *Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.* In cœli domicilio, in quo regnat humilitas, non tenet locum ſuperbia. Qui non tenuit principatum, ſubſellium amiſit, cum proiectus eſt Angelicâ poteſtate. Pulcrè ſanctus Andreas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ſcribit Luciferi repulſam in Apocal. cap. 34. ſerm. 12. *Enimverò cum diuini Angeli cum duce ſuo Michaele, illius ſuperbiam, & arrogantiam ferre non poſſent; ipſum ex ſuo conſortio, & conſuetudine, vt probabile ſit, ſtatim abiecerunt: atque huc ſpectat, quod Propheta Ezechiel illum ex Cherubinis, mediiſque ignitorum lapidum,*

Lucifer propter arrogantiam, & contumaciam à cæleſti ſenatu expellitur.

D. And. Cæſ.

Michaël non ferens impudentiam, & arrogantiam Luciferi, eum ex ſuo conſortio abiecit.

hoc eſt, Angelicorum Ordinum, ſtatione eiectum aſſerit; ea nimirum de cauſâ, quod iniquitates in illo compertæ eſſent. Immaculata Angelorum puritas non admiſit in ſuo contubernio ſceleris maculam, ſtatim ac reperta eſt in Angelo apoſtata contumaciæ prauitas, illius repudium ſubſequutum eſt.

4. Ex ſancti Andreæ Cæſarienſis ſententia alludit Ioannes ad caput 28. Ezechielis, in quo Vates deplorat Luciferi felicitatem amiſſam; ibi v. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, &c. & Luciferi eiectionem de paradiſo Dei: *Et peccaſti, & eieci te de monte Dei*, verſ. 16. At Scholiaſtes Græcus prædicta verba accipit de Rege Hiram à ſocietate Sanctorum expulſo, ſic enim ſcribit: *Olim cum verſareris cum religioſis illis, Deique amicis, ſignificat porro Dauidem, & Salomonem; iure tibi ſapientiæ notitiam vendicabas, ac tanquam ſigillum, quod eſſes legitimus, ac genuinus, ſupernum tibi aderat auxilium, vt ſimul cum Salomone bonis afflueres.* At nunc proiectus à Deo, & eorum conſuetudine ſegregatus, ignorantiæ, & infelicitatis ærumnas ſuſtines. Propoſitam catenæ Græcæ ſententiam aptabis religioſo cadenti à præexcelſo ſanctitatis, & religionis faſtigio, ſacri paradiſi delicias commutanti pro Ægyptiacis ollis, nidorem carnium, allij, & cepæ halantibus, ſecularis voluptatis, aut vanitatis; cui Vates nænias illas cantitat: *Cum verſareris cum religioſis illis, Deique amicis, iure tibi ſapientiæ notitiam vendicabas, ſupernum tibi aderat auxilium.* At nunc in terram proiectus, ſi ventri ſeruias, libidini indulgeas, vitiorum cœno voluteris, non aderit tibi cæleſte præſidium, quo Deus amicis indulget.

Græc. Schol. *Rex Hiram à ſocietate Sãctorum Regũ expulſus.*

Cum verſaretur Hiram cum religioſis illis regibus ſapientia gloriabatur.

5. Approbat, & collaudat ſanctus Ambroſius naturam, & ingenium aquilæ in approbatione, & repulſa ſuorum fœtuum, & ad ea verba Salomonis Prouerb. capite 31. *Veſtigia aquilæ volantis.* ita fatur libro ſuo de Salomone capite 2. & cum inſignia aquilæ aperit, magnalia Eccleſiæ prædicat: *Nam vt aquila colona, cum primum calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes; hos contra faciem feruidi Solis opponit, vt qui ægram, & inualidam coruſco radiorum appulſu aciem ſubmiſerit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum conſortio ſeparetur, & deiiciatur in terram.* Singularis ſeueritas, & mira cautio aquilæ erga ſuos natos, cum conniuentem ad Solis radios, è nido proiicit tanquam adulterinum, imitanda proponitur Eccleſiæ a Mediolanenſi Antiſtite; & non erit inutilis æmulatio familiæ religioſæ, ſi filios rebelles lumini repudiauerit, & nõ abſtergentes ex oculis lippitudinem concupiſcentiæ, vanis, & terrenis curis induratã, paterno damnatos arbitrio à fratrum conſortio relegauerit.

D. Ambr.

Aquila pullũ oculis conniuentem ad Solis radios, à fratrum conſortio ſeparat.

6. Aduerſus eos, qui ſunt alteri offendiculo plenam ſeueritate ſententiã protulit Chriſtus Matth. cap. 18. verſ. 8. *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eum, & proiice abs te.* & verſ. 9. *Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Quid ſenſus lateat in cæleſtis præceptoris conſilio, ſapienter admodum expendit ſanctus Iſidorus Peluſiota libro 1. epiſt. 83. dicens: *Eos iis membrorum nominibus appellans, quorum opera nos ea, quæ nobis cordi ſunt, exequimur, cum igitur quiſpiam ex ipſis ſcandali auctor extiſtit, aut in peccato quodam aliquo, quod probrum nobis afferat, atq; ignominiam ipſi conflet, volutatur; huiuſmodi hominẽ exſcindere oportet: ne alioquin peſtẽ imitans, corporis integritatem, & incolumitatẽ depaſcatur, ſuo videlicet*

D. Iſid. Pel. *Membrum putridũ, licèt ſit valdè neceſſarium exſcindendum ad corporis incolumitatem.*

dolore, ijs, qui ab huiuſmodi vitijs ſani ſunt, impacto. Viros operum ſplendoribus conſpicuos, ſapientiâ præſtantes, oculos, & manus nuncupat, qui ſicut lumina in facie fulgent, & ſicut manus in corpore eorum induſtria eſt apprimè neceſſaria; ſi vitæ turpitudine, & morum corruptela, ſcandalum excitent, & maculam inferant glorioſo congregationis nomini, in quâ commorantur, & ſibi ipſis infamiam aſciſcant; præſtat eos abſcindere tanquam putrida membra, ne improbæ vitæ virus ſenſim ſerpens totum corpus communitatis corrumpat.

Expulſionis ſeueritas, & ſectionis acerbitas quo pacto temperanda?
Sen.

7. Verumtamen expulſionis ſeueritas, & ſectionis acerbitas temperanda iuxta præſcriptum Senecæ prælatos inſtruentis grauiter, & doctè lib. 1. de clementiâ cap. 14. Cum ſcribit munus Principis, & Patris: *Quod ergo officium eius eſt? quod bonorum parentum: qui objurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exheredat? Niſi magna, & multæ iniuriæ patientiam euicerint, niſi plus eſt quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & peiore loco iam poſitam, reuocet: ſimul deplorata eſt, vltima experitur. Nemo ad ſupplicia exigenda peruenit, niſi qui remedia conſumpſit.* Et paucis interiectis: *Tardè ſibi pater membra ſua abſcindat: etiam cum abſciderit, reponere cupiat: & in abſcindendo gemat, cunctatus multum, diúque: prope enim eſt, vt libenter damnet, qui citò. Prope vt iniquè puniat, qui nimis.* Hæc Seneca, quibus egregiè & religiosè inſtruit patres.

Pater ad primam offenſam non exheredat filium.

Pater tardè membra ſua abſcindat, & abſcindendo gemat.

D. Iſid. Pel.

8. Subiiciam alia verba ex ſancto Iſidoro Peluſiota mutuata, quibus admonet filios, lib. 1. epiſt. 129. ad Pachomium Monachum ſcribit: *Dei regnum monaſtica vita eſt, vtque nulli vitioſæ affectioni ſuccumbat, verum alta ſapiat, ac virtutes cœlo ſuperiores præſtet. Hanc tu complectens, da operam, ne quod te delictum in ſeruitutem addicat, ac regijs templis, & palatijs exturbet. Difficile enim factu eſt, vt qui prolabuntur, ad eam rurſus reuocentur.* Hæc ille.

Curandum religioſo ne aliquod crimen eum à regijs templis & palatijs exturbet.

Verſ. 7. Repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis theſaurorum eius.

Verſ. 8. Et repleta eſt terra eius equis: & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta eſt terra eius idolis, opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum.

COMMENTARIVS.

Iudæorum auaritia redarguitur.

1. REDARGVIT Iſaias Iudæorum auaritiam, & elationem: etenim diuitiis perfrui crimen non erat: ſed habere diuitias malè partas ſimul cum inexplebili lucri cupiditate, quæ Iudæorum animis inſederat; iure reprehendit Vates. Enimverò auri, & argenti copia per fas, & nefas comparata in idolorum alliciebat ſeruitutem, malemoratos animos: nam cum Deus Iſraëlitas cumulaſſet, diuitiarum, auri, & argenti affluentiâ; iis ad delicias, & vitiorum irritamenta abutebantur, ad idolorúmque cultum iuxta illud Oſeæ cap. 2. verſ. 8. *Et argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Et cap. 8. verſ. 4. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui: argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* Et Ezechiel cap. 16. verſ. 13. & 17. cum Ieruſalem loquitur Deus: *Et ornata es auro, & argento, & tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis.* Prædictam interpretationem inſinuat Iſaias cum ſubdit: *Et repleta eſt terra eius idolis.*

Iudæorum faſtus & vana oſtentatio in ornandis equis.

2. *Repleta eſt terra eius equis*, &c. Superbiſſimo faſtu efferebantur Iudæi ex equis ſumptuosè phaleratis, bullis pretioſiſſimis, & ephippiis ſericis, cum eorum capita, ferocéſque ceruices oſtentabant ornatas cum echinis, & circulis, argenteiſque ſonalibus, & ſpumantia ora lupatis; vt admotis calcaribus omnia complerent hinnitibus, & albenti ſpumatum humore ſternerent vias. Præterea lecticis, curribus, ex auro, argento, ebore fabrefactis ſuſpendi, & magno equorum iugalium apparatu vehi pompaticè per vias, & plateas, ad inanem oſtentationem, & gloriam in maximis deliciis habebant. De his equis, & equitibus loquitur Deus per Prophetam Michæam cap. 5. verſ. 10. *Et erit in die illa dicit Dominus: auferam equos tuos de medio tui, & diſpergam quadrigas tuas.* Et Zachariæ cap. 9. verſ. 10. *Et diſpergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem.*

3. *Et repleta eſt terra eius idolis.* Vide quæ diximus ſupra cap. 1. verſ. 29.

Verſ. 9. Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis.

Verſ. 10. Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria Majeſtatis eius.

COMMENTARIVS.

1. DIXIT adoraſſe opera manuum ſuarum, & figmenta ex auro, & argento conflata; nunc ritus, & ceremonias vani cultus exprimit dicens: *Et incuruauit ſe homo.* Hebraicum שחה *ſacha*, propriè denotat, ante conſpectum alicuius procumbere, & procidere, reuerentiæ, & adorationis cauſa. Mos iſte apud Orientales inualuit. Gen. 48. verſ. 12. de Ioſeph dicitur: *Adorauit pronus in terrã.* Ioſue cap. 5. verſ. 14. *Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans*, &c. Quare ex phraſi ſacræ Scripturæ incuruare ſe coram aliquo, adorationem, & venerationem denotat. Iſaiæ 49. verſ. 23. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te.* & capite 60. verſ. 14. *Venient ad te curui filij eorum, qui detrahebant tibi.* Threnor. capite 3. verſ. 29. *Ponet in puluere os ſuum.* Legit Chaldæus: *Proſternetur coram Domino ſuo.* Geneſ. 43. verſ. 28. de fratribus Ioſeph dicitur: *Et incuruati adorauerunt eum.* 1. Eſdræ capite 8. verſ. 6. *Et incuruati ſunt, & adorauerunt Deum proni in terram.* Iſaiæ capite 44. verſ. 15. de idolorum ſtructura, & cultu. *De reliquo operatus eſt Deum, & adorauit, & fecit ſculptile,*

Ritus à Iudæis obſeruati in idolorũ veneratione.

& curuatus eſt ante illud, & verſ.17. *Reliquum autem Deum fecit, & ſculptile ſibi: curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat dicens: libera me, quia Deus meus es tu.* Et ex prophanis idem ritus conſtat. Petronius in Satyr. *Procubuit ante pedes, & rogare cœpit.* Et Philo Iudæus de legatione ad Caium: *Vbi Petronius in loco ſuperiori conſpectus eſt, vniuerſi homines humi procumbunt ſupplices.* Ammian. Marcel. lib.17.ait de Antonio: *Antonius curuatus membris, humum vultu contingens ſalutauit.* Quapropter proſtratio ante ſculptilia, in illis verbis: *Incuruatus eſt homo*, hæc omnia innuit, venerationem, & cultum, quo lignum, & lapidem Deum fatetur homo, & Dominum agnoſcit, à quo ſua omnia, vita, & mors pendeant; & humillimum obſequium, quo ſeipſos tanquam dedititios Dæmoni tradebant, vt ſub eius dominio famularentur.

Petron.

Ammian.

2. Emphaſim habet: *Incuruatus eſt homo.* Illud animal, quod cæteris eminet, & capite erecto ad cœlos, ad ſidera plaſmatum, vt conſortium cum cœlicolis haberet; ad lutea, & lignea figmenta incuruatur, proſternitur. *Et humiliatus eſt vir.* Si fœmina id ſcelus perpetraret, mirum non eſſet, quæ ad ſuperſtitioſa, & vana, naturæ quadam leuitate propendet; aut propter inſcitiam, & ignorantiam, deceptioni, & errori expoſita, aut propter imbecillitatem muliebri ſexui innatam. Sed vir ad maiora creatus, quàm ſint ea, quæ cadunt ſub aſpectum; ſapientia, prudentia, & fortitudine prædirus degeneri vilitate ſe ſe ad inferorum monſtra abjicit, venerabundus procumbit, & faciem eorum deprecatur, quod eſt lamentatione digniſſimum. Sic Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Procopius.

Magnũ flagitium eſt hominem ad cæleſtia creatum, ad lignea & lapidea figmenta incuruari.

3. Selectiora ſunt ſancti Baſilij verba: *Exaggeratio eſt malitiæ, quòd vir, qui longè erat Princeps dono intelligentiæ, & idem præualebat in digerendis operibus ſuis, & is propriæ dignitatis oblitus, ſe eò deiecerit, vt adorauerit idola. Is, inquam, qui imago eſt, & gloria Dei, Chriſtum habens ſupra ſe caput infra idolum ſe ſubſtrauit. His adde: quia vir: hoc omnem vincit calamitatem. Si enim puſio aliquis, ſi mulier, nonnulla vtique affulgere poſſet veniæ ſpes: & quidem puellulo, quod per immaturam ætatem deliquiſſet, mulieri verò ſuccurriſſet ingenita ſexui infirmitas. Nunc verò vir vltroneus ſimulacro ſe ſubijcit, id quod planè omnem ſupergreditur exuperantiam ignominiæ, ac dedecoris.* Sic mentem Vatis illuſtrat S.Baſilius.

D.Baſil.
Hominis malitiam idola venerantis exaggerat S.Baſilius.

4. *Ne ergo dimittas eis*] Septuaginta legunt: *Et non dimittam eos* Sanctus Baſilius: *Nequaquam dimittam.* Ex eo quod Vulgatus legit per optatiuum, & Septuaginta per affirmatiuum, efficitur pulcherrimus ſenſus. Cum Vates per ſpiritus prænotionem agnoſceret repudij, & abiectionis ſententiam, propter prædicta Iudæorum ſcelera eſſe à Deo prædefinitam, & prolatam, optat, vt eadem ſententia non infringatur. Inde eſt, quòd cum Deus profetat: *Non dimittam*: ipſe Vates annuat, dicàtque: *Ne ergo dimittas.* Addit ſanctus Cyrillus, illis verbis: *Nequaquam dimittam*, demonſtrari eſſe abſolutum, & immutabile Dei decretum: *Immutabilitatem (inquit) iræ oſtendit.* Nam ſæpiſſimè Vates, huiuſmodi ditis, & imprecationibus deuouebant ſuos Iſraëlitas cum præſcirent non adfore ſpem emendationis ſed in ſua iniquitate permanſuros.

Optat Iſaias vt ſententia ſupplicij à Deo definita, ad exitum perueniat.

D. Cyrill.

5. *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo*, &c. Circa hæc verba grauiſſima difficultas, & penè indiſſolubilis quæſtio occurrit, an ſint intelligenda de comminatione captiuitatis Babylonicæ, an Romanæ tempore Titi, & Veſpaſiani? Pro captiuitate Babylonica militat; quod hæc comminatio verborum fulminatur tanquam irrogatum ſupplicium idola venerantibus, vt conſtat ex verſ. 8. *Repleta eſt terra eius idolis.* At Chriſti temporibus, & captiuitatis Romanæ, nullum colebatur figmentum in Ieroſolyma, vt conſtat ex Rabbi Samuele in epiſt. ſua cap.1.& 2.Galatino lib.4.cap.23. ex Thalmud Ieroſolymitano, & conſenſu omnium Iudæorum, quod acriter defendit Ribera noſter in cap.5. Michææ à num.77.

Intelligitur ne hoc Vaticinium de comminatione captiuitatis Babylonica, an Romana.

Iudæi an fuerint idola venerati poſt captiuitatem Babylonicã.

6. In contrarium autem poteſt adduci ſanctus Hieronymus hîc ad ea verba: *Repleta eſt terra eius idolis*, dicens: *Vbi quondam erat templum, & religio Dei, ibi Hadriani ſtatua, & Iouis idolum collocatum eſt.* Et Euſebius Cæſarienſis libro 2. demonſtrationis Euangelicæ cap. 37. expendens verba illa: *In illa die abyciet homo idola argenti ſui*, addit: *Propemodum indicat auerſionem à ſimulacris, qua auerſi ſunt, & ipſi Iudæi, & omnes reliqui homines poſt Saluatoris noſtri aduentum, quando omnem ſuperſtitionem aſpernati ſunt.*

D Hier.
Quid ſentiat S.Hieronym.

Euſeb. Cæſ.

7. Sed his non obſtantibus dicendum eſt poſt captiuitatem Babylonicam, aut Chriſti temporibus, nullum idolorum cultum, apud Iudæos extitiſſe, cum nec in Prophetis, qui poſt Cyri redemptionem vaticinati ſunt; nec apud Euangeliſtas vllum veſtigium adorationis idolorum repetiatur. Nam cum in eos acriter inueherent Prophetæ poſt Cyrum, & Apoſtoli poſt Chriſtum, eorum ſcelera increpantes, idolorum, aut ſculptilium nulla fit mentio. Et Chriſtus Dominus cum paſſim eorum vitia redargueret, venerationem ſculptilium non improperauit. Quare ad auctoritatem ſancti Hieronymi ſupra allatam dicendum eſt: collocatum in templo Iouis ſimulacrum inuitis, imò renuentibus Iudæis, & nullum venerationis ſignum exhibentibus. Et licet illud ſimulacrum adoraſſent, non propterea verificarentur verba illa: *Repleta eſt terra eius idolis.* Euſebius verò ſolum intendit vanas obſeruationes, aut gentilitias ſuperſtitiones apud Iudæos fuiſſe ſuperſtites, non cultum idolorum, qua veritate ſuppoſita validum inſtauratur argumentum pro captiuitate Babylonica, nam ante illam, cultus idolorum apud Iſraëlitas viguit, & temporibus Regum Iuda, apud quos Iſaias vaticinatur, repleta erat terra idolis. Cum ergo Iſaias minitetur Ieroſolymæ excidium propter idolorum venerationem, & Chriſti tempore iam erat extincta; ea verba de captiuitate Babylonica, non Romana, in qua nullum erat adoratum ſimulacrum, accipienda ſunt.

Apud Iudæos nullus poſt captiuitatem Babylonicam aut Chriſti tempore, idolorũ cultus.

Fit ſatis obiectiunculis.

8. Pro captiuitate Romana pugnant verba illa: *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo.* Quia in obſidione, & inuaſione Chaldæorum non legitur Iudæos ſe ſe in ſpecus abdidiſſe, aut terræ cuniculos penetraſſe iram hoſtiũ fugientes; at in captiuitate Romana in ſubterraneis antris, imò, & in cloacis latitaſſe, compertum eſt, dum eos auaritia, & ſæuitia Romanorum perſcrutabatur vſque ad immundiſſima loca, indéque eos extrahebant. Vt lugubri nænia occinit Vates Sophonias cap.1. verſ. 12. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in facibus ſuis.* Et ibidem Hieronymus aptè ſubiungit: *In die captiuitatis Ieruſalem à Romanis ſcrutabitur Dominus cum lucerna omnia abſcondita in Ieruſalem.* Legamus

Pro captiuitate Romana quæ auctoritas pugnet.

D.Hier.
Iudæi in Romana captiuitate in ſpeluncis & cloacis latebant.

mus Ioſephi hiſtorias, & ibi reperiemus ſcriptum, de cloacis quoque, & ſpeluncis, & antris, & ſepulcris extractos Principes, & Reges, & potentes, & Sacerdotes, qui ſe in eis, metu mortis, abſconderant. Sed audiendus eſt Ioſephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 17, *Romani* (inquit) *rimantes cloacas, & ſepulcra eruentes, quos offendiſſent iugulabant.* Accedunt verba illa Chriſti Domini Lucæ cap. 23. verſ. 30. loquentis de Ieroſolymæ vaſtitate tempore Romanorum: *Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos: & collibus, operite nos.* In quæ verba S. Beda citatus in Catena ſancti Thomæ, ſcribit: *Refert Ioſephus inſiſtentibus ſibi Romanis, certatim Iudæos cauernas montium, colliúmque petiiſſe ſpeluncas.* Quapropter Iſaias clamat: *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo.* Quaſi eſſet præſens excidio Iudæorum, ſpeluncas, & cauernas terræ rimantium, fugientiúmque ab ira Domini. Relinquitur ergo, verba hæc de captiuitate Romana, non Chaldæa accipienda fore.

D. Beda.

Vtramque captiuitatem Iſaias in hoc vaticinio cõprehendit.

9. Verumtamen exiſtimo vtramque captiuitatem, & Babylonicam, & Romanam his verbis Iſaiam comprehendere. Vt hoc ſit compertum, prætermittendum eſt, à Prophetis paſſim vſurpari circuitus, & tranſitiones, à typo ad rem ſignificatam, ab vmbra ad veritatem, ab vna comminatione ad alteram; ab vna captiuitate ad alteram facere tranſitum, & vtramque ſæpiſſimè ſuis ſententiis connectere. Et non interrupta verborum ſerie, à captiuitate Babylonica ad Romanam tranſilire. Qua face præeunte magnum intelligentiæ lumen infertur legentibus Prophetarum vaticinia, ſine qua interpres in media luce cæcutiet. Quæ regula inpræſentiarum patuleſcit. Nam in hoc capite Iſaias mirabili verborum ordine illigat Iudæorum flagitia in vtroque tempore Regum Iuda ante Chaldæorum inuaſionem, & tempore Romanorum perpetrata, & vtrumque ſupplicium à Deo inflictum vaticinatur, nimirum Ieroſolymæ vaſtitatem, & excidium à Chaldæis, & Romanis illatum.

Iudæorum ſcelera ad vtramque captiuitatem attinentia ab Iſaia redarguuntur.

10. Coëxiſtentia ſcelerum vtriuſque temporis in mente diuini Vatis illuſtrati à Deo, cui omnia exiſtunt præſentia in æternitate, in hoc capite reperiuntur: flagitia, quæ ad Chriſti tempora attinent, ſunt cæcitas, & cordis obduratio, quod Chriſto vocante, & Apoſtolis prædicantibus, aures continuerunt; & colligitur ex verſ. 5. ſupra: *Domus Iacob venite, ambulemus in lumine Domini.* Tunc completa eſt Iudæorum Iniquitas, & repudiati ſunt à Deo. *Proiecisti enim populum tuum.* Præterea, vltima huius capitis clauſula excidium Iudaici populi comminatur propter peccatum Deicidij in illis verbis verſ. 22. *Quieſcite ergo ab homine.* Vt eo loco dicendum. Peccata commiſſa ante tranſmigrationem Babylonis indicantur verſ. 8. *Repleta eſt terra eius idolis*, opus manuum ſuarum adorauerunt: & verſ. 6. & 7. *Repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt, vt Philiſthijm, & pueris alienis adhæſerunt.* Quæ ſcelera poſt Chriſti tempora præualebant in Ieruſalem; quorum teſtem fideliſſimum habemus Ioſephum lib. de bello Iudaico cap. 16. loquens enim de moribus Iudæorum, qui habitabant Ieroſolymis, quãdo à Romanis circumdati ſunt, ſcribit; *Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, ac fulmina, ac Sodomæ incendia paſſuram, multo enim magis impiam progeniem tulit, quam quæ illa pertulerat.* Cum ergo vtriuſque temporis flagitia Iſaias proponat, mirum non eſt, quod vtriuſque temporis calamitatem vaticinetur.

Ioſeph.

11. Sed ne gratis dictum videatur, quod Vates vtramque vaſtitatem ſuis ſententiis annectant, id perſpicuum fiet ex eorum vaticiniis. Ezechiel. cap. 4. verſ. 1. Prophetam Deus admonet: *Tu fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra & pones arietes in gyrum.* Hoc vaticinium de vtraque captiuitate Babylonica, & Romana interpretatur ſanctus Hieronymus. Et vaticinium capitis 5. de pilis nouacula raſis, & verſum ſecundum: *Tertiam partem igni combures*, de vtraque ruina expendit. Sed audiendus eſt ſanctus Hieronymus ad ea verba Pſalmi 73. verſ. 7. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum.* ibi ait: *Facta ſunt quidem hæc ſecundum hiſtoriam, vel cum Nabuchodonoſor eos abduxit in Babyloniam; vel cum Titus Veſpaſianuſque, ſuccenſa ciuitate cum templo, multitudine gladio proſtrata, reliquum vulgus captiuum abduxit.*

Alij Prophetæ vtramque captiuitatem nectunt.

D. Hier.

12. Ioël quoque omnes captiuitates adiungit, cap. 1. verſ. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* Quod vaticinium illuſtrans ad noſtrum inſtitutum ſanctus Cyrillus Alexandrinus grauiter, & eruditè ſcribit: *Plurimæ igitur Iudæorum calamitates, & vaſtationes diuerſis temporibus, inſigniores autem, & memorabiles quatuor extiterunt. Regnante enim in Samaria Oſee filio Ela, aſcendit Salmanaſar Aſſyrius, & Iſraelem ad Perſarum, & Medorum montoſa tranſtulit. Haud diu poſt, Hieremia vaticinante, vi, & armis Hieroſolymam Nabuchodonoſor obtinuit; & Iſrael captiuus vix tandem à Cyro Cambyſis filio ſecundum tempus, elapſis nempe annis ſeptuaginta, dimiſſus eſt. Deinde Antiochus cognomento illuſtris prodit, hic in Iudæam profectus etiam diuinum templum incendit. Quartum bellum Iſraelitis Romani fecerunt, quando etiam in omnem ventum diſſipati ſunt. Apparet ergo Prophetam rectè, & obſcurè, & tanquam in paradigmate per narrationem iſtiuſmodi domeſticum nobis ſermonem referre voluiſſe, per erucam, bruchum, & æruginem, aut bella ipſa obliquè ſignificando, aut ipſos expeditionum duces, quorum modo meminimus* Ex quibus fit compertum Vates diuinos, ſimúlque Iſaiam vnam, & alteram vaſtitatem Ieroſolymæ ſuis ſententiis ſimul vaticinaſſe.

D. Cyr. Alex.

13. *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo.*] Iuxta captiuitatem Romanam hæc verba ſupra explicuimus: ſi verò de captiuitate Babylonica accipias, ſenſus offertur non ineptus, qui examinãdus legentibus proponitur. Hortatur Iſaias Iſraëlitas vt ſubterraneos ſpecus, & antra rimentur, & diuorum ſpelæa, ingrediantur mortuorum ſepulcra, vt fatidicos, augures, Necromanticos ſciſcitentur, & Dæmonum oracula, quæ in terrarum latebris, & abditis reſponſa edebant, conſulant; & in præſenti calamitate auxilium, & liberationem poſtulent. Optimus exponendi modus eſt, cum vnus locus per alterum explanatur. Quare iſtius interpretatio petenda ex eodem Iſaia capite 29. in quo de vtraque captiuitate Babylonica, & Romana ad literam ſermo eſt. ibi, verſ. 4. dicitur: *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* Pythones telluris foramina ingrediebantur, vt diuinationum ſpiracula haurirent. Lucanus libro 5. teſtatur de Themide:

Iudæi in ſpelæis conſulebant diuinos.

Pythones de humo muſſitabant.

Lucan.

Vi

Vt vidit Pean vaſtos telluris hiatus
Diuinam ſpirare fidem, ventóſque loquaces
Expirare ſolum, ſacris ſe condidit antris
Incubuitque adytis, vates ibi factus Apollo.

Orph. Eurip. — Orpheus in hymnis de Themide, eadem ferè habet. Et Euripides in Iphigenia Taurica inquit: *Oracula Phœbe iniſti diuina, nocturna terra peperit ſpectra, filióſque, qui multis mortalium præterita, præſentia, & futura, in ſomno ſub obſcura terra in lectis dicebant.* Forſan Iſaias ad hos ſuperſtitioſos ritus aſpexit, cum ad latibulum ſubterraneum excitat populum dicens: ingredere in foſſam humū. Hoc eſt diuinos conſule, & Pythonica oracula, an poſſis euitare ſortem imminentis calamitatis, & eleuare captiuitatis pondus; vt tibi ſuppetias ferant oracula cum ſurrexerit Dominus percutere terram.

D. Baſil. Procop. *Iſaias admonet Iudæos, vt in petra Ieſu quærant refugium.* — 14. Denique ſanctus Baſilius, & Procopius cenſent his verbis hortari Iudæos vatem, vt abſcondantur à furore Domini in petra, qui eſt Chriſtus. *Quâ igitur ratione* (inquit Baſilius) *conſuluit quærere protectionem, ac tutelam à facie timoris Domini, nempe petram? an non fortè vnam illam innuit, Malorum liberationem, vt ingrediantur in tegumentum petræ, hoc eſt ſe ſubſternant ſolido firmamento fidei, quæ in Chriſtum credimus, vbi & poſitus eſt Moyſes, vt videret Deum. Illò ait, introite.* Eodem ſenſu verba vſurpat

D. Bern. — ſanctus Bernardus ſerm. 62. in Cantica: *Infirmæ adhuc, & inerti animæ foſſa oſtenditur humus; vbi lateat donec conualeſcat, vt proficiat. Et ſi intelleximus foſſam humum illam, quæ ait: foderunt manus meas, & pedes meos: non erit ambigendum de ſanitate in ea citius adipiſcenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur.* Hic tamen ſenſus non ad literam, ſed ad allegoriam, vel accommodationem pertinet.

Verſ. 11. Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.

COMMENTARIVS.

Deus Iudæos ſuperbientes humiliauit. D. Baſil. D. Chryſ. D. Cyrill. Procop. — 1. SEPTVAGINTA Interpretes aliter verba diſpungunt: *Oculi Domini ſublimes. Homo autem humilis.* Quam lectionem ſequuntur ſanctus Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Procopius. Sed in Hebræo, pro: *ſublimes*, legitur גבה *gaba, extollere, leuare, ſuperbire,* vnde poteſt verti: oculi ſublimitatis, vel oculi ſuperbi: *incuruabitur.* Hebraicum שחח *ſchachach*, pro incuruatione, ſeu declinatione, ad perditionem, ruinam, & corruptionem paſſim in ſacra Scripturà vſurpatur: inde deducitur foſſa, ſiue fouea, in quam cadentes perduntur. Habent enim inter ſe affinitatem, & analogiam ישח *iaſach*, vel שחח *ſchachab*, ſupra poſitum, verſ. 9. incuruauit ſe homo, cum verbo שחח ibi enim eſt incuruatio venerationis, & adorationis gratia, hîc inclinatio ad mortem, & perditionem: quaſi diceret, qui inclinatur, & inflectitur ad venerationem idoli, incuruabitur ad mortem.

Quid ſit altitudo. — 2. Altitudo רום *rum*, idem eſt ac extollentia, & elatio cordis, vel oculorum. Pro *virorum* non eſt in Hebræo *Iſchim*, ab *Iſch*; ſed אנוש *enoſch*, & inſinuat hominem ab infirmitate, & fragilitate naturæ, in quo denotatur ærumna, & miſeria, ſicut in verbo Adam, eius figmentum de luto, & puluere. *Exaltabitur Dominus* שגב Exaltare, erigere, magnificare, eſſe quid altius, quàm transſcendi, aut capi poſſit, munitionem quoque innuit, & arcem locum hoſtibus inacceſſum, quo ſe ſe homines recipiant, & ab hoſte tuti, & protecti eſſe ſoleant. Hæc iuxta Grammaticalem ſignificantiam.

3. Ex quibus efficitur pulcherrimus ſenſus: Ieroſolymitanos rerum copia ſe ſe efferentes, lecticis, auro, argento, diuitiarúmque affluentia tumidos, magnificentia equorum, & apparatu veſtimentorum arrogantes, reliquos ſuperbiſſimo faſtu deſpicientes propoſuit Iſaias, nunc miſerrimos vocat, & ad infelicem captiuitatis ærumnam abiectos, & à Deo humiliatos. Et eſt elegans conſonantia in verbis; ij, qui venerationis gratia ante ſimulacra procumbunt; nunc violentia hoſtium, proſtrati, pedibus calcati incuruantur cauſa humiliationis. — *Iudæorum abiectio in captiuitate.*

4. *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.* Dicitur Dominus exaltatus in die captiuitatis, primò: quia vaticinia, & oracula à Sanctis viris prolata, vera fuiſſe, & à Deo inſpirata Ieroſolymæ exitus comprobauit. Secundò: quia Dei iuſtitia, & potentia in punitione improborum plus refulget. Tertiò iuxta ſignificationem verbi *ſagab* ſupra poſitam ſolus Dominus eſt excelſus, exaltatus, immunis periculi, & ærumnæ; quam immunitatem participant, qui ad eius tutelam, & protectionem confugiunt: Cum ipſe ſit arx, & munitio quædam firmiſſima hoſtibus inacceſſa. Redarguit tacitè Iſaias Iudæorum vanam ſpem in diuitiis, ampla fortuna, ſimulactis: quæ omnia, vtpote imbecilla tempore tribulationis non potuerunt eripere de inimicorum manibus: at ſi ad Deum excelſum, & ſublimem conuertiſſent animos, eos protegeret in arce, & munitione tutaminis & auxilij robuſtiſſimi, quam hoſtiū machinæ labefactare nequeunt; nam qui in protectione Dei Cœli commoratur, hoſtium conatus irridet. — *Quo pacto Deus dicatur exaltatus in die captiuitatis.*

Verſ. 12. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.

Verſ. 13. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan.

COMMENTARIVS.

1. VERSICVLVS duodecimus repetitio eſt ſententiæ verſiculi vndecimi. *Super omnes cedros Libani.* Libanus mons inter omnes Syriæ montes caput extulit, ideo mons montium vocatur, quia proceritate, fœcunditate, amœnitate reliquos ſuperat, Cedrorum præſertim feraciſſimus, quas ſacri Vates paſſim celebrant. Sanctus Hieronymus in caput 11. Zachariæ, de Libano ſcribit: *Nihil enim Libano in terra promiſſionis excelſius eſt, nec nemoroſius, atque condenſius.* Et in caput — *Libani montis laus.* D. Hier.

caput 14. Oſeæ: ad ea verba: *Odor eius vt Libani. Mons Libani fertiliſſimus, & virens denſiſſimis arborum comis protegitur.* Et de Cedris ſubdit: *Quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant.* Cedri etiam Libani ab ſponſa celebrantur. Cantic. cap. 3. verſ. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani.* Vbi legit Chaldæus: *Templum ſanctuarij ædificauit ſibi Rex Salomon de lignis Cedri, quæ adducuntur de Libano.*

Chald.

Cedri Libani & quercus Baſan quo ſenſu accipiantur.

2. Cedri Libani, & quercus Baſan, in duplici ſenſu poſſunt accipi, vel propriè pro materialis Libani, & Baſan ſyluis, & lucis quibus minatur Vates excidium, & incendium. Vel metaphoricè pro ipſa ciuitate Ieroſolyma, & primoribus eius. Iuxta primam acceptionem loquitur Ioſephus, lib. 7. de bello Iudaico cap. 1. *Erat autem miſerabilis terræ facies, nam quæ antea arboribus, & paradiſis ornata fuerat, ea tunc deſerta præciſis vndique arboribus cernebatur: nec vllus, qui pridem Iudæam viderat alienigena, & ſuburbana pulcherrima ciuitatis, cum eius ſolitudinem nunc videret, continere lacrymas poterat. Omnia namque inſignia pulcritudinis bellum deleuerat: nec ſi quis ſubitò adueniſſet, qui locum prius ſcierat eum cognoſceret, ſed præſens quæreret ciuitatem.* Quandoque etiam ſacra Scriptura arbores, & frondes, quibus captabant delicias, & voluptatem Iudæi, deuaſtandas prædicit inuaſione hoſtium. Ieremiæ cap. 7. verſ. 20. *Furor meus ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur, & non extinguetur.* Ioelis cap. 1. verſ. 19. *Ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.* Milites etenim poſt victoriam, & ſtragem vrbium ſolent nemora, & ſaltus exſcindere. Iudith cap. 3. verſ. 12. de Holoferne dicitur: *Ciuitates eorum deſtruxit: & lucos eorum excidit.* Dux Sennacherib 4. Regum cap. 19. verſ. 23. aduerſus Ieroſolymam iactantiæ verba fundit: *Aſcendi excelſa montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes Cedros eius, & electas abietes illius, & ingreſſus ſum vſque ad terminos eius, & ſaltum carmeli eius ego ſuccidi.* Et de Ieroſolymæ vaſtitate à Chaldæis illata loquitur Ieremias cap. 22. verſ. 7. *Succident electas Cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.* Vnde non mirum ſi in præſenti portendat Iſaias cedrorum, & quercuum vaſtitatem, exciſionémque, quam Chaldæorum, aut Romanorum furor, & deuorans flamma intulit. Accedit quod ſanctus Baſilius, & Procopius per Libanum intelligunt locum idolorum cultui dedicatum, & aduerſus eum minas iactare Prophetam.

Ioſeph.

Iudæorum proceres cedri Libani denotant.

D. Baſil.
D. Hier.
D. Cyrill.
Procop.

3. Si verò tranſlatè Vatis verba deſumas; pulcherrima Libani, & cedrorum Metaphora apparet, in qua plura animaduertas neceſſe eſt. Primò cedri ſublimiſſimam altitudinem Iudæorum proceres indicare, ſe ſe extollentes poteſtate, pulcritudine, opibus, ſapientia. Sic ſanctus Hieronymus, Baſilius, Cyrillus, Procopius. Simili phraſi loquitur Pſaltes Pſalm. 36. verſ. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.* De Ieroſolymæ pulcritudine, & opulentia ait Ieremias cap. 22. verſ. 23. *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris.* Aptè Procopius inquit in Iſaiæ cap. 2: *Eos per Libani cedros intelligit, qui faſtu occæcati intumeſcunt, firmum quidquam nihil habentes, nam & ipſæ proceræ valde ſunt, nec vſibus idoneis fructus gerunt, vixque vel ſeneſcunt, vel putreſcunt.*

Procop.

Cedrorum robur.

4. Secundò: in cedro viget robur, duritia, inflexibilitas quædam, & velut immortalitas, cum ſit expers ſenij, atque putrilaginis. Vt durities, & contumacia Principum Iudæorum inſinuetur, & in ſuis ſceleribus ingenium induratum, & inflexibile, potiſſimum in Chriſto Domino perſequendo: odium enim in Ieſum filij a parentibus excipientes, quaſi hæreditaria ſucceſſione perennauit.

Ieroſolyma quaſi Libanus erat.

5. Enimverò tota ciuitas Ieroſolymitana Libanus vocabatur, ob domorum ſpecioſitatem, turrium multitudinem, pinnaculorum varietatem: erat enim ſicut opacum nemus, & ſylua, quæ pinis, & cedris conſtipatur. Templum quoque Libanus nuncupabatur, quia ex cedris affabrè leuigatis conſtructum, & tabulatis cedrinis ornatum erat. Quare ſub eadem metaphora Libani, cedrorúmque Vates Zacharias minatur templi, & vrbis excidium, cap. 11. à verſ. 1. qui locus magnum affert Iſaiæ vaticinio lumen. *Aperi Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas: vlula abies, quia cecidit cedrus: quoniam magnifici vaſtati ſunt: vlulate quercus Baſan, quoniam ſuccìſus eſt ſaltus munitus.* In quo loco Chaldæus legit: *Aperite populi portas veſtras, & conſumet ignis munitiones veſtras, vlulate Reges, quia contriti ſunt Principes, qui opibus erant diuites vaſtati ſunt. Vlulate ſatrapæ Prouinciarum, quia vaſtata eſt Regio fortitudinis veſtræ.* Et ſanctus Hieronymus ad literam interpretatur de vaſtitate Ieroſolymæ à Romanis excitata, cum ſcribit: *Templum intelligitur Iudæorum quod inſtauratum, imò ædificatum à Zorobabel rurſum a Veſpaſiano, & Tito canitur ſubuertendum: & quia Libanum templum appellauerat metaphoricè, & in reliquis ſeruat tranſlationem, vt per cedros, & abietes, & quercus Baſan, ſaltúmque nemoroſum, Principes, ac Sacerdotes, & populum ſignificet Iudæorum; aperit autem Libanus portas ſuas, vt Romanus intret exercitus, & comedat ignis cedros eius, vt vel incendio cuncta vaſtentur, vel hoſtili impetu duces ac principes conſumantur.* Et ſtatim ſubiungit idem Hieronymus: *Cupio ſcire quæ ſint cedri Libani, quæ combuſtæ ſunt: Magnifici, inquit, vaſtati ſunt: vlulate quercus Baſan, id eſt, confuſionis, & ignominiæ, quia ſaltus muniſſimus exciſus eſt: quia templum, quod inexpugnabili creuerat firmitate, & à diuerſis Regibus, & Principibus, ac poſtea ab Herode conſtructum eſt, Romano oppugnante deletum eſt.*

Chald.

D. Hier.

Templum Ieroſolymitanum nuncupatur Libanus.

D. Hier.

Qua ratione Iudæa comparatur Libano.

D. Cyrill. Alex.

6. Eamdem interpretationem ſequitur, & illuſtrat ſanctus Cyrillus Alexandrin. ſcribens: *Libano comparat Iudæam. Quamobrem? Eſt enim Libanus mons decoris arboribus, & ſyluis denſiſſimis conſpicuus, Iudæorum autem regio populoſiſſima, & innumerabilibus incolis frequentiſſima, & quaſi cedros, aut pinos proceriſſimas, alijs magis viſendas, Sacerdotes, inquam, & ſuis temporibus ex tribu Iuda regnantes, & qui principatus ornamentis eminentes, tota Prouincia noti erant, ſublimique gloria florebant, continens. Poſtquam autem Chriſtum impiè habuerunt, idcirco iure funditus cum domibus, & vrbibus, & vxoribus, atque liberis interierunt. Quare ſub ænigmate, Libani nomine, Iudæam, vt dixi, nuncupat: Cum arboribus autem celſiſſimis primores, & proceres eius confert, vt cæteris ſublimiores, & per quam eminentes. Perituram autem vrbem facilè, vt periit, infundentem ſe ſuſcipiendo Romanorum exercitum, atque inſtar ſyluæ iniecta flamma conſumendam ſignificat, cum dicit aperi Libane,* &cæt.

Templum & ſanctuarium dicitur Libanus.

7. Sub eodem ænigmate nuncupat templum, & ſanctuarium Ieremias cap. 22. verſ. 20. *Aſcende Libanum, & clama, & in Baſan da vocem tuam.* Vbi Chaldæus vertit: *Aſcende in domum ſanctuarij & clama: & in portis montis* [illegible] *eleua vocem tuam.*

Et

Et verſ.23. vbi legit Vulgatus: *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris* : legit Chaldæus : *Quæ habitas in domo ſanctuarij, & in domo Regum nutriens filios tuos.* Quapropter cenſeo quaſi commune, & tritum inter Ieroſolymitanos proloquium à Prophetis vſurpari : cadet Libanus, & excelſa eius nemora, abietes, & cedri, ad ſignificandam alicuius vrbis, aut potentiſſimi Regis ſtragem, & populorum eius ruinam. Vnde Aſſyrio Regno Iſaias comminatur vaſtitatem hoc eloquio: *Libanus cum excelſis cadet*, cap.10. quaſi Hiſpanè diceres: *Acabara el Libano, y caeran en tierra ſus zedros.*

Regionis Baſan vbertas.

3. *Et ſuper omnes quercus Baſan.* Regio Baſan celebris apud Hebræos, olim robuſtiſſimos gigantes habuit incolas, & appellabatur Raphaim, vallis Gigantum: cui tractui Og gigantæâ ſtaturâ ſublimis, robore, fortitudine, rebúſque bellicis illuſtris imperitauit; donec venit, in ditionem filiorum Iſraël, eámque Iaïr filius Manaſſè expugnauit, & Og Regem interfecit. Vocitatur Baſan, vel Regio pinguis, & fœcunda, pulcra ſuperciliis montium, herbarum fertiliſſimis abundat paſcuis, & in vberrima gleba proceræ, & præſtantes luxuriant quercus; gratiſſimum, & abundans ſuibus præbentes pabulum. Ideò Baſanitis regio à Prophetis, & ſcriptoribus ſacris celebrata. Ezechielis cap. 27. verſ. 6. de Tyro ait : *Quercus Baſan dolauerunt in remos ſuos.* Nahum cap.1. verſ.4. *Infirmatus eſt Baſan.* Iſaiæ cap.35. verſ.29. *Concuſſa eſt Baſan.* & ibidem Hieronymus ait : *Baſan regio trans Iordanem eſt, quam duæ, & dimidia tribus poſſederunt, & quæ interpretatur vberrima, & pinguis.* Et in caput 2. Iſaiæ : *Baſan regio eſt Arabiæ : cui imperauit Og, qui appellatus eſt Rex Baſan.* Et ſanctus Cyrillus Amos cap.4. verſ.1. vbi legit Vulgatus : *Vaccæ pingues.* Legit Cyrillus cum Septuaginta : *Vaccæ Baſanitidis*, & ſubiungit: *Baſanitis regio eſt vbere glebæ fœcunda, & florida, & ad paſcentes in ea greges quam pinguiſſimos efficiendos in primis idonea.*

D.Hier. D. Cyrill. Lect. Lxx.

Iudæorum primores & Sacerdotes dicuntur quercus Baſan. D.Cyril.

9. Quocirca in eâdem metaphora Vates perſeuerat, & quercus Baſan nuncupat primores, & Sacerdotes Iudaici populi, ſicut Libanum, & cedros in verbis antecedentibus. Vnde in caput 11. Zachariæ ſupra relatum de quercubus Baſan S. Cyrillus hæc verba annectit: *Quercus autem Baſanitidis Hieroſolymitanos vocat. Baſanitis enim eſt regiuncula Iudææ, vbere gleba, & fertiliſſima, & admodum altas educens arbores. Et quoniam Hieroſolymitæ reliquis erant nobiliores Sacerdotes, inquam, & populi rectores, Baſanitidas quercus eos nominauit.*

In ſyluis Baſan erant luci & delubra Idolorũ. D. Cyrill. D.Baſil. Sym. Theod. D.Hier. Aquil. *Qui ſint Druidæ.* Plin.

10. Denique Septuaginta transferunt cum Cyrillo, & Baſilio: *Et ſuper omnem arborem glandis Baſan.* Symmachus, & Theodotion: Ϭαλανεὺς quod ſic transfert ſanctus Hieronymus: *Glandiferas, quæ & ſi fecerint fructus, porcorum ſunt alimenta, non hominum.* Aquila verò legit ἰδρυὸς quod denotat: *Quercuum, & robur.* Et peculiariter arborem, quia in lucis verſabatur, à quo verbo Græco Dryadæ Gallorum magi deducuntur, de quibus Plinius lib.16. c.44. inquit : *Nihil habent Druidæ, viſco, & arbore, in qua gignatur* (ſi modo ſit robur) *ſacratius, iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri. Enimverò quidquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignúmque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris.* Quare non abs re erit ſi cum Baſilio; Procopióque accipias Libanum, & Baſan, velut ſyluas, & ſaltus Dæmoni ob infandam idololatriam, & turpitudines in iis operatas, à Vate nominari, mináſque aduerſus illa Druidarum nemora, quercúſque ſculptilium religione dicatas, à Deo intentari; & ſi interpretationem vocis Baſan accipias: ſcilicet : *Confuſionem, & ignominiam.* Confuſionem, & turpitudinẽ idololatriæ, & luxuriæ, quæ ibi operabatur, ritè intelliges cum S. Hieronymo, Baſilio, Procopio.

Verſ. 14. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos.

Verſ. 15. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum.

Verſ. 16. Et ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne, quod viſu pulcrum eſt.

Ieruſalem muri à Romanis vaſtati. Ioſeph.

1. HÆc verba eumdem continent ſenſum cum ſuperioribus, nam ad montes, & colles, ad turres, arces, muros, mœnia Ieroſolymæ, peruenit Romanorum ſtrages, & incendium. De muris ſingillatim, & turribus eam deſcribit Ioſephus lib.2. de bello Iudaico cap.16. *Romani* (inquit) *muris potiti, ſigna in turribus poſuere*, & poſtea: *Intro Titus ingreſſus, ciuitatis munitiones, ac turrium cautes miratus eſt, quas Tyranni per dementiam deſeruerant, conſpecta quidem earum ſolida altitudine, item magnitudine. Deo, inquit, planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munimentis Iudæos.*

Magna infœlicitas vrbis, mœnium ruina. D. Cyrill.

2. Tanquam magnum infortunium, & calamitatem Ieroſolymæ prædicit Sophonias quod Romani diruerent, & diſſiparent mœnia : *Diſſipati ſunt anguli eorum.* Vbi ſanctus Cyrillus inquit: *Angulos hoc loco muros dici exiſtimo, vrbiúmque cinctus. Semper enim ſublimes aliquantum anguli ſunt, qui turres habent maximè conſpicuas. Idem eſt igitur fortè, ac ſi rurſum dicat, vrbes eorum deſtitutæ mœnibus erunt.*

Tharſis quid denotet.

3. *Et ſuper omnes naues Tharſis.* Magna diſceptatio inter Interpretes, quæ ſit Tharſis? De quo Ribera noſter ſapientiſſimè diſputat Ionæ cap. 1. à num. 6. & ex ipſo Sanchez interpretationem, & eruditionem mutuauit. Aſſertionem tribus propoſitionibus breuiter perſtringo.

Mare nuncupatur Tharſis. Aquil. Sym. Theod. Lect. Lxx. D.Hier.

4. Prima propoſitio : Tharſis in ſacra Scriptura vocatur magnum mare, ſiue mediterraneum, ſiue ſit Oceanum. Quod mare abſolutè nuncupetur Tharſis conſtat ex Iſaiæ cap.23. *Vlulate naues maris.* Aquila, Symmachus, Theodotion legunt : *Naues Tharſis.* Ezechiel cap.1. *Aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris.* Septuaginta legunt: *Quaſi ſpecies Tharſis.* & hoc cap. 2. Iſaiæ legunt Septuaginta pro *Tharſis, mare.* vt annotat Hieronymus dicens : *Hebræi putant lingua propria ſua mare Tharſis appellari; quando autem dicitur* ים *iam, non Hebraico ſermone appellari, ſed Syriaco.* Poſtea ſubiungit : *Ioſephus Tharſis vrbem Ciliciæ Tharſum arbitratur, alij regionem putant Indiæ. Melius autem eſt Tharſis, vel mare, vel pelagus abſolutè accipere. Neque enim Ionas de Ioppe nauigans, ad Indiam poterat peruenire.*

5. Ex capite 10. Geneſis conſtat, quod ex Noë filio Iaphet nati ſunt : *Eliſa, & Tharſis.* Filius au-

Tharſis nepos Noë, & illius poſteri tractum maris mediterranei habitarunt.

tem Tharſis, & illius poſteri per totum mediterranei maris tractum, à Ponto Euxino vſque ad Herculis columnas habitarunt, & totus iſte tractus vocatur propriè Tharſis. Vnde aliquæ ciuitates Africæ, vocantur in ſacra Scriptura Tharſis. Pſal. 71. *Reges Tharſis.* ibi Tharſis nomine ciuitatem Carthaginem intelligunt, quæ eſt Lybiæ caput, Baſilius, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius. Vide Salianum anno mundi, 1931. numero 36.

D. Baſil. Theod. Theoph. Salian.

Aurifera India regio dicitur Tharſis.

6. Secunda propoſitio. Aurifera Indiæ Orientalis Regio vocatur in ſacra Scriptura Tharſis, vt patet lib. 2. Paralip. cap. 2. verſ. 36. *Poſt hæc iniuit amicitias Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Iſrael; & particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharſis, feceruntque claſſem in Aſiongaber.* Eſt autem Aſiongaber portus maris rubri, vt manifeſtè colligitur ex lib. 3. Regum cap. 9. verſ. 26. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris rubri. Miſitque Hiram in Claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris cum ſeruis Salomonis. Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem.* Ophir autem in India Orientis eſt nobiliſſima, & maxima prouincia, & probabilius eſt eam eſſe Malacam, aut Trapobanam, aureámve Cherſoneſon. Vide Salianum tom. 1. anno mundi 1931. n. 106.

Salian.

Hiſpania nuncupatur Tharſis.

Anaſt. Sin. For. Boz. Rib. Soto. Theod. Iſid. Tilm. Pin.

7. Tertia propoſitio: *Hiſpania vocatur etiam Tharſis* Nec ſine graui fundamento aſſeritur. Tenent Anaſtaſius Sinaita lib. 10. Exam. Forerius Iſaiæ cap. 23. Bozius lib. 15. de ſignis Eccleſiæ cap. 18. Ribera in caput 1. Ionæ, Soto maior in caput 5. Cant. Theodoretus, Iſidorus Clarius, & Titelmanus in Pſalm. 71. quos refert, & ſequitur Pineda de rebus Salomonis lib. 4. cap. 14. Pro cuius intelligentia annotandum, quod duplex erat nauigatio Salomonicæ claſſis, alia à portu Aſiongaber, ſeu maris rubri in Ophir, de qua in ſecunda propoſitione dictum eſt. Alia verò, qua naues à maiori mari ad mare Tharſicum, ſeu mediterraneum iter dirigebant. Hanc inſinuat lib. 3. Regum cap. 10. verſ. 22. *Claſſis Regis per mare cum Claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos.* Eadem ſententia reperitur lib. 2. Paral. c. 29. verſ. 21. conſentit Ioſephus lib. 9. Antiquit. cap. 2.

Rib.

Naues Salomonis cur dicatur Tharſis.

8. Rei obſcuræ maximam lucem afferunt verba Riberæ, in caput 1. Ionæ num. 12. & 13. *Totum mare mediterraneum nomen Tharſis habet, hinc Claſſis Salomonis in Tharſis nauigans deferebat ſimias, & pauos, & mancipia Æthiopica ex Africa, quæ ab eiuſdem maris littoribus verſus meridiem portenditur, nec auro, & argento caret, ſimijs, pauis, eboréque etiam abundat, quamuis aurum, & argentum ex vrbibus omnibus, & regionibus, ad quas appulerant, reportabant pro mercibus. Sed maximè (vt probabile eſt) ex Hiſpania, quæ metallis erat omnium fœcundiſſima: per mare ſiquidem noſtrum nauigantes, nunc in Africæ portus, nunc in Europæ deferebantur, quæ nauigatio longiſſima eſt, & rectè cum mora commutandarum mercium, in eundo, ac redeundo triennium abſumet.* Hæc Ribera.

Tharſis Hiſpania. Iulian.

9. Quibus omnibus calculum album adiicit Iulianus Petrus in aduerſariis num. 15. ibi ſcribit: *Legi in Annalibus Hebræorum, quod tertio quoque anno veniebant Claſſes Salomonis in Tharſis ad Hiſpaniam, vbi vendebant merces, & inde per fretum Herculeum, ibant in auream Cherſoneſum, & inde ad Hiſpanias reuertentes, adferebant ſimias, & pſittacos ex Africa, & tributa ex Hiſpania. Regulique tunc Hiſpaniæ illa offerebant, aurum, argentum, equos curules ſelectos, & Iudæi viuebant per colonias Hiſpali, Illibere Brachare, Toleti, Vlyſſipone, & alibi.* In quibus verbis de ſecunda nauigatione Salomonicæ claſſis ſupra aſſignata expreſsè loquitur; & Tharſis nuncupat Hiſpaniam.

Bethica prouincia dicitur Tharſis. Flau. Viua.

10. Viuarius Ciſtercienſis monachus in Commentariis omni eruditione refertis in Flauium Dextrũ anno Chriſti 66. n. 6. exiſtimat totam illam Bethicæ Hiſpaniæ prouinciam nuncupari Tharſis. Et præter auctores ſupra relatos propoſitione tertia, affert Goropium Beccanum lib. 5. & 6. de rebus Hiſpaniæ, Ludouicum Nonnium cap. 12. Hiſpaniæ; Ioannem Baptiſtam Suarez de Salazar lib. 1. Antiquit. Gaditanarum cap. 4. Addit tamen Viuarius Ophirinam regionem, de qua in ſacra Scriptura fit celebris mentio eſſe in Bracharenſi Hiſpaniæ tractu: ducitur ſola auctoritate Flauij Dextri, qui anno Chriſti 66. num. 6. ſcribit: *Floret memoria Sancti Petri Ratenſis Martyris, primi Bracarenſis Epiſcopi, qui occiſus eſt anno 45. ad Ratem oppidum Bracarorum, in regione Ophirina, à nepotibus Ophir illuc appulſis nomen hoc obtinente.* Et ad confirmandam opinionem ſuam aſſerit Aſiongaber portum, ex quo ſoluebat in Tharſis Claſſis Hiram & Salomonis non eſſe in mari rubro, ſed in Mediterraneo. Hoc tamen manifeſtè contradicit Scripturæ ſacræ lib. 3. Regum cap. 9. verſ. 26. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt in Ailath in littore maris rubri.* Quare Chriſtianus Adricomius exactiſſimus Geographus in Arabiæ Petreæ, & Pharan deſcriptione numero ſuo 15. conſtituit Aſiongaber in ſinu Arabico, & addit ſequentia: *Aſiongaber manſio 32. eaque vltima ſolitudinis Pharan, ciuitas, & portus Iudæorum fuit in littore maris rubri, in terra Edom, quo Reges Iudæ ad Iudaicas nauigationes vſi ſunt: vnde & Rex Salomon ibi Claſſem fecit, eamque mittens in Ophir Indiæ, quæ poſt aurea terra nominata eſt, magnam vim auri inde aſportauit.* Rectè ergo Lorinus noſter in Numer. cap. 33. verſ. 35. *Per mare rubrum ab Interprete intellectum eſſe id, quod mediterraneum eſt: quia cum mediterraneo continuum ſit, licet per immenſas ambages, immanéſque circuitus: non poteſt aſſeri abſque periculo ſimilia confingendi de topographia ſacra, ſeu de diſtinctione locorum, terminorum, terrarum, marium, quæ in diuinis Scripturis habetur.* Quibus verbis, Goropij, & Viuarij ſingularem opinationem ſugillat, affértque ſanctum Hieronymum, Ioſephum, Ptolomæum, Arrianum, Stephanum Nigrum, Ioannem de Mariana, qui omnes Aſiongaber, & Ailath in mari rubro, & ſinu Arabico conſtituunt.

Gorop. Non. Salaz. *An Ophir ſit Bracharenſis Hiſpania tractus.* Flau. Dext. Adric. Lorin. D. Hier. Ioſeph. Ptol. Arrian. Steph. Marian.

Cur Flauius Dexter nuncupet Bracharenſem tractum Ophir.

11. Ad auctoritatem Flauij Dextri poteſt facilis aſſignari ſolutio, ne eam contempſiſſe videamur. Bracarenſem tractum Ophirinam regionem nuncupat per quandam analogiam, & ſimilitudinem ad Indiam Ophir, ſeu auream terram; propter abundantiam auri, quæ illùc ex Hiſpania auri, & argenti feraciſſima, aſportabatur, eam nuncupauit regionem auream, ſeu terram Ophir; vel à nepotibus Ophir illùc appulſis vocauit Bracaram Ophirinam, non tamen cenſet eam eſſe Ophir, de qua in ſacra Scriptura celebris eſt memoria, & per excellentiam vocitatur Ophir ab abundantia auri.

Naues Tharſis conteruntur.

12. Nunc ad Iſaiæ ſcopum reuertentes: *Dies,* inquit, *Domini ſuper omnes naues Tharſis.* De tempo-

re

re Ioſaphat Regis comminationem accipit ſanctus Hieronymus dicens: *Habuit Ioſaphat naues, quas mittebat in Tharſis: ſed contrita ſunt in Aſiongaber.* Aptè etiam verba intelliges, quod ſicut opulentia ciuitatis Ieroſolymæ in Romana vaſtitate periit, dirutis mœnibus, exciſis ſaltibus, & lucis, trucidatis ciuibus; ſimiliter Claſſicæ naues, & nauigatio Tharſiaca, ex qua Regibus Iſraël tam eximia diuitiarum incrementa prouenicbant, auri, argentique copia inferebatur, & affluentia deliciarum, abolito Sacerdotio, & imperio Iudæorum, vaſtatis vrbibus, omnino ceſſauit. Nauales copiæ, & Tharſis diuitiæ ad alios Reges, & nationes tranſlatæ ſunt.

Verſ. 17. & 18. Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur.

Verſ. 19. Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria Maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram.

VErſiculus 18. eſt repetitio eiuſdem ſententiæ, & comminationis, quam ſupra expoſuimus verſ. 11. & 12.

De quo tempore hoc vaticinium loquitur.

1. AD numerum 19. dubium eſt de quo tempore accipienda ſint verba, an de extremo iudicio, de Ieroſolymæ vaſtitate, an de idolorum ruina ad prædicationem Apoſtolorum ſubſecuta? De extremo iudicio quidam interpretantur, ducti ſimili eloquio Apocal. cap. 6. verſ. 15. *Reges terræ, & Principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.*

Babylonica captiuitas.

2. De captiuitate Babylonica poſſe interpretari indicat ſimile vaticinium Oſeæ cap. 10. verſ. 8. *Diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſraël: Lappa, & tribulus aſcendent ſuper aras eorum, & dicent montibus, operite nos; & collibus, cadite ſuper nos.* Quem locum de captiuitate Iudæorum à Babyloniis exacta exponit S. Cyrillus.

Romana.

3. Romanam captiuitatem portendi manifeſtat Textus ſancti Lucæ cap. 23. verſ. 29. & 30. *Ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles, &c. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos; & collibus, operite nos: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vide quæ diximus de vtraque captiuitate interpretantes verba illa, verſ. 10. *Ingredere in petram, &c.*

Idolorum euerſio poſt Chriſti mortem prædicitur.
D. Baſil.
D. Aug.
D. Proſp.
Tertull.
Euſeb.

4. At ſancti Eccleſiæ Patres de idolorum euerſione poſt Chriſti mortem, & reſurrectionem prædicta Iſaiæ verba intelligunt, ſanctus Baſilius, Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 37. Proſper de prædict. parte 3. cap. 38. Tertullian. lib. contra Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem, Euſebius Cæſarienſis lib. 2. demonſt. Euang. cap. 37.

5. Singularis eſt expoſitio ſancti Cyrilli Alex. & ſancti Chryſoſtomi: inquiunt enim horum verborum mentem eſſe, victoriam Ezechiæ Regis ante oculos adſtruere, quando Sennacherib & milites innumeri funditus deleti, & metu Domini perculſi, ſe ſe in cauernas montium, & ſaxorum hiatus abdiderunt, & iram Dei oculis aſpicientes, vanum eſſe idolorum auxilium experti ſunt. Veruntamen cùm Scriptura ſacra 4. Regum 19. & Iſaiæ 37. verſ. 36. affirmet milites Sennacherib Angelico gladio fuiſſe trucidatos in caſtris, non conſtat quomodo in fugam ſe ſe proripientes quærerent ſaxorum latebras.

Ezechiæ verbis victoria.
D. Cyrill.
D. Chryſoſt.

In magnis calamitatibus, homines confugiunt ad ſpeluncas.

6. Ad verborum expoſitionem exiſtimo verba illa: introibunt in ſpeluncas petrarum, in terræ voragines, eſſe prouerbialem locutionem ad inſinuandam ingentem calamitatem, quando per barbarorum excurſiones, & depopulationes, gentes ad vaſtitatem, & gladium vocatæ, impendentis ruinæ, & mortis formidine coguntur homines confugere ad montes, & quærere latebras; fuiſſéque apud Hebræos in more, vt conſtat ex ſupra relatis: tribulatio enim magna homines ita conſtringit, vt cogat proferre verba extremam ærumnam prædicantia: montes cadite ſuper nos. Et hoc apte quadrat vtrique captiuitati Babylonicæ, & Romanæ, & iudicio orbis extremo.

Cùm Chriſtus prædicatur gentibus, idola conteruntur.

7. Tametſi ad Chriſti tempora recurramus, planior erit expoſitionis via. Cum verus Deus, illiúſque Maieſtas, & gloria reſurrectionis ipſius prædicabatur gentibus, præ timore, & veneratione tantæ maieſtatis, abiiciebant idola, ea penitus conterentes, & ſolum verum Deum venerantes. Itaque Iſaias mirabili artificio nectit in horum verborum ſerie duplicem vaſtitatem, & ruinam; alteram Ieroſolymæ, Iudaicæque gentis, alteram verò idololatriæ, geminúmque Chriſti triumphum, in quo valde glorioſus apparuit, de populo Iudæorum, & gentium reportatum, quæ expoſitio ex contextu ſequentium verborum ſimul cum Patrum expoſitione, qui infra referuntur, conſtat. Euſebij Cæſarienſis verba refero, lib. 2. demonſtr. cap. 37. *A facie gloriæ eius cùm ſurrexerit quaſſare terram. Quibus verbis planè ſurrecturum eſſe Dominum indicat, & vniuerſam terram gentis Iudaicæ quaſſaturum.* Poſtea verò ſecutus verſionem Septuaginta: *Extolletur Dominus in die illa, & manufacta omnia occultabunt, introferentes ea in ſpeluncas: vbi propemodum indicat auerſionem à ſimulacris.*

Euſeb. Cæſ.
Lect. Lxx.

8. Verſio antiquior Septuaginta ſeniorum ſic habet in Biblia Sixti V. *Et manufacta omnia abſcondent, inferentes in ſpeluncas, & in ſciſſuras petrarum, & in cauernas terræ, à facie timoris Domini, & à gloria fortitudinis eius, cum ſurrexerit frangere terram.* Quam lectionem ſequuntur Græci Patres, Chryſoſtomus, Cyrillus, Baſilius, Procopius; & duplici ſenſu poteſt declarari. Primò vt ingrediantur ſpeluncas idolorum venerationis gratia, vt impendente calamitate preces profundant, auxilium poſtulent, vt ſuppetias ferant, & de hoſtium manibus eripiant. Erant enim ſpelæa, & adyta ſacra Diuinorum in ſubterraneis, vt ſupra diximus ad numerum 10. *Ingredere in petram.* Ita Chryſoſtomus. Secundò, & aptius: in hoſtium excurſionibus, ſimul cum ſuis Diis quærebant latebras, eos in voraginibus, & fiſſuris, & hiatibus terræ intromittentes amoris, & pietatis cauſa, vt Deos ſuos ab ira hoſtium, & communi ærumna ſeruarent incolumes. Prima etenim cura, & ſolicitudo veneratoribus idolorum, erat ab incendio, vaſtitate hoſtium eripere, & præſeruare ſimulacra. Eſt pulcherrimus

Lect. Lxx.
D. Chryſ.
D. Cyrill.
D. Baſil.
Procop.

In hoſtium excurſionibus homines abſcondebant ſimulacra in ſubterraneis.

chertimus locus apud Baruch cap.6.verſ.48. *Nam cùm ſuperuenerit illis prælium, & mala: cogitant Sacerdotes apud ſe, vbi ſe abſcondant cum illis.* Loquitur de Diis gentium. Sicque expendit Iſaiæ verba iuxta Septuaginta verſionem ſanctus Cyrillus: *Deos occultant*, inquit, *& quos adorarunt, eos ſeruare ſatagunt.* Et ſtatim: *Abſcondunt enim in ſpeluncis, & in ſciſſuris ſaxorum, & in terræ foraminibus, ne hoſtes inueniant, & vna cum victis captiuos quoque Deos aſportent.* Erat enim extrema ignominiæ nota ſi Diis ſuis alienæ gentes illuderent, quæ omnia non incongrua ſunt ad ſtatum Iudæorum declarandum in Babylonica captiuitate.

D. Cyrill.

Verſ. 20. In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret talpas, & veſpertiliones.

Lect. LXX.

1. VERSIONVM varietas præſentem locum illuſtrat. Septuaginta legunt: *Die enim illa eyciet homo abominationes ſuas argenteas, & aureas quas fecerunt.* Eam lectionem ſequuntur Chryſoſtomus, Cyrillus, Baſilius. Tertullianus libro contra Iudæos cap. 13. legit: *Abominamenta ſua aurea.* Talpa Hebraicè dicitur חפר *chaphar*, *fodere, excauare*, ideò quia in defoſſa terra latitat, & commoratur. De quo ſanctus Hieronymus hic: *Eſt animal abſque oculis, quod ſemper terram fodit, & humum egerit, & radices ſubter comedens frugibus noxius eſt, quod Græci ἀσπάλακα vocant.*

D. Chryſ. D. Baſil. D. Cyrill. Tertull. *Talpa natura.* D. Hier.

2. Et veſpertiliones עטלפים *aatallephim*, à radice, עטף, *mæſtum eſſe, cooperire, occultare, feroti-num eſſe.* Quod optimè quadrat veſpertilioni, quia inceſſu, volatu, vultu, & garritu mœſtitiam ingenerat; ſemper tenebris inuolui, & occultari amat, auis lucifuga, quæ Solis lumen odit, & occumbente Sole in fineque diei è cauernis, & parietum rimulis erumpit. Ideò veſpertilio à veſpere nuncupatur, vt teſtatur ſanctus Ambroſius libro 5. exam. cap 24. *Veſpertilio* (inquit) *animal ignobile, à veſpere nomen accepit: eſt autem volatilis, eademque quadrupes, & dentibus vtitur, quos in alijs auibus reperire non ſoleas. Parit vt quadrupedia, non oua, ſed pullos. Volitat autem in aëre auium more, ſed crepuſculo veſpertino conſueuit offundi. Volitat autem non aliquo pennarum, ſed membranæ ſuæ fulta remigio, quo ſuſpenſa velut pennarum volatu circumfertur, atque vagatur.*

Veſpertilionis ingenium. D. Ambr.

3. *Vt adorarent talpas, & veſpertiliones.*] Valde probabile eſt Iudæos idola, & ſculptilia ad ſimilitudinem talparum, & veſpertilionum fabrefacta veneratos; imò ipſa animalia Deorum ritu coluiſſe, quem cultum ex ſuperſtitioſiſſima Ægyptiorum natione hauſerunt Iſraëlitæ: Ægyptius enim cum Iudæo habens commercium, & amicitiam, ſimulacrorum veneratione eum imbuit, omnique Ægyptiorum abominatione inſtruxit. Ægyptij ſimilia portenta venerati ſunt, vt fatetur ſanctus Hieronymus Iſaiæ cap. 11. ad ea verba; *Deſolabit Dominus viam maris Ægypti.* ibi ſcribit: *Gentem Ægyptiorum in tantum idololatriæ, & vaniſſimæ ſuperſtitioni deditam, vt accipitres, noctuas, canes, & hircos, & aſinos diuino numine conſecrarent.* Et in caput 3. Ioelis initio ait: *Alij colerent Iouem, alij Iunonem, & Mineruam, & febrem, & rubiginem, Anubim, & crocodilum, & ibin, noctuas, accipitres, & ciconias.* Diodorus Siculus libro 1. Bibliot. Hiſtoricæ, c. 83. *Animalia quædam Ægyptij ſupra modum non viua tantum, ſed & mortua venerantur, vt feles, canes, accipitres, ibides, lupos, crocodilos, & plura id genus alia.*

Iudæi figuras veſpertilionũ & talparum venerati ſũt. D. Hier. *Ægyptiorum ſimulacra.* Diod. Sic.

4. Veſpertilionum quoque apud Ægyptios magna extitit veneratio: nam in magna Ægypti pyramide, matres veſpertilionum lactare ſuos fœtus admotis vberibus, ſe vidiſſe teſtatur Bellonius apud Greſnerum lib. de auibus 3. eſt enim fœcunditatis ſymbolum veſpertilio, nam vt teſtatur Plinius libro 10. cap. 61. *Sola volucrum lacte nutrit, vbera admouens, geminos volitat amplexa infantes ſecumque deportat.* Quare celeberrimum apud Ægyptios extabat Hieroglyphicum ſcilicet veſpertilio, ad denotandam mulierem lactantem, & benè nutrientem, vt ſcribit Horus Apollo in Hieroglyphicis Ægyptiorum dicens: *Mulierem fœcundam, & benè nutricantem volentes pingere, veſpertilionem identidem dentibus, & mammis præditam pingunt, ſiquidem ſola ex omni volucrum genere, & dentes ſimul, & mammas habet.* Apud alias nationes, & barbaras gentes præſertim occidui Orbis Dæmonem in ſculptilibus efformatis ad ſpeciem & imaginem veſpertilionis, adorari certum eſt, vt refert Paulus Gryſaldus lib. 3. Hiſtor. Indicæ, & Garcilaſus Inca in Commentariis Regiis, ſeu Peruana Hiſtoria lib. 1. cap. 9. vbi hæc verba habet: *Aliæ nationes venerabantur noctuam propter pulcritudinem capitis & oculorum, & veſpertilionem propter viſus acumen, eo quod noctu cerneret.* Vnde non mirum ſi Iudæi talpas, noctuas, & veſpertiliones, tanquam diuinum numen colerent.

Veſpertilionũ apud Ægyptios veneratio. Bell. Greſ. Plin. *Veſpertilio fœcunditatis ſymbolum.* Horus. Pau. Gryſ. Garc. *Veſpertilionis & noctuæ adoratio apud Indos.*

5. In his tamen verbis antiqui Eccleſiæ Patres ruinam ſculptilium, & cultus abolitionem ad Chriſti aduentum, & mortem ſubſecutam, tanquam celeberrimum vaticinium agnoſcunt. Et rectè connectitur cum antecedentibus, & ſubſequentibus verbis: *Quieſcite ergo ab homine.* In quibus de Chriſto Domino ad literam ſermo eſt. Pulcrè Tertullianus locum expendens lib. aduerſus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem inquit: *Primò enim ex qua die ſecundum illud dictum Iſaiæ proiecit homo abominamenta ſua aurea, & argentea, quæ fecerunt adorandis vanis, & noctuis: id eſt, ex quo gentes nos dilucidata per Chriſtum veritate proiecimus idola.* Idem vaticinium eodem ſenſu expendit Euſebius Cæſarienſis libro 2. demonſtr. Euangel. cap. 37. Vide ſanctum Auguſtinum lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 27. & ſanctum Proſperum 3. parte de prædiction. cap. 38. in quo ſenſu pulcrè comparat Iſaias ſculptilia, & Dæmonia in ipſis deliteſcentia noctuis, & veſpertilionibus. Sunt enim manifeſta ſimulacrorum, & Dæmonum ſymbola alites lucifugæ, amantes tenebras, & cæca animalcula. Cuius comparationis, & metaphoræ congruentes, & ingenioſas rationes inueniunt Eccleſiæ Patres.

Ruina ſculptilium in Chriſti aduentu vaticinatur. Tertull. Euſeb. Cæſ. D. Aug. D. Proſp. *Dæmones cũ veſpertilionibus, & noctuis æquo iure comparantur.*

6. Primò ex ſancto Hieronymo: *Iſtiuſmodi animantibus idola comparata ſunt, quæ cæca, & tenebroſa coluntur à cæcis.* Subſcribit ſanctus Chryſoſtomus in Commentario huius capitis: *Idola vocauit veſpertiliones, ſiue exprimendæ imbecillitatis ipſorum cauſa, ſeu propter tenebricoſam caliginem erroris, & quod à Dæmonibus fiunt omnia clam, & obſcurè: quemadmodum enim veſpertilionibus infeſtum quiddam infert Sol, luxque; nox autem ac tenebræ ſunt illis amabiles: ita & Dæmonibus, ijs etiam quos illi in errorem pellexerunt improbanda malignitas, omniſque legis diuinæ tranſgreſſio familiaris, & amica eſt; virtus*

Prima ratio. D. Hier. D. Chryſ.

vero

verò ac lucis opera prorſus inimica ſunt.

Secunda ratio. D.Baſil.
7. Alias rationes non contemnendas addit ſanctus Baſilius, cur idola,& Dæmones nuncupentur veſpertiliones, eas breuiter, & ſuccinctè refero. *Veſpertilio non pennis peruolat, ſed membrana carnula per aerem volaturit. Sic Dæmones incorporei ſunt,nulli accenſi Dei deſiderio,alis prouolant, ſed materialium rerum affixi deſiderijs,& intabeſcentes carnis inſtar concretiorũ indurnerunt. Veſpertilio animalculum eſt volatile, & quadrupes. Dæmones neque Angeli* (hoc eſt abſolutè non ſunt licèt ſint ſpiritus, cum nomen Angeli ſtet pro bonis) *neque homines ſunt; illorum quidem dignitate ſunt olim perſpicati, non item hominum aſſequuti naturam. Dentes habet veſpertilio: & Dæmones expetendæ vindictæ appetentiores ſunt. Veſpertilio non gignit oua ſicut aliæ aues, ſed animalcula parit ipſo partus initio: ſic Dæmones malignæ ſuæ operationi quam ocyſſimè finem imponunt.*

Tertia ratio.
8. Tertiò: Iſaias vana figmenta, & Dæmones cum veſpertilionibus comparat,quia teter,& horribiles horum animantium formæ,tartarea monſtra apprime repræſentant:veſpertilionis, & talpæ ſpecies propria Dæmonis imago, & ſimilitudo eſt. Audiendus eſt Albertus apud Greſtnerum lib. 3. *Veſpertilio* (inquit) *eſt quaſi mus volucris,caput enim habet muris, ſed canini etiam capitis ſpeciem refert, & inuenitur aliquando cum auribus quaternis: dentes habet ſerratos in vtraque maxilla, voce etiam canis potius gannitum,quam ſibilum muris imitatur. Corpus habet piloſum fuluo pilo,alas membraneas, & in cubitis alarum digitos ſingulos cum vnguibus acutis,quibus ſe retinet cum parietibus adhæret.* Hæc eſt expreſſa Dæmonis imago, quæ eius deformitatem, & turpitudinem tegerit, quam animantium creator Deus in veſpertilione adumbrauit.Quare ſuis verbis pudore ſuffundit Iſaias idolorum cultores quando tales figuras, & horrificas formas venerantes, facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.

Albert. Greſt. *Veſpertilionũ forma & figura.*

Quarta ratio. D. Ambr.
9. Quartò:veſpertiliones mutuum ſibi auxilium præſtant,ſignáque amicitiæ exhibent non exigua, dum connexi, & concatenati videntur ex arboribus,aut parietibus pendentes. Quare ſanctus Ambroſ.lib.5.exam.cap.24. inquit: *Habet & illud hoc vile animal quod ſibi inuicem adhærent, & quaſi in ſpeciem botri ex aliquo loco pendent, at ſi vltima quæque laxauerit, omnes reſoluuntur. Quod fit quodam munere charitatis, quæ difficilè in hominibus huius mundi reperitur.* Sic Dæmones ad malum perpetrandum copulati ſunt:& licet inter ſe diſſidentes, in perſequendo, & perdendo homine coëunt; inuidentia,& mala voluntate erga humanum genus conſpirant.

Quinta ratio. Horus. Apoll. *Idolorum cæcitas.* Virg.
10. Quintò: talpa,& veſpertilio ſymbolum cæcitatis, quæ in idolis, & idolorum cultoribus reperitur. De talpa Horus Apollo Hieroglyphic.59. de Ægyptiis inquit:*Cæcum ſignificantes, talpam pingunt,qui neque oculos habet, neque omnino videt.* Et Virg.1. Georgic.

Aut oculis capti fodère cubilia talpæ.

Idem de Veſpertilione diximus ſupra. Idola vocantur cæca in ſacra Scriptura. Pſalm.113.verſ.5. *Oculos habent, & non videbunt.* Et Baruch cap. 6. verſ.18. de Diis Babyloniorum ſcribit: *Lucernas accendunt illis,& quidem multas,ex quibus nullam videre poſſunt.* Argutè Clemens Alexand.libro contra Gentes de ſculptilibus, & eorum veneratoribus, inquit: *Eſtis planè cæci, & ſurdi ſicut talpæ, & nihil aliud quam comedentes degitis in tenebris,circumfluentes interitu, & corruptione.*

Clem. Alex.

Sexta ratio.
11. Sextò: potiſſimum comparantur Dæmonum figmenta cum veſpertilionibus propter eorum imbecillitatem, eo quod tempore belli, aut imminentis calamitatis cultoribus ſuis nullum præſtant auxilium. Cui congruit Ægyptiorum ſymbolum in Horo Apolline cap. 49. *Imbecillum hominem laſcimentem tamen, & audacius aliquid molientem cum monſtrare voluerint veſpertilionem pingunt; hæc enim etſi alas non habet, volare tamen conatur.* Congruit ſancti Cyrilli interpretatio in hoc Iſaiæ loco ſcribentis: *Collocata in adytis nempe in latibulo manufacta adorauerunt, impiè arbitrati nimirum eſſe Deos. Poſtquam verò belli punctum præſens viderent, nulláque auxilij, nulla miſericordiæ conſequendæ via eſſet, quos ſoſpitatores eſſe crediderunt, è templis eiecerunt.* Ideo Septuaginta tranſtulerunt: *Vt adorarent vana.* Quia poteſtatis vacuæ ſculptilium ſtatuæ,& vaniſſimum repertum eſt auxilium, quod ſibi dicatis promiſerant.

Horo. Apoll. *Veſpertilio ſymbolum hominis imbecilli.* D. Cyrill. Alex. *In idolis nulla ad auxiliandum poteſtas.*

Noctua ſymbolum ignauia, & impotentia ad cõferendum auxilium. Horus. Apoll.
12. Eamdem impotentiam demonſtrat verſio Tertulliani libro aduerſus Iudæos cap.13. *Adorandis vanis, & noctuis.* Nam verbum Græcum νυκτίριςι, non ſolum ſignificat veſpertiliones, ſed etiam noctuas. Noctua hominem imbecillum, & ignauum denotat, viribus, & induſtria deſtitutum,qui alteri ſuppetias ferre non poteſt. Id apud Ægyptios notauit Horus Hieroglyphico 48. *Quomodo eum, qui ad proprium patronum fugiens, nullum tamen ab eo ſentit auxilium?* Et reſpondet: *Hominem, qui ad proprium patronum confugiat, nec eius ſublecatur auxilio, monſtrare cupientes, paſſerem, & noctuam pingunt. Hæc enim dum aucupum venatione petitur, ad noctuam accurrit, à qua mox opprimitur.* Sic idolorum adoratores bellicis exercitibus hoſtium cincti, & ingruenti vaſtitate perculſi ad idola confugiebant,& Dæmones,ſicut paſſerculus, ad noctuam à qua diſcerpitur; & in iis, in quibus exiſtimabant reperire vitam, & incolumitatem, inueniebant non auxiliatrices, ſed interemptrices manus.

Iſaias ad reiectionem ſculptilium hortatur, propoſita eorum cæcitate, & imbecillitate.
13. Quapropter ea verba: *Proyciet homo idola argenti ſui,&c.* ab Iſaia prolata congruentiſſimas rationes aſſignant, & naturali mentis acumini valde conformes ad idola reſpuenda; vt iis ducti vani ſacrificuli,& cultores,e fanis, & ædiculis vt aſpernamenta proiiciant, ea calcantes, & conterentes. Quia fœtida,horrida,lucifugæ, quia cæca luminibus prouidentiæ orbata, ſuis cultoribus non proſpiciunt, vt eos à diſcrimine mortis eruant, quia ſine poteſtate, & robore, à quibus nec protectio, nec auxilium ſperari poteſt. Hæc argumenta cum ab Euangelicis præconibus proponuntur ſimulacrorum cultoribus in India Orientis, & Occidentis Solis; innumeri pelliciuntur ad Euangelij lumen. Iiſdem ferè rationibus abſtrahere volebat ab idolorum cultu Iudæos in Babylone captiuos, Baruch cap.6. verſ.33. *Neque ſi quid mali patiuntur ab aliquo,neque ſi quid boni,poterunt retribuere. Hominem à morte non liberant,neque infirmum à potentiori eripiunt; de neceſſitate hominem non liberabunt.*

Verſ. 21.

Verſ. 21. Et ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum à facie formidinis Domini, & à gloria Majeſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram.

D. Baſil. D. Cyrill. Procop.

Chriſtus ſolida petra.

1. BASILIVS, Cyrillus, Procopius legentes; *Et ingredietur in cauernas firmiſſima petræ.* de Chriſto Domino interpretantur, qui eſt ſolidiſſima petra ſuper quam ædificati, & fundati nullum patientur ab hoſtibus detrimentum, hæc tamen Commentatio myſtica, aut accommodatitia potius quàm literalis eſt. Literalis ſenſus petendus ex verſiculo 10. & 19. nam repetitio eſt eiuſdem ſententiæ.

DISCVRSVS I.

Ad ea verba:

Veſpertiliones.

Dæmonum diſcordia concors ad hominis exitium.

In veſpertilionum cohærentia, concordia Dæmonum adumbrata.

1. QVODAM amicitiæ nexu hærent veſpertiliones, vt ex Ambroſio vidimus, quia iniquo ſocietatis fœdere copulantur Dæmones ad hominis cladem. Excitauit turbinem, & tempeſtatem Tartarus contra natos Iob ſub eodem tecto conuiuantes: *Et concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos.* Iob cap. 1. verſ. 19. ſat erat ſi vnus angulus labefactaretur, aut dimoueretur à loco ſuo, vt tota labaſceret domus, cur ergo omnes parietum compagines dimouet procella? Vt innumeros apprehendas Dæmones auidè, & certatim irruentes in Iobi ædes, eas circumuallantes, & funditus euertentes; etenim nequiſſimi ſpiritus licet inter ſe diſſidentes conſpirant ad nequitiam, & hominis ruinam. Argutè Origenes lib. 1. in Iob inquit: *Per quatuor partes occurrentes, quatuor angulos tetigerunt, ob hoc vt ſuam inconſonantiam, atque aduerſus inuicem contrarietatem oſtenderent: nam ad iniquitatis perfectionem omnes ſibi concordant, cum inuicem ſibi diſcordes ſint omnes, atque contrarij.* Dæmones cateruatim accurrentes vt totam Iobi progeniem opprimant ruina, non irruunt in vnum angulum, ſed in diuerſos; vt ſitus loci è regione oppoſiti, contrarietatem rebellium Angelorum indicet; & quod ad parandam perniciem familiæ Iobi, concordi amicitia, & conſenſione conueniunt.

Dæmones inter ſe, diſſidẽtes in Iobi ruinam conſpirant.

Orig.

Diabolus appellatur legio.

2. Ambulanti Ieſu in regione Geraſenorum occurrit homo, qui ab immundo Dæmone vexabatur vinctus catenis, qui in monumentis, ſeu domo mortis fecerat manſionem. Cúmque Ieſus ſpiritum improbum increpaſſet, quod ſibi nomen eſſet interrogat. Marci cap. 5. verſ. 9. *Et interrogabat eum: quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.* Quem militum numerum legio claudat expendit ſanctus Iſidorus lib. 9. etymol. [illegible] 3. *Legio ſex millium armatorum eſt, à delectu vocata; quaſi lecti, id eſt armis electi. Legio habet ſexaginta centurias, manipulos triginta, cohortes duodecim, turmas ducentas.* Sexaginta centuriæ Dæmonum, duodecimque cohortes, ſex millia rebellium Angelorum, in miſeri hominis corpore tabernaculum, & ſtationem fixerant, vt contra ipſum militarent: quàm infirmus, & inualidus hoſtis, qui vt vnum proſternat, ſex millium armatorum congregat manum! Eorum imbecillitatem exprobrans Chryſologus inquit, ſerm. 17. *Ad præſentiam Regis iſti quid ſunt, qui vt vnum & necdum tyronem caperent, toto cohortis ſuæ agmine conuenerunt?* Multitudo Dæmonum, quæ erat ante diſperſa, in vno corpore congregata eſt ad hominis perniciem. Expende Diaboli ingenium, & improbitatem: cùm multitudo maxima ſpirituum improborum eſſet in homine clauſa, vnum ſe nominat: *Legio mihi nomẽ eſt, quia multi ſumus.* Si multi quomodo vnus, & ſi vnus quare multi? Erant numero multi, ſed erant vnus conſilio, conſenſione flagitij, perdendi cupiditate. Quapropter Ieſus introſpiciens ſpiritali intuitu improbam multitudinem in homine deliteſcentem; inquiſitione, & interrogatione ſua non multitudinem præfert, ſed vnitatem. ibi verſ. 8. *Dicebat enim illi: exi ſpiritus immunde ab homine, & interrogabat eum: quod tibi nomen eſt?* Conuenerant omnes in vnum, erat vna voluntas, & propoſitum, vt hominem excruciarent.

D. Iſid.

Quem numerum militum legio claudat.

D. Chryſol.

Vt vnum hominẽ capiat, magna Dæmonũ cohors conuenit.

3. Cùm luſtrat animus iterũdè hoc prodigium à Domino perpetratum, diſſolutos nexus catenarum, quibus corpus miſeri, animúſque vinciebatur, intendit ſolerter in Matthæum Euangeliſtam hoc ſignum referentem, aperientémque impoſturam, & nequitiam Dæmonis; etenim ſuperna virtute coactus relinquere antiquum hominis contubernium, cum hominem cruciat, torquetur ipſe præſentia Deitatis, cuius violentiæ reſiſtere nequit ſpiritus nequam, in ipſa expulſione querelas fundit aduerſus Deum impoſturis plenas: referens Euangeliſta Matthæus eſſe duos Dæmones è ſepulcris egreſſos, recenſet vnumquemque ſic clamaſſe, cap. 8. verſ. 29. *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Cum hominem vexat vnum ſe vocitare gaudet, ne ex conſenſu, & conſpiratione multorum iniquitas, & immanitas augeatur. Cum cruciantur à Deo, plures ſe nuncupant, vt Deum notarent dedecore crudelitatis, qui non vnum hominem ſicut ipſi, ſed totam ſpirituum legionem diris, & intempeſtiuis cruciatibus multabat; ideò cum vituperatione Ieſus exprobrauit Dæmonis impudentiam: acumen eſt Tertulliani increpationis cauſam ſignantis lib. 4. contra Marcionem cap. 7. eius verba ſunt: *At quia inquis, increpuit illum Ieſus: planè vt inuidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem: quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem Dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum ſalutem.* Elogium à Dæmone prolatum plenum conuitio, & maledicentia, dum Deum appellitat crudelem, & ſeruatorem orbis, perditorem nuncupat, & vexatorem. Quare idem Tertullianus vbi legit Vulgatus: *Veniſti torquere nos.* Matth. c. 8. verſ. 29. vertit: *Veniſti perdere nos.* Iuxta regulam ſuæ nequitiæ, & immanitatis, iudicant Deum [illegible]itus improbi; ſicut ipſi fœdere inito aduerſus humanæ naturæ incolumitatem, fictæ amicitiæ nexu copulati ad hominis perniciem, & vexationem [illegible] Seruatorem exiſtimabant de ſuper[illegible] [illegible]uentaſſe ad Dæmonum torturam, & perditionem; non

Cur vnus & plures nuncupentur Dæmones.

Tertull.

Dæmonis impudentiam increpuit Ieſus.

Non venit Ieſus ad perdendum, ſed ad ſaciendũ.

non deſcendit de Regali ſolio vt perdat, nec iniit humanæ naturæ conſortium, vt eſſet ſumma gloria Chriſti ſpiritales vexare hoſtes; diademate clementiæ, & pietatis ornatur, & hoc eius ſumma gloria, hominis ſalus. At Dæmoni ſummi honoris decus eſt hominis vaſtatio, perditio, mors.

Dæmonum factio iuſto viro inſidiantium.

4. Factionem Dæmonum, & iniquorum viro iuſto inſidiantium, eiúſque ſanguinem ſitientium proponit ſapiens Prouerbior. cap. 1. verſ. 12. *Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & integrum, quaſi deſcendentem in lacum.* Sicut feræ carniuoræ hiante rictu abſorbere eum cupiunt; & ritè cum inferno ſe comparant tartarei ſpiritus, qui in inferis habent domicilium, & damnatorum ſupplicia ſuſtinent; in eo tamen diritatem ſuam demonſtrant, quod ſe ſe mutuò hortantur ad hominis lanienam, & vaſtitatem. Vim verbi: *Deglutiamus,* examinat Olympiodorus in Catena Prouerbiorum, dicens: *Scripturæ phraſi idem eſt abſorbere, vel deglutire, quod funditus abolere, prorſúſque deijcere, & ſuperare. Hinc illud Apoſtoli: ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur. Hoc eſt ne omnino deiiciatur, & conſternetur, qui eiuſmodi eſt. Dicunt igitur: virum cæleſti ſapientia exculsum, deiectum, & debellatum in nos, noſtróſque amores transformemus, ita vt perinde, ac nos aliud nihil ſapiat, aliud nihil ſectetur, aliud nihil ambiat, quam terrena, & tartarea* Ad ſuum ingenium tartareum, & crudele trahere cupiunt Luciferi ſatellites, & in Dæmoniacos mores immutare ſapientem virum, vt nihil ſapiat, aut cupiat niſi terrena, & tartarea; ad hoc ſe ſe mutuò excitant ſpiritus improbi, & amicitiæ nexu colligantur, vt ſibi inuicem ferant ſuppetias ad hominis interitum, ſuiſque dolis in circuitu claudant, & vitiorum voragine immergant, ne valeat inuenire aditum ad ſalutis ſemitam.

Olymp.
Malitia & inuidia Dæmonis contra iuſtum.

5. Regij Paſtoris Lyra carmen cecinit exprobrationis aduerſus Gentes, arguens eorum cæcitatem in ſculptilium veneratione. Pſalm. 2. verſ. 1. *Quare fremuerunt Gentes,* in hoc ſenſu vſurpat hymni huius verba Chryſoſtomus: *Quare fremuerunt gentes? Græci ſcilicet qui elementa Deos appellauerunt, terram quidem Cererem, aquam verò Neptunum, aerem autem Iunonem, ignem autem Vulcanum, pluuiam verò Iouem? Si enim ſunt elementa Dij, quomodo pugnant inter ſe? quomodo armantur ad bellum inter ſe gerendum? Aqua enim eſt igni inimica: ignis autem aquā perimit, & conſumit.* Si elementa Diuorum cultu venerantur, quare inter ſe belligerant, & naturæ diſſenſione ſe interimunt? Aquæ elementum contra ignem pugnat, ipſúmque extinguit; aër, & frigus terram vaſtant, deſolatámque relinquunt; quomodo ergo cæleſtia, & diuina numina, in quibus effulgere debet amicitia, & concordia hoſtili diſſenſione digladiantur? Arridet amicitiæ vinculum, inter elementorum Deitates, at reperies quod ſi natura diſſentiunt, conueniunt quoque cōſenſione mirabili. Conſenſum indigitat verbum Hebraicum רגש *reges,* denotat *Congregari, coire in cœtum; ambulare coniunctim in ſocietate.* Sanctus Hieronymus legit in Hebraico Pſalterio: *Quare congregauerunt gentes.* Et Cardinalis Caietanus: *Quare conuenerunt;* & pulcrè ſubiungit: *Quamuis inter ſe diſſiderent gentes, in hoc tamen conuenerunt.* Inter prophana, & ficta gentium numina, intérque Dæmonia, quæ in ipſis coluntur, reperies conſenſionem, & diſſenſionem, concordiam, & diſcordiam, bellum, & pacem: naturæ contrarietate abalienati ſunt diui, ex affectionibus variis valde infeſti, & hoſtiliter decertant; in fraudibus nectendis humano generi, & vt ipſum inducant ad errores, Dij Dæmonéſque coëunt, coniunctim ambulant, ſocietatem ineunt; vniuerſa illa diſcordia concors eſt ad hominis exitium.

D. Chryſ.
Græci Deos appellauerunt elementa.
Dij inter ſe diſſentiunt.
Ad hominis ruinam conſpirant.
Lect. Hebr.
Caiet.

Herodis & Pilati amicitia ad Chriſti mortem.

6. Inuenio ſalem, & lepôrem ſingularem in illa ſententia Euangelica Lucæ cap. 23. verſ. 12. in qua inter opprobria, & cruciatus Chriſti, celebrat Herodis, & Pilati amicitiam, qui ex agnitione Ieſu ambas iungunt dextras: *Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die: nā antea inimici erant ad inuicem.* Vidiſtin' coniunctionem iniquam, crudelitate, & ambitione ſtabilitam? Herodes Pontij aucupatur gratiam, amicitiam ambit, vt iuſtitiam, & ſanctificationem deſtruat; ficta hæc & ad tempus vſurpata beneuolentia, contra Deum, qui vera charitas eſt, militat: ad damnationem, & interitum iuſti fœdus feriunt iniqui. Verbis ſuis id annotauit Theophanes in Catena Græcorum Patrum: *Quoniam ob res quidem proprias ſibi inuicem infenſi erant, ſed in veritatis oppugnatione, & in Dominum contumelioſa debacchatione conſpirantes, amici facti ſunt, atque inuicem amplexati.* Tanta in filiis huius ſæculi malitia, & cupiditas in iuſtorum inſectatione; qui aduerſantes erant, etiam cum honoris diſpendio, opúmque iactura, coëunt in eandem ſententiam perdendæ innocentiæ. Maiori acumine ſanctus Theophilus Antiochenus in Lucam, in propatulo conſtituit huius neceſſitudinis auctorem; aſſeritque Dæmonem vinculis amicitiæ Pilatum, & Herodem implicaſſe. Scribo Theophili verba: *Attende Diabolum vbique coniungentem diſiuncta, vt Chriſti peragat necem.* Diſſidij parens, qui diſcordiæ zizaniam inter fratres diſſeminat, nunc vnionem ambit, diſtractas voluntates nectit, inter belligerantes tyrannos pacem conſtituit, diſcordéſque ad mutuam concordiam traducit, vt turpem Ieſu machinetur mortem.

Theoph. Cat. Græc.
D. Theoph.
Diabolus ſeparata nectit vt Chriſti perficiat necem.

Venti inter ſe oppoſiti, arte Dæmonis cōſpirant ad domus filiorū Iob ruinam.

7. Legeram apud Iob nimbum, & tempeſtatem irruentem in angulos domus, quando venti, velut agmine facto, perflant turbine quatuor domus latera. Iob cap. 1. verſ. 19. *Repente ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus.* Locum efferunt Septuaginta Interpretes: *Repentè ventus magnus irruit è deſerto, & tetigit quatuor angulos domus.* Nec nouum quod ventus validiſſimus, & vorticoſus obuia quæque deturbet; illud valde mirum quod ventus validus ſimul quatuor angulos tangat, & aduerſas parietum compagines turbine perflet: Origenis acumē eſt lib. 1. in Iob: *Nunquam enim venti a Deo excitati quatuor contra inuicem flauerunt; neque flant, ſed vnus, & vnus, aut iſte, aut ille.* Quatuor ſunt Principes venti, quibus terra concutitur, aut agitatur pelagus, à quatuor mundi cardinibus fluentes, & flantes, ab Oriente Subſolanus, à Septentrione Vulturnus, à Meridie Eurus, ab Occaſu Fauonius. Sic temperant vices ſuas, & munia, vt cum furit ventus ab Oriente exoriens, ille, qui ab Occidente originem trahit, quieſcat; & qui à Septentrionali plaga venit, vires colligit ſuas, cum contrarius vehementer irruit, & perflat; at Diabolus à quatuor ventis cœli expugnauit domum, flatúſque oppoſitos, à contrariis plagis terræ Ortu, Occaſu, Septentrione, & Meridie, in vnum colligauit, vt ſimul irruentes exſcinderent domum, Iobique natos viuos tumularent,

Lect. Lxx.
Orig.
Principes venti quales.

Ieſus diuiſit capita potentium.

8. Hunc improborum Dæmonum cœtum exitioſúmque glutinamentum voluntatum venit diſturbare Ieſus; talis, ac tantus triumphus hic eſt, vt metuerit celebrari Prophetæ Habacuc carmine cap.3.verſ.14. *Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius.* In exemplaribus Septuaginta aliter legitur: *Diuiſiſti in ſtupore capita potentium.* Maledicere ſceptris,& bellantium capitibus, eſt eorum diſſipare factiones, dirimere fœdera tantorum Principum auctoritate firmata. Quæ ſint diuiſa capita exponit ſanctus Hieronymus: *Sicut Eccleſiæ,& omnis viri Chriſtus eſt caput, ita cunctorum Dæmonũ, qui in hoc ſæculo debacchantur caput eſt Beelzebub princeps Dæmoniorum: & ſingulæ eorum turmæ habent capita,& Principes ſuos. Verbi gratia, ſpiritus fornicationum habent præpoſitum ſuum: Spiritus auaritiæ habent α.χcν ſuum: ſpiritus vanagloriæ, ſpiritus mendaciȷ, ſpiritus infidelitatis, habent præſides malitiæ ſuæ. Deus itaque clementiſſimus, qui miſerat in capita iniquorum mortem, in fine diuidit etiam capita potentium in ſtupore.* Capitalia vitia habent Principes, & patronos Dæmones, iis tutamen incumbit ſcelerum, & ſtimulare mortales ad omnem improbitatem, & flagitium; infernales genij, Tartari incolæ, apud quos nullus ordo, ſed æterna confuſio inhabitat, iniquorum manium acies ordinant, cohortes inſtituunt; imperatores eligunt, ſub quorum ſignis militent,& humanum genus expugnẽt; Hæc laruatum turma pro luxu pugnat, hæc cohors pro liuore decertat, hæc rebellium ſpirituum manus furentem martem intonat, illa impia belluarum caterua pro infidelitate confligit; parili conſenſu ad hominis perniciem ſigna mouent, pariter conſerunt manus. Has phalanges diuiſit Ieſus, has copias diſtraxit, cum duces, & ſatellites ſuos in Cruce detriumphauit, in vincula coniecit.

Lect. Lxx.

D.Hier.

Beelzebub eſt caput Dæmonum.

Capitalia peccata habent Dæmones principes & patronos.

DISCVRSVS II.

Deus in exaltatione gloriæ ſuæ, & in patrandis facinoribus nullum admittit alterius Deitatis conſortium.

1. REMOVET à ſe Deus cuiuſcumque numinis conſortium, qui ſolitariè diligi, & venerari gaudet. Sua gloria eſt æterna diuinitas, quæ hominem ſubducere cupit à terrenis ſimulacris, hominem inquam ad maiora genitum, quàm vt genufle ctat ante ſculptile, & conflatile; hominis mentem Dei ſpiraculo afflatam, veræ Deitatis imaginem ſibi deuincit Deus, vt confictis numinibus ſequeſtratis, ſoli vero Deo viuat,& cultum exhibeat. Inter Babylonici incendij flammas deambulant immunes periculi tres pueri, à ſe abſtracti, mortis obliti, inter ardentes malleolos, ſcintillãtes carbones veri Dei facti ſunt præcones, & inter confuſam barbarorum turbam, quæ ad buſtuariũ confluxerat, contendunt diuinam propagare gloriã: ex buſto, quod in pectore intus ardebat, amoris diuini flãmæ, & doxologiæ reſultant, quæ camini ardores ſopiunt, réſque omnes aſpectabiles, & inaſpectabiles ad diuinam cantilenam prouocant. Sat eſſet vt tanto muneri ſatisfacerent, ſi in genere creaturas omnes ad Dei commendationem excitarent. Daniel.c.3.v.57. *Benedicite omnia opera Domini Domino. Laudate,& ſuperexaltate eum in ſæcula.* Cur ſingulatim per Dei opera laudationes diſcurrunt, omniáq; ſolicitant, vt in proferendo hymno contendant: *Benedicite Angeli, benedicite cœli, benedicite Sol,& Luna, benedicite ſtellæ cœli Domino.* Id perficiunt vt oſtenderent diſcrimen inter creaturas, & creatorem, inter laudatores,& Deum laudatũ; non Angelos, non Cœlos, nõ Solem,& Lunam, aut ſidera eſſe diuina; illum ſolum verum Deũ, cui Angeli,& Cœli, Sol, Luna, ſidera hymnos cantitant. Acuta eſt annotatio, oris aurei hom. de tribus pueris tom.6. ſcribentis: *Qua de cauſa non vniuerſum ſimul creaturam expreſſerint, ſed per partes rei creatas indicarint. Sufficiebat ſanè quantum ad rei veritatem attinet, dixiſſe: benedicite omnia opera Domini Domino, ſed quoniam in regione impiorum magnum hoc pietatis theatrum erat congregatum, edoceri Babylonios opportebat, quænam creaturæ ſint, & quis vniuerſorum creator. Atque ab Angelis quidẽ incipiunt, in homines autem deſinunt. Æſtimati ſunt Dij Angeli,& fabulis proditum eſt apud Græcos, hos, quos adoramus, inquiũt, Angelos eſſe magni Dei. Vt enim docerentur inſipiẽtes non inter eos, qui adorantur, ſed inter eos, qui adorant, Angelos eſſe numerãdos: Propterea clamant, benedicite Angeli Domini Domino. Adoratus eſt Sol, & Luna, & omnis turba ſtellarũ, propterea illas quoque ad hymnorum adorationẽ aſſumunt.* In fornace conſtituta eſt palæſtra pietatis, gymnaſiũ fidei,& veteris Theologiæ; Babylonicum Lycæum multo nobilius Ariſtotelico, in quo tres pueri ſacræ ſapientiæ moderatores inambulant præceptis veræ Deitatis inſtruentes barbaram turbam. Deum inhonorauerãt Perſæ, ab eo venerationem auferentes; imò cùm creaturas plus æquo extollũt, & in numero Deorũ recenſent, dedecore eas afficiunt; diuini tamẽ pueri hanc ignominiæ labem abſtergunt ſuo cantico, confictam omnem Deitatem reſpuentes, illum ſolũ Deum prædicantes, quem Angeli, Sol, & ſidera venerantur, quémq; ſentiunt in camino ignis opitulatorẽ,& in tanto diſcrimine ſociũ,& contubernalẽ. Otioſa enim alia diuinitas eſt, vbi verus Deus eſt, cuius decor inter flammas clibani nitet.

Cur tres pueri Babylonici res ſingulares creatas excitant ad diuinas doxologias.

D. Chryſoſt.

Oſtendunt ſolum Deum verum adorandum & creaturas nõ eſſe Deos.

2. Flagellatus, non emollitus ranarũ plaga Pharao, quæ è paludibus,& riuulis erũpentes, ſaltationibus,& querulis cãtibus, omnibus erant importunæ; eduxerũt ranarũ turbas malefici Dæmonis arte, at eas abigere nõ valuerunt, ſed ſolus Moyſes à Pharaone exoratus, & Dominũ deprecatus, flagellũ auertit, ad cuius preces ſubſequutus eſt ranarũ interitus. Exod.c.8.v.12. *Egreſſique ſunt Moyſes, & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyſes ad Dominũ pro ſponſione ranarũ, quã condixerat Pharaoni. Fecitq; Dominus iuxta verbũ Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ de domibus,& villis,& de agris.* Quo in loco illud examinãdum venit, cur Moyſes, & Aaron ad remouẽdam ranarũ plagam aulam Pharaonis relinquunt, & foras egrediũtur? Nónne decẽtius foret, vt Moyſes, qui corã Pharaone afflictionem intulit, in cõſpectu ipſius auferret; vt ex intuitu prodigij ad quod patrãdum in incantatoribus, & Dijs ſuis poteſtas nõ affuit (à quibus ranæ ad ædes appulſæ, ſed nõ repulſæ, nec interẽptæ nuntium remitteret ſuis diuis, barbarique Regis,& contumacis animus inflecteretur ad cognitionem veri Dei? Pluſquã humana cautione, & ſpiritu ſuperno ducti Moyſes, & Aaron, ex imperatoria domo pedem efferunt. Erat refertum Pharaonis palatium Ægyptiorum portentis, Deorum ſimulacris; omnia mira, omnia aduerſa, omnia fauſta ſibi arrogantibus; ſicut ranarum eruptionem, ſic proculdubio exturbationem, & ſtragem ſibi adſcriberent. Inter tot mõſtra, & errorum caligines, veri Dei ſplẽdor, & cultus

Cur Moyſes & Aaron ad remouendam ranarũ plagam, relinquunt domũ Pharaonis.

Ne Pharao ranarum internecionem arrogaret ſuis Dijs.

& cultus ſubiret diſcrimen; ancipites manerent Ægyptij an Deorum Pharaonis induſtria, an veri Dei poteſtate finis eſſet impoſitus plagæ. Dubium proponit, & diſſoluit ſolerter Guillelmus Exodi cap. 8. clauſula 1. dub. 15. dicens: *Cur Moyſes, & Aaron oraturi pro amotione ranarum de domo Regis, voluerunt inde recedere? Dicendum quod cùm Pharao eſſet maximus cultor idolorum, habebat intra domum ſuam idola. Ne ergo amotio ranarum attribueretur prædictis idolis, ſed vero Deo, rationabiliter inde exierunt, quãdo pro hac cauſa Dominum orare voluerunt.* A Deorum turba, & domus Regiæ tumultu ſequeſtrantur Iſraëlitici populi duces, vt infeſtationem ranarum auferant. Nec enim inter vana figmenta, futiléſque Diuos, Deus vult rogari, vbi enim æterni, veríque numinis eminet poteſtas, effulget auctoritas, ſculptilium vanitas ſegreganda eſt, vt ſolus ſit opifex miraculi, qui ſolus tenet poteſtatem, & imperium.

Guill.

3. Captiua, & detriumphata Arcâ Dei in templo collocatur; Philiſtini aſportatores, qui acies Iſraël fugauerant, quorum gladio ceciderant triginta millia peditum, non experiuntur tam grauem Dei dextram, ſed ſolus Dagon, portentoſa illa in piſcis formam architectata moles, prima nocte proſternitur, ſecunda profligatur, abſciſſis manibus, amputato capite, detrũcatus proſternitur: quo conuitio Dagon arcam laceſſiuit, iracundiam excitauit, vt ab ipſa Dagon trucidaretur? Ipſa approximatio nimirum, & collocatio iuxta Dagon cauſa extitit ruinæ. Mentiar ſi id non indicet Textus ſacer lib. 1. Regum cap. 5. verſ. 2. *Tuleruntque Philiſtijm Arcam Dei, & intulerunt eã in templum Dagon, & ſtatuerunt eã iuxta Dagon.* Cur iuxta Dagon collocant? Reſpondet Abulenſis quæſt. 10. *Poſuerunt Philiſtijm Arcam iuxta Deum ſuum, in quo videbãtur eam ſatis honorare dupliciter: Primò, quia non poſuerunt eã in loco prophano, ſed in maximo ſanctuario ſuo, ſcilicet in templo Dagon: ſecundò, quia poſuerunt eam apud Dagon, quaſi facientes eam æqualem Deo ſuo Dagon.* Honorificentiam iſtam, qua Philiſtini Arcam extollebant, dedecus, & iniuriam cenſuit Deus, quia inter Arcam, & idolum, virtutis, & honoris conſtituunt parilitatem; Deus autem in potentia, & majeſtate nullum admittit æqualem, alterius Dei reſpuit conſortium: Magna hominum impudentia, maxima diuinæ majeſtatis iniuria, iuxta thronum Cherubicum, in quo Deus ſeſſitat, & cæleſtia reſultant oracula, monſtrum Dagonis, ſimulacrum Dæmonis ſtatuere ſolium ſuum; ideo Arca Dagonem à ſe iniurioſè repulit, & detruncauit, manibus, capite mutilum reddidit, vt eius impotentiam demonſtraret, & vaniſſimum figmentum non eſſe comparandum ſupremo numini.

Cur Dagonis monſtrum ab arca trucidatur.

Abul.

Philiſthijm Dagon æquabant Deo in arca præſidenti.

4. Super magnificum tabernaculi apparatum, obtendi iubentur à Domino aulæa miro artificio contexta, & elaborata, quæ vt velamenta variegata opere plumario, ante tabernaculum, & oraculum oppanſa, habitaculum Domini, honorificentiæ cauſa operirentur. Exodi cap. 26. verſ. 1. *Tabernaculum vero ita facies: decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies.* Decem carbaſina lintea acu picta appenduntur ante tabernaculum, byſſino, purpureo, hyacinthino colore venuſtiſſimo, effictas multiplices formas Cherubinorum, floſculorum oſtentantia, quorum venuſtate, & elegantia paſcebantur ſuauiſſimè oculi ſpectantium. Cur totam acupictricis artis curioſitatem impendi in cortinis tabernaculi imperat Dominus, eáſque byſſo, hyacintho, purpura, cocco variatas, intertextas acu pingi? Neque hæc omnia abſque conſilio, & myſterio factitata exiſtimandum: aliquid enim latitat arcani, in his quatuor floridis coloribus cãdido, cæruleo, purpureo, roſeo, quos præcipit Deus ad miniſterium tabernaculi adhiberi. Id detegit ingenioſè ſatis Ieroſolymitanus Patriarcha Petrus Paludanus Dominicanæ familiæ decus, cum perſcrutaretur: *Cur Dominus iuſſit fieri decem cortinas in tabernaculo ex quatuor coloribus?* Reſpondet: *Quod hoc fecit vt deſtrueret errorem Gentilium ponentium plures Deos: quos dicebãt neceſſarios ad regimina diuerſarum rerum. Dicebant enim Deum Cererem potentem producere terræ naſcentia, pertinentia ad cibum. Item Bacchum, pertinentia ad potum, & ſic de alijs. Volens ergo Moyſes oſtendere in tabernaculo ad cultum vnius veri Dei conſtructo, Deum eſſe datorem, & gubernatorem omnium rerum, & elementorum: has decem cortinas fecit fieri de byſſo, per quã intelligitur terra: quia byſſus de terra ſumitur. Item de hyacintho per quem intelligitur aer, eo quod eſt aerei coloris. Item de purpura, per quã intelligitur aqua: quia purpura tingitur de ſãguine concharum marinarum: item de cocco bis tincto, per quod intelligitur ignis, eo quod habet colorem flãmeum. Quia verò prædicta non ordinabãtur ſecundum ordinem elementorum, oſtendit Moyſes ex ipſa ordinis confuſione, quod ipſe Deus ſuper elementa plenariã obtineat poteſtatem.* Hæc Paludanus, eáque refert Guillelmus Exod. 26. dub. 5.

Tabernaculi eximius apparatus.

Paludã.

Tabernaculi apparatus ordinabatur à Deo vt deſtrueret errorem gentiliũ venerantiũ plures Deos.

Guill.

5. Etenim ſapientum primores in media errorum caligine cæcutientes, elementorum patronos, & creatores Deos effinxerunt, vt quidquid emolumenti ad humanæ vitæ ſubſidiũ ab ipſis profluit, elementorum creatoribus, vel ipſis elementis tanquam numinibus adſcriberent procreatum. Vnde terram Cererem, Maria Neptunum, aërem Æolũ, ignem Vulcanum nuncuparunt, eóſque tanquam Deos venerabantur; verùm enimverò à mapalibus in quibus numen verũ colitur, remouetur omnis Deorum turba; coloréſque varij, quibus nitent velaria ante Cherubinorum theatrum, & veri Dei manteum appenſa, otioſum, & mendax annuntiabant Deorum omnium imperium. Ipſe enim terram condidit, æquora littoribus quaſi in vrbe coarctauit. Aërem inter terram, & ignem expandit; ignem ad ſupernam plagam extulit; hæc elementa cortinarum colores exprimunt, byſſus terram indicat; hyacinthus aërem denotat, purpura mare adumbrat, coccus ignem demonſtrat; ſub vnius veri Dei Iſraël moderamine conſtituta. A quo ſolùm expectare debet homo terræ vbertatem, annorum prouentus, poculenta, & eſculenta omnia. Vno verbo cortinarum coloribus clamabat Deus apagite multitudo Deorum confuſa, vanaque figmenta, vbi verus Deus eſt.

Elementa tanquam diuina numina venerabãtur gentes.

6. Singulari acumine perſcrutatur Chryſoſtomus cur Daniel eandem ſupplicij pœnam non ſubiit cum tribus pueris; ipſe enim reſpuens ſtatuæ venerationem, factus erat leſæ Majeſtatis reus, cur ergo à Nabuchodonoſore non plectitur, cum eſſet eiuſdem fidei, & religionis ſocius cum tribus pueris, imò ipſos inſtruxerat ſtatuæ aureæ deſpicientia, & veri Dei veneratione? grauiori ſupplicio multare tenebatur Babylonicus Rex denegatæ adorationis auctorem, cur Daniel in caminum, & flammas non abripitur exurendus? Optimè prouiſum: ne Perſæ miraculum immunitatis à flamma, & igne, adſcriberent Danieli, & imminueretur diuinæ poteſtatis gloria. Do tibi

Cur Daniel ſimul cum tribus pueris non prœijcitur in flammas.

D. Chryſ. *Ne Deo ſuo qui vocabatur Balthaſar attribueretur miraculum.* Chryſoſtomi verba homilia de tribus pueris tomo 6. *Danielem propterea minimè ſuiſſe ad hoc martyrium aſſumi, nam quia ſomnium Regis expoſuerat, & ab ipſo Rege diuinis honoribus affectus erat, ac Balthaſar Dei nomine appellatus, qui apud Perſas colebatur, ne propter impoſitum illi Balthaſaris nomen repreſſa vis ignis cenſeretur, prouidit Deus, vt ne Daniel in medium produceretur, vt ſyncerum eſſet miraculum pietatis.* Tanquam vnum de Deorum numero colebat Rex Danielem: venerationis gratia Dei ſui nomen ei impoſuit, vocans eum: *Balthaſar*: quod ex Hebræo interpretatur: *Non portans anguſtiam.* Fortaſſe quia iuxta eorum figmenta numen iſtud afflictos tuebatur, eos ex ærumnis eripiens. Prohibet ergo Deus Danielis ingreſſum in incendium Babylonicum, ne Rex addiceret tantum prodigium, quod ignis velut ſopitus circa pueros exiſteret, amiſſaque virtute, eos non læderet, aut ipſi Danieli tanquam Diuo, aut Deo ſuo Balthaſari, cuius nomen Danieli impoſitum; vtpote tutelari eorum, qui in afflictatione conſtituti ſunt: Diuinus honor ſincerus, & indemnis conſeruatur inter igneos globos, non permiſſo alio numine, vbi ipſe eſt Deus, qui afflictis adeſt, qui pueris ſuis ſocium ſe tribulationis præbuit, qui ab omni ærumna, & diſcrimine ſeruos ſuos eripit.

DISCVRSVS III.

Expaueſcit terra ad hominis flagitium, cuius pondus vt à ſe excutiat, tremore iactatur.

1. CVM ſurgit Dominus, & occumbit, terra percutitur, ſeu commouetur motu magno propter hominum crimina. Et mirum valde eſt, quod ſemel, & iterum repetit Vates: cum intrant homines in ſpeluncas à facie Dei fugientes, terra motu percutitur, vt ex ipſa commotione, & quaſſatione terræ ex ipſis voraginibus addiſcant contra ſcelera iraſci, & ſua ſcindere corda. Irruit in adyta impudenter Ozias vt indebito antiſtitis munere fungeretur, arripiénſque thuribulum minabatur Sacerdotibus ei obſiſtentibus magna animoſitate, ſtatimque à Deo percuſſus eſt; in irreuerentis, & infruniti Oziæ fronte lepra effloreſcente lib. 2. Paral. c. 26. neque hac tantummodo ignominia flagellata, & coërcita Regis veſania, quinimo ex violato templo, & contemptu altaris, & Sacerdotij, præ metu, & horrore tantæ nequitiæ terra contremuit, licet enim Orbis trepidationem ſilentio inuoluerint libri Regum, & Paralipomenon, terræmotus tamen tempore Oziæ factus celebris eſt apud Vates: Amos cap. 1. exordium ſui Vaticinij conſtituit tempore Oziæ: *Ante duos annos terræmotus* Et Zachar. c. 14. v. 5. *Et fugietis ſicut fugiſtis a facie terræmotus in diebus Oziæ Regis Iuda.* De quo Diuus Cyrillus in Commentar. Zachar. c. 14. ſic fatur: *Poſtquam enim Hieroſolymis in throno regni collocatus, vt è tribu Iuda progenitus, miniſterium Sacerdotale improbè auſus eſt capeſſere, lepra fœdatus eſt, Deo hanc ob cauſam ſe iratum, prodente, horribiliter Iudæorum Regio, atque etiam ipſa Hieroſolyma contremuit. Aiunt item ipſam quoq; Sion ita quaſſatam, vt in duas partes dirumperetur, & valles adiacentes iugis eius replerentur.* Hæc Cyrill. Addit ſanctus Hieronymus ad Iſaiæ cap. 7. *Ante duos annos terræmotus, quem volunt eo tempore accidiſſe quo ingreſſus Ozias in templum Dei, ſibi Sacerdotium vendicabat, & terra percuſſa eſt, & cineres altaris effuſi ſunt.* Montium iuga mirabili iactatione à locis ſuis diuulſa, & in profundiores locos iactata valles complanauerunt, mónſque Sion diſciſſus voraginem oſtentat, & aperto hiatu veluti ore clamitat Regis improbitatem, & nefariam audaciam terram conturbaſſe. De altari incenſi carbones, & cineres diſperſi, ara ſacra ex contactu ſacrilegæ manus regiæ ſe violatam ſentiens, tota trepidauit, ignes, & cineres effudit. Vno Regis crimine omnia diſſipantur: terra, ara, cinis è locis ſuis dimouentur, fugámque parant, ne aſpiciant tantum nefas.

Peccante ſacrilegè Rege Ozia terra contremuit.

D. Cyr. Alex.

Mons Sion quaſſatus, & in duas partes diuiſus.

D. Hier.

Altaris cineres effuſi.

2. In numero hæreſum reponit S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus Philoſophorum axioma exiſtimantium terram ſæpe ſæpius naturali motu concuti, cenſet enim à ſola Dei potentia mirabilem terræmotum prouenire. Eius verba ſunt ex libro de hæreſibus: *Non attendentes Dei potentiam, elementorum naturæ adſcribere audent potentia motionem, vt quidam Philoſophi vani, qui rerum naturæ hoc adſcribentes, Dei potentiam non cognouerunt. Quod etiam in huiuſmodi rebus indignatio Dei, & potentia operatur, & ſuam commouet creaturam conuerſionis cauſa, & vtilitatis: quippe multorum peccantium, ac redeuntium ad Dominum Saluatorem, atque Creatorem.* Criſis Philaſtrij verum tenet de Philoſophis prouidentiam, & potentiam Deo denegātibus, & ſoli naturæ adſcribentibus motum terræ. Si verò Deo tanquam primariæ cauſæ; & ſpiritui intra terræ viſcera clauſo, & oppreſſo, velut cauſæ ſecundæ addicant terræ trepidationem, non ſunt notandi cenſoria virgula. Admittendum tamen Philaſtrij placitum de miraculoſis terræ concuſſionibus à Deo operatis ad incutiendum timorem improbis, vel ad iram Domini demonſtrandam, tunc enim irato Domino propter mortalium nequitiam, terra turbatur, & tremore concutitur.

D. Philaſt. Brix.

Terræmotus à quo proueniat.

3. Diſquirit eleganter, & doctè Philoſophorum decus Seneca terræmotus principia, expendens ſolerter aſſerta Ariſtotelis, Archeſai, Theophraſti, quorum ſententiæ aſſerentium prouenire motum terræ à vento in cauernis latitante, cum terra luctante, eámque impellente, calculum album adiicit, ſed ſenſum ſuum hoc ſimili corporis humani febricitantis explanat lib. 6. natural. quæſtion, cap. 14. his verbis: *Quemadmodum in corpore noſtro, dum bona valetudo eſt, venarum quoque imperturbata mobilitas modū ſeruat, vbi aliquid aduerſi eſt, micat crebrius, & ſuſpiria, atque anhelitus, laborantis, ac feſſi ſigna ſūt: ita terra quoque, dum illis poſitio naturalis eſt, inconcuſſæ manent. Cum aliquid peccatur, tunc velut agri corporis motus eſt, ſpiritu illo, qui modeſtius perfluebat, ictò vehementius, & quaſſante venas ſuas.* Cum optima valetudine perfungitur homo, arteriæ micant conſono, & æquabili motu; at cum morbo laborat præſertim tertiana febri, apertius experimentum capies huius ſimilitudinis à Seneca allatæ; cum enim futura eſt acceſſio, frigore correptum corpus propter malitioſi accidentis habitudinem tremore quodām concutitur; ita terra aëre repleta intus, cum ipſi, cuius natura eſt fluere, aditus non adſit currendi, aut foras erumpendi, velut inſanit cum retinetur, & moras ſuas abrumpens, tremore concutit terram: arridet valdè illa Senecæ ſententia: *Cùm aliquid peccatur tunc velut ægri corporis motus eſt.* Et ad præſentem anagogicam contemplationem placidè transfertur, quia tota terræ trepidatio, & commotio de peccato

Ventus intra terræ viſcera deliteſcens ipſam mouet.

Sen.

Cum terra male afficitur, velut ægrum corpus mouetur.

peccato prouenit; hominum ſcelera violenti ſunt venti, qui vehementiori motu terram quatiunt, à locis ſuis diuellunt,& omnia diſturbant. Illa quoque Philoſophi verba ſuum habent lepórem : *Vbi aliquid aduerſi eſt micat crebrius , & ſuſpiria , atque anbelitus laborantis, ac feſſi ſigna ſunt.* Cum enim in commotione foras erumpit ventus, terra ſuſpirat, vtpote anhelans , laborans , ac feſſæ ſigna edens, quæ pondus peccati, hominiſque nequitiam ſuſtinere nequeat.

Sen.

Terra à conſpectu Domini contremiſcit.

4. Sæpè terra ſigna timoris oſtendit cum iram Domini ſuſtinere non valens , contremiſcit, de quo Pſalmiſta Pſalm.17. verſ.8. *Commota eſt , & contremuit terra , fundamenta montium conturbata ſunt , & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.* Motu magno concutit ſæpè elementa Deus ad oſtenſionem iræ erga peccantes. Verſio Tigurina clarè idexpendit : *Commouebatur , ac contremiſcebat terra, fundamenta montium concutiebantur , & conquaſſabantur , quoniam ipſe iraſcebatur.* Et Vatablus in ſcholiis ait : *Fiebat terremotus magnus.* His verbis innuit Vates terram conquaſſatam , & à fundamentis ſuis dimotam, ferre non poſſe faciem Domini minas iactantem contra ſceleratos. *Sicut cum Dominus turbatur*(inquit ſanctus Thomas hic.) *Qui ei aſſiſtunt tremunt , ita ad commotionem Dei omnia turbantur.* Domini & creatoris ſui irati aſpectu vehementer terra commouetur. Quibus annecte eiuſdem Pſalmographi ſententiam,ex Pſalm.103. verſ. 32. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere.* ibi Euthymius inquit : *Fecit eam tremere terræmotu nimirum.Iracundè enim terram aſpicit cum libet , quæ illius aſpectum ferre non valens, contremiſcit, naturali,vel potius ineffabili quodam ſenſu.* Ad præſentiam Domini iraſcentis,terra contremiſcit.

Tigur.

Vat.

D.Thom.

Euthym.

Terræmotus in Christi Domini morte, per totum Orbem.

Didym.

Cat. Græc.

Abul.

Paul.Oroſ.

5. Senſus iſte elementorum manifeſtus apparuit in Saluatoris noſtri nece : inter alia ſigna diuinitatis Chriſti Euangeliſta Matthæus recenſet terræmotum, cap.27. verſ.51. *Terra mota eſt.* Motus iſte mirabilis totum terrarum orbem concuſſit, teſte Didymo in Catena Græca in cap.9. Iob , ibi ait : *Hoc terræmotu totam terram conquaſſatam , & è centro ſuo fuiſſe conuulſam.* Idem cenſet Abulenſis in Matthæum cap.24. quæſt. 65. citátque Paulum Oroſium 7.libro de Ormeſta mundi anno eiuſdem 17. *Cùm Dominus Ieſus Chriſtus*(inquit)*voluntariè ſe tradidit paſſioni , ſed impiè a Iudæis apprehenſus, & patibulo affixus eſt : maximo terræmotu per orbem facto , ſaxa in montibus ſciſſa, maximarúmque vrbium partes plus ſolita concuſſione ceciderunt.* In Saluatoris cruciatibus vehementiori motu concitata terra iactabatur, mugitu terrifico compatiebatur Creatoris ſui paſſioni, hinc, illucque fluitans ſolo æquabat opulentes vrbes. Nunc locum ſuum admittit quæſitum ſancti Iſidori Peluſiotæ, cur occumbente Ieſu terra nutat, & tremit ad eius interitum , vaſtique ei aperiuntur hiatus , & duri ſcinduntur ſilices? & reſpondet lib.2. epiſt.132. *Quo tempore terra quoque ipſa mouebatur , & concutiebatur,locum quò fugeret,quærens,vt ne ſcelus illud perſpiceret , quod aduerſus Deum quidem ſuſcipiebatur , verùm carnem dumtaxat attingebat.* Cùm Creator in Cruce patitur terrarum moles ictu doloris impellitur,& velut errabundo motu fugam capeſſit, ne aſpiciat tantum Iudæorum ſcelus.

D.Iſid.Pel.

Terra fugere conatur ne aſpiciat tantum ſcelus.

Terra clamat contra Cain fratricidam

6. Ingemuit terra cùm ſe pollutam ſenſit ſacrilegio fratricidæ , ideò terra clamaſſe perhibetur aduerſus Cain , cum Abelem de terra viuentium ſuſtulit. Geneſ.cap.4.verſ.10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra* Expendit ſolerter Ambroſius non clamare ſanguinem de Abelis corpore, ſed clamare de terra , vt tellus infecta innocentis cruore, & tanto temerata ſcelere , ex offenſa germanitate , vindictæ clamores profundat, lib.2.de Abel cap.9.fatur : *Non dixit de fratris clamat corpore ,ſed de terra clamat. Et ſi frater parcit,terra non parcit.Si frater parcat,terra condemnat. Ipſe eſt in te & teſtis, & iudex , teſtis acrior, quæ adhuc parricidij tui ſanguine madet. Iudex aſperior, quæ tanto ſcelere coinquinata eſt , vt aperiret os ſuum, & exciperet ſanguinem fratris tui de manu tua.* Pro iuſti nece , qui patienter eam ſuſtinuit,& tumulatus tacet , tranſtulit in ſe terra iura vindictæ , & exercens in Cain indicij poteſtatem , impietatem eius & immanitatem condemnat , itaque aperit os ſuum vt vindictam expoſtulet , & ferre non valens fratricidalis criminis pondus, clamore conqueritur. Iure in hoc loco addit Oleaſter : *Vbi aduerte : quod terra videtur homicidam execrari , & ex ſe eijcere : in qua homicidium perpetratum eſt.* Cum reſpicit manum, quæ ſe armauit ad effundendum fraternum ſanguinem iuſta indignatione commouetur , vt à ſe remoueat hominem ſceleratum.

D. Ambr.

Oleaſt.

Terra homicidam ex ſe proijcit.

Cain totius corporis tremore plectitur.

7. Mirabili trepidationis ſupplicio Cain plectitur , totum enim contremiſcebat corpus horrore concuſſum propter perpetratum ſcelus , vt animus, qui timore Dei deſtitutus , non eſt veritus violare fraterni amoris iura , & manus , quæ non obtorpuit ad infligendam plagam, pauore , & tremore continuò torqueantur. Hac pœna plectitur Cain. Geneſ. cap.4.verſ.12. *Vagus,& profugus eris ſuper terram.* Hebraicè eſt נע ונד *na vanad, naa mobilem* ſignificat à , *nua* verbo quod eſt *commouere, concutere* , nud *commotionem , & motum* ſignificat. Et Septuaginta itè tranſtulerunt : *Gemens, & tremens*, & ad corporis timorem , & agitationem mentis transfert ſanctus Thomas dicens : *Quidam aiunt quod ipſe Cain habuit & timorem corporis , & agitationem mentis furioſæ.* Apertius Chryſoſtomus homil.19. in Geneſim expendens lectionem Septuaginta inquit: *Quia enim abuſus es robore corporis, & membrorum viribus , propter hoc continuum hunc tremorem, & motum tibi infero,vt non ſolum ipſe habeas ingem admonitionem , & memoriam huius nefaſti ſceleris; ſed vt & omnes , qui te vident, viſo te , quaſi clara illis voce annuntiaretur,diſcant,ne talia audeant.* Tremor ille corporis , & membrorum conquaſſatio,ſi Cain prædicabat flagitium, intuentes admonebat ne in ſimile ſcelus ruerent ; eos timor , & tremor Cain in timore continebat. Sicut terra ex horrore humani flagitij ſæpè conquaſſatur , corpus Cain pauens ad homicidij nefas , continuo tremebat:ad tantum nefaſtæ nequitiæ onus omnia tremunt membra.

Lect.Hebr.

D.Thom.

D.Chryſ.

Lect.Lxx.

Vaſtiſſimi terra hiatus aperiuntur cùm Iudæi Chriſtum damnat.

8. Perdifficilis locus reperitur Zachariæ cap.14. verſ.4. in quo ingens terræmotus vaticinatur : *Et ſcindetur mons Oliuarum ex media parte ſui ad Orientem , & ad Occidentem , prærupto grandi valde : & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem,& medium eius ad meridiem.* Quo in loco hæret quaſi in ſalebra mens, niſi eum accipias cum ſancto Cyrillo,& Theodoreto de terræmotu celebri , qui accidit in Chriſti paſſione ; tunc diuiſi montes, complanati colles , profundiſſimæ in circum adiacentibus Ieroſolymam montibus voragines apertæ ſunt ; ſed cur Ieſu iam moriente terra dehiſcit , rumpuntur ſilices,tot ora,& hiatus terra oſtendit ? Tota commouetur à fundamentis terra ad vindictam tanti ſceleris , Iudæóſque auctores deuorare viuos cupiens tot rictus aperit ; acumen eſt Theodoreti aientis:

Terra deuorare viuos cupit Iudæos.

aientis : *Cum Dominum in Crucem egerunt , tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram , & terra mota appetebat fieri eis tumulus ex tempore : montes verò contra eos, voragines edebant , & valles.* Contra hoſtes Domini ſui tellus armatur , & Iudæos de medio tollentes Creatorem anfractibus ſuis , & ſaxorum rimis viuos deglutire, & tumulare concupiſcit.

Discvrsvs IV.

Ad ea verba :

Naues Tharſis.

Varia priſcorum Patrum eruditio de nauibus Tharſis, ad componendos mores.

1. IN ſenſu Hiſtorico verbum Tharſis ſuprà expendimus. Nunc vela pandamus ad aſtiantem ſpiritus auram myſticam , bonaſque naues diriget ad portum ſalutis , improbas illidet fluctibus , aut ſcopulis contritas demerget pelagi vorticibus. Ab optimo , & ſapientiſſimo capite exordiar Ambroſio, qui Pſalm. 47. ſententiam illam : *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis* , expendens: Naues cenſet eſſe corpora noſtra inter medios paſſionum nimbos præſidio Crucis ſecura, tali gubernaculo deſtituta , naufragio expoſita. Verba ſunt Ambroſij: *Naues de corporibus dixit, quæ vago diuerſarum paſſionum fluctu mouentur , & citò merguntur , niſi habeant gubernatorem , vnde & alibi ait : qui deſcendunt mare in nauibus , benè autem nauigant , qui in nauibus Chriſti Crucem ſicut arborem præferunt , atque inde explorant flabra ventorum , vt corpora ſua dirigant ad Spiritus ſancti gratiam , in ligno Domini tuti atque ſecuri* Tali malo naues bonæ, & felices, naues inquam Tharſis diuites, & onuſtæ cœli mercibus , quæ curſum ſuum dirigunt ad ſupernæ vrbis portum, vt fida ſtatione potiantur, vbi naufragium timere non poſſint.

D. Ambr.
Naues Tharſis humana ſunt corpora, Cruce Chriſti velut arborem præferentia.

2. Adhuc vatidica comminatio ſuper naues Tharſis bonum omen perſonat , non enim in illas incumbit tempeſtuoſus Eurus, vt euerſum ſolo pelagus eas diſſoluat , ſed Spiritus ſancti Auſter, qui eas leniter perflet , æſtuantique flatu deſiccet humores vitiorum. Non diſſonat ab hac mente ſanctus Gregorius Nyſſenus de ſpiritu violento diſſerens , quem apud Pſalmographum Pſalm. 47. in naues Tharſis Deus immittit , de quo ſcribit homilia 14. in Cantica: *Spiritum violentum appellat eum , qui diſcipulis in cœnaculo collectis apparuit , ac primo quidem auditu eſt cognitus , quaſi ruens flatus violentus : deinde verò etiam oculis patefactus eſt , linguarum in figuram effictus , ac ſplendenti ignis naturæ ſimilis factus. Ac per hunc quidem flatum multipliciter humana in natura velut innatans vitioſitas conteritur, quam Vates hic naues Tharſis appellauit* Tanta vis eſt diuini Spiritus , & ignis vt naues Tharſis conterat, quid eſt conterere ex Nyſſeni placito, niſi natitantis vitioſitatis aqueum humorem excoquere, animámque affectibus improbis perpurgatam, & deſiccatam reddere?

D. Greg. Nyſ.

Spiritus ſancti flatus , vt ait eſt violentus, qui venit ſuper Apoſtolos.

3. Eodem interpretationis , & contemplationis lenimento vſurpat Iſaiæ verba cap. 23. Hic onymus: *Vlulate* (inquit Vates num. 14) *Naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra.* Legit ſanctus Doctor in Textu : *Naues Carthaginis*, in Commentario : *Naues Tharſis.* Quæ autem ſint naues Tharſis à marinis fluctibus diſſipatæ, quid intelligentiæ præſeferat verbum Tharſis ſatis doctè , & eleganter diſcurit: *Naues Carthaginis, id eſt Tharſis iubentur vlulare , nequaquam enim vt ſupra perierunt , ſiue non venient, ſed peryt fortitudo earum. Tharſis enim ſecundum aliam interpretationem, in linguam noſtram vertitur : conſummatio ſex , ſiue lætitia , in ſex autem diebus mundum iſtum factum legimus, qui iuxta traditiones Eccleſiaſticas poſtea conſummabitur. Omnia ergo bona ſæculi huius , & vniuerſus mortalium labor, incerto nauium curſui comparatur. Quod cito peritura ſint, & cuncta nauigantium fortitudo ſoluatur.* Frugiferas cogitationes iniicit Hieronymus nauibus Tharſis , ſi iuxta nominis interpretationem quod dicitur : *Conſummatio lætitiæ* , ſibi perſuadeant homines nauigantes in ſæculi fluctibus breui omnia peritura , nil hic permanens æternitate decorum, volubili temporis, & fortunæ rotæ omnia ſubiecta vergere ſemper in deteriorem ſtatum , extremáque gaudij, & conſummatæ lætitiæ occupare luctum.

D. Hier.

Tharſis idem eſt ac conſummatio ſex, ſiue lætitia.

Sæculi gaudia cito pereunt.

4. Alteram interpretationem à veritate non aberrantem adiungit Philo Epiſcopus Carpathius in Commentatione cap. 5. Canticorum verſ. 14. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis* , vbi ſecuutus lectionem Septuaginta vertit : *Plenæ Tharſis* , aſſeritque Tharſis idem eſſe ac *conuerſionem gaudij.* Et in hac metaphora manuum , & digitorum Ieſu plenorum hyacinthis , & Tharſis, deliteſcere animorum ſalutem, eorúmque gaudium in conuerſione : verba Philonis ſubiicio : *Tunc enim Chriſti manus tornatiles factæ ſunt, cum eas pro ſalute noſtra crudeliſſimis clauis in vitæ ligno perforatas extendit. Quæ quidem ob diuiniſſimam puritatem, & innocentiam , admirandáque ipſius opera iure aureæ prædicantur. Plenæ verò Tharſis propter gentium ad ſe conuertendarum plenitudinem. Tharſis enim conuerſio gaudij interpretatur. Cum enim Ieſus in Cruce manus ſuas extendit, tunc ad ipſum ſumma cum lætitia ſe conuertit Eccleſia dicens : in velamento alarum tuarum ſperabo.* Si hanc etymologiam nominis Tharſis ſecteris, non reſtringes ſolum ad gaudium eorum, qui relicto idolorum cultu , adſcribuntur Chriſtianæ militiæ , vel ſtrictioris ſemitæ inſtitutum adeunt , magna enim felicitas eſt quempiam apprehendere ſeuerioris vitæ diſciplinam expeditum, alacrem, & lætabundum , conuerſionémque ſuam eſſe gaudij, & lætitiæ , non triſtitiæ, & mœroris , ſed ad ſummam lætitiam , qua exultabat Ieſus in animarum reductione. Gaudet ouis , & agnus , quia ereptus à lupi rictu confugit ad Dominum, gaudet paſtor, quia reductam cernit ouem errantem: manus enim Ieſu affixæ clauis plenæ pyropis, & hyacinthis perfuſæ ſanguinis guttis, perfuſæ quoque gaudio de animarum ſalute , & conuerſione promanante: plenæ, vel iuxta Septuaginta: *Impletæ Tharſis gaudij conuerſione*, vel conuerſionis hominum gaudio.

Phil. Carp.

Tharſis conuerſio gaudij eſt.

Manus Chriſti Cruci affixæ.

Gaudium Chriſti & Eccleſiæ de gentium conuerſione.

5. Etymon Tharſis aliud habemus ex ſancto Ambroſio, idem eſſe cenſet ac : *Speculatorium gratiæ* , in Pſalm. 47. hoſque ſententiarum theſauros eruit ex diuite nomine Tharſis : *Et nos igitur circumſpectemus hanc gratiam , ſpeculatores eius ſimus, exploremus eam, vt fiant corpora noſtra naues Tharſis. Tunc enim caro ad ſeruitutem redigitur, cum ad Dei intendimus gratiam : vt id quod amarum ad tempus*

Tharſis eſt ſpeculatorium gratiæ.
D. Ambr.

ſit,

ſit, ſicut eſt ieiunium, non quod dulce, & voluptarium, ſequamur. Tharſis ergo eſt ſpeculatorium gratiæ, intelligibilis ciuitas vt Sion ſuperior: ad eam feſtinabat Ionas. Qui enim animum applicat ad ſuauitatem gratiæ, quæ ex dulci Ieſu promanat, & ad ſupernam Sionis ciuitatem, in qua eſt contubernium Sanctorum, & diuina iucunditas, fit nauis Tharſis ex Ambroſij mente, & ſpeculatorium gratiæ: in terris poſitus cæleſtia proſpectat. Nec iudicat inſuauem ieiunij rigorem, ſacci aſperitatem, cum perpendit pro temporali exercitio laboris, æternæ remunerationis mercedem Deum impendere.

Naues Tharſis in quibus Magi ad patriam vecti, ab Herode contrita & combuſta.

6. Hucvſque proſpera, & iucunda retulimus pro nauibus Tharſis, & huius nominis interpretamento; ſequuntur alia aduerſa, plena furoris Dei, plena iræ humanæ: ab hac exordiar, quæ aliquando deſæuit in naues Tharſis: etenim Herodes illuſus à Magis fruſtratus deſiderio inueniendi, & occidendi nouum cœli Regem cæleſti indice manifeſtatum, ira percitus naues Tharſis conſtruit, & combuſſit, & in hoc ſenſu explanant verba Pſalmi 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Optimæ notæ auctores Anſelmus, Ambroſius, Caſſiodorus, Hugo, Gloſſa, Lyranus, Carthuſianus, cuius verba recenſeo: *In ſpiritu vehementi, id eſt, in ira impetuoſa conteres Domine Deus, id eſt, ab Herode comburi permittes naues Tharſis; videns enim Herodes ſe à Magis illuſum iratus eſt valde, fecitque deſtrui naues Tharſis, eo quod audierat per eas rediſſe Magos ad propria.* Quouis ſpiritu vehementi, Euróque violento, & vrenti iracundia Herodis exarſit in naues Tharſis, eáſque in fauillas redegit.

D. Anſelm. D. Ambr. Caſ. Hugo. Gloſſ. Lyra. Carth.

Ionas naue Tharſiaca vectus fugit à Domino.

7. In Tharſiaca naui in Tharſis fugientem cernimus Ionam cap. 1. verſ. 3. *Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharſis: & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini.* Quis terræ tractus fuerit Tharſis ad quem pergebat Vates, quæ nauis, quæ ipſum deuexit errabundum præconem, eruditè ſcribit Iulianus Petrus in aduerſariis numero 19. *Nauem illam, in quam ingreſſus eſt Ionas fuiſſe Gaditanam, quæ portauit Hieroſolymam purpuram, lanam, linum, ſtannum, cannabum, ſpartum: & inde redibat ad Hiſpaniam, quam vocat Propheta Tharſis, quaſi Tarteſſum, onerata balſamo, & alijs mercibus, habens inſigne Herculis cum duodecim laboribus.* Tharſis, & Tarteſſum nuncupat Hiſpaniam, de Tarteſſo Seneca in Hercule furente, actu 2.

Iulian. Petr. Nauis in quã ingreditur Ionas erat Gaditana.

Sen. Littus Tarteſſium quale ſit.

Inter remotos gentis Heſperiæ greges
Paſtor triformis littoris Tarteſſij
Peremptus: alla eſt præda ab occaſu vltimo.

De Geryone loquitur, quem Hercules interemit; littus verò Tarteſſiacum nuncupat Gaditanam vrbem nobiliſſimum, & celeberrimum Orbis emporium, in Gentium errore, & tenebris conſecratum Herculi, nunc in Fidei luce, ſuperno, & vero numini; à Pœnis Tyriiſque nuncupata Gaddir, vt notat Salluſtius, ſeu verius ab Hebræa voce גדר *Gader*, quæ maceriam, ſeu ſepem denotat. Solinus cap. 26. *In capite Bethicæ, vbi extremus eſt noti orbis terminus, inſula à continenti ſeptingentis paſſibus ſeparatur: quam Tyrij à rubro mari profecti Erythream; Pœni lingua ſua Gaddir, id eſt ſepem nominarunt.* Illud tamen Tharſis Gaditanæque vrbis incomparabile honoris, & gloriæ decus, Hiſpanos, Gaditanóſque nautas, & vectores prædicationis Ionæ primitias ante Niniuitarum Gentes ſuſcepiſſe, Fidei ſplendoribus vnius veri Dei fuiſſe illuminatos anno mundi 3216. ante Chriſtum natum 837. quod non obſcurè indigitat Ionæ vaticinium, cap. 1. verſ. 16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.* De fide, & conuerſione nautarũ nauis pergentis in Tharſis, in qua Ionas abſconditur, ex Diuo Hieronymo habemus teſtimonium; *Idcirco in mari immolant hoſtias, & alias ſponte promittunt: vota facientes, ſe nunquam ab eo, quem colere cœperant, receſſuros. Ionas in mari fugitiuus, naufragus ſaluat nauiculam fluctuantem: ſaluat ethnicos in diuerſas prius ſententias mundi errore iactatos.* Et ex ſancto Cyrillo Alexandrino in Ionam; *Non modicam vtilitatem percipiunt. Vnum & natura Deum eſſe credunt, tametſi abſurdis erroribus diſtreparent, & mille mundi Deos eſſe opinarentur. Quare nautæ ali, & viri, ac vero Deo ſacrificant, ſuis deſertis, & valere iuſſis omnibus, quibus decepti cultum adhibuerunt; quibus gloriam Deo debitam ſuffurati erant. Promittunt inſuper vota, licet id marinis Dæmonibus facere conſueuerant.* Dei furor mariſque tempeſtas contra Ionam, & nauem Tharſis excitata eſt, ſed ſi Fidei primordia ex Ionã Gaditani ſuſcipiunt, tempeſtas illa, nauiſque agitatio non ad ruinam, & naufragium nauis Tharſis, & Tharteſſiacæ Gentis, ſed ad felicitatem, & ſalutem à Deo immiſſa.

Galitani nautæ & vectores à Iona conuerſi.

Eorum Fides.

D. Hier.

D. Cyril.

Naues Tharſis contrita propter regũ crimina.

8. Adhuc naues Tharſis contritas, & immerſas maris fluctibus cernes propter Regum improborum crimina, lib. 2. Paralip. cap. 20. verſ. 35. *Poſt hæc iniit amicitias Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Iſraël, cuius opera fuerunt impiiſſima. Et particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharſis: feceruntque Claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat, dicens: quia habuiſti fœdus cum Ochozia; percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis. quo ſignificatur* (inquit Ambroſius in Pſalm. 47.) *Quod præuaricantium mandatum Dei opera ad conſummationem gratiæ peruenire non poſſunt. Ad Salomonem autem vtpote ſapientem, & pacificum virum naues de Tharſis cum auro, & argento, & dentibus eburneis ſine vlla offenſione veniebant; & eò ipſe mittebat. Habebat enim cum Rege Hiram ſacræ negotiationis ſpiritale commercium, & mutua gratiæ concertantis affectum.* Hæc Ambroſius comparans naues Tharſis Ioſaphat, & Salomonis.

D. Ambr.

D. Hier. Naues Tharſis Ioſaphat & Salomonis diſſipata.

9. At ſanctus Hieronymus ſcribit onus diuinæ commnationis in naues Tharſis vtriuſque Regis incubuiſſe, in c. 2. Iſaiæ hæc habet: *Habuit & Ioſaphat naues, quas mittebat in Tharſis: ſed contritæ ſunt in Aſiongaber. Habuit & Salomon, quæ ibant in Tharſis: & poſt tres annos reuertebantur, afferebántque Regi argentum, & aurum, ebur, & ſimias. Sed quia Rex vterque peccauerat: alius deditus voluptati, & externarum gentium amans fœminas: alius ſe cum Rege Samariæ copulans.* Hucvſque Hieronymus, in cuius verbis pendet animus, in iiſque videtur deficere aduerſatiuam ſententiam illam, *Ideóque contritæ ſunt naues.* Labecula hæc latinitatis non eſt Hieronymi in omni literatura magni maximi, ſed ſomnolentiæ, & incuriæ librariorum. Ea tamen eximiæ moralitatis documenta continent. Nimirum crimina Regum elementa turbare, excitare turbines, conquaſſare naues, ad cautes illidere, vorticibus maris immergere, auri argentique Theſauros,

Verſ. 22. Quieſcite ergo ab Homine cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.

Locus difficilis, & celebris ex profeſſo enodatur.

1. DECVRRIT tandem Commentatio ad locum celeberrimum & difficillimum, in cuius enodatione Neoterici Commentatores multum laboris impendunt, ideo ex profeſſo enucleandus, comma hoc capitis poſtremum & coronis apud Lxx. ſeniores non inuenitur, tametſi in aliquibus Græcis exemplaribus legatur: *Quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in naribus: in quo enim reputatus?* Sub aſterico notatur ab Origene, & Procopio; & addita eſt ex Hebræo ab Aquila, vt aduertunt Hieronymus, Cyrillus, & Baſilius: *Cur autem tam euidens de Chriſto prophetia* (ait Doctor Maximus) *à Lxx. Interpretibus ſit prætermiſſa?* Occurrere poteris dubio: iniuriâ temporis intercidiſſe, aut Iudæorum fraude in verſione Seniorum expunctam; ſicut de aliis locis fatetur ſanctus Iuſtinus Martyr Dialogo contra Tryphonem.

Lect. Lxx. Orig. Procop. Aquil. D. Hier. D. Cyrill. *Cur tã eui dẽs de Chriſto vaticiniũ à Lxx. Senioribus prætermiſſum.* D. Iuſt. Mar.

Varia interpretamenta diſcutiũtur. Primum. Arias Mont.

2. Videamus ſingulorum interpretum placita. Primò Arias Montanus ſtricte accipiens verſionem Hebraicam in ſuo fonte: *Deſiſtite ab Adam: qui ſpiraculum in nare eius, nam in quo reputabitur.* De primo parente Adam interpretatur; in quo ſenſu ſententia apparebit detruncata ab antecedentibus verbis, cum quibus nulla dabitur cohærentia: adde gratis inuentam Commentationem.

Secundum. D. Chryſ.

3. Sanctus Chryſoſtomus in hac clauſula: *Quieſcite ab Homine*; hominem intelligit Regem Ezechiam in Ieroſolymitana obſidione poſita ab exercitu Aſſyriorum, duce Sennacherib, præ timore & angore animi in extremo halitu conſtitutum. Cum enim Barbari flocci eum ducerent, & quaſi feram venatione captam exiſtimarent; euentus victoriæ liquido monſtrauit, magni apud Deum eſſe reputatum, & iuxta hunc ſenſum Aſſyrios eſſe, qui ſe coniecerunt in latebras & ſpelæa cum ſuis ſimulacris; eáque propter imbecillitatem veſpertiliones vocat, fugientes a luce & facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis eius, quando ſurrexit percutere centum octoginta quinque millia. Expoſitio hæc propter tanti Doctoris auctoritatem ſpeciem probabilitatis præ ſe ferre videtur; attamen cum omnes milites necati iacerent, qui reſidui extiterunt vt cum ſuis Diis fugam capeſſerent, & ingrederentur ſaxorum ſpeluncas? de iis teſtatur Iſaias cap. 37, verſ. 36, *Et ſurrexerunt mane; & ecce omnes cadauera mortuorum.*

Tertium. D. Hier. D. Baſil. Rupert. Lyra. *Spirare idem eſt, ac viuere.* Tertull.

4. Tertia Commentatio obuiis vlnis accepta, de Chriſto Domino eſt: ſectantur illam Hieronymus, Baſilius, Rupertus, Lyra, & fere omnes Recentiores; ſed in ea adhuc diſſentiunt: alij ſpiritum accipiunt pro ſpiraculo, & vitali halitu, qui naribus flatur, vt vitam indicet, ita citati Patres cenſent. Eam, ſi placet, illuſtra ex Tertulliano libr de anima, cap. 10. *Quid eſt, oro te, ſpirare? flatum opinor ex ſemetipſo agere, quid eſt non viuere? flatum opinor ex ſemetipſo non agere, hoc enim reſpondere debebo, ſi non idem eſt ſpirare, quod viuere, ſed mortui erit non agere flatum, ergo viuentis eſt agere flatum: ſed ſpirantis eſt agere flatum, ergo & ſpirare viuentis eſt.* Iuxta hæc, verba Iſaiæ expenduntur: quieſcite ab Homine, qui licet naribus emittat ſpiritum, & viuat; ſicut Homo, excelſus reputatus eſt.

Quartum.

5. Alij ſpiritum habere in naribus idem eſſe cenſent ac iram, vindictam, furorem, qui flatu, & ſpiratione narium oſtenditur; Lyranus, Forerius, quos ſectati ſunt Delrio in adagiis ſacris tom. 1. adagio 139. ex quæſtionibus Sanchez, Aluarezque interpretamenta mutuarunt, apud quos ſic verba nectuntur: cauete vobis, timete vobis ab homine illo, ne naribus fumet, aut ſpirans ſit iræ minarum, cædiſque; Hiſpanè dicimus: *No ſe enoje, no ſe le ſuba el humo a las narices.*

Spiritus & halitus pro furore & vindicta. Lyra. For. Delr. Sanch. Aluar.

Quarta interpretatio ad examen vocatur.

6. Miror Neotericos tam frequentes in hanc ſententiam ire, pace tantorum virorum vnum in hac interpretatione diſplicet, in quo omnes conſentiunt, quod concluſio illa: *Quieſcite ergo ab Homine.* Sit prudens Iſaiæ exhortatio, vt ſibi caueant, timeant, aut adhibeant cautionem, illúmque virum reformident, qui exteriori habitu inuentus vt Homo, Deus excelſus eſt, iram naſo efflat, iracundiæ flammas halitu ſuo aſpirat, vt hoſtes interimat, itaque nectunt Deum naſo ſuo minas & iras ſpirantem, cum formidine, & cautione Iudæorum, vt homini illi iras iactanti formidinem opponant: pauor enim & metus permanens, & cautio qua à malis declinamus, de imminenti furore eſt, aut impendenti malo, vel de eo qui res aduerſas honori hominis aut vitæ molitur: ritè ſanctus Thom. 1. 2. quæſt. 41. art. 2. corp. ait: *Obiectũ timoris eſt malum futurum difficile, cui reſiſti non poteſt.* Et Cicero in Tuſculanis; *A malis naturâ declinamus, quæ declinatio ſi cum ratione ſit, cautio appellatur, vbi enim malum non expectatur, nec cautio adhibetur, nec timor oritur.* Quapropter in præſenti conuertibiles ſunt furor & ira Domini in iis verbis: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt*; cum timore, formidine, & cautela Iudæorum in iſtis: *Quieſcite ergo ab homine.* Quod ſi probauerimus Iſaiæ verba non continere aut exprimere formidinem, vel timorem, difficultatem proculdubio ingeret lectori communis illa interpretatio de naſo Domini iras ſpirante.

D. Thom.

Locum non admittit in præſenti vaticinio. Virtus verbi Hebraici Chadal, quæ ſit.

7. Quod verò ſenſus ille, cauere, timere ab Homine locum inuenire non poſſit, oſtenditur ex verbo Hebraico חדל *chadal*, quo vtitur Iſaias; id nullibi in ſacra Scriptura denotat timere, aut formidare, aut cauere, ſed tantummodo, *Ceſſare, deſiſtere, abſtinere, quieſcere*, Geneſ. cap. 2. *Ceſſauerunt ædificare Ciuitatem.* & Iudic. cap. 5. *Ceſſauerunt fortes Iſrael.* Iſaiæ cap. 1. *Quieſcite agere peruerſe.* Iob cap. 3. *Impij ceſſauerunt à tumultu.* Denotat verbum, ceſſationem, quietem ab ira, à tumultu, à maledicentia, ab impio conſilio, & vniuerſè à quocunque opere. Exemplum quod affert Forerius ex lib. 2. Paralip. cap. 35. verſ. 27. quòd ibi verbum *chadal* idem ſit, ac cauere, timere, non eſt admittendum, nam vulgatus tranſtulit: *Deſine aduerſum Deum facere.* Quare Brixianus in Arca Noë cum verbum חדל per omnes coniugationes inflectat, locum prædictum Paralip. vertit: *Ceſſare ſibi à Deo.* & Santes Pagninus: *Deſine à Deo.* Accedit quod verbum Græcum παύω quod repetitur apud Lxx. in Biblia Complutenſi; & Regia idem eſt ac; *Deſino, ceſſare facio, finem impono*; Demoſthenes apud Budæum explicat: *Reprime inſolentiam*: Ariſtophanes: *Siſte ſermonem & inhibe.* Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 2. *Deſinant ergo qui oppugnant Spiritum ſanctum*: Et apud Iſaiam Græci Patres Chryſoſt. Baſil. Procopius concorditer legunt: *Quieſcite.* Baſilius in Commentario: *Ceſſate vos.*

For. Brixia. S. Pagn. Lect. Lxx. Bibl. Comp. Regia. Demoſth. Bud. Ariſt. D. Greg. Naz. D. Chryſ. D. Baſil. Procop.

Quænam ſit ſententiæ nexus in hoc vaticinio.

8. Quapropter illa Iſaiæ ſententia: *Quieſcite ergo ab homine*, non eſt exhortatio vt caueant, aut ſibi timeant ab homine, cui ſpiratio in naribus, nec

ſpiritus

ſpiritus in naribus, hoc in loco excandeſcentiam monſtrar, aut iræ minas quas habet in promptu Dominus aduerſus iniquos, quia vbi metus non eſt, aut cautio, nec obiectum timoris inuenitur, impendens malum, aut iracundia imminens, iræ fumus, aut ſpiraculum furoris aliis ſacræ Scripturæ locis relinquatur; nam in hoc commate longe diuerſus apparet verborum nexus; compaſſionis affectu admonet vates Iudæos vt abſtineant à nequitia, deſiſtant ab iniquo conſilio, quieſcant ab impio facinore comprehendendi & crucifigendi Ieſum, reprimant execrationum inſolentiam: feroces enim Iudæorum animos, & liuore ardentes in Saluatorem, reprimere cupiens diuinus vates: ceſſate; inquit, & deſiuite à crudeliſſimo flagitio; ſicut Cain admonebat Deus: *Peccaſti, quieſce.* Sic Iudæos, ne conſilium occidendi Christum in opus erumpat: ſolidam & veram acoluthiam verborum inuenit Caſſianus lib. 5. de incarnat. cap. 5. cum Iſaiæ ſententiam iuxta vulgatum interpretem retuliſſet ſubiungit: *Pulcrè autem dicens: quieſcite, verbo vim prohibentis inquietudinem perſecutionis expreſſit: quieſcite, inquit, ab Homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe, numquid non vna eadémque ſententia, & humani corporis ſuſceptionem. & Dei loquutus eſt veritatem? quieſcite ergo ab homine*, &c. *Nonne tibi quaſo palam alloqui perſecutores Domini videtur, dicens: quieſcite ab homine quem perſequimini, quia hic homo Deus eſt.* Argutè quoque Abulenſis in cap. 2. Geneſ. q. 2. ſcribit: *Quieſcite ab Homine, id eſt ceſſate, ne offendatis eum.*

Caſſian.

Prima Commentatio.

8. HOc verborum nexu ſuppoſito age pro facultate noſtra locum explicemus, aliam interpretationem non tam aſſerentes, quàm examinandam Lectori proponentes. Primò, ſententia illa: *Cuius ſpiritus in naribus*, eſt firmum Iſaiæ argumentum ad comprobandum Christum Dominum, non ſolum eſſe verum hominem, ſed eſſe Deum viuum per oppoſitionem quandam ad idola, quæ Iudæi priſcis temporibus Regum Iſraël, quibus Iſaias vaticinandi munere fungebatur, venerati ſunt; & per contrarietatem, ad figmenta vana & cæca ſimulacra gentium barbararum, quibus eſſe diuinum attribuebant, ipſa enim nec vitali halitu perfruuntur, nec habent ſenſum vitæ, nec naribus ſpiritum trahunt, at Homo iſte cuius diuinitati acerrimè contradicitis, & vitam inſectamini, naribus afflat ſpiraculum vitæ, & excelſus Dominus eſt. Scriptura ſacra cum ſermonem de idolorum figmentis inſtituit, hoc potiſſimum ſignum exhibet fictæ Deitatis & emortuæ, quòd in naribus fictilium non eſt halitus vitæ Pſal. 134. verſ. 17. *Neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum:* Chaldæus legit: *Nec eſt ſpiritus viuens.* Hebræus: *Nec eſt ſpiritus in naribus.* Non enim naribus ſpiritum vitæ hauriunt aut efflant, Sapient. cap. 15. verſ. 15. *Quoniam omnia idola nationum Deos æſtimauerunt, quibus nec oculorum vſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum.* Ierem. cap. 10. verſ. 14. *Confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniã falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis.*

Loci interpretatio examinãda proponitur lectori.

Halitus in naribus Ieſu verum hominem, & verũ Deum comprobat.

Lect. Chald.
Lect. Hebr.

9. Prædictam Commentationem illuſtrat verbum Hebraicum נשם *Naſam*, quod reſpondet verbo *ſpiritus*, nam ſpiritus & vita duplici nomine potiſſimum exponitur in ſacra literatura, videlicet רוח *ruach*, & נשם *Naſam*, & licet vtrunque verbum ſpiritum & halitum vitæ inſinuet; Naſam ſtat pro famoſiori, & præcipuè vſurpatur, pro anima rationis participe, & immortali, vt notat Santes Pagninus; & apertè indicat Paulus 1. Corinth. cap. 15. verſ. 14. *Factus eſt primus Homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Pro viuificantem eſt Hebraicè נשם *Naſam*, ad ſignificandum nouum Hominem de cœlo cæleſtem, qui non ſolum viuit vita hominum naturali, ſed ſpirituali, & diuina, vtpote qui ſit fons vitæ; eſſe & viuere ſecundum naturam, & ſecundum gratiam aliis hominibus largiatur. Cum ergo Iſaias de Christo vaticinatus verbum נשם *Naſam* ſcriberet, non ſolum indicat inſtar viuentis Hominis ſpiraculum vitale naribus haurire, & afflare, ſed viuere vita rationali, & prorſus cæleſti, & vtramque vitam Hominibus conferre proponit nimirum vates Christum Dominum tanquam fontem ſpirationis & halitus, vitæque ſpiritualis perpetuam ſcaturiginem; à quo vita, ſpiritus, anima iugi ſcatebra deriuatur, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Hic eſt, qui protoplaſto inſpirauit, inſufflauit in faciem, aut iuxta Hebræum, *In nares flatum aut ſpiraculum vitæ.* Qui apud Iſaiam, inquit, cap. 57. *Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego facio.* Oſtendit ſe Creatorem animorum & ſpiratorem ſpirituum ex communi ſenſu Patrum.

Vis & ſignificatio verbi Naſam.

Naſam fontem vitæ naturalis, ſpiritualis & cæleſtis denotat.

10. Prædictæ expoſitioni conſonant alia diuinæ Scripturæ teſtimonia. Iob cap. 26. verſ. 4. *Quem docere voluiſti, nonne eum qui fecit ſpiramentum?* & Paulus vt Deum viuentem, vitámque omnibus conficientem adſtrueret, ignotique Dei ſimulacrum, & vanum cultum exploderet, apud Athenienſes hoc ſermone vſus eſt, Act. cap. 15. verſ. 25. *Deus non in manifeſtis templis habitat indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia.* Syrus legit: *Vitam & animam.* Caietanus doctè commentus: *Dedit Deus vitam & halitum omnibus viuentibus ac reſpirantibus.* Illuſtris eſt Ieremiæ locus cap. 4. verſ. 20. iuxta literam de Christo accipiendus: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Aquila legit: *Spiritus narium noſtrarum.* Symmachus: *Flatus narium noſtrarum*, quæ verba non in ſolo ſenſu Origenis vſurpanda, qui habetur in Catena Græcorum Patrum: *Qui Deum amant ſemper Chriſtum ſpirant, præ oculis illum habentes;* ſed quod ſit perpetua ſcaturigo vitalis halitus & ſpiritus: innuit ergo Iſaias in illo commate: *Cuius ſpiritus in naribus.* non tantum viuere aut perfrui huius lucis vſura, vt cenſent Patres in tertia expoſitione relati; id enim mirum non eſſet, in homine viuo, veráque & non phantaſtica humanitate prædito; ſed eſſe vitalis halitus & animæ largitorem.

Lect. Syr.
Caiet.
Cur Ieſus dicatur ſpiritus narium noſtrarum.
Aquila.
Sym.
Orig.
Cat. Græc.

11. Porrò halitus ille in naribus denotare poteſt Spiritum ſanctum, qui tanquam à principio procedit à Filio, ſicut enim expiratio efformatur in pectore ab eóque oritur tanquam à fonte, ſic ſpiratur Spiritus ſanctus à Filio; hoc inſinuauit Ieſus è vita mortali ad immortalem reſurrectione tranſlatus, nam Spiritum ſanctum Apoſtolus largiturus, in eorum faciem inſufflauit. Ioan. cap. 20. v. 22. *Hæc cùm dixiſſet inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Hoc autem Ieſus effecit iuxta Cyrilli Alexandrini mentem, vt intelligamus ipſum eſſe verbum illud, & principium in quo Pater Adam efformauit, & Creatorem, *Qui inſufflauit*

Spiritus in naribus Chriſti ſignificat Spiritũ ſanctum.

D. Cyr. Alex.

ſtauit in faciem eius ſpiraculum vita, tum etiam: *Spiritum ſuum Chriſtus in diſcipulos immittit, & ad hoc intelligamus fontem & largitorem ipſum ſpiritus eſſe: hac enim de cauſa dicebat: omnia que habet Pater mea ſunt, habet autem Pater ex ſeipſo, & in ſeipſo ſpiritum ſuum, habet etiam ſpiritum filius in ſeipſo, cum ſit patri conſubſtantialis, & ex ipſo naturaliter natus*, lib.12. in Ioan. cap.56. & erit ſenſus ex prædictis elicitus: ceſſate, quieſcite à homine, à quo tanquam à diuino numine, ſpiratio, vita animi, halitus corporis, & ſpiritus ipſe diuinus emanat.

Secunda Commentatio.

In ſecundo interpretamento, non excandeſcentia, ſed clementia emollire ſatagit vates Iudæorum pectora.

12. LOngè diſtat à Dei excandeſcentia, nec ſpiritum furoris perterrefacere cupit Vates Iudæos vt abſtineant ab inſidiis cœlo intentatis, & à ſcelere Deicidij, ſed clementia & pietate, amoriſque diuini blandimento emollire curat ferrea Iudæorum pectora, & inſanientes in Ieſum ad ſanam mentem reuocare: *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt*, hoc eſt deſiſtite à nece Hominis, qui licet inſectatus veſtris ſannis & maledictis, principum & Phariſæorum ſycophantiis vexatus, doliſque & opprobriis impetitus, propter vos anhelat, veſtram incolumitatem concupiſcit, pro animarum ſalute dulcia mittit ſuſpiria. Hic affectus aptiſſime denotatur illà ſententia: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt*. Colligitur ex Hebræo נשם *Naſam*, quod inter alia illud ſignificatum amplectitur ex Brixiani ſententia in Arca Noë: *Anhelare, ſpiritum emittere, ſeu ſuſpirium*, anhelitus ſeu ſuſpirium efformatur, cum ſpiritus compreſſus ex profundo pectore in nares trahitur: de ſuſpirio Ariſtoteles lib. de ſpiratione, inquit: *In laboribus enim flagrantioribus magis caleſcimus, & ſpirandi vehementiori tenemur deſiderio, & vehementiores trahendi ſpiritus viciſſitudines ſubimus.* Ibidem aſſignans diſcrimen inter aſpirationem oris & narium, inquit: *Per arteriam ex pectore & per nares ſpiratio agitur, nec verò per nares ſpirare licet, niſi ſpiratio que ex pectore prodit, efficiatur.* eodem libro illud repetit: *Illud calidum eſt, quod ſpirando eijcimus: frigidum quod inſpirando trahimus, at cum calor vrget, ſuſpirantes ſpiramus.* Diximus de formatione & origine ſuſpirij, videamus quid indicet.

Spiritus in naribus pro anhelitu, & ſuſpirio vſurpatur.
Brixia.
Ariſt.
Natura & origo ſuſpirij.

Quid ſuſpirium denotet.

13. Solet eſſe ſuſpirium ſignum vehementis ſolicitudinis, & anxietatis, doloris, mœſtitiæ, aut ardentiſſimi amoris demonſtratio; habemus ex prophanis.

Seneca in Medea, Act 3.

Senec.

Furoris ore ſigna lymphati gerens,
Flammata facies ſpiritum ex alto citat
Proclamat; ô ſuperi; oculos fletu rigat.

Ouid. lib, 2. Metaph.

Ouid.

—— Præſagáque luctus
Pectore ſolicito repetens ſuſpiria dixit.

Epiſt. 20.

Ingemit, & tacito ſuſpirat pectore.

Tibul.

Tibul. lib. 4. eleg. 5.

Quod ſi forte alios iam nunc ſuſpirat amores.

Et Cicero lib, 4. ad Heren. ait: *Anhelitus ex imis pulmonibus pia cura ſpiritus ducebatur.* Quæ omnia aptiſſima ſunt, vt in iis verbis cuius ſpiritus in naribus eius eſt, exprimeret Propheta ſacrati pectoris Ieſu tenerrimos affectus, exiſtimo enim ſicut dolorem, triſtitiam, famem, ſitim, laſſitudinem; aſſumpſiſſe quoque, & habuiſſe anhelitus & ſuſpiria inuenies apud ſacros Euangeliſtas Chriſtum amorem ſpirantem, ex laſſitudine & defatigatione anhelantem, cum Samaritanam quærit, & crebras amore hominis ſpirationes è pectore emittentem. Cum ſurdum, & mutum reſtituit ſanitati Marci cap.7, verſ.34. *Suſpiciens in cœlum ingemuit.* Veroſimile eſt in oratione miſiſſe crebra ſuſpiria, quæ hominem in lucta, & agonia conſtitutum comprobarent, & eſſent indicia, quàm immenſo amore ſacratum illud pectus æſtuabat.

Cic.

Ieſu anhelitus, & ſuſpiria propter hominum ſalutem.

14. Id quod de Sole materiali metaphoricè profertur Eccleſiaſt. cap.1. verſ.5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur*; de Sole iuſtitiæ propriè accipe; Aquila legit: *Ad locum ſuum aſpirat.* Chaldæus: *Anhelat*, hunc anhelitum expreſſum reperies apud Regium pſaltem Pſalm.81. verſ. 26. *Et in laboribus à iuuentute mea.* Alij ex Hebræo apud Lorinum vertunt: *Deficiens, moribundus, animam efflans, expirans*, quod idem eſt: *Ac habere ſpiritum in naribus.*

Vera interpretatio ex alijs locis oſtenditur.
Aquil.
Chald.
Lect. Hebr.
Lorin.

15. Iuxta dicta poterit & alius ſenſus ſic recitatorum verborum: *Quieſcite ergo ab homine*, afferri in hunc modum, ſi dicamus, cum emphaſi, & commiſerationis affectu ab Iſaia fuiſſe prolata: ſpiritu agnouit vates omni lamentatione dignum ſpectaculum, quando Pilatus Ieſum flagris cæſum, corpus cruciatibus liuidum, vultum ſputis deformatum, ſacratum verticem ſentium cuſpidibus terebratum, caput plexu ſpinarum, & vulneribus inhorreſcens Iudaico populo demonſtrauit dicens: *Ecce homo*, Ioan. cap.11. vt Iudæos ad pietatem flecteret, & adamantina pectora molliret. Eundem animum Vates, & præſes eundémque miſerationis affectum exprimunt verbis, ille fans; *Quieſcite ab homine*; iſte clamans: *Ecce homo*, intuitus eſt Iſaias Ieſum inhonorum, ſpeciem vultus deturpatam, flagellis, ſpinis lacerum, quod confuſæ turbæ ad deſpectum & opprobrium apparet; auſcultat prophetico auditu confuſas Phariſæorum vociferationes clamantium: *Tolle, tolle. Crucifige, crucifige*: Illacrymans fatur: *Quieſcite ab homine.* Simili affectu miſerationis tangebatur Præſes; eò enim intendebat Pilati animus, cum hanc hominis oſtendit imaginem, vt eos ad miſericordiam commoueret, & reprimeret inſolentiam, mortem Ieſu poſtulantium, ſancti Cyrilli verba ſunt notatu digna, lib.12. in Ioan. cap.17. *Monſtrauit iniquè flagellatum, & à militibus iniquè illuſum rerum omnium Dominum, miſerabilique hac re iram eorum ſedare poſſe putauit.* Eadem eſt Chryſoſtomi ratio hom.83. in Ioan. eadem Caietani mens: *Dixit ac fecit hoc Pilatus, vt monſtratus Ieſus cum tanta confuſione, exiſtimaretur nunquam conuerſaturus inter homines, ac per hoc ceſſarent ab impetitione mortis.*

Ieſus populo oſtenſus à Pilato dicēte Ecce homo, ab Iſaia proponitur.

Oſtendit Pilatus Ieſum flagellatum vt illius miſereſcerent, & ab eo quieſcerent Iudæi.
D. Cyrill. Alex.
D. Chyſoſt.

16. Huius ſpectaculi ſcopum collimatum à præſide obſeruatè & ſcitè expendit ſanctus Auguſtinus cap. 116. in Ioan. *Vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent; egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: Ecce Homo: ſi Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis, flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, amaris conuitijs illuſus eſt,*

D. Aug.
Pilati intentio in hoc Ieſu ſpectaculo.

alapis

alapis caſus eſt , feruet ignominia , frigeſcat inuidias quæ Aurelij antea verba non tantum illius ſententia : *Ecce homo , ſed alterius, quieſcite ab homine,* ſunt illuſtre Commentarium.

Salm.

Carnifices veſtimentum eleuarunt, vt totū corpus Ieſu liuidum Iudæis manifeſtaretur.

17. Addit Salmeron nouum miſerationis incitamentum à Pilato fuiſſe commentatum , vt coram multitudine ſacratum purpuræ velamentum carnifices eleuarent , corpúſque Ieſu, detectum & nudum vulneribus,& liuoribus denigratum appareret, vt illius miſereſceret populus ad *ecce Homo,* ſic ſcribit lib.30.tom. 10. *Dixit hoc vt commoueret eos ad commiſerationem , & cum oſtenderet Ieſum Pilatus, miniſtri eleuauerunt veſtimentum , quemadmodum Sacerdoti hoſtiam eleuanti vel thurificanti fit, factóque circulo dixit eis : Ecce Homo , vt totum eius corpus lacerum, & flagellis caſum, laniatumque & ſanguinolentum appareret.*

Gaſp. Sanch.

Oſtendit Ieſū Pilatus Iudæis , vt à morte petēda ceſſarent, & quieſcerent.

18. Prædictæ Commentationi aptiſſima ſunt verba Gaſparis Sanchez ſerm.de Paſſion. Diſc.21. *Vt Pilatus exiſtimauerit illius aſpectum ſufficere ad placandum,& emolliendum obdurata corda Iudæorum, vt nihil amplius exigerent,& a morte Chriſti petenda ceſſarent. Ecce Homo, quaſi diceret humanitas poſcit, vt à pluribus ſupplicijs iam ceſſemus : quieſcat igitur indignatio veſtra, & pro hac vice ſufficiant , quæſo, huiuſmodi cruciatus , nec enim timendus eſt homo penè mortuus,& illico moriturus,* id quod indicabant verba Pilati miſericordia commoti exprimebāt Iſaiæ verba : *Quieſcite ergo ab homine* ; vt reprimerent, inquam eorum inſolentiam,flagellatione Iudæi & coronatione quieſcerent , & ad Ieſu mortem turpiſſimam poſtulandam non proſilirent.

Verſio Lxx. cum hac cōmentatione conciliatur.

Schol. Lxx.

19. Quare iuxta conſilium & animum Pilati commouentis ad pietatem , remouentis ab ira Iudæos non erit diſſona verſio illa huius loci, quam referunt Scholia Lxx. *Quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in nare eius : in quo enim reputatus eſt?*

D.Baſil.

D.Chryſ.

vel iuxta ſanctum Baſilium legentem: *Quia in quo reputatus eſt ?* Lectionem citāt & expendit Chryſoſtomus: *Hoc eſt in nullo reputatus eſt,* hoc eſt,quod

D.Auguſt.

Auguſtinus ſuperius expoſuit: *Si Regi inuidetis iam parcite,quia deiectum videtis,* in quo enim homo ſic laceratus & abiectus reputatus eſt ? *Nec enim* (loquor cum Sanchez ſupra) *timendus eſt homo penè mortuus.*

Tertia Interpretatio.

In tertia Cōmentatione ſpiritus pro anima accipitur.

Ariſt.

D.Iſid.

20. SPIRITVM pro vita vel anima accipit iuxta ſacræ Scripturæ mentem , ex dictiſque interpteramentis liquet. Rectè philoſophatur Ariſtoteles lib. de ſpiratione : *Viuendi & moriendi rationem, ſpiratione, atque expiratione contineri.* Eādem phyſiologiam tradit ſanctus Iſidorus lib. 11. etymol.cap.1. *Spiritum idem eſſe quod animam, Euāgeliſta pronuntiat dicens , poteſtatem habeo ponendi animam meam , & rurſus poteſtatem habeo ſumendi eam : de hac quoque ipſa Domini anima , paſſionis tempore memoratus Euangeliſta ita protulit dicens, & inclinato capite emiſit ſpiritum, quid eſt enim emittere ſpiritum , niſi animam ponere? ſed anima dicta propter quod viuit : Spiritus autem vel pro ſpirituali natura, vel pro eo quod inſpiret in corpore.*

In Ieſu poteſtate viuere & mori.

21. Hæc philoſophia de ſpiritu & anima , ad Chriſtum tranſlata hanc intelligentiam nobis ſubiicit,deliteſcentem in illa Iſaiæ ſententia : *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt* , vt idem ſit ac ſi diceret : in cuius poteſtate eſt viuere & mori , ſicut enim in hominis beneplacito ſitum naribus flare,halitum emittere, aut breui temporis ſpatio illum comprimere, aut continere, ita in Chriſti poteſtate fuit animam ponere , & illam reſumere, iuxta illud Ioan. cap.10. verſ.17.18. *Propterea me diligit Pater , quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam : nemo tollit eam à me , ſed ego pono eam à meipſo , & poteſtatem habeo ponendi eam , & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Hanc Deificam poteſtatem extremo vitæ halitu potiſſimum demōſtrauit, cum in Cruce , voluntariè expirauit , vel iuxta Matthæum Euangeliſtam cap. 27. verſ. 50. D.Hier.

Emiſit ſpiritum , id annotauit egregiè ſanctus Hieronymus : *Diuinæ autem poteſtatis indicium eſt emittere ſpiritum , & ipſe quoque dixerat : nemo poteſt tollere animam meam à me, ſpiritum enim in hoc loco animam intelligamus* : & eſt perſpicuus ſenſus verborum Iſaiæ : Quieſcite ab improbitate , ne machinemini mortem in Ieſum , quia non occumbit iuxta veſtrum conſilium inuitus , ſed voluntarius; mors iſta quæ eſt argumentum veſtræ iniquitatis, effectus eſt mirabilis ſuæ præſcientiæ & electionis , ſub dominio namque & poteſtate ſua habet vitam & mortem; etſi ſtruatis inſidias,vt eum dolo & impoſturis teneatis , cum de medio tollatis, & turpiſſima morte condemnetis , vt nomen eius non memoretur amplius , irrita euadent iniqua conſilia , & inanes meditationes peribunt, nam ſicut ſpirare , & ſpiritum emittere ſub arbitrio ſuo extitit , ita animam & vitam poſt mortem recipere , & halitum vitæ naribus afflare in poteſtate ſua eſt,ideo inquit Vates: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt.*

Ieſus moritur non inuitus, ſed voluntarius.

Iudæorum iniqua conſilia à Ieſu diſturbata.

Rupert.

Iudæi à Ieſu naribus ſpiritum eiecerunt, ſed ipſe illum reſumpſit.

22. Hoc interpretamentum non obſcurè indicant verba Ruperti Abbatis lib.1. in Iſaiam , c.11. *Quieſcite,* inquit, *ab homine cuius ſpiritus in naribus eius , quis enim ille eſt, niſi hic, quem occidiſtis , cuius ſpiritum de naribus eius eieciſtis , licet ille quando voluit ſpiritum de naribus ſuis emiſerit ab iſto quieſcite, nam ſpiritus eius in naribus eius eſt : reſurrexit , ſpiritus eius in naribus eius recuperatus eſt.* Hæc ille.

Quarta Interpretatio.

Quarta interpretatio ſpiritum in naribus accipit , pro perſpicacia . & acumine cognitionis.

23. ILLI ſententiæ , *Cuius ſpiritus in naribus,* aſſignari poteſt , ſi ita accipiamus halitum & odorem qui naribus percipitur, vt ſit prouerbialis locutio ad demonſtrandum Chriſti Domini præſcientiam , & cognitionis acumen , quo hoſtium intima conſilia percalluit , ſic enim vſurpatur odorari pro reſciſcere , diligenter inueſtigare, callidéque explorare hominem , quid habeat animi , vnde naſutus & emunctæ naris dicitur , qui alium ſagaciter deprehenſum , atque animaduerſum cognoſcit. Pulcrè ſanctus Iſidorus munus ducendi ſpiritus & capiendi odoris, quo perfunguntur nares,proponit lib.11.etymol.cap.1. *Nares idcirco nominantur , quia per eas vel odor vel ſpiritus nare non deſinit, ſiue quia nos odore admonent , vt norimus aliquid , & ſciamus vnde è contrà inſcij ac rudes ignari dicuntur , olfeciſſe enim veteres ſciſſe dicebant : Terentius: Ac non totis ſex menſibus prius olfeciſſem, quàm ille quidquam ſaperet.*

D.Iſid.

Olfacere . ac ſcire in idem recidunt.

Horat.

Horatius pro perſpicacitate iudicij vſurpat in Epodon Ode 12.

Namque ſagacius vnus odor,

& lib.1,Sat,3.

—— Minus aptus acutis
Naribus horum hominum.

D.Greg. S.Gregorius lib.31.Moral. c.12. inquit: *Naribus quoque præſcientia deſignatur.*

Ieſus percalluit Iudæorū corda, & adoratus eſt eorum conſilia.

24. Ex quibus hæc Commentatio elicitur: quieſcite, ceſſate ab homine, qui habet ſpiritum in naribus, qui cogitationes intuetur, conatus veſtros circumſpuit, conſilia veſtra præcognoſcit, & anteuertit, impia machinamenta odoratur; omnia cordium & cœtuum veſtrorum arcana ſunt illi comperta, eſt enim verè Deus qui ſcrutatur interna; ſæpe ſæpius de Ieſu præſcientia proferunt Euangeliſtæ teſtimonia, quod ipſe ſciebat eorum cogitationes. Ioan.cap.13: ſciebat quia venit hora eius: præcognouit quis eum eſſet traditurus. Ioan. cap.13. verſ.18.19. *Qui manducat meum panem leuabit contra me calcaneum ſuum. Amodo dico vobis priuſquam fiat: vt cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.* Quare Iſaias prudenter excitare ſatagit Iudæos ad pietatem, hortatúrque ad coërtionem flagitij occidendi Ieſum, eo quod præuideat impios conatus, & perſecutionum nimbos, quos inuidia conflat: ipſi enim exiſtimabant rerum harum inſcium, ſubitóque & inopinato capi poſſe, & iuxta deliberationem ſuam morte multandum, cum toto cœlo aberrarent; ipſe enim in cuius manibus & poteſtate omnia poſuit Pater, circumſtantias omnes longè ante præuidebat. Ceſſate ergo ab homine, qui totum hominem nouit: diſſipatur enim expectatio aggrediendi aliquem doloſè, & diſturbantur hoſtiles inſidiæ cum eas alter præſentiſcit.

Spiritus in naribus diſcretionem ſpiritus innuit.

25. Demum ſpiritus in naribus diſcretionem ſpiritus denotare poteſt, vimque illam iudicij diſcriminantis inter bonum & malum, quæ in Ieſu præfulſit; hoc diſcretionis donum ſuæ Eccleſiæ largitus eſt, naſique & ſpirationis ſymbolo expreſſum eſt. Cant.c.7. *Naſus tuus ſicut turris Libani.*

Phil. Carp. Ænigma naſi ſoluit Philo Carpathius ſic philoſophans: *Naſus ſponſi vel ſponſæ, acutiſſimi ſenſus iudicium ſalutare, bonorum atque malorum diſcrimen moraliter indicat: per naſum enim faculenta atque corrupta à beneolentibus, ſynceriſque decernimus*, hoc enim acre iudicium; & odoris acumen ad diſcernendum ſpiritum à carne, Angelum lucis ab Angelo tenebrarum, inter odorem virtutis, vitiique fœtorem, potiſſimum adepti ſunt Apoſtolici Iudices, qui ſacræ Inquiſitionis munere funguntur, de quo fusè in diſcurſibus.

Apoſtolici iudices ſācta Inquiſitionis dono diſcretionis ſpiritus præpollēt.

A creaturis omnibus (ſi Iudæos excipias) excelſus reputatus eſt Ieſus.

26. *Quia excelſus reputatus eſt ipſe*, à Patre cum clamat: hic eſt filius meus dilectus: à Spiritu ſācto, cum deſcendens in columbæ ſpeciem, ſuper eum requieſcit; ab Angelis, cum ab iis adoratur; ab hominibus, cum veniunt adorare Dominum; à Cœlo, Sole, Luna, Stellis, cum in eius morte obſcurantur; à terra, cum tremore concutitur; à lapidibus, cum in eius morte ſcinduntur; à gentibus Crucem circumſtantibus, clamantibúſque: verè Filius Dei erat iſte; à Dæmonibus ipſum venerantibus: in nomine enim Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Solum à vobis Iudæis non eſt excelſus reputatus, ſed vilis, & deſpectus inter filios hominum, nos autem Excelſum reputamus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, poteſtas, & imperium.

FINIS COMMENTARII
Capitis ſecundi.

PRO CELEBRI EXPOſitione de excandeſcentia in naſo Domini.

DISCVRSVS I.

Vir iuſtus Diuinæ virtutis æmulus ad hoſtis terriculamenta non expaueſcit, vel ſolo verbo, minaci vultu, oriſque halitu ipſum proſternit.

Animoſitas in viro iuſto hoſtis viros labefactat.

1. FAVET vulgari interpretamento de vultu, & naſo minas ſpirante hic diſcurſus, dum iubet Vates præcauere ab homine, qui terribili vultu perterrefacit hoſtes, & ſolo ſpiramine fumantis iræ interimit quo habitu homo iſte diuinus commilitones ſuos docuit aduerſariorum phalanges armis nequitiæ inſtructas deſpicere, non timere. Cum hoſtem contemnis, auſpicato inis certamen: eſt enim triūphi exordium in Chriſtiano milite, incurſus & ictus retundere impauido pectore. Hæc animi conſtantia & magnitudo in omnium decertantium, in ſpiritali palæſtra, magiſtro, potiſſimum eluxit. Agonotheta noſter in ſtadio poſitus, habitu, verbo, halitu aduerſarium metu perculit, tantæ veritatis teſtem aduoco Iſaiam, qui dum cap.11. Chriſti gloriam amplificat, tanti imperatoris robur oſtentat, verſ.4. ſubiungit virtutis eximium decus, *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Accipient alij hæc verba cum Apoſtolo 2. Theſſal. cap.2. de profligato, & occiſo Antichriſto, gladio verbi, & damnationis ſententia de Ieſu ore procedenti, inpræſentiarum ea lubens vſurpo cum Alexandrino antiſtite Cyrillo, de virtute Ieſu ineffabili, qua aëreas poteſtates detriumphauit, & ſpiritus improbos de humanis corporibus, & animis expulit: ſuggero Cyrilli verba: *Vox perſonuit ex ore, & labiis viuque ſpiritus inexplicabili Dæmoniorum multitudo fracta eſt.* Impium antonomaſticè Iſaias nuncupat Dæmonem totius impoſturæ & doli artificem, vniuerſæ nequitiæ & impietatis architectum: tenebrarum Principem cum ſua cohorte deiecit Ieſus, non iaculo, aut ferreo gladio, ſed verbo & voce ſtatim ac diuina vox ſpiritu animata ex Ieſu labiis perſonuit, profligatus eſt hoſtis: emphatica locutio illa Vatis: *Spiritu labiorum ſuorum interficiet*, quam vertunt Lxx. ſeniores: *Et in ſpiritu per labia ſua interficiet impium.* Vatablus verò legit: *Halitu labiorum.* Et ineffabilem potentiam in Ieſu indicant; non iam indiget voce, iuxta Cyrilli placitum, ad hoſtis internecionem; halitu ex ore iaculato inimicum perimit; halat Ieſus è pectore vaporem, & hoſtem exufflat, ſpiratione ipſa tanquam validiſſimo telo ſauciat.

D.Cyr.Alex. *Virtus Ieſu ineffabilis qui halitu oris aduerſarios contriuit.*

Lect.Lxx. Vatabl.

A facie Vatientia Ieſu, hoſtes in iudicio extremo conterentur.

2. Eandem virtutem oſtentabit Saluator in iudicio extremo, cum iniquos, & impiorum anteſignanum Antichriſtum aſpectu ſuo obruet; eóque tanquam fulmine proſtrati & accenſi tartarorum quærent latebras, vno verbo dixit Paulus contetendos: *A facie Domini, & a gloria virtutis eius.* 2.Theſſal.cap.1. verſ.9. habet ſuum leporem verſio

Tertull.

ſio Tertulliani lib.5. contra Marcion. cap.16. ſic legentis: *Et a gloria valentia eius.* Sicut Ieſu aſpectus iuſtis erit amabilis & iucundus, iniquis erit horribilis, de ſolo aſpectu trementes terræ voragines amabunt, quibus ſe immergant & protegant, à valentia vultus eius, *à facie valentiæ*, inquit florens Tertullianus, quo verbo indicat habitum, ſtationem, invictum robur aſpectus, quo ſolo impiorum factiones diſſoluit, gloria & valentia Domini erit, verbo, halitu, intuitu, nutu imperitare terræ, vt tota dehiſcens hoſtes viuos obruat.

Tribus Iuda comparatur catulo Leonis.

3. Cingebatur natorum corona in lecto decũbens Iſraël albenti canicie, & virtutum candore venerabilis, iam maturus æternitati, tanquã ſacer olor occinit fauſta, & infauſta natis; ad Iudam direxit ſermonem, præſentem filium tangens, Saluatorem de tribu Iuda oriundum proſpiciens; de excelſa prophetiæ ſpecula ſic fatur: *Catulus Leonis Iuda.* Geneſ.cap.49.v.9. Sat eſſet vocare Leonem, cur Catulum Leonis nuncupat? vt exprimat generationem & filiationem æternam à Patre, à quo participat inuictũ robur, omnipotentiãque; argutè S. Cyrillus Alexandrinus, l. Glaphyrorum in Geneſim, inquit: *Catulus Leonis eſt Chriſtus, cum ſit filius Dei omnipotentis, qui & ſine pugna vincit, & ſolo verbo poteſt per terrefacere eos, qui ipſi reſiſtunt. Sicut Propheta ait: Leo rugiet & quis non timebit?* qui Catulum dicit, Leonem indicat Parentem à quo eſt genitus, nuncupat ergo Iacob Leonis filium Saluatorem, quia procedit à Patre, à quo habet eſſe omnipotens, qua omnipotentia filius ſine gladio vincit, *ſine pugna vincit, & ſolo verbo poteſt perterrefacere.* Non fuit digladiandum ſacro pugili in arena, corporeo tegmine armorum; incomparabili virtute decertat, cum ſolo verbo triumphum de aduerſariis reportat, ad leonis rugitum fortiorum animantium artus tremore quatiuntur, coitque formidine ſanguis; ad aſpectum, & vocis ſonitum Leonis de tribu Iuda, quid mirum ſi fugantur tartareæ cohortes, ac pauore concuſſæ diſpereunt.

D. Cyr. Alex. *Ieſus dicitur Leonis Catulus quia ſolo verbo, & ſine pugna vincit.*

Iob aſpectu horroris pleno laqueos vxoris diſrũpit, & hoſtis machinamenta repulit.

4. Imperatoris robur & in præliando dexteritatem æmulati ſunt iuſti; poſt tot caſus, & diſcrimina rerum familiarium ſancti Iob, ſeruatur vxor incolumis, tanquam validiſſimum Diaboli telum, vt iuſtum ſauciaret, aut impelleret ad ruinam: inſtruitur à Dæmone fœmina vt ſedentem in ſterquilinio ſupplantet ſingultibus, lacrymis, perſonata commiſeratione, vt inter ærumnarum nimbos, & lacrymarum fluctus amitteret ſpei anchoram, & impatientiæ tempeſtate iactatus demergeretur deſperationis vorticibus. Auſculta quid Diaboli organum fœmina ſonet, Iob cap.2.v.9. *Dixit autem illi vxor ſua: adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere. Qui ait ad illam: quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Ad præſens inſtitutum vſurpo verbum illud; *Qui ait ad illam.* Lxx. legunt: *Ille autem ſuſpiciens eam, dixit.* Ante verba obiurgatoria, Lxx. ſeniores aſpectum conſtituunt, vt facie formidabili, terribilibus oculis ipſam vituperaret, obſeruatè & ſcitè Chryſoſtomus id annotat homilia 5. de Iob in hæc verba: *Reſpiciens in eam amarè: ô mentem caſtam, ô morigeratam, atque ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit, illa quidem viſa eſt lacrymarum mouere fontem, hic autem Leone truculentior factus, furore plenus & iracundia, & inquit: vt quaſi vna de inſipientibus mulieribus loquuta es.* Non ignorabat inclytus decertator vel ſolo intuitu ſpirante furoris flammas, hoſtium machinamenta diſſolui, ideo minaces oculos coniecit in

Lect. Lxx.

D. Chryſ.

feminam, vt horribili proſpectu, technas coniugis, inſidias Dæmonis propulſaret: *Ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit.* Ad pugnam, ad victoriam, non opus iam eſt verbi telo, aut conuiuij lancea, qua lancinetur hoſtis; oculi flammei toruuſque aſpectus indicantes animi generoſitatem, & inuictum robur, quaſi de ſublimi ſpecula, & arce inexpugnabili deſpiciẽtes Satanæ dolos, mulieris nequitiam; palmam victoriæ retulerunt.

Ieſu victoria à Propheta Habacuc celebrata.

5. Ieſu ouationem, de Dæmone triumphum cecinit epinicio carmine Habacuc; vt inuictum robur ab hoſte nullo labefactandum oſtenderet, aſſertoriſque pugnacem dextram, quæ vel leui comminatione hoſtiles acies proſternit, hac oratione vtitur, c.3.v.6. *Aſpexit & diſſoluit gentes,* & v.12. *In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes.* Mira belligerantis fortitudo, aſpectu ſolo gentes diſſoluit; & iuxta Lxx. *Aſpexit & diſtabuerunt gentes*, gentium primores, capita potentium ſolo Dei intuitu proſtrati & profligati iacuerũt, annuit huic menti Vatablus: *Solo aſpectu eiecit & ſaltare facit, id eſt exire.* Remigius in Gloſſa ordinaria ſcribit: *Stans Saluator, & oculo ſuo omnia metiens gentes diſſipat, montes, & colles ſæculi conterit;* qualis virtus illa quæ proſpectu ſolo perterrefacit hoſtes omni armatura inſtructos, & ſoluit in minutiſſimũ pulverem? Dei robur exprimunt verba illa, *in fremitu, in furore*, pro fremitu Hebræus habet זעם iram denotat, *furorem, deſpicientiam*, & Græcum ἀπειλῇ *comminationem, iracundiam*; minacique vultu ſpirans aduerſarios diſturbauit, vicit eos, dum deſpexit; ſuum continet leporem verbum Græcũ quod reſpondet furori videlicet ὀργῇ, *indignatio, ſeueritas*, & Hebræum אף *aph, afflare naribus iram, & excandeſcentia ſpiritum exhalare*, iis omnibus modũ pugnæ, rationem triumphi demonſtrat Vates, in conflictu Ieſus terribilibus & minacibus oculis intuitus hoſtes, reddidit attonitos, vultus indignatione, & ſeueritate, narium halitu & fremitu, iniecto terrore mortis, horreſcunt, & pereunt.

Ieſus aſpectu, & fremitu gentes diſſoluit.

Lect. Lxx.

Vatabl.

Remig.

Gloſſ. ord.

Deſpicientia & comminatio in hoſtes, eos proſternit.

Lect. Græc.

Lect. Hebr.

Diabolus narium fremitu terrere nititur homines

6. Hanc animi magnitudinem & deſpiciẽtiam ad incutiendum hoſti timorẽ æmulari nititur Dæmõ, omnes vires & conatus impendit vt Chriſtianum pugilem in agone certantẽ, metu & horrore perculsũ, arma abiicere conſtringat, & capeſſere fugã: egregius decertator Iob bellicis induratus laboribus artes nocendi & pugnãdi, quibus Diabolus victor euaſit, milleq; ornatur exuuiis, aperiet c.39.v.23. *Gloria narium eius terror.* Deſcribit militaris equi impauidũ pectus, in eóq; adumbratã cenſet venerabilis Beda aduerſarij noſtri in certamine ſpirituali exultationem & audaciam, eámque ſuis ſcholiis Vatablus exprimit. *Hinnitu, & fremitu narium ſuarum terreat homines,* ſicut enim equus militari gloria clarus exultans audaciter, in occurſum pergit, armatis cohortibus, & inter agmina denſata telis ſe proiicit, vt ſpumanti & feruido halitu tanquam tonitruo & fulmine terreat hoſtes, ſic equus ille tartareus calcatibus inuidiæ admotis iracundia percitus, in hominem irruit horriſono hinnitu, vt terrore perturbet; enimverò, cum agnoſcit terrefactum, certa ei ſpes affulget victoriæ; ideo, *Gloria narium eius terror*, belli fauſtam expectationem & triumphandi gloriam, in æmuli ſui terrore conſtituit. Sancti Bedæ verba ſubiicio: *Vt inimicus in fugam vertat; aduerſarium ſuum militem ſcilicet Chriſti, ipſo etiam anhelitu terret.* Non ignorat Aduerſarius terrifico aſpectu, & oris diuini halitu fuiſſe proſtratum, ideò telum horroris, iaculumque

Vatabl.

D. Beda.

Diabolus anhelitu terret.

Diaboli terriculamenta deſpicienda.

lúmque rimotis tanquam potentiſſimum contra hominem aſſumit, terribilem aſpectum virtutis effingit, eam in primo congreſſu decertanti efformat aſperam, auſteram, arduam, in præruptis ſilicibus collocatam, ſentibus & lanceis retundendis circundatam, immenſos exantlandos labores, horrifica monſtra ſuperanda. Huiuſmodi terriculamenta halitu ſpirationis in animos efflat & oculis aſpirat, vt miles Chriſti territus arma deponat, pudibundus & mœrens à prælio ſe ſubducat, terrores & minas Dæmonis leges in ſancti Antonij vita à S. Athanaſio deſcripta, quas ille magnus decertator deſpicientia in primis, minacique vultu hoſtem proſpiciens, ſuperabat, ibi de tartareis monſtris, & de ſeipſo Antonius fatur: *Sæpe ſtrepitus, ſæpe ſaltationes, ſæpe ſibilos inhaſerunt: & me pſallente ſonus, eorum in voces fletibus vertebatur. Credite mihi filioli quod dicturus ſum vobis, vidi aliquando Diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem, & prouidentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: quid vis, vt à me tibi donetur Antoni? & ego ſputum vi maxima in os ingeminans, totum me in eum, Chriſti nomine armatum ingeſſi; & ſtatim ille procerus aſpectu inter medias manus exoleuit.* Hæc à magno Antonio dictata magnus Athanaſius ſcribit.

D. Athan.

Diaboli ſpectra, & tentandi artes ſpreuit S. Antonius Abbas.

7. Non effugit mentem Senecæ hic diſcurſus lib. de prouidentia cap. 3. virum inexpertum periculis, & laboribus infelicem nuncupat, & à fortuna deſpectum; nominéque fortunæ intelligit ærumnam, & aduerſitatem, quæ ignominiam cenſet eſſe, imbellis & timidi gladiatoris explorare virtutem, & cum ignauo conſerere manum; ideo demiſſi animi militem quodam faſtidio & deſpectu tranſit, fortiſſimum & ſibi parem quærit, cum quo vires componat, cúmque prouocat ad pugnam, tranſcribo verba philoſophi: *Indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauiſſimum quemque refugit, quaſi dicat: quid ergo iſtum mihi aduerſarium aſſumam? ſtatim arma ſubmittet, non opus eſt in illum tota potentia mea, leui comminatione pelletur, non poteſt ſuſtinere vultum meum, alius circumſpiciatur, cum quo conferre poſſimus manum, pudet congredi cum homine vinci parato.* In his ſententiis, ſi intuitum fortunæ ſeuerum perpendas, quo parata ſit vincere in primo congreſſu militem, ſcopum diſcurſus ritè collimaſti; nam habitu, ſtatione ipſa, leui comminatione abſque armorum ſtrepitu & gladiatione, facilè à ſe propellit detriumphatum; quibus omnibus diuina prouidentia, ex Senecæ placito inſtruit militem inter præliares aduerſariæ & aëreæ poteſtatis copias, conſtitutum, quantum officiat victoriæ, & lauro formido, & animi remiſſio; quantumque valeat peccatoris magnanimitate, vultus ſeueritate, minacique anhelitu exſibilare hoſtem ab hoſte, à tentatione ipſa; te ad pugnam vocante, irriſione, & minaci vultu te deſpiciente, documentum virtutis & victoriæ cape, hoſtem contemnens, dic confidenter: *Leui comminatione pelletur, non poteſt ſuſtinere vultum meum.*

Sen. Aduerſa fortuna ſolo aſpectu minaci, aut leui comminatione terret ignauũ militem.

8. Primum ſpecimen audaciæ editum à Moyſe, interitus fuit Ægyptij: intuitus eſt Moyſes Barbarum Iudæo inſultantem; pro vitæ incolumitate familiaris ſui, propugnatione ſuſcepta, litem, & rixam diremit hoſtis exitio. Exod. cap. 2. verſ. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo.* Statim occurrit dubitatio quo telo Moyſes Ægyptium ſaucipuit? verbum illud *percuſſum* nobis inſinuat vulneribus confoſſum in arena tumulaſſe, nec Moyſi, à Rege Pharaone, & à Pharaonis filia Thermute adoptato, pugio deficeret aut gladius, quo vitam ei adimeret. Dubio occurrit Alexandrinus Clemens lib. 1. ſtromat. his verbis: *Eum ſolo verbo occidiſſe Ægyptium.* Non indiguit gladio Moyſes qui habebat Deum opitulatorem, qui ipſi erat loco lanceæ, & clypei; erat virtus in adoleſcente auguſtior, & in ætate florida emicabat ſenilis auctoritas ætate ſua maior, ſeueritate vultus, verbi acerbitate, voce flammas iracundiæ ſpirante, aduerſarij crimen exagitat; velut ad tonitruum, fulménque, è Moſaïcis labris eiaculatum, ſtupore perculſus tyrannus exanimatus corruit.

Moyſes ſolo verbo minaci Ægyptium perculit.

Clem. Alex.

9. O quantum valet animoſitas in viro forti ad aggrediendum facinus, & profligandum hoſtem, non iam dabo pro diſcurſus coronide in arena decertantem Moyſem, ſolo verbi telo ſauciantẽ aduerſarium, ſed pugnaciorem pugilem, qui ſine verbo vincit, ſolo ſtatu, hoſtis deſpectu, quadam corporis exultatione, inuicti cordis magnanimitate; luctator Abraham; arena mons Moriah: æmulus, parentis affectus, filij amor; aderant Angeli, vt plauderent victori; proſpectabat de cœlis Deus, vt geminato coronamento Regis & Sacerdotis ſacrum verticem cingeret. Eminus obſeruabat Diabolus inſidiator euentum belli, tentationis exitũ, ſi fortè impatientiæ, aut inobedientiæ ſpolia à parente, à nato eriperet. Patriarcha verò in hoc amphitheatro: *Extenditque manum, & arripuit gladium.* Geneſ. cap. 22. verſ. 10. Non exhorruit, non palluit ad necem filij, nec tremore concuſſa eſt manus, verùm animi celſitudinem, & in educendo gladio elegantiam, & oſtentationem exprimens, aduerſarium repulit. Eleganter Chryſoſtomus homil. 3. in 2. Corinth. cap. 1. inquit: *Si quis imperator egregium habens militem, ipſo armorum geſtatu, ipſo ſtatu, ipſo impetu, obſtupefaciat aduerſarium: ita Deus ſolo animo iuſti, ſola ſpecie, ſolo ſtatu, communem omnium noſtrum hoſtem Diabolum reddidit attonitum, & in fugam vertit.* Aberat pigritia, & moroſitas à ſenilibus artubus in offerenda, & mactanda gladio, & igne, filij dilecti victima; quanto animoſior pater, tanto cœlicolis gratior, mirabili ſtatu, animi corporiſque impetu, ab ignauiâ, & timore alieno, manibus oſtenſo, perterruit hoſtem, ipſúmque profligauit.

Abraham, aduerſarios inuiſibiles deſpexit.

D. Chryſ.

Solo ſtatu, & ſpecie Diabolum fugauit.

Pro ſecunda Interpretatione.

DISCVRSVS II.

In hac mortalitate Ieſus animam efflabat ſuam, & ſuſpirabat animam tuam, vt ad Ieſum tuum te anhelantem, ſuſpirantem, ſuſpires, & anheles.

1. QVAM iucundum, & dulce propoſitum affixum eſt: Ieſu animam agentis, & ſuſpirantis ſalutem hominis ſuauiter reſonans halitus, flammas amoris excitans in lapideo corde, & de profundo pectore longa citans ſuſpiria. Pſalmicen dabit tibi formam Ieſu expirantis, & ſuſpirantis. Pſal. 87. verſ. 16. *In laboribus à iuuentute mea.* Iterum ad Ieſu ærumnas redeo, vt amor redardeſcat. In Enchiridio Pſalmorum ex Hebræo legitur: *Ego præ afflictione anhelus.* Et in verſione Tigurina Leonis Hebræi: *Afflictus ego ſum, & tantum non animam ago ab adoleſcentia.* Eam illuſtrat ſcholiis

Ieſus à iuuentute anhelus, & animam efflans.

Lect. Hebr. Enchir. Pſ. Tigur.

Scholiis ſuis Vatablus: *Pauper ſum ego, & moribundus, vel quaſi animam efflans; vox Hebræa ſignificat eum, qui lentâ morte conficitur.* Habes Ieſum ab adoleſcentiâ, à pueritia ſuâ morientem, expirantem, anhelantem. Adiungit Cardinalis Bellarminus non contemnendam commentationem: *Ne putarent homines, Chriſti paſſionē trium horarū, aut vnius diei tantum fuiſſe: reuelat hic nobis Spiritus ſanctus, Chriſtum in diebus carnis ſuæ nunquā ſine paſſione vixiſſe. Nam præter calicem mortis amariſſimæ, quē ſemper ante oculos mentis habuit, in omni ætate ſuâ in laboribus, & ærumnis fuit.* Omnibus calamitatibus, & ærumnis, ſi crimē, & ignorantiam, ægritudinémq; excipias, premitur Ieſus; vt afflictiones, & calamitates tuas alleuet, & in hac vitâ lentâ morte conficitur, perpetuo dolore, & paſſione multatur, in eius mente obuerſabatur cruciatuū nimbus, tempeſtas calamitatum, Crux amori, & deſiderio ſuo iam cōparabatur, concupiſcenti animo, paratum à Patre calicem ab Angelo propinatum abſorbebat. Hinc diurni, nocturníq; angores, & ſolicitudines, aſpirātiſq; animæ aſſiduæ exhalationes, vt manus ſuffigat patibulo, aſcendénſq; in victricē Crucis palmā a iugo Dæmonis, & mortis mortales vendicet.

Vatabl.
Bellar. Card.
Ieſus à pueritia ſua ſēper in paſſione fuit.

2. Amoris diuini ſolertiſſimus explorator Salomon, fortitudinem robuſtam dilectionis Ieſu morti æquiparat. Cant. c. 8. v. 6. *Quia fortis eſt vt mors dilectio.* An quia terrenos affectus quibus præpeditur anima, ne migret in cæleſtia, interimit? An quia humanum pectus parat, & indurat amor ad opprobria, & ærumnas omnes ſufferendas, & mortem ipſam contēnit, & vincit? Ideò fortis vt mors perhibetur? Hoc in humano amore verum; in Ieſu, dilectio maiora roboris incremēta demonſtrauit, & morte ipsâ inuenitur fortior. Do tibi acumen Hugon. Cardinalis, his verbis: *Fortis eſt vt mors dilectio, quam ſcilicet ad te habeo, & habui, qui pro te animam poſui, quæ à me tolli non poſſet, Imo morte fortior: quia & ipſa mortem, & ipſum vitæ auctorem quodammodo ſuperauit: non tamen vnâ horâ ſicut mors homines ſuperat, ſed ſibi triginta tribus annis ſubiugauit.* Errore typographiæ hic, & alibi Hugo quamplurimis ſcatet mendis, præſertim in figuris typorum antiquis, pro: *In morte fortior,* lego: *Imo morte fortior,* & pro: *Quodammodo ſeparauit.* Corrigo: *Quodammodo ſuperauit.* Sic omninò legendum patet ex verborū ſerie: Purpuratus Pater Dominicanæ familiæ columen quâ ſolet argutiâ vires amoris aperit. Si amor alterius pugilis robuſtiſſimi in ſtadio virtutis, in ærūnarum caueâ, in Martyrij agone decertantis, robur ſuum cū morte componat, nec amor morti, nec mors cedit amori, ſed velut in æquilibrio poſita vtriuſque virtus: *Fortis eſt vt mors dilectio;* Apud Ieſum cum mors, & amor conſerunt manus, in omni congreſſu amor euaſit ſuperior, & ornatur triumpho. Cerne quot victricibus palmis Ieſu dextram ornet diuinus amor. In omnibus Adæ natis mors præualet, ab iiſque, quos hæreditarij ſceleris conſtringit reatus, tanquam crudelis exactor mortalitatis pœnas, & mortē ipſam peccati penſum etiam ab inuitis extorquet. In Ieſu non fuit tributum mors proprij ſceleris, non fuit neceſſitas, ſed charitas mori, non coactus, ſed voluntarius occumbit: permiſſa eſt ad Ieſum accedere, non dominans, & regnans, ſed morem gerens, & ſeruiens; ab eo vitam eripuit, non iuxta legum ſtatum iura, ſed iuxta præſcriptum amoris, & imperium. Adiicit Hugo nouum victoriæ decus, dilectio morte robuſtior, & potentior eſt, quia mortem, & ipſum vitæ auctorem ſubegit.

Cur amor fortis eſt vt mors.
Hug. Card.
Amor Ieſu morte fortior.
Amor Ieſum triginta triū annorum ſpatio ſubiugauit.
Amoris trophæa de Ieſu reperiata.
Amoris effectus mors Ieſu.

Amoris victoria multorum annorum ſerie continuata eſt. *Non tamen vnâ horâ ſicut mors homines ſuperat, ſed ſibi triginta tribus annis ſubiugauit:* In vitæ auctore amoris, & mortis continuus fuit cōflictus, & diurna victoria, vt conflictaretur quotidie cum mœroribus, cruciatibus mortis, Cruce: omnium Dominum ſubiugabat amor, vt angore mortis continuo cruciaretur, & eſſet ei vita diuturna, & diurna mors.

3. Inſectatum Dauidem à Saule fugam meditari docuit vxor ſua Michol, & per feneſtrā noctu demiſſum, mariti conſuluit incolumitati; vt Saulis Patris ſui apparitores eludat, illud architectatur muliebre ingenium. Statuam, aut ſimulacrum veſtibus ornat, ad ſpeciem Dauidis formámque cōponit, coopertum ſtragulis in ſpondâ reclinat, vt perſonam Dauidis in lecto recumbentis, & ægrotantis ageret, vt larua illa Dauidis, & perſonatus languor locum daret fugam capeſſenti, & ſatellites Saulis necem anhelantes retardaret, lib. 1. Regum c. 19. v. 12. *Depoſuit eum per feneſtram: porro ille abiit, & aufugit, atque ſaluatus eſt. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis.* Pro ſtatua legunt Septuaginta: Κενοτάφια, quod autem ſit cenotaphium, aut effigies, quomodóque per capræ iecur hanc ſcenam commentata ſit Michol, exponit Ioſeph. lib. 6. antiq. c. 14. *Parato lecto tanquam ægrotanti, ſtragulis iecur capræ recens exemptum ſubiecit: diluculóque venientibus, quos Pater ad Dauidem miſerat, oſtendit lectum opertum, & quod palpitatione iecoris ſtragula moueri viderent, maritum ægrum anhelare perſuaſit.* Similia ſunt, quæ apud Theodoret. leguntur lib. 1. Reg. q. 48. *Quod per veſtes erat compoſitū videbatur quidem eſſe Dauid agens animam Ponit etiā in medio veſtium iecur capræ recens occiſæ, vt ferat imaginem ventris hominis, & motū, quodammodo imitetur reſpirationem.* Quæ omnia ſi de Chriſto exponas, apta ſunt præſenti propoſito; ea de Saluatoris nece, & ſepulcro accipit S. Auguſt. ad titul. præfixū Pſ. 58. ex eóq; verba tranſcribunt Iſidorus, Rabanus, Eucherius à Gloſſa ordinaria relati. Dauid à Saulis militibus inſectatus, & circumuallatus verū Dauidem Ieſum exprimebat iniquis Iudæorū conſiliis captū, haſtatis militibus circūclauſum; in eóq; licet cernere non emortuū ſimulacrū eludendis apparitoribus Saulis adornatū, ſed viuā pietatis imaginē ſpirantem amoris flāmas in aduerſarios, in eóſq; ſuſpirantē. Delineādis in vmbrâ illâ Dauidis, Ieſu affectibus ſcripta ſunt Ioſephi verba: *Anhelare perſuaſit* Et Theodoreti: *Videbatur eſſe Dauid agens animam Et motum, quodammodo imitetur reſpirationem.* Dum enim inſidiatores Iudæi in Ieſum magis furunt, & bacchantur eu inſequentes clamoribus, & maledictis, & corā præſide Pilato perduellionis inſimulāt; eos deperit, & ſuſpirat Ieſus. Cumq; in lectulo Crucis reclinat caput, animam agit, & inclinato capite expirat.

Michol Dauidem à diſcrimine mortis eripit.
Dauidis laruam cōponit, vt ſatellites Saulis eludat.
Ioſeph.
Iecur capræ ſtragulis ſubiicitur, vt anhelantem animum, & ſpirantē fingat.
Theod.
D. Auguſt. Beda.
Dauid vmbra Ieſu à Iudæis inſectati, & comprehenſi.
Ioſeph. Theod.
Ieſus anhelabat, & animam agebat propter Iudæorum ſalutem.

4. De triduo Dominicæ mortis, & ſepulturæ difficilis nodus à Patribus ſoluitur, diei paraſceuē partem ab horâ nonâ numerantibus, integrū ſabbathi diem, vſque ad Dominicæ aurorā, vt tertij diei exortu Dominus reſurgeret. Theophylact. Bulgarorū Archipræſul hanc patrū interpretationē recenſens, adiiciens nouum calculū, aliam ſoluendi nodi rationem argutè commentus eſt, à cœnâ Dominicâ, & ſacræ ſynaxis inſtitutione, dies mortis Ieſu percurrit. Tunc enim ſtatum, & ſolemne ſacrificium corporis, & ſanguinis condens, ſe totum immolat Patri; & anticipata mortis, & paſ-ſionis

Triduū mortis Dominicæ & ſepulturæ quo pacto cōponatur cum veritate.

Computatio tridui à veſpere cœna, & inſtitutionis Euchariſtiæ. Theoph.

ſionis ſignificatione mactat. Hæc ſunt Theophylacti verba: *Poſſum tibi & aliam cauſam dicere, quomodo tres dies, & noctes numerentur: attende igitur. Quinta veſperâ fecit Dominus cœnam, & Diſcipulis dixit: accipite, & comedite, hoc eſt enim corpus meum: & ita, quia poteſtatem habebat ponere animam ſuam, manifeſtum quod tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum, nemo enim quidquam edit, niſi prius mactatum fuerit.* Et tres dies mortis enumerat à veſperâ cœnæ vſque ad horam tertiam Paraſceues; à tertia Paraſceues vſque ad tertiam ſabbathi, à tertia ſabbathi vſque ad primam Dominici diei lucem. Ecce tres integri dies, & noctes. Sic admitte pium Theophylacti acumen, vt non recedas à receptâ tridui ſupputatione. Sunt enim Eccleſiæ proceres accurati triduanæ mortis calculatores, dieſque propriæ mortis hoc eſt ſeparationis animæ a corpore, quibus vitæ functionibus caruit humanæ ſacrum illud cadauer, dinumerant. Victima ſui corporis, quam in cœna litauit erat paſſionis iam inſtantis figurariua, ſymbolúmque mortis mox futuræ, ſicut in nobis ſacrificantibus æternum iam tranſactæ monumentum. Verumtamen ad propoſitum aſſumptum retinet ſuũ leporem Theophylacti ſententia: *Manifeſtum quod tunc immolauerit ſeipſum ex quo tradidit Diſcipulis corpus ſuum, nemo enim quidquam edit, niſi prius mactatum fuerit.* Poterat poſt reſurrectionis triumphum, illud memoriale hominibus relinquere, illud ante mortem donare, extitit eximij amoris pignus, oſtendens pro hominis ſalute quàm in votis haberet mori; cũ enim ſacrum, quod in illo amoris ſympoſio ab æterno ſacrifico ſecundum ordinem Melchiſedech ritè perpetratum eſt, eſſet paſſionis commemoratio, omnium Chriſti cruciatuũ mortiſque viua repræſentatio, anticipatâ paſſione, & morte patitur, & moritur: iam tunc cædebatur flagris, pungebatur ſpinis, ſuffigebatur clauis in patibulo, fluebant ſacri cruoris latices, in Cruce expirabat, apertúmque lanceæ cuſpide latus fundebat aquæ lauacrum, & ſanguinis pretium. Ieſu amor præoccupauit perſequentium crudelitatem, Iudæi crudeliſſimum facinus Deicidij anhelabant, Ieſus anhelabat amorem. Ipſos ad improbitatem ſceleris, ſtimulis inuidiæ incitatos ad comprehenſionem Ieſu accurrentes, ardens deſiderio patiendi, cupiditate moriendi præcucurrit, & anteuolauit, in cœnáque Euchariſtica ante paſſionem patitur, ante mortem mactatur, & moritur.

Ieſus quando ſacrificium inſtituit, ſeipſum mactatum tradidit.

A ſupputatione veterũ patrum non eſt recedendum.

Ieſus ante paſſionem mactatur, & moritur.

Ieſus Iudæorũ deſid ria ipſum occidendi, anteuertit.

Quis mortalium ter vitâ functus.

5. Singulare dubium proponit ſanctus Athanaſius, quis ex mortalibus ter guſtauit mortem? quãplures ſemel, & iterum vita functi, qui diem claudentes extremum ſunt miraculosè ſuſcitati, & poſtremo à vita deſciſcunt: quis ter è corporis ergaſtulo ſolutus eſt? Excitat quæſtionem, & ſoluit Alexandrinus Antiſtes ad Antiochum quæſt. 64. his verbis: *Quis dicitur inter mortuos numeratus in veteri Teſtamento? Reſponſio, de Iona id manifeſtum eſt. Nam vt vetus fert fama: hic fuerat viduæ filius, quẽ Elias Propheta ex morte in vitam reuocauit, iterum in ceto vita functus eſt, & tertium ſupremum obijt diem.* Secundum aſſertũ quod Ionas fuerit in ceto vitâ functus, non eſt adeò compertum. Sanctus Hieronymus in fluctibus maris, in rictu, & ventre ceti Ionam ſoſpitem nuncupat, ipſéq; naufragus actiones gratiarum Deo fundit, quia periculis immunem, à corruptione exẽptum ſe ſenſit Ionæ cap. 2. forſan ex v. 6. opportunitatem arripuit Athanaſius ad illud effatũ. Nam ibi ex ore Prophetæ fluctuantis proſiliit hæc oratio: *Cir ũdederunt me aquæ vſq; ad animam.* Chaldæus legit: *vſque ad mortem.* Sic tempera: vſque ad mortis periculum. Limina (inquit) mortis domus attigi, ſed non ſum ingreſſus, omnipotentis manu remoratus. Verba ſic expẽdit Sanchez, & eleganter: *Vſque ad animã agendam, vel efflandam.* Iam de vitâ Prophetæ actum videbatur, niſi Deus ſuccurreret. Placet intueri in hoc diſcrimine Ionam extremum vitæ ſpiritum edentẽ. Ionas typus Chriſti, illius mors Chriſti mortis, & tumuli adumbratio. Ille ſemel, & iterum, & tertiò cum morte luctatur, at Ieſus ſingulis diebus pro hominis ſalute moriebatur; Ionas inter nimbos æquoriſq; fluctus ſemel animam agebat; Ieſus tormentorum tempeſtate iactatus millies animã efflabat: *Vſque ad animam agendam, vel efflandam.*

D. Athan. Ionam ter mortem guſtaſſe, S. Athanaſij mens eſt.

Gaſp. Sanch.

6. Oculatus teſtis Ioannes Euangeliſta puncturæ lateris Ieſu c. 19. v. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Multiplices cauſas congerunt Patres, cur percuſſuram lanceæ permiſit in cadauere ſuo Ieſus. Arridet valde illa Guarrici Abbatis ſerm. 4. in ramis Palmarum, his verbis ſignata: *Ideo quippe latus ſuum pius, & miſericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet: calor corporis refocillet, ſpiritus cordis quaſi patienti, & libero meatu aſpiret.* Ineſt cordi vitæ principium, caloriſque natiui origo, vel Ariſtotele teſte lib. de ſpiratione: *Summus animæ ardor in cordis principatu conſiſtit.* Et lib. de ſpiritu inquit: *In corde calor vehementiſſimus.* Erat Ieſu corpus extinctum, cor eius naturalis vitæ motibus functum. Sed sũmi illi charitatis ardores intus deliteſcentes per apertum latus erumpunt, vt homo tali ardore deflagret. Intra cordis anguſtias contineri non valuit clauſum ardentiſſimi amoris incendium, ſuſtulit miles ferro repagula, ruptóque latere miſſilia iaculantur è corde diuino in humana corda. Sacrum illud vulnus corporis emortui adhuc in hominis ſalutem anhelat, & vitam aſpirat. Ceſſauit in naribus Ieſu mortui ſpiraculum propriæ vitæ, apertum eſt foramen per quod ſpiraret alienã. Vitæ æternæ ſpiritus inhalat apertum oſtium in latere Ieſu.

Guarr. Apertum eſt latus Ieſu, vt eius ſpiritus in te aſpiret.

Ariſt. In corde calor vehementiſſimus.

Discvrsvs Pars II.

Vt ad Ieſum tuum te anhelantem, ſuſpirantem ſuſpires, & anheles.

1. QVID amor Ieſu à me depoſcet? quid anhelitus, ſuſpiria, animæ efflatio expoſtulat? niſi amorẽ, vt amantem redamem, in anhelantem anhelem, continuò ad Ieſum aſpirem, illius amores ſuſpirẽ. Redeo ad ſuperiorem Dauidis hymnum, in quo Ieſum anhelũ, moribundũ à pueritia ſua proſpeximus, eius titulum arcanum reſerabo. Sic habet inſcriptio Pſ. 87. *Pro Maheleth ad reſpondendũ.* verbum Hebraicum מחלת *machalath*, & Græcũ μαελὼθ, Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus, Bruno vertunt: *Chorum* Luminare Eccleſiæ magnum Auguſtinus caliginem obſcuritatis ex hoc titulo diſpulit: *Quid eſt ergo (inquit) choro ad reſpondendum, niſi forte vt canenti, chorus conſonando reſpondeat:* Et paucis interiectis locum illuſtrat, myſterium aperit: *In quo igitur myſterio dictum mihi videatur, pro choro ad reſpondendum: id eſt, vt canenti per chorum reſpondeatur, exponam. Domini hic paſſio prophetatur, dicit autem Apoſtolus Petrus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius: hoc eſt reſpondere. Solet eſſe in* choro

Titulus Pſalmi 87. expenditur. Lect. Hebr. Lect. Græc. D. Aug. *Chorus reſpõdet præcentori.*

Ieſu cantati in paſſione. reſpondemus imitatione.

choro Rhythmicus, qui acerrimâ artis normâ muſicos dirigit; Ieſus cæleſtis Præcentor chorum Eccleſiæ moderatur, vt ſibi deploranti alienas calamitates, ſuſpitanti hominum ſalutem, ſufferenti opprobria, paſſioniſque cruciatus debita imitatione reſpondeat. Attentis auribus auſcultandum Cantici huius exordium, verſ. 3. *Inclina aurem tuam ad precem meam.* Dei filius parentem ſuum alloquitur, exorat, vt aures det gratas ſuis precibus. In Hebræo eſt: *Prabe aurem tuam ſuſpirijs meis.*

Suſpirijs Ieſu reſpondendũ ſuſpirijs.

Omni lyrâ, & Cantico ſuauius reſonat Ieſu ore prolatum ſuſpirium, quis non adſtabit patulis auribus, vt ſonus ille penetret intima præcordia, pectúſque commoueat vt ab imo cordis mœrente aſpiratione anhelet, & ſuſpirium ſuſpirio compenſet. Sic enim canenti, lacrymanti, ſuſpirãti Saluatori, chorus fidelium conſonando, illacrymando, de profundo pectore ſuſpiria trahendo, reſpondet.

Primi hominis à Deo plaſmati ingratitudo.

8. In hominis plaſmatione, & terreni ſimulacri animatione, miror eius taciturnitatem, quomodo proſpiciens huius orbis theatrum pulcherrimum, agnoſcens luteum figmentum halitu oris Deifici, & idoneo torrore decoctum in carnem viuam, & pulcherrimam efflorescens, confractis ſilentij repagulis non iubilauit exclamans delibutus gaudio, & in actiones non prorupit gratiarum? Non tacuit eius ingratitudinem Rupertus, Adamum vituperans lib. 2. in Geneſim cap. 39. his verbis: *Formante Deo, & inſpirante ſpiraculum vita, factus in animam viuentem, non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vita accepta in plaſta ſui faciem, vt adoraret, & eum glorificaret, & ei gratias ageret.* Vt hominis dignitatem, & charitatem ſuam demonſtraret Deus halitu oris ſui ipſum perfundendo nobilitat, cum animarum rationis participem creat. Geneſ. cap. 2. verſ. 7. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vita.* Alij legunt: *Inſufflauit flatum, aut halitum.* Cum Deus hominem conderet ſuum delicium, animam ei inſpirans iam velut in hominem anhelabat, & velut ſuſpitabat viuificante halitu, vt homo reſpiratione in corde ſibi inſerta à Deo, in faciem ipſius Dei ſpiraret; calente, & viuifica exhalatione à diuino pectore prodeunte ſuccenſus, reciproco halitu in Dei faciem iactaret ſuſpirium. Ad Dei glorificationem obmutuit, nec corde æſtuante amore diuino, ſuſpitium emiſit. Ideo Rupertus Adami ſimplicitatem redarguit, eúmque ingratum nuncupat, ſegnem, & frigidum amatorem: *Non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vita accepta in plaſta ſui faciem.*

Rupert.

Adam ſpiraculo vita accepto, non ſuſpirauit in faciem Dei ſpirantis.

Deus inſufflauit flatum in Adami faciem.

Adam ſegnis amator.

Adami ingratitudo quomodo accipienda.

9. Non adimit Tuitienſis Abbas charitatis inſignia, quæ in primo homine refulgebant: etenim in primâ animæ creatione, charitate, & gratiâ, ornatus euaſit, excelſæ contemplationis paſtus epulis amoris diuini dulcedine deliciabatur. Prædictam tamen ſententiam ſcripſit, quia de gratificatione Adami in Scriptura diuinitus inſpirata mirum ſilentium, & nulla grati animi ſignificatio recenſetur, nec verbis, aut operibus demonſtrauit ad violenti amoris perueniſſe faſtigium, quo anima velut ignito vulneratur telo, vulnerata langueſcit, & languori ſuo præſentiſſimum apparat medicamen lacrymas, & ſuſpiria. Talis dilectio ſponſæ, quæ cùm ad huius violentiæ dulcis apicem aduenerat, cor ſuum traiectum ſenſit flammifero dilectionis ſpiculo. Cant. cap. 2. verſ. 5. *Quia amore langueo*, efferunt Septuaginta: *Vulnerata charitate ego ſum.* Hoc innatum violento amori, qui ardens, & feruens, cor medullitùs transfigit. Audi expertum

Amoris faſtigium ornatur lacrymis, & ſuſpirijs.

Lxx.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

amatorem Richardum Victorinum de quatuor gradibus violentæ charitatis diſſerentem: *Nónne tibi cor percuſſum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectúmque transuerberat, in tantum vt deſiderium, ſiue æſtum cohibere animo non valeat; deſiderio ardet, affectu feruet, æſtuat, anhelat profundè ingemiſcens, & longa ſuſpiria trahens, vt dicat: vulnerata charitate ego ſum.* Hic amor colit Dei beneficentiam memoriâ ſempiternâ, eóque anima liquefacta & exæſtuans inter corpuſculi anguſtias coarctata euolare cupit ad ſponſum, & dum ſuſpiriorum flabris lenire charitatis incendium ſatagit, magis deflagrat, & dilectum ſuſpirat.

Rich. Vict.

Charitatis iaculũ, vulnus, æſtus, gemitus, anhelitus.

10. Do tibi amantem feminam continuò anhelantem, & ſuſpirantem ſuum amatorem; iaculo amoris ſauciam, gladio doloris transfixam, & confixam clauis, & lanceâ, patibulo Ieſu, cum eoque animam efflantem, & præ doloris acerbitate, & amoris robore anhelantem, Deiparam inquam, de quâ Canticorum verba cap. 1. verſ. 13. *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur;* Expendit Rupertus lib. 1. in Cantica, & comparat cum triſti Simeonis nuncio Lucæ c. 2. verſ. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Faſciculum cruciatuum, paſſionúmque componit, & nectit, & velut olfactoriolum appendit virgineis vberibus: eſt enim mirificus ſpiritus deuotiſſimi Abbatis hoc in loco in perſonâ Virginis alloquentis: quare adſcribam quantumuis multa: *Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impijs comprehenſum malè tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari, & flagellari, crucifigi, felle, & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri. Nam tunc quidem gladius animam meam pertranſiuit: ſed antequam ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit. Prophetiſſa namque eram, & ex quo mater eius facta ſum, ſciui eum iſta paſſurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem ſemper pra oculis haberem, imò pluſquam Prophetica mente prauiderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Hoc eſt quod dico: faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. O commoratio, dulcis quidem, ſed plena gemitibus inenarrabilibus.* Hæc ex mellifluo Ruperto. Cùm virgineis pendebat vberibus Deificus puſio, vuæ ſertum ſpecioſúmque monile fœcundam vitem coronans, vuæ inquam poſtea lanceæ punctione vernantis; cum eum amplexu ſuo fouet, & ſtringit lacertis, quis humanus ſermo ſufficiet enarrare Mariæ lumina lacrymis pulcre rorantia, teneriſſimi pectoris affectus, ſolicitudine, & angore referti; gemitibus, dulciſſimiſque amoris, & doloris ſuſpirijs: Maiorem hîc laudem duxi, ea piæ commentationi relinquere, & premere ſilentio.

Deipara amor plenus paſſione, lacrymis, & gemitibus.

Rupert.

Maria prophetiſſa erat præcognouit omnes filij cruciatus.

Maria affectus amoris & doloris erga Ieſum paruulum.

11. Quid audeat ſponſa, cum ab ore ſponſi repetita depoſcit oſcula, valde auco ſcire; eius votum ſcribit Salomon cordis eius fidelis interpres Cant. cap. 1. verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vehementiſſimi deſiderij cauſas multas inueſties, ſcopum nec vix quidem; collimauit tamen ingenij dexteritate ſanctus Ambroſius: *Non* tam labra labris imprimere, & libare ſuauia ex ore Deifico cupit, arctúmque Chriſti amplexum, quo quaſi ad vitam ex deliquio, & languore reuocetur, & fugitiuam animam ore retrahat, ſed ſuauiſſimum halitum, & reſpirationem viuificam ex ore Chriſti prodeuntem colligere ambitiosè concupiſcit, vt

Sponſa in oſculo ſponſi, ſuauiſſimum halitum ex ore Ieſu libare cupit.

aiemis: *Cum Dominum in Crucem egerunt, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & terra mota appetebat fieri eis tumulus ex tempore: montes verò contra eos, voragines edebant, & valles.* Contra hoſtes Domini ſui tellus armatur, & Iudæos de medio tollentes Creatorem anfractibus ſuis, & ſaxorum rimis viuos deglutire, & tumulare concupiſcit.

DISCVRSVS IV.

Ad ea verba:

Naues Tharſis.

Varia priſcorum Patrum eruditio de nauibus Tharſis, ad componendos mores.

1. IN ſenſu Hiſtorico verbum Tharſis ſuprà expendimus. Nunc vela pandamus ad aſtlantem ſpiritus auram myſticam, bonáſque naues diriget ad portum ſalutis, improbas illidet fluctibus, aut ſcopulis contritas demerget pelagi vorticibus. Ab optimo, & ſapientiſſimo capite exordiar Ambroſio, qui Pſalm. 47. ſententiam illam: *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*, expendens: Naues cenſet eſſe corpora noſtra inter medios paſſionum nimbos præſidio Crucis ſecura, tali gubernaculo deſtituta, naufragio expoſita. Verba ſunt Ambroſij: *Naues de corporibus dixit, quæ vago diuerſarum paſſionum fluctu mouentur, & citò merguntur, niſi habeant gubernatorem, vnde & alibi ait: qui deſcendunt mare in nauibus, benè autem nauigant, qui in nauibus Chriſti Crucem ſicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora ſua dirigant ad Spiritus ſancti gratiam, in ligno Domini tuti atque ſecuri* Tali malo naues bonæ, & felices, naues inquam Tharſis diuites, & onuſtæ cœli mercibus, quæ curſum ſuum dirigunt ad ſupernæ vrbis portum, vt fida ſtatione potiantur, vbi naufragium timere non poſſint.

D. Ambr. Naues Tharſis humana ſunt corpora, Cruce Chriſti velut arborem præferentia.

2. Adhuc varidica comminatio ſuper naues Tharſis bonum omen perſonat, non enim in illas incumbit tempeſtuoſus Eurus, vt euerſum ſolo pelagus eas diſſoluat, ſed Spiritus ſancti Auſter, qui eas leniter perflet, æſtuantique flatu deſiccet humores vitiorum. Non diſſonat ab hac mente ſanctus Gregorius Nyſſenus de ſpiritu violento diſſerens, quem apud Pſalmographum Pſalm. 47. in naues Tharſis Deus immittit, de quo ſcribit homilia 14. in Cantica: *Spiritum violentum appellat eum, qui diſcipulis in cœnaculo collectis apparuit, ac primo quidem auditu eſt cognitus, quaſi ruens flatus violentus: deinde verò etiam oculis patefactus eſt, linguarum in figuram effictus, ac ſplendenti ignis naturæ ſimilis factus. Ac per hunc quidem flatum multipliciter humana in natura velut innatans vitioſitas conteritur, quam Vates hic naues Tharſis appellauit* Tanta vis eſt diuini Spiritus, & ignis vt naues Tharſis conterat, quid eſt conterere ex Nyſſeni placito, niſi natitantis vitioſitatis aqueum humorem excoquere, animámque affectibus improbis perpurgatam, & deſiccatam reddere?

D. Greg. Nyſ.

Spiritus ſancti flatus, viſus eſt violentus, qui venit ſuper Apoſtolos.

3. Eodem interpretationis, & contemplationis lenimento vſurpat Iſaiæ verba cap. 23. Hic onymus: *Vlulate* (inquit Vates num. 14) *Naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra.* Legit ſanctus Doctor in Textu: *Naues Carthaginis*, in Commentario: *Naues Tharſis.* Quæ autem ſint naues Tharſis à marinis fluctibus diſſipatæ, quid intelligentiæ præſeferat verbum Tharſis ſatis doctè, & eleganter diſcutit: *Naues Carthaginis, id eſt Tharſis iubentur vlulare, nequaquam enim vt ſupra perierunt, ſiue non venient, ſed perijt fortitudo earum. Tharſis enim ſecundum aliam interpretationem, in linguam noſtram vertitur: conſummatio ſex, ſiue letitia, in ſex autem diebus mundum iſtum factum legimus, qui iuxta traditiones Eccleſiaſticas poſtea conſummabitur. Omnia ergo bona ſæculi huius, & vniuerſus mortalium labor, incerto nauium curſui comparatur. Quod cito peritura ſint, & cuncta nauigantium fortitudo ſoluatur.* Frugiferas cogitationes iniicit Hieronymus nauibus Tharſis, ſi iuxta nominis interpretationem quod dicitur: *Conſummatio letitia*, ſibi perſuadeant homines nauigantes in ſæculi fluctibus breui omnia peritura, nil hic permanens æternitate decorum, volubili temporis, & fortunæ rotæ omnia ſubiecta vergere ſemper in deteriorem ſtatum, extremáque gaudij, & conſummatæ lætitiæ occupare luctum.

D. Hier.

Tharſis idem eſt ac conſummatio ſex, ſiue lætitia.

Sæculi gaudia cito pereunt.

4. Alteram interpretationem à veritate non aberrantem adiungit Philo Epiſcopus Carpathius in Commentatione cap. 5. Canticorum verſ. 14. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, vbi ſequutus lectionem Septuaginta vertit: *Plenæ Tharſis*, aſſeritque Tharſis idem eſſe ac *conuerſionem gaudij.* Et in hac metaphora manuum, & digitorum Ieſu plenorum hyacinthis, & Tharſis, deliteſcere animorum ſalutem, eorúmque gaudium in conuerſione: verba Philonis ſubiicio: *Tunc enim Chriſti manus tornatiles factæ ſunt, cum eas pro ſalute noſtra crudeliſſimis clauis in vitæ ligno perforatas extendit. Quæ quidem ob diuiniſſimam puritatem, & innocentiam, admirandáque ipſius opera iure aureæ prædicantur. Plenæ verò Tharſis propter gentium ad ſe conuertendarum plenitudinem. Tharſis enim conuerſio gaudij interpretatur. Cum enim Ieſus in Cruce manus ſuas extendit, tunc ad ipſum ſumma cum letitia ſe conuertit Eccleſia dicens: in velamento alarum ſuarum ſperabo.* Si hanc etymologiam nominis Tharſis ſecteris, non reſtringes ſolum ad gaudium eorum, qui relicto idolorum cultu, adſcribuntur Chriſtianæ militiæ, vel ſtrictioris ſemitæ inſtitutum adeunt, magna enim felicitas eſt quempiam apprehendere ſeuerioris vitæ diſciplinam expeditum, alacrem, & lætabundum, conuerſionémque ſuam eſſe gaudij, & lætitiæ, non triſtitiæ, & mœroris, ſed ad ſummam lætitiam, qua exultabat Ieſus in animarum reductione. Gaudet ouis, & agnus, quia ereptus à lupi rictu confugit ad Dominum, gaudet paſtor, quia reductam cernit ouem errantem: manus enim Ieſu affixæ clauis plenæ pyropis, & hyacinthis perfuſæ ſanguinis guttis, perfuſæ quoque gaudio de animarum ſalute, & conuerſione promanante: plenæ, vel iuxta Septuaginta: *Impleta Tharſis gaudij conuerſione*, vel conuerſionis hominum gaudio.

Phil. Carp.

Tharſis conuerſio gaudij eſt.

Manus Chriſti Cruci affixæ.

Gaudium Chriſti & Eccleſiæ de gentium conuerſione.

5. Etymon Tharſis aliud habemus ex ſancto Ambroſio, idem eſſe cenſet ac: *Speculatorium gratiæ*, in Pſalm. 47. hóſque ſententiarum theſauros eruit ex diuite nomine Tharſis: *Et nos igitur circumſpectemus hanc gratiam, ſpeculatores e nos ſimus, exploremus eam, vt ſiant corpora noſtra naues Tharſis. Tunc enim caro ad ſeruitutem redigitur, cum ad Dei intendimus gratiam: vt id quod amarum ad tempus*

Tharſis eſt ſpeculatorium gratiæ D. Ambr.

ſit,

ſit, ſicut eſt ieiunium, non quod dulce, & voluptarium, ſequamur. Tharſis ergo eſt ſpeculatorium gratiæ, intelligibilis ciuitas vt Sion ſuperior: ad eam feſtinabat Ionas. Qui enim animum applicat ad ſuauitatem gratiæ, quæ ex dulci Ieſu promanat, & ad ſupernam Sionis ciuitatem, in qua eſt contubernium Sanctorum, & diuina iucunditas, fit nauis Tharſis ex Ambroſij mente, & ſpeculatorium gratiæ: in terris poſitus cæleſtia proſpectat. Nec iudicat inſuauem ieiunij rigorem, ſacci aſperitatem, cum perpendit pro temporali exercitio laboris, æternæ remunerationis mercedem Deum impendere.

Naues Tharſis in quibus Magi ad patriam vecti, ab Herode contritæ & combuſtæ.

6. Hucvſque proſpera, & iucunda retulimus pro nauibus Tharſis, & huius nominis interpretamento; ſequuntur alia aduerſa, plena furoris Dei, plena iræ humanæ: ab hac exordiar, quæ aliquando deſæuit in naues Tharſis: etenim Herodes illuſus à Magis fruſtratus deſiderio inueniendi, & occidendi nouum cœli Regem cæleſti indice manifeſtatum, ira percitus naues Tharſis conſtruit, & combuſſit, & in hoc ſenſu explanant verba Pſalmi 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Optimæ notæ auctores Anſelmus, Ambroſius, Caſſiodorus, Hugo, Gloſſa, Lyranus, Carthuſianus, cuius verba recenſeo: *In ſpiritu vehementi, id eſt, in ira impetuoſa conteres Domine Deus, id eſt, ab Herode comburi permittes naues Tharſis; videns enim Herodes ſe a Magis illuſum iratus eſt valde, fecitque deſtrui naues Tharſis, eo quod audierat per eas rediſſe Magos ad propria.* Quonis ſpiritu vehementi, Euróque violento, & vrenti iracundia Herodis exarſit in naues Tharſis, eáſque in fauillas redegit.

D. Anſelm. D. Ambr. Caſ. Hugo. Gloſſ. Lyra. Carth.

Ionas naue Tharſiaca vectus fugit à Domino.

7. In Tharſiaca naui in Tharſis fugientem cernimus Ionam cap. 1. verſ. 3. *Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis a facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis: & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini.* Quis terræ tractus fuerit Tharſis ad quem pergebat Vates, quæ nauis, quæ ipſum deuexit errabundum præconem, erudité ſcribit Iulianus Petrus in aduerſariis numero 19. *Nauem illam, in quam ingreſſus eſt Ionas fuiſſe Gaditanam, quæ portauit Hieroſolymam purpuram, lanam, linum, ſtannum, cannabum, ſpartum: & inde redibat ad Hiſpaniam, quam vocat Propheta Tharſis, quaſi Tarteſſum, onerata balſamo, & alus mercibus, habens inſigne Herculis cum duodecim laboribus.* Tharſis, & Tarteſſum nuncupat Hiſpaniam, de Tarteſſo Seneca in Hercule furente, actu 2.

Iulian. Petr. *Nauis in quã ingreditur Ionas erat Gaditana.*

Sen. *Littus Tarteſſium quale ſit.*

Inter remotos gentis Heſperiæ greges
Paſtor triformis littoris Tarteſſij
Peremptus: acta eſt præda ab occaſu vltimo.

De Geryone loquitur, quem Hercules interemit; littus verò Tarteſſiacum nuncupat Gaditanam vrbem nobiliſſimum, & celeberrimum Orbis emporium, in Gentium errore, & tenebris conſecratum Herculi, nunc in Fidei luce, ſuperno, & vero numini; à Pœnis Tyriiſque nuncupata Gaddir, vt notat Salluſtius, ſeu verius ab Hebræa voce גדר *Gader*, quæ maceriam, ſeu ſepem denotat. Solinus cap. 26. *In capite Bethicæ, vbi extremus eſt noti orbis terminus, inſula a continenti ſeptingentis paſſibus ſeparatur: quam Tyry à rubro mari profecti Erythream; Pœni lingua ſua Gaddir, id eſt ſepem nominarunt.* Illud tamen Tharſis Gaditanæque vrbis incomparabile honóris, & gloriæ decus, Hiſpanos, Gaditanóſque nautas, & vectores prædicationis Ionæ primitias ante Niniuitarum Gentes ſuſcepiſſe; Fidei ſplendoribus vnius veri Dei fuiſſe illuminatos anno mundi 3216. ante Chriſtum natum 837. quod non obſcurè indigitat Ionæ vaticinium, cap. 1. verſ. 16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.* De fide, & conuerſione nautarũ nauis pergentis in Tharſis, in qua Ionas abſconditur, ex Diuo Hieronymo habemus teſtimonium: *Idcirco in mari immolant hoſtias, & alias ſponte promittunt: vota facientes, ſe nunquam ab eo, quem colere cœperant, receſſuros. Ionas in mari fugitiuus, naufragus ſaluat nauiculam fluctuantem: ſaluat ethnicos in diuerſas prius ſententias mundi errore iactatos.* Et ex ſancto Cyrillo Alexandrino in Ionam: *Non modicam vtilitatem percipiunt. Vnum & natura Deum eſſe credunt, tametſi abſurdis erroribus diſtreparent, & mille mundi Deos eſſe opinarentur. Quare naturali, & vni, ac vero Deo ſacrificant, ſuis deſertis, & valere iuſſis omnibus, quibus decepti cultum adhibuerunt; quibus gloriam Deo debitam ſuffurati erant. Promittunt inſuper vota, licet id marinis Dæmonibus facere conſueuerant.* Dei furor mariſque tempeſtas contra Ionam, & nauem Tharſis excitata eſt, ſed ſi Fidei primordia ex Ionâ Gaditani ſuſcipiunt, tempeſtas illa, nauiſque agitatio non ad ruinam, & naufragium nauis Tharſis, & Tharteſſiacæ Gentis, ſed ad felicitatem, & ſalutem à Deo immiſſa.

Galitani nautæ & vectores à Iona conuerſi ...

Eorum Fides.

D. Hier.

D. Cyril.

Naues Tharſis contritæ propter regũ crimina.

8. Adhuc naues Tharſis contritas, & immerſas maris fluctibus cernes propter Regum improborum crimina, lib. 2. Paralip. cap. 20. verſ. 35. *Poſt hæc iniit amicitias Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Iſraël, cuius opera fuerunt impiiſſima. Et particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharſis: fecerúntque Claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat, dicens: quia habuiſti fœdus cum Ochozia; percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis. quo ſignificatur* (inquit Ambroſius in Pſalm. 47.) *Quod præuaricantium mandatum Dei opera ad conſummationem gratiæ peruenire non poſſunt. Ad Salomonem autem vtpote ſapientem, & pacificum virum naues de Tharſis cum auro, & argento, & dentibus eburneis ſine vlla offenſione veniebant, & eò ipſe mittebat. Habebat enim cum Rege Hiram ſacræ negotiationis ſpiritale commercium, & mutua gratia concertantis affectum.* Hæc Ambroſius comparans naues Tharſis Ioſaphat, & Salomonis.

D. Ambr.

9. At ſanctus Hieronymus ſcribit onus diuinæ comminationis in naues Tharſis vtriuſque Regis incubuiſſe, in c. 2. Iſaiæ hæc habet: *Habuit & Ioſaphat naues, quas mittebat in Tharſis: ſed contritæ ſunt in Aſiongaber. Habuit & Salomon, quæ ibant in Tharſis: & poſt tres annos reuertebantur, afferebántque Regi argentum, & aurum, ebur, & ſimias. Sed quia Rex vterque peccauerat: alius deditus voluptati, & externarum gentium amans fœminas: alius ſe cum Rege Samariæ copulans.* Hucvſque Hieronymus, in cuius verbis pendet animus, in iiſque videtur deficere aduerſatiuam ſententiam illam, *Ideóque contritæ ſunt naues.* Labecula hæc latinitatis non eſt Hieronymi in omni literatura magni maximi, ſed ſomnolentiæ, & incuriæ librariorum. Ea tamen eximiæ moralitatis documenta continent. Nimirum crimina Regum elementa turbare, excitare turbines, conquaſſare naues, ad cautes illidere, vorticibus maris immergere, auri argentique Theſauros,

D. Hier. *Naues Tharſis Ioſaphat & Salomonis diſſipatæ.*

Verſ. 22. Quieſcite ergo ab Homine cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.

Locus difficilis, & celebris ex profeſſo enodatur.

1. **D**ECVRRIT tandem Commentatio ad locum celeberrimum & difficillimum, in cuius enodatione Neoterici Commentatores multum laboris impendunt, ideo ex profeſſo enucleandus, comma hoc capitis poſtremum & coronis apud Lxx. ſeniores non inuenitur, tametſi in aliquibus Græcis exemplaribus legatur: *Quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in naribus: in quo enim reputatus?* Sub aſterico notatur ab Origene, & Procopio; & addita eſt ex Hebræo ab Aquila, vt aduertunt Hieronymus, Cyrillus, & Baſilius: *Cur autem tam euidens de Chriſto prophetia* (ait Doctor Maximus) *à Lxx. Interpretibus ſit prætermiſſa?* Occurrere poteris dubio: iniuriâ temporis intercidiſſe, aut Iudæorum fraude in verſione Seniorum expunctam; ſicut de aliis locis fatetur ſanctus Iuſtinus Martyr Dialogo contra Tryphonem.

Lect. Lxx. — Orig. — Procop. — Aquil. — D. Hier. — D. Cyrill. — *Cur tã euidẽs de Chriſto vaticiniũ à Lxx. Senioribus prætermiſſum.* — D. Iuſt. Mar.

Varia interpretamenta diſcutiuntur. Primum. — Arias Mont.

2. Videamus ſingulorum interpretum placita. Primò Arias Montanus ſtrictè accipiens verſionem Hebraicam in ſuo fonte: *Deſiniie ab Adam: qui ſpiraculum in nare eius, nam in quo reputabitur.* De primo patente Adam interpretatur; in quo ſenſu ſententia apparebit detruncata ab antecedentibus verbis, cum quibus nulla dabitur cohærentia: adde gratis inuentam Commentationem.

Secundum. — D. Chryſ.

3. Sanctus Chryſoſtomus in hac clauſula: *Quieſcite ab Homine*; hominem intelligit Regem Ezechiam in Ieroſolymitana obſidione poſita ab exercitu Aſſyriorum, duce Sennacherib, præ timore & angore animi in extremo halitu conſtitutum. Cum enim Barbari flocci eum ducerent, & quaſi feram venatione captam exiſtimarent; euentus victoriæ liquido monſtrauit, magni apud Deum eſſe reputatum, & iuxta hunc ſenſum Aſſyrios eſſe, qui ſe coniecerunt in latebras & ſpelæa cum ſuis ſimulacris, eáque propter imbecillitatem veſpertiliones vocat; fugientes à luce & facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis eius, quando ſurrexit percutere centum octoginta quinque millia. Expoſitio hæc propter tanti Doctoris auctoritatem ſpeciem probabilitatis præ ſe ferre videtur; attamen cum omnes milites necati iacerent, qui reſidui extiterunt vt cum ſuis Diis fugam capeſſerent, & ingrederentur ſaxorum ſpeluncas? de iis teſtatur Iſaias cap. 37. verſ. 36. *Et ſurrexerunt mane; & ecce omnes cadauera mortuorum.*

Tertium. — D. Hier. — D. Baſil. — Rupert. — Lyra. — *Spirare idem eſt, ac viuere.* — Tertull.

4. Tertia Commentatio obuiis vlnis accepta, de Chriſto Domino eſt: ſectantur illam Hieronymus, Baſilius, Rupertus, Lyra, & fere omnes Recentiores; ſed in ea adhuc diſſentiunt: alij ſpiritum accipiunt pro ſpiraculo, & vitali halitu, qui naribus flatur, vt vitam indicet, ita citati Patres cenſent. Eam, ſi placet, illuſtra ex Tertulliano lib. de anima, cap. 10. *Quid eſt, oro te, ſpirare? flatum opinor ex ſemetipſo agere, quid eſt non viuere? flatum opinor ex ſemetipſo non agere, hoc enim reſpondere debebo, ſi non idem eſt ſpirare, quod viuere, ſed mortui erit non agere flatum, ergo viuentis eſt agere flatum: ſed ſpirantis eſt agere flatum, ergo & ſpirare viuentis eſt.* Iuxta hæc, verba Iſaiæ expenduntur: quieſcite ab Homine, qui licet naribus emittat ſpiritum, & viuat; ſicut Homo, excelſus reputatus eſt.

Quartum.

5. Alij ſpiritum habere in naribus idem eſſe cenſent ac iram, vindictam, furorem, qui flatu, & ſpiratione narium oſtenditur; Lyranus, Foterius, quos ſectati ſunt Delrio in adagiis ſacris tom. 1. adagio 139. ex quæſtionibus Sanchez, Aluarezque interpretamenta mutuarunt, apud quos ſic verba nectuntur: cauete vobis, timete vobis ab homine illo, ne naribus fumet, aut ſpirans ſit iræ minarum, cædiſque; Hiſpanè dicimus: *No ſe enoje, no ſe le ſuba el humo a las narices.*

Spiritus & halitus pro furore & vindicta. — Lyra. — For. — Delr. — Sanch. — Aluar.

Quarta interpretatio ad examen vocatur.

6. Miror Neotericos tam frequentes in hanc ſententiam ire, pace tantorum virorum vnum in hac interpretatione diſplicet, in quo omnes conſentiunt, quod concluſio illa: *Quieſcite ergo ab Homine.* Sit prudens Iſaiæ exhortatio, vt ſibi caueant, timeant, aut adhibeant cautionem, illúmque virum reformident, qui exteriori habitu inuentus vt Homo, Deus excelſus eſt, iram naſo efflat, iracundiæ flammas halitu ſuo aſpirat, vt hoſtes interimat, itaque nectunt Deum naſo ſuo minas & iras ſpirantem, cum formidine, & cautione Iudæorum, vt homini illi iras iactanti formidinem opponant: pauor enim & metus permanens, & cautio qua à malis declinamus, de imminenti furore eſt, aut impendenti malo, vel de eo qui res aduerſas honori hominis aut vitæ molitur: ritè ſanctus Thom. 1. 2. quæſt. 41. art. 2. corp. ait: *Obiectũ timoris eſt malum futurum difficile, cui reſiſti non poteſt.* Et Cicero in Tuſculanis; *A malis naturâ declinamus, quæ declinatio ſi cum ratione ſit, cautio appellatur, vbi enim malum non expectatur, nec cautio adhibetur, nec timor oritur.* Quapropter in præſenti conuertibiles ſunt furor & ira Domini in iis verbis; *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt*; cum timore, formidine, & cautela Iudæorum in iſtis: *Quieſcite ergo ab homine.* Quod ſi probauerimus Iſaiæ verba non continere aut exprimere formidinem, vel timorem, difficultatem proculdubio ingeret lectori communis illa interpretatio de naſo Domini iras ſpirante.

D. Thom.

Locum non admittit in præſenti vaticinio. Virtus verbi Hebraici Chadal, quæ ſit.

7. Quod verò ſenſus ille, cauete, timete ab Homine locum inuenire non poſſit, oſtenditur ex verbo Hebraico חדל *chadal*, quo vtitur Iſaias; id nullibi in ſacra Scriptura denotat timere, aut formidare, aut cauere, ſed tantummodo, *Ceſſare, deſiſtere, abſtinere, quieſcere.* Geneſ. cap. 2. *Ceſſauerunt ædificare Ciuitatem.* & Iudic. cap. 5. *Ceſſauerunt fortes Iſrael.* Iſaiæ cap. 1. *Quieſcite agere peruerſe.* Iob cap. 3. *Impy ceſſauerunt à tumultu.* Denotat verbum, ceſſationem, quietem ab ira, à tumultu, à maledicentia, ab impio conſilio, & vniuerſè à quocunque opere. Exemplum quod affert Foterius ex lib. 2. Paralip. cap. 35. verſ. 27. quòd ibi verbum *chadal* idem ſit, ac cauere, timere, non eſt admittendum, nam vulgatus tranſtulit: *Deſine aduerſum Deum facere.* Quare Brixianus in Arca Noë cum verbum חדל per omnes coniugationes inflectat, locum prædictum Paralip. vertit: *Ceſſare ſibi à Deo.* & Santes Pagninus: *Deſine à Deo.* Accedit quod verbum Græcum παύω quod repetitur apud Lxx. in Biblia Complutenſi; & Regia idem eſt ac; *Deſino, ceſſare facio, finem impono*; Demoſthenes apud Budæum explicat: *Reprime inſolentiam*: Ariſtophanes: *Siſte ſermonem & inhibe.* Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 2. *Deſinant ergo qui oppugnant Spiritum ſanctum*: Et apud Iſaiam Græci Patres Chryſoſt. Baſil. Procopius concorditer legunt: *Quieſcite.* Baſilius in Commentario: *Ceſſate vos.*

For. — Brixia. — S. Pagn. — Lect. Lxx. — Bibl. Comp. — Regia. — Demoſth. — Bud. — Ariſt. — D. Greg. Naz. — D. Chryſ. — D. Baſil. — Procop.

Quæ in ſententia ſit ... in ... paſsiuis.

8. Quapropter illa Iſaiæ ſententia: *Quieſcite ergo ab homine*, non eſt exhortatio vt caueant, aut ſibi timeant ab homine, cui ſpiratio in naribus, nec

ſpiritus in naribus, hoc in loco excandeſcentiam monſtrat, aut iræ minas quas habet in promptu Dominus aduerſus iniquos, quia vbi metus non eſt, aut cautio, nec obiectum rimoris inuenitur, impendens malum, aut iracundia imminens, iræ fumus, aut ſpiraculum furoris aliis ſacræ Scripturæ locis relinquatur; nam in hoc commate longe diuerſus apparet verborum nexus; compaſſionis affectu admonet vates Iudæos vt abſtineant à nequitia, deſiſtant ab iniquo conſilio, quieſcant ab impio facinore comprehendendi & crucifigendi Ieſum, reprimant execrationum inſolentiam: feroces enim Iudæorum animos, & liuore ardentes in Saluatorem, reprimere cupiens diuinus vates: ceſſate; inquit, & deſinite à crudeliſſimo flagitio; ſicut Cain admonebat Deus: *Peccaſti, quieſce.* Sic Iudæos, ne conſilium occidendi Chriſtum in opus erumpat: ſolidam & veram acoluthiam verborum inuenit Caſſianus lib. 5. de incarnat. cap. 5. cum Iſaiæ ſententiam iuxta vulgatum interpretem retuliſſet ſubiungit: *Pulchrè autem dicens: quieſcite, verbo vim prohibentis inquietudinem perſecutionis expreſſit: quieſcite, inquit, ab Homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe, numquid non vna eadémque ſententia, & humani corporis ſuſceptionem, & Dei loquutus eſt veritatem? quieſcite ergo ab homine,* &c. *Nónne tibi quæſo palam alloqui perſecutores Domini videtur, dicens: quieſcite ab homine quem perſequimini, quia hic homo Deus eſt.* Argutè quoque Abulenſis in cap. 2. Geneſ. q. 2. ſcribit: *Quieſcite ab Homine, id eſt ceſſate, ne offendatis eum.*

Caſſian.

Prima Commentatio.

Loci interpretatio examinãda proponitur lectori.

8. HOc verborum nexu ſuppoſito age pro facultate noſtra locum explicemus, aliam interpretationem non tam aſſerentes, quàm examinandam Lectori proponentes. Primò, ſententia illa: *Cuius ſpiritus in naribus*, eſt firmum Iſaiæ argumentum ad comprobandum Chriſtum Dominum, non ſolum eſſe verum hominem, ſed eſſe Deum viuum per oppoſitionem quandam ad idola, quæ Iudæi priſcis temporibus Regum Iſraël, quibus Iſaias vaticinandi munere fungebatur, venerati ſunt; & per contrarietatem, ad figmenta vana & cæca ſimulacra gentium barbararum, quibus eſſe diuinum attribuebant, ipſa enim nec vitali halitu perfruuntur, nec habent ſenſum vitæ, nec naribus ſpiritum trahunt, at Homo iſte cuius diuinitati acerrimè contradicitis, & vitam inſectamini, naribus afflat ſpiraculum vitæ, & excelſus Dominus eſt. Scriptura ſacra cum ſermonem de idolorum figmentis inſtituit, hoc potiſſimum ſignum exhibet fictæ Deitatis & emortuæ, quòd in naribus fictilium non eſt halitus vitæ Pſal. 134. verſ. 17. *Neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum:* Chaldæus legit: *Nec eſt ſpiritus viuens.* Hebræus: *Nec eſt ſpiritus in naribus.* Non enim naribus ſpiritum vitæ hauriunt aut efflant, Sapient. cap. 15. verſ. 15. *Quoniam omnia idola nationum Deos æſtimauerunt, quibus nec oculorum vſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum.* Ierem. cap. 10. verſ. 14. *Confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniã falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis.*

Halitus in naribus Ieſu verum hominem, & verũ Deum comprobat.

Lect. Chald.
Lect. Hebr.

Vis & ſignificatio verbi Naſam.

9. Prædictam Commentationem illuſtrat verbum Hebraicum נשם *Naſam*, quod reſpondet verbo *ſpiritus*, nam ſpiritus & vita duplici nomine potiſſimum exponitur in ſacra literatura, videlicet רוח *ruach*, & נשם *Naſam*, & licet vtrumque verbum ſpiritum & halitum vitæ inſinuet; Naſam ſtat pro famoſiori, & præcipuè vſurpatur, pro anima rationis participe, & immortali, vt notat Santes Pagninus; & apertè indicat Paulus 1. Corinth. cap. 15. verſ. 14. *Factus eſt primus Homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Pro viuificantem eſt Hebraicè נשם *Naſam*, ad ſignificandum nouum Hominem de cœlo cæleſtem, qui non ſolum viuit vita hominum naturali, ſed ſpirituali, & diuina, vtpote qui ſit fons vitæ; eſſe & viuere ſecundum naturam, & ſecundum gratiam aliis hominibus largiatur. Cum ergo Iſaias de Chriſto vaticinatus verbum נשם *Naſam* ſcriberet, non ſolum indicat inſtar viuentis Hominis ſpiraculum vitale naribus haurire, & afflare, ſed viuere vita rationali, & prorſus cæleſti, & vtramque vitam Hominibus conferre proponit nimirum vates Chriſtum Dominum tanquam fontem ſpirationis & halitus, vitæque ſpiritualis perpetuam ſcaturiginem; à quo vita, ſpiritus, anima iugi ſcatebra deriuatur, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Hic eſt, qui protoplaſto inſpirauit, inſufflauit in faciem, aut iuxta Hebræum, *In nares flatum aut ſpiraculum vitæ.* Qui apud Iſaiam, inquit, cap. 57. *Spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego facio.* Oſtendit ſe Creatorem animorum & ſpiratorem ſpirituum ex communi ſenſu Patrum.

Naſam fontem vitæ naturalis, ſpiritualis & cæleſtis denotat.

10. Prædictæ expoſitioni conſonant alia diuinæ Scripturæ teſtimonia. Iob cap. 26. verſ. 4. *Quem docere voluiſti, nónne eum qui fecit ſpiramentum?* & Paulus vt Deum viuentem, vitámque omnibus conficientem adſtrueret, ignotique Dei ſimulacrum, & vanum cultum exploderet, apud Athenienſes hoc ſermone vſus eſt, Act. cap. 15. verſ. 25. *Deus non in manifeſtis templis habitat indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia.* Syrus legit: *Vitam & animam.* Caietanus doctè commentus: *Dedit Deus vitam & halitum omnibus viuentibus ac reſpirantibus.* Illuſtris eſt Ieremiæ locus cap. 4. verſ. 20. iuxta literam de Chriſto accipiendus: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Aquila legit: *Spiritus narium noſtrarum* Symmachus: *Flatus narium noſtrarum*, quæ verba non in ſolo ſenſu Origenis vſurpanda, qui habetur in Catena Græcorum Patrum: *Qui Deum amant ſemper Chriſtum ſpirant, præ oculis illum habentes;* ſed quod ſit perpetua ſcaturigo vitalis halitus & ſpiritus: innuit ergo Iſaias in illo commate: *Cuius ſpiritus in naribus*, non tantum viuere aut perfrui huius lucis vſura, vt cenſent Patres in tertia expoſitione relati; id enim mirum non eſſet, in homine viuo, veráque & non phantaſtica humanitate prædito; ſed eſſe vitalis halitus & animæ largitorem.

Lect. Syr.
Caiet.
Cur Ieſus dicatur ſpiritus narium noſtrarum.
Aquila.
Sym.
Orig.
Cat. Græc.

11. Porrò halitus ille in naribus denotare poteſt Spiritum ſanctum, qui tanquam à principio procedit à Filio, ſicut enim expiratio efformatur in pectore ab eóque oritur tanquam à fonte, ſic ſpiratur Spiritus ſanctus à Filio; hoc inſinuauit Ieſus è vita mortali ad immortalem reſurrectione tranſlatus, nam Spiritum ſanctum Apoſtolus largiturus, in eorum faciem inſufflauit. Ioan. cap. 20. v. 22. *Hæc cùm dixiſſet inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Hoc autem Ieſus effecit iuxta Cyrilli Alexandrini mentem, vt intelligamus ipſum eſſe verbum illud, & principium in quo Pater Adam efformauit, & Creatorem, *Qui inſufflauit*

Spiritus in naribus Chriſti ſignificat Spiritũ ſanctum.

D. Cyr. Alex.

flauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, tum etiam: *Spiritum ſuum Chriſtus in diſcipulos immittit, & ad hoc intelligamus fontem & largitorem ipſum ſpiritus eſſe: hac enim de cauſa dicebat: omnia quæ habet Pater mea ſunt, habet autem Pater ex ſeipſo, & in ſeipſo ſpiritum ſuum, habet etiam ſpiritum filius in ſeipſo, cum ſit patri conſubſtantialis, & ex ipſo naturaliter natus,* lib.12. in Ioan. cap.56. & erit ſenſus ex prædictis elicitus: ceſſate, quieſcite à homine, à quo tanquam à diuino numine, ſpiratio, vita animi, halitus corporis, & ſpiritus ipſe diuinus emanat.

Secunda Commentatio.

In ſecundo interpretamento, non excandeſcentia, ſed clementia emollire ſatagit vates Iudæorum pectora.

12. LOngè diſtat à Dei excandeſcentia, nec ſpiritum furoris perterrefacere cupit Vates Iudæos vt abſtineant ab inſidiis cœlo intentatis, & à ſcelere Deicidij, ſed clementia & pietate, amotiſque diuini blandimento emollire curat ferrea Iudæorum pectora, & inſanientes in Ieſum ad ſanam mentem reuocare: *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt*, hoc eſt deſiſtite à nece Hominis, qui licet inſectatus veſtris ſannis & maledictis, principum & Phariſæorum ſycophantiis vexatus, doliſque & opprobriis impetitus, propter vos anhelat, veſtram incolumitatem concupiſcit, pro animarum ſalute dulcia mittit ſuſpiria. Hic affectus aptiſſime denotatur illâ ſententia: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* Colligitur ex Hebræo נשם *Naſam*, quod inter alia illud ſignificatum amplectitur ex Brixiani ſententia in Arca Noë: *Anhelare, ſpiritum emittere*, ſeu *ſuſpirium*, anhelitus ſeu ſuſpirium efformatur, cum ſpiritus compreſſus ex profundo pectore in nares trahitur: de ſuſpirio Ariſtoteles lib. de ſpiratione, inquit: *In laboribus enim flagrantioribus magis caleſcimus, & ſpirandi vehementiori tenemur deſiderio, & vehementiores trahendi ſpiritus viciſſitudines ſubimus.* Ibidem aſſignans diſcrimen inter aſpirationem oris & narium, inquit: *Per arteriam ex pectore & per nares ſpiratio agitur, nec vero per nares ſpirare licet, niſi ſpiratio quæ ex pectore prodit, efficiatur.* eodem libro illud repetit: *Illud calidum eſt, quod ſpirando eijcimus: frigidum quod inſpirando trahimus, at cum calor vrget, ſuſpirantes ſpiramus.* Diximus de formatione & origine ſuſpirij, videamus quid indicet.

Spiritus in naribus pro anhelitu, & ſuſpirio vſurpatur.
Brixia.
Ariſt.
Natura & origo ſuſpirij.

Quid ſuſpirium denotet.

13. Solet eſſe ſuſpirium ſignum vehementis ſolicitudinis, & anxietatis, doloris, mœſtitiæ, aut ardentiſſimi amoris demonſtratio; habemus ex prophanis.

Seneca in Medea, Act 3.

Senec.

Furoris ore ſigna lymphati gerens,
Flammata facies ſpiritum ex alto citat
Proclamat; ô ſuperi; oculos fletu rigat.

Ouid. lib.2. Metaph.

Ouid.

—— Præſagáque luctus
Pectore ſolicito repetens ſuſpiria dixit.

Epiſt. 20.

Ingemit, & tacito ſuſpirat pectore.

Tibul. lib.4. eleg.5.

Tibul.

Quod ſi fortè alios iam nunc ſuſpirat amores.

Et Cicero lib.4. ad Heren. ait: *Anhelitus ex imis pulmonibus pię curę ſpiritus ducebatur.* Quæ omnia aptiſſima ſunt, vt in iis verbis cuius ſpiritus in naribus eius eſt, exprimeret Propheta ſacrati pectoris Ieſu tenerrimos affectus, exiſtimo enim ſicut dolorem, triſtitiam, famem, ſitim, laſſitudinem; aſſumpſiſſe quoque, & habuiſſe anhelitus & ſuſpiria inuenies apud ſacros Euangeliſtas Chriſtum amorem ſpirantem, ex laſſitudine & defatigatione anhelantem, cum Samaritanam quærit, & crebras amore hominis ſpirationes è pectore emittentem. Cum ſurdum, & mutum reſtituit ſanitati Marci cap.7, verſ.34. *Suſpiciens in cœlum ingemuit.* Veroſimile eſt in oratione miſiſſe crebra ſuſpiria, quæ hominem in lucta, & agonia conſtitutum comprobarent, & eſſent indicia, quàm immenſo amore ſacratum illud pectus æſtuabat.

Cic.

Ieſu anhelitus, & ſuſpiria propter hominis ſalutem.

14. Id quod de Sole materiali metaphoricè profertur Eccleſiaſt. cap.1. verſ.5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur*; de Sole iuſtitiæ propriè accipe; Aquila legit: *Ad locum ſuum aſpirat.* Chaldæus: *Anhelat*, hunc anhelitum expreſſum reperies apud Regium pſaltem Pſalm.81. verſ.26. *Et in laboribus à iuuentute mea.* Alij ex Hebræo apud Lorinum vertunt: *Deficiens, moribundus, animam efflans, expirans*, quod idem eſt: *Ac habere ſpiritum in naribus.*

Vera interpretatio ex alijs locis oſtenditur.
Aquil.
Chald.
Lect. Hebr.
Lorin.

15. Iuxta dicta poterit & alius ſenſus ſic recitatorum verborum: *Quieſcite ergo ab homine*, afferri in hunc modum, ſi dicamus, cum emphaſi, & commiſerationis affectu ab Iſaia fuiſſe prolata: ſpiritu agnouit vates omni lamentatione dignum ſpectaculum, quando Pilatus Ieſum flagris cæſum, corpus cruciatibus liuidum, vultum ſputis deformatum, ſacratum verticem ſentium cuſpidibus terebratum, caput plexu ſpinarum, & vulneribus inhorreſcens Iudaico populo demonſtrauit dicens: *Ecce homo*, Ioan. cap.11. vt Iudæos ad pietatem flecteret, & adamantina pectora molliret. Eundem animum Vates, & præſes eundémque miſerationis affectum exprimunt verbis, ille fans; *Quieſcite ab homine*; iſte clamans: *Ecce homo*, intuitus eſt Iſaias Ieſum inhonorum, ſpeciem vultus deturpatam, flagellis, ſpinis lacerum, quod confuſæ turbæ ad deſpectum & opprobrium apparet; auſcultat prophetico auditu confuſas Phariſæorum vociferationes clamantium: *Tolle, tolle. Crucifige, crucifige*: Illacrymans fatur: *Quieſcite ab homine* Simili affectu miſerationis tangebatur Præſes; eò enim intendebat Pilati animus, cum hanc hominis oſtendit imaginem, vt eos ad miſericordiam commoueret, & reprimeret inſolentiam, mortem Ieſu poſtulantium, ſancti Cyrilli verba ſunt notatu digna, lib.12. in Ioan. cap.17. *Monſtrauit iniquè flagellatum, & à militibus iniquè illuſum rerum omnium Dominum, miſerabilique hac re iram eorum ſedare poſſe putauit.* Eadem eſt Chryſoſtomi ratio hom.83. in Ioan. eadem Caietani mens: *Dixit ac fecit hoc Pilatus, vt monſtratus Ieſus cum tanta confuſione, exiſtimaretur nunquam conuerſaturus inter homines, ac per hoc ceſſarent ab impetitione mortis.*

Ieſus populo oſtenſus à Pilato dicête Ecce homo, ab Iſaia proponitur.

Oſtendit Pilatus Ieſum flagellatum vt illius miſereſcerent, & ab eo quieſcerent Iudæi.
D. Cyrill. Alex.
D. Chryſoſt.

16. Huius ſpectaculi ſcopum collimatum à præſide obſeruatè & ſcitè expendit ſanctus Auguſtinus cap. 116. in Ioan. *Vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent; egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: Ecce Homo: ſi Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis, flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, amaris conuitijs illuſus eſt,* alapis

D. Aug.
Pilati intentio in hoc Ieſu ſpectaculo.

alapis caſus eſt , feruet ignominia , frigeſcat inuidia: quæ Aurelij aurea verba non tantum illius ſententia : *Ecce homo , ſed alterius, quieſcite ab homine,* ſunt illuſtre Commentarium.

Salm. *Carnifices veſtimentum eleuarunt, vt totū corpus Ieſu liniuidum Iudæis manifeſtaretur.*

17. Addit Salmeron nouum miſerationis incitamentum à Pilato fuiſſe commentatum , vt coram multitudine ſacratum purpuræ velamentum carnifices eleuarent , corpúſque Ieſu, detectum & nudum vulneribus,& liuoribus denigratum appareret, vt illius miſereſceret populus ad *ecce Homo,* ſic ſcribit lib.30.tom. 10. *Dixit hoc vt commoueret eos ad commiſerationem , & eum oſtenderet Ieſum Pilatus, miniſtri eleuauerunt veſtimentum , quemadmodum Sacerdoti hoſtiam eleuanti vel thurificanti fit, factóque circulo dixit eis : Ecce Homo , vt totum eius corpus lacerum, & flagellis caſum, laniatumque & ſanguinolentum appareret.*

Gaſp. Sanch. *Oſtendit Ieſū Pilatus Iudæis, vt à morte petēda ceſſarent, & quieſcerent.*

18. Prædictæ Commentationi aptiſſima ſunt verba Gaſparis Sanchez ſerm.de Paſſion. Diſc.21. *Vt Pilatus exiſtimauerit illius aſpectum ſufficere ad placandum, & emolliendum obdurata corda Iudæorum, vt nihil amplius exigerent, & à morte Chriſti petenda ceſſarent. Ecce Homo, quaſi diceret humanitas poſcit, vt à pluribus ſupplicijs iam ceſſemus : quieſcat igitur indignatio veſtra, & pro hac vice ſufficiant , quæſo, huiuſmodi cruciatus , nec enim timendus eſt homo penè mortuus, & illico moriturus,* id quod indicabant verba Pilati miſericordia commoti exprimebat Iſaiæ verba : *Quieſcite ergo ab homine* ; vt reprimerent, inquam eorum inſolentiam, flagellatione Iudæi & coronatione quieſcerent , & ad Ieſu mortem turpiſſimam poſtulandam non proſilirent.

Verſio Lxx. *cum hac cōmentatione conciliatur.* Schol. Lxx. D.Baſil. D.Chryſ. D.Auguſt.

19. Quare iuxta conſilium & animum Pilati commouentis ad pietatem , remouentis ab ira Iudæos non erit diſſona verſio illa huius loci, quam referunt Scholia Lxx. *Quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in nare eius : in quo enim reputatus eſt ?* vel iuxta ſanctum Baſilium legentem: *Quia in quo reputatus eſt ?* Lectionem citat & expendit Chryſoſtomus: *Hoc eſt in nullo reputatus eſt,* hoc eſt, quod Auguſtinus ſuperius expoſuit: *Si Regi inuidetis iam parcite, quia deiectum videtis,* in quo enim homo ſic laceratus & abiectus reputatus eſt ? *Nec enim* (loquor cum Sanchez ſupra) *timendus eſt homo pene mortuus.*

Tertia Interpretatio.

In tertia Cōmentatione ſpiritus pro anima accipitur. Ariſt. D.Iſid.

20. SPIRITVM pro vita vel anima accipit iuxta ſacræ Scripturæ mentem , ex dictiſque interpretamentis liquet. Rectè philoſophatur Ariſtoteles lib. de ſpiratione : *Viuendi & moriendi rationem, ſpiratione, atque expiratione contineri.* Eãdem phyſiologiam tradit ſanctus Iſidorus lib. 11. etymol.cap.1. *Spiritum idem eſſe quod animam, Euãgeliſta pronuntiat dicens , poteſtatem habeo ponendi animam meam , & rurſus poteſtatem habeo ſumendi eam : de hac quoque ipſa Domini anima , paſſionis tempore memoratus Euangeliſta ita protulit dicens, & inclinato capite emiſit ſpiritum, quid eſt enim emittere ſpiritum , niſi animam ponere? ſed anima dicta propter quod viuit : Spiritus autem vel pro ſpirituali natura, vel pro eo quod inſpiret in corpore.*

In Ieſu poteſtate viuere & mori.

21. Hæc philoſophia de ſpiritu & anima , ad Chriſtum tranſlata hanc intelligentiam nobis ſubiicit, deliteſcentem in illa Iſaiæ ſententia : *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt* , vt idem ſit ac ſi diceret : in cuius poteſtate eſt viuere & mori , ſicut enim in hominis beneplacito ſitum naribus flare, halitum emittere, aut breui temporis ſpatio illum comprimere, aut continere, ita in Chriſti poteſtate fuit animam ponere , & illam reſumere, iuxta illud Ioan. cap.10. verſ.17.18. *Propterea me diligit Pater , quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam : nemo tollit eam à me , ſed ego pono eam à meipſo , & poteſtatem habeo ponendi eam , & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Hanc Deificam poteſtatem extremo vitæ halitu potiſſimum demõſtrauit, cum in Cruce , voluntariè expirauit , vel iuxta Matthæum Euangeliſtam cap. 27. verſ. 50. *Emiſit ſpiritum*, id annotauit egregiè ſanctus Hieronymus : *Diuinæ autem poteſtatis indicium eſt emittere ſpiritum , & ipſe quoque dixerat : nemo poteſt tollere animam meam à me, ſpiritum enim in hoc loco animam intelligamus* : & eſt perſpicuus ſenſus verborum Iſaiæ : Quieſcite ab improbitate , ne machinemini mortem in Ieſum , quia non occumbit iuxta veſtrum conſilium inuitus , ſed voluntarius; mors iſta quæ eſt argumentum veſtræ iniquitatis, effectus eſt mirabilis ſuæ præſcientiæ & electionis , ſub dominio namque & poteſtate ſua habet vitam & mortem; etſi ſtruatis inſidias, vt eum dolo & impoſturis teneatis , cum de medio tollatis, & turpiſſima morte condemnetis , vt nomen eius non memoretur amplius , irrita euadent iniqua conſilia , & inanes meditationes peribunt, nam ſicut ſpirare , & ſpiritum emittere ſub arbitrio ſuo extitit , ita animam & vitam poſt mortem recipere , & halitum vitæ naribus afflare in poteſtate ſua eſt, ideo inquit Vates: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt.*

D.Hier.

Ieſus moritur non inuitus, ſed voluntarius.

Iudæorum iniqua conſilia à Ieſu diſturbata.

22. Hoc interpretamentum non obſcurè indicant verba Ruperti Abbatis lib.1. in Iſaiam , c.11. *Quieſcite,* inquit, *ab homine cuius ſpiritus in naribus eius , quis enim ille eſt, niſi hic, quem occidiſtis , cuius ſpiritum de naribus eius eiecistis , licet ille quando voluit ſpiritum de naribus ſuis emiſerit ab iſto quieſcite, nam ſpiritus eius in naribus eius eſt : reſurrexit , ſpiritus eius in naribus eius recuperatus eſt.* Hæc ille.

Rupert. *Iudæi à Ieſu naribus ſpiritum eiecerunt, ſed ipſe illum reſumpſit.*

Quarta Interpretatio.

23. ILLI ſententiæ , *Cuius ſpiritus in naribus,* aſſignari poteſt , ſi ita accipiamus halitum & odorem qui naribus percipitur, vt ſit prouerbialis locutio ad demonſtrandum Chriſti Domini præſcientiam , & cognitionis acumen , quo hoſtium intima conſilia percalluit , ſic enim vſurpatur odorari pro reſciſcere , diligenter inueſtigare, callidéque explorare hominem , quid habeat animi , vnde naſutus & emunctæ naris dicitur , qui alium ſagaciter deprehenſum , atque animaduerſum cognoſcit. Pulcrè ſanctus Iſidorus munus ducendi ſpiritus & capiendi odoris, quo perfunguntur nares, proponit lib.11.etymol.cap.1. *Nares idcirco nominantur , quia per eas vel odor vel ſpiritus nare non deſinit, ſiue quia nos odore admonent , vt norimus aliquid , & ſciamus vnde è contrà inſcii ac rudes ignari dicuntur , olfeciſſe enim veteres ſciſſe dicebant : Terentius: Ac non totis ſex menſibus prius olfeciſſem, quàm ille quidquam ſaperet.*

Quarta interpretatio ſpiritum in naribus accipit , pro perſpicacia . & acumine cognitionis.

D.Iſid.

Olfacere , ac ſcire in idem recidunt.

Horatius pro perſpicacitate iudicij vſurpat in Epodon Ode 12.

Horat.

Namque ſagacius vnus odor,

& lib.1,Sat,3.

— *minus*

——— *Minus aptus acutis*
Naribus horum hominum.

D.Greg.

S.Gregorius lib.31.Moral. c.12. inquit : *Naribus quoque præſcientia deſignatur.*

Ieſus percalluit Iudæorũ corda, & adoratus eſt eorum conſilia.

24. Ex quibus hæc Commentatio elicitur : quieſcite, ceſſate ab homine, qui habet ſpiritum in naribus, qui cogitationes intuetur, conatus veſtros circumſpuit, conſilia veſtra præcognoſcit, & anteuertit, impia machinamenta odoratur; omnia cordium & cœtuum veſtrorum arcana ſunt illi comperta, eſt enim verè Deus qui ſcrutatur interna; ſæpe ſæpiùs de Ieſu præſcientia proferunt Euangeliſtæ teſtimonia, quod ipſe ſciebat eorum cogitationes. Ioan.cap.13. ſciebat quia venit hora eius : præcognouit quis eum eſſet traditurus. Ioan. cap.13.verſ.18.19. *Qui manducat meum panem leuabit contra me calcaneum ſuum. Amodo dico vobis priuſquam fiat : vt cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.* Quare Iſaias prudenter excitare ſatagit Iudæos ad pietatem, hortatúrque ad coërtionem flagitij occidendi Ieſum, eo quod præuideat impios conatus, & perſecutionum nimbos, quos inuidia conflat : ipſi enim exiſtimabant rerum harum inſcium, ſubitóque & inopinato capi poſſe, & iuxta deliberationem ſuam morte multandum, cum toto cœlo aberrarent; ipſe enim in cuius manibus & poteſtate omnia poſuit Pater, circumſtantias omnes longè ante præuidebat. Ceſſate ergo ab homine, qui totum hominem nouit : diſſipatur enim expectatio aggrediendi aliquem doloſè, & diſturbantur hoſtiles inſidiæ cum eas alter præſentiſcit.

Spiritus in naribus diſcretionem ſpiritus innuit.

25. Demum ſpiritus in naribus diſcretionem ſpiritus denotare poteſt, vimque illam iudicij diſcriminantis inter bonum & malum, quæ in Ieſu præfulſit; hoc diſcretionis donum ſuæ Eccleſiæ largitus eſt, naſique & ſpirationis ſymbolo expreſſum eſt. Cant.c.7. *Naſus tuus ſicut turris Libani.*

Phil. Carp.

Ænigma naſi ſoluit Philo Carpathius ſic philoſophans : *Naſus ſponſi vel ſponſæ, acutiſſimi ſenſus iudicium ſalutare, bonorum atque malorum diſcrimen moraliter indicat : per naſum enim fæculenta atque corrupta à beneolentibus, ſyncerïſque decernimus*, hoc enim acre iudicium; & odoris acumen ad diſcernendum ſpiritum à carne, Angelum lucis ab Angelo tenebrarum, inter odorem virtutis, viriique fœtorem, potiſſimum adepti ſunt Apoſtolici Iudices, qui ſacræ Inquiſitionis munere funguntur, de quo fusè in diſcurſibus.

Apoſtolici iudices ſanctæ Inquiſitionis dono diſcretionis ſpiritus præpollēt.

A creaturis omnibus (ſi Iudæos excipias) excelſus reputatus eſt Ieſus.

26. *Quia excelſus reputatus eſt ipſe*, à Patre cum clamat: hic eſt filius meus dilectus: à Spiritu ſãcto, cum deſcendens in columbæ ſpeciem, ſuper eum requieſcit; ab Angelis, cum ab iis adoratur; ab hominibus, cum veniunt adorare Dominum; à Cœlo, Sole, Luna, Stellis, cum in eius morte obſcurantur; à terra, cum tremore concutitur; à lapidibus, cum in eius morte ſcinduntur; à gentibus Crucem circumſtantibus, clamantibúſque: verè Filius Dei erat iſte; à Dæmonibus ipſum venerantibus : in nomine enim Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Solum à vobis Iudæis non eſt excelſus reputatus, ſed vilis, & deſpectus inter filios hominum, nos autem Excelſum reputamus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, poteſtas, & imperium.

FINIS COMMENTARII
Capitis ſecundi.

PRO CELEBRI EXPOſitione de excandeſcentia in naſo Domini.

DISCVRSVS I.

Vir iuſtus Diuinæ virtutis æmulus ad hoſtis terriculamenta non expaueſcit, vel ſolo verbo, minaci vultu, oriſque halitu ipſum proſternit.

1. FAVET vulgari interpretamento de vultu, & naſo minas ſpirante hic diſcurſus, dum iubet Vates præcauere ab homine, qui terribili vultu perterrefacit hoſtes, & ſolo ſpiramine fumantis iræ interimit quo habitu homo iſte diuinus commilitones ſuos docuit aduerſariorum phalanges armis nequitiæ inſtructas deſpicere, non timere. Cum hoſtem contemnis, auſpicato inis certamen: eſt enim triũphi exordium in Chriſtiano milite, incurſus & ictus retundere impauido pectore. Hæc animi conſtantia & magnitudo in omnium decertantium, in ſpiritali palæſtra, magiſtro, potiſſimum eluxit. Agonotheta noſter in ſtadio poſitus, habitu, verbo, halitu aduerſarium metu perculit, tantæ veritatis teſtem aduoco Iſaiam, qui dum cap.11. Chriſti gloriam amplificat, tanti imperatoris robur oſtentat, verſ.4. ſubiungit virtutis eximium decus, *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Accipient alij hæc verba cum Apoſtolo 2. Theſſal. cap.2. de profligato, & occiſo Antichriſto, gladio verbi, & damnationis ſententia de Ieſu ore procedenti, in præſentiarum ea lubens vſurpo cum Alexandrino antiſtite Cyrillo, de virtute Ieſu ineffabili, qua aëreas poteſtates detriumphauit, & ſpiritus improbos de humanis corporibus, & animis expulit : ſuggero Cyrilli verba : *Vox perſonuit ex ore, & labiis vique ſpiritus inexplicabili Dæmoniorum multitudo fracta eſt.* Impium antonomaſticè Iſaias nuncupat Dæmonem totius impoſturæ & doli artificem, vniuerſæ nequitiæ & impietatis architectum : tenebrarum Principem cum ſua cohorte deiecit Ieſus, non iaculo, aut ferreo gladio, ſed verbo & voce ſtatim ac diuina vox ſpiritu animata ex Ieſu labiis perſonuit, profligatus eſt hoſtis : emphatica locutio illa Vatis: *Spiritu labiorum ſuorum interficiet*, quam vertunt Lxx. ſeniores : *Et in ſpiritu per labia ſua interficiet impium.* Vatablus verò legit : *Halitu labiorum.* Et ineffabilem potentiam in Ieſu indicant; non iam indiget voce, iuxta Cyrilli placitum, ad hoſtis internecionem; halitu ex ore iaculato inimicum perimit; halat Ieſus è pectore vaporem, & hoſtem exufflat, ſpiratione ipſa tanquam validiſſimo telo ſauciat.

Animoſitas in viro iuſti hoſtis vires labefactat.

D.Cyr.Alex.

Virtus Ieſu ineffabilis qui halitu oris aduerſarios confregit.

Lect.Lxx.
Vatabl.

2. Eandem virtutem oſtentabit Saluator in iudicio extremo, cum iniquos, & impiorum anteſignanum Antichriſtum aſpectu ſuo obruet; cóque tanquam fulmine proſtrati & accenſi tartarorum quærent latebras, vno verbo dixit Paulus contendos : *A facie Domini, & a gloria virtutis eius.* 2.Theſſal.cap.1. verſ.9. habet ſuum leporem verſio

A facie Valentia Ieſu, hoſtes in iudicio extremo conterentur.

Tertull. ſio Tertulliani lib.5. contra Marcion. cap.16. ſic legentis: *Et a gloria valentiæ eius.* Sicut Ieſu aſpectus iuſtis erit amabilis & iucundus, iniquis erit horribilis, de ſolo aſpectu trementes terræ votagines amabunt, quibus ſe immergant & protegant, à valentia vultus eius, *à facie valentiæ*, inquit florens Tertullianus, quo verbo indicat habitum, ſtationem, inuictum robur aſpectus, quo ſolo impiorum factiones diſſoluit, gloria & valentia Domini erit, verbo, halitu, intuitu, nutu imperitare terræ, vt tota dehiſcens hoſtes viuos obruat.

3. Cingebatur natorum corona in lecto decūbens Iſraël albenti canicie, & virtutum candore venerabilis, iam maturus æternitati, tanquā ſacer olor occinit fauſta, & infauſta natis; ad Iudam diTribus Iuda comparatur catulo Leonis. texit ſermonem, præſentem filium tangens, Saluatorem de tribu Iuda oriundum proſpiciens; de excelſa prophetiæ ſpecula ſic fatur: *Catulus Leonis Iuda.* Geneſ.cap.49.v.9. Sat eſſet vocare Leonem, cur Catulum Leonis nuncupat? vt exprimat generationem & filiationem æternam à Patre, à quo participat inuictū robur, omnipotentiáque; argutè S. Cyrillus Alexandrinus, l. Glaphyrorum in Geneſim, inquit: *Catulus Leonis eſt Chriſtus, cum ſit filius Dei omnipotentis, qui & ſine pugna vincit, & ſolo verbo poteſt per terrefacere eos, qui ipſi reſiſtunt. Sicut Propheta ait: Leo rugiet & quis non timebit?* qui Catulum dicit, Leonem indicat Parentem à quo eſt genitus, nuncupat ergo Iacob Leonis filium Saluatorem, quia procedit à Patre, à quo habet eſſe omnipotens, qua omnipotentia filius ſine gladio vincit, *ſine pugna vincit, & ſolo verbo poteſt perterrefacere.* Non fuit digladiandum ſacro pugili in arena, corporeo tegmine armorum; incomparabili virtute decertat, cum ſolo verbo triumphum de aduerſariis reportat, ad leonis rugitum fortiorum animantium artus tremore quatiuntur, coitque formidine ſanguis; ad aſpectum, & vocis ſonitum Leonis de tribu Iuda, quid mirum ſi fugantur tartareæ cohortes, ac pauore concuſſæ diſpereunt.

D. Cyr. Alex. Ieſus dicitur Leonis Catulus quia ſolo verbo, & ſine pugna vincit.

4. Imperatoris robur & in præliando dexteritatem æmulari ſunt iuſti; poſt tot caſus, & diſcrimina rerum familiarium ſancti Iob, ſeruatur vxor incolumis, tanquam validiſſimum Diaboli telum, vt iuſtum ſauciaret, aut impelleret ad ruinam: inſtruitur à Dæmone femina vt ſedentem in ſterquilinio ſupplantet ſingultibus; lacrymis, perſonata commiſeratione, vt inter ærumnarum nimbos, & lacrymarum fluctus amitteret ſpei anchoram, & impatientiæ tempeſtate iactatus demergeretur deſperationis vorticibus. Auſculta quid Diaboli organum fœmina ſonet, Iob cap.2.v.9. *Dixit autem illi vxor ſua: adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere. Qui ait ad illam: quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Ad præſens inſtitutum vſurpo verbum illud: *Qui ait ad illam.* Lxx. legunt: *Ille autem ſuſpiciens eam, dixit.* Ante verba obiurgatoria, Lxx. ſeniores aſpectum conſtituunt, vt facie formidabili, terribilibus oculis ipſam vituperaret, obſeruatè & ſcitè Chryſoſtomus id annotat homilia 5. de Iob in hæc verba: *Reſpiciens in eam amarè: ô mentem caſtam, ô morigeratam, atque ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit, illa quidem viſa eſt lacrymarum mouere fontem, hic autem Leone truculentior factus, furore plenus & iracundia, & inquit: vt quaſi vna de inſipientibus mulieribus loquuta es.* Non ignorabat inclytus decertator vel ſolo intuitu ſpirante furoris flammas, hoſtium machinamenta diſſolui, ideo minaces oculos conieciit in feminam, vt horribili proſpectu, technas coniugis, inſidias Dæmonis propulſaret: *Ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit.* Ad pugnam, ad victoriam, non opus iam eſt verbi telo, aut conuiuij lancea, qua lancinetur hoſtis; oculi flammei toruuſque aſpectus indicantes animi generoſitatem, & inuictum robur, quaſi de ſublimi ſpecula, & arce inexpugnablili deſpiciētes Satanæ dolos, mulieris nequitiam; palmam victoriæ tetulerunt.

Iob aſpectu horroris pleno laqueos vxoris diſrūpit, & hoſtiū machinamenta repulit.

Lect. Lxx.

D. Chryſ.

5. Ieſu ouationem, de Dæmone triumphum cecinit epinicio carmine Habacuc; vt inuictum robur ab hoſte nullo labefactandum oſtenderet, aſſertoriſque pugnacem dextram, quæ vel leui comminatione hoſtiles acies proſternit, hac oratione vtitur, c.3.v.6. *Aſpexit & diſſoluit gentes*, & v.12. *In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes.* Mira belligerantis fortitudo, aſpectu ſolo gentes diſſoluit; & iuxta Lxx. *Aſpexit & diſtabuerunt gentes*, gentium primores, capita potentium ſolo Dei intuitu proſtrati & profligati iacuerūt, annuit huic menti Vatablus: *Solo aſpectu eiecit & ſaltare fecit, id eſt exire.* Remigius in Gloſſa ordinaria ſcribit: *Stans Saluator, & oculo ſuo omnia metiens gentes diſſipat, montes, & colles ſæculi conterit*; qualis virtus illa quæ proſpectu ſolo perterrefacit hoſtes omni armatura inſtructos, & ſoluit in minutiſſimū puluerem? Dei robur exprimunt verba illa, *in fremitu, in furore*, pro fremitu Hebræus habet בזעם iram denotat, *furorem, deſpicientiam*, & Græcum ἀπειλῆ *comminationem, iracundiam*; minacique vultu ſpirans aduerſarios diſturbauit, vicit eos, dum deſpexit; ſuum continet leporem verbum Græcū quod reſpondet furori videlicet ὀργῆ, *indignatio, ſeueritas*, & Hebræum אף aph, *afflare naribus iram, & excandeſcentia ſpiritum exhalare*, iis omnibus modū pugnæ, rationem triumphi demonſtrat Vates, in conflictu Ieſus terribilibus & minacibus oculis intuitus hoſtes, reddidit attonitos, vultus indignatione, & ſeueritate, narium halitu & fremitu, iniecto terrore mortis, horreſcunt, & pereunt.

Ieſu victoria à Propheta Hbbacuc celebrata.

Ieſus aſpectu, & fremitu gentes diſſoluit.

Lect. Lxx.

Vatabl.

Remig. Gloſſ. ord.

Deſpicientia & comminatio in hoſtes, eos proſternit.

Lect. Græc.

Lect. Hebr.

6. Hanc animi magnitudinem & deſpiciētiam ad incutiendum hoſti timorē æmulari nititur Dæmō, omnes vires & conatus impendit vt Chriſtianum pugilem in agone certantē, metu & horrore perculsū, arma abiicere conſtringat, & capeſſere fugā: egregius decertator Iob bellicis induratus laboribus artes nocendi & pugnādi, quibus Diabolus victor euaſit, milleq; ornatur exuuiis, aperiet c.39.v.23. *Gloria nariū eius terror.* Deſcribit militaris equi impauidū pectus, in eóq; adumbratā cenſet venerabilis Beda aduerſarij noſtri in certamine ſpirituali exultationem & audaciam, eámque ſuis ſcholiis Vatablus exprimit. *Hinnitu, & fremitu narium ſuarum terreat homines*, ſicut enim equus militari gloria clarus exultans audaciter, in occurſum pergit, armatis cohortibus, & inter agmina denſata telis ſe proiicit, vt ſpumanti & feruido halitu tanquam tonitruo & fulmine terreat hoſtes, ſic equus ille tartareus calcaribus inuidiæ admotis iracundia percitus, in hominem irruit horriſono hinnitu, vt terrore perturbet; enimverò, cum agnoſcit terrefactum, certa ei ſpes affulget victoriæ; ideo, *Gloria narium eius terror*, belli fauſtam expectationem & triumphandi gloriam, in æmuli ſui terrore conſtituit. Sancti Bedæ verba ſubiicio: *Vt inimicus in fugam vertat; aduerſarium ſuum militem ſcilicet Chriſti, ipſo etiam anhelitu terret.* Non ignorat Aduerſarius terrifico aſpectu, & oris diuini halitu ſuiſſe proſtratum, ideò telum horroris, iacu-

Diabolus narium fremitu terrere nititur homines.

Vatabl.

D. Beda. Diabolus anhelitu terret.

Diaboli terriculamenta deſpicienda.

lúmque timoris tanquam potentiſſimum contra hominem aſſumit, terribilem aſpectum virtutis effingit, eam in primo congreſſu decertanti efformat aſperam, auſteram, arduam, in præruptis ſilicibus collocatam, ſentibus & lanceis retundendis circundatam, immenſos exantlandos labores, horrifica monſtra ſuperanda. Huiuſmodi terriculamenta halitu ſpirationis in animos efflat & oculis aſpirat, vt miles Chriſti territus arma deponat, pudibundus & mœrens à prælio ſe ſubducat, terrores & minas Dæmonis leges in ſancti Antonij vita à S. Athanaſio deſcripta, quas ille magnus decertator deſpicientia in primis, minacique vultu hoſtem proſpiciens, ſuperabat, ibi de tartareis monſtris, & de ſeipſo Antonius fatur: *Sæpe ſtrepitus, ſæpe ſaltationes, ſæpe ſibilos inhæſerunt: & me pſallente ſonus eorum in voces fletibus vertebatur. Credite mihi filioli quod dicturus ſum vobis, vidi aliquando Diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem, & prouidentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: quid vis, vt à me tibi donetur Antoni? & ego ſputum vi maxima in os ingeminans, totum me in eum, Chriſti nomine armatum ingeſſi; & ſtatim ille procerus aſpectu inter medias manus exoleuit.* Hæc à magno Antonio dictata magnus Athanaſius ſcribit.

D. Athan.

Diaboli ſpectra, & tentandi artes ſpreuit S. Antonius Abbas.

Sen.

Aduerſa fortuna ſolo aſpectu minaci, aut leui cominatione terret ignauũ militem.

7. Non effugit mentem Senecæ hic hiſcurſus lib. de prouidentia cap. 3. virum inexpertum periculis, & laboribus infelicem nuncupat, & à fortuna deſpectum; nominéque fortunæ intelligit ærumnam, & aduerſitatem, quæ ignominiam cenſet eſſe, imbellis & timidi gladiatoris explorare virtutem, & cum ignauo conſerere manum; ideo demiſſi animi militem quodam faſtidio & deſpectu tranſit, fortiſſimum & ſibi parem quærit, cum quo vires componat, eúmque prouocat ad pugnam, tranſcribo verba philoſophi: *Indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauiſſimum quemque refugit, quaſi dicat: quid ergo iſtum mihi aduerſarium aſſumam? ſtatim arma ſubmittet, non opus eſt in illum tota potentia mea, leui comminatione pelletur, non poteſt ſuſtinere vultum meum, alius circumſpiciatur, cum quo conferre poſſimus manum, pudet congredi cum homine vinci parato.* In his ſententiis, ſi intuitum fortunæ ſeuerum perpendas, quo parata ſit vincere in primo congreſſu militem, ſcopum diſcurſus ritè collimaſti; nam habitu, ſtatione ipſa, leui comminatione abſque armorum ſtrepitu & gladiatione, facilè à ſe propellit detriumphatum; quibus omnibus diuina prouidentia, ex Senecæ placito inſtruit militem inter præliares aduerſariæ & aëreæ poteſtatis copias, conſtitutum, quantum officiat victoriæ, & lauro formido, & animi remiſſio; quantumque valeat peccatoris magnanimitate, vultus ſeueritate, minacique anhelitu exſibilare hoſtem ab hoſte, à tentatione ipſa; te ad pugnam vocante, irriſione, & minaci vultu te deſpiciente, documentum virtutis & victoriæ cape, hoſtem contemnens, dic confidenter: *Leui comminatione pelletur, non poteſt ſuſtinere vultum meum.*

Moyſes ſolo verbo minaci Ægyptium perculit.

8. Primum ſpecimen audaciæ editum à Moyſe, interitus fuit Ægyptij: intuitus eſt Moyſes Barbarum Iudæo inſultantem; pro vitæ incolumitate familiaris ſui, propugnatione ſuſcepta, litem, & rixam diremit hoſtis exitio. Exod. cap. 2. verſ. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo.* Statim occurrit dubitatio quo telo Moyſes Ægyptium ſauciauit? verbum illud *percuſſum* nobis inſinuat vulneribus confoſſum in arena tumulaſſe, nec Moyſi, à Rege Pharaone, & à Pharaonis filia Thermute adoptato, pugio deficeret aut gladius, quo vitam ei adimeret. Dubio occurrit Alexandrinus Clemens lib. 1. ſtromat. his verbis: *Eum ſolo verbo occidiſſe Ægyptium.* Non indiguit gladio Moyſes qui habebat Deum opitulatorem, qui ipſi erat loco lanceæ, & clypei; erat virtus in adoleſcente auguſtior, & in ætate florida emicabat ſenilis auctoritas ætate ſua maior, ſeueritate vultus, verbi acerbitate, voce flammas iracundiæ ſpirante, aduerſarij crimen exagitat; velut ad tonitruum, fulménque, è Moſaïcis labris eiaculatum, ſtupore perculſus tyrannus exanimatus corruit.

Clem. Alex.

Abraham, aduerſarios inuiſibiles deſpexit.

9. O quantum valet animoſitas in viro forti ad aggrediendum facinus, & profligandum hoſtem, non iam dabo pro diſcurſus coronide in arena decertantem Moyſem, ſolo verbi telo ſaucianté aduerſarium, ſed pugnaciorem pugilem, qui ſine verbo vincit, ſolo ſtatu, hoſtis deſpectu, quadam corporis exultatione, inuicti cordis magnanimitate; luctator Abraham; arena mons Moriah: æmulus, parentis affectus, filij amor; aderant Angeli, vt plauderent victori; proſpectabat de cœlis Deus, vt geminato coronamento Regis & Sacerdotis ſacrum verticem cingeret. Eminus obſeruabat Diabolus inſidiator euentum belli, tentationis exitũ, ſi fortè impatientiæ, aut inobedientiæ ſpolia à parente, à nato eriperet. Patriarcha verò in hoc amphitheatro: *Extenditque manum, & arripuit gladium.* Geneſ. cap. 22. verſ. 10. Non exhortuit, non palluit ad necem filij, nec tremore concuſſa eſt manus, verùm animi celſitudinem, & in educendo gladio elegantiam, & oſtentationem exprimens, aduerſarium repulit. Eleganter Chryſoſtomus homil. 3. in 2. Corinth. cap. 1. inquit: *Si quis imperator egregium habens militem, ipſo armorum geſtatu, ipſo ſtatu, ipſo impetu, obſtupefaciat aduerſarium: ita Deus ſolo animo iuſti, ſola ſpecie, ſolo ſtatu, communem omnium noſtrum hoſtem Diabolum reddidit attonitum, & in fugam vertit.* Aberat pigritia, & moroſitas à ſenilibus artubus in offerenda, & mactanda gladio, & igne, filij dilecti victima; quanto animoſior pater, tanto cœlicolis gratior, mirabili ſtatu, animi corporíſque impetu, ab ignauiâ, & timore alieno, manibus oſtenſo, perterruit hoſtem, ipſúmque profligauit.

D. Chryſ.

Solo ſtatu, & ſpecie Diabolum fugauit.

Pro ſecunda Interpretatione.

DISCVRSVS II.

In hac mortalitate Jeſus animam efflabat ſuam, & ſuſpirabat animam tuam, vt ad Jeſum tuum te anhelantem, ſuſpirantem, ſuſpires, & anheles.

1. QVAM iucundum, & dulce propoſitum affixum eſt: Ieſu animam agentis, & ſuſpirantis ſalutem hominis ſuauiter reſonans halitus, flammas amoris excitans in lapideo corde, & de profundo pectore longa citans ſuſpiria. Pſalmicen dabit tibi formam Ieſu expirantis, & ſuſpirantis. Pſal. 87. verſ. 16. *In laboribus à iuuentute mea.* Iterum ad Ieſu ærumnas redeo, vt amor tedareſcat. In Enchiridio Pſalmorum ex Hebræo legitur: *Ego præ afflictione anhelus.* Et in verſione Tigurina Leonis Hebræi: *Afflictus ego ſum, & tantum non animam ago ab adoleſcentia.* Eam illuſtrat

Ieſus à iuuentute anhelus, & animam efflans.

Lect. Hebr. Enchir. Pſ. Tigut.

ſcholiis

Scholiis ſuis Vatablus: *Pauper ſum ego, & moribundus, vel quaſi animam efflans; vox Hebræa ſignificat eum, qui lentâ morte conficitur.* Habes Ieſum ab adoleſcentiâ, à pueritia ſuâ morientem, expirantem, anhelantem. Adiungit Cardinalis Bellarminus non contemnendam commentationem: *Ne putarent homines, Chriſti paſſionẽ trium horarũ, aut vnius diei tantum fuiſſe: reuelat hîc nobis Spiritus ſanctus, Chriſtum in diebus carnis ſuæ nunquã ſine paſſione vixiſſe. Nam præter calicem mortis amariſſimæ, quẽ ſemper ante oculos mentis habuit, in omni ætate ſuâ in laboribus, & ærumnis fuit.* Omnibus calamitatibus, & ærumnis, ſi crimẽ, & ignorantiam, ægritudinẽmq; excipias, premitur Ieſus; vt afflictiones, & calamitates tuas alleuet, & in hac vitâ lentâ morte conficitur, perpetuo dolore, & paſſione mulctatur, in eius mente obuerſabatur cruciatuũ nimbus, tempeſtas calamitatum, Crux amori, & deſiderio ſuo iam cõparabatur, concupiſcenti animo, paratum à Patre calicem ab Angelo propinatum abſorbebat. Hinc diurni, nocturniſq; angores, & ſolicitudines, aſpirãtiſq; animæ aſſiduæ exhalationes, vt manus ſuffigat patibulo, aſcendẽnſq; in victricẽ Crucis palmã a iugo Dæmonis, & mortis mortales vendicet.

Vatabl.

Bellar. Card.

Ieſus à pueritia ſua ſẽper in paſſione fuit.

2\. Amoris diuini ſolertiſſimus explorator Salomon, fortitudinem robuſtam dilectionis Ieſu morti æquiparat. Cant. c. 8. v. 6. *Quia fortis eſt vt mors dilectio* An quia terrenos affectus quibus præpeditur animã, ne migret in cæleſtia, interimit? An quia humanum pectus parat, & indurat amor ad opprobria, & ærumnas omnes ſufferendas, & mortem ipſam contẽnit, & vincit? Ideò fortis vt mors perhibetur? Hoc in humano amore verum; in Ieſu, dilectio maiora roboris incremẽta demonſtrauit, & morte ipsâ inuenitur fortior. Do tibi acumen Hugon. Cardinalis, his verbis: *Fortis eſt vt mors dilectio, quam ſcilicet ad te habeo, & habui, qui pro te animam poſui, quæ à me tolli non poſſet. Imò morte fortior: quia & ipſa mortem, & ipſum vitæ auctorem quodammodo ſuperauit: non tamen vnà horâ ſicut mors homines ſuperat, ſed ſibi triginta tribus annis ſubiugauit.* Errore typographiæ hîc, & alibi Hugo quamplurimis ſcatet mendis, præſertim in figuris typorum antiquis, pro: *In morte fortior*, lego: *Imo morte fortior*, & pro: *Quodammodo ſeparauit*. Corrigo: *Quodammodo ſuperauit*. Sic omninò legendum patet ex verborũ ſerie: Purpuratus Pater Dominicanæ familiæ columen quâ ſolet argutiâ vires amoris aperit. Si amor alterius pugilis robuſtiſſimi in ſtadio virtutis, in ærũnarum caueâ, in Martyrij agone decertantis, robur ſuum cũ morte componat, nec amor morti, nec mors cedit amori, ſed velut in æquilibrio poſita vtriuſque virtus: *Fortis eſt vt mors dilectio*; Apud Ieſum cum mors, & amor conſerunt manus, in omni congreſſu amor euaſit ſuperior, & ornatur triumpho. Cerne quot victricibus palmis Ieſu dextram ornet diuinus amor. In omnibus Adæ natis mors præualet, ab iiſque, quos hæreditarij ſceleris conſtringit reatus, tanquam crudelis exactor mortalitatis pœnas, & mortẽ ipſam peccati penſum etiam ab inuitis extorquet. In Ieſu non fuit tributum mors proprij ſceleris, non fuit neceſſitas, ſed charitas mori, non coactus, ſed voluntarius occumbit: permiſſa eſt ad Ieſum accedere, non dominans, & regnans, ſed morem gerens, & ſeruiens; ab eo vitam eripuit, non iuxta legum ſuarum iura, ſed iuxta præſcriptum amoris, & imperium. Adiicit Hugo nouum victoriæ decus, dilectio morte robuſtior, & potentior eſt, quia mortem, & ipſum vitæ auctorem ſubegit.

Cur amor fortis eſt vt mors.

Hug. Card.

Amor Ieſu morte fortior.

Amor Ieſum triginta triũ annorum ſpatio ſubiugauit.

Amoris trophæa de Ieſu reportata.

Amoris effectus mors Ieſu.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

Amoris victoria multorum annorum ſerie continuata eſt. *Non tamen vnà horâ ſicut mors homines ſuperat, ſed ſibi triginta tribus annis ſubiugauit*: In vitæ auctore amoris, & mortis continuus fuit cõflictus, & diutina victoria, vt conflictaretur quotidie cum mœroribus, cruciatibus mortis, Cruce: omnium Dominum ſubiugabat amor, vt angore mortis continuo cruciaretur, & eſſet ei vita diuturna, & diurna mors.

3\. Inſectatum Dauidem à Saule fugam meditari docuit vxor ſua Michol, & per feneſtrã noctu demiſſum, mariti conſuluit incolumitati; vt Saulis Patris ſui apparitores eludat, illud architectatur muliebre ingenium. Statuam, aut ſimulacrum veſtibus ornat, ad ſpeciem Dauidis formamque cõponit, coopertum ſtragulis in ſpondâ reclinat, vt perſonam Dauidis in lecto recumbentis, & ægrotantis ageret, vt larua illa Dauidis, & perſonatus languor locum daret fugam capeſſenti, & ſatellites Saulis necem anhelantes retardaret, lib. 1. Regum c. 19. v. 12. *Depoſuit eum per feneſtram: porro ille abijt, & aufugit, atque ſaluatus eſt. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis.* Pro ſtatua legunt Septuaginta: Κενοτάφια, quod autem ſit cenotaphium, aut effigies, quomodóque per capræ iecur hanc ſcenam commentata ſit Michol, exponit Ioſeph. lib. 6. antiq. c. 14. *Parato lecto tanquam ægrotanti, ſtragulis iecur capræ recens exemptum ſubiecit: diluculóque venientibus, quos Pater ad Dauidem miſerat, oſtendit lectum opertum, & quod palpitatione iecoris ſtragula moueri viderent, maritum ægrum anhelare perſuaſit.* Similia ſunt, quæ apud Theodoret. leguntur lib. 1. Reg. q. 48. *Quod per veſtes erat compoſitũ videbatur quidem eſſe David agens animam Ponit etiã in medio veſtium iecur capræ recens occiſæ, vt ferat imaginem ventris hominis; & motũ, quodammodo imitetur reſpirationem.* Quæ omnia ſi de Chriſto exponas, apta ſunt præſenti propoſito; ea de Saluatoris nece, & ſepulcro accipit S. Auguſt. ad titul. præfixũ Pſ. 58. ex eóq; verba tranſcribunt Iſidorus, Rabanus, Eucherius à Gloſſa ordinaria relati. Dauid à Saulis militibus inſectatus, & circumuallatus verũ Dauidem Ieſum exprimebat iniquis Iudæorũ conſiliis captũ, haſtatis militibus circũcluſum; in eóq; licet cernere non emortuũ ſimulacrũ eludendis apparitoribus Saulis adornatũ, ſed viuã pietatis imaginẽ ſpirantem amoris flãmas in aduerſarios, in eóſq; ſuſpirantẽ. Delineãdis in vmbrâ illa Dauidis, Ieſu affectibus ſcripta ſunt Ioſephi verba: *Anhelare perſuaſit* Et Theodoreti: *Videbatur eſſe David agens animam Et motum, quodammodo imitetur reſpirationem.* Dum enim inſidiatores Iudæi in Ieſum magis furunt, & bacchantur eũ inſequentes clamoribus, & maledictis, & corã Præſide Pilato perduellionis inſimulãt; eos deperit, & ſuſpirat Ieſus. Cumq; in lectulo Crucis reclinat caput, animam agit, & inclinato capite expirat.

Michol Dauidem à diſcrimine mortis eripit.

Dauidis laruam cõponit, vt ſatellites Saulis eludat.

Ioſeph.

Iecur capræ ſtragulis ſubiicitur, vt anhelantem animum, & ſpirantẽ fingat.

Theod.

D. Auguſt.

Beda.

Dauid vmbra Ieſu à Iudæis inſectati, & comprehenſi.

Ioſeph.

Theod.

Ieſus anhelabat, & animam agebat propter Iudæorum ſalutem.

4\. De tr[illegible]uo Dominicæ mortis, & ſepulturæ difficilis nodus à Patribus ſoluitur, diei paraſceuẽ partem ab horâ nonâ numerantibus, integrũ ſabbathi diem, vſque ad Dominicæ aurorã, vt tertij diei exortu Dominus reſurgeret. Theophylact. Bulgarorũ Archipræſul hanc patrũ interpretationẽ recenſens, adiiciens nouum calculũ, aliam ſoluendi nodi rationem argutè commentus eſt, à cœnâ Dominicâ, & ſacræ ſynaxis inſtitutione, dies mortis Ieſu percurrit. Tunc enim ſtatum, & ſolemne ſacrificium corporis, & ſanguinis condens, ſe totum immolat Patri; & anticipata mortis, & paſ-

Triduũ mortis Dominicæ & ſepulturæ quo pacto cõponatur cum veritate.

Computatio tridui à veſpere cœna, & inſtitutionis Euchariſtiæ. Theoph.

ſionis ſignificatione mactat. Hæc ſunt Theophylacti verba: *Poſſum tibi & aliam cauſam dicere, quomodo tres dies, & noctes numerentur: attende igitur. Quinta veſperà fecit Dominus cœnam, & Diſcipulis dixit: accipite, & comedite, hoc eſt enim corpus meum: & ita, quia poteſtatem habebat ponere animam ſuam, manifeſtum quod tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum, nemo enim quidquam edit, niſi prius mactatum fuerit.* Et tres dies mortis enumerat à veſperâ cœnæ vſque ad horam tertiam Paraſceues; à tertia Paraſceues vſque ad tertiam ſabbathi, à tertia ſabbathi vſque ad primam Dominici diei lucem. Ecce tres integri dies, & noctes. Sic admitte pium Theophylacti acumen, vt non recedas à receptâ tridui ſupputatione. Sunt enim Eccleſiæ proceres accurati triduanæ mortis calculatores, dieſque propriæ mortis hoc eſt ſeparationis animæ à corpore, quibus vitæ functionibus caruit humanæ ſacrum illud cadauer, dinumerant. Victima ſui corporis, quam in cœna litauit erat paſſionis iam inſtantis figuratiua, ſymbolúmque mortis mox futuræ, ſicut in nobis ſacrificantibus æternum iam tranſactæ monumentum. Verumtamen ad propoſitum aſſumptum retinet ſuũ leporem Theophylacti ſententia: *Manifeſtum quod tunc immolauerit ſeipſum ex quo tradidit Diſcipulis corpus ſuum, nemo enim quidquam edit, niſi prius mactatum fuerit.* Poterat poſt reſurrectionis triumphum, illud memoriale hominibus relinquere, illud ante mortem donare, extitit eximij amoris pignus, oſtendens pro hominis ſalute quàm in votis haberet mori; cũ enim ſacrum, quod in illo amoris ſympoſio ab æterno ſacrifico ſecundum ordinem Melchiſedech titè perpetratum eſt, eſſet paſſionis commemoratio, omnium Chriſti cruciatuũ mortiſque viua repræſentatio, anticipatá paſſione, & morte patitur, & moritur: iam tunc cædebatur flagris, pungebatur ſpinis, ſuffigebatur clauis in patibulo, fluebant ſacri cruoris latices, in Cruce expirabat, apertúmque lanceæ cuſpide latus fundebat aquæ lauacrum, & ſanguinis pretium. Ieſu amor præoccupauit perſequentium crudelitatem, Iudæi crudeliſſimum facinus Deicidij anhelabant, Ieſus anhelabat amorem. Ipſos ad improbitatem ſceleris, ſtimulis inuidiæ incitatos ad comprehenſionem Ieſu accurrentes, ardens deſiderio patiendi, cupiditate moriendi præcucurrit, & anteuolauit, in cœnáque Euchariſtica ante paſſionem patitur, ante mortem mactatur, & moritur.

Ieſus quando ſacrificium inſtituit, ſeipſum mactatum tradidit.

A ſupputatione veterũ patrum non eſt recedendum.

Ieſus ante paſſionem mactatur, & moritur.

Ieſus Iudæorũ deſideria ipſum occidendi, anteuertit.

Quis mortalium ter vitâ functus.

5. Singulare dubium proponit ſanctus Athanaſius, quis ex mortalibus ter guſtauit mortem? quãplures ſemel, & iterum vita functi, qui diem claudentes extremum ſunt miraculosè ſuſcitari, & poſtremo à vita deſciſcunt: quis ter è corporis ergaſtulo ſolutus eſt? Excitat quæſtionem, & ſoluit Alexandrinus Antiſtes ad Antiochum quæſt. 64. his verbis: *Quis dicitur inter mortuos numeratus in veteri Teſtamento? Reſponſio, de Iona id manifeſtum eſt. Nam vt vetus fert fama: hic fuerat viduæ filius, quẽ Elias Propheta ex morte in vitam reuocauit, iterum in ceto vita functus eſt, & tertium ſupremum obijt diem.* Secundum aſſertũ quod Ionas fuerit in ceto vitâ functus, non eſt adeò compertum. Sanctus Hieronymus in fluctibus maris, in rictu, & ventre ceti Ionam ſoſpitem nuncupat, ipſéq; naufragus actiones gratiarum Deo fundit, quia periculis immunem, à corruptione exẽptum ſe ſenſit Ionæ cap. 2. forſan ex v. 6. opportunitatem arripuit Athanaſius ad illud effatũ. Nam ibi ex ore Prophetæ fluctuantis proſilijt hæc oratio: *Cir ũdederunt me aquæ vſq; ad animam.* Chaldæus legit: *vſque ad mortem.* Sic tempera: vſque ad mortis periculum. Limina (inquit) mortis domus attigi, ſed non ſum ingreſſus, omnipotentis manu remoratus. Verba ſic expẽdit Sanchez, & eleganter: *Vſque ad animã agendam, vel efflandam.* Iam de vitâ Prophetæ actum videbatur, niſi Deus ſuccurreret. Placet intueri in hoc diſcrimine Ionam extremum vitæ ſpiritum edentẽ. Ionas typus Chriſti, illius mors Chriſti mortis, & tumuli adumbratio. Ille ſemel, & iterum, & tertiò cum morte luctatur, at Ieſus ſingulis diebus pro hominis ſalute moriebatur; Ionas inter nimbos æquoriſq; fluctus ſemel animam agebat; Ieſus tormentorum tempeſtate iactatus millies animã efflabat: *Vſque ad animam agendam, vel efflandam.*

D. Athan. Ionam ter mortem guſtaſſe, S. Athanaſij mens eſt.

Gaſp. Sanch.

6. Oculatus teſtis Ioannes Euangeliſta puncturæ lateris Ieſu c. 19. v. 34. *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Multiplices cauſas congerunt Patres, cur percuſſuram lanceæ permiſit in cadauere ſuo Ieſus. Arridet valde illa Guarrici Abbatis ſerm. 4. in ramis Palmarum, his verbis ſignata: *Ideo quippe latus ſuum pius, & miſericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet: calor corporis refocillet, ſpiritus cordis quaſi patienti, & libero meatu aſpiret.* Ineſt cordi vitæ principium, caloriſque natiui origo, vel Ariſtotele teſte lib. de ſpiratione; *Summus animæ ardor in cordis principatu conſiſtit.* Et lib. de ſpiritu inquit: *In corde calor vehementiſſimus.* Erat Ieſu corpus extinctum, cor eius naturalis vitæ motibus functum. Sed ſũmi illi charitatis ardores intus deliteſcentes per apertum latus erumpunt, vt homo tali ardore deflagret. Intra cordis anguſtias contineri non valuit clauſum ardentiſſimi amoris incendium, ſuſtulit miles ferro repagula, ruptóque latere miſſilia iaculantur e corde diuino in humana corda. Sacrum illud vulnus corporis emortui adhuc in hominis ſalutem anhelat, & vitam aſpirat. Ceſſauit in naribus Ieſu mortui ſpiraculum propriæ vitæ, apertum eſt foramẽ per quod ſpiraret alienã. Vitæ æternæ ſpiritus inhalat apertum oſtium in latere Ieſu.

Guarr. *Apertum eſt latus Ieſu, vt eius ſpiritus in te aſpiret.*

Ariſt. *In corde calor vehementiſſimus.*

DISCVRSVS Pars II.

Vt ad Ieſum tuum te anhelantem, ſuſpirantem ſuſpires, & anheles.

1. QVID amor Ieſu à me depoſcet? quid anhelitus, ſuſpiria, animæ efflatio expoſtulat? niſi amorẽ, vt amantem redamem, in anhelantem anhelem, continuò ad Ieſum aſpirem, illius amores ſuſpirẽ. Redeo ad ſuperiorem Dauidis hymnum, in quo Ieſum anhelũ, moribundũ à pueritia ſua proſpeximus, eius titulum arcanum reſerabo. Sic habet inſcriptio Pſ. 87. *Pro Maheleth ad reſpondendũ.* verbum Hebraicum מחלת *machalath*, & Græcũ μαελέθ, Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus, Bruno vertunt: *Chorum.* Luminare Eccleſiæ magnum Auguſtinus caliginem obſcuritatis ex hoc titulo diſpulit: *Quid eſt ergo* (inquit) *choro ad reſpondendum, niſi forte vt canenti, chorus conſonando reſpondeat?* Et paucis interiectis locum illuſtrat, myſterium aperit: *In qua igitur myſterio dictum mihi videatur, pro choro ad reſpondendum: id eſt, vt canenti per chorum reſpondeatur, exponam. Domini hîc paſſio prophetatur, dicit autem Apoſtolus Petrus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius: hoc eſt reſpondere. Solet eſſe in*

Titulus Pſalmi 87. expenditur. Lect. Hebr. Lect. Græc. D Aug. *Chorus reſpõdet præcentori.*

Ieſu canenti in paſſione, reſpondeamus imitatione.

chorο

choro Rhythmicus,qui acerrimâ artis normâ muſicos dirigit ; Ieſus cæleſtis Præcentor chorum Eccleſiæ moderatur,vt ſibi deplotanti alienas calamitates, ſuſpitanti hominum ſalutem, ſufferenti opprobria,paſſioniſque cruciatus debita imitatione reſpondeat. Attentis auribus auſcultandum Cantici huius exordium , verſ. 3. *Inclina aurem tuam ad precem meam.* Dei filius parentem ſuum alloquitur , exorat , vt aures det gratas ſuis precibus. In Hebræo eſt:*Prabe aurem tuam ſuſpirijs meis.* Omni lyrâ , & Cantico ſuauius reſonat Ieſu ore prolatum ſuſpirium, quis non adſtabit patulis auribus,vt ſonus ille penetret intima præcordia, pectúſque commoueat vt ab imo cordis mœrente aſpiratione anhelet , & ſuſpirium ſuſpirio compenſet.Sic enim canenti,lacrymanti, ſuſpirâti Saluatori , chorus fidelium conſonando, illacrymando, de profundo pectore ſuſpiria trahendo , reſpondet.

Suſpirijs Ieſu reſpondendū ſuſpirijs.

Primi hominis à Deo plaſmati ingratitudo.

8. In hominis plaſmatione, & terreni ſimulacri animatione,miror eius taciturnitatem , quomodo proſpiciens huius orbis theatrum pulcherrimum, agnoſcens luteum figmentum halitu oris Deifici, & idoneo torrore decoctum in carnem viuam , & pulcherrimam efflorеſcens, confractis ſilentij repagulis non iubilauit exclamans delibutus gaudio, & in actiones non prorupit gratiarum ? Non tacuit eius ingratitudinem Rupertus,Adamum vituperans lib.2.in Geneſim cap.39.his verbis : *Formante Deo , & inſpirante ſpiraculum vita , factus in animam viuentem , non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vita accepta in plaſta ſui faciem , vt adoraret , & eum glorificaret, & ei gratias ageret.* Vt hominis dignitatem, & charitatem ſuam demonſtraret Deus halitu oris ſui ipſum perfundendo nobilitat , cum animam rationis participem creat. Geneſ. cap. 2. verſ. 7. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vita.* Alij legunt : *Inſufflauit flatum , aut halitum.* Cum Deus hominem conderet ſuum delicium,animam ei inſpirans iam velut in hominem anhelabat , & velut ſuſpirabat viuificante halitu , vt homo reſpiratione in corde ſibi inſerta à Deo , in faciem ipſius Dei ſpiraret ; calente, & viuifica exhalatione à diuino pectore prodeunte ſucceнſus, reciproco halitu in Dei faciem iactaret ſuſpirium. Ad Dei glorificationem obmutuit , nec corde æſtuante amore diuino , ſuſpirium emiſit. Ideo Rupertus Adami ſimplicitatem redarguit,eúmque ingratum nuncupat, ſegnem, & frigidum amatorem : *Non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vita accepta in plaſta ſui faciem.*

Rupert.

Adam ſpiraculo vita accepto,non ſuſpirauit in faciem Dei ſpirantis.

Deus inſufflauit flatum in Adami faciem.

Adam ſegnis amator.

Adami ingratitudo quomodo accipienda.

9. Non adimit Tuitienſis Abbas charitatis inſignia , quæ in primo homine refulgebant : etenim in primâ animæ creatione, charitate,& gratiâ, ornatus euaſit, excelſæ contemplationis paſtus epulis, amoris diuini dulcedine deliciabatur. Prædictam tamen ſententiam ſcripſit , quia de gratificatione Adami in Scriptura diuinitus inſpirata mirum ſilentium, & nulla grati animi ſignificatio recenſetur,nec verbis,aut operibus demonſtrauit ad violenti amoris perueniſſe faſtigium, quo anima velut ignito vulneratur telo,vulnerata langueſcit, & languori ſuo præſentiſſimum apparat medicamen lacrymas , & ſuſpiria. Talis dilectio ſponſæ, quæ cùm ad huius violentiæ dulcis apicem aduenerat, cor ſuum traiectum ſenſit flammifero dilectionis ſpiculo. Cant.cap.2.verſ.5. *Quia amore langueo,*efferunt Septuaginta : *Vulnerata charitate ego ſum.* Hoc innatum violento amori,qui ardens, & feruens, cor medullitùs transfigit. Audi expertum

Amoris faſtigium ornatur lacrymis , & ſuſpirijs.

Sept. Lxx.

P. A. Luc. de Arcones in Iſaiam.

amatorem Richardum Victorinum de quatuor gradibus violentæ charitatis diſſerentem : *Nónne tibi cor percuſſum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque tranſuerberat,in tantum vt deſiderium, ſine æſtum cohibere animo non valeat ; deſiderio ardet,affectu feruet,æſtuat,anhelat profundè ingemiſcens, & longa ſuſpiria trahens , vt dicat: vulnerata charitate ego ſum.* Hic amor colit Dei beneficentiam memoriâ ſempiternâ,eóque anima liquefacta & exæſtuans inter corpuſculi anguſtias coarctata euolare cupit ad ſponſum, & dum ſuſpiriorum flabris lenire charitatis incendium ſatagit , magis deflagrat,& dilectum ſuſpirat.

Rich Vict. *Charitatis iaculū , vulnus , æſtus, gemitus, anhelitus.*

10. Do tibi amantem feminam continuò anhelantem , & ſuſpirantem ſuum amatorem ; iaculo amoris ſauciam,gladio doloris transfixam,& confixam clauis, & lanceâ , patibulo Ieſu,cum eoque animam efflantem , & præ doloris acerbitate , & amoris robore anhelantem, Deiparam inquam, de quâ Canticorum verba cap.1. verſ. 12. *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi,inter vbera mea commorabitur* ; Expendit Rupertus lib. 1. in Cantica, & comparat cum triſti Simeonis nuncio Lucæ c. 2. verſ.35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Faſciculum cruciatuum,paſſionúmque componit, & nectit , & velut olfactoriolum appendit virgineis vberibus : eſt enim mirificus ſpiritus deuotiſſimi Abbatis hoc in loco in perſonâ Virginis alloquentis : quare adſcribam quantumuis multa: *Nolite ſolam attendere horam , vel diem illam,in qua vidi talem dilectum ab impijs comprehenſum male tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari , & flagellari, crucifigi, felle,& aceto potari, lanceari , mori, & ſepeliri. Nam tunc quidem gladius animam meam pertranſiuit : ſed antequam ſic pertranſiret,longum per me tranſitum fecit. Prophetiſſa namque eram , & ex quo mater eius facta ſum , ſciui eum iſta paſſurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum,talem filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem,vberibus lactarem,& talem eius futuram mortem ſemper pra oculis haberem , imò pluſquam Prophetica mente praniderem,qualem,quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem ? Hoc eſt quod dico : faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter verba mea commorabitur. O commoratio, dulcis quidem,ſed plena gemitibus inenarrabilibus* Hæc ex melliſluo Ruperto. Cùm virgineis pendebat vberibus Deificus puſio , vuæ ſertum ſpecioſúmque monile fœcundam vitem coronans,vuæ inquam poſtea lanceæ punctione vernantis ; cum eum amplexu ſuo fouet , & ſtringit lacertis , quis humanus ſermo ſufficiet enarrare Mariæ lumina lacrymis pulcre rotantia, tenerrimi pectoris affectus , ſolicitudine , & angore referti; gemitibus, dulciſſimique amoris,& doloris ſuſpiriis: Maiorem hic laudem duxi , ea piæ commentationi relinquere, & premere ſilentio.

Deipara amor plenus paſſione , lacrymis , & gemitibus.

Rupert.

Maria prophetiſſa erat praecognouit, omnes filij cruciatus.

Maria affectus amoris & doloris erga Ieſum paruulum.

11. Quid audeat ſponſa , cum ab ore ſponſi repetita depoſcit oſcula , valde aueo ſcire ; eius votum ſcribit Salomon cordis eius fidelis interpres Cant.cap.1.verſ.1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vehementiſſimi deſiderij cauſas multas inueſtiges, ſcopum nec vix quidem ; collimauit tamen ingenij dexteritate ſanctus Ambroſius:*Non tam labra labris imprimere , & libare ſuauia ex ore Deifico* cupit,arctúmque Chriſti amplexum, quo quaſi ad vitam ex deliquio,& languore reuocetur, & fugitiuam animam ore retrahat, ſed ſuauiſſimum halitum , & reſpirationem viuificam ex ore Chriſti prodeuntem colligere ambitiosè concupiſcit , vt

Sponſa in oſculo ſponſi, ſuauiſſimum halitum ex ore Ieſu libare cupit.

tanquam ſuccinum in pyxide cordis recondat, pectus foueat, & ſuauiſſimum Chriſti odorem expiret, & viuat ſpiritu Chriſti. Ex Ambroſij ore ambroſia verba libo lib. de Iſaac, & anima cap. 3.

D. Ambr.

Os meum aperui, & duxi ſpiritum. Oſculum eſt enim quo inuicem amantes ſibi adhærent, & velut gratia interioris ſuauitate potiuntur. Per hoc oſculum adhæret anima Deo verbo, per quod ſibi transfunditur ſpiritus oſculantis: ſicut etiam ij, qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere. Haurire exoptat ſpiritum, vt tota ſpiritalis reddatur, & ſponſum ſuum, Deum ſuum aſpiret; Chriſtum anhelantem ſuſpirantem animæ amores, ipſa recognouit, labia ſua Ieſu adaptat labiis, vt calentes anhelitus, & ſpirationes colligat, & halitu illo ad ſe attracto in dilectum ſuſpiret. Vt amorem amore inſtauret, ſpiritum anhelantem anhelitu exoluat, ſuſpiria ſuſpiriis compenſet.

Per oſculum transfunditur ſpiritus oſculantis.

12. Forſan ſacra ſponſa, cum cerneret Ieſum morientem; expirantem, animámque à pueritiâ efflantem, legere expetit de eius labiis vltimum ſpiritum, extremúmque halitum, vt ſponſo ſanguine, & amore propinquior. Hic mos apud veteres inoleuit, vt cognati amici, moribundi lectulum ambientes, illum amplexibus ſtringerent, os applicantes ori, extremum halitum, & ſpiritum excepturi, de qua Ioannes Kirchmannus de funeribus Romanorum lib. 1. cap. 5. Plura ſuppetunt teſtimonia ex humana literatura: vnum, aut alterum dabo. Cicero 7. in Verrem: *Matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret.* Apud Theocritum introducitur Venus Adonidem ſuum deplorans Idyll. 23.

Vltimum halitum animã agentis legebant propinqui.

Ioan. Kirch.

Cic.

Theocr.

Τοσσοῦτόν με φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλαμα.
Πνεῦμα τεὸν ῥεύσεις τὸ δὲ σεῦ γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω,
Ἐκ δὲ πίω τὸν ἔρωτα:

Tantum me oſculare, quantum viuat oſculum.
Spiritus tuus effluet, quod dulce philtrum hauriam,
Amorémque ebibam.

Quid mirum ſi ſponſa ſponſum ſuum dilectum toties vitam abrumpere, aut in Crucis thalamo, & lectulo expirantem cerneret, quòd auida ruat in amplexus, & oſcula, & moribundum ſuſpirans, & eiulans oſculari cupiat; vt anima Chriſti ad exitum feſtinante, & ad labia expirantis emergente, reponenda in manibus Patris extremum vitæ flatum anhelans legat, vt de morientis dilecti ſpiratione in æternum viuat.

Sponſa cernens Ieſum ſpirantem, extremum vitæ flatum haurire cupit.

13. Hunc affectum ad viuum expreſſit amor in Ioſeph iuſto cadauer Chriſti de Cruce deponente, iuſtáque ei ſoluente funebri pompa; quanta pietate intra gremium ſuum adſtrinxerit depoſitum illud ſacrum; quot amantis, & ſuſpirantis animi ſignificationibus in demortui Dei ore oſcula fixerit, ex melle dulcioribus pietatem ſpirantibus verbis Epiphanij Epiſcopi Conſtantiæ Cypri agnoſces: ſic enim ſcribit orat. de ſepulturâ Domini: *Beatum dico tuum os, qui impletus es inſatiabiliter, & vnitus Ieſu ori, & Spiritu ſancto illinc repletus. Beatos tuos oculos appoſitos Ieſu oculis, & lucem veram illic aſſequutos: beatam tuam faciem, qui appropinquaſti ad Ieſu faciem.* Non licuit ad Ieſum in altitudine Crucis elatum Ioſepho accedere, vt ex emittente ſpiritum, ex ſpirante, ſpirationem poſtremam exciperet: at cum Ieſus mortuus inter brachia ſua recumbit, faciem Ieſu faciei, oculos oculis applicat, patulique oris diuini labris figit oſcula: ex liuida facie, violaceiſque labiis hyacinthos, & nigricantes floſculos carpit, purpuraſcentis agni cruore velut rubricâ ſignatur. Repete ſancti Epiphanij ſuperiora verba: *Vnitus Ieſu ori, & Spiritu ſancto illinc repletus.* Non erat in ore diuino ſpiraculum naturalis vitæ, quod in Ioſephum transfunderet, erat tamen vita Dei, & ſpiritus gratiæ, quæ ipſum deificaret; quàm munificus Ieſus vita functus! Ioſephus in ore, & labiis Ieſu emortuis ſuſpirat, & anhelat; Ieſus quoque in Ioſephum efflat; deerat ſpiritus animi, quem mors crudelis ſeiunxerat, non defuit Spiritus ſanctus, quem Verbum Dei, illi cadaueri vnitum ſpirabat, Ieſus ore emortuo Spiritum diuinum in Ioſephum efflabat, illum Spiritu ſancto replebat.

Amoris affectus in Ioſeph iuſto, corpus Ieſu deponente de patibulo.

D. Epiph.

Ex ore Deifico, ſpiritu ſancto repletur.

Pro expoſitione tertiâ.

DISCVRSVS III.

In ſolius Ieſu poteſtate eſt expiratio, quia mortis Dominus, non coactus, ſed ſpontaneus occumbit.

1. MAXIMVM naturæ humanæ decus, vnum hominem inueniſſe, qui regnum mortis diſturbaret, eiúſque aboleret tyrannidem, neceſſitatémque moriendi, qua velut aculeo omnes Adæ natos ſtimulabat, in corpore ſuo voluntariè obiens ſtimulum retunderet, & roſtratum impetum mortis, ipſi imperitans frangeret. Occinit Epinicio carmine Habacuc, Ieſu inuictum robur in Cruce oſtenſum cap. 3. verſ. 4. & 5. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Aliam lectionem Septuaginta ſeniores nobis ſubiiciunt: *Poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.* Cum verba hæc relegis, ſtatim perſcrutaberis, quæ dilectio fortitudinis, aut quæ fortitudo dilectionis iſta eſt: quia per mortem aboleuit mortem, & immortalitatem reduxit? quia Dæmones ſubuertit, inferorum manubias deprædatus? Non diſplicent hæc interpretamenta Patribus Eccleſiæ. Ad rem noſtram argutè Theophylactus: *Dilectio ipſa non imbecillitatis, ſed roboris erat. Non enim ceu imbecillis paſſus eſt, ſed voluntarius, qui in Crucem etiam ſublatus propriam oſtendit potentiam, Solem obſcurans, terram concutiens, monumenta aperiens.* Non enim à morte raptatus inſtat cæterorum hominum inuitus amittit huius lucis vſuram, ſed pro arbitrio, & electione animam efflat; & voluntariè obeuntem teſtantur elementa; ei enim Domino, cui mors obtemperat, ipſa famulantur, & eum ſtatæ legis ſuæ fœdera rumpunt iuxta nutum, & imperium morientis, apertè demonſtrant, in patibulo expirantem, in extremo halitu tenuiſſe mortis imperium, & voluntarium de vitâ migraſſe.

Robur charitatis Ieſu fuit, mors voluntariũ.

Lect. Lxx.

Theoph.

2. Sancita lex de nece inuoluntaria à legiſlatore ſacro proponitur Numer. cap. 35. à verſ. 22. *Quod ſi fortuitu, & abſque odio, & inimicitijs quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem, & propinquum ſanguinis*

Lex ſancita à legiſlatore de nece inuoluntaria.

ſanguinis quæſtio ventilata: liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per ſententiam in vrbem ad quam confugerat, manebitque ibi donec Sacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur. Verba hæc ſacri textus faculam præferunt, & lumen intelligentiæ exhibent epiſtolæ 109. lib. 3. Sancti Iſidori Peluſiotæ, in qua ſunt intellectu difficiles ſententiæ; ſic ſcribit ad Eutonium Diaconum: *Ob hanc, ni fallor, cauſam Pontificis vitam exilij tempus, ei qui minimè voluntariam cædem admiſerat, legiſlator praſcripſit, vt perſpicuo argumento hoc nobis declararet, quod ſi inuoluntaria Pontificis mors, eos qui haud ſponte cædem perpetrarint, patria reſtituebat, reditúmque ipſis concedebat; voluntaria magni Pontificis mors, quæ per reſurrectionem extincta eſt, voluntaria etiam crimina obliterauit, omnéſque, qui ipſius verbis fidem adhibebunt, ſuperne Hieruſalem reddit. Quæ enim ſurſum eſt Hieruſalem, inquit diuinus Paulus, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Perſcrutabatur Eutonius à Peluſiaco oraculo Iſidoro, cur homo inuoluntariam necem perpetrans extorris permanebat à patria, relegatus vſque ad mortem Sacerdotis Magni? Ipſo enim è corporis vinculis tanquam è carcere euolante, exilium ſoluebatur, & exulans redibat ad proprios lares? Et reſpondet quæſito, nec indoctè, nec parum ſubtiliter: inuoluntarium Pontificis obitum inuoluntariam necem expiaſſe, mors itaque conſtituta erat exulantium patrona, libertatis vindex, quæ ab exilio reduces reſtituebat patriæ. In hac vmbra mortis delineatum inuenies magni Pontificis Ieſu myſterium: etenim inuoluntaria mors, quæ fortuitò præter mentem occidentis obtigerat, quia occidentem non obſtringebat criminis reatu, (vbi eſt omnino inuoluntarium non eſt peccatum) expiabatur inuoluntario Antiſtitis obitu: verum quia humanum genus erat religatum voluntarij flagitij vinculis, exigebatur alterius Pontificis Maximi voluntarius interitus; vt ſicut pro inuoluntario defectu, pro modulo ſuo, & iuxta creaturæ facultatem ſatisfaciebat inuoluntarius occaſus; pro liberis, & voluntariis criminibus, iuſtitiæ Diuinæ ad æqualitatem ſatisfaceret ſpontanea mors: *Voluntaria Magni Pontificis mors, voluntaria crimina obliterabit.* Ille ſolus qui voluntariè expirat poteſt ſoluere mortis reatum, & ſpontanea crimina expungere, quia ſolus liber in morte à mortis debito, quia ſolus eximitur à ſceleris commiſſi reatu, cui multa imponitur neceſſitas moriēdi. Accedit quod qui à neceſſariæ captiuitatis iugo erant eximendi, & in libertatem vitæ felicis aſſerendi, expediebat vt id fieret à voluntariè redimente, vt libertatem nobis donaret ſpontaneè ſubiectis, & immortalitatis vitam refunderet voluntariè mortuus.

D. Iſid. Pel.

Inuoluntaria Pontificis mors inuoluntariè interfectorem reducebat ab exilio.

Voluntaria ſummi Pontificis mors, voluntaria crimina obliterauit.

Cur Ieſus dicatur homo ſine adiutorio, & inter mortuos liber.

3. Cùm relego verba Pſalmi 87. & ad numerum 6. peruenio, hanc mihi difficultatem obiicio: cur Ieſus vocitetur homo inter mortuos liber? *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.* Quare ſine adiutorio, & liber inter mortuos? quod maius præſidium mortui quàm ipſa libertas, & à mortuorum legibus, & mortis vinculis exemptio? Cernens Ieſum ſolutum inter mortis nexus, ſoluit nodum difficultatis Euthymius monachus Zigabonus, relegit ex Eccleſiæ Patribus, & pratis floſculos ſuaue fragrantes, & corollam interpretationum, & acuminum pangit, ea claritatis gratia per numeros recenſeo.

Euthym.

Prima ratio. Quia non ab Angelis deductus ad inferos.

4. Primò. *Liber quia non ab Angelis in infernum deductus ſum, ſed ſolus deſcendi.*

Secūda ratio. Solus Ieſus inſons ad mortem acceſſit.

5. 2. *Acceſſi, inquit, ad mortem liber, hoc eſt inſons, atque innocens: omnes enim alij peccatum ſecum habent vt cauſam mortis: ſolus autem Chriſtus inſons, & ſine peccato ad mortem acceſſit.*

Tertia ratio. Sponte ſua Ieſus moritur.

6. Tertiò, & potiſſimum: *Vel liber quia alij inuiti moriuntur, & ideo mortis ſerui ſunt: at Chriſtus ſponte ſua, ac volens mortuus eſt: poteſtatem enim inquit habeo ponendi animam meam.*

Quarta ratio. Cum dignitate & auctoritate ad inferos deſcendit.

7. Quartò. *Vel aliter liber, veluti qui inferni vinculis non eſt detentus, ſed cum auctoritate, atque cum dignitate illuc deſcendit, atque ibidem etiam conuerſatus eſt, & aliorum vincula diſſoluit.*

8. Primâ fronte totam difficultatem dirimit eruditus Euthymius: auxilio non indiguit humano hominum vindex vt mortem proſterneret; non ei opus fuit Angelorum præſidio quorum manibus portaretur in ſinum Abrahæ, quorum ſuffultus viribus inferorum barathra penetraret, Tartarorum portas æreas confringeret, & lucifuga monſtra profligaret; tantummodo Angelorum turba exhibeat ſatellitium ſuo Regi, ſuo Domino clientelam: ideò ſine adiutorio inter mortuos liber Ieſus.

Tertia ratio, conceptum adſtruit.

9. Tertia, & poſtrema commentatio velut acu pungit conceptus acumen: cum auctoritate deſcendit ad mortuorum ſepulcra, ad inferorum regiones cum dignitate venit non ſubiectus ditioni Ditis, ſed cenſoria poteſtate morti imperans, vincula mortis diſſoluens, diuinitatis fortitudine, ab omni ſcelere immunis conſcientiæ libertate. Vel denique liber: quia vſus in moriendo arbitrij libertate, mortuus eſt quando voluit, quomodo voluit: *Alij inuiti moriuntur, & ideò mortis ſerui ſunt*, non inter mortuos liberi: *At Chriſtus ſponte ſua, ac volens mortuus eſt*: Ideò inter mortuos, qui moriuntur inuiti, ſolus Ieſus liber.

Euthym.

Hercules Mortem & Tartara expugnat.

10. Hanc liberam poteſtatem, & imperium in inferas vmbras adumbratam inuenies, & forſan ex ſacræ literaturæ locis mutuatam in celebrato pugile Hercule, cuius res geſtas celebrans Seneca peruenit ad expugnationem mortis, & Tartari à tanto Heroë perpetratam, & in Hercule furente actu 1. canit:

Sen.

Et fregit ecce limen inferni Iouis
Et opima victi Regis ad ſuperos refert.
Parum eſt reuerti, fœdus vmbrarum perit,
Vidi ipſa, vidi nocte diſcuſſâ inferûm,
Et Dite domito, ſpolia iactantem patri
Fraterna Cur non vinctum, & oppreſſum trahit
Ipſum catenis, paria ſortitum Ioui,
Ereboque capto potitur, & retegit ſtyga?
Patefacta ab imis manibus retro via eſt,
Et ſacra diræ mortis in aperto iacent.
At ille rupto carcere vmbrarum ferox
De me triumphat, & ſuperbificâ manu
Atrum per vrbes ducit Argolicas canem.

Hoc eſt Cerberum tricipitem canem, inferorum cuſtodem, quem Hercules catenâ innexum ſecum in modum pompæ circumtulit. Propoſitas à tragico Vate querelas in Herculem furentem Iuno iactauit; quanto melius adaptabis morti domitæ, ſpoliatæ, & inferorum cani Diabolo compedibus à vero Hercule Ieſu ligato, querimonias mouentibus aduerſus Ieſum ad inferos deſcendentem; infernas vmbras, Dæmonis, & mortis imperia diſturbantis; do tibi Euſebium Emiſſenum Epiſcopum eas omni Vate tragico, lyrico, elegantius

Mortis ſpoliata à Ieſu, querela.

Euſeb. Emiſſ.

 deſcribentem

Deſcenſus Chriſti ad inferos, & illius effectus mirabiles.

deſcribentem homil. 1. de Paſchate; *Confeſtim igitur æterna nox inferorum Chriſto deſcendente reſplenduit: ſiluit ſtridor ille lugentium, ſoluit confeſtim ſtridorem lugentium, & catenarum diſrupta ceciderunt vincula damnatorum: attonita mentis obſtupuere tortores, omnis ſimul impia officina contremuit, cum Chriſtum repentè in ſuis ſedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores deſcendente Chriſto talia inter vmbroſa ſilentia cæci metu incumbente ſubmurmurant: quiſnam (inquiunt) eſt iſte terribilis, & niueo ſplendore coruſcus? Nunquam noſter talem excepit tartarus: nunquam in noſtra cauerna talem euomuit mundus; inuaſor eſt iſte, non debitor: effractor eſt, vel diſtructor, non peccator, vel præuaricator: iudicem videmus, non ſupplicem: venit iubere, non ſuccumbere: eripere, non manere.*

Ferruginei ianitores inferni quid ſubmurmurant Chriſto deſcendente ad Tartarũ.

Ieſus inuaſor non debitor.

Quibus oſtendit Emiſſenus quanto cum imperio ad illas inferorum voragines Chriſtus deſcenderit, tanquam iudex, & Dominus mortis, arbitrio mortui obſecundantis: abiectis armis omnium ei mortuorum obtulit ſpolia. Non tantum Ieſus extitit voluntarius moriendo, ſed iuxta ſuum beneplacitum mortuis imperando, & in regione mortis pro arbitrio cuncta diſponendo.

11. Protulit coram Iudæis Ieſus ſermonem boni paſtoris, in eóque potiſſimum ſe à mercenario diſcriminat, quia animam pro dilectis ouibus ponit; de ore Deifico effluentia verba ſolerter collegit, accuratè ſcripſit Euangeliſta Ioannes, illámque amantis Ieſu ſententiam dilectus Domini tradidit cap. 10. verſ. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo, ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Cuicumque attentè legenti, & profundiore indagine perſcrutanti Euangeliſtæ verba geminum dubium occurret. Primum excitat illa ſententia: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Numquid taliter diligit Pater filium, quia vitam pro homine profundit, vt ſi pro homine non moreretur, filius à Patre non amaretur? Etſi propterea amatur, quia pro hominis ſalute morte multatur, ergo mors, & interitus filij qui vita eſt, motiuum eſt vt à vitæ principio Patre vita genita diligatur. Cerne quantum valeat mors, & quantum præſtet Deus morti; à Patre nunquam morienti filius non diligeretur, niſi foret Deus moriturus. O bona mors, quæ amorem parentis excitaſti! Dubium hoc excitat, & acutè diſcutit os aureum in Catena Græcorum Patrum: *Quid igitur dic amabo? Superiori tempore non amatus eſt, ſed nunc demum Pater eum cepit amare, nóſque primum illi amorem conciliauimus?* Et reſpondet illico: *Si nihil aliud vel hoc ſaltem ſuadet me amare vos quod vos ita amamini à Patre, vt ego etiam propter hoc diligar ab eo, quia pro vobis morior. Præterea & illud cupit ſignificare ſe nimirum non inuitum paſſionem aggredi, ſi enim inuitus fuiſſet, quomodo hoc illi amorem conciliaſſet?* Dilexit ante tempus, & omne æuum Pater filium, quia genitus genitoris character, & figura ſubſtantiæ eius, quia immenſa bonitas, & infinita pulcritudo elucebat in Verbo; eſt etiam dilectus à Patre, quia Deus erat pro homine moriturus: Pater filium diligebat, quia ex ſententia, & voluntate ſua filius ſic homines amabat, vt ſanguinem, & vitam pro eorum redemptione profunderet. Vnde, quia amor filij erga homines amorem Patris conciliabat, maiori affectu amoris homines proſequebatur filius; & quia ex amore hominum immenſi amoris vinculo vnitum ſe agnouit Patri, ſtrictiori nexu obligatum ſe ſentit

Ieſus diligitur à Patre, quia habet poteſtatẽ ponendi, & ſumendi animam.

D. Chryſ. Cat. Græc.

Hominis Patris amorem Chriſto conciliauimus, quia pro nobis mortuus eſt voluntarius.

ad redamandum homines: ſed vtriuſque amoris conciliatrix extitit ipſa mors Dei, mors inquam non inuita, ſed voluntaria: *Propter hoc* (vtor verbis Chryſoſtomi,) *diligar ab eo, quia pro vobis morior*, &c: *Si enim inuitus fuiſſet, quomodo hoc illi amorem conciliaſſet?* Si moreretur inuitus nec genus humanum reconciliaret Patri, nec beneuolentiam Patris conciliaret, tantum valuit voluntaria mors, vt propter eam corona dilectionis decoretur à Patre, quia à nullo coactus, ſed ſpontaneè in Cruce expirauit, propterea in eo ſemper complacuit Pater.

Si inuitus moreretur Ieſus, à Patre non diligeretur.

12. Altera dubitatio ex illa verborum ſerie inſurgit: *Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam a meipſo.* Nonne Iudæorum improbitas Chriſtum vita exuit, & ei animam abſtulit? quomodo ergo nemo tollit ab eo animam, quandoquidem interemptores à corpore animum ſegregarunt? argutè Chryſoſtomus in eâdem catenâ Græcorum Patrum citatus reſponſionem adhibet: *Attendamus diligenter ad ea, quæ dicuntur. Sic, inquit, poteſtatem habeo ponendi animam meam, vt nemo me inuito id facere poſſit. Quod in hominibus locum non habet: nam nonnulli ex inſidijs, vel nolentibus nobis eam auferunt. Chriſto autem non ita, verum etiam inſidijs circumuentus, ſui iuris erat moriendi, necne.* Nemo ab eo animam adimere poterat inuito; carnifices dum proprio incumbunt ſceleri crucifigendi Ieſum, famulabantur voluntariè morienti; mortem, quam ipſe elegerat, & amauerat, inferunt. Adde cum in morte ſui iuris erat, vita, & anima Chriſti non erat mortis ſpolium, ablatum à victrice morte ſicut in filiis Adæ, ſed potius mors deuicta, & ſubiugata eſt, ſuiſque ſpoliata manubiis; vnde mors non abſtulit animam, ſed ab anima ſpoliata eſt mors. Non tollit, ſed ablata, & abolita eſt, non aufert, ſed aufertur. Occiſores in Ieſum manus inferentes, non tam animum abſtulerunt, ipſe potius Ieſus pro omnium ſalute donabat.

D. Chryſ.

Iudæi ſuſtulerunt animam à Ieſu, ſed non inuito.

13. Ieſum triumphale Crucis ſignum ſuper humeros tollentem copioſa turba comitatur, præſertim mulierum, quæ triſti ſpectaculo commotæ omnia lamentis implent, in acerbum fletum erumpentes. Lucæ cap. 23. verſ. 27. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit; filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Cur lacrymas Ieſus inhibet commiſerationis affectu effuſas de femineis oculis? Nonne Salomon filias Ieroſolymæ hortatur, vt Regem pacificum proſpectent ſentium plexu coronatum, ſuo ſanguine purpuratum, vt mœrore, & luctu aſſocientur dolenti, & titulum ſuæ necis baiulanti? Hæſit in hac ſalebrâ Theodoretus Preſbyter, ſed mirâ dexteritate, & eruditione ipſum eripuit ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 285. propoſitæ percunctationi reſpondens: *Quidnam tibi in mentem venit, vt ex me ſciſcitareris quid cauſæ fuerit quamobrem Chriſtus mulieres lugentes, cum ipſe ad Crucem vt victor triumphans abibat, non modo non collaudauit, ſed etiam obiurgauit? Perſpicuum enim illud eſt, commiſerationem ei quidem, qui inuitus patitur, ſolatium: ei autem, qui vltro ac ſponte, contumeliam afferre. Siquidem ei, qui non inuito animo patitur, commiſeratio pro contumelia eſt. Quandoquidem igitur ipſe ſponte ad patiendum ſe conferebat, vt & mortem extingueret, & Diaboli neruos infringeret, eum autem, qui laudibus ac plauſu dignus erat, illæ fletu, ac lacrymis proſequebantur, propterea vt quidem nonnulli exiſtimant,*

Cur Ieſus portans lignũ Crucis lacrymas piarum fœminarum inhibet.

D. Iſid. Pel.

Commiſerationem inuito morienti ſolatium, voluntario occumbenti contumeliam afferre, quo ſenſu verum.

Ieſus ſponte ad mortem ſe contulit vt eam extingueret.

ſtimant, ipſis malum imprecatus eſt, reuera autem calamitates ipſis euenturas prænuntiauit. Non improbat Ieſus pietatis fœmineæ affectum, quo virum dolorum Ieſum mulieres proſequuntur, ſed nimios, aut indecoros eiulatus: forſan quid humanum patiebantur, exiſtimantes, iuxta Peluſiotæ mentem, duci ad paſſionem inuitum, & more aliorum hominum à morte detriumphatum raptari; à tali mente feminas auocauit Ieſus obiurgatione ſuâ, habitu, & verbis oſtendens tanquam inuictum agonothetam, & eximium triumphatorem ad Caluariæ palæſtram contendere; id enim innuebant capitis corona, & vexillum Crucis ſublatum humero, de morte nimirum triumphum; victor autem, & triumphator gratulatione potiùs, & plauſu proſequendus quàm lacrymis, & luctu. *Commiſerationem ei, qui inuitus patitur ſolatium: ei autem qui vltrò, ac ſponte contumeliam afferre.* Prudentiæ condimento temperanda Iſidori ſententia; qui velit nolit ab exactore pœnarum ad mortem trahitur, compaſſionem prætendit tanquam leuamen dolorum, ſolatium ærumnæ; Ieſus verò qui voluntarius, & ſui iuris exiſtens mortem ſubibat traducendam, pedibúſque calcandam, compaſſionem habuit pro ignominiâ; commiſerationem, inquam, quâ quis exiſtimaret tanquam vnum de turba capitis damnatum ad mortem abripi; ſi verò mulieres miſereſcerent Ieſu, quia licet duceretur ſpontaneè moriturus, iuſtus tamen moriebatur iniuſtè; talis miſerationis affectus ſimul cum profuſione lacrymarum, ſolamen foret, non dedecus, ſed decus.

Discvrsvs IV.

Corpus Ieſu iacens in tumulo, propria voluntate, & poteſtate animum, & flatum vitæ reſumit, vt iniquæ voluntatis, & poteſtatis machinamenta diruat.

1. Æqva voluntas, & poteſtas in Ieſu in deponendo, & reſumendo ſpiritu; & voluntaria corporis emortui viuificatio & vitalis reſpirationis infuſio, euidens fuit oſtenſio Deitatis: origo vitæ cadaueri ſuo, pro arbitratu, vitale lumen immortalitatis infudit; nec mors remorari potuit vitam, quin corpori emortuo maturaret reſurrectionem. Celebris lucta, qua homo à Deo prouocatus, & Deus ab homine victus precibus, & lacrymis apparuit; qui victoriæ palmam retulit, & in conflictu extitit ſuperior, à detriumphato Deo benedictionem extorquet; amoris, & pietatis concertatio prorogata vſque ad roſeum lumen auroræ; quo exoriente, Deus luctaminis flagitat inducias. Geneſ. cap. 32, verſ. 26. *Dixitque ad eum: dimitte me, iam enim aſcendit aurora.* Quid eſt hoc? apta eſt certamini vmbra? Et diſſipata caligine noctis finitur conflictus? Et albeſcente die abiiciuntur arma, & quibus Deus, & homo retinentur adſtricti, relaxantur lacerti? Potior ad certamen rutilus lucis fulgor, & primus Solis exortus, vt maneat conſpicua vtriuſque pugilis virtus. Erat locus certaminis ab omni turba remotus, adſunt cœlites ſpectatores luctaminis, adeſt Deus Iacobeæ fortitudinis arbiter, qui ſuo lumine noctis caliginem diſſipat, & iuſti robur manifeſtat; aliam ob rem inter noctis vmbras humanis Deus implicatur amplexibus, & antelucano tempore fugam meditatur. Erat in illo myſtico conflictu occultatum Chriſti myſterium, nocturni temporis vmbra caliginem mortis indicabat; in certamen ergo paſſionis Ieſus vltrò ſe obtulit, & ingreſſus eſt caliginem mortis cùm triduo in ſepulcro iacuit, ſed illuceſcente aureâ Reſurrectionis horâ, à morte retardari non potuit; arguté Euſebius Emiſſenus homil. 8. de Paſcha inquit: *Quod autem dicit ipſe Angelus: dimitte me, iam enim aſcendit aurora: hoc indicabat, poſſe eum a morte vinci, non poſſe à ſe retineri: ſed poſt illam fugata luce paſſionis noctem, promittit illico eſſe reſurrectionis auroram.* Cum dimitti ſollicitat ex amplexu Iacob Deus, exolui cupit de vinculis mortis, vt exacto triduo, quo iacuit in ſepulcro, diſpulſis tenebris ad vitæ lumen remearet: qui enim venit ad laqueos mortis voluntarius, & in regione mortuorum cum ſummo imperio commoratus eſt, expleto tempore ſacræ dormitionis, primo Solis ſplendore in Oriẽte diffuſo, inferni nexus, compedes mortis ſine cunctatione diſſoluit, in cadauer ſuum inſpirauit flatum vitæ, & ſplendoribus æterni luminis decorauit.

Lucta Iacob cum Angelo.

Cur exoriẽte aurora Deus poſtulat inducias.

Nox luctæ, mortẽ Chriſti, prima lux adumbrabat reſurrectionis auroram.

Euſeb. Emiſſ. *Ieſus potuit à morte vinci, ſed non valuit retineri.*

2. Apparuit in monumento Ieſus hortulani habitu Mariæ Magdalenæ, quæ proprio nomine interpellata dulcem Magiſtri vocem ſenſit, irruit illicò in amplexus, & oſcula ſeſe abiiciens ad pedes Ieſu; Dominus tamen non admiſit pietatis obſequium, ſed remoratur eam vocis imperio. Ioannis cap. 20. verſ. 17. *Dicit ei Ieſus, noli me tangere.* Amoris cæco impetu feſtina inuolat, vt beatorum pedum lingat veſtigia, aut iis infigat oſcula, lacrymarum irriget fluentis, & ſplendentia foramina velut margaritarum ornet decore. Cur Maria retardatur, & ab ea Ieſus non permiſit attingi, vt iterum ſugat mel dulcedinis, oleum pietatis de rimis petræ? Ecce rediuiuus denegat pedes feminæ, qui ante mortem in domo Simonis leproſi apprehendendos totos, totos dederat oſculandos. Si ratione dignitatis, & nouæ gloriæ impetum Mariæ reprimit, poſt reſurrectionem apprehendendum, & tangendum ſe dedit Mariæ Magdalenæ, & piis mulieribus. Matthæi cap. 28. verſ. 9. *Illæ autem a ceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Cur hîc non paſſus eſt à Magdalena tangi? Occurrit dubio ſanctus Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap. 9. his verbis: *Et ſi dicat noli me tangere, tu tene: ſemel dixit noli me tangere quando ſurrexit, & forte illi dixit, quæ putabat furto eſſe ſublatum & non virtute propria reſuſcitatum.* Maria adhuc dubia de Reſurrectionis myſterio, non promeruit admitti ad benignitatem tactus, & oſculi pedum beatorum; exiſtimauit Maria, fures inuaſiſſe ſepulcrum, & abſtuliſſe ſacri cadaueris ſpolium, femina quæ autumat corpus Ieſu non eſſe rediuiuum, ſed furtiuum, ei non imprimat oſculum; quæ non apprehendit fide, propriâ virtute à morte reuocatum, non comprehendat, nec tangat corpus ſuſcitatum; non teneat vitam mulier, quæ cenſet adhuc Ieſum teneri vinculis mortis; ideo Magiſter poſt reſurrectionem ſuam tactum Mariæ fugit, religioſos feminæ auſus declinat. Accende mulier in pectore tuo fidei viuæ lumen, quo cernas Ieſum propria virtute ſuſcitatum, propria poteſtate cadaueri ſuo infudiſſe vitam, & reſpirationem, nec patieris repulſam, tenebis pedes, libabis oſcula. Vnde poſtquam

Cur Ieſus in monumento denegat Mariæ Magdalenæ pedum ſuorum tactum & oſcula.

D. Ambr. *Maria Magdalena exiſtimauit Ieſũ furto eſſe ſublatum, & non virtute propria reſuſcitatum.*

quam inſtructa eſt reſurrectionis magiſterio, cum adoleuit, & roborata eſt fides, admiſſa eſt cum aliis feminis ad Ieſu tactum, & pietatis conſortium.

Magdalena in ipſa dubitatione reſurrectionis, prædicat reſurrectionem.

3. Fluctuat Magdalena, & inter ipſas hæſitationis vndas, placidum tenet fidei portum; inter ignorantiæ tenebras diuinæ cuiuſdam ſapientiæ detegit iubar. Ambit Maria Ieſu tumulum, omnia perluſtrat, vt inueniat dilectum, omnia gemitibus complet, occurrit Ieſus illacrymanti olitoris ſpecie, & habitu: *Dicit ei Ieſus: mulier quid ploras? quem quæris: illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum*, &c. Ioan. cap. 20. verſ. 15. Præſentit Maria præſentiam dilecti, cum quo tanquam cum ignoto fatur, & velut cæleſti afflatu correpta, verbis ſuis myſterium aperit reſurrectionis, in ignorantia ſua ſapientior inuenitur, hæſitantia ſua firmat fidem reſurrectionis, cum prædicat Domini poteſtatem: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum.* Ad vitam appropinquans verba vitæ Maria fundit, ritè coniectat, Sacramenti ſcopum attingit. *Domine ſi tu ſuſtuliſti.* Ipſe ſe tulit, cum corpus à morte reuocauit; dixit quod res planè eſt, qui ſeipſum ſuſcitat, ſeipſum portat. Acumen eſt ſancti Maximi de paſſione, & ſepultura Domini homil. 3. ſcribentis: *Sancta ergo, & ſimplex fœmina Chriſtum requirebat à Chriſto, & deuotione mentis prophetat, & neſcit rectè interrogat, ſi tu tuliſti eum? ipſe enim tulit corpus ſuum, qui ſuſcitauit; ipſe tulit corpus, qui illud iacens, & dormiens, ſua aſpiratione collegit.* Quantus lepor, & gratia nitet in Magdalenæ labiis, dum ignara myſterij oraculum explorat, & in ipſa ſapientiâ verbum vitæ perſcrutatur, velut quædam Sibylla diuinitus afflata, arcana verba fatur: quàm prudens inueſtigatio veritatis: *Si tu ſuſtuliſti?* tulit vtique diuinæ poteſtatis humeris, quæ omnia portat, orbem fulcit, & peccata omnium in ligno Crucis ſuſtinuit; in trutina mentis libra acumen Maximi maximum: *Qui illud iacens, & dormiens, ſua aſpiratione collegit.* Miror hæc Epiſcopi Taurinenſis verba, forſan videretur aſſerendum Chriſti cadauer collegiſſe animum, non animam collegiſſe cadauer: erat in triduo mortis Chriſti ſpiritus à corpore exangui, & liuido in tumulo iacente ſequeſtratus, & tempore mortalitatis exacto cum primum Solis orientis crepuſculum affulſit, Deitas corpori emortuo vnita, cadauer rore lucis, & vitæ perfudit, ſpiritum collegit, & reſpirationem indidit; vtrumque in Chriſto verum, & animus colligit corpus, & corpus colligit animum, ſed quia in anima vitæ, & halitus principium, ideò ipſa corpus halitu, & reſpiratione colligit, dum ipſi vnita ſpiramen fundit: quod ſi placuerit alium cogitatum dici poſſe probabiliter ſenties. Se ſe obiecit Ieſus aſpectui Magdalenæ habitu olitoris, ipſum corpus, in horto ſepultum, & ſicut ſemen immortalitatis ſatum, tanquam ſurculus & germen Patris, in quo inſertum genus humanum ad vitam immortalem ſurgeret; erat corpus Ieſu virgineæ virgæ flos immaculatus in tumulo mortuorum conditus, vt odorem vitæ inhalaret cadaueribus putridis, venit Ieſus in habitu, & ſpecie topiarij ad hortum ſuum, vt colligat corporis lilium flagellorum purpura diſtinctum, caryophyllum terebratum clauis, & roſam ſentium cuſpidibus punctam: tunc voti compos facta ſponſa Cant. cap. 6. verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Venit in hortum ſepulcri colligere lilium, vt conſumpta mortalitatis forma candorem induat ſplendoris æterni, & cum afflat odorem incorruptionis, & immortalitatis in corporis ſui florem, corpus velut faſciculum colligat, & liget indiſſolubili nexu, ſpiramentis paradiſi recreetur ſpiritus, cúmque odoros halitus de corpore ſuo libat, in mortuorum corpora incorruptionis odoramenta afflet.

Ieſus tulit corpus ſuum, cum illud ſuſcitauit.

D. Max.

Ieſus cadauer ſuũ, ſua aſpiratione collegit.

Cur Ieſus olitoris habitu apparuit Magdalenæ.

Ieſus deſcendit in hortũ ſepulcri, vt lilia colligat.

Ieſu mors, & reſurrectio in vna figura.

4. Comparat ſe Ieſus cum Ionâ Prophetâ, qui ſepulturæ, & reſurrectionis eius prætulit imaginem, quam ſæpiſſimè contemplatus mente ſtupeo ad Domini potentiam, & non tam demiror Vatem naufragum, & incolumem, ſeruum fugientem fluctibus interceptum, & hiatu ceti velut in vinculis, ac tenebris intruſum, vt poſt triduum ſuperſtes, gentibus promulget Dei præconium; quàm in ipſa ventris voragine, & ergaſtulo indemnitatem, loquendi fiduciam, nec ſpiritum interclusum, ſed adhuc vitali aëre paſci in illo mortis tumulo, & in regione vmbræ mortis adhuc perfrui huius lucis vſurâ. Ionæ cap. 2. verſ. 1. *Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, & orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Eâdem admiratione tenetur argutus Euſebius hoc Ionæ prodigium perpendens, verba ſunt Emiſſeni ſtupore plena ex homil. 2. de Paſcha: *Ionam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non contigit deuoratum: & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit: plenis viſceribus famem patitur, & in prædam, quam abſorbuit, nihil ſibi licere miratur: quis eſt iſte, qui intra auidos rictus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt, corruptio non eſt: traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio: quis eſt iſte, qui vaſtiſſimos ſinus periculorum tutus ingreditur, & ſub altitudine concluſus immenſâ, atque mortiferâ, vitali aere paſcitur, & demiſſus in alienam rerum naturam, in vitæ exilio cum vita peregrinatur?* Plenum prodigiis naufragium vatis, iure ſtupet Euſebius; mors, perditio, gurgites maris, bellua ipſa ventris ſui incluſum anguſtiis Prophetam mirantur; quid? Sæuiſſimos fluctus compoſitos? fœliciſſimæ nauigationis tenuiſſe curſum, tranquillum appuliſſe portum? Hæc omnia mira, illud tamen mirabilius: *In altitudine mortiferâ vitali aere paſcitur, in vitæ exilio cum vitâ peregrinatur.* Vates à fluctibus, à corruptione, & ferâ cultus, erat Ieſu ſimulacrum iacentis in tumulo, quem paſſionum fluctus, contradictionum tempeſtas, mors ipſa reuerentur. *Hic eſt qui traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio.* Mors etenim Chriſto non imperat, ſed obſecundat. Hic eſt, qui ad regionem mortis peregrinatione ſuſceptâ, ſecum vitam mortuus detulit ad ſepulcra; & inter inferas vmbras, diſiectis vinculis mortis, tempore mortalitatis exacto, pro arbitrio vitam reſumit, & vitali aëre paſcitur.

Euſeb. Emiſſ.

Ionas in viſceribus beſtiæ indemnis cuſtoditur.

Inter auidos rictus aſſumitur, at non conſumitur. Mortis obſequium erga Ionam.

In altitudine mortiferâ, vitali aere paſcitur.

In vitæ exilio cum vita peregrinatur.

Circumgyratio diurna Solis.

5. De diurno Solis curſu in hanc ſententiam loquitur Eccleſiaſtes cap. 1. verſ. 5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Ortum, & occaſum Solis proponit Salomon, vel cum manè de ſuperioribus fulget lampas cœli, vel cum ad occiduas oras præcipitato curſu abdit ſe ſe. Has Solis circumgyrationes ad iuſtitiæ Solem transferunt Eccleſiæ lumina Hieronymus hic, Ambroſius in Pſalm. 118 Octon. 12. Chryſoſtomus tom. 5. homil. de virtute, & argutè Olympiodorus verba Solis illuſtrans: *Oriri* (inquit) *ex*

D. Hier.
D. Ambr.
D. Chryſoſt.
Olymp.

Deipara

Sol Ieſus occidens, & reſurgens.
Tertull.

Deiparâ ſecundum carnem: occidere deſcenſu ad inferos: ac denuò exoriri per reſurrectionem. Quocirca ſi Tertulliani verba de materiali Sole prolata, de Sole diuino vſurpaueris, apertam intelligentiam myſterij reſurrectionis tibi ſubiicient, Sic enim fatur lib. de Reſurrectione carnis cap. 12. doctè, & ſubtiliter: *Aſpice nunc ad ipſa quoque exempla diuinæ poteſtatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur, funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſilent, ſtupent cuncta: vbique iuſtitium eſt, & quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum Sole, eadem & integra & tota vniuerſo orbi reuiuiſcit interficiens mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, hæres ſibimet exiſtens.* Quàm amœnus, & florens Tertullianus, ſi alicubi, hîc in eius labris Suada ſeſſitaſſe videtur. Diem paſſionis, diem reſurrectionis Chriſti pulcherrimis diuinæ orationis pigmentis decoloratam inuenies his Septimij ſententiis.

Vita, mors, ſepultura, reſurrectio diei.

Exitus & mors diei cũ Sol Ieſus occumbit.

Paſſionis tempeſtas, & Reſurrectionis lux dies Domini dicitur, hanc diem vt videret exultauit Abraham, vidit, & gauiſus eſt: cum ad conſpectum Creatoris animam efflantis Soli lux eripitur, dies illa moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur, Sol Ieſus mundi decus funeſtatur, omnis denigratur natura, cæleſtia Sol, Luna, ſidera; terreſtia cuncta ad obitum Ieſu ſordent, ſtupent, obtenebrantur. Sententiam quoque ſuam Tertullianus caligine difficultatis inuoluit: *Vbique iuſtitium eſt.* Quid eſt *iuſtitium* inquis: iuſtitiæ ſtatio, cum à litibus, & cognitione cauſarum in foro ceſſatur: agnus enim cum in patibulo immolatur, & fuſo ſanguine iuſtitiæ diuinæ ſatisfacit pro hominum delictis, iuſtitia parata ad vindictam quieuit, ira diuina ceſſauit; obliterato, & diſciſſo chirographo, quod aduerſus nos tenebat inimicus irritus diſceſſit de iudicio. Ruſus dies, quam fecit Dominus ad hominis lætitiam, & exultationem poſt tridui caliginem, & funus de tenebris emergit, cum purioris lucis cultu, & ornatu, cum Sole ſuo Ieſu: *Cum dote*, imò cum dotibus corporis glorificati, toti orbi reuiuiſcit, & de ſepulcri thalamo ornatior, & formoſior ſurgit interficiens ſcelerum tenebras, interimens mortem ſuam, mortem noſtram reſcindens mortalitatis linteamina, confringens repagula ſepulcri. Preme lepidam Florentis ſententiam, quam pro coronide diei, & Solis collocauit: *Hæres ſibimet exiſtens.* Vitâ functis, qui non reuertuntur ad vitam hæredes in bonorum ſuccedunt poſſeſſione: Sol ſibimet luminis obtenebrati, & decoris amiſſi hæres, cum diſpulsâ caligine, tota, & integra lux reſtituitur. Sol Ieſus propriâ virtute poſt mortis tenebras, & corporis funeſtationem cadaueri ſuo lumen vitæ redonat, corpúſque honeſtat fulgoribus gloriæ; nec ſibi ſoli immortalitatis ſtolam acquiſiuit, ſed & filiis, qui hæredes ſunt Dei, cohæredes autem Chriſti. Sibi, & toti orbi reuiuiſcere, & lucis glorioſæ ſibimet hæredem exiſtere diuinæ virtutis eſt, quæ Saluatori competit, ſeipſum de morte ad reſurrectionis nitorem reſtituere.

Quid denotat iuſtitium.

Sol Ieſus cum dote regreditur ad vitã.

Vitâ functi non ſunt ſibi hæredes, ſed alÿs Ieſus, redimiuus, & ſibi, & alÿs hæreditatem donat.

D. Hier.

Sol poſt occaſum, ad locũ Orientis tendit anhelus, & oritur ipſe ſibi.

6. Quæ omnia diei, & Solis decora cohærent mirificè cum illo commate ſuperius mutuato ex Eccleſiaſtæ auctoritate, in Hebræo ſic legitur apud ſanctum Hieronymum: *Oritur Sol, & occidit Sol, & ad locum ſuum ducit, & oritur ipſe ſibi.* Vatablus verò legit: *Anhelus tendit ad locum ſuum vbi oritur.* Sanctus Hieronymus in Commentario explanat: *Sol reuertitur ad locum ſuum, vt ibi vnde primus egreſſus fuerat, aſpiret.* Et Lorinus doctè inquit: *Quodammodo attrahit ventum ſeu aërem præ deſiderio redeundi ad locum ſuum.* Cum cernis Solem poſt ſuum occaſum ſibimet orientem, aſpirantem, anhelantem in ſuo exortu ventum attrahentem, mente contemplare iuſtitiæ Solem Ieſum, diſcuſsâ mortis vmbrâ vitam ſibi redintegrantem, oriens nomen eſt eius, ipſe ſibi renaſcitur, ipſe ſibi oritur, vel iuxta Hieronymi lectionem: *Et oritur ipſe ſibi.* Non expectans ab extraneo lucis huius vſuram, nec glorioſis illuminari fulgoribus, qui totius gratiæ, & ſupernæ lucis eſt oriens. Dum à ſeipſo expergefactus eſt de mortis ſopore à ſeipſo anhelitum mittit, & ſpiracula vitæ efflat.

Vatabl.
D. Hier.
Lorin.

Sol Ieſus, ſibi, oritur, & à ſeipſo.

7. Virga exhibetur à Deo Moyſi pro ſigno, vt prodigia prorſus inaudita ederet coram Pharaone, vt tergiuerſationem in legatione Deus à Moyſe pelleret, operatricem miraculorum virtutem in virgâ primitus oſtendit Dominus, in transformatione virgæ in colubrum Moyſes experimento comperit. Exodi cap. 4. verſ. 2. *Dixit ergo ad eum: quid eſt quod tenes in manu tuâ? Reſpondit: virga. Dixitque Dominus: proÿce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſáque eſt in virgam.* Cur caudam non verò caput ſerpentis prehendere iubetur Moyſes vt ipſum contereret, & allideret ad petram? Alij ſeruabatur tantæ prærogatiua victoriæ, qui ſerpentis ſibilum, minaces oculos non timeret. Interim à Domino inſtruitur Moyſes cæleſtis diſciplinæ magiſterio, cum in hac transformatione proſpectat fidei intuitu Domini Ieſu reditum de morte ad vitam. Sanctus Auguſtinus ſacramentum iis verbis, & prodigio abſconditum promulgat lib. 12. contra Fauſtum capite 28. dicens: *Ipſe mihi innuit in virgâ Moyſi, quæ in terrâ ſerpens effecta, eius mortem figurauit à ſerpente venientem. Sed quod apprehenſa cauda, ſignificat poſterius, peractis iam omnibus in fine actionis, ad id quod fuerat reſurgendo reuertitur, vbi per vitæ reparationem morte conſumptâ, nihil ſerpentis apparet.* Conſtantia Moyſis in apprehendendâ extremitate ſerpentis vt in virgam immutaret, Domini Ieſu oſtendit vires in morte ſubeundâ, quam Diabolus ſerpens introduxit in orbem terrarum, & in migratione de morte ad vitam, ipſe ſolus mortis imperium diſſipat Regiâ poteſtate, vitam ſuam reparat, & ad id, quod fuerat, reſurgendo reuertitur. Hoc enim indicabat virga, quod Regale robur, & inuictam potentiam ad ſe viuificandum in morte non amiſit.

Virga Moyſi prodigiorum operatrix verſa eſt in colubrum.

In immutatione virgæ in ſerpentem, & ſerpentis in virgam, mors, & reſurrectio Chriſti delineata.

Discvrsvs Pars II.

Jeſus dum vitæ halitum reparat; de improbâ voluntate, & peruerſo conſilio triumphat.

Victoria Ieſu eximia, de iniquis conſilÿs reperta.

1. REFERENT alij commendabúntque æternitati, Ieſu reſurgentis victrices lauros, triumphales palmas, quibus ob deuictam mortem, ſubiugatum Dæmonem, abolitum peccatum, rediuiui triumphatoris ornantur manus, cingitur caput: ego tamen in hoc propoſito gratulor ſæculorum Regi de morte reduci gloria, & honore coronato, quia ad nihilum redegit improborum conſilia, irritáſque reddidit voluntates improbas; nefarios

nefarios conatus; & recolligens flatum immortalis vitæ, hoſtes ſuos irriſit. Hic eſt ille homo, de quo ſermonem inſtituimus in Commentario literæ ad tertiam expoſitionem, qui ſibilis inſectatus, ludibrio læſus, contumeliâ, & maledictis vexatus à Iudæis, inimicorum impetus, & ſtudia profligauit, inanéſque eorum meditationes ridiculas, & nugatorias demonſtrauit, cùm innocentiâ triũphat de malitiâ, vita de morte. Ad firmamentum huius veritatis ſuggerit nobis illuſtre Vaticinium Oſeas inter duodecim Prophetas munere Vaticinandi primarius, qui iuſſu Domini meretrici feminæ Gomer filiæ Debelaim copulatus, filium ſuſcepit nomine Iezrabel, cap. 1. verſ. 4. *Et dixit Dominus ad eum: voca nomen eius Iezrahel. Quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael.* Tectus eſt Prophetæ ſermo, quem aperies, & eius faciem reuelabis facilè, ſi ad memoriam reuoces vulgatam hiſtoriam, quam reſpicit Vates nimirum propter Naboth occiſum à Iezabele, & Achab Rege, vindictam ſumpſit Dominus libro 3. Regum cap. 21. & 4. Regum cap. 9. à verſ. 9. ſic propter ſanguinem Chriſti à Synagogâ, quam Iezabel innuebat, diſperſum, vindicem ſe præbuit Deus, populum Iſraëliticum bello exſcindens, & à patriâ exterminans; quâ hiſtoriæ comparatione ante oculos conſtitutâ ſubiungit Vates verſu 5. *Et in illâ die conteram arcum Iſraël, in valle Iezrahel.* Sanctus Cyrillus ad altiorem intelligentiam verba transferens, iuxta interpretationem nominis *Iezrahel*, quod idem valet ac: *Semen Dei.* Per arcum contritum doloſas cogitationes, & inania conſilia Iudæorum à Chriſto diſturbatas; per vallem Iezrael hortum, & monumentum, in quo tumulatus eſt Dominus intelligit; quando enim ſemen Dei mandatum tumulo ad vitam germinauit, Iudæorum arcum, hoc eſt improba machinamenta diſſipauit. Alexandrini Antiſtitis verba ſubiicio: *Intelligi per vallem Iezrabel (hoc eſt ſeminis Dei, ſiue Chriſti) monumentum in horto, in quo & reſurrectio paſſionem conſequuta, de omni genere malorum facinorum, à Iudæis ſuſceptorum triumphauit. Per reſurrectionem ſiquidem, eorum praua, & Deo exoſa, & cruenta conſilia ad nihilum reciderunt.* Et ſtatim; *In ſepulcro collocatus reuixit, & meditatas ipſorum inſidias inefficaces reddidit, & quaſi arcum contriuit, per id, quod pati amplius nihil poteſt.* O quanta pullulant de cæleſti plantâ Ieſu, ab agricolâ ſuperno conſitâ in horto, facinorum, & victoriarum germina, & flores, quibus corollas licet pangere, & ſacrum rediuiui triumphatoris decorare verticem; præclara tamen illa trophæa à Ieſu reportata de implacabili odio, immani conſilio, iniquâ voluntate Iudæorum non in poſtremo loco reponit Cyrillus, ea pro foribus ſepulcri velut in ſacro tholo ſuſpendit: arcum illum nequiſſimorum conatuum, & inſanarum cogitationum, quibus tumultuantes aduerſum Ieſum, illum ſagittarunt maledicentiæ, & contumeliæ iaculis, liuoris, & odij veneno illitis, vidiſſe confractum, acerbiſſimi doloris cauſa extitit Iudæis ſtupore defixis, præ furore attonitis frementibus, tabeſcentibus; at Seruatori noſtro inenarrabilis gaudij origo extitit, quod hoſtium irrito conatu, & iniquitate deuictâ, eum reſurrectio verum eſſe Deum demonſtraret.

Vaticinium Oſeæ de filio ſuo Iezrabel expenditur.

Vindicauit Dominus ſãguinẽ Naboth à Iezabele, & ſanguinẽ Ieſu à Synagogâ fuſum.

Iezrahel, ſemen Dei innuit.

D. Cyr. Alex. *Vallis Iezrahel monumẽtum in horto eſt in quo Ieſus iacuiit, & ſurrexit.*

In horto contriuit Deus arcũ Iſraël, cum doloſas cogitationes Iudæorum ad nihilum redegit.

Titulus Pſal. 58.

2. Pſalmo quinquageſimooctauo hic titulus præfigitur: *Quando miſit Saul, & cuſtodiuit domum eius, vt eum interficeret.* Furorem Saulis ſpiritu improbo arrepti declinans Dauid, in domo ſuâ aſylum inuenit, in ea ſatellitum Saulis effugit manus; iuſſit Rex inſanus appatitores ſuos inuolare, & obſeſſam tenere domum, ne Dauid inſectatus erumpat, lib. 1. Regum cap. 19. verſ. 11. *Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur manè.* Qua ſolet ingenij dexteritate hunc locum explanat de Chriſti myſterio ſanctus Auguſtinus, etenim exiſtimat Dauidem domui ſuæ ſopore correptum, Saulis militibus obſeſſum, Saluatorem ad viuum expreſſiſſe in tumulo, dormitione mortis ſoporatum, à militibus cuſtoditum: *Erat ergo* (inquit) *illa ſepultura tanquam domus: ad quam cuſtodiendam miſit regnum Iudæorum, quando cuſtodes adhibiti ſunt ſepulcro Chriſti.* Poſtea cum inueſtigaret Magnus Aurelius verborum cohærentiam inter Dauidis hiſtoriam, & Chriſti Sacramentum, offendit in difficultatis nodum quam ipſe ſibi obiiciens ſoluit acuminum phœnix, & vir ad excogitandum acutiſſimus: miſit Saul ſatellites ſuos vt interficerent Dauidem in domo; vt vmbra veritati conſonet, miſit Iudæorum regnum milites vt interimerent Chriſtum in ſepulcro; at quomodo necarent mortuum, cum in Cruce iam eſſet occiſus? Expediendæ difficultatis ſatis aptam rationem inuenit Auguſtinus, eam ſubiicio ſuis verbis: *Quomodo ergo ad hoc cuſtodita eſt domus, ſi Dauid figurabat Chriſtum, vt Chriſtus interficeretur: quando in ſepulturâ Chriſtus poſitus non eſt, niſi in Cruce interfectus?* Et ſtatim occurrit: *Interficere Chriſtum erat tollere nomen Chriſti, ne crederetur in Chriſtum, dum mendacium præualeret cuſtodum, qui corrupti ſunt, vt dicerent, quia cum dormirent, venerunt Diſcipuli eius, & abſtulerunt eum. Hoc eſt verè Chriſtum velle interficere, nomen reſurrectionis eius extinguere, vt mendacium Euangelio præferretur. Sed quomodo illud non effecit Saul, vt interficeret Dauid, ſic & hoc non potuit regnum Iudæorum efficere, vt plus valeret teſtimonium cuſtodum dormientium, quàm Apoſtolorum vigilantium.* Quàm cæca ſæuitia, quàm indomita malitia Iudæorum eſt, non quieſcentes Ieſum de medio tollere, cum ſuſpendunt in ligno; famam, & glorioſi nominis celebritatem obſcurare contendunt, cum promulgant ſuffuratum de ſepulcro. Verè Hieruſalem domicilium latronum, qui Chriſto vitam eripiunt; diuitias gloriæ reſurrectionis eius auferre contendunt; nec minus flagitium, vitam adimere, quàm nomen eius eradere voluiſſe de terra viuentium; probis enim viris nominis ſplendor & honoris decus vita charius eſt, illud tamen verbum ex lib. 1. Reg. *Et interficeretur manè.* Sapienter ſcriptum eſt. Manè illud ſacrum quo iuſtitiæ Sol è tenebris rediuiuus affulſit, obſcurare contenderunt, vt mendacij ſui tenebras lumini reſurrectionis offenderent: ſed mane illud lumine immortalitatis ornatum interire non poteſt; ipſi perierunt, qui viræ ſplendoribus obcæcati ſunt.

Miſit Saul milites vt interficerent Dauid

D. Aug.

Ieſus in ſepulcro tanquã in domo cuſtodiebatur.

Qua ratione Ieſus potuit occidi in ſepulcro cum iã eſſet vita functus in patibulo.

D. Aug.

Iudæi curauerũt obruere honorem Chriſti, & nomen reſurrectionis eius extinguere.

Iudæorum conatus irriſi.

Conati ſunt Iudæi tollere mane, hoc eſt lumen reſurrectionis.

3. Vidit Deus Iudæorum tumultus, contemplatus eſt eorum conatus, & mirum eſt quàm ridiculos demonſtrauit. Pſal. 2. verſ. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Quæ autem irriſio fuerit iſta declarant Theodoretus, & Euthymius, poſtremi verba ſunt: *Pater, & filius deridebunt, & ſubſannabunt eos: conuincéntque fatuos eos fuiſſe, quod inania, atque impoſſibilia conati ſint; & ſperauerint ipſum Dominum, quinimò vitam ipſam morte afficere.* Deus enim eos irriſit cum eorum

Irriſit Deus Iudæorũ ſanitatem.

Theod. Euthym.

cogitatus

Rerum conſilia ſubſannãs exufflauit.

cogitatus euanuerunt tollendi vitam, & famam omnium Seruatori. Verbum illud *ſubſannabit*, epitaſim continet. Denotat contracto naſo, rugatâ fronte, diſtortis labiis aliquem ſubſannare, aut halitu narium alium exufflare. Talis eſt irriſio, quæ à Theodoro Antiocheno deſcribitur, *μυκτηρισμὸν πνεῦμα διὰ ῥινῶν ἀφιέμενον ὡς ἐξουδένωσιν τοῦ μεγάλα φρυαττομένου, Spiritum è naribus emiſſum, in eius contemptum, qui ſe valdè iactando fremit.* Qui affectus Deo tribuendus decenter, ſicut alij, qui à ſacris Vatibus in Deo aſſignantur. Hic tamen Iſaiæ verba: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt*, debitè vſurpabis pro ſubſannatione hoſtium, quando reſumpto vitæ halitu, è naribus Dominus emittebat ſpiritum in Iudæorum contemptum, & inuiſibilium poteſtatum irriſionem, quæ ſe valde iactando contra Ieſum fremebant.

D Theod. Antioch.

Discvrsvs V.

Fortunatus valdè halitus Ieſu, qui non ſibi ſoli, ſed alijs vitam donat.

1. CVM vniuerſorum Dominus præparat cadaueri ſuo immortalitatem, halitum vitæ æternæ mortuorum cadaueribus infundit. Mirum eſt quàm accuratè aſſignet diſcrimen ſacra literatura inter Moyſis, & Ieſu tumulum. De primo recenſet huiuſcemodi verba Deuter. c. 34. verſ. 6. *Et non cognouit homo ſepulcrum eius, vſque in præſentem diem.* De ſepulcro verò Domini Seruatoris Iſaias hanc ſententiam ſcribit cap. 35. verſ. 8. iuxta lectionem Septuaginta, quam ſequitur ſanctus Ambroſius ſtatim referendus: *Sepultura eius de terrâ ſublata eſt.* Sepultura ſerui ſilentio inuoluitur, nulli patuit aſpectui humano; ſepulcrum Domini glorioſum à ſacris Scriptoribus celebratur, à piis fœminis adoratur, à ſacris Apoſtolis frequentatur, ornatúrque Angelorum frequentiâ; qui vitâ functus nec ſibi, nec aliis confert reſurrectionis gratiam, obruatur tumulo taciturnitatis, eius ſepulcrum ignoret populus, recondatur corpus inacceſſo, & inaſpectabili antro, in regione caliginis, & obliuionis commoretur, qui iucundum vitæ æternæ lumen nec viuis, nec mortuis valuit refundere; at monumentum Domini, à quo vita promanat celebritate conſpicuum, irradiatum Angelicis fulgoribus, cuique acceſſum, in propatulo conſtitutum. Egregiè ſanctus Ambroſ. vtriuſque tumuli aſſignat diſcrimen lib. 1. de Abel cap. 2. dicens: *Benè autem inter Dominum, & ſeruum ſeruatur diſtantia, vt prærogatiuam Domini intelligas, ſerui gratiam. De Moyſe legitur: quia ſepulturam eius nemo ſcit; de Chriſto autem, ſepultura eius de terrâ ſublata eſt; quia ille ſecundum myſterium legis, expectabat redemptionem vt ſurgeret; iſte ſecundum Euangelij donum, redemptionem non expectabat, ſed donabat. Et ideo ſepultura eius ignorata non eſt, ſed eleuata: quam diutius creatura tenere non potuit: quia per ipſum omnis creatura properauit à corruptionis ſeruitijs eleuari.* Moyſis ſepultura quærit latebras, tenebris vetuſtatis, & caligine obliuionis obruitur; ne ab eâ expectarent cadauera vitæ, & reſurrectionis lumen; at Domini ſepultura *eleuata eſt*, in altum tollitur, quia in ea iacuit mortuus, qui ab inferorum,

Diſcrimen inter ſepulturam Ieſu, & Moyſi maximum.

Lect. Lxx.
D. Ambr.
Sepultura Domini de terra ſublata.
Sepultura Moyſi caligine, & ſilentio inuoluitur.

D. Ambr.

Sepulcri Domini prærogatiua.
Moyſes reſurrectionem expectabat. Ieſus eam donabat.
Sepultura Ieſu eleuata, quia teneri non potuit à creatura, ſed eam ad vitã eleuauit.
Sepultura eleuata quid denotet.

P. A. Luc de Arcones in Iſaiam.

& mortis vinculis liber, caput extulit, & reuixit; eleuata eſt, quia de tenebris eruta omnibus facta eſt conſpicua; vt mortui proſpectarent rediuiuum Solem, à quo reſurrectionis lumina mutuarent. Lex cum legiſlatore ſuo Moyſe caligioſum angulum quærit, & tota verſatur in vmbrâ, & in eâ obſcuritate Moyſes expectat à Domino ſalutem; at Ieſus iuxta Euangelij munificentiam, *redemptionem non expectabat, ſed donabat.* Sepultura itaque Domini eleuata eſt, quia omnis creatura à mortalitatis vinculis, à ſeruiture corruptionis ſimul cum Ieſu properauit emergere.

2. Poſtquam Publicanus, ſe, & ſua conſecrauit Deo, accubuit in menſâ Ieſus, peccatorum, & publicanorum coronâ cinctus; at Phariſæi interturbare conantur epulantis Domini gaudium, apud Apoſtolos de tantâ Ieſu pietate conqueruntur. Matth. cap 9. verſ. 11. *Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Querela iſta profuſa ab inueteratis malorum, non proſpicit Ieſu gloriæ, nec ad tutamen auctoritatis, & grauitatis Magiſtri cæleſtis dirigitur; verba ſunt liuoris antiqui, quo hominem in linguâ Phariſaicâ inſectatur Diabolus; de tanta Ieſu abiectione excruciatur vterque; timet vnus, & alter hominem, Dei eſſe commenſalem, & vitæ participem; cum vident redemptorem cum ſceleratis ſic iacentem, reformidant, ne eos ſuſcitet ad vitam immortalem. Ex accubitu Ieſu querimoniam Phariſæorum manaſſe, indicat Matthæus Euangeliſtâ cap. 9. verſ. 10. *Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, diſcumbebant cum Ieſu*, &c. querelas ponit, iiſque argutè occurrit ſanctus Chryſologus ſerm. 30. dicens: *Arguitur Deus, quare inclinat ſe homini, quare coniacet peccatori.* Et ſtatim: *Fratres venit ad prandium Chriſtus, venit ad conuiuium vita, vt faceret ſecum conuiuere morituros: iacuit reſurrectio, vt de ſepulcris ſurgerent, qui iacebant.* Phariſæi verentur epulum Ieſu cum iniquis, at plus exhorreſcunt accubitum; auctor mortis, qui in Phariſæis loquebatur, inhorruit ad reclinationem Domini, iam enim meditabatur auctorem vitæ recumbentem in tumulo peccatoribus mortuis vitam refundentem. Expende Chryſologi ſententiam: *Venit ad conuiuium vita, vt faceret ſecum conuiuere morituros.* Conuiuere licèt aliquando comeſſari denotet, hîc tamen innuit ſimul viuere. Vt peccatores mortuos animis, morituros quandoque corporibus admitteret ad vitæ ſpiritalis, & corporeæ conſortium. Vide Domini clementiam in verbo illo: *Morituros.* Pro pignore futuræ reſurrectionis confert animis gratiæ vitam ſpiritalem, & anticipata pietate vitam immortalem iam donabat ipſam præparans corporibus morituris.

Ieſus à Phariſæis, & publicanis inuitatur ad conuiuandum.

Timet Diabolus cum Phariſæis, ne hominem in morte iacentem Ieſus ſuſcitet ad vitam.

D. Chyſol.

Venit ad conuiuium vita, vt conuiuere faceret morituros.

3. Hanc Chryſologi ſententiam verbis, & ſenſu immutatam leges apud Tilmanum in allegoriis, nempe: *Vt ſecum conuiuari faceret mortuos.* Licet diuerſa lectio, eundem ſcopum collimat: accubuit in Matthæi ſigmate inuitans peccatores ad veniam, & vitam animorum; qui iacens in tumulo, in triclinio mortis, & cadauerum hoſpitio, Menſam Regio apparatu inſtruxit, cibum appoſuit vitam, conuiuas fecit mortuos, vt vitam ederent, & ſpiraculum vitæ à vitali ſcaturigine Chriſti reſurgentis haurirent.

D. Chryſol.
Tilm.
Venit ad conuiuium vita, vt ſecum conuiuari faceret mortuos.

4. In ſcalâ illâ, quam intuitus eſt Iacob proſpectaſſe Chriſti myſterium, placet Eccleſiæ proceribus; iam enim Dominus incumbens ſuper ſcalam

In ſcala Iacob Crucis Chriſti myſterium apparet.

M iii velut

velut crucifixus oſtendebatur; illud in præſenti examinandum venit cur Dominus ſcalæ innixus dicatur? Geneſ. cap. 28. verſ. 13. *Et Dominum innixum ſcalæ.* Nec velim exiſtimes Deum ſenio confectum ſcalæ tanquam baculo innixum, imò ipſe qui eſt totius orbis fulcrum, erat ſcalæ ſtabilimentum: adhuc tamen ſtupeo recumbentem, & velut inhærentem ſcalæ apici. Cur Angelorum anteſignamus non condeſcendit ſtipatus ſupernarum virtutum ſatellitio ad dilectum ſuum Iacob, vt præſentiâ, & ſplendore ſuo colluſtret terræ glebam, in qua recumbit Iſraël, vt de propè ſentiat Dei beneuolentiam porrigentis manum? De terra peregrinum ſubleuantis? Sed in ſcalæ vertice velut conſtrictus retinetur? Amor reddebat Deum & properantem, & inhærentem; amor colligatum tenet ſcalæ culmini eum, qui affectu amoris ad hominis amplexus, & oſcula properabat: retinetur tamen in extremo aſcenſionis, vt cerneres expreſſum Chriſti in Cruce pendentis ſimulacrum; in patibulo enim clauis retinetur cadauer illud ſacrum, quod ad conferendam vitam feſtinabat ad tumulum. Conceptum exprimit Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus orat. de ſanctâ Cruce, ſcribens: *Vt ego illud reputem pro ſcalâ illâ cœlos tangente: in quâ Chriſtus innixus eſt. Mortuus enim pro vitâ meâ in Cruce tenebatur, more hominis, & in eadem firmatus eſt, ne ad terram propter corpus exangue, inclinatus decideret is, qui diuinitate omnia complectitur, vitâque functis vitam inſpirat.* Cadauer illud ſacrum, in quo fons vitæ latebat æternæ, quibuſdam clauorum retinaculis cohibetur ne in terram decidens contingat mortuorum ſepulcra; at propenſione quadam Diuinitatis feſtinabat clauorum vinculis ſolui, conuolabat ad monumentum, & humanorum cadauerum congeriem, *Vt vita functis, vitam inſpiret*; recolligénſque animum, & flatum, immortalis vitæ ſpiraculum mortuis inſufflet.

Cur Dominus qui erat ſcalæ innixus non condeſcendit ſimul cũ Angelis ad Iacob.

Amor Deum reddit properantem, & inhærentem.

Germ. Patr. *Chriſtus innixus in Crucis ſcala.*

Cadauer Chriſti Cruci ſuffixum tenebatur, ne ad terram decideret.

Cadauer Ieſu ad monumentum propendebat, vt vitã mortuis inſpiraret.

5. Imprecatus Iacob tribui Iudæ benedictionem, præuidens Chriſti myſterium, & reſurrectionis Dominicæ triumphum, cum Leone, & Leænâ Ieſum comparat. Geneſ. cap. 49. verſ. 9. *Requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leana, quis ſuſcitabit eum.* Leonis ſimilitudinem expendunt, & illuſtrant Origenes, & ſanctus Iſidorus. Do tibi Adamantij verba ex homiliâ 17. in Geneſim, quæ Iſidorus tranſcripſit quæſtionibus in Geneſim, de Leone inquit: *Cum fuerit natus, tribus diebus, & tribus noctibus dormiat. Tunc deinde Patris gemitu, vel rugitu tremefactus cubilis locus, ſuſcitet catulum dormientem.* Hanc Origenis phyſiologiam ſic accommodabis, vt per rugitum, & fremitum diuinitatis imperium, & poteſtatem Patris accipias, quâ à mortuis ſuſcitatus eſt filius; ad huius rugitus ſonitum terræmotus factus eſt magnus, aperti ſunt mortuorum tumuli, & Tartari Regio tota contremuit: ex hac tamen contemplatione allicitur animus, & ſpiritalis auditus ad auſcultandum fremitum, & conturbationem Ieſu in viuificatione Lazari, Ioannis cap. 11. verſ. 33. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.* Audis Leonem de tribu Iuda rugientem, cum morte belligerantem, rugitu, & fremitu eam conculcantem? Cur irrugiit, & infremuit ſuper Lazarum mortuum? & quod amplius eſt cur lacrymas fudit? quid portenti eſt hoc? De mortuo Lazaro triſtatur, & gaudet; de morte Lazari, gaudio exultat, illacrymatur, & fremit? Ioannes teſtis eſt fidelis vtriuſque affectus cap. 11. verſ. 14. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo,* & verſ. 33. & 34. *Infremuit ſpiritu, & lacrymatus eſt Ieſus.* Triſtitiæ fremitus; voluptaris, & gaudij rationem argutè aſſignat Chryſologus ſerm. 64. *Fratres habet hoc natura corporis humani, vt producat lacrymas vis gaudij, vis mœroris, quoties enim viſcera, aut lætitiæ, aut triſtitiæ nimio arctantur impulſu, oculi in lacrymas mox erumpunt. Hinc eſt, quod Chriſtus non dolores mortis, ſed illius lætitiæ recordatione lacrymauit: qui voce ſuâ, voce vnâ, omnes eſt mortuos perpetuam ſuſcitaturus ad vitam, fremit ſpiritu, & totâ ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat.* Gaudet propter futuram omnium reſurrectionem, quando de poſitis exuuiis antiquæ vetuſtatis, iuſtorum corpora noui hominis formam ſument. Irrugiit, & infremuit ſpiritu, quia ſpiraculum vitæ ſoli Lazaro, non reliquis cadaueribus inhalabat; non adeo voluptate paſcitur Ieſus dono vitæ quod vni ſoli impeditur; ſemper auet reſurrectionis, & vitæ plures habere conſortes; tunc enim eſſet omni ex parte fortunata illa viuificatio, & plenum Ieſu gaudium, ſi reliquis mortuis inſpiraret fremendo, & ſuſpirando, vitæ immortalis halitum.

Ieſus accubuit in ſepulcro quaſi leo, & quaſi leana.

Orig. D. Iſid.

Leonis & Leanæ officia pietatis erga natos.

Leonis rugitus, & fremitus, Chriſto in mortem frementi adaptantur.

Ieſus in morte Lazari, gaudet, triſtatur, & fremit.

D. Chryſol.

Ieſus gaudet propter recordationem reſurrectionis omnium

Fremit quia ſolum Lazarum, & non omnes reuocabat ad vitam.

Plenum Ieſu gaudium, habere conſortes reſurrectionis.

6. Hæc commentata in Chryſologi gratiam, nunc ad fremitum Leonis ruſus auſcultandum redimus perſcrutantes cur Leonis ſimul & Leænæ comparatur Ieſus? Et ſtatim occurret ſanctus Epiphanius, & dabit egregiæ ſolutionis formam in Phyſiologo cap. 2. his verbis: *Leæna mortuum, & cæcum edit catulum, iuxta quem defixos in illum habens oculos, triduo cubat; bis verò tranſactis, Leo accedit, & in catulum ſpirat, qui ſtatim & ad vitam reuocatur, & lumen oculorum recipit.* Hancque Leonis & Leænæ Phyſiologiam idem Epiphanius ſapienter adaptat, & interpretatur: *Sic gentes (inquit) quæ non credebant, per trium dierum ſepulturam, & Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem reſpexerunt, & ad vitam reuocatæ ſunt. Ante baptiſmum enim, & mortuæ, & cæcæ dicebantur: verum à Leænâ, id eſt à ſancto Spiritu per triduum ſepulturæ obſeruabantur. Cum autem Leo, hoc eſt viuificum Verbum venit, & in ipſos Spiritum ſanctum inſpirauit, ad vitam eos reuocauit, & omnes ab inferno eduxit.* Sed pace tanti Doctoris, eius dicta venerantes, alteram forſan non contemnendam commentationem verbis Phyſiologi poſſumus adiungere; aſſerentes Leænam eſſe humanam naturam hæreditarij criminis nexibus obſtrictam, quæ hominem parturiebat cæcum, & mortuum, hæc enim mala ſubiit grauiſſima cæcitatis, & mortis filius Adæ, poſt primam præcepti diuini tranſgreſſionem; donec his iactata calamitatibus, & mundi malis oppreſſa, aſſumpta eſt à verbo, & formatus nouus Adam Chriſtus, in eo enim Verbum Dei, & ſpiritum viuificantem nuncupare poſſumus Leonem; poſtquam enim paſſus eſt cruciatus, & mortem, caro illa diuina triduo cubans in tumulo, apertos, & defixos inſtar Leænæ, diuinitatis, & poteſtatis habebat oculos; donec tranſacto dormitionis ſpatio, animus vnitus corpori corpus ſuum ſuſcitans acceſſit velut Leo ad genus humanum, quod tanquam catulum mortuum Adam, & Eua pepererant, inſpirauit de viuificante ſuo ſpiritu ſpiraculum vitæ, & ad immortalitatem reuocauit. Huic cogitationi aptè nectuntur Phyſiologi verba, & fluunt placidè: *Accidit Leo, & in catulum ſpirat, qui ſtatim & ad vitam reuocatur, & lumen oculorum recipit?*

D. Epiph. *Leæna in mortuum Catulum ſpirat, & ad vitam illum reuocat.*

D. Epiph.

Viuificum verbum, & Spiritus ſanctus gentes reuocarunt ad vitam.

Leæna eſt humana natura hominem mortuum peccato parturiens.

Chriſti animus Leo, qui ſuo halitu vitam mortuis reuocauit ad immortalitatem.

7. Sanctus

Fraudes Anti-Christi, & Iudæ traditoris vaticinantur à Iacob.

7. Sanctus Iacob in Vaticinio prolato de tribu Dan, Anti-Christi vel Iudæ traditoris detegit dolos,& fraudes in Ieſum intentatas, quando contra Præceptorem,& Dominum leuauit calcaneum, vt eius vitam tolleret, famam obrueret. Hæc ſunt verba Diuini Vatis contra Iudam vaticinium proferentis. Geneſ.cap.49. verſ.17. 18. *Fiat Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Salutare tuum expectabo Domine.* Colubri vafriciem, ceraſtis aſtum, & nequitiam in præſenti de induſtriâ prætermitto; ſolum intendit animus in equitis prolapſionem, & expectationem ipſius in Domino opitulatore poſitam, vt manum porrigat, & ſubleuet de ruinâ. Spem iſtam eſſe Iacob Patriarchæ repoſitam in ſinu ſuo, in Saluatorem ſuſpirantes,aliqui cenſent; Septuaginta verò aſcenſorem equi cadentem ſimulque ſalutem, & ſubſidium expectantem à Domino, introducunt; antecedentia, & ſubſequentia verba nectentes.Sic legunt:*Et cadet eques retrorſum ſalutem expectans Domini*, vel: *à Domino.*

Ieſus eques eſt cadens caſu mortis, expectans ſalutem à Domino.

D. Ambr. *Iudas ſuper Ieſum leuauit calcaneũ. Eques Ieſus qui ſe deiecit, vt omnes leuaret.*

Iuxta ſanctum Ambroſium, qui lib. de benedict. Patriarcharum cap. 7. de Iuda, & Saluatore ſic fatur: *Iudas proditor, tentatus à Diabolo ſuper Dominum Ieſum leuauit calcaneum ſuum, vt deijceret equitem, qui ſe deiecit, vt omnes leuaret. Cecidit igitur non proſtratus in faciem quaſi dormitans, ſed retrorſum; vt à ſuperioribus ad priora ſe extendens, à Domino expectaret ſalutem. Sciebat enim ſe reſuſcitandum, & ideò iacentem Adam expectabat erigere.* Itaque Ieſus eſt qui cecidit circumuentus à Iuda, & ipſe expectans à Domino ſalutem, erectionem, inquam, poſt mortis ruinam, quia ſciebat à Patre ſuſcitandum ad vitam immortalem.

Cecidit retrorſum, vt Adam iacentem erigeret.

D.Ambr. Sententiæ Ambroſianæ habent ſuos ſales, & acumina pro modulo perſcrutanda: *Cecidit igitur non proſtratus in faciem quaſi dormitans.* Cecidit Ieſus, cùm morte occubuit, ſed in caſu Domini ineſt quædam gratia. Non enim decidit in faciem ſuam moriens, ſicut Gigas ille ſuperbus Goliath, & homo terrenus ad terreſtria, & caduca pronus, ſed tanquam homo cæleſtis proſpectans ſidera, expectans cæleſtia; quo habitu velut palmas tendebat ad cæleſte domicilium, & manum dabat Patri, vt ſuſcitaret de tenebris, & puluere egenum,& in throno gloriæ collocaret. Cecidit igitur ſupinus non tanquam delicatus, aut otio remiſſus, ſed tanquam validiſſimus pugil: *Sed retrorſum, vt à ſuperioribus ad priora ſe extendens.* Diabolum deiiciens, mortem proſternens, victricibus palmis laureatus, glorioſis ornatus triũphis, vt mortalis vitæ exuuias reiiciens, & obliuiſcens, ad vitam immortalem remearet: *Sciebat enim ſe reſuſcitandum, & ideò iacentem Adam expectabat erigere.* Robuſtiſſimus luctator contra mortem, ſed validiſſimus amator erga hominem extitit, non enim ſolitarius voluit ornari infulis gloriæ, ad mortuum Adamum condeſcendit, vt reſurrectionis participem faceret, conſortem gloriæ,cohæredẽ Regni. Quàm proficua, quàm præclara Domini abiectio, per quam ad ampliſſimam filij Dei dignitatem, & gloriæ apicem euectus eſt homo: *Qui ſe deiecit vt omnes leuaret.* Deiecit ſe Ieſus ad mortem Crucis, & tumulum, vt omnes filios Adæ inglorios in caligine mortis, & corruptionis puluere iacentes ſeſe erigens amplexu charitatis adſtringeret, ſuper humeros tolleret, ſplendoribus gloriæ redderet conſpicuos, eóſque eueheret ad Patrem.

In caſu Ieſu ineſt quædam gratia, cum cadit retrorſum.

D. Ambr. Cecidit, vt à ſuperioribus, ad priora ſe extenderet.

D.Ambr.

Noluit Ieſus ſolitarius reſurgere.

D. Ambr.

8. Hic libet adſcribere plenam pietate commentationem ſanctiſſimi Epiphanij Conſtantiæ Cypri Epiſcopi, qui orat. de ſepulturâ Domini proponit ſermones, quos contulerunt ad inuicem Ieſus ad inferos deſcendens, & Adamus inter inferas vmbras commoratus. Tranſcribo verba quantumuis multa: *Adam ille, qui ante omnes homines primò creatus, & primò factus, primóque mortuus, interior omnibus, cum magna cuſtodiâ in vinculis habitus, inaudiuit Domini pedum ad vinctos aduenientium, & cognouit ſonitum eius in carcere deambulantis, & conuerſus ad omnes, vnà ſecum à ſeculo vinctos, ait: ſonitum pedum cuiuſdam audio, qui ad nos ingreditur. Et ſi omnino huc ille aduenire dignatus eſt, nos è vinculis liberati ſumus. Si omninò illum nobiſcum adeſſe viderimus, nos è vinculis inferni redimimur. Hæc & alia Adamus ad omnes vnà ſecum condemnatos dicente: ingreſſus eſt Dominus ad eos, victricia arma Crucis tenens, quem cum vidit Adam primò factus, præ ſtupore, pectore verberato, exclamauit ad omnes, dixitque: Dominus meus cum omnibus. Et reſpondens Chriſtus, dicit Adamo: & cum ſpiritu tuo. Et apprehenſâ manu excitat, dicens: expergiſcere qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* Hæc Epiphanius, ſpiritalis eruditionis referta, & ad præſens inſtitutum idonea contulit.

D. Epiph. Colloquium Adami cum animabus reliquis, cùm Ieſus deſcendit ad inferos.

Si Ieſus ingreditur ad Tartara omnes homines liberat. ibi clauſos Ieſũ expectantes. Adami exclamatio ad omnes animas ſanctorum. Ieſus apprehenſo, Adamo, eum excitat.

Discvrsvs VI.

Hominem honori tuo, aut vitæ inſidiantem dignoſcere, & adhuc ſufferre, eximium decus tolerantiæ eſt.

1. Erat in Ieſu ſpiritus dignoſcendi inſidiatores ſuos, ſed erat patientia maior omni eorum machinamento, diu illos ſuſtinens, vt documenta præberet tolerantiæ hominibus. Sufferre non poterant Arriani humanas in Chriſto paſſiones,aſpernabantur turbationem, & metum, reſpuebant lacrymas, ne quid Deo indecorum admitterent in Saluatore; ſed cum iniurias propulſare contendunt à Deitate, humanitati Ieſu detrahunt, Deo, & homini ignominiam irrogant. Arrianorum cauillationes detegit, & diſſipat argutè ſanctus Athanaſius: miraris (inquit) ô Arriane Deum patientem, quid mirum ſi mortale geſtat corpus, paſſionibus obnoxium: mirari deſine ſi verus homo lacrymas fundit; cruore ſuffunditur, in Cruce occumbit, hæc omnia humanæ vitæ ſtipendium, & reatus; illud omni prodigio maius, & admiratione, quod ſciens, & prudens inſidiatores ſuſtinuit. Do tibi Athanaſij verba lib. 4. contra Arrianos: *Ideóque magis admirationi eſſe debuit, quum in carne talibus paſſionibus obnoxia conſiſteret, verbum non prohibuerit inſidiatores, neque vindictam ſumpſerit de interfectoribus, quum ea res in ipſius poteſtate eſſet.* Inſidiatores tuos dignoſcere,& cum euitare poſſis eos ſuſtinere,virtutis tolerantiæ decus eſt: diſſimulatio iſta ex ſummo patiendi deſiderio promanat, quæ vix in ſummo viris reperitur.

Arriani humanas paſſiones in Chriſto Domino aſpernabantur.

Omni prodigio maius eſt quod Ieſus ſciens,& prudens inſidiatores ſuſtinuit.

D. Athan.

2. Cùm litaſſet Abraham Deo inter caminum, æſtuánſque incendium, pecorum, & volucrum victimas, vt pactum inter vtrumque maneret ſancitum; amicè aperit Abrahamo Deus conſilij arcanum,

Deus Abrahamo deregit ſui generis ærumnas.

arcanum, generis nimirum ſui ærumnas, aduerſamque fortunam. Geneſ. cap, 1. verſ. 13. *Dictúmque eſt ad eum: ſcito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* Durè tractat Deus familiares ſuos, eóſque indurat laboribus, & ad maiora prouehit virtutis culmina, cum eis reuelat impendentes calamitates, eos exercens in tolerantiæ certamine, antequá mala ingruant. Quo loco effulget in primis Dei ſapientia, & circumſpectio, quâ ſe ſe attemperat virtuti iuſtorum, & humanæ imbecillitati. Cur manifeſtans Deus res aduerſas, turbidáque tempora Abrahamidi generis, non enuntiat qui futuri ſint ſuæ proſapiæ inſectatores, crudeliſque vexationis conflatores? Optimè prouiſum, ne hoſtes ſuos odio proſequeretur, aut iracundiæ flamma in Abrahæ pectore excitaretur. Etenim inimicum internoſcere parantem vitæ, aut honori ſuo inſidias, & non commoueri ſanguinem, aut atram bilem, nec fumare naſo ſpiritum furoris, tolerantiæ prodigium eſt, exigit enim auguſtiora virtutis incrementa. Hoc annotauit Oleaſter in annotat. ad Mores in cap. 15. Geneſis dicens: *Licet Dominus hic prædixerit Abrahæ futuram ſeminis captiuitatem, non tamen ei prædixit, quo loco, neque à quibus detinendi eſſent, ne vir ſanctus odio haberet eos: à quibus ſemen ſuum eſſet affligendum, & malus eſſet antequam mala pateretur. Quo nos pulcrè docuit velle ignorare eos, qui malorum nobis auctores ſunt.* Præſciat Abraham natos ſuos hoſtium violentiâ, & captiuitatis pondere opprimendos, ſed ignoret perſecutionis auctores, ne agnitio hoſtilis inuidiæ conſtantiam labefactet, aut Abrahamidi pectoris tolerantiæ aliquod diſcrimen arceſſat. Adeò arduum ſufferentiæ certamen hoc, vt pugili validiori non fidat Deus.

Cur Deus manifeſtans inſidias non detegit inſidiatores?

Oleaſt.

Ne vir ſanctus odio proſequeretur aduerſarios.

Ignorare expedit malorũ auctores.

3. Quantò melior Abrahamo ſemen Abrahæ Ieſus, in quo illud patientiæ ornamentum, ſicut magnum iubar effulſit, vt tantis illumineris fulgoribus: cum ceruo ſe comparat diuina ſapientia, in eóque virtutem à te ſectandam expreſſit, eſt enim ſimpliciſſimum animal, nec cauet dolos, nec tendiculas præuidet, cùm venatoribus eum inſectantibus init conſortium, & amicitiam, & ad eorum decipulas ſæpè confugit. De quo ſapienter Beatus Ambroſ. fatur Pſalm. 41. in præfatione: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tibi.* Prouerb. cap. 5. *Verus enim Dei filius in ſemetipſo naturam, quam animantibus ipſe donauit expreſſit, qui in hunc mundum tanquam ceruus aduenit: & cum his ſe mirâ ſimplicitate iungebat, à quibus ei parabantur inſidiæ, fertur enim huiuſmodi ceruorum eſſe ſimplicitas, vt cum ſe exagitari viderint, his ſe ſe equitibus adiungant, qui miniſterio fraudis appoſiti, fugæ ſpecie, ac ſimulatione ſocietatis inductos, ad retia vſque deducant. Iſta ergo Dominus tanquam ignarus periculi, atque improuidus, Iudæis dolum ſibi ſtruentibus admiſcebatur, & ſocietatem Iudæ proditoris ſibi aſciuit, cuius ſimulatione funeſtâ, vſque ad Crucis laqueos, & paſſionis retia peruenit.* Ad conceptum ſuum, imò & noſtrum, verba Prouerbiorum Ambroſius vſurpat cap. 5. verſ. 19. *Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus.* Iuxta Vulgatum interpretem. Ipſe tamen verſionem Septuaginta ſectatus eſt, qui vertunt: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum* Symmachus, & Theodotio: Καὶ ἔλαφος χάριτος, *ceruus gratiæ.* In multis Ieſus gratioſus, & amabilis apparuit, ſed cum Dei ſapientia omnia præcognoſcens, & cordium exploratrix ignorantiam ſimulat hoſtium, ipſum de medio tollere

Cerui ſimplicitas candidũ Ieſu animum erga inſidiatores ſuos adumbrat.

D. Ambr.

Ieſus mira ſimplicitate inibat cõſortium cum inſidiatoribus ſuis.

Ceruus inſectatus à venatoribus, ad ipſos confugit.

Ieſus, cum Iuda & Iudæis dolum ſtruentibus admiſcebatur.

Lect. Lxx.

Ieſus, cum ignorantiam hoſtium ſimulat, gratiſſimus.

cupientium, & nomen eius abradere de hominum memoriâ, & cum iis mirâ ſimplicitate inibat conſortium, à quibus parabantur inſidiæ, vires ſuas amor, & patientia exerunt. Ex Ambroſianis verbis ſuccum exprime, & conceptum ebibe: *Iſta ergo Dominus tanquam ignarus periculi, atque improuidus, Iudæis dolum ſibi ſtruentibus admiſcebatur,* &c. Cum luporum rabie, gerere agni candorem; cum corruis, & accipitribus, columbæ ſimplicitatem; cum canibus, hinnuli, & ceruæ amorem, & gratiam; diuinæ virtutis opus eſt; hilari fronte, & magnâ taciturnitate celabat Ieſus animi ſui dolorem, ex inſidiis, & conſiliis iniquis Iudæorum contra ipſum prouenientem; moderatione animi ſui, velut ignorans doloſas machinationes cum ipſis confabulabatur hoſtibus, blando verborum lenocinio velut amicos excipiens, vt mirabilis patientiæ præberet documenta. Interdum expedit iuſto ad æmulationem Ieſu cum verbis, & operibus inimici conniuere, & cum tibi pateant eius iniqua contra te conſilia, hilarem vultum prætendere, & quaſi doloſæ machinationis inſciens, teipſum in eius inſinuare gratiam, tunc enim tolerantia egregium triumphum reportat.

D. Ambr.

Expedit iuſto ad imitationem Ieſu, hoſtibus hilarẽ vultum prætendere.

4. Singulari acumine expendit ſanctus Auguſtinus locum Pſalmi 34. verſ. 7. *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui.* Aut iuxta verſionem ſuam: *Quoniam gratis abſconderunt mihi muſcipulæ ſuæ corruptionem.* In eóque recognoſcit ſubtile hominis ingenium, & Dei ſapientiam in diſſipando malorum conſilio; celauerunt retiacula doloſæ captionis Iudæi, abſconderunt muſcipulam, vt Ieſum caperent, exiſtimantes paratas tendiculas non agnoſcere; ſed ipſi comprehenſi ſunt in aſtutiâ ſuâ, & in laqueo, quem abſconderunt, captus eſt pes eorum. Non extitit decipulæ perditio Saluatori, qui ſciens, & volens, captus eſt, licet videretur ignoranti ſimilis, ſed doli artificibus Iudæis, qui ſapientiam ipſam fraudis ſuæ neſciam indicauerunt. Do tibi Auguſtini verba: *Cui abſconderunt muſcipulam? qui videbat corda abſcondentium. Sed tamen erat inter illos ignoranti ſimilis. Quaſi falleretur, cum illi deciperentur, eo ipſo, quo eum illi falli arbitrabantur.* Decipiebantur deceptione ſuâ, & irretiebantur decipulis ſuis, cùm ignorantem iudicabant ſuorum cordium exploratorem. Diſſimulauit ad tempus, & ignorantiæ ſpeciem oſtendit, vt præferret inſigne patientiæ, cum percallens intima animarum, adhuc eos ſuſtinebat.

Iudæi abſconderunt muſcipulam, vt iuſtum caperent.

D. Auguſt.

Erat Ieſus inter Iudæos ignoranti ſimilis, & explorabat intima cordiũ.

5. Eodem loco Eccleſiæ lumen Aurelius occurrit obiectioni quorundam ſciſcitantium, cur Iudam elegit futurum præuaricatorem, & tandiu inter collegas Apoſtolici cœtus ſuſtinuit? Subiungit ſanctus Auguſtinus; *Ille videbat traditorem ſuum, & elegit illum magis ad opus neceſſarium, illius malo magnum bonum operatus eſt: & tamen inter duodecim electus eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo. Hoc ad exemplum noſtræ patientiæ, quoniam neceſſe erat vt inter malos viueremus, & quia neceſſe erat vt malos ſiue ſcientes, ſiue neſcientes toleraremus: exemplum patientiæ præbuit ne deficias, cum cœperis inter malos viuere.* Hæc Auguſtinus. Iudam permiſit Ieſus in ſcholâ ſuâ, & domicilio commorari, ad exemplum patientiæ, vt ſicut Ieſus præuidens traditorem, tantum nefas animo ſuo concipientem, diu pertulit, tolerares malos, & hoſtes, quos iniquis operibus, & doloſis linguis præcognoſceres inſectari vitam, & honorem tuum; in illo Apoſtolorum ſodalitio, in quo eminebat

Cur Ieſus elegit Iudã, quem ſciebat præuaricatorem, & traditorem futurum.

D. Aug.

Ne duodenarius numerus eſſet ſine malo.

Exemplum patientiæ dedit Ieſus, vt tolerares malos.

nebat omnium virtutum chorus, & ipſius ſanctitatis imago, noluit Ieſus improbum defeciſſe, vt eius nequitiam ſufferens, per patientiæ virtutem opus redemptionis perficeret. Diuinæ præſcientiæ intuitu luſtrabat animum Iudæ hominum aſſertor, ſcelus proditionis machinantem, cernebat collegam ſuum neque patientiâ, neque beneficiorum obſequio mitigatum, ſuſtinuit vſque ad proditionem, vt inclytæ patientiæ ſimulacrum æmulandum hominibus exhiberet.

Vt Ieſus oneretur opprobrys vultus eius velatur à Sannionibus.

6. Opprobria, & irriſiones relaturus Lucas Euangeliſta, quas pertulit Ieſus à Sannionibus in domo Principis Sacerdotum, illud argutè recenſet, diuino, & venerabili vultui patientis, velum obtendiſſe carnifices, vt caput eius percuterent, cauillationibus, & incompoſitis cachinnis ei illuderent, cap. 22. verſ. 64. *Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.* Suſtinere nequeunt modeſtiſſimam luminum grauitatem, aſpectúmque iucundum inter plagas, & contumelias imperturbabilem. Pia hæc contemplatio eſt. Adde alteram commentationem. Cur faciem obuelant percuſſores? Nimis abſurdum, aſperum, & crudele eis viſum eſt, quod percutientes, & ſubſannantes Ieſus cerneret; ſannas ſuſtinear, ſed diſtorta labia, linguam procaciter extentam, oſtentationem dentium inter contracta labia, non videat. Tunſiones, percuſſuras caput perferat, ſed oculi non proſpectent manus tanti ſceleris adminiſtras. Omnem patientiæ metam prætergredi videtur, & totius feritatis terminum hoc opprobrij genus, ſuſtinere cruciatus, & aperto lumine intueri tortores: forſan hæc mens eſt Oleaſtri ad cap. 15. Geneſ. in annotat. ad mores: *Chriſtum (inquit) cùm alapis à miniſtris Pilati caderetur, voluiſſe ſibi oculos vittâ operiri, qui optimè nouerat percutientes velatus. Sed hoc nos voluit ſymbolo admonere, non eſſe multum laborandum vt auctorem percuſſionum ſciamus.* Et ſtatim: *Ne quemquam odio habeamus, ignorare optimum.* Faſciam circumponi oculis Ieſus permiſit, vt oculos cæleſtis Cupidinis vittâ coronatos cerneres; velut cæcus amor ad contumelias, & exprobrantes, tibi proponi maluit, qui oculatiſſimus amor eſt, præſcientiæ oculo agnoſcens, & videns perſecutores ſuos, eóſque tolerans inter conuitia, & plagas poſitus, vt inter velamenta vultus patientia ſua radios diffunderet. Velamentum oculorum Ieſu te admonet vt ab hoſtibus inſectatus velamen apponas oculis mentis tuæ, nec multum cures ſcrutari quis auctor extiterit ignominiæ tuæ, quis dignitatem violauerit tuam. Ignoratio aduerſarij, tolerantiæ vires adiicit, eámque nutrit, animum corroborat; at agnito hoſte, qui famam imminuit, commouetur ad iram pectus, coit horrore ſanguis, artus corporis tremunt, & totus homo ad vindictam inflammatur; ſed eum cernere, agnoſcere, & ſufferre patienter, ſummæ virtutis eſt.

Eximium d. cus patientia hoſtem ſufferre, & ipſum agnoſcere.

Oleaſt.

Non eſt laborandum de perſecutionis auctore cognoſcendo.

7. Vicus in quo Chriſtus naſcitur nuncupatur Ephrata, & Bethlehem. Primo nomine inſignitur Pſalm. 131. verſ. 6. *Ecce audiuimus eam in Ephrata.* Secundo verò, apud Matthæum cap. 2. verſ. 6. Lucæ cap. 2. verſ. 4. at Michæas Vates vtramque nominis rationem copulauit verbis ſuis cap. 5. verſ. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda.* Cur ciuitas Dauid, in quâ egreditur Princeps æternitatis & Ephrata, & Bethlehem nuncupatur? Rationem aſſignat, & myſterium aperit Stephanus Cantuarienſis apud Tilmanum in allegoriis: *Bethlehem (inquit) domus panis dicitur, quæ prius dicta Ephrata, quod ſonat, furorem vidit. Si ergo vis eſſe Bethlehem, id eſt domus panis, qui de cœlo deſcendit, & vis habere illum panem, oportet vt ſis prius Ephrata, id eſt, videns furorem perſecutorum.* Ex quo enim Ieſus reclinatus eſt in Bethlehemitico antro, & factus cibus vitæ animalium ratione vtentium, docuit cernere perſecutorum furorem, eúmque ſuſtinere. Agnoſcere hoſtem honori tuo, aut vitæ inſidiantem, & eum ſufferre, hic triumphus, hoc decus Chriſtianæ patientiæ, qui ab aduentu Chriſti in carne prouenit, & à pane vitæ, qui de cœlo deſcendit. Aptiſſima animæ tranſmigratio ex Ephratea ad Bethlehemiticam domum, ex viſu furoris hoſtilis, ad Eucharíſticas dapes. Optima domus ſuppellex, & regale periſtroma furentem hoſtem intueri, & tolerare, vt conuertatur in domum panis, & in ſe recipiat epulum vitæ Ieſum, qui prius in ſe expertus furorem perſecutorum vt ſeipſum in alimentum vitæ traderet.

Steph. Tilm.

Bethlehē domus panis interpretatur, Ephrata: furorem vidit. Qui vult comedere panē vitæ, videat perſecutorum furorem, & illum ſuſtineat.

Discursus VII.

Qui præuentus adit hoſtis certamina, felix tenet victoriæ auſpicium.

1. NON inopinatum, aut improuiſum inuenerunt Ieſum, vt Iudæi exiſtimabant, cruciatuum, & paſſionum acies, ſed præſcientiæ clypeo munitum. Comparauit ſe ad pugnam, vt in ſe reciperet maledicentium iacula, & carnificum vulnera, & plagas. Vt te erudiret anteuertere pugnæ diſcrimina, ſtratagemata hoſtis, minus enim feriunt hoſtiles ictus, qui præuidentur, & facilior ex eorum præſcientia aditus aſpirat ad victoriæ palmam. Ad magnos labores, & ærumnas, ad cruenta prælia tyrannorum informabat Ieſus Apoſtolos ſuos, & vt paratiores ſint ad pugnam, omnia prædixit ſubeunda diſcrimina. Ioannis cap. 16. verſ. 2. *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo,* verſ. 4. *Sed hæc locutus ſum vobis: vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini quia ego dixi vobis.* Huius prædictionis rationem aſſignat ſanctus Cyrillus Alexand. lib. 10. in Ioannem, cap. 34. dicens: *Nam quod non expectatum præter opinionem ſubitò ingruit, magnos etiam plerumque animos turbat: quod autem præuidemus, quamuis grauius inferatur, leuius tamen propter præmeditationem videtur.* Alleuat enim prælij pondus eius præuiſio, & præmeditatio, quando ad imminentem hoſtis conflictum ſe ſe accingit iuſtus.

Ieſus prædixit Apoſtolis ſuis hoſtiles inſidias.

D. Cyrill. Alex.

Quod ſubito ingruit, magnos animos turbat, quod præuidetur leuius videtur

2. Spiritualis hoſtis animæ totam victoriæ ſuæ fiduciam collocat, ſi anteuertat militem Chriſti, & improuidum adoriatur; iudicat ſic facilius intercipi animum laqueo tentationis, & nullo negotio proſterni in vitiorum luctâ, ſi ſe prius non ſolicitè muniat, inſidias aduerſarij exploret, & ſe apparet ad dimicationem. Militare Diaboli ingenium in ſpirituali agone aperit ſanctus Iob cap. 39. verſ. 21. *In occurſum pergit armatis.* Tunc enim Diabolus exultat, & victoriam ſibi repromittit, ſi ipſe prior ingrediatur palæſtram, hoſtem ſignet, & prouocet, ad ictus ſuos imparatum inueniat; ſi prior exeat in campum, & occurſet

Fiduciam victoriæ habet Diabolus, ſi hominem improuidum, & imparatū aggrediatur.

Lect. Lxx.

Si prior occurrat Diabolus, non metuit hoſtiũ phalanges. D. Chryſ.

præliaturo. Conceptum extollunt Septuaginta interptetes: *Procedit in campum in virtute: occurrens regi deridet.* Vel iuxta ſanctum Chryſoſtom. in ſcholiis Septuaginta: *In occurſum armatura, & in occurſum cataphractorum, non metuens iaculum, neque aciem ferri.* Occutrens in prælio nec cataphractos equites timet, nec loricatos milites, non aciem gladij, neque haſtæ cuſpidem; Regem præliorum,& imperatorem irtidet, tam ſuperbâ exultatione, vt cæleſti Angelicorum exetcituum duci impudens in deſerto occurterit, *Et accedens tentator.* Matth.cap.4. Non expectauit quod ei occurreret Ieſus, ſed ei priot obuiam proceſſit. Argutè Dæmonis petulantiam hoc loco annotauit Venerabilis Beda: *Ad tentandum Dominum* (inquit) *auſus fuit in occurſum eius venire in eremo.* Nam fallendi, & ſupplantandi artem, & ttiumphi pignus cenſet, ſi occurrat antequàm ei occurratur, ſi præueniat, & non præueniatur; ſi non expectetur, ſed expectet fiducialiter in palæſtrâ, brauij, & palmæ æmulum.

Diabolus prior occurrit Chriſto Ieſu ad tentandũ. Vener. Beda.

Miles Chriſti occurrere debet prior Diabolo, eiuſque anteuertere dolos. D. Beda.

3. Opponendæ ſunt Dæmoni à Chriſtiano pugili eædem inſidiæ, eadem certaminis machinamenta obiicienda veretatori, vt proſtratus, & pudore ſuffuſus abeat. Eadem verba Iob cum ſanctus Beda de calliditate, & fraudulentiis inimici expendiſſet, ea ad Chriſtianum militem transfert; cúmque inſtruit: *Vt in occurſum pergat armatis.* Dæmonum phalangibus, eorúmque fraudes præcognoſcens, facilè proſtetnat. Aptè ſubiicit: *In occurſum pergit armatis, antequam telis vitiorum, ſiue perſecutionum ab ſpiritualibus hoſtibus obruatur, in acie virtutum conſiſtens, irruentes in ſe præuenit inimicos: ne aliquo ictu concupiſcentiæ, vel etiam diffidentiæ vulneretur. Sic namque in occurſum pergit contra hoſtes armis vitiorum inſectationéque munitos.* O quantum iuuat in dimicatione ad apptehenſionem lauri ipſa ante conflictum præmeditatio, qua velut impenetrabili armorum tegmine ſe protegit Chriſti decertatot, occludet enim paraturæ cautione omnes vias, quibus hoſtes inferre poſſunt exitium; & cum præuentus conſerit manus cum validiore, facilius colligit animum, & vires, ictúſque retundit, primóſque vitiorum impetus, qui ſolent eſſe violentiores, facilè propulſat: non licet inuenire in Chriſtiano milite frigidum illud verbum: ſubitò adotſus, inopinato irruit in me hoſtis, ſemper enim paratum inueniunt tela virum, qui exiſtimat militiam eſſe vitam hominis ſuper terram.

Miles Chriſti præuentus in occurſum pergit armatis.

Miles Chriſti procul odoratur bellum, eum ſe ad certamen parat.

4. Adhuc tetardat animum prædicta beati Iob auctoritas, & deſcriptio militaris equi, in quo expreſſa imago formata eſt Chriſtiani decertatoris iuxta Magni Gregorij placitum, cap.39. verſ.25. *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Non expectat bellicum occurſum, nec hoſtis inſtantis itruptionem, ſed diſcretionis naſo certamen præſentiſcit, & ad dimicandum ſe accingit, & paraturâ ſe munit triumphi præambulâ. Pulcrè ſanctus Gregorius inquit lib.31. Moral.cap.16. *Idcirco quodlibet certamen exuperat: quia mentem certamini ante certamen parat Bellum quippe procul odorari, eſt aduerſa quæque longè adhuc poſita cogitando prænoſcere, ne fortaſſe valeant improuiſa ſuperare.* Sicut hoſtis improuiſo irrumpens, animúmque imparatum inueniens facilius vincit; ſic odoratis, & agnitis eius inſidiis facilè ſuperatur, ideò belligerator Chriſti totam ſolicitudinem impendit, vt procul odoretur bellum.

D. Greg.

5. Recenſet Scriptura diuina cap.4. Geneſis iuſti Abel necem trabémque purpuream, qua primus Martyrum naturam hominis decorauit. In ferali egreſſu Abel de domo in campum, in ſubdolis verbis Caïn, & hoſtili inuaſione innuit textus ſacri ſeries, inualuiſſe Caïnum in Abelem, quia ſubitum, & inopinatum aggreſſus eſt. ibi verſ. 8. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Innocentis pueri animus expers fraudis, ſecutus periculi, non præuidit veretatoris germani aſtutiam, non præcauit inſidias frattis infeſti; in inermem, & imparatum Abel inſiliit Caïn. Id annotat Cardinalis Caietanus: *Dicendo enim conſurrexit, inſinuat quod ex improuiſo, cùm iaceret, aut ſederet, ſurrexit; & vt textus Hebræus habet, non aduerſus, ſed ad Abel fratrem ſuum, proculdubio aggrediendum, & fortè apprehendendum ſedentem: vt faciliùs, & omninò illæſus occideret eum.* Debebat iuſtus præcauere fratris tanquam hoſtis conſortium, furentes iracundiæ impetus, liuoríſque notas in vetbis, & vultu præcognoſcere: ideò expertus immane flagitium fraternâ manu perpetratum, corpus vulneribus ſaucium perſtat, terráque ſacri cruoris vndis immadeſcens, quia certamen non præuidit, & ad palæſtram imparatus, improuidus acceſſit. Si in fratre præuideret hoſtem, vinceret. Enimverò mors iſta vincentis, & triumphantis eſt: martytij laurea, & virtutum ſerto in æternum coronatus ttiumphat.

Cain Abeli inopinatũ & ſubitum aggreſſus.

6. Occurrit hæc funeſta lucta Philoni, & qua eſt arguriâ præditum illius ingenium, vt eleuet in Cain onus flagitij, reprehenſionis labe aſpergit ſanctiſſimum adoleſcentem Abel, de quo ſic fatur lib. de migratione Abrahæ: *Caterùm eius naturæ felicitatem ſuſpicio, hoc vnum in eo reprehendo, quod prouocatus in certamen verborum deſcendit, cum debuiſſet perſtare in conſuetis moribus, contempto prouocatore: quod ſi omninò concertatio placebat, debuerat tantiſper abſtinere à puluere, donec artes luctandi perdiſceret.* Exiſtimat Iudæus Abelem à fratre laceſſitum, in ſtadium ingreſſum contentionem, & congreſſum fuiſſe verbotum. Sine prouocatus, ſine imparatus, & inermis adierit locum certaminis, omni vituperatione purgandus eſt iuſtus. Cæterum eius naturæ felicitatem ſuſpicio; at quod in certamen deſcenderit non vitupero; ſed propterea veneror religioſum iuuenem; quod primus certamen, & cruciatum pro pietate ſuſtinuit; velut anteſignanus Martyrum fidei vexillum erexit, ad virtutis æmulationem prouocauit; cadit iuſtus in prælio; felix caſus ex quo immortalis vita comparatur, cæditur fuſte, aut quatitur ſaxo caput; ſed cinguntur tempora ſemper virenti lauro paradiſi. Nec imparatus, aut inermis deſcendit in arenam; ſatis paratus, ſatis inſtructus patientia, quæ martyrij ſimulacrum formabat de candido virginitatis lilio, & rubente ſanguinis roſâ texebat coronam. Irreptehenſibilis lucta in Abel, qui ductabatur à Deo in prælium, vt in illius mortis vmbrâ, mortem Ieſu delinearet. Quicumque alius decertator (vt locum ſuum habeant acumina Philonis) qui imparatus, improuidus adit ſpiritalis diſcrimina belli reprehenſione notãdus, debet enim ſi placuerit concertatio, artes luctandi perdiſcere, & hoſtis aſtum agnoſcere: *Debet tantiſper abſtinere à puluere, donec artes luctandi perdiſcat.* Tantis diſcriminibus plenum opus eſt, improuidum prælium; militem inexpertum, & imparatum cum hoſte conſerere manum, vt fuſcare auſus

Philo Iudæus Abelem reprehendit, quia imparatus adijt pugnam. Philo Iud.

Abel iuſtus excuſatur, & irreprehenſibilis oſtenditur.

Abel patientiâ inſtructus fide paratus ad prælium martyrij.

Periculoſum eſt homini, ſi adeat certamen imparatus. Phil. Iud.

ſus ſit Philo in Abele innocentiæ candorem, defectúmque prouidentiæ, & cautionis in eo reprehendere.

Iacob ab vtero matris, & à mammâ paratur luctamini.

7. Commemorat Oſeas egregia facta Iacob, in arte luctandi ſtrenuitatem, pugnacem dextram, inuictúmque animi robur, cap. 12. verſ. 3. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt.* Vir totus factus luctæ, certamini à mammâ, ab vtero. Quaſi bonus Dei Athleta inunctus ad prælium, & induratus laboribus; puerilis luctæ exercitatione puſio in vtero matris, ampliſſimo certamini parabatur; quid mirum ſi incubuit in Angelum, & vicit inuincibilem Deum, ab ipſo vitæ exordio aſſuetus vincere. Pulcrè ſanctus

D. Cyr. Alex.

Cyrillus Alexand. ſcribit: *Ab ipſis igitur incunabulis Iacob fuiſſe habilem, ac dexterum, imò antequam partu ederetur, ex eo probare ſtudet, quod fratrem in*

Iacob in iuuenili ætate prævaluit in Deum.

vtero materno ſupplantarit. Et paucis interiectis ſubiungit: *Atque hæc quidem in vtero, vbi autem iuuenilem ætatem attigit, imò verius in viris numeratus eſt, in laboribus ſuis prævaluit in Deum.* Hæc Cyrillus in hac commentatione ſecutus lectionem Septuaginta dicentium: *Prævaluit in Deum*: Lucta-

Iacob à Deo inſtituitur ad certamen.

minis, & victoriæ primitiæ pueIli Iacob in aluo matris, auguſtius certamen, & triumphum portendebant; vix vitæ curriculum ingreſſus, & brauium renuit, immatura ætas pugnæ, ſed iam tempeſtiua victoriæ: exercebatur in vtero athleta diuinus, vt eruditus luctæ diſciplinis, omnem hoſtem vinceret. Inſtituitur ab Agonotheta Deo leuare calcaneum, tenere plantam, vt prouidè inſtructus, & paratus adeat primogenituræ certamen, & eripiens benedictionem, fratrem alterâ vice ſupplantet. In vtero exiſtens, ipſo colliſu cum fratre confligabatur, & ad luctam inſtituebantur teneri artus, vt poſtmodum laceſſente Angelo, prouocante Deo, luctator peritus impauidus deſcenderet in puluerem, prævaleret Deo; non enim in imparatum, aut inexpertum luctæ inter ſilentes ſyluas, & noctis vmbras Angelus, aut Deus irruit, ſed in eum cui ab vtero Matris, à vitæ primordio prænuntiata lucta eſt.

Cur Ieſus eleuatus à terra moritur?

8. Perſcrutantur Eccleſiæ Patres cur Ieſus à terra eleuatus in Cruce ſuſpenſus in aëre moritur, non ſuper terram? Et diuini conſilij rationem extitiſſe autumant, Ieſu ſapientiam, quæ omnia tela, & omnem dimicationem hoſtis ſolerter præuidit. Ad Crucis patibulum feſtinantem Ieſum Diabolus exhorruit, & timore perculſus in terrâ occultare ſe noluit, ne ſimul cum morte à ſuſcitante mortuos, vita, in ſepulcris comprehenderetur, ideo in aërem aduolauit, & in hoc elementum Ieſus aſcendit, & in eo hoſtem inſectatus eſt. Do tibi verba Phoſterij in Catena Græcorum Patrum, in Lucæ caput 23. verſ. 33. *Diabolus* (inquit) *ad ſummas redigebatur anguſtias: permanere enim non poterat, rurſum verò fugere pertimeſcebat. Verùm memor quod omnes morientes in terram mori oporteat, iuxta quod ſcriptum eſt: terra es, & in terram reuertêris; non auſus eſt in terrâ manere, ne & ibi comprehenderetur. Quod igitur reliquum erat, in aërem euolauit, quocirca etiam Dominus non humi mortem oppetijt; ſed in aërem aſcendit per Crucem, ibi quoque ſerpentem proſequens.* Hæc Phoſterius. Prænouerat Ieſus diuino præſcientiæ intuitu omnia ſerpentis machinamenta, quibus ſatagebat elabi de manibus aſſertoris vindicantis genus humanum; vt ſtrenuus decertator anteuertit pugnam, antè occupat ſtadium, in aërémque ſcandit Cruci ſuffixus, vt nec in terra, nec in aëre Diabolus inueniret refugium: non audebat Draco ſuper terram ſerpere, & in congerie mortuorum, intérque animarum ſpolia, quæ in ſeruitute retinebat, commorari, ne captiuam ducens captiuitatem Ieſus, inter reliquas manubias ipſum vt tenebrarum principem, carceriſque cuſtodem, traduceret in pompæ nobili ferculo. Ideò celeri volatu migrauit in aërem; has technas præcauens. Diuinus decertator, à terra erectus in patibulo moritur, vt ab aërea regione Diabolum expelleret. *In aërem aſcendit per Crucem, ibi quoque ſerpentem proſequens.*

Diabolus fugiens à ſepulcris, ne in ijs comprehenderetur, ad aërem conuolauit hoſtes.

Aſcendens Ieſus in aërẽ per Crucem, ſerpentem perſequebatur.

9. Mirum valdè eſt quod refert ſanctus Ambroſius de Lupo lib. 6. Hexameron. cap. 4. *Lupus ſi prior hominem viderit, vocem eripit, & deſpicit eum, tanquam victor vocis ablatæ. Idem ſi ſe præuiſum ſenſerit, deponit ferociam, non poteſt currere.* Hanc Ambroſius ſingularem Phyſiologiam lupo Dæmoni perbellè accommodat: *Tu neſcis quomodo virtutem eripias aduerſario, vt te tanquam præuentus lupus effugere non poſſit, vt oculo tuæ mentis, eius perfidiam deprehendas.* Si miles Chriſt lupum ſpiritalem, qui anhelat crudelitatem, & dilacerationem agnorum Chriſti, anteuertat, eiúſque furentem audaciam, & impoſturas præuideat, felix tenet victoriæ auſpicium. Si verò lupus prior te præoccupet, & imparatum intercipiat, facilè perimet.

D. Ambr. Lupus ſi prior hominem viderit vocem eripit, & eum deſpicit.

Aduerſarius præueniendus vt virtus eius eripiatur.

10. Præuertebat in pace luctam Dauid, vt in prælio vinceret, & ſolicita præuiſione monitus, aduerſarios irridebat, depoſito metu. Pſalm. 118. verſ. 60. *Paratus ſum, & non ſum turbatus.* Dauidis imperatoris mentem tenuit Euthymius ſcribens: *Malum enim quod quis prius conſiderat, atque expectat, tolerabilius efficitur. Vel: Dæmonibus, ſeu tentationibus me inuadentibus, turbatus non ſum, ſciens quod impetum in me facturi erant. Quam ob cauſam ad tolerantiam me preparaui.* Non turbatur iuſtus cum ſentit aduerſarios ad prælium ſpiritale prouocantes, & turbine tentationum irruentes; cum patientia inſtructus, & gladio cautionis accinctus, eos in ſtadio præſtolatur; tunc facilius eos deijcit, è pugnâque diſcedit victoriæ lauro coronatus.

Euthym. Tentatio quæ præuenitur, efficitur tolerabilior, & animum non perturbat.

DISCVRSVS VIII.

Ille vir ſtrenuus in virtutis curriculo qui diſcretione ſpiritus præpollet, vt explorare poſſit hoſtis technas.

1. SPIRITVM diſcretionis non in ſeipſo ſtagnauit Ieſus, ſed ad diſcipulos ſuos transfudit, vt cenſoriâ virgula inter bonum, & malum diſcernerent, odorarique poſſent diligentius veteratoris Dæmonis dolos, & fraudes, vt cauerent ſibi à periculis errorum, aliiſque renuntiarent, vt repellerent aduerſariorum inſidias. Expugnaturus Ioſue vrbem Iericho miſit Deus de cœlis auxiliatrices manus. Caſtra fixerat in vrbis agro inuictus imperator, & vix occurrit animo, obſidione occupare vrbem, cum ſe obuiam properauit vir præcinctus tegminibus armorum, diſtricto gladio cum Ioſue congreſſurus. Ioſue cap. 5. v. 13. *Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem*

In Ioſue imperatore diſcretio ſpiritus præluxit.

Ignoti militis animum explorat Ieſus Naue.

tenentem gladium. Non demiratur pugilis ſtrenuitatem Ieſus, nec palleſcit ad fulgurantis gladij minas,ſed robur, & ſpiritum colligens, intrepidè explorat aduerſarij mentem: *Perrexitque ad eum, & ait: noſter es, an aduerſariorum?* Solertiam, & prudentiam Ioſue in diiudicando milite, collaudat Origenes; cauet enim ne ſibi vellet illudere, aut exercitum Domini in fraudem inducere, ideo diligentius inueſtigat,an oppugnator exiſtat. Argutè Adamantius homil.6. in Ioſue,inquit: *Nondum tamen certus eſt ex diuinis virtutibus, an ex contrarus vna ſit, quæ videtur, & ideò interrogat. & perquirit dicens: noſter es, an aduerſariorum?* Et ſtatim: *Quid eſt quod nos per hæc edocet Ieſus? Illud ſine dubio quod dicit Apoſtolus: nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* (1.Ioannis cap.4.) *cognouit ergo Ieſus non ſolum quod ex Deo eſt, ſed quia Deus eſt; non enim adoraſſet niſi agnouiſſet Deum.* Præſtantior erat Ieſus ſpirituum cognitione, agnouit ducem militiæ cæleſtis, nuncium de cæleſti curia miſſum ad auxilium, & tutamen Iſraëlis non ſpiritum falſitatis aut ſpectrum quod impelleret ad errorem, ſed Angelum veritatis, adorauit illico. Quibus omnibus inſtruit nos ex Origenis placito, non omni ſpiritui adhibere fidem, ſed diligenti probationis examine inquirere,an ex Deo ſit.

Orig.

Perquiris Ioſue an ex diuinis an ex contrariis virtutibus ſit.

Non eſt credendum omni ſpiritui.

Donum diſcernendi ſpiritus in naſo ſponſæ ænigmaticè prædicitur.

2. Speciale elogium narium ſponſæ deſcribit Salomon Cant. cap.7.verſ.4. *Naſus tuus ſicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum.* Vbi naſum metaphoricè vſurpant Eccleſiæ proceres pro ſpiritu prænoſcendi, & ferendi diſcrimen inter virtutes, & vitia, Angelum lucis, & tenebrarum, ideo ſpeculatoriæ turri ſpiritum diſcretionis ſponſæ accommodat Salomon, ex qua odorari poſſit ſpiritualium hoſtium inſidias, & conatus. Conceptum exprimit Cyrenſis Epiſcopus Theodoretus. Do tibi illius verba: *Sponſæ naſus ſicut turris Libani. Celſus enim eſt ac ſublimis, & cæleſtem ſuſcipit odoris ſuauitatem, ſponſique vnguentum percipiens, clamat. Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Idcirco comparata eſt turri quæ in Libano ſita eſt, & reſpicit Damaſci faciem. Nam quia Diabolus (vt aſſerit Beatus Paulus) in Angelum lucis transfiguratur, vnguentique ſpiritalis ſpeciem ſumit, neceſſariò ſponſæ naſus erectus ac vigilans, reſpicit faciem Damaſci, ne decepta verum omittens vnguentum, fallax, & adulterinum ſequatur.* Et poſt multa eamdem commentationem recapitulans inquit: *Proſpicis enim ne Diabolus ſub ſpecie rerum diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat.* Hæc Theodoretus emunctæ, & perpurgatæ ſunt nares ſponſæ vt percipere valeat virtutum odores, quæ ſpiritum, & vnguentum Chriſti halant, præſentiſcere, & diſcernere maleolentem vitiorum halitum; odoratur procul peccati fœtorem, quod aduerſarius ſub virtutis ſpecie, & velamento occultare conſueuit. Magna, & præcellens virtus animæ, quæ ſecernit lumen à tenebris, ſpiritúmque erroris, & perfidiæ transfigurantem ſe in Angelum lucis obſeruat, illinſque tenebras inter conſictos ſplendores luſtrat mente peruigili.

Theod.

Cur naſus ſponſæ reſpiciat faciem Damaſci.

Sal nuncupantur Eccleſiæ lumina propter prudentiam in diſcernendis ſpiritibus.

3. Inter alia amplitudinis decora, quibus ornat Ieſus orbis Magiſtros, eminet ſalis comparatio Matthæi cap. 5. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Cur vocitat ſalem Eccleſiæ lumina? Propter prudentiæ delectum, & facultatem internoſcendi ſpiritus, & aſſignandi diſcrimen inter bonum, & malum, ſunt enim Eccleſiæ Patres dono diſcretionis præditi; id donum ſal indicat. Hinc eſt quod tantopere commendatur Sacerdotibus ſacrificium litantibus, ſalis aſperſio, vt eo omnis oblatio condiretur. Leuitici cap. 2. verſ. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal.* Quod ergo ſalis condimentum eſt, quod Deus exigit, ſine quo inſulſa eſt omnis victima? Diſcretionis virtus, quæ reddit ſapidum omne epulum, & holocauſtum quod offertur Deo. Mens eſt Ruperti lib.1. in Leuiticum cap. 10. cuius verba ſunt: *Hoc ergo ſub nomine ſalis plenius inculcat, & replicat, vt abſque diſcretione nihil facias. Nam ſicut quod ſale non eſt conditum inſipidum eſt, & carnes quibus ſalis condimentum denegatur, citius corrumpuntur; ſic omne quod agimus ſi abſque diſcretione fiat, æternæ ſapientiæ placitum non eſt, quaſi putridum, aut fœtens abiectione dignum eſt. Proinde Dominus ait: Vos eſtis ſal terræ.* Sapientes ſuos diuina ſapientia non amat infacetos, ac ſtupidos, ſed qui vitâ, moribus, doctrinâ, habeant ſuos ſales; ſit etiam ſalſitudo in iudicio, & vis quædam diſcernendi cum acrimoniâ, & mordacitate coniuncta, quæ moderamen, & condimentum tribuat virtutibus, reddens eas immunes à corruptione, & fœtore vitiorum.

Rupert.

Diſcretio in ſale innuitur.

Cur Gedeon tot prodigia poſtulat, vt Madianitas expugnet.

4. Oppugnaturo Gedeoni hoſtiles Madianitarum acies triumphus denuntiatur cæleſti oraculo; confirmatur de ſupernis victoria repromiſſa, prodigio ignis exilientis de petrâ, ſacrificium hœdi, & azymorum panum deuorantis. Rurſus breui temporis interſtitio, aliud oſtentum expoſcit, velleris ſuper aream expanſi, rore immadeſcentis; nec acquieſcens diuinis promiſſis ſequenti nocte prudens ſignorum exactor expoſtulat, vt ſiccato vellere, tota roreſcat tellus. Iudicum cap.6. verſ.39. *Dixitque rurſus ad Deum: ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere.* Habes vnum de cœlitibus propugnatorem, qui tot ſignis victoriam repromiſit, quid eſt quod fiduciam tuam conturbat dux inclyte? Numquid minus fidens Angelico affatui repetere oſtenta poſtulas? Abſit. Non eſt diffidentia, ſed prouidentia; prudentis viri ſapientia, cautioribus vtitur conſiliis. Celebrat Origenes in hoc facto Ierobaalis cautionem in belli periculis, & in ſpiritibus diſtinguendis acre iudicium. Ex homil. 8. in Iudices verba transfero: *Sed & illud in hoc facto viri fideliſſimi Gedeonis prætereundum minimè puto quod nobis ad formam poteſt cautela ſpiritalis accidere. Angelum vidit, ſed vir eruditus, & habens iam Ieſu præceſſoris exemplum, cautius agit: ſciebat enim poſſibile eſſe etiam Angelos tenebrarum transfigurare ſe in Angelos lucis: & ideò examinatione cautiſſima, volo, inquit, probare ſpiritum, ſi à Deo eſt, quia ſpiritalis examinat omnia.* Non tã illuſtris bellica gloria Gedeon aut mucronis dexteritate punctim, cæſim hoſtes ſauciantis, quàm ſpiritus gladio omnia diſcernentis, eo enim explorabat internos Angelorum cogitatus: certus de oraculo poſſidénſque palmam victoriæ, vlterius ſpiritus inueſtigat, & inquirit ab Angelo, ſuúmque promiſſum examinat repetito miraculo. Spiritalis enim omnia perſcrutatur, cautéque verba trutina mentis librat, & ponderat.

Ierobaalis acre iudiciũ in ſpiritibus diſtinguẽdis.

Orig.

Gedeonis cautio in adhibenda fide Angelicis viſionibus.

Examinat & probat ſpiritum an à Deo ſit.

Diſcretionis dono Deipara præcellit.

5. Prudentiſſima inter omnes feminas Deipara, nulli viro dono diſcretionis ſecunda. Exterrita Angelico affatu, ineffabiliſque myſterij operatione, diuinæ ſalutationis ſeriem rimorata auſcultat. Singularique cautione colloquij Angelici verba perſcrutatur. Lucæ cap.1.verſ.29. *Quæ cùm*

audiſſet,

Cur Maria turbata eſt in Angelica ſalutatione.

audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Timebat ſerpentis technas, & maleſuadam facundiam, quibus in errorem impulit primam fœminam, ne ſermonum lenociniis, aut adulationis blandimentis virus, aut decipulam inuolueret. Propterea immensâ quadam mentis capacitate ab ſpiritu obumbrante illuſtratæ, Angeli verba complectitur, exquiſitâ ſolertiâ examinat, & expendit; ne aut incredula videatur Angelo, aut inſcrutabilis conſilij diſpoſitioni temerè fidem adhibuiſſe. Prudentis Virginis cautionem, quæ occurrit ſponſo, & Deo, ornatæ diſcretionis lampade inextinctâ, perpendit Catena Græca apud ſanctum Thomam, eius verba ſunt: *Cùm aſſueta foret his viſionibus, Euangeliſta non viſioni, ſed relatibus turbationem attribuit dicens: turbata eſt in ſermone eius. Attende autem Virginis, & pudicam, & prudentem, & animam ſimul, & vocem. Audita lætitia dictum examinauit, & neque manifeſtè obſtitit per incredulitatem, nec ſtatim paret ex leuitate, Euæ leuitatem euitans.* O quanta fulget ex huius ſermonis ſerie, in ſimplici columbâ prudentia, quàm aliena à temeritate in adhibenda fide, quanta docilitas in credendo, quanta circumſpectio in examinatione Angelici alloquij. Solet homo oborta ſibi inopinatâ felicitate, geſtire animo, & beatitati ſuæ arridere confeſtim; *At Maria auditâ lætitiâ, dictum examinauit.* Euæ leuitatem accuſans, quæ confabulanti ſerpenti ſtatim credidit, & paruit.

Exquiſita ſolertia examinat Gabrielis Archangeli verba.

Cat. Græc. D. Thom.

Audito lætitia nuntio, nec obſtitit per incredulitatem, nec ſtatim paruit ex leuitate, ſed dictum examinauit.

6. Diuinam prorſus Mariæ prudentiam alloquio ſuo extollit ſanctus Gregorius Thaumaturgus ſerm. 1. de Annuntiat. & ſimplicitatem Euæ deprimit his verbis: de Eua, & Maria fatur: *Prudens reuera, ac ſapiens in cunctis eras, nec ſimilis ei, ex vniuerſis generationibus vlla vnquam eſt reperta. Non ſicut antea Virgo Eua ſola in paradiſo chorum agens, atque tripudians relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali ſerpente verbum ſuſcepit*, &c. Et ſtatim de Deipara ſubiungit: *Neque prius ſanctiſſima Virgo donum admiſit, quàm quis illud mitteret, & quodnam donum eſſet, ac quis ferret, addidiciſſet.* Inter amœna paradiſi viridaria chorum agens, & tripudians Eua quietis impatiens, nec attendens doloſæ ſermocinationi ſerpentis, verbum ſubdolum ſuſcepit, & ebibit venenum, non diſcernens latens virus ſub mellitis verbis, aureôque alloquio; at Maria omnia ſolerter diſcutit, quis legatus, quis auctor legationis examinans, nec ſupernum donum Deitatis prius admiſit, quàm cœli paranymphus curæ, & periculi verbis ſuis redderet expertem.

D. Greg. Thaum.

Deipara prudentia & ſapientia eximia.

Eua in paradiſo chorum agebat, & tripudiabat, non præcauēs hoſtis dolos.

Deipara donum Dei examinat.

7. Euæ ſtultitiam animique mobilitatem declarat Scriptura diuina: etenim cum Satan exploraſſet animum, & affectum fœmineum, habilémque inueniſſet errori, & fraudi, ſpecie pietatis parauit inſidias. Geneſ. cap. 3. verſ. 1. *Cur præcepit vobis Deus*, &c. caſſiculis verborum irretiuit fœminam, quia imprudenti temeritate Dei reuelauit arcana, nec ſpiritu diſcretionis ſolerter examinauit verba ſerpentis, ſed velut mente ſtupidâ, & attonitâ affatibus colubri, aſſenſum præbuit hoſtis verſuti ineptiis. ibi verſ. 2. inconſiderantiam ſuam exprimit: *Cui reſpondit mulier: de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur: de fructu vero ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini.* Euæ ſtupiditatem ponderat Chryſoſt. in his verbis homil. 16. inquiens: *Oportebat te auerſabundam ab eo, qui diuerſa à Deo dixerat, dicere; apage, impoſtor es tu, neſcis neque mandati nobis dati potentiam*, &c. Et ſtatim: *Oportebat ſi quidem prudens fuiſſet, bis ad illum dictis, illum omnino auerſari, nihilque vltra illi loqui, neque audire loquentem: ſed iſta reuelato præcepto, & narratis Dei verbis, aliud lethiferum, & pernicioſum cõſilium ab illo accipit.* Obſepiendæ erant fœmineæ aures prudentiâ, ne ſibilantem draconem audirent, & inſtillantem animo contrarium Deo dogma: ſtatim ac ſermonem inſeruit tranſgrediendi diuinum mandatum, ſatagens abolere mortis memoriam de hominis animo, repellendus foret. At mulier imprudens non obſeruauit veteratoris dolos, non diſcuſſit verba, leuitate fœmineâ properauit ad pomum.

Euæ ſtultitia animique mobilitas maxima.

Imprudens in reuelandis Dei arcanis.

D. Chryſoſt.

Eua debuit reſpuere ſerpentem nefaria loquentem.

8. Placet in calce huius diſcurſus elogia diſcretionis ſpiritus collocare, ex Richardo Victorino mutuata, allegoricè exponente Ioſeph filij Iacob inſignia; verba refert Tilmanus in allegoriis ad cap. 37. Geneſ. verſ. 3. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos: fecitque ei tunicam polymitam*, inquit Richardus: *Per Ioſeph diſcretio figuratur. Hic eſt ille Ioſeph, qui quidem ſerò naſcitur, ſed plus cæteris à patre diligitur. Quis enim neſciat vera bona animi ſine diſcretione nec poſſe acquiri, nec etiam conſeruari? Meritò ergo illa virtus ſingulariter diligitur, ſine qua nulla conquiritur, nulla conſeruatur. Sed vix ſerò talem filium meremur accipere: quia ad diſcretionis perfectionem non ſine magno vſu experientiæ erudimur. Hic inter fratres tunicâ talari ſolus veſtitur: quia illa ſola actio ad conſummationis talum, debitúmque finis terminum perducitur, quæ per diſcretionis moderatur prudentiam. Hic eſt ille ſomniator, ſomniorúmque interpretator: quia vera diſcretio in ipſo tentationis articulo, ex ipſius qualitate futura pericula deprehendit, & aliis quibuſlibet cogitationum ſuarum confeſſionem, imminentium malorum inſidias detegit, & de futuris periculis cautos reddit.* Hæc ille.

Rich. Vict. Tilm.

In Ioſeph diſcretio ſpiritus figuratur.

Diſcretionis ſpiritus laudes.

Discvrsvs IX.

Sacræ Fidei Quæſitorum eximium munus eſt, virtutis, aut vitij ſuffitus odorari, & inueſtigare.

1. Antecellvnt in hoc diſcretionis dono Fidei iudices, præſentiſcúntque ſolerter, carnis, & ſpiritus, virtutis, & vitij odores: inter Angelum lucis, & caliginis diuinâ quadam poteſtate diſcernunt. Habent enim in naſo ſuo cæleſtem ſpiritum dignoſcendi affectus varios animorum, & ſcrutandi errata contra Fidem commiſſa. De quibus vaticinatus videtur ſanctus Iob, eorúmque nomine loquutus cap. 27. verſ. 3. *Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.* Poſtrema verba efferunt Septuaginta interpretes legentes iuxta ſanctum Ambroſium in Pſalm. 118. Oct. 5. & ſanctum Auguſtinum in ſcholiis Septuaginta: *Spiritus diuinus, qui eſt in naribus meis.* Quam verſionem diſcutiens Mediolanenſis Antiſtes conceptum exprimit, & cum Apoſtolis, Apoſtolicisque Fidei iudicibus fatur: *Nares igitur animæ tuæ à fœtore auertantur criminum diuerſorum.*

Sacræ Fidei Iudices habent diuinū Spiritum ad internoſcendum affectus animorum.

D. Auguſt. Schol. LXX.

D. Ambr.

Spiritalium narium elogia.

In naribus inſignis iudicij.

Odor gratiæ ſpiritalis à filio Dei deriuatus in Iudices ſacros.

Eſt enim in his velut quoddam inſigne iudicij. Eo quod vnguentum veri Sacerdotis quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt odor ille diuinus, odor gratiæ ſpiritalis, qui de Patre in Chriſto erat, & ſacramento incarnationis deſcendit in terras, vt omnia fuſo replerentur vnguento, emineat precelſi poteſtate iudicij, & nares repleat animæ, vt benè olentia diſcernat, & fœtida: olentia Sanctorum, qui poſſunt dicere: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo, à fœtidis peccatorum.

Benè olentia & fœtida diſcernunt.

Erat in Ieſu participatus à Patre bonus odor gratiæ ſpiritalis, duplicem ſortitus effectum. Primum quod virtutum ſuauitatem redoleret, olerétque vnguentum remiſſionis peccatorum, & æternæ vitæ halitum; alterum quod bonos, aut malos ſpiritus odoraretur, inter vitij fœtorem, virtutiſque ſuauiſſimum halitum, excelſa poteſtate diſcerneret. Hoc iudiciale internoſcendi munus cum Diſcipulis ſuis, & Eccleſiaſticis Iudicibus partitur Saluator, & vt officij ſui numeros omnes expleât Ambroſianum clamat alloquium: *Emineat precelſi poteſtate iudicij, & nares repleat animæ, vt benè olentia diſcernat, & fœtida.*

D. Ambr.

S. Inquiſitionis poteſtas ſicut turris Libani, quæ reſpicit faciẽ Damaſci

2. Ex hoc loco ad alterum Cantic. cap. 7. mente præteruolat Ambroſius: *Nares tuæ ſicut turris Libani proſpiciens faciem Damaſci.* Sic legit ipſe. Verbáque annectit Fidei Quæſitoribus ad amuſſim reſpondentia; eos enim vocitat Fidei odoratores, & ſpeculatores: *Hæ ſunt nares ſicut turris Libani precelſa ſupra mundum, & ideo proſpicit faciem Damaſci, gentilem ſcilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum ſuorum detegerit fœtorem. Facies igitur Damaſci fides eſt gentium, nullo obumbrata amictu, nullo adoperta veſtitu, nuda ac libera, cœlo magis intenta quàm terris. Hanc ſpeculantur, & proſpiciunt nares Eccleſiæ, quod ſuaue in ea, & odorum eſt aſpirationis, & gratiæ colligentes. Sume igitur has nares ô homo, vt à graueolentibus florulenta ſecernas, & tunc viuificabit te Dominus.* Sed in his naribus myſticis illud ſingulare, & diuinum eminet, quod ſimul odorantur, & ſpeculantur: *Nares ſicut turris proſpiciens.* Si de materiali faciei naſo loqueretur Salomon impropria videretur comparatio; nares non cernunt, ſed ſuſcipiunt odorem, ſicut oculi non odorantur, ſed vident; at Eccleſiæ naſus, ſeu vis illa ſpiritus diiudicatiua, & odoratur, & ſpeculatur, vitij, & virtutis naturam.

D. Ambr. *Fidem odoratur.*

Facies Damaſci Fides gentium, quã odorantur, & proſpiciunt nares Eccleſiæ.

Singulare huius naſi ominus & odorari, & proſpicere.

Inſigne Vaticinium de ſacris Fidei quæſitoribus ab Iſaia prolatum.

3. Arridet planè prominentis ſpeculæ comparatio, in qua eminet Tribunalis Sacri præexcelſæ poteſtatis iudicium, pro cuius decore, & ornamento Vaticinium edidit diuinus, & Euangelicus Vates, cum enim cap. 32. excidium Ieroſolymæ portenderet, prophetiæ ordinem deducit ad illa verba recondita valdè, verſiculi 14. *Tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in æternum.* Septuaginta interpretes aliter efferunt ſententiam: *Et erunt villæ, ſpeluncæ vſque in æternum.* Quæ autem ſint villæ in ſolitudinem, & onagrorum paſcua redactæ? aperit dilucidè ſcrutator arcanorum, & verborum Dei eximius interpres Hieronymus: exiſtimat etenim eſſe arces, & munitiones, aut duas turres in altum exporrectas, quarum vna nuncupatur בחן *bachan*, altera verò עפל *ophel*, in Ieroſolymitanâ vrbe fundatas: eas deſcribit in Commentario: *Pro tenebris, & palpatione, quæ factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in ſempiternum, Septuaginta tranſtulerunt* καὶ ἔσονται αἱ κῶμαί σου σπήλαια ἕως τοῦ αἰῶνος, *id eſt: & erunt villæ tuæ ſpeluncæ vſque in æternum. Quod in Hebræo dicitur* בחן, *&* עפל, *quas Hebræi duas turres in Hieruſalem*

Lect. LXX.

In Ieroſolyma eminebãt duæ turres, aut ſpeculæ, quarum vna vocabatur Ophel, altera Bachan.

D. Hier.

Turris Ophel interpretatur nubilum, & tenebra.

fuiſſe arbitrantur, excelſas, atque firmiſſimas, quæ his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur tenebræ, ſiue nubilum, quod vſque ad nubes erigeret caput. Altera probamentum, & firmitas: ſiue vt Symmachus vertit, inquiſitio: eo quod in contemplando culmine eius oculi fallerentur. Gratum erat Ieroſolymitanis turrium ſpectaculum, ſed iucundius fidelibus earum myſterium. Nomina ipſa clamant, & reuelant arcana in ipſis latentia. Turris *Ophel*, quæ interpretatur, *tenebræ*, ſiue, *nubilum*, munitionem hæreſis, falſitatis, & erroris innuit, in hac arce ſe continent, & tutantur hæretici, quorum ingenium eſt veritati tenebras offundere, rationis lumen vertere in tenebras, fideique dogmata, & Scripturæ ſacramenta, tenebroſâ malitiæ, & ignorantiæ caligine obuoluere. Perfidiæ nebulam, & nubilum obtendunt ſimplicibus, ne radios Solis cæleſtis aſpiciant, ſed amiſſo fidei lumine in media die cæcultent. Contra hanc arcem vndique obuallatam præſidiis humanæ poteſtatis obiecit Deus alteram munitionem ſacrum Inquiſitionis tribunal, fidei Catholicæ præſidium, Eccleſiæ propugnaculum. Ideò altera turris nuncupatur: *Bachan.* Quod iuxta Hebraicæ radicis veritatem denotat: *Probationem, examinationem, fidei alicuius periculum facere.* Accuratè ergo poſita eſt illa ſententia: *Altera probamentum, & firmitas: ſiue vt Symmachus vertit, inquiſitio.* Sacrum fidei conſilium, & Inquiſitionis tribunal oſtendens, in qua elucet fidei firmitas, & probatio, veritatis, aut erroris ſedula inueſtigatio, & perſcrutatio. Ideò iuxta munitionem tenebrarum, & nubili ſtatuitur; vt Hæreticorum Synagogam ſuis inuolutam tenebris, & malè palliolatam integumentis perfidiæ, & nequitiæ, velamentis exuat, vt errorum labes, & flagitiorum ſordes appareant.

Bachan probamentũ, & Inquiſitio.

Ophel Hæreticam prauitatem, & erroris tenebras adumbrat.

Bachan turris, Inquiſitionis ſacra tribunal præ ſe fert. Bachan idẽ eſt, ac probatio, & examinatio Fidei.

4. Inquirit ſanctus Dionyſius Areopagita cur ſpiritus Angelici humano more effigientur in diuerſas formas, & figuras; etenim cum ſint corporeæ molis, & membrorum expertes, cur eis attribuuntur oculi, aures, naſus? Et reſpondet ea omnia efformari, vt diuerſa Angelorum munia, quæ erga Deum, vel homines exercent, exprimantur. Singillatim de naribus ſubiungit, lib. de Cæleſti Hierarch. cap. 15. *Vim autem diſcernendi, ea, quæ odorem efflant, vim eſſe, quæ odoris, qui mentem ſuauitate vincit, effuſionem pro facultate ſuâ recipit, atque ea, quæ non ſunt eiuſmodi peritè internoſcit, omninóque declinat.* Vis illa Angeli odoratrix, vim diſcernendi inſinuat, & facultatem internoſcendi, boni odorem malique fœtorem, quod exhorret Angelica natura. In hoc homines æmulantur Angelos dum perſpicaci notione diſcriminant ſpirituum probum ab improbo, tetrúmque odorem erroris præſentiſcunt.

Cur Angeli cum humanis membris effigiantur.

D. Dionyſ. Areop.

Naſus in Angelis ſpiritum diſcernendi malũ, aut bonum odorem, innuit.

5. Sedula inueſtigatio, & accurata Inquiſitio, quam naſi ſpiritus prætendit, flagellum eſt perfidiæ, idololatriæ exitium. Conqueritur apud Oſeã populus Iſraëliticus de exilio aurei vituli, quem pro munere, & gratitudine animi detulerant Ephraimitæ ad Regem Phul Aſſyrium vt à plaga belli, & vrbium vaſtitate ſe contineret, & Regnum Manahem tutaretur. Reg. 4. cap. 15. Sed Aſſyrius irridens Ephraim, vitulum contriuit: exſufflat Vates diuinus anilem, & ineptam conſilij vanitatem, cap. 10. verſ. 6. *Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt munus Regi vltori: confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua.* Confuſio Ephraim exorta ex vituli tritura, & improperio.

S. Inquiſitionis tribunal flagellum eſt perfidia.

Vitulus aureus à Rege Phul conteritur.

Oſeas irridet Ephraim, quod vitulũ aureum miſerit ad Regẽ Aſſyrium pro obſidis ſecuritatis.

Etenim

Etenim Phulas Rex vitulum confregit. In quo egregio facinore Iudices Fidei agnoſcit ſanctus Cyrillus Alexandrinus, dogmatum falſorum ſimulacra comminuentes: ſcribo Cyrilli verba: *Accommodabitur oratio etiam in eos, qui recta Eccleſiæ dogmata deprauant. Sicut enim vitulus comminutus, Iſraelis amentiam coarguit; ita & illorum dogmata inquiſitionibus contrita, & vi veritatis confracta, eorum auctoribus, & impijs inuentoribus, dedecori, ac pudori erunt.* Itaque Phul ſimulacrum vituli comminuens, diſſipatores Hæreticæ prauitatis portendebat; conflatile aureum in Bouis effigiem formámque confictum contraria Eccleſiæ dogmata præ ſe ferebat, quæ auctoribus ſuis ignominiam inferunt. Argute à Cyrillo dictum eſt: *Illorum dogmata inquiſitionibus contrita.* Diuinum prorſus ſacræ Inquiſitionis inuentum, vt contereret, diſſiparétque erronea ſectariorum decreta, quæ tum dogmatiſter, tum ſectatores tanquam idola venerantur: ſpiritus ille diuinus, quo præditi ſunt iudices ſacrorum, inueſtigandi cum ſolertiâ, perſcrutandi cum ſagacitate, inquirendi diuina prudentiâ ſpiritus erroris, ſimulacrum hæreſis in pulueres, & fauillas redigit, & Hæreticorum regnum factionéſque diſturbat. *Illorum dogmata inquiſitionibus contrita.*

D. Cyrill. Alex.
Vitulus aureus Hæreticum dogma eſt.
Hæreticorum dogmata Inquiſitionibus contrita.
D. Cyrill.

6. Rex inclytus Ioſaphat videtur aliquo munere ſupremi Inquiſitoris perfunctus contra idolorum cultum, & impia Pſeudo-prophetarum placita. De quo ſacer Textus lib. 2. Paralipom. capite 17. à verſu 6. fatur: *Cúmque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelſa, & lucos de Iuda abſtulit. Tertio autem anno Regni ſui miſit de Principibus ſuis, &c. vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, &c. Docebántque populum in Iuda habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* Ardebat Fidei zelo glorioſus Rex, ideo primores ſimul cum Sacerdoribus, & Leuitis legauit, qui circuirent ciuitates Iuda, cultu veræ religionis inſtruerent populum, in fide confirmarent, impoſtorum detegerent dolos, in fraudem, aut errorem lapſos, eriperent. Placet Abulenſi doctiſſimo eos omnes Ioſaphat legatos Inquiſitorum obiiſſe munus. Sic ſcribit quæſt. 14. *Poterat hoc eſſe ad inquirendum de Hæreticâ prauitate.* Et ſtatim: *Sic etiam ſunt apud nos Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, qui inquirunt circa eos, qui ſunt infamati de Hæreſi.* Et quæſt. 16. inquirit: quare cum Sacerdotibus mittebantur Principes? Et aptè reſpondet: *Ipſi erant executores contra infideles, & Hæreticos: Sacerdotes, & Leuitæ erant tanquam Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, & ſi qui nollent corrigi [illegible]deundo ad veram fidem, quod per potentiam iſtorum Principum punirentur.* Omnis illa Principum, & Leuitarum manus Inquiſitorum munere fungebatur, cum perſcrutabantur in hæreſim lapſos, & à viâ Domini deuiantes ad fidei ſemitam reducebant. Principes cum Leuitis in Inquiſitione Hæreticæ prauitatis inibant conſortium, vt velut conſertâ manu Eccleſiaſtica, & ſæcularis poteſtas bellum inferrent perfidiæ; vt iſta gladio, & igne; illa ſolerti inueſtigatione fidei deſertores inſectaretur. Illuſtrior zelo fidei Ioſaphat, quàm diademate, & purpurâ; inſtituens conſilium Patrum, qui inueſtigationi infidelium incumberent. Præludebat proculdubio Ioſaphat zelo fidei Hiſpanorum Regum, quorum vnuſquiſque Eccleſiæ columen, Fidei Catholicæ propugnaculum; & Ferdinandus cognomento Catholicus tribunal, & Senatum Inquiſitionis inſtituit, firmiſſimum contra faciem Aquilonis, & Hæreticos tenebriones præſidium, vt ſartam tectam religionem tueretur, Catholicámque Fidem illibatam conſeruaret.

Rex Ioſaphat munere ſupremi Inquiſitoris qua ratione perfunctus.
Excelſa, & lucos abſtulit.
Miſit Leuitas ad populos qui veram fidem edocerent.
Abul.
Ioſaphat legati miſſi ad inquirendum de hæretica prauitate.
Cur mittebantur Principes ſimul cum Sacerdotibus.
Sacerdotes erant Inquiſitores Hæreticæ prauitatis; Principes pœnarum executores.
Eccleſiaſtica & ſæcularis poteſtas coibant ad expugnationem perfidiæ.
Ioſaphat præludebat zelũ Fidei Regum Hiſpanorum.
Ferdinandus Rex Catholicus. Inquiſitionis tribunal inſtituit in Hiſpania.

7. Apoſtolici Collegij apicem Petrum Ieſus hoc munere ſcrutatoris errorum, & Inquiſitoris Fidei decorauit. Scrutator namque cordium, cui omnia pectoris arcana patuleſcunt, amorem Petri trina interrogatione explorat. Ioannis cap. 21. verſ. 15. *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his?* & verſ. 17. *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* Non interrogat quia affectum Petri ignoraret, ſed vt doceret perfectæ Inquiſitionis formam. Audiendus eſt Iſychius Ieroſolymorum Epiſcopus, lib. 4. in Leuiticum capite 13. *Docere nos voluit quomodo perſcrutaremur, & quomodo iudicaremus per frequentem videlicet Inquiſitionem.* Erat Petrus Apoſtolicæ dignitatis culmen, & primarius Eccleſiæ Doctor, ideo à diuina ſapientia informandus vniuerſis Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtitutionibus, vt non tantum velut Paſtorum Princeps gregem Domini erudiat, & deducat ad paſcua vitæ; ſed tanquam ſupremus Inquiſitor indaget ſolerter crimina, & per frequentem inquiſitionem inueſtiget fidelium errores.

D. Petrus Apoſtolus ſacri Inquiſitoris munere decoratur.
Iſych.

8. De his inueſtigatoribus apud Abdiam vnum ex duodecim Prophetis ſermo eſt, verſ. 6. *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, & inueſtigauerunt abſcondita eius?* Vbi licet litera innuat Chaldæos rimantes cauernas, & terræ hiatus in quibus Idumæi fugientes ſe abſconderant. In ſenſu arcano ad noſtrum inſtitutum expendit verba Hieronymus: *Omnia ſecreta eorum, & occulta myſteria, & Patriarcharum Eſau, hos quippe intelligo, qui primi Hæreſes adinuenerunt; per ſanctos ſuos, & Eccleſiaſticos viros, atque Doctores profert in medium, & prima illius victoria eſt patere, quæ tegebantur occulta. Vnde & cum admiratione dicitur: quomodo perſcrutatus eſt Eſau, deprehenſa ſunt occulta eius!* Idumæorum dynaſtas à ſtirpe Eſau genus ducentes denotare indicat Hieronymus Hæreticorum dogmatum Architectos, quorum nequitias, & impoſturas in occulto patratas (ſemper enim hæreſis improbitas quærit latebras) Eccleſiaſtici Magiſtratus, ſcrutinij ſubtilitate conſtituunt in propatulo. Mira eorum induſtria, & perſpicacia in inueſtigandis criminibus, & comprehendendis lucifugis triconibus: *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, & inueſtigauerunt abſcondita eius?* Vel iuxta Septuaginta: *Deprehenſa ſunt abſcondita eius.* De quolibet Sacræ Fidei quæſitore illud pronuncia: *Prima illius victoria eſt, patere quæ tegebantur occulta.* Licet in cubilibus ſuis ſe ſe occulat malitia, adeſt oculatus explorator, qui mille artibus perquirat, & capiat, & in apricum euulget.

Sacri quæſitoris officium inueſtigare abſcondita.
D. Hier.
Prima Fidei Iudicis victoria hæreſes occultas in aperto, ac propatulo conſtituere.
Lect. LXX.
D. Hier.

DISCVRSVS X.

Magna hominis præſtantia, cui data eſt poteſtas eruendi de humani pectoris antro, & halitu interficiendi perfidiæ colubrum, vbi de ſancti Dominici, & Religioſæ illius familiæ Magnalibus.

Sacræ Fidei quæſitores vi ſpiritus extrahunt perfidiæ colubrũ in ſpecubus latitantem.

1. QVÆ virtus in homine maior quàm vi ſpiritus extrahere ſerpentem Diabolum, ſpiris conuolutum, & virus Hæreſis expirantem, de latibulis, & ſpecubus humani cordis? hac præditi ſunt in fidei causâ Iudices, quorum vel ſolum ſpiramentum infeſtiſſimum eſt ſerpenti. Ipſos apertè prædicat Iſaiæ Vaticinium cap. 11. verſ. 8. *Et delectabatur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Siue cum Sanctorum Patrum choro, quos refert Leo de Caſtro, hæc verba de Ieſu, & eius aſſeclis vſurpes; ſiue de Ioſia Rege, cum purpurato Patre Hugone expendas; prædicta mens ſtabit. Vbi infantes, & puſiones ab vbere pendentes appellitat non tam annorum teneritudine, quàm morum candore. Sunt enim paruuli, quos diligit Ieſus, & ad ſe allectat, vt eorum labris vbera pietatis immulgeat, albidúmque Fidei lac illibatum ſine dolo animis, & linguis inſtillet. Puellos ſuos animoſos optat paruulorum pædagogus, & altor Ieſus, vt impauidi manus ſuas immittant in reguli cauernas, ſerpentis, & aſpidis caueas. Quid ſibi velit Vates per foramina, & cauernas ſcribit ſanctus Cyrillus: *Foramina & cubilia aſpidum dicit malas Dæmoniorum turmas, vel impiorum Hæreticorum luſtra, ac latibula.* In hæc antra draconum, & ſerpentum ſpelæa, irruere diſcuſſo metu, deſpicere horrenda ſibila, non affici virulento halitu, egregium facinus eſt viri Apoſtolico zelo præditi. De Eccleſiæ filiis, & Apoſtolis verba exponit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 41. verſ. 1. *Tollebant enim* (inquit) *ſerpentes cum ſpiritu oris ſui ſancti Apoſtoli de latebris corporum eruerent nequitias ſpiritales, nec venena mortifera ſentiebant.* Hoc munus Apoſtolici viri eſt, perſcrutari cauernas ſerpentum, Hæreticorum luſtra, vi poteſtatis extrahere, & abſcindere Dæmonem, Draconem, aut ſerpentinæ hæreſis capita. Sed quo robore Aſſertores, & vindices Fidei peragunt tam eximium facinus? *Spiritu oris ſui*, inquit Ambroſius, halitum enim efflant ore naſóque ſolertis indagationis, & habent ſpiritum poteſtatis, quo poſſint hæreticos multare, & traducere ſerpentem erroris archetypum.

Iudices fidei cauſis præſidentes ab Iſaias prædicuntur.

Leo Caſt.

Hug. Card.

Ieſu infantes nuncupat Iſaias, ingẽti animoſitate præditos.

D. Cyrill. Alex.

Foramina aſpidum ſunt impiorũ hæreticorum luſtra.

D. Ambr.

Apoſtoli de latebris corporũ, & animorum eruebant nequitias ſpirituales.

2. Si ſtare velis placito Hugonis Cardinalis, Ioſiam Regem tanquam Fidei protectorem, & munus quæſitoris obeuntem conſtituit. Et Iſaiæ verba iuxta literam exponens inquit Hugo: *Puer id eſt Ioſias, qui puer ad literam fuit, id eſt octo annorum cum regnare cœpiſſet, ſuper foramina, & cauernas, id eſt ſuper ſepulcra Pſeudo prophetarum miſit manum ſuam Ioſias, & extraxit oſſa eorum, & combuſſit.* Subiungitque aſpidem, & regulum portendere peruerſorum dogmatum Magiſtros, qui veneno erroris Iſraëliticum inficiebant populum: *Qui virorem fidei* (inquit) *in Iudæis deſtruebant.* Suſcitauit Dominus ſpiritum Ioſiæ, vt expurgaret fidem Iſraël, & auitæ religioni priſtinum reſtitueret decus. In hoc munus eius propendebat animus, cum infantili ætate tenuit habenas regni; & vix ab ephebis egreſſus prouectus erat fide, accepit cum ætate robur, & incrementum, & errorum architectos velut hoſtes patriæ, & fidei perduelles inſectatus eſt, officium ſacræ Inquiſitionis in ſeipſo delineauit, omnibúſque illius muneribus videtur perfunctus. Mentiar ſi ea omnia non exprimat lib. 4. Regum cap. 23. ibi velut edictum fidei œcumenicum inſtituit, coactis in templum Domini regni primoribus, Prophetis, & Sacerdotibus, omnique populo; in eoque conſeſſu: *Legit cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini. Stetitque Rex ſuper gradum.* ibi verſ. 2. & 3. Vatablus legit: *In ſuggeſto, vel ſolio.* Hebraicè: *Super tribunal.* ibique velut quodam iuramento fidei, populum adſtrinxit. *Et fœdus percuſſit coram Domino.* verſ. 3. abſtulit de Ieruſalem pythones, arioloſ, veneficos: anathema dixit vanis ſimulacris, eorúmque donariis, & ſacrificulis. Erroneorum dogmatum Magiſtros, qui ſeduxerant populum, execrationi, & flammis deuouit. Monumenta eorum, & ſarcophagos iuſſit exſcindi, eruique oſſa impiorum, accenſoque buſtuario in fauillas, & pulueres redigi. ibi verſ. 16. *Et conuerſus Ioſias vidit ibi ſepulcra, quæ erant in monte: Miſitque, & tulit oſſa de ſepulcris, & combuſſit ea ſuper altare.* Eſt enim munus regium perfidioſos, & nefarios exſcindere, eſſe commune fidei præſidium, hæreſiſque exitium; impietatis protectores tanquam aſpides, & regulos de luſtris ſuis, & latibulis extrudere, & perfidiæ contaminatum orbem pietate ſua expiare.

Ex Hugonis Placito nomine paruuli denotatur Rex Ioſias.

Hug. Card.

Ioſias Pſeudoprophetarũ oſſa de ſepulcris extraxit & combuſſit.

Regulus, peruerſorũ dogmatum magiſtrum denotat.

Omnibus ferè ſacræ inquiſitionis muneribus videtur perfunctus Ioſias

Edictum Fidei œcumenicum inſtituit.

Legit librum diuinæ legis ſtans ſuper tribunal.

Vatabl.

Lect. Hebr.

Iuramento quodam fidei, populum adſtrinxit.

Omnem errorem, & falsũ dogma euertit

Falſorũ dogmatum magiſtros combuſſit.

3. Sacræ Fidei quæſitores concreditam ſibi Eccleſiam velut arcam cuſtodiunt, eiúſque indemnitati inuigilant, fidei ſubligaculis tabulata nectunt, fidei rectæ zelo, ſolertique cuſtodia, tanquam bitumine conglutinant, & illiniunt, ne ſerpens nidulum, aut latibulum inueniat, aut virulenta hæreſis aſperſio fiſſuras, per quas intret, fugat enim huius bituminis ſuffitus, & halitus omne errorum virus, & reptiliformia dogmata. Iam animo occurit Noë Arca Geneſ. cap. 6. v. 14. *Fac tibi Arcam* (inquit Dominus ad Noë) *de lignis læuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.* Rectè ergo ſanctus Epiphanius lib. 2. tom. 1. cap. 51. contra hæreſes, & Hæreticos fatus, ſcribit: *At nihil poſſunt tales in arca. Iubetur enim ſanctus Noë, iuxta Domini verbum munire ipſam, bitumine oblines ipſam intrinſecus, ac forinſecus. Vt oſtendas ſpeciem Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ bituminis vim habet fugantem horrenda, & pernicioſa reptiliformia dogmata. Vbi enim ſuffitur bitumen non poterit ſtare ſerpens. Soporem enim his inducit, ac torporem ſacer ſtyracis ſuffitus, & deuitant huius odorem. Idem præſtat & libanotidis facultas, contra ipſum ſerpentem producta, & ſupra latibulum ipſius exorta.* Siue bitumen ſit fides, aut ſanctæ Eccleſiæ doctrina, qua velut glutinamento obtegitur, vim obtinet inſtar aromatum ſtyracis, & libanotidis repellendi veneniferum animal, eiúſque euaporatio, & ſpiraculum torporem inducit ſerpentibus; & ſi ſupra foramina draconum apponis, velut ſtupidos, & emortuos

Eccleſia arca bene bituminata contra virus hæreſis.

D. Epiph.

Bituminis vis fugat reptiliformia dogmata.

Suffitus ſtyraci, & libanotidis ſoporem inducit ſerpẽtibus.

etues, nullóque negotio exſcindes. Tenent enim Eccleſiaſtici viri præſentiſſimum medicamen bitumen fidei ſacrum, contra venenata hæreſum reptilia, cuius odoriferus vapor omne genus ſerpentis fugat, & perimit.

Euangeliſta Ioannes ſerpentigera mõſtra Ebionem, & Cerinthum ſpiritu oris ſui fugauit & perdidit.

4. Huius ſacri muneris infulis ornabatur Euangeliſta Ioannes, cum Aſiæ Eccleſias moderaretur, cum enim ſerpentinum virus Hæretici afflarent contra Ieſu Deitatem; ſacro afflatu verbi, & ſapientiæ cæleſtis odoramine diuinus Apoſtolus ſerpentigera illa monſtra Ebionem, & Cerinthum profligauit, prædicationem ſuam opponens tanquam firmiſſimum fidei Catholicæ præſidium, & ſaluberrimum pharmacum contra impiorum venenatas linguas. De quo ſcribit ſanctus Epiphanius Hæreſi 51. lib. 2. *Vbi enim Chriſtus ex affrictu nudum hominem prædicauit, Ebion, & Cerinthus, & complices ipſorum, in Aſiâ inquam, illic Spiritus ſanctus produxit mundo hanc ſanctam herbam, ſiue fruticem fugantem ſerpentem, & Diaboli tyrannidem deſtruentem. Illic enim ſanctus Ioannes poſt ætatem ſenectam iubetur ab Spiritu ſancto prædicare, & reflectere errantes in via.* Lingua Ioannis eiúſque doctrina medicamentum vitæ fidelibus fuit, Ebioni, & Cerintho, eiúſque dogmaribus interitus, licet confectus ſenio, animi vigore, & fidei zelo munitus nebulones illos fugauit, mendacia, & tenebras, quas offundere conabantur Ieſu Deitati, dilectus Domini diſcipulus conſtanter diſpulit.

D. Epiph.

Cur cerui nuncupantur Apoſtoli, & diſcipuli Domini.

5. Cum Apoſtolorum præconia Regius Pſaltes Lyrâ ſuâ celebrat, Apoſtolicorum pro fidei cauſa Iudicum, inſignia occinit. Pſalm. 28. verſ. 9. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa.* Cur diſcipulos Domini Pſalmographus cum ceruis comparat? Propter multimodæ rationis æquitatem, etenim cerui natura, odoratus, inueſtigandi colubros ſolertia, facultas extrahendi de latibulis narium ſpiritu, apprimè quadrant Fidei aſſertoribus, & Iſaiæ Vaticinio: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* Quod ſuſcepimus illuſtrandum. Non grauabor ceruorum recenſere naturam ex probatis quibuſque auctoribus. Ælianus libro 2. capite 9. ſcribit: *Mirifico quodam munere naturæ ceruus ſerpentem funditus vincit. Nec enim ipſum tametſi hoſtis in latebram abditus effugere poteſt, etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens, vehementiſſimè inſpirat, & ſpiritu ſuo quaſi amatorio quodam alliciens extrahit, inuitúmque profert.* Vberius in phyſiologo Epiphanius prædicta omnia proponit cap. 5. dicens: *Nemorum ſyluas, & montium valles vt velociſſimus curſor contento gradu perluſtrat, ſerpentiúmque cauernas odore indagat, & ſicubi ſerpens deliteſcit, è veſtigio ſubodoratur, ſtatimque nares ad limen cauernæ admouet, halitúmque trahit: prodiens igitur ſerpens in fauces cerui ſeſe ingerit, ille obuium deuorat.* Cerui aſtum, & pugnam cum ſerpentibus pulcrè accommodat Euthymius Zigabonus poteſtati calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, quam Dominus diſcipulis ſuis contulit: aſſeritque vocem, qua Ieſus ceruos ſuos ad certamen cum ſerpente præparauit, vt Dauid cecinerat: *Vox Domini præparantis ceruos,* eſſe illam Lucæ cap. 10. verſ. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Qua reddidit eos inſuperabiles contra ſpiritalem colubrum, & principis tenebrarum poteſtatem, & dolos. Verba Euthymij ſunt: *Quemadmodum ceruus omnes venenatorum reptilium læſiones paruipendit: quinimo odoratu ſuo huiuſcemodi quæque animalia perſequitur, ac vi ſpiritus oris ſui ea attrahit, ac perdit: ita etiam omnes Chriſti diſcipuli ſimilem à diuinâ gratiâ conſequuti ſunt poteſtatem calcandi nimirum ſerpentes,* &c. *Ecce do vobis poteſtatem. Qua voce freti, ac confirmati intellectuales ſerpentes odoratu ſpiritus perſequentes perdebant.* Ceruorum, & ſerpentium antitheſis Apoſtolicorum virorum contentionem, & diſcordiam repræſentat, cum ſpiritali ſerpente. Inueſtigant ſublimi ſpiritu, & acumine mentis hæreſum, aut Iudaicæ iniquitatis antra, ſolerter odorantur ſerpentis virus, ſuper ſerpentium cauernas vehementer afflant, & aſpirant ſpiritu prænotionis, & iudiciariâ poteſtate, de luſtris ſuis extrahunt renitentes, & diſcerpunt.

Ceruus odoratu, & halitu contra ſerpentes pugnat.

Ælian.

Ceruus nariũ halitu ſerpẽtem extrahit de latibulo.

Epiph.

Ceruus ſerpentium cauernas odore indagat.

Euthym.

Euthym.

Apoſtoli odoratu ſpiritus ſpiritales ſerpentes perdebant.

Apoſtolicorũ iudicum diſcordia contra hæreſis colubrum.

6. Do tibi ceruum cum ſerpente dimicantem, eúmque expellentem de cauernâ pectoris, Apoſtolum Paulum, cui occurrit in ciuitate Macedonia, puella ſpiritu pythonico arrepta, quem in nomine Ieſu diſturbauit, & diuina, quam acceperat à Domino poteſtate. Actor. cap. 16. verſ. 18. *Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt eâdem horâ.* Hunc locũ expendit S. Ambroſius deſcribens naturæ ſolertiam in ceruo, & cum ſerpente dimicationem, & inueſtigandi, & eliminandi ſerpentis ſpiritalis facultatem demiratur in Paulo. Sic enim fatur in Pſalm. 41. *Vide ceruum viperam de latebris eruentem, ſpiritu diuino qui erat in naribus eius.* Ea omnia munia, & habilitates ceruorum Apoſtolicus ceruus Paulus erronei ſpiritus explorator, Fidei vindex, & aſſertor acerrimus in ſeipſo expreſſit, cum ſpiritum pythonicum de corde puellæ extraxit.

Apoſtolus Paulus tanquam ceruus ſpiritu oris ſui cum ſerpente dimicauit.

D. Ambr.

Sancti Dominici commendatio, & Religionis inclytæ Prædicatorum elogium.

7. QVÆ omnia ſine inuidiâ adaptabis Religioſæ cohorti, quæ à primæua inſtitutione inſectationi hæreticorum ſeipſam dedicauit; enimverò cum ſit Eccleſiæ lucidum ornamentum ſacræ Inquiſitionis perfuncta munere hæreditario filiorum, conſtituta eſt à Deo fidei tutamen, & præſidium: ô quot tanquam ex equo Troiano milites fideles, & in cauſis fidei fortiſſimi duces prodierunt, qui pro aris, & focis Catholicæ religionis vſque ad ſanguinem decertarunt? Appellitabo ceruos, carmen Dauidico ore prolatum eorum laudibus attexens? Idonea ſunt Apoſtolorum præconia, quæ ſcribit ſanctus Auguſtinus, eos cum ceruis comparans: *Perfecit ſuperatores, & repulſores venenoſarum linguarum.* Et quæ attexit ſanctus Beda: *Exuperatores, & repulſores venenatæ doctrinæ.* Gloriantur mille trophæis de hæretica prauitate reportatis. Nuncupabo canes? Idonea comparatio ab inclytæ familiæ ſtemmate, & parentis magnalibus deducta, Canis facem in ore geſtantis: canes inquam non præpeditæ linguæ, ſed ringentes aduerſus hæreſim, gigantea impietatis monſtra dilaniantes, latratu ſuo abigentes lupos in gregem Domini graſſantes. Canes ſunt venatici inſigni ſagacitate præditi, &

Prædicta omnia S. Dominico, & prædicatorum ſacræ cohorti aptantur.

Dominicanis Patribus cõgruunt Apoſtolorum præconia.

D. Aug.

D. Beda.

Stemma D. Dominici, Canis.

Canum aſtus & ſolertia.

arcanum, generis nimirum ſui ærumnas, aduerſamque fortunam. Geneſ. cap. 1. verſ. 13. *Dictúmque eſt ad eum: ſcito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terrâ non ſua, & ſubÿcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* Durè tractat Deus familiares ſuos, eóſque indurat laboribus, & ad maiora prouehit virtutis culmina, cum eis reuelat impendentes calamitates, eos exercens in tolerantiæ certamine, antequã mala ingruant. Quo loco effulget in primis Dei ſapientia, & circumſpectio, quâ ſe ſe attemperat virtuti iuſtorum, & humanæ imbecillitati. Cur manifeſtans Deus res aduerſas, turbidáque tempora Abrahamidi generis, non enuntiat qui futuri ſint ſuæ proſapiæ inſectatores, crudeliſque vexationis conflatores? Optimè prouiſum, ne hoſtes ſuos odio proſequeretur, aut iracundiæ flamma in Abrahæ pectore excitaretur. Etenim inimicum internoſcere parantem vitæ, aut honori ſuo inſidias, & non commoueri ſanguinem, aut atram bilem, nec fumare naſo ſpiritum furoris, tolerantiæ prodigium eſt, exigit enim auguſtiora virtutis incrementa. Hoc annotauit Oleaſter in annotat. ad Moſes in cap. 15. Geneſis dicens: *Licet Dominus hic prædixerit Abrahæ futuram ſeminis captiuitatem, non tamen ei prædixit, quo loco, neque à quibus detinendi eſſent, ne vir ſanctus odio haberet eos: à quibus ſemen ſuum eſſet affligendum, & malus eſſet antequam mala pateretur. Quo nos pulchrè docuit velle ignorare eos, qui malorum nobis auctores ſunt.* Præſciat Abraham natos ſuos hoſtium violentiâ, & captiuitatis pondere opprimendos, ſed ignoret perſecutionis auctores, ne agnitio hoſtilis inuidiæ conſtantiam labefactet, aut Abrahamidi pectoris tolerantiæ aliquod diſcrimen arceſſat. Adeò arduum ſufferentiæ certamen hoc, vt pugili validiori non fidat Deus.

Cur Deus manifeſtans inſidias non detegit inſidiatores?

Oleaſt.

Ne vir ſanctus odio proſequeretur aduerſarios.

Ignorare expedit malorũ auctores.

3. Quantò melior Abrahamo ſemen Abrahæ Ieſus, in quo illud patientiæ ornamentum, ſicut magnum iubar effulſit, vt tantis illuminctis fulgoribus: cum ceruo ſe comparat diuina ſapientia, in eóque virtutem à te ſectandam expreſſit, eſt enim ſimpliciſſimum animal, nec cauet dolos, nec tendiculas præuidet, cùm venatoribus cum inſectantibus init conſortium, & amicitiam, & ad eorum decipulas ſæpè confugit. De quo ſapienter Beatus Ambroſ. fatur Pſalm. 41. in præfatione: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tibi.* Prouerb. cap. 5. *Verus enim Dei filius in ſemetipſo naturam, quam animantibus ipſe donauit expreſſit, qui in hunc mundum tanquam ceruus aduenit: & cum his ſe mirâ ſimplicitate iungebat, à quibus ei parabantur inſidiæ, fertur enim huiuſmodi ceruorum eſſe ſimplicitas, vt cum ſe exagitari viderint, his ſe ſe equitibus adiungant, qui miniſterio fraudis appoſiti, fugæ ſpecie, ac ſimulatione ſocietatis inductos, ad retia vſque deducant. Iſta ergo Dominus tanquam ignarus periculi, atque improuidus, Iudæis dolum ſibi ſtruentibus admiſcebatur, & ſocietatem Iudæ proditoris ſibi aſciuit, cuius ſimulatione funeſtâ, vſque ad Crucis laqueos, & paſſionis retia peruenit.* Ad conceptum ſuum, imò & noſtrum, verba Prouerbiorum Ambroſius vſurpat cap. 5. verſ. 19. *Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus.* Iuxta Vulgatum interpretem. Ipſe tamen verſionem Septuaginta ſectatus eſt, qui vertunt: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum* Symmachus, & Theodotio: Καὶ ἔλαφος χάριτος, *ceruus gratiæ.* In multis Ieſus gratioſus, & amabilis apparuit, ſed cùm Dei ſapientia omnia præcognoſcens, & cordium exploratrix ignorantiam ſimulat hoſtium, ipſum de medio tollere

Cerui ſimplicitas candidũ Ieſu animum erga inſidiatores ſuos adumbrat.

D. Ambr.

Ieſus mira ſimplicitate inibat cõſortium cum inſidiatoribus ſuis.

Ceruus inſectatus à venatoribus, ad ipſos confugit.

Ieſus, cum Iudæ & Iudæis dolum ſtruentibus admiſcebatur.

Sect. Lxx.

Ieſus, cum ignorantiam hoſtium ſimulat, gratiſſimus.

cupientium, & nomen eius abradere de hominum memoriâ; & cum iis mirâ ſimplicitate inibat conſortium, à quibus parabantur inſidiæ, vires ſuas amor, & patientia exerunt. Ex Ambroſianis verbis ſuccum exprime, & conceptum ebibe: *Ita ergo Dominus tanquam ignarus periculi, atque improuidus, Iudæis dolum ſibi ſtruentibus admiſcebatur,* &c. Cum luporum rabie, gerere agni candorem; cum coruis, & accipitribus, columbæ ſimplicitatem; cum canibus, hinnuli, & ceruæ amorem, & gratiam; diuinæ virtutis opus eſt; hilari fronte, & magnâ taciturnitate celabat Ieſus animi ſui dolorem, ex inſidiis, & conſiliis iniquis Iudæorum contra ipſum prouenientem; moderatione animi ſui, velut ignorans doloſas machinationes cum ipſis confabulabatur hoſtibus, blando verborum lenocinio velut amicos excipiens, vt mirabilis patientiæ præberet documenta. Interdum expedit iuſto ad æmulationem Ieſu cum verbis, & operibus inimici conniuere, & cum tibi pateant eius iniqua contra te conſilia, hilarem vultum prætendere, & quaſi doloſæ machinationis inſciens, teipſum in eius inſinuare gratiam, tunc enim tolerantia egregium triumphum reportat.

D. Ambr.

Expedit iuſto ad imitationem Ieſu, hoſtibus hilarẽ vultum prætendere.

4. Singulari acumine expendit ſanctus Auguſtinus locum Pſalmi 34. verſ. 7. *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui.* Aut iuxta verſionem ſuam: *Quoniam gratis abſconderunt mihi muſcipulæ ſuæ corruptionem.* In eóque recognoſcit ſubtile hominis ingenium, & Dei ſapientiam in diſſipando malorum conſilio; celauerunt retiacula doloſæ captionis Iudæi, abſconderunt muſcipulam, vt Ieſum caperent, exiſtimantes paratas tendiculas non agnoſcere; ſed ipſi comprehenſi ſunt in aſtutiâ ſuâ, & in laqueo, quem abſconderunt, captus eſt pes eorum. Non extitit decipulæ perditio Saluatori, qui ſciens, & volens, captus eſt, licet videretur ignoranti ſimilis, ſed doli artificibus Iudæis, qui ſapientiam ipſam fraudis ſuæ neſciam indicauerunt. Do tibi Auguſtini verba: *Cui abſconderunt muſcipulam? qui videbat corda abſcondentium. Sed tamen erat inter illos ignoranti ſimilis. Quaſi falleretur, cum illi deciperentur, eo ipſo, quo eum illi falli arbitrabantur.* Decipiebantur deceptione ſuâ, & irretiebantur decipulis ſuis, cùm ignorantem iudicabant ſuorum cordium exploratorem. Diſſimulauit ad tempus, & ignorantiæ ſpeciem oſtendit, vt præferret inſigne patientiæ, cum percallens intima animarum, adhuc eos ſuſtinebat.

Iudæi abſconderunt muſcipulam, vt iuſtum caperent.

D. Auguſt.

Erat Ieſus inter Iudæos ignoranti ſimilis, & explorabat intima cordis.

5. Eodem loco Eccleſiæ lumen Aurelius occurrit obiectioni quorundam ſciſcitantium, cur Iudam elegit futurum præuaricatorem, & tandiu inter collegas Apoſtolici cœtus ſuſtinuit? Subiungit ſanctus Auguſtinus; *Ille videbat traditorem ſuum, & elegit illum magis ad opus neceſſarium, illius malo magnum bonum operatus eſt: & tamen inter duodecim electus eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo. Hoc ad exemplum noſtræ patientiæ, quoniam neceſſe erat vt inter malos viueremus, & quia neceſſe erat vt malos ſiue ſcientes, ſiue neſcientes toleraremus: exemplum patientiæ præbuit ne deficias, cum cœperis inter malos viuere.* Hæc Auguſtinus. Iudam permiſit Ieſus in ſcholâ ſuâ, & domicilio commorari, ad exemplum patientiæ, vt ſicut Ieſus præuidens traditorem, tantum nefas animo ſuo concipientem, diu pertulit, tolerares malos, & hoſtes, quos iniquis operibus, & doloſis linguis præcognoſceres inſectari vitam, & honorem tuum; in illo Apoſtolorum ſodalitio, in quo eminebat

Cur Ieſus elegit Iudã, quem ſciebat præuaricatorem, & traditorem futurum.

D. Aug.

Ne duodenarius numerus eſſet ſine malo.

Exemplum patientiæ dedit Ieſus, vt tolerares malos.

nebat omnium virtutum chorus, & ipſius ſanctitatis imago, noluit Ieſus improbum defeciſſe, vt eius nequitiam ſufferens, per patientiæ virtutem opus redemptionis perficeret. Diuinæ præſcientiæ intuitu luſtrabat animum Iudæ hominum aſſertor, ſcelus proditionis machinantem, cernebat collegam ſuum neque patientiâ, neque beneficiorum obſequio mitigatum, ſuſtinuit vſque ad proditionem, vt inclytæ patientiæ ſimulacrum æmulandum hominibus exhiberet.

6. Opprobria, & irriſiones relaturus Lucas Euangeliſta, quas pertulit Ieſus à Sannionibus in domo Principis Sacerdotum, illud argutè recenſet, diuino, & venerabili vultui patientis, velum obtendiſſe carnifices, vt caput eius percuterent, cauillationibus, & incompoſitis cachinnis ei illuderent, cap. 22. verſ. 64. *Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.* Suſtinere nequeunt modeſtiſſimam luminum grauitatem, aſpectúmque iucundum inter plagas, & contumelias imperturbabilem. Pia hæc contemplatio eſt. Adde alteram commentationem. Cur faciem obuelant percuſſores? Nimis abſurdum, aſperum, & crudele eis viſum eſt, quod percutientes, & ſubſannantes Ieſus cerneret; ſannas ſuſtineat, ſed diſtorta labia, linguam procaciter extentam, oſtentationem dentium inter contracta labia, non videat. Tunſiones, percuſſuras caput perferat, ſed oculi non proſpectent manus tanti ſceleris adminiſtros. Omnem patientiæ metam prætergredi videtur, & totius feritatis terminum hoc opprobrij genus, ſuſtinere cruciatus, & aperto lumine intueri tortores: forſan hæc mens eſt Oleaſtri ad cap. 15. Geneſ. in annotat. ad mores: *Chriſtum (inquit) cùm alapis à miniſtris Pilati cæderetur, voluiſſe ſibi oculos vittâ operiri, qui optimè nouerat percutientes velatus. Sed hoc nos voluit ſymbolo admonere, non eſſe multum laborandum vt auctorem percuſſionum ſciamus.* Et ſtatim: *Ne quequam odio habeamus, ignorare optimum.* Faſciam circumponi oculis Ieſus permiſit, vt oculos cæleſtis Cupidinis vittâ coronatos cerneres; velut cæcus amor ad contumelias, & exprobrantes, tibi proponi maluit, qui oculatiſſimus amor eſt, præſcientiæ oculo agnoſcens, & videns perſecutores ſuos, eóſque tolerans inter conuitia, & plagas poſitus, vt inter velamenta vultus patientia ſua radios diffunderet. Velamentum oculorum Ieſu te admonet vt ab hoſtibus inſectatus velamen apponas oculis mentis tuæ, nec multum cures ſcrutari quis auctor extiterit ignominiæ tuæ, quis dignitatem violauerit tuam. Ignoratio aduerſarij, tolerantiæ vires adijcit, eámque nutrit, animum corroborat; at agnito hoſte, qui famam imminuit, commouetur ad iram pectus, coit horrore ſanguis, artus corporis tremunt, & totus homo ad vindictam inflammatur; ſed eum cernere, agnoſcere, & ſufferre patienter, ſummæ virtutis eſt.

Vt Ieſus oneretur opprobrijs vultus eius velatur à Sannionibus.

Eximium decus patientia hoſtem ſufferre, & ipſum agnoſcere.

Oleaſt.

Non eſt laborandum de perſecutionis auctore cognoſcendo.

7. Vicus in quo Chriſtus naſcitur nuncupatur Ephrata, & Bethlehem. Primo nomine inſignitur Pſalm. 131. verſ. 6. *Ecce audiuimus eam in Ephrata.* Secundo verò, apud Matthæum cap. 2. verſ. 6. Lucæ cap. 2. verſ. 4. at Michæas Vates vtramque nominis rationem copulauit verbis ſuis cap. 5. verſ. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda.* Cur ciuitas Dauid, in quâ egreditur Princeps æternitatis & Ephrata, & Bethlehem nuncupatur? Rationem aſſignat, & myſterium aperit Stephanus Cantuarienſis apud Tilmanum in allegoriis: *Bethlehem (inquit) domus panis dicitur, quæ prius dicta Ephrata, quod ſonat, furorem vidit. Si ergo vis eſſe Bethlehem, id eſt domus panis, qui de cælo deſcendit, & vis habere illum panem, oportet vt ſis prius Ephrata, id eſt, videns furorem perſecutorum.* Ex quo enim Ieſus reclinatus eſt in Bethlehemitico antro, & factus cibus vitæ animalium ratione vtentium, docuit cernere perſecutorum furorem, eúmque ſuſtinere. Agnoſcere hoſtem honori tuo, aut vitæ inſidiantem, & eum ſufferre, hic triumphus, hoc decus Chriſtianæ patientiæ, qui ab aduentu Chriſti in carne prouenit, & à pane vitæ, qui de cœlo deſcendit. Aptiſſima animæ tranſmigratio ex Ephratea ad Bethlehemiticam domum, ex viſu furoris hoſtilis, ad Euchariſticas dapes. Optima domus ſuppellex, & regale periſtroma furentem hoſtem intueri, & tolerare, vt conuertatur in domum panis, & in ſe recipiat epulum vitæ Ieſum, qui prius in ſe expertus furorem perſecutorum vt ſeipſum in alimentum vitæ traderet.

Steph. Tilm.

P. A. Luc. de Arcones *in Iſa. am.*

Bethlehē domus panis interpretatur, Ephrata: furorem vidit. Qui vult comedere panē vitæ, videat perſecutorum furorem, & illum ſuſtineat.

Discvrsvs VII.

Qui præuentus adit hoſtis certamina, felix tenet victoriæ auſpicium.

1. NON inopinatum, aut improuiſum inuenerunt Ieſum, vt Iudæi exiſtimabant, cruciatuum, & paſſionum acies, ſed præſcientiæ clypeo munitum. Comparauit ſe ad pugnam, vt in ſe reciperet maledicentium iacula, & carnificum vulnera, & plagas. Vt te erudiret anteuertere pugnæ diſcrimina, ſtratagemata hoſtis, minus enim feriunt hoſtiles ictus, qui præuidentur, & facilior ex eorum præſcientia aditus aſpirat ad victoriæ palmam. Ad magnos labores, & ærumnas, ad cruenta prælia tyrannorum informabat Ieſus Apoſtolos ſuos, & vt paratiores ſint ad pugnam, omnia prædixit ſubeunda diſcrimina. Ioannis cap. 16. verſ. 2. *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo,* verſ. 4. *Sed hæc locutus ſum vobis: vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini quia ego dixi vobis.* Huius prædictionis rationem aſſignat ſanctus Cyrillus Alexand. lib. 10. in Ioannem, cap. 34. dicens: *Nam quod non expectatum præter opinionem ſubitò ingruit, magnos etiam plerumque animos turbat; quod autem præuidimus, quamuis grauius inferatur, leuius tamen propter præmeditationem videtur.* Alleuat enim prælij pondus eius præuiſio, & præmeditatio, quando ad imminentem hoſtis conflictum ſe ſe accingit iuſtus.

Ieſus prædixit Apoſtolis ſuis hoſtiles inſidias.

D. Cyrill. Alex.

Quod ſubito ingruit, magnos animos turbat, quod præuidetur leuius videtur.

2. Spiritualis hoſtis animæ totam victoriæ ſuæ fiduciam collocat, ſi anteuertat militem Chriſti, & improuidum adoriatur; iudicat ſic facilius intercipi animum laqueo tentationis, & nullo negotio proſterni in vitiorum luctâ, ſi ſe prius non ſolicitè muniat, inſidias aduerſarij exploret, & ſe apparet ad dimicationem. Militare Diaboli ingenium in ſpirituali agone aperit ſanctus Iob cap. 39. verſ. 21. *In occurſum pergit armatis.* Tunc enim Diabolus exultat, & victoriam ſibi repromittit, ſi ipſe prior ingrediatur palæſtram, hoſtem ſignet, & prouocet, ad ictus ſuos imparatum inueniat; ſi prior exeat in campum, & occurſet

Fiduciam victoriæ habet Diabolus, ſi hominem improuidum, & imparatū aggrediatur.

 prælia turo,

ſus ſit Philo in Abele innocentiæ candorem, defectúmque prouidentiæ, & cautionis in eo reprehendere.

Iacob ab vtero matris, & à mammâ paratur luctamini.

7. Commemorat Oſeas egregia facta Iacob, in arte luctandi ſtrenuitatem, pugnacem dextram, inuictúmque animi robur, cap. 12. verſ. 3. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt.* Vir totus factus luctæ, certamini à mammâ, ab vtero. Quaſi bonus Dei Athleta inunctus ad prælium, & induratus laboribus; puerilis luctæ exercitatione puſio in vtero matris, ampliſſimo certamini parabatur; quid mirum ſi incubuit in Angelum, & vicit inuincibilem Deum, ab ipſo vitæ exordio aſſuetus vincere. Pulcrè ſanctus Cyrillus Alexand. ſcribit: *Ab ipſis igitur incunabulis Iacob fuiſſe habilem, ac dexterum, imò antequam partu ederetur, ex eo probare ſtudet, quod fratrem in vtero materno ſupplantarit.* Et paucis interiectis ſubiungit: *Atque hæc quidem in vtero, vbi autem iuuenilem ætatem attigit, imò veriùs in viris numeratus eſt, in laboribus ſuis præualuit in Deum.* Hæc Cyrillus in hac commentatione ſecutus lectionem Septuaginta dicentium: *Præualuit in Deum*: Luctaminis, & victoriæ primitiæ puelli Iacob in aluo matris, auguſtius certamen, & triumphum portendebant; vix vitæ curriculum ingreſſus, & brauium tenuit, immatura ætas pugnæ, ſed iam tempeſtiua victoriæ: exercebatur in vtero athleta diuinus, vt eruditus luctæ diſciplinis, omnem hoſtem vinceret. Inſtituitur ab Agonotheta Deo leuate calcaneum, tenere plantam, vt prouidè inſtructus, & paratus adeat primogenituræ certamen, & eripiens benedictionem, fratrem alterâ vice ſupplantet. In vtero exiſtens, ipſo colliſu cum fratre conflictabatur, & ad luctam inſtituebantur teneri artus, vt poſtmodum laceſſente Angelo, prouocante Deo, luctator peritus impauidus deſcenderet in puluerem, præualeret Deo; non enim in imparatum, aut inexpertum luctæ inter ſilentes ſyluas, & noctis vmbras Angelus, aut Deus irruit, ſed in eum cui ab vtero Matris, à vitæ primordio prænuntiata lucta eſt.

D. Cyr. Alex.

Iacob in iuuenili ætate præualuit in Deum.

Iacob à Deo inſtituitur ad certamen.

Cur Ieſus eleuatus à terra moritur?

8. Perſcrutantur Eccleſiæ Patres cur Ieſus à terra eleuatus in Cruce ſuſpenſus in aëre moritur, non ſuper terram? Et diuini conſilij rationem extitiſſe autumant, Ieſu ſapientiam, quæ omnia tela, & omnem dimicationem hoſtis ſolerter præuidit. Ad Crucis patibulum feſtinantem Ieſum Diabolus exhorruit, & timore perculſus in terrâ occultare ſe noluit, ne ſimul cum morte à ſuſcitante mortuos, vita, in ſepulcris comprehenderetur, ideo in aërem aduolauit, & in hoc elementum Ieſus aſcendit, & in eo hoſtem inſectatus eſt. Do tibi verba Phoſterij in Catena Græcorum Patrum, in Lucæ caput 23. verſ. 33. *Diabolus* (inquit) *ad ſummas redigebatur anguſtias: permanere enim non poterat, rurſum verò fugere pertimeſcebat. Verùm memor quod omnes morientes in terram mori oporteat, iuxta quod ſcriptum eſt: terra es, & in terram reuertêris; non auſus eſt in terrâ manere, ne & ibi comprehenderetur. Quod igitur reliquum erat, in aërem euolauit, quocirca etiam Dominus non humi mortem oppetijt; ſed in aërem aſcendit per Crucem, ibi quoque ſerpentem proſequens.* Hæc Phoſterius. Prænouerat Ieſus diuino præſcientiæ intuitu omnia ſerpentis machinamenta, quibus ſatagebat elabi de manibus aſſertoris vindicantis genus humanum; vt ſtrenuus decertator anteuertit pugnam, antè occupat ſtadium, in aëremque ſcandit Cruci ſuffixus, vt nec in terra, nec in aëre Diabolus inueniret refugium: non audebat Draco ſuper terram ſerpere, & in congerie mortuorum, intérque animarum ſpolia, quæ in ſeruitute retinebat, commorari, ne captiuam ducens captiuitatem Ieſus, inter reliquas manubias ipſum vt tenebrarum principem, carceriſque cuſtodem, traduceret in pompæ nobili ferculo. Ideò celeri volatu migrauit in aërem; has technas præcauens. Diuinus decertator, à terra erectus in patibulo moritur, vt ab aërea regione Diabolum expelleret. *In aërem aſcendit per Crucem, ibi quoque ſerpentem proſequens.*

Diabolus fugiens à ſepulcris, ne in ijs comprehenderetur, ad aërem conuolauit.

Phoſter.

Aſcendens Ieſus in aërē per Crucem, ſerpentem perſequebatur.

D. Ambr.

Lupus ſi prior hominem viderit vocem eripit, & eum deijcit.

9. Mirum valdè eſt quod refert ſanctus Ambroſius de Lupo lib. 6. Hexameron. cap. 4. *Lupus ſi prior hominem viderit, vocem eripit, & deſpicit eum, tanquam victor vocis ablatæ. Idem ſi ſe præuiſum ſenſerit, deponit ferociam, non poteſt currere.* Hanc Ambroſius ſingularem Phyſiologiam lupo Dæmoni perbellè accommodat: *Tu neſcis quomodo virtutem eripias aduerſario, vt te tanquam præuentus lupus effugere non poſſit, vt oculo tuæ mentis, eius perfidiam deprehendas.* Si miles Chriſt lupum ſpiritalem, qui anhelat crudelitatem, & dilacerationem agnorum Chriſti, anteuertat, eiúſque furentem audaciam, & impoſturas præuideat, felix tenet victoriæ auſpicium. Si verò lupus prior te præoccupet, & imparatum intercipiat, facilè perimet.

Aduerſarius præueniendus vt virtus eius eripiatur.

10. Præuertebat in pace luctam Dauid, vt in prælio vinceret, & ſolicita præuiſione monitus, aduerſarios irridebat, depoſito metu. Pſalm. 118. verſ. 60. *Paratus ſum, & non ſum turbatus.* Dauidis imperatoris mentem tenuit Euthymius ſcribens: *Malum enim quod quis prius conſiderat, atque expectat, tolerabilius efficitur. Vel: Dæmonibus, ſeu tentationibus me inuadentibus, turbatus non ſum, ſciens quod impetum in me facturi erant. Quam ob cauſam ad tolerantiam me præparaui.* Non turbatur iuſtus cum ſentit aduerſarios ad prælium ſpiritale prouocantes, & turbine tentationum irruentes; cum patientia inſtructus, & gladio cautionis accinctus, eos in ſtadio præſtolatur; tunc facilius eos deiicit, è pugnáque diſcedit victoriæ lauro coronatus.

Euthym.

Tentatio quæ præuenitur, efficitur tolerabilior, & animum non perturbat.

DISCVRSVS VIII.

Ille vir ſtrenuus in virtutis curriculo qui diſcretione ſpiritus præpollet, vt explorare poſſit hoſtis technas.

1. SPIRITVM diſcretionis non in ſeipſo ſtagnauit Ieſus, ſed ad diſcipulos ſuos transfudit, vt cenſoria virgula inter bonum, & malum diſcernerent, odorarique poſſent diligentius veteratoris Dæmonis dolos, & fraudes, vt cauerent ſibi à periculis errorum, aliiſque renuntiarent, vt repellerent aduerſariorum inſidias. Expugnaturus Ioſue vrbem Iericho miſit Deus de cœlis auxiliatrices manus. Caſtra fixerat in vrbis agro inuictus imperator, & vix occurrit animo, obſidione occupare vrbem, cum ſe obuiam properauit vir præcinctus tegminibus armorum, diſtricto gladio cum Ioſue congreſſurus. Ioſue cap. 5. v. 13. *Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum* tenentem

In Ioſue imperatore diſcretio ſpiritus praluxit.

tenentem gladium. Non demiratur pugilis ſtrenuitatem Ieſus, nec palleſcit ad fulgurantis gladij minas, ſed robur, & ſpiritum colligens, intrepidè explorat aduerſarij mentem: *Perrexitque ad eum, & ait: noſter es, an aduerſariorum?* Solertiam, & prudentiam Ioſue in diiudicando milite, collaudat Origenes; cauet enim ne ſibi vellet illudere, aut exercitum Domini in fraudem inducere, ideo diligentius inueſtigat, an oppugnator exiſtat. Argutè Adamantius homil. 6. in Ioſue, inquit: *Nondum tamen certus eſt ex diuinis virtutibus, an ex contrariis vna ſit, quæ videtur, & ideò interrogat, & perquirit dicens: noſter es, an aduerſariorum?* Et ſtatim: *Quid eſt quod nos per hæc edocet Ieſus? Illud ſine dubio quod dicit Apoſtolus: nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* (1. Ioannis cap. 4.) *cognouit ergo Ieſus non ſolum quod ex Deo eſt, ſed quia Deus eſt; non enim adoraſſet niſi agnouiſſet Deum.* Præſtantior erat Ieſus ſpirituum cognitione, agnouit ducem militiæ cæleſtis, nuncium de cæleſti curia miſſum ad auxilium, & tutamen Iſraëlis non ſpiritum falſitatis aut ſpectrum quod impelleret ad errorem, ſed Angelum veritatis, adorauit illico. Quibus omnibus inſtruit nos ex Origenis placito, non omni ſpiritui adhibere fidem, ſed diligenti probationis examine inquirere, an ex Deo ſit.

Ignoti militis animum explorat Ieſus Naue.

Orig.

Perquirit Ioſue an ex diuinis an ex contrariis virtutibus ſit.

Non eſt credendum omni ſpiritui.

2. Speciale elogium narium ſponſæ deſcribit Salomon Cant. cap. 7. verſ. 4. *Naſus tuus ſicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum.* Vbi naſum metaphoricè vſurpant Eccleſiæ proceres pro ſpiritu prænoſcendi, & ferendi diſcrimen inter virtutes, & vitia, Angelum lucis, & tenebrarum, ideo ſpeculatoriæ turri ſpiritum diſcretionis ſponſæ accommodat Salomon, ex qua odorari poſſit ſpiritualium hoſtium inſidias, & conatus. Conceptum exprimit Cyrenſis Epiſcopus Theodoretus. Do tibi illius verba: *Sponſæ naſus ſicut turris Libani. Celſus enim eſt ac ſublimis, & cæleſtem ſuſcipit odoris ſuauitatem, ſponſique vnguentum percipiens, clamat. Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Idcirco comparata eſt turri quæ in Libano ſita eſt, & reſpicit Damaſci faciem. Nam quia Diabolus (vt aſſerit Beatus Paulus) in Angelum lucis transfiguratur, vnguentique ſpiritalis ſpeciem ſumit, neceſſariò ſponſæ naſus erectus ac vigilans, reſpicit faciem Damaſci, ne decepta verum omittens vnguentum, fallax, & adulterinum ſequatur.* Et poſt multa eamdem commentationem recapitulans inquit: *Proſpicis enim ne Diabolus ſub ſpecie rerum diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat.* Hæc Theodoretus emunctæ, & perpurgatæ ſunt nares ſponſæ vt percipere valeat virtutum odores, quæ ſpiritum, & vnguentum Chriſti halant, præſentiſcere, & diſcernere maleolentem vitiorum halitum; odoratur procul peccati fœtorem, quod aduerſarius ſub virtutis ſpecie, & velamento occultare conſueuit. Magna, & præcellens virtus animæ, quæ ſecernit lumen à tenebris, ſpiritúmque erroris, & perfidiæ transfigurantem ſe in Angelum lucis obſeruat, illiúſque tenebras inter confictos ſplendores luſtrat mente peruigili.

Donum diſcernendi ſpiritus in naſo ſponſæ anigmaticè prædicitur.

Theod.

Cur naſus ſponſæ reſpiciat faciem Damaſci.

3. Inter alia amplitudinis decora, quibus ornat Ieſus orbis Magiſtros, eminet ſalis comparatio Matthæi cap. 5. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Cur vocitat ſalem Eccleſiæ lumina? Propter prudentiæ delectum, & facultatem internoſcendi ſpiritus, & aſſignandi diſcrimen inter bonum, & malum, ſunt enim Eccleſiæ Patres dono diſcretionis præditi; id donum ſal indicat. Hinc eſt quod tantopere commendatur Sacerdotibus ſacrificium litantibus, ſalis aſperſio, vt eo omnis oblatio condiretur. Leuitici cap. 2. verſ. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal.* Quod ergo ſalis condimentum eſt, quod Deus exigit, ſine quo inſulſa eſt omnis victima? Diſcretionis virtus, quæ reddit ſapidum omne epulum, & holocauſtum quod offertur Deo. Mens eſt Ruperti lib. 1. in Leuiticum cap. 10. cuius verba ſunt: *Hoc ergo ſub nomine ſalis plenius inculcat, & replicat, vt abſque diſcretione nihil facias. Nam ſicut quod ſale non eſt conditum inſipidum eſt, & carnes quibus ſalis condimentum denegatur, citius corrumpuntur; ſic omne quod agimus ſi abſque diſcretione fiat, æternæ ſapientiæ placitum non eſt, quaſi putridum, aut fœtens abiectione dignum eſt. Proinde Dominus ait: Vos eſtis ſal terræ.* Sapientes ſuos diuina ſapientia non amat infacetos, ac ſtupidos, ſed qui vitâ, moribus, doctrinâ, habeant ſuos ſales; ſit etiam ſalſitudo in iudicio, & vis quædam diſcernendi cum acrimoniâ, & mordacitate coniuncta, quæ moderamen, & condimentum tribuat virtutibus, reddens eas immunes à corruptione, & fœtore vitiorum.

Sal nuncupantur Eccleſiæ lumina propter prudentiam in diſcernendis ſpiritibus.

Rupert.

Diſcretio in ſale innuitur.

4. Oppugnaturo Gedeoni hoſtiles Madianitarum acies triumphus denuntiatur cæleſti oraculo; confirmatur de ſupernis victoria repromiſſa, prodigio ignis exilientis de petrâ, ſacrificium hœdi, & azymorum panum deuorantis. Rurſus breui temporis interſtitio, aliud oſtentum expoſcit, velleris ſuper aream expanſi, rore immadeſcentis; nec acquieſcens diuinis promiſſis ſequenti nocte prudens ſignorum exactor expoſtulat, vt ſiccato vellere, tota roreſcat tellus. Iudicum cap. 6. verſ. 39. *Dixitque rurſus ad Deum: ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere.* Habes vnum de cœlitibus propugnatorem, qui tot ſignis victoriam repromiſit, quid eſt quod fiduciam tuam conturbat dux inclyte? Numquid minus fidens Angelico affatui repetere oſtenta poſtulas? Abſit. Non eſt diffidentia, ſed prouidentia; prudentis viri ſapientia, cautioribus vtitur conſiliis. Celebrat Origenes in hoc facto Ierobaalis cautionem in belli periculis, & in ſpiritibus diſtinguendis acre iudicium. Ex homil. 8. in Iudices verba transferò: *Sed & illud in hoc facto viri fideliſſimi Gedeonis prætereundum minimè puto quod nobis ad formam poteſt cautelæ ſpiritalis accidere. Angelum vidit, ſed vir eruditus, & habens iam Ieſu præceſſoris exemplum, cautius agit: ſciebat enim poſſibile eſſe etiam Angelos tenebrarum transfigurare ſe in Angelos lucis: & ideò examinatione cautiſſima, volo, inquit, probare ſpiritum, ſi à Deo eſt, quia ſpiritalis examinat omnia.* Non tā illuſtris bellica gloria Gedeon aut mucronis dexteritate punctim, cæſim hoſtes ſauciantis, quàm ſpiritus gladio omnia diſcernentis, eo enim explorabat internos Angelorum cogitatus: certus de oraculo poſſidénſque palmam victoriæ, vlterius ſpiritus inueſtigat, & inquirit ab Angelo, ſuúmque promiſſum examinat repetito miraculo. Spiritalis enim omnia perſcrutatur, cautéque verba trutina mentis librat, & ponderat.

Cur Gedeon tot prodigia poſtulat, vt Madianitas expugnet.

Ierobaalis acre iudiciū in ſpiritibus diſtinguēdis.

Orig.

Gedeonis cautio in adhibenda fide Angelicis viſionibus.

Examinat & probat ſpiritum an à Deo ſit.

5. Prudentiſſima inter omnes feminas Deipara, nulli viro dono diſcretionis ſecunda. Exterrita Angelico affatu, ineffabiliſque myſterij operatione, diuinæ ſalutationis ſeriem timorata auſcultat. Singularique cautione colloquij Angelici verba perſcrutatur. Lucæ cap. 1. verſ. 29. *Quæ cùm audiſſet,*

Diſcretionis dono Deipara præcellit.

Cur Maria turbata eſt in Angelica ſalutatione.

audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Timebat ſerpentis technas, & maleſuadam facundiam, quibus in errorem impulit primam fœminam, ne ſermonum lenociniis, aut adulationis blandimentis virus, aut decipulam inuolueret. Propterea immenſâ quadam mentis capacitate ab ſpiritu obumbrante illuſtratæ, Angeli verba complectitur, exquiſitâ ſolertiâ examinat, & expendit; ne aut incredula videatur Angelo, aut inſcrutabilis conſilij diſpoſitioni temerè fidem adhibuiſſe. Prudentis Virginis cautionem, quæ occurrit ſponſo, & Deo, ornatæ diſcretionis lampade inextinctâ, perpendit Catena Græca apud ſanctum Thomam, eius verba ſunt: *Cùm aſſueta foret his viſionibus, Euangeliſta non viſioni, ſed relatibus turbationem attribuit dicens: turbata eſt in ſermone eius. Attende autem Virginis, & pudicam, & prudentem, & animam ſimul, & vocem. Audita lætitia dictum examinauit, & neque manifeſtè obſtitit per incredulitatem, nec ſtatim paret ex leuitate, Eua leuitatem euitans.* O quanta fulget ex huius ſermonis ſerie, in ſimplici columbâ prudentia, quàm aliena à temeritate in adhibenda fide, quanta docilitas in credendo, quanta circumſpectio in examinatione Angelici alloquij. Solet homo oborta ſibi inopinatâ felicitate, geſtire animo, & beatitati ſuæ arridere confeſtim; *At Maria auditâ lætitiâ, dictum examinauit.* Euæ leuitatem accuſans, quæ confabulanti ſerpenti ſtatim credidit, & paruit.

Exquiſita ſolertia examinat Gabrielis Archangeli verba.

Cat. Græc. D.Thom.

Audito lætitiæ nuntio, nec obſtitit per incredulitatem, nec ſtatim paruit ex leuitate, ſed dictum examinauit.

6. Diuinam prorſus Mariæ prudentiam alloquio ſuo extollit ſanctus Gregorius Thaumaturgus ſerm.1. de Annuntiat. & ſimplicitatem Euæ deprimit his verbis: de Eua, & Maria fatur: *Prudens reuera, ac ſapiens in cunctis erat, nec ſimilis ei, ex vniuerſis generationibus vlla vnquam eſt reperta. Non ſicut antea Virgo Eua ſola in paradiſo chorum agens, atque tripudians relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali ſerpente verbum ſuſcepit*, &c. Et ſtatim de Deipara ſubiungit: *Neque prius ſanctiſſima Virgo donum admiſit, quàm quis illud mitteret, & quodnam donum eſſet, ac quis ferret, addidiciſſet.* Inter amœna paradiſi viridaria chorum agens, & tripudians Eua quietis impatiens, nec attendens doloſæ ſermocinationi ſerpentis, verbum ſubdolum ſuſcepit, & ebibit venenum, non diſcernens latens virus ſub mellitis verbis, aureóque alloquio; at Maria omnia ſolerter diſcutit, quis legatus, quis auctor legationis examinans, nec ſupernum donum Deitatis prius admiſit, quàm cœli paranymphus curæ, & periculi verbis ſuis redderet expertem.

D.Greg. Thaum.

Deipara prudentia & ſapientia eximia.

Eua in paradiſo chorum agebat, & tripudiabat, non præcauit hoſtis dolos.

Deipara donum Dei examinat.

7. Euæ ſtultitiam animique mobilitatem declarat Scriptura diuina: etenim cum Satan exploraſſet animum, & affectum fœmineum, habilémque inueniſſet errori, & fraudi, ſpecie pietatis parauit inſidias. Geneſ.cap.3.verſ.1. *Cur præcepit vobis Deus*, &c. caſſiculis verborum irretiuit fœminam, quia imprudenti temeritate Dei reuelauit arcana, nec ſpiritû diſcretionis ſolerter examinauit verba ſerpentis, ſed velut mente ſtupidâ, & attonitâ affatibus colubri, aſſenſum præbuit hoſtis verſuti ineptiis. ibi verſ.2. inconſiderantiam ſuam exprimit: *Cui reſpondit mulier: de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur: de fructu vero ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini.* Euæ ſtupiditatem ponderat Chryſoſt. in his verbis homil. 18. inquiens: *Oportebat te auerſabundam ab eo, qui diuerſa à Deo dixerat, dicere; apage, impoſtor es tu, neſcis neque mandati nobis dati potentiam*, &c. Et ſtatim: *Oportebat ſi quidem prudens fuiſſet, his ad illum dictis, illum omnino auerſari, nihilque vltra illi loqui, neque audire loquentem: ſed iſta reuelato præcepto, & narratis Dei verbis, aliud lethiferum, & pernicioſum cõſilium ab illo accipit.* Obſepiendæ erant fœmineæ aures prudentiâ, ne ſibilantem draconem audirent, & inſtillantem animo contrarium Deo dogma: ſtatim ac ſermonem inſeruit tranſgrediendi diuinum mandatum, ſatagens abolere mortis memoriam de hominis animo, repellendus foret. At mulier imprudens non obſeruauit veteratoris dolos, non diſcuſſit verba, leuitate fœmineâ properauit ad pomum.

Euæ ſtultitia animique mobilitas maxima.

Imprudens in reuelandis Dei arcanis.

D. Chryſoſt.

Eua debuit reſpuere ſerpentem nefaria loquentem.

8. Placet in calce huius diſcurſus elogia diſcretionis ſpiritus collocare, ex Richardo Victorino mutuata, allegoricè exponente Ioſeph filij Iacob inſignia; verba refert Tilmanus in allegoriis ad cap.37. Geneſ. verſ.3. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos: fecitque ei tunicam polymitam*, inquit Richardus: *Per Ioſeph diſcretio figuratur. Hic eſt ille Ioſeph, qui quidem ſerò naſcitur, ſed plus cæteris à patre diligitur. Quis enim neſciat vera bona animi ſine diſcretione nec poſſe acquiri, nec etiam conſeruari? Merito ergo illa virtus ſingulariter diligitur, ſine qua nulla conquiritur, nulla conſeruatur. Sed vix ſerò talem filium meremur accipere: quia ad diſcretionis perfectionem non ſine magno vſu experientiæ erudimur. Hic inter fratres tunicâ talari ſolus veſtitur: quia illa ſola actio ad conſummationis talum, debitúmque finis terminum perducitur, quæ per diſcretionis moderatur prudentiam. Hic eſt ille ſomniator, ſomniorúmque interpretator: quia vera diſcretio in ipſo tentationis articulo, ex ipſius qualitate futura pericula deprehendit, & alijs quibuſlibet cogitationum ſuarum confeſſionem, imminentium malorum inſidias detegit, & de futuris periculis cautos reddit.* Hæc ille.

Rich.Vict. Tilm.

In Ioſeph diſcretio ſpiritus figuratur.

Diſcretionis ſpiritus laudes.

DISCVRSVS IX.

Sacræ Fidei Quæſitorum eximium munus eſt, virtutis, aut vitij ſuffitus odorari, & inueſtigare.

1. ANTECELLVNT in hoc diſcretionis dono Fidei iudices, præſentiſcúntque ſolerter, carnis, & ſpiritus, virtutis, & vitij odores: inter Angelum lucis, & caliginis diuinâ quadam poteſtate diſcernunt. Habent enim in naſo ſuo cæleſtem ſpiritum dignoſcendi affectus varios animorum, & ſcrutandi errata contra Fidem commiſſa. De quibus vaticinatus videtur ſanctus Iob, eorúmque nomine loquutus cap.27. verſ.3. *Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.* Poſtrema verba efferunt Septuaginta interpretes legentes iuxta ſanctum Ambroſium in Pſalm.118.Oct.5.& ſanctum Auguſtinum in ſcholiis Septuaginta: *Spiritus diuinus, qui eſt in naribus meis.* Quam verſionem diſcutiens Mediolanenſis Antiſtes conceptum exprimit, & cum Apoſtolis, Apoſtoliciſque Fidei iudicibus fatur: *Nares igitur animatua à fœtore auertantur criminum diuerſorum.*

Sacræ Fidei Iudices habent diuinū Spiritum ad internoſcendum affectus animorum.

D. Auguſt. Schol. Lxxx. D. Ambr.

Spiritalium narium elogia.

In naribus inſigne iudiciŭ.

Odor gratiæ ſpiritalis à filio Dei deriuatus in Iudices ſacros.

Eſt enim in his velut quoddam inſigne iudicij. Eo quod vnguentum veri Sacerdotis quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt odor ille diuinus, odor gratiæ ſpiritalis, qui de Patre in Chriſto erat, & ſacramento incarnationis deſcendit in terras, vt omnia fuſo replerentur vnguento, emineat precelſi poteſtate iudicij, & nares repleat animæ, vt benè olentia diſcernat, & fœtida: olentia Sanctorum, qui poſſunt dicere: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo, à fœtidis peccatorum.

Benè olentia & fœtida diſcernunt.

Erat in Ieſu participatus à Patre bonus odor gratiæ ſpiritalis, duplicem ſortitus effectum. Primum quod virtutum ſuauitatem redoleret, olerétque vnguentum remiſſionis peccatorum, & æternæ vitæ halitum; alterum quod bonos, aut malos ſpiritus odoraretur, inter vitij fœtorem, virtutiſque ſuauiſſimum halitum, excelſa poteſtate diſcerneret. Hoc iudiciale internoſcendi munus cum Diſcipulis ſuis, & Eccleſiaſticis Iudicibus partitur Saluator, & vt officij ſui numeros omnes expleát Ambroſianum clamat alloquium: *Emineat precelſi poteſtate iudicij, & nares repleat animæ, vt benè olentia diſcernat, & fœtida.*

D.Ambr.

S. Inquiſitionis poteſtas ſicut turris Libani, quæ reſpicit faciẽ Damaſci D. Ambr. Fidem odoratur.

2. Ex hoc loco ad alterum Cantic.cap.7. mente præteruolat Ambroſius: *Nares tuæ ſicut turris Libani proſpiciens faciem Damaſci.* Sic legit ipſe. Verbáque annectit Fidei Quæſitoribus ad amuſſim reſpondentia; eos enim vocitat Fidei odoratores, & ſpeculatores: *Hæ ſunt nares ſicut turris Libani præcelſæ ſupra mundum, & ideo proſpicit faciem Damaſci, gentilem ſcilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum ſuorum detegerit fœtorem. Facies igitur Damaſci fides eſt gentium, nullo obumbrata amictu, nullo adoperta veſtitu, nuda ac libera, cœlo magis intenta quam terris. Hanc ſpeculantur, & proſpiciunt nares Eccleſiæ, quod ſuaue in ea, & odorum eſt aſpirationis, & gratiæ colligentes. Sume igitur has nares ò homo, vt à graueolentibus florulenta ſecernas, & tunc viuificabit te Dominus.* Sed in his naribus myſticis illud ſingulare, & diuinum eminet, quod ſimul odorantur, & ſpeculantur: *Nares ſicut turris proſpiciens.* Si de materiali faciei naſo loqueretur Salomon impropria videretur comparatio; nares non cernunt, ſed ſuſcipiunt odorem, ſicut oculi non odorantur, ſed vident; at Eccleſiæ naſus, ſeu vis illa ſpiritus diiudicatiua, & odoratur, & ſpeculatur, vitij, & virtutis naturam.

Facies Damaſci Fides gentium, quã odorantur, & proſpiciunt nares Eccleſiæ.

Singulare huius naſi munus & odorari, & proſpicere.

Inſigne Vaticinium de ſacris Fidei quæſitoribus ab Iſaia prolatum.

3. Arridet planè prominentis ſpeculæ comparatio, in qua eminet Tribunalis Sacri præexcelſæ poteſtatis iudicium, pro cuius decore, & ornamento Vaticinium edidit diuinus, & Euangelicus Vates, cum enim cap. 32. excidium Ieroſolymæ portenderet, prophetiæ ordinem deducit ad illa verba recondita valdè, verſiculi 14. *Tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in æternum.* Septuaginta interpretes aliter efferunt ſententiam: *Et erunt villæ, ſpeluncæ vſque in æternum.* Quæ autem ſint villæ in ſolitudinem, & onagrorum paſcua redactæ? aperit dilucidè ſcrutator arcanorum, & verborum Dei eximius interpres Hieronymus: exiſtimat etenim eſſe arces, & munitiones, aut duas turres in altum exporrectas, quarum vna nuncupatur בחן *bachan*, altera verò עפל *ophel*, in Ieroſolymitanâ vrbe fundatas: eas deſcribit in Commentario: *Pro tenebris, & palpatione, quæ factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in ſempiternum, Septuaginta tranſtulerunt* καὶ ἔσονται αἱ κῶμαί σου σπήλαια ἕως τοῦ αἰῶνος, *id eſt: & erunt villæ tuæ ſpeluncæ vſque in æternum. Quod in Hebræo dicitur* בחן, & עפל, *quas Hebræi duas turres in Hieruſalem fuiſſe arbitrantur, excelſas, atque firmiſſimas, quæ his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur tenebræ, ſiue nubilum, quod vſque ad nubes erigeret caput. Altera probamentum, & firmitas: ſiue vt Symmachus vertit, inquiſitio: eo quod in contemplando culmine eius oculi fallerentur.* Gratum erat Ieroſolymitanis turrium ſpectaculum, ſed iucundius fidelibus earum myſterium. Nomina ipſa clamant, & reuelant arcana in ipſis latentia. Turris *Ophel*, quæ interpretatur, *tenebræ*, ſiue, *nubilum*, munitionem hæreſis, falſitatis, & erroris innuit, in hac arce ſe continent, & tutantur hæretici, quorum ingenium eſt veritati tenebras offundere, rationis lumen vertere in tenebras, fideique dogmata, & Scripturæ ſacramenta, tenebroſâ malitiæ, & ignorantiæ caligine obuoluere. Perfidiæ nebulam, & nubilum obtendunt ſimplicibus, ne radios Solis cæleſtis aſpiciant, ſed amiſſo fidei lumine in media die cæcultent. Contra hanc arcem vndique obuallatam præſidiis humanæ poteſtatis obiecit Deus alteram munitionem ſacrum Inquiſitionis tribunal, fidei Catholicæ præſidium, Eccleſiæ propugnaculum. Ideò altera turris nuncupatur: *Bachan.* Quod iuxta Hebraicæ radicis veritatem denotat: *Probationem, examinationem, fidei alicuius periculum facere.* Accuratè ergo poſita eſt illa ſententia: *Altera probamentum, & firmitas: ſiue vt Symmachus vertit, inquiſitio.* Sacrum fidei conſilium, & Inquiſitionis tribunal oſtendens, in qua elucet fidei firmitas, & probatio, veritatis, aut erroris ſedula inueſtigatio, & perſcrutatio. Ideò iuxta munitionem tenebrarum, & nubili ſtatuitur; vt Hæreticorum Synagogam ſuis inuolutam tenebris, & malè palliolatam integumentis perfidiæ, & nequitiæ, velamentis exuat, vt errorum labes, & flagitiorum ſordes appareant.

Lect. Lxx.

In Ieroſolyma eminebãt duæ turres, aut ſpeculæ, quarum vna vocabatur Ophel, altera Bachan.

D.Hier.

Turris Ophel interpretatur nubilum, & tenebræ.

Bachan probamentũ, & Inquiſitio.

Ophel Hæreticam prauitatem, & erroris tenebras adumbrat.

Bachan turris, Inquiſitionis ſacra tribunal præ ſe fert.

Bachan idẽ eſt, ac probatio, & examinatio Fidei.

4. Inquirit ſanctus Dionyſius Areopagita cur ſpiritus Angelici humano more effigientur in diuerſas formas, & figuras; etenim cum ſint corporeæ molis, & membrorum expertes, cur eis attribuuntur oculi, aures, naſus? Et reſpondet ea omnia efformari, vt diuerſa Angelorum munia, quæ erga Deum, vel homines exercent, exprimantur. Singillatim de naribus ſubiungit, lib. de Cæleſti Hierarch.cap.15. *Vim autem diſcernendi, eas, quæ odorem efflant, vim eſſe, quæ odoris, qui mentem ſuauitate vincit, effuſionem pro facultate ſuâ recipit, atque ea, quæ non ſunt eiuſmodi peritè internoſcit, omninóque declinat.* Vis illa Angeli odoratrix, vim diſcernendi inſinuat, & facultatem internoſcendi, boni odorem malique fœtorem, quod exhorret Angelica natura. In hoc homines æmulantur Angelos dum perſpicaci notione diſcriminant ſpiritum probum ab improbo, tetrúmque odorem erroris præſentiſcunt.

Cur Angeli cum humanis membris effigiantur.

D. Dionyſ. Areop.

Naſus in Angelis ſpiritum diſcernendi malũ, aut bonum odorem, innuit.

5. Sedula inueſtigatio, & accurata Inquiſitio, quam naſi ſpiritus prætendit, flagellum eſt perfidiæ, idololatriæ exitium. Conqueritur apud Oſeã populus Iſraëliticus de exilio aurei vituli, quem pro munere, & gratitudine animi detulerant Ephraimitæ ad Regem Phul Aſſyrium vt à plaga belli, & vrbium vaſtitate ſe contineret, & Regnum Manahem tutaretur. Reg.4.cap.15. Sed Aſſyrius irridens Ephraim, vitulum contriuit: exſufflat Vates diuinus anilem, & ineptam conſilij vanitatem, cap.10. verſ. 6. *Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt munus Regi vltori: confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua.* Confuſio Ephraim exorta ex vituli tritura, & improperio.

S. Inquiſitionis tribunal flagellum eſt perfidiæ.

Vitulus aureus à Rege Phul conteritur.

Oſeas irridet Ephraim, quod vitulũ aureum miſerit ad Regẽ Aſſyrium pro obſide ſecuritatis.

Etenim

D. Cyrill. Alex.

Vitulus aureus Hæreticorum dogma eſt.

Hæreticorum dogmata Inquiſitionibus contrita.

Etenim Phulas Rex vitulum confregit. In quo egregio facinore Iudices Fidei agnoſcit ſanctus Cyrillus Alexandrinus, dogmatum falſorum ſimulacra comminuentes: ſcribo Cyrilli verba: *Accommodabitur oratio etiam in eos, qui recta Eccleſiæ dogmata deprauant. Sicut enim vitulus comminutus, Iſraelis amentiam coarguit; ita & illorum dogmata inquiſitionibus contrita, & vi veritatis confracta, eorum auctoribus, & impijs inuentoribus, dedecori, ac pudori erunt.* Itaque Phul ſimulacrum vituli comminuens, diſſipatores Hæreticæ prauitatis portendebat; conflatile aureum in Bouis effigiem formámque confictum contraria Eccleſiæ dogmata præ ſe ferebat, quæ auctoribus ſuis ignominiam inferunt. Argute à Cyrillo dictum eſt: *Illorum dogmata inquiſitionibus contrita.* Diuinum prorſus ſacræ Inquiſitionis inuentum, vt contereret, diſſiparétque erronea ſectariorum decreta, quæ tum dogmatiſter, tum ſectatores tanquam idola venerantur: ſpiritus ille diuinus, quo prædìti ſunt iudices ſacrorum, inueſtigandi cum ſolertiâ, perſcrutandi cum ſagacitate, inquirendi diuina prudentiâ ſpiritus erroris, ſimulacrum hæreſis in pulueres, & fauillas redigit, & Hæreticorum regnum factionéſque diſturbat. *Illorum dogmata inquiſitionibus contrita.*

D. Cyrill.

Rex Ioſaphat munere ſupremi Inquiſitoris qua ratione perfunctus.

Excelſa, & lucos abſtulit.

Miſit Leuitas ad populos qui veram fidem edocerent.

6. Rex inclytus Ioſaphat videtur aliquo munere ſupremi Inquiſitoris perfunctus contra idolorum cultum, & impia Pſeudo-prophetarum placita. De quo ſacer Textus lib. 2. Paralipom. capite 17. à verſu 6. fatur: *Cúmque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelſa, & lucos de Iuda abſtulit. Tertio autem anno Regni ſui miſit de Principibus ſuis, &c. vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, &c. Docebántque populum in Iuda habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* Ardebat Fidei zelo glorioſus Rex, ideo primores ſimul cum Sacerdotibus, & Leuitis legauit, qui circuitent ciuitates Iuda, cultu veræ religionis inſtruerent populum, in fide confirmarent, impoſtorum detegerent dolos, in fraudem, aut errorem lapſos, eriperent. Placet Abulenſi doctiſſimo eos omnes Ioſaphat legatos Inquiſitorum obiiſſe munus. Sic ſcribit quæſt. 14. *Poterat hoc eſſe ad inquirendum de Hæreticâ prauitate.* Et ſtatim: *Sic etiam ſunt apud nos Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, qui inquirunt circa eos, qui ſunt infamati de Hæreſi.* Et quæſt. 16. inquirit: quare cum Sacerdotibus mittebantur Principes? Et aptè reſpondet: *Ipſi erant executores contra infideles, & Hæreticos: Sacerdotes, & Leuitæ erant tanquam Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, & ſi qui nollent corrigi redeundo ad veram fidem, quod per potentiam iſtorum Principum punirentur.* Omnis illa Principum, & Leuitarum manus Inquiſitorum munere fungebatur, cum perſcrutabantur in hæreſim lapſos, & à viâ Domini deuiantes ad fidei ſemitam reducebant. Principes cum Leuitis in Inquiſitione Hæreticæ prauitatis inibant conſortium, vt velut conſertâ manu Eccleſiaſtica, & ſæcularis poteſtas bellum inferrent perfidiæ; vt iſta gladio, & igne; illa ſolerti inueſtigatione fidei deſertores inſectaretur. Illuſtrior zelo fidei Ioſaphat, quàm diademate, & purpurâ; inſtituens conſilium Patrum, qui inueſtigationi infidelium incumberent. Præludebat proculdubio Ioſaphat zelo fidei Hiſpanorum Regum, quorum vnuſquiſque Eccleſiæ columen, Fidei Catholicæ propugnaculum; & Ferdinandus cognomento Catholicus tribunal, & Senatum Inquiſitionis inſtituit, firmiſſimum contra faciem Aquilonis, & Hæreticos tenebriones præſidium, vt ſartam tectam religionem tueretur, Catholicámque Fidem illibatam conſeruaret.

Abul.

Ioſaphat legati miſſi ad inquirendum de hæretica prauitate.

Cur mittebantur Principes ſimul cum Sacerdotibus.

Sacerdotes erant Inquiſitores Hæreticæ prauitatis; Principes pœnarum executores.

Eccleſiaſtica & ſæcularis poteſtas coibant ad expugnationem perfidiæ.

Ioſaphat præludebat zelo Fidei Regum Hiſpanorum.

Ferdinandus Rex Catholicus. Inquiſitionis tribunal inſtituit in Hiſpania.

D. Petrus Apoſtolus ſacri Inquiſitoris munere decoratur.

7. Apoſtolici Collegij apicem Petrum Ieſus hoc munere ſcrutatoris errorum, & Inquiſitoris Fidei decorauit. Scrutator namque cordium, cui omnia pectoris arcana patuleſcunt, amorem Petri trina interrogatione explorat. Ioannis cap. 21. verſ. 15. *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his?* & verſ. 17. *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* Non interrogat quia affectum Petri ignoraret, ſed vt doceret perfectæ Inquiſitionis formam. Audiendus eſt Iſychius Ieroſolymorum Epiſcopus, lib. 4. in Leuiticum capite 13. *Docere nos voluit quomodo perſcrutaremur, & quomodo iudicaremus per frequentem videlicet Inquiſitionem.* Erat Petrus Apoſtolicæ dignitatis culmen, & primarius Eccleſiæ Doctor, ideo à diuina ſapientia informandus vniuerſis Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtitutionibus, vt non tantum velut Paſtorum Princeps gregem Domini erudiat, & deducat ad paſcua vitæ; ſed tanquam ſupremus Inquiſitor indaget ſolerter crimina, & per frequentem inquiſitionem inueſtiget fidelium errores.

Iſych.

Sacri quæſitoris officium inueſtigare abſcondita.

8. De his inueſtigatoribus apud Abdiam vnum ex duodecim Prophetis ſermo eſt, verſ. 6. *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, & inueſtigauerunt abſcondita eius?* Vbi licet litera innuat Chaldæos rimantes cauernas, & terræ hiatus in quibus Idumæi fugientes ſe abſconderant. In ſenſu arcano ad noſtrum inſtitutum expendit verba Hieronymus: *Omnia ſecreta eorum, & occulta myſteria, & Patriarcharum Eſau, hos quippe intelligo, qui primi Hæreſes adinuenerunt; per ſanctos ſuos, & Eccleſiaſticos viros, atque Doctores profert in medium, & prima illius victoria eſt patere, quæ tegebantur occulta. Vnde & cum admiratione dicitur: quomodo perſcrutatus eſt Eſau, deprehenſa ſunt occulta eius!* Idumæorum dynaſtas à ſtirpe Eſau genus ducentes denotare indicat Hieronymus Hæreticorum dogmatum Architectos, quorum nequitias, & impoſturas in occulto patratas (ſemper enim hæreſis improbitas quærit latebras) Eccleſiaſtici Magiſtratus, ſcrutinij ſubtilitate conſtituunt in propatulo. Mira eorum induſtria, & perſpicacia in inueſtigandis criminibus, & comprehendendis lucifugis triconibus: *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, & inueſtigauerunt abſcondita eius?* Vel iuxta Septuaginta: *Deprehenſa ſunt abſcondita eius.* De quolibet Sacræ Fidei quæſitore illud pronuncia: *Prima illius victoria eſt, patere quæ tegebantur occulta.* Licet in cubilibus ſuis ſe ſe occulat malitia, adeſt oculatus explorator, qui mille artibus perquirat, & capiat, & in apricum euulget.

D. Hier.

Prima Fidei Iudicis victoria hæreſes occultas in aperto, ac propatulo conſtituere.

Lect. LXX.

D. Hier.

DISCVRSVS X.

Magna hominis præſtantia, cui data eſt poteſtas eruendi de humani pectoris antro, & halitu interficiendi perfidiæ colubrum, vbi de ſancti Dominici, & Religioſæ illius familiæ Magnalibus.

Sacræ Fidei quæſitores vi ſpiritus extrahant perfidiæ colubrũ in ſpecubus latitantem.

1. QVÆ virtus in homine maior quàm vi ſpiritus extrahere ſerpentem Diabolum, ſpiris conuolutum, & virus Hæreſis expirantem, de latibulis, & ſpecubus humani cordis? hac præditi ſunt in fidei cauſâ Iudices, quorum vel ſolum ſpiramentum infeſtiſſimum eſt ſerpenti. Ipſos apertè prædicat Iſaiæ Vaticinium cap.11. verſ. 8. *Et delectabatur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Siue cum Sanctorum Patrum choro, quos refert Leo de Caſtro, hæc verba de Ieſu, & eius aſſeclis vſurpes; ſiue de Ioſia Rege, cum purpurato Patre Hugone expendas; prædicta mens ſtabit. Vbi infantes, & puſiones ab vbere pendentes appellitat non tam annorum teneritudine, quàm morum candore. Sunt enim paruuli, quos diligit Ieſus, & ad ſe allectat, vt eorum labris vbera pietatis immulgeat, albidúmque Fidei lac illibatum ſine dolo animis, & linguis inſtillet. Puellos ſuos animoſos optat paruulorum pædagogus, & altor Ieſus, vt impauidi manus ſuas immittant in reguli cauernas, ſerpentis, & aſpidis caueas. Quid ſibi velit Vates per foramina, & cauernas ſcribit ſanctus Cyrillus: *Foramina & cubilia aſpidum dicit malas Dæmoniorum turmas, vel impiorum Hæreticorum luſtra, ac latibula.* In hæc antra draconum, & ſerpentum ſpelæa, irruere diſcuſſo metu, deſpicere horrenda ſibila, non affici virulento halitu, egregium facinus eſt viri Apoſtolico zelo præditi. De Eccleſiæ filiis, & Apoſtolis verba exponit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 41. verſ. 1. *Tollebant enim* (inquit) *ſerpentes cum ſpiritu oris ſui ſancti Apoſtoli de latebris corporum eruerent nequitias ſpiritales, nec venena mortifera ſentiebant.* Hoc munus Apoſtolici viri eſt, perſcrutari cauernas ſerpentum, Hæreticorum luſtra, vi poteſtatis extrahere, & abſcindere Dæmonem, Draconem, aut ſerpentinæ hæreſis capita. Sed quo robore Aſſertores, & vindices Fidei peragunt tam eximium facinus? *Spiritu oris ſui*, inquit Ambroſius, halitum enim efflant ore naſóque ſolertis indagationis, & habent ſpiritum poteſtatis, quo poſſint hæreticos multare, & traducere ſerpentem erroris archetypum.

Iudices fidei cauſis præſidentes ab Iſaias prædicuntur.
Leo Caſt.
Hug. Card.
Ieſu infantes nuncupat Iſaias, ingẽti animoſitate præditos.
D. Cyrill. Alex.
Foramina aſpidum ſunt impiorũ hæreticorum luſtra.
D. Ambr.
Apoſtoli de latebris corporũ, & animorum eruebant nequitias ſpirituales.

Ex Hugonis Placito nomine paruuli denotatur Rex Ioſias.
Hug. Card.
Ioſias Pſeudoprophetarũ oſſa è ſepulcris extraxit & combuſſit.

2. Si ſtare velis placito Hugonis Cardinalis, Ioſiam Regem tanquam Fidei protectorem, & munus quæſitoris obeuntem conſtituit. Et Iſaiæ verba iuxta literam exponens inquit Hugo: *Puer id eſt Ioſias, qui puer ad literam fuit, id eſt octo annorum cum regnare cœpiſſet, ſuper foramina, & cauernas, id eſt ſuper ſepulcra Pſeudo prophetarum miſit manum ſuam Ioſias, & extraxit oſſa eorum, & combuſſit.* Subiungitque aſpidem, & regulum portendere peruerſorum dogmatum Magiſtros, qui veneno erroris Iſraëliticum inficiebant populum: *Qui virorem fidei* (inquit) *in Iudæis deſtruebant.* Suſcitauit Dominus ſpiritum Ioſiæ, vt expurgaret fidem Iſraël, & auitæ religioni priſtinum reſtitueret decus. In hoc munus eius propendebat animus, cum infantili ætate tenuit habenas regni; & vix ab ephebis egreſſus prouectus erat fide, accepit cum ætate robur, & incrementum, & errorum architectos velut hoſtes patriæ, & fidei perduelles inſectatus eſt, officium ſacræ Inquiſitionis in ſeipſo delineauit, omnibúſque illius muneribus videtur perfunctus. Mentiar ſi ea omnia non exprimat lib. 4. Regum cap. 23. ibi velut edictum fidei œcumenicum inſtituit, coactis in templum Domini regni primoribus, Prophetis, & Sacerdotibus, omnique populo; in eoque conſeſſu: *Legit cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini. Stetitque Rex ſuper gradum.* ibi verſ. 2. & 3. Vatablus legit: *In ſuggeſto, vel ſolio.* Hebraicè: *Super tribunal.* ibique velut quodam iuramento fidei, populum adſtrinxit. *Et fœdus percuſſit coram Domino.* verſ. 3. abſtulit de Ieruſalem pythones, ariolos, veneficos: anathema dixit vanis ſimulacris, eorúmque donariis, & ſacrificulis. Erroneorum dogmatum Magiſtros, qui ſeduxerant populum, execrationi, & flammis deuouit. Monumenta eorum, & ſarcophagos iuſſit exſcindi, eruique oſſa impiorum, accenſoque buſtuario in fauillas, & pulueres redigi. ibi verſ. 16. *Et conuerſus Ioſias vidit ibi ſepulcra, quæ erant in monte: Miſitque, & tulit oſſa de ſepulcris, & combuſſit ea ſuper altare.* Eſt enim munus regium perfidioſos, & nefarios exſcindere, eſſe commune fidei præſidium, hæreſiſque exitium, impietatis protectores tanquam aſpides, & regulos de luſtris ſuis, & latibulis extrudere, & perfidiæ contaminatum orbem pietate ſua expiare.

Regulus, peruerſorũ dogmatum magiſtrum denotat.
Omnibus ferè ſacræ inquiſitionis muneribus videtur perfunctus Ioſias.
Edictum Fidei œcumenicum inſtituit.
Legit librum diuinæ legis ſtans ſuper tribunal.
Vatabl.
Lect. Hebr.
Iuramento quodam fidei, populum adſtrinxit.
Omnem errorem, & falſũ dogma euertit.
Falſorũ dogmatum magiſtros combuſſit.

Eccleſia arca bene bituminata contra virus hæreſis.

3. Sacræ Fidei quæſitores concreditam ſibi Eccleſiam velut arcam cuſtodiunt, eiúſque indemnitati inuigilant, fidei ſubligaculis tabulata nectunt, fidei rectæ zelo, ſolertique cuſtodia, tanquam bitumine conglutinant, & illiniunt, ne ſerpens nidulum, aut latibulum inueniat, aut virulenta hæreſis aſperſio fiſſuras, per quas intret, fugat enim huius bituminis ſuffitus, & halitus omne errorum virus, & reptiliformia dogmata. Iam animo occurit Noë Arca Geneſ. cap. 6. v.14. *Fac tibi Arcam* (inquit Dominus ad Noë) *de lignis læuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.* Rectè ergo ſanctus Epiphanius lib.2. tom.1. cap. 51. contra hæreſes, & Hæreticos fatus, ſcribit: *At nihil poſſunt tales in arca. Iubetur enim ſanctus Noe, iuxta Domini verbum munire ipſam, bitumine oblines ipſam intrinſecus, ac forinſecus. Vt oſtendat ſpeciem Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ bituminis vim habet fugantem horrenda, & pernicioſa reptiliformia dogmata. Vbi enim ſuffitur bitumen non poterit ſtare ſerpens. Soporem enim his inducit, ac torporem ſacer ſtyracis ſuffitus, & deuitant huius odorem. Idem præſtat & libanotidis facultas, contra ipſum ſerpentem producta, & ſupra latibulum ipſius exorta.* Siue bitumen ſit fides, aut ſanctæ Eccleſiæ doctrina, qua velut glutinamento obtegitur, vim obtinet inſtar aromatum ſtyracis, & libanotidis repellendi veneniferum animal, eiúſque euaporatio, & ſpitaculum torporem inducit ſerpentibus; & ſi ſupra foramina draconum appones, velut ſtupidos, & emortuos

D. Epiph.
Bituminis vis fugat reptiliformia dogmata.
Suffitus ſtyraci, & libanotidis ſoporẽ inducit ſerpentibus.

erues,

erues, nullóque negotio exſcindes. Tenent enim Eccleſiaſtici viri præſentiſſimum medicamen bitumen fidei ſacrum, contra venenata hæreſum reptilia, cuius odoriferus vapor omne genus ſerpentis fugat, & perimit.

Euangeliſta Ioannes ſerpentigera mōſtra Ebionem, & Cerinthum ſpiritu oris ſui fugauit & perdidit.

4. Huius ſacri muneris infulis ornabatur Euangeliſta Ioannes, cum Aſiæ Eccleſias moderaretur, cum enim ſerpentinum virus Hæretici afflarent contra Ieſu Deitatem; ſacro afflatu verbi, & ſapientiæ cæleſtis odoramine diuinus Apoſtolus ſerpentigera illa monſtra Ebionem, & Cerinthum profligauit, prædicationem ſuam opponens tanquam firmiſſimum fidei Catholicæ præſidium, & ſaluberrimum pharmacum contra impiorum venenatas linguas. De quo ſcribit ſanctus Epiphanius Hæreſi 51. lib. 2. *Vbi enim Chriſtus ex affrictu nudum hominem prædicauit, Ebion, & Cerinthus, & complices ipſorum, in Aſiâ inquam, illic Spiritus ſanctus produxit mundo hanc ſanctam herbam, ſiue fruticem fugantem ſerpentem, & Diaboli tyrannidem deſtruentem. Illic enim ſanctus Ioannes poſt ætatem ſenectam iubetur ab Spiritu ſancto prædicare, & reflectere errantes in via.* Lingua Ioannis eiúſque doctrina medicamentum vitæ fidelibus fuit, Ebioni, & Cerintho, eiúſque dogmatibus interitus, licet confectus ſenio, animi vigore, & fidei zelo munitus nebulones illos fugauit, mendacia, & tenebras, quas offundere conabantur Ieſu Deitati, dilectus Domini diſcipulus conſtanter diſpulit.

D. Epiph.

Cur cerui nuncupantur Apoſtoli, & diſcipuli Domini.

5. Cum Apoſtolorum præconia Regius Pſaltes Lyrâ ſuâ celebrat, Apoſtolicorum pro fidei cauſa Iudicum, inſignia occinit. Pſalm. 28. verſ. 9. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa.* Cur diſcipulos Domini Pſalmographus cum ceruis comparat? Propter multimodæ rationis æquitatem, etenim cerui natura, odoratus, inueſtigandi colubros ſolertia, facultas extrahendi de latibulis narium ſpiritu, apprimè quadrant Fidei aſſertoribus, & Iſaiæ Vaticinio: *Cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* Quod ſuſcepimus illuſtrandum. Non grauabor ceruorum recenſere naturam ex probatis quibuſque auctoribus. Ælianus libro 2. capite 9. ſcribit: *Mirifico quodam munere naturæ ceruus ſerpentem funditus vincit. Nec enim ipſum tametſi hoſtis in latebram abditus effugere poteſt, etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens, vehementiſſimè inſpirat, & ſpiritu ſuo quaſi amatorio quodam alliciens extrahit, inuitúmque profert.* Vberius in phyſiologo Epiphanius prædicta omnia proponit cap. 5. dicens: *Nemorum ſyluas, & montium valles vt velociſſimus curſor contento gradu perluſtrat, ſerpentiúmque cauernas odore indagat, & ſicubi ſerpens deliteſcit, è veſtigio ſubodoratur, ſtatimque nares ad limen cauernæ admonet, halitúmque trahit: prodiens igitur ſerpens in fauces cerui ſeſe ingerit, ille obuium deuorat.* Cerui aſtum, & pugnam cum ſerpentibus pulcrè accommodat Euthymius Zigabonus poteſtati calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, quam Dominus diſcipulis ſuis contulit: aſſeritque vocem, qua Ieſus ceruos ſuos ad certamen cum ſerpente præparauit, vt Dauid cecinerat: *Vox Domini præparantis ceruos,* eſſe illam Lucæ cap. 10. verſ. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Qua reddidit eos inſuperabiles contra ſpiritalem colubrum, & principis tenebrarum poteſtatem, & dolos. Verba Euthymij ſunt: *Quemadmodum ceruus omnes venenatorum reptilium læſiones paruipendit: quinimo odoratu ſuo huiuſcemodi quæque animalia perſequitur, ac vi ſpiritus oris ſui ea attrahit, ac perdit: ita etiam omnes Chriſti diſcipuli ſimilem à diuinâ gratiâ conſequuti ſunt poteſtatem calcandi nimirum ſerpentes, &c. Ecce do vobis poteſtatem. Qua voce freti, ac confirmati intellectuales ſerpentes odoratu ſpiritus perſequentes perdebant.* Ceruorum, & ſerpentium antitheſis Apoſtolicorum virorum contentionem, & diſcordiam repræſentat, cum ſpiritali ſerpente. Inueſtigant ſublimi ſpiritu, & acumine mentis hæreſum, aut Iudaicæ iniquitatis antra, ſolerter odorantur ſerpentis virus, ſuper ſerpentium cauernas vehementer afflant, & aſpirant ſpiritu prænotionis, & iudiciariâ poteſtate, de luſtris ſuis extrahunt renitentes, & diſcerpunt.

Ceruus odoratu, & halitu contra ſerpentes pugnat.

Ælian.

Ceruus narium halitu ſerpētem extrahit de latibulo.

Epiph.

Ceruus ſerpentium cauernas odore indagat.

Euthym.

Euthym.

Apoſtoli odoratu ſpiritus ſpiritales ſerpentes perdebant.

Apoſtolicorū iudicum diſcordia contra hæreſis colubrum.

Apoſtolus Paulus tanquam ceruus ſpiritu oris ſui cum ſerpente dimicauit.

6. Do tibi ceruum cum ſerpente dimicantem, cúmque expellentem de cauernâ pectoris, Apoſtolum Paulum, cui occurrit in ciuitate Macedonia, puella ſpiritu pythonico arrepta, quem in nomine Ieſu diſturbauit, & diuina, quam acceperat à Domino poteſtate. Actor. cap. 16. verſ. 18. *Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt eâdem horâ.* Hunc locū expendit S. Ambroſius deſcribens naturæ ſolertiam in ceruo, & cum ſerpente dimicationem, & inueſtigandi, & eliminandi ſerpentis ſpiritalis facultatem demonſtratur in Paulo. Sic enim fatur in Pſalm. 41. *Vide ceruum viperam de latebris eruentem, ſpiritu diuino qui erat in naribus eius.* Ea omnia munia, & habilitates ceruorum Apoſtolicus ceruus Paulus erronei ſpiritus explorator, Fidei vindex, & aſſertor acerrimus in ſeipſo expreſſit, cum ſpiritum pythonicum de corde puellæ extraxit.

D. Ambr.

Sancti Dominici commendatio, & Religionis inclytæ Prædicatorum elogium.

Prædicta omnia S. Dominico, & prædicatorum ſacræ cohorti aptantur.

7. QVÆ omnia ſine inuidiâ adaptabis Religioſæ cohorti, quæ à primæua inſtitutione inſectationi hæreticorum ſeipſam dedicauit; enimverò cum ſit Eccleſiæ lucidum ornamentum ſacræ Inquiſitionis perfuncta munere hæreditario filiorum, conſtituta eſt à Deo fidei tutamen, & præſidium: ô quot tanquam ex equo Troiano milites fideles, & in cauſis fidei fortiſſimi duces prodierunt, qui pro aris, & focis Catholicæ religionis vſque ad ſanguinem decertarunt? Appellitabo ceruos, carmen Dauidico ore prolatum eorum laudibus attexens? Idonea ſunt Apoſtolorum præconia, quæ ſcribit ſanctus Auguſtinus, eos cum ceruis comparans: *Perfecit ſuperatores, & repulſores venenoſarum linguarum.* Et quæ attexit ſanctus Beda: *Exuperatores, & repulſores venenatæ doctrinæ.* Glorientur mille trophæis de hæretica prauitate reportatis. Nuncupabo canes? Idonea comparatio ab inclytæ familiæ ſtemmate, & parentis magnalibus deducta, Canis facem in ore geſtantis: canes inquam non præpeditæ linguæ, ſed ringentes aduerſus hæreſim, gigantea impietatis monſtra dilaniantes, latratu ſuo abigentes lupos in gregem Domini graſſantes. Canes ſunt venatici inſigni ſagacitate præditi, &

Dominicanis Patribus cōgruunt Apoſtolorum præconia.

D. Aug.

D. Beda.

Stemma D. Dominici, Canis.

Canum aſtus & ſolertia.

acutiſſimo odoratu, vt in cuniculis latitantes hæreticorum feras ſolertet inueſtigent. Vegetius, libro 4. de re militari ſcribit: *Canes ſagaces odore, & importunis latratibus feram inſequuntur.* Pulcherrima ſunt Plinij verba ex libro 8. natural. hiſtoriæ cap. 11. deſumpta, de cane ſantis: *Sed in venatu ſolertia, & ſagacitas precipua eſt. Scrutatur veſtigia, atque perſequitur, comitantem ad feram inquiſitorem loro trahens: qua viſa, quàm ſilens, & occulta, quam ſignificans demonſtratio eſt, cauda primùm, deinde roſtro. Ergo etiam ſenecta feſſos cæcóſque ac debiles ſinu ferunt, ventos, & odorem captantes, prodentéſque roſtro cubilia.* In Plinij verbis Inquiſitorem ſimul cum cane inuenies: *Comitantem ad feram inquiſitorem trahens.* Miniſtrorum ſancti Officij ſilentium, & ſecretum illa ſententia demonſtrat: *Quàm ſilens, & occulta demonſtratio.* Denique religioſorum canum in venatu hæreticorum ſolertia, & ſagacitas præcipua eſt, eorum ſcrutantur veſtigia, atque perſequuntur: in odoranda perfidiâ ſingulariter eminent hi canes.

Veget. *Odorandi ſagacitas.* Plin. *Canis ad feram, inquiſitorem trabit.* *Canis ſilens, & occulta demonſtratio S. Inquiſitionu, & miniſtrorum eius ſecretū percendit.*

8. In ſpiritu eos proculdubio agnouit Regius Pſaltes, & in eorum commendationem, & gloriam inſigne cecinit Vaticinium Pſalm. 67. verſ. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo.* Mentem Vatis, conceptum propoſitum interpretis, verborum luminibus ornat luminare Eccleſiæ Magnum Auguſtinus in apricum euulgans religioſorum canum inſigne præconium. Sic inquit: *Eoſdem ipſos, qui vſque ad ſanguinem fuerant pro fide Euangelica certaturi, etiam canes vocat: tanquam pro ſuo Domino latrantes. Non illos canes, de quibus dicit Apoſtolus, cauete canes: ſed illos qui edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Hoc enim confeſſa Chananæa meruit audire. O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Canes laudabiles, non deteſtabiles, fidem ſeruantes Domino ſuo, & pro eius domo contra inimicos latrantes. Non enim tantummodo canum dixit, ſed canum tuorum.* Eleganter propoſuit Auguſtinus ſacrorum canum inſignia, nimirum fidei obſeruantiam erga Dominum, latratum contra hoſtes, fidei Catholicæ Euangelicæque zelum, cuius facti ſunt acerrimi propugnatores, calamo, lingua, ſanguine. Ideo tamen inter reliqua decora miris laudibus exaltauit Dauid canum linguam, *Lingua canum*, vt hos canes, ex ſacri eloquij præconio, & prædicatorio munere à reliquis diſcernat. Verùm enimvero primam illam Aurelij ſententiam: *Eoſdem ipſos qui vſque ad ſanguinem fuerant pro Fide Euangelica certaturi, etiam canes vocat*, in Diuum Petrum Martyrem adaptabis ſacræ cohortis Inquiſitorum anteſignanum, qui Fidei vexillum erigens de perfidia triumphans glorioſus occubuit, candidam, & nigricantem Dominici ſtolam purpureo ſanguinis latice ſignauit, & tinxit, Martyrij trabea amplificatus.

D. Aug. *Canes vſque ad ſanguinē decertantes pro Fide Euangelica.* *Canes fidem ſeruātes Domino ſuo, & pro eius domo contra inimicos latrātes.* D. Aurel. *S. Petrus Martyr ſacræ Inquiſitorum cohortis dux.*

9. In hac laudationum catena, annulus annulum trahit, verbiſque ſancti Auguſtini, verba Aponij diſertiſſimi tanquam circulos aureos annecto congruenter. Ad ea verba Cant. cap. 2. verſ. 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* De hæreticorum vulpeculis, & earum inueſtigatoribus ſic fatur, libro Canticorum 4. *In vulpium ergo vocabulo, hæreticorum dialectica peruerſáque tergiuerſatio demonſtratur, quæ arte cuſtodum vineæ prohibentur. Ab illis ſcilicet, qui ſagacitate ſua inſtanter verbo Dei operam dant*, &c. Et poſtea: *Velut ſagaciſſimi canes vt profunda ſyllogiſmorum ſupradictarum vulpium cubilia rimarentur. De quibus dicit Pſalmographus: lingua canum tuorum.* Sciunt enim hi canes inueſtigare impiorum cauernas, vulpium hæreticorum rimari luſtra, odorari eorum perfidiam, fallaces argumentorum tricas mira ſapientia diſſoluere.

Hæretici vulpecula. Apon. *Fallaces argumentatiūculæ hæreſū, nomine Vulpium demonſtrantur.* *Sagaces canes, hæreticorum, ſophiſmata exſcindunt.*

10. Sed cur canis ardentem faculam ore circumfert? quia aduersùs hæreticam prauitatem iaculatur ignes; iniicitque prunas, & facem accenſam in hæreticorum pyras, vt eorum ſimulacra, aut corpora concrementur, & in fauillas abeant. Aut quia ſanctitate, & ſapientiâ conſpicuus hic canis Eccleſiam ornat, & illuminat. Vel quia eius conatibus tutandæ Fidei, perfidiæ repellendæ, impiorum inſidias aperiendi, Spiritus ſancti lumen aſſidet. Sacra hæc, & inuicta religioſorum canum acies cum in manu protoparentis ſui cernit lucernam ardentem, & lucentem, verba ſibi vſurpet à ſancto Diadocho prolata libro de perfectione ſpirituali, capite 28. *Solummodò Spiritus ſancti eſt purgare mentem: niſi enim ingrediatur fortis ille, & diripiat latronem, nunquam præda eripietur. Oportet igitur per omnia pace anima Spiritum ſanctum recreare, vt lucernam cognitionis ſemper apud nos lucentem habeamus: ipſa enim in penetrali mentis ſemper ſplendente, non ſolum illi amarulenti, & tenebricoſi Dæmonum appulſus patefiunt, ſed etiam magnopere langueſcunt, ab illo Sancto & glorioſo lumine proditi.* Ex ſpiritu illo flammifero, qui reſidet in capite, qui domicilium conſtituit tanquam in aula Regia in Diui Dominici corde, operatoriæ illuminationes reſiliunt ad filiorum mentes, vt ſemper apud ſe habeant lucernam cognitionis inextinctam ad theorias rerum diuinarum attinentem, & ad inſultus Dæmonis aperiendos; Dæmonis illuſiones, & ſpiritus falſitatis & erroris à cæleſti illo lumine manifeſtantur: *Tenebricoſi Dæmonum appulſus patefiunt, ab illo ſancto & glorioſo lumine proditi.* Omnem errorum caliginem à parente tenebrarum in corda fidelium expanſam, lumen illud, imò luminare magnum diſſipauit. Hac lampade Spiritus diuini inſtructus exercitus Dominicus in atrium fortis armati Dæmonis, & hæretici intrauit, arma humanæ poteſtatis diripuit, abſtulit deceptorum ſpolia: *Niſi enim ingrediatur fortis ille, & diripiat latronem, nunquam præda eripietur.* Inquit ſuprà S. Diadochus Epiſcopus Photices in Illyrico.

Cur Canis ardentem facem ore geſtat. D. Diad. *Cognitionis lucerna ſemper ardeat.* *A glorioſo lucernæ lumine, Dæmonum appulſus patefiūt.* D. Diad. D. Diad.

11. Cùm Diui Dominici manum lucenti, & ardenti facula ornatam cerno, occurrit animo egregium Herculis facinus, illius nimirum triumphus de Lernæa Hydra reportatus; egregij namque pugiles cum monſtro illo decertauerant gladio, & fuſte, ſed irrito conatu, nam vno capite abſciſſo, de ſua morte reuiuiſcens truncus, quamplurima parturiebat capita, donec Hercules gladio, & igne armatus, eo abſcindebat caput, iſto inurebat vulnus, ne ex vſtulata ceruice pullularet caput; qua arte Exetram interemit. Rem totam refert Diodorus Siculus Biblioth. Hiſtor. libro 4. capite 11. dicens: *Secundus ei labor in occidenda Exetra, ſeu Hydra Lernæa fuit. Huic centum ex vno corpore ceruices, ac totidem anguina capita extabant, vnóque horum deſecto, duplum eius loco prodibat. Idcóque pro inuicto id monſtrum habebatur, nec abs re ſanè. Nam pars ſublata, geminum ex ſe præſidium reddebat. Contra difficultatem illam, hanc artem commentus eſt: partem abſciſſam face inurere Iolaum iubet; vt ſanguinis ita fluxus ſiſteretur. Et*

S. Dominicus Eccleſiæ Hercules qui Hydram hæreſis lernaam gladio & igne extinxit. Diod Sic. *Hydræ Lernææ monſtrū.* *Caput Hydræ abſciſſum face inurere iubet Hercules.*

hoc

hoc pacto bellua ſubacta. Quis in Hydra illa Lernæa non videt viuum hæreſis, aut perfidiæ ſimulacrum? Æquo iure ſanctus Gregorius Nazianzenus Imperatorem Apoſtatam Iulianum Hydram nuncupat Lernæam, cum orat. 3. in impium Iulianum inuehitur: *Atqui Hydram nemo vnquam lenem, & manſuetam dixit, quod nouem capita pro vno proferret.* Hydra itaque Hæreticæ prauitatis viua, & expreſſa imago eſt. Inclyti laniſtæ ſanctimonia, & ſapientia clari deſcenderunt in arenam cum horrifico hæreſis monſtro, & multicipite angue, vt ipſum abſcinderent, & laniarent ſtylo, & gladio verbi Dei; ſed abſciſſo vno impietatis capite, plurimæ hæreſes pullulabant; donec inuictus Eccleſiæ Hercules in lucem prodiit Diuus Dominicus, qui ardente face exureret abſciſſas Hydræ ceruices: *Contra difficultatem illam, hanc artem commentus eſt, partem abſciſſam face inurere Iolaum iubet.* Diuini Herculis Dominici inuentum eſt hæreſim igni deuouere, & iudiciaria ſacræ Inquiſitionis poteſtate, Hæreticorum capita flammis exurere. Et ſicut Hercules amicum Iolaum, ita Dominicus ſocios, & commilitones ſuos hac arte exurendi impios inſtruxit. Hoc ſtudio repreſſus fœtus huius monſtri eſt, & exſiccata hæreſum profluuies, hoc pacto exciſa eſt, & extincta perfidiæ bellua: *Vt ſanguinis ita fluxus ſiſteretur, & hoc pacto bellua ſubacta.*

D.Gre.Naz.

Iulianus Apoſtata, Hydra Lernæa nuncupatur.

D.Dominicus Hæreſis excetram ardente face extinxit.

Diod.

Diod.

12. A cane ad facem, à ſagaci odoratu vnius ad efficacem illuminationem alterius ſum digreſſus: nec mirum, perſtrinxit oculos ſacerrimum, & clariſſimum iubar, propenſum ad elogia animum iucundè ductauit. Diſcurſus ſeriem annecter Vaticinium Ezechielis ex cap. 39. mutuatum; in quo reportata ab Eccleſiaſticis viris, & exercitus Domini Imperatoribus trophæa de Gog, & Magog, hoc eſt de errorum monſtris, & hæretica prauitate, proponuntur; quare in hac prophetia totus eſt vates in prædicandis magnalibus quæſitorum ſacræ Fidei. ibi verſ. 13. inquit: *Et erit eis nominata dies, in qua glorificatus ſum ait Dominus Deus, & viros iugiter conſtituent luſtrantes terram, qui ſepeliant, & requirant eos, qui remanſerant ſuper faciem terræ, vt emundent eam.* Iuxta Diui Hieronymi mentem in his ſententiis deſcribitur Catholicæ fidei victoria, & triumphus contra hæreticam prauitatem, cenſétque Doctor Maximus viros illos explorantes terram eſſe Catholicæ veritatis zelantiſſimos aſſertores, quibus munus incumbit explorandi terram, & hæreticorum luſtra, vt omnes hæreſes tumulent, & proiiciant in altiſſimas terræ foſſas, in quibus ſpes non adſit exeundi, & ſi aliquod os corruptum, hoc eſt hæreticæ prauitatis veſtigium ſagacitate, & odore ſuo inuenerint, terræ cumulis obruant, & detur in anathema obliuionis. Scribo Hieronymi verba: *Labor eſt eorum vt omnem introitum, & exitum hæreticæ prauitatis in voraginibus terræ ſepeliant, ne vltra exire valeat, & aliquos ſua fraude decipere.* Et ad ea verba: *Viros iugiter conſtituent;* ſubiungit hæc: *Eligentur viri Eccleſiaſtici, qui hoc habeant ſtudij ne quid in terra Iſrael maneat ſordium priſtinarum, vt mundetur terra Eccleſia; hi qui terram peragrant atque circumeunt, ſi in aliquo os hominis, hoc eſt duritiam hæreticæ prauitatis viderint remanſiſſe; ponent iuxta illud, ſiue ædificabunt titulum Vt in tumba ſepulturæ Gog ſepeliantur.* Sacro penicillo delineauit munia Quæſitorum ſacræ fidei; qui indagationis acumine hæreticorum phalanges, & gladio poteſtatis trucidarunt; eorúmque oſſa, & adinuentiones impias demerſerunt in terræ tumulis, & profundis caueis, & forſan illa ſententia: *Ponent iuxta illud titulum,* Velamenta denotant in templi parietibus appenſa oſtentantia flagitij, & ſupplicij probroſas inſcriptiones; aut ignominiæ notas, quibus inurunt in Iudaiſmi obſeruantias, aut Hæreſum errores lapſos, & relapſos, videlicet inſignia flammarum, aut rubras lineas decuſſatas, illud tamen expende: Viros illos ab Ezechiele & Diuo Hieronymo vocari luſtratores terræ, & perſcrutatores, odoratoréſque maleolentis hæreſis, vt terram emundent, ſublatis impietatis ſordibus. Sit gloria cæleſti numini, & omnis boni auctori, qui horum virorum ſoleitiâ, & vigilantiâ Hiſpaniæ regnum ab errorum immunditia perpurgauit; itavt noſtris temporibus quibus abolitum eſt omne perfidiæ veſtigium, adimpleta videantur verba Hieronymi: *Viros iugiter conſtituent, &c. Eligentur viri Eccleſiaſtici, qui hoc habeãt ſtudij ne quid in terra Iſrael maneat ſordium priſtinarum, vt mundetur terra Eccleſia.* Satagunt enim vt Catholica Religio in Hiſpaniâ quaſi in purioti cœlo viuat ab omni hæreſis inquinamento, aut ſuperſtitionis maculâ immunis.

Triumphus de perfidia reportatus ab Eccleſiaſticis viris ab Ezechiele vaticinatur.

D.Hier.

Introitus & exitus hæreticæ prauitatis in voraginibus terræ ſepeliendus.

Inquiſitorum ſolertia in inueſtiganda prauitate hæretica prædicitur.

Ignominioſi tituli quibus plectuntur Iudæi & hæretici, prænuntiati ſũt ab Ezechiele.

Immunitas Regnorum Hiſpaniæ ab hæreſi.

D.Hier.

F I N I S.

FACVLTAS REVERENDI P. PROVINCIALIS IN *Prouincia Bætica Societatis* IESV, *& Aſsiſtentis pro Prouinciis Hiſpaniæ, & Indiarum Occidentalium.*

EGo ALVARVS ARIAS DE ARMENTA Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Bætica, & Aſſiſtens pro Prouinciis Hiſpaniæ & Indiarum Occidentalium; poteſtate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum P. N. MVTIO VITELLESCHI Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus inſcriptus *Commentarius & Elucidatio Iſaiæ Prophetæ* à P. ANDREA LVCA noſtræ Societatis Theologo conſcriptus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Hiſpali, die 16. Auguſti Anno. 1639.

ALVARVS ARIAS.

ANTONIVS MARTINVS ADALID, Secretarius.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS infrà ſcripti in ſacræ Theologiæ facultate Magiſtri, fidem facimus Librum cui inſcriptio eſt, *Elucidatio literalis, myſtica, & moralis Iſaiæ Prophetæ, exornata diſcurſuum varietate, Authore P. Andrea Luca de Arcones è Societate* IESV *Granatenſi,* nihil fidei Orthodoxæ contrarium agere, digniſſimúmque qui in lucem prodeat. Lugd. die Oct. Oct. 3. An. 1641.

Fr. CL. COCHET, Prior Præd. Lugd.

Fr. LVDOVICVS DE CLERCIN.

INDEX

INDEX LOCORVM AC TEXTVVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC Opere paſſim vel citantur, vel exponuntur.

EX GENESI.

